DE AUXILIIS DIUINAE GRATIAE ET HUMANI ARBITRII VIRIBUS, ET LIBERTATE, ...

Diego Alvarez, Claude Audran

Digitized by Google

8
3 N
6

44.2.20.
44 44
F E
21 14

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DE AVXILIIS

DIVINÆ GRATIÆ

ET HVMANI ARBITRII

VIRIBVS, ET LIBERTATE,

AC LEGITIMA EIVS CVM

EFFICACIA EORVMDEM AVXILIORVM

CONCORDIA.

Libri Duodecim.

AVCTORE F. DIDACO ALVAREZ METINENSI,
Archiepiſcopo Tranenſi, & Salpenſi, ex Ordine Prædicatorum aſſumpto.

Cum Indicibus in hac accuratè elaborata editione Lectori neceſſariis.

Editio poſtrema ab ipſo Auctore recognita, & pluribus in locis aucta.

LVGDVNI,
Sumptibus Iacobi Cardon & Petri Cauellat.

M. DC XX.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

PHILIPPO TERTIO
HISPANIARVM ET INDIARVM REGI CATHOLICO

F. DIDACVS ALVAREZ ARCHIEPISCOPVS Tranenſis, & Salpenſis, Summam Felicitatem precatur.

IBROS duodecim de Auxiliis Diuinæ Gratiæ compoſitos, in lucem emitto Rex POTENTISSIME, quibus, quòd Auguſtiſſimum nomen tuum præſcripſerim, cùm ſint rationes plurimæ, illa occurrit præcipua, quòd REGES CATHOLICI hoc, præ cæteris, proprium ſibi ſemper vendicarunt, vt omnes eius Generis, non tam patriæ quàm Chriſtianæ Religionis defenſores, Catholicæque Fidei, ſumma opera, Diuinóque afflante Spiritu, acerrimi propagatores & propugnatores extiterint. Quorum imitatus veſtigia, maxima, qua potuiſti, ſolicitudine, verè Regiam, & CATHOLICO REGE digniſſimam operam contuliſti ſemper, & confers, vt ROMANO PONTIFICI, CHRISTI Domini in terris Vicario, ac Principis Apoſtolorum PETRI ſucceſſori obedientia, nedum in tua ditione (quam, vt ampliſſimam, ſic & Chriſtianæ Religionis præſidiis munitiſſimam habes) illæſa conſeruetur; verumetiam vt nationes Barbaræ ad ſanctam Eccleſiam confluant, eius Fidem humiliter ſuſcipiant, ac præcepta venerentur, & ſeruent. Quo nihil Vniuerſo optabilius, tuoque Regno aptius ad domeſticam tranquillitatem accidere poſſet. Hinc etiam Maiorum tuorum in egregiis diſciplinis fouendis augendiſque æmulatus induſtriam, præcipua animi propenſione inſignium in ſacra Theologia facilè Principum, Sanctorum Auguſtini Thomæque doctrinam tuendam, & ad verum ſenſum exponendam, ſummo ſtudio, & ope curaſti. Teſtis eſt ampliſſima illa Salmã-

ticenſis Academia,vbi paucis ab hinc annis Primariam ſacræ Theologiæ Cathedram iiſdem,quibus antiqua muneribus, ac Priuilegiis inſignitam,Regia munificentia inſtituiſti;eámque ob animi tui beneuolẽtiam erga Dominicanam Religionem,eidem perpetuò regendam contuliſti.Accedit præcipuum illud in me collatum beneficium,cùm, præter omnem ſpem,& meritum,tua Regia præſentatione fuerim ad Archiepiſcopalem Tranenſem Eccleſiam euectus.Cùm igitur ab ineunte ætate,in eadem Religione,veteris veſtimẽta deponẽs,nouum induerim hominẽ,non alienũ à me putaui,ſi cõmuni,& Religionis,& meo nomine,hoc munus tibi tanquam non immemoris animi ſignum offerrem.

Ipſamet etiam operis materia de Auxiliis Diuinæ gratiæ nulli conuenientiùs quàm tibi dicandã eſſe demonſtrat,cùm hæc in te ſplendeant, & in maioribus tuis,quàm maximè effulſerint.Librum,non Epiſtolam contexerim, ſi recenſere vellem, quibus auxiliis,quàm efficaci gratia, quælibet ardua,& præclara aggreſſi, feliciſſimum exitum ſint conſequuti.Nec mirum:Siquis enim originem,cauſámque tantæ felicitatis quærat,non aliunde Gentis Auſtriacæ Imperium glorioſum, quàm à Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, hoc eſt, ab omnium gratiarum fonte profectum eſſe fatebitur.Notiſſimum eſt eximium illud,& numquam ſatis laudatũ pietatis, & religionis exemplum,quod Rudolphus Comes Aſpurg.Regibus,& Principibus præbuit Chriſtianis.Cùm enim die quadam intenderet venationi,& obuium haberet in itinere Sacerdotem pauperem,Viaticum infirmo in villa exiſtenti deportantem, vt audiuit ſacratiſſimum Domini noſtri IESV CHRISTI corpus adeſſe,relicta venatione,quam inſequebatur,acceſſit, ex equo celeriter deſcendit, ac genibus ſuper nudam,& cœleſti pluuia madidam terram flexis,Sacroſanctum deuotiſſimè adorauit Sacramentum;pallium proprium, quo à pluuia defendebatur,exuit,& ſuper humeros Sacerdotis ſanctũ Chriſti Domini corpus deportantis,reuerenter impoſuit,ne à pluuia aliquid detrimenti ſacra EVCHARISTIA in itinere pateretur.Mira res:Non poſt lõgum tempus idem RVDOLPHVS, qui,vt debita reuerentia ſanctam adoraret Hoſtiam prætereuntem,deſcenderat: Deo bonorum omnium retributore diſponente,ad ſummum Romanorum Imperium electus aſcendit;eiúſq; ſucceſſores Archiduces Auſtriæ, Principes inferioris Germaniæ,Hiſpaniarum,& Indiarum Reges,ac noui Orbis Monarchæ meritò euaſerunt.Accipe igitur,REX INVICTISSIME, quod pluribus rationibus tuum eſt,& ea,qua ſoles,clementia tuearis. Nec me latet,quàm id pro tuo ſingulari merito,& meo erga te innato ſtudio,minimum ſit:ſed non debent,qui magna retribuere nequeunt,parua negligere:& qui in maioribus obſequium præſtare non poſſunt,ob id in minoribus offerẽdis muneribus diligentiam remittere: præſertim cùm in omni genere officij, pluris animi voluntas, quàm muneris magnitudo facienda ſit. REX in æternum viue,& vale.

Romæ die 18.Octobris.M.DCX.

FR.

Digitized by Google

FR. DIDACVS ALVAREZ ARCHIEPISCOPVS TRANENSIS ET SALPENSIS

Studioſo ac pio Lectori S.

REM omnino grauiſſimam, atque adeò plurimùm neceſſariam, auidis, vt ſpero, præſertim verò ſtudioſorum hominum animis offero; eius nimirum explanationem doctrinæ, de Auxiliis Diuinæ Gratiæ, eorúmque efficacitate, quæ in omnium animis deſiderium expectationémque excitauit. Si verò earum rerum cognitionem, inter reliquas Theologiæ partes, perutilem fructuoſámque eſſe arbitramur, quæ, ſi bene intelligantur, lucem quaſi præferant cæteris; ſi autem negligantur, vel leuiori ſolummodo tranſcurrantur ocio, ſecum ipſæ alias quoque occultent; hæc certè à me inſtituta Diſputatio inter alias peculiare palmarium quoddam ſibi iure merito vendicat. Quoquo verſum enim in Theologia animũ conuerteris, hanc in ea vbique diffuſam, vbique in oculos ſenties incurrentem. Ad eam Lectorem appello tractationem, in qua illud ediſſeritur, quid de ſcientia Dei, qua futura etiam contingentia omnia perfectiſsimè cognoſcuntur, quid de eius voluntate & Generali Concurſu, de Prouidentia, de Prædeſtinatione, de viribus liberi Arbitrij creati, de Gratia, quid denique de Concordia eiuſdem Arbitrij cum Præſcientia, Prouidentia, ac Diuina Prædeſtinatione, quæ numquam deficiunt, & cum Auxiliis Diuinæ Gratiæ, quæ efficiunt ſemper; Theologo viro & ſentiendum ſit & dicendum. Quæ omnia audita quidem poſſunt eſſe aliquando ſtudioſo, ita clara certè numquam, vt in illis eum, & magno ſæpe periculo cæcutire non oporteat, niſi haſce materias, difficultatibus vberes, & ſcaturientes quamplurimis, (in quibus explicandis mea nõnihil deſudauit induſtria,) bene elucubratas, intellectáſq; ita poſſideat, vt quaſi in ſanguinem, ſuccúmque conuerterit ſuum. Ita ergo hæc tractatio affinis eſt multis aliis; immo verò ita germana quamplurimis, vt, quod Tullius de omnibus artibus aſſeruit, hanc ego cum vniuerſa ferè Theologia connexam, indiuiſibilíque cõiunctam copula affirmauerim; cùm hæc aliis Theologiæ partibus, illæ huic mutuo neceſſarióque auxilio famulentur, vt aut illas ignorare, ſi has neſcias; aut ſcire iſtas, niſi illas ignorare velis, oporteat.

Ego itaque cùm, voluntate eorum, quorum ab imperio religioſo vitæ meæ inſtituto dependebam, in Collegio Romano S. Thomæ ſuper Mineruam oblatum commiſſúmque publicè Theologiam docendi laborem, antiquo iterum ludo incluſus, obediens ſuſcepiſſem, decem annorum curriculo, præter alias ſacræ Theologiæ materias, bis primam Partem ſummæ Angelici Doctoris, ſemel Primam Secũdæ, ac Tertiam Partem publicè excipientibus auditoribus interpretatus, emergentes identidem alias ex aliis difficultates, occultas quidem illas, luce tamẽ, & cogni-

tione hominum digniſſimas, quantùm potui, (vt autem poſſem, conatus certè ſum) diſcuſſis quaſi nubibus ſerenatas, etiam tenuioribus ingeniis faciles captu, pro tenuitate ingenij mei reddidi. Inter quas, cùm eam doctrinam, quæ circa auxilia Diuinæ gratiæ controuertebatur, pleniore cura ac ſtudio pertractaſſem, ea omnia, quæ auditoribus calamo excipiẽda tradidi, collecta, eoq; diſpoſita ordine, qui melior viſus eſt, in lucem duxi emittenda; vt antiquæ, & (ſi ita loqui licet) canæ, ſeniliſque veritatis doctrinam, ex Scripturarũ, Conciliorum, ac Sanctorum Patrum, præſertim Auguſtini, & Thomæ fontibus limpidiſſimis hauſtam, quantùm materia patitur, dilucidam redderem. Quam etſi clarè intueri ob naturæ conditionem adhuc non licet, fide tamen ductrice, magiſtra Eccleſia, Sanctis Patribus lucubrationum noſtrarum Auxiliatoribus, famulis veritatis, neque titubantes, neque nutabundi, ſed & ſecurè addiſcere, & aliis addiſcenda proponere poſſumus.

Neque id nimio opere curandum mihi fuit, vt longiores profundioréſque diſputationes inſtituerem, ſed quo poſſem breuiores, clarioréſque, ne legentibus copia fatigationem, ac nauſeam afferret: & obſcuritas fortaſſe ingeniis diffidentiam. Satis etiam intelligebam, non defore permultos, eoſq; Doctores inſignes, qui operæ ſuæ circa eandem doctrinam diligenter impenſæ, vel iam ediderint monimenta, vel in poſterum ſint edituri, vtiliter ſcilicet longiores, optimo ſcribendi genere pulcherrimos, & varia doctrinæ profunditate, ita omnibus placentes libros, vt longo, hunc meum qualemcumque laborem, interuallo poſt ſeſe derelinquerent: qui & illuſtriorem redderent veritatem, & ex quibus multo maior in animos ſtudioſorum emanatura lux eſſet. Non tamen ideo conſiſtendum mihi fuit in hoc inſtituto, deſperanda omnis ex laboribus meis vtilitas, abiiciendus cum calamo animus, cum illud in promptu eſſet, quod & inſidentem ex animo euellere poſſet dubitationem ſcribendi, non modò prohibere irrepentem, quo aliquando in alia, non tamen omnino diſſimili cauſa, ſecum ipſe colloquutus, & quaſi adhortatus eſt ſemetipſum Auguſtinus. *Nec omnia*, inquit, *quæ ab omnibus conſcribuntur, in omnium manus veniunt, & fieri poteſt, vt nonnulli, qui etiam hæc noſtra intelligere valent, illos planiores non inueniant libros, & in iſtos ſaltem incidant. Ideóque vtile eſt, plures à pluribus fieri tractatus diuerſo ſtylo, non diuerſa fide, etiam de quæſtionibus eiſdem, vt ad plurimos res ipſa perueniat, ad alios ſic, ad alios autem ſic.* Vnde, dum alia ab aliis legentur hiſce de rebus longè præſtantiſſima ſcripta, fortaſſis mea etiam ab aliquibus non negligentur, ſi aliorum inopiam, horum tantummodo copiam habuerint.

Aug. lib. 1. de Trinit. c. 3. tom. 2.

Ordinem, rerúmque connexionem omnium, quæ in hoc volumine tractantur, vnico quaſi ſubiectus aſpectui quæſtionum index, & totus etiam legentibus liber oſtendit. In quo ideo plurima prætermiſſa ſunt, quæ poterant pertractari, non quia ita ſeparata eſſe cenſerem, vt nullo modo huc pertinerẽt, aut ego ſcribendi laborẽ extimeſcerẽ, fugerémque; ſed ne ab ea breuitate, quæ mihi ſemper propoſita fuit, longiùs hæc omnis aberraret tractatio. Ea tamen omnia, vel ſaltem præcipua, quæ S. Eccleſiæ Doctores, præſertim Auguſtinus, & Thomas circa Auxilia Diuinæ gratiæ, & eorum efficaciam docuerunt, ſi non vt alij copioſè, (quod nec volui) breuiter certè, lucidè tamen, & quantùm ad intelligendum ſatis eſt, tradere ſum conatus. Etſi enim non ignorem, & proprio robore, firmamentóque, magnas ad inſtituendos animos hominum vires habere eorundem Patrum Doctrinam, maiores tamen habituram nemo contradicet, ſi luce teſtimoniorum, & explicatione inſtruatur. Et ſæpe fit, vt quid aliqui primò, ſiue auditione, ſiue lectione non intelligant: vel ſibi diffidentes, vel impatientes, laborem poſtea refugiant, negligántque: quod tamen ſi explicetur, humanus, & ſemper appetens, auidúſque ſcientiarum animus, vnde priùs aufugerat, eodem reuertitur, & vbi laborare renuerat, ſpe quaſi erectus noua

inde

Digitized by Google

indefeſſus,elaborat,& quaſi famem expleturus ſuam,difficillima quæque intellectione inuadit,peruadit q;, & tandem vnde fructum deſperauerat, ſummam cum fructu capit voluptatem. Quod,vt pius Lector aſſequatur,legat pacato animo,non ſemel,ſed pluries,& attentè in propriis fontibus loca Sanctorũ Auguſtini,& Thomæ,aliorúmque Patrũ,ſicut idem Auguſtinus Valentinum,& Monachos,ad quos librum de Correptione,& Gratia direxit,his verbis hortatur : *Verumtamen ſemel lectum* (librum de Correptione,& Gratia) *nullo modo arbitremini ſatis vobis innoteſcere potuiſſe. Si ergo eum fructuoſiſſimum habere vultis,non vos pigeat relegendo habere notißimum,vt diligentißimè ſciatis,quibus,& qualibus quæſtionibus ſoluendis,atque ſanandis, non ibi humana,ſed diuina occurrat auctoritas,à qua recedere non debemus,ſi volumus peruenire, quò tendimus.* Aug. lib. de corrept. & gratia, c. 1.

Nullius Doctoris ſententiá aliqua cenſura notabo: non enim decet determinationem Sanctæ Sedis Apoſtolicæ,quæ propediem expectatur, priuato iudicio præuenire. Quidquid autem in hoc meo libro veritati conſonum (quam ex animo inquirimus) inueneris,amplectaris,& Patri luminum,à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum deſcendit,ac ſanctis Doctoribus,quorum ſententiis totum hoc noſtrum opus contextum eſt,acceptum referas: *Si qua autem vitia mea perſpexeris,vti cariſſimus amicus ignoſcas,eadem ſinceritate dilectionis mihi optans medicinam,qua concedis & veniam.* Aug. epiſt. 57. ad Dardanum in fine.

Vale.

Appro

Digitized by Google

Approbatio admodum R. P. D. Raphaelis Raſtellij Clerici Regularis.

EX commiſſione Reuerendiſſ. P. Fr. Ludouici Yſtella Magiſtri Sacri Palatij Apoſtolici, librum, cui titulus eſt de Auxiliis Diuinæ Gratiæ, editum à Reuerendiſſ. Domino Fr. Didaco Aluarez Archiepiſcopo Tranenſi, & Salpenſi, accurate perlegi, nec in eo aliquid deprehendi, quod Sanctæ Catholicæ Fidei, aut bonis moribus repugnet. Imò opus eſſe cenſeo impreſſione digniſſimum: & ad defendendam Liberi Arbitrij cum infallibilitate Diuinæ voluntatis legitimam Concordiam, perutile opus mihi videtur: in quorum fidem me ſubſcripſi. Die 19. menſis Martij. 1610.

D. Raphaël Raſtellius Clericus Regularis.

Approbatio admodum R. P. Sacræ Theolog. Mag. Fr. Ioannis Gonzalez Collegij S. Thomæ ſuper Mineruam Regentis.

SVmma cum voluptate vidi, & diligentiſſimè perlegi duodecim libros de Auxiliis Diuinæ gratiæ, editos à Reuerendiſſimo Domino D. Fr. Didaco Aluarez Archiepiſcopo Tranenſi: in quibus, dum pro Dei Gratia laborat, quæ naturam noſtram ſanat, ac perficit, liberum Arbitrium validiſſimè defendit, ac roborat; & vtriuſque Concordiam ex mente duorum Eccleſiæ luminum S. Auguſtini, & S. Thomæ fideliſſimè declarat, amborum non ſolùm ſententiam, ſed phraſim loquendi ſequutus, ſtylo breui, & grata facundia, quæ, dum ſuauiter fluit, difficilia quæque fortiter penetrat. Prodeant igitur de Auxiliis Diuinæ Gratiæ, in gratiam Scholaſticorum, libri, in quibus nihil eſt Orthodoxæ fidei diſſonum, immo potiùs omnia mirificè conſona, & Romanæ Eccleſiæ traditionibus, & Sanctorum Patrum doctrinæ: ita vt ipſum opus Auctorem indicet, & prædicet. Vbertas enim rerum, quæ in eo miro ordine elucet, felix, ac fœcundum ingenium, & ſummum ſtudium in euoluendis ſacris voluminibus, quaſi digito demonſtrat. Datum Romæ in Collegio S. Thomæ, S. Mariæ ſuper Mineruam, prima Octobris, 1610.

Fr. Joannes Gonzalez.

Approbatio admodum R. P. Fr. Stephani à Vico, Sacræ Theologiæ Magiſtri.

EGo Fr. Stephanus de Vico, Sacræ Theologiæ Magiſter, Ordinis Prædicatorum, Reuerendiſſ. P. Fr. Didaci Aluarez Archiepiſcopi Tranenſis, & Salpenſis, Diſputationum Theologicarum, de Auxiliis Diuinæ Gratiæ, Libros duodecim, ex commiſſione Illuſtriſſ. & Excellentiſſ. Domini Proregis Regni Neapolitani, eiúſque Regij Collateralis Conſilij, ſatis attentè perlegi, quod mihi opus Catholicum, pium, lectúque digniſſimum viſum eſt, atque ob Sacratum literarum, Sanctorum Patrum, & Sacrorum Conciliorum teſtimonia, ac rationes Philoſophicas, & Theologicas, quibus mira varietate eſt contextum, ad conuincendas, & diſſipandas hæreſes, nec non ad defendendam, & explicandam Liberi Arbitrij, cum infallibilitate Diuinæ Prædeſtinationis, & Gratiæ legitimam Concordiam perutile cenſeo: dignum ſanè, quod in Dei gloriam, & communem vtilitatem typis excuſum in lucem prodeat. Datum Baroli 17. Auguſti, 1608.

Fr. Stephanus de Vico, &c.

Imprimatur ſi placet R. P. M. Sacri Palatij Apoſtolici.
Cæſar Fidelis Viceſg.

Imprimatur. *Fr. Damianus à Fonſeca, Magiſter & Socius Reuerendiſſ. P. Fr. Ludouici Yſtella, Sacri, & Apoſt. Palatij Magiſtri, Ord. Prædicatorum.*

Summa Priuilegij à Chriſtianiſſimo Galliarum Rege obtenti.

LVDOVICI XIII. Galliæ, & Nauarræ Regis Diplomate cautum eſt, ne quis in ſuo Regno, aliiſve locis ditioni ſuæ ſubiectis, intra proximos annos decem, à die impreſſionis prima inchoandos, excudat, vēdat, excudendum, vendendúmque quouis modo, ac ratione conetur librum, qui inſcribitur *De Auxiliis Diuinæ Gratiæ auctore Didaco Aluarez*, præter Horatium Cardon Bibliopolam Lugdunenſem: aut illos, quibus ipſe conceſſerit: ſub pœnis Originali Diplomate contra delinquentes expreſſis. Datum Pariſiis 18. die menſis Febr. 1611.

De mandato Regis,

Signatum,

PERREAV.

INDEX

DISPVTATIONVM QVÆ IN HOC OPERE CONTINENTVR.

Libri I.

DISPVTATIONES Proœmiales.

1 DISPVTATIO PRIMA. Quid Pelagiani sẽserint circa necessitatẽ gratiæ,& naturales vires arbitrij. Disputatur simul: Vtrum aliquando admiserint,esse ad salutem necessariam, vel ad implendum legis præcepta aliquam gratiam interiorem,siue aliquod Dei supernaturale auxilium. pag. 2.

2 Quam gratiam,tanquam necessariam ad salutem admiserint Semipelagiani, & in quo eorum sententia cum Pelagianorum errore conueniat, vel ab eo discedat.Vbi error Fausti, & Cassiani circa necessitatem gratiæ,& vires naturales nostri arbitrij, aperitur. 9

3 Quid Manichæi,Lutherani, & Caluiniani circa gratiæ necessitatem,&vires naturales nostri arbitrij statuerint. 16

4 Quid nonnulli Doctores circa eiusdem gratiæ necessitatem,& vires naturales liberi arbitrij senserint, & circa illius concordiam cum infallibilitate præscientiæ,prouidentiæ,& prædestinationis Diuinæ. 20

5 Quantam authoritatem circa materiam prædestinationis,& gratiæ habeat S.August.sententia.Vbi etiam agitur de auctoritate doctrinæ sancti Thomæ. 25

LIBRI II.

Disputationes de scientia Dei respectu futurorum contingentium, eorum præsertim, quæ à creata voluntate dependent.

6 VTrùm scientia Dei sufficienter diuidatur in scientiam simplicis intelligentiæ, & scientiam visionis. 29

7 Vtrùm sufficienter diuidatur in scientiam merè naturalem,& in scientiam merè liberam.An verò in Deo,præter vtramque sit constituenda scientia media, qua ante omne decretum suæ voluntatis cognoscat,in quam partem se determinabit lib. arb. si in talibus circumstantijs crearetur, vel constitueretur. 32

8 Vtrùm omnia futura sint actu præsentia in æternitate secundùm propriam existentiam antequam existant in propria mensura. 47

9 Vtrùm Deus certò,& infallibiliter cognoscat futura contingentia,propter realem præsentiam,quam habent in æternitate, antequam in suo esse producantur in tempore. 51

10 Vtrùm cognoscat certa cognitione, futura contingentia in decreto,siue in prædeterminatione suæ diuinæ voluntatis. 55

11 Vtrùm Deus peccata futura infallibiliter cognoscat in aliquo decreto suæ voluntatis. 57

12 Vtrum Deus certò cognoscat futura contingentia, prout sunt in suis causis proximis, præsertim quando causæ sunt liberæ. 59

13 Vtrùm futura contingentia ante omne decretum diuinæ voluntatis habeant determinatam veritatem,ratione cuius,ante idem decretum,possint certò à Deo cognosci,vt futura conditionata. 60

14 Vtrùm Deus,ante decretum suæ voluntatis,certò cognoscat futura contingentia,in ideis eorum. 63

15 Vtrùm antecedenter ad decretum diuinæ voluntatis, sit in Deo coniecturalis cognitio futurorum contingentium. 64

16 An illa causalis sit vera: Quia Deus sciuit hoc contingens futurum esse,ideo futurum est;an è conuerso,ideo Deus sciat res futuras esse, quia futuræ sunt. 65

17 Vtrùm Deus immediatè per suam scientiam, siue per suum intellectum, & voluntatem producat res ad extra:An verò præter intellectum,& voluntatem sit in illo constituenda tertia potentia executiua, per quam res immediatè producantur. 68

LIBRI III.

Disputationes de Concursu Dei generali & Prædefinitionibus Diuinis.

18 VTrùm concursus Dei generalis sit influxus immediatus in causam secundam; an verò solùm sit influxus cum eadem causa in effectum. 70

19 Vtrum auxilium Dei actuale præmouens efficaciter causas secundas ad operandum, sit qualitas à solo Deo efficienter producta in ipsis causis secundis. 77

20 Vtrùm concursus Dei generalis sit eiusdem rationis respectu omnium actuum, tam naturalium, quam supernaturalium. 82

21 Vtrùm concursus Dei generalis sit secundùm se indifferens. 84

22 Vtrùm Deus absoluto, & efficaci decreto suæ voluntatis, ad modum causæ physicæ prædeterminet omnes causas secundas, tam naturales quam liberas, ad suas operationes, salua earum libertate, & natura. 89

23 Vtrùm Deus præuia motione voluntati creatæ inhærente, eam ad modum causæ physicæ prædeterminet ad omnes suos actus in particulari, cum omnibus circumstantiis, salua ipsius libertate. 107

24 Vtrùm eamdem voluntatem prædeterminet ad actum peccati inquantùm actus est, & ens quoddam politiuum. 118

25 Vtrùm omnes actus, etiam liberi à Deo prædefiniti, & prædeterminati necessariò fiant, necessitate ex suppositione prædeterminationis diuinæ: & cum hac necessitate illæsa maneat eiusdem arbitrij libertas. Vbi explicatur, quæ & qualis sit hæc necessitas ex suppositione. 129

26 Vtrùm prima radix contingentiæ sit efficacia, & omnipotentia voluntatis diuinæ, an verò libertas illius; ita vt, si Deus operaretur ex necessitate, nullus esset effectus contingens. 134

27 Vtrùm aliquis effectus possit dici formaliter contingens in ordine ad causalitatem diuinam. 138

LIBRI IV.

Disputationes de Prouidentia Diuina.

28 VTrùm Deus habeat prouidentiam non solùm omnium generum, & specierum, sed etiam omnium indiuiduorum in particulari secundùm omnes circumstantias. 140

29 Vtrùm mala pœnæ sint per diuinam prouidentiam, absoluta, & efficaci voluntate volita, & prædeterminata in particulari, an solùm permissa. 148

30 Vtrùm sit de ratione diuinæ prouidentiæ non solùm ordinatio mediorum in finem, sed etiam assequutio ipsius finis à Deo intenti. 149

31 Vtrùm causæ secundæ contingentes, & liberæ possint se subtrahere, vel exire ab ordine, qui per diuinam prouidentiam est eis præfixus. 152

32 Vtrùm liberum arbitrium creatum omnipotenti Deo valeat resistere, vel contra ordinem diuinæ prouidentiæ reniti. 155

LIBRI V.

Disputationes de gratuita Prædestinatione Sanctorum.

33 VTrùm omnes explicationes, quas S. Aug tribuit verbis illis Apostoli 1. ad Tim. 2. Deus vult omnes homines saluos fieri, sint legitimæ. 164

34 Quid sit voluntas Dei antecedens, quid voluntas consequés, & an voluntas antecedens importet formaliter in Deo aliquem actum conditionatum seu velleitatem. 168

35 Quid sit prædestinatio, & in quo actu formaliter consistat, an consistat in actu voluntatis, vel potius in actu intellectus. 168

36 Vtrum bonus vsus liberi arbitrij, quo prædestinatus consentit Deo vocanti, & excitanti, consideratus inquantum emanat à libero arbitrio, sit effectus prædestinationis, an verò præsupponatur ex parte nostra ad ipsam prædestinationem. 171

37 Vtrùm bonus vsus liberi arbitrij procedens ex auxilio gratiæ sit causa, ratio, vel conditio sine qua non, prædestinationis in adultis. Vbi agitur de prædestinatione ad gratiam sigillatim, & de prædestinatione ad gloriam. 174

38 Vtrùm prædestinatio paruulorum fuerit dependens ex præscientia boni vsus liberi arbitrij parentum, vel aliorum, per quos ad baptismi gratiam peruenerunt, & eandem præsupponat. 181

39 Vtrùm merita Christi Domini præuisa sint causa prædestinationis nostræ, quantùm ad integrum effectum illius. 183

40 Vtrùm gratia status innocentiæ fuerit Adæ collata ex meritis Christi. 187

41 Vtrùm prædestinatio quantùm ad effectus assequutionem, sit in se certa, & infallibilis, non solùm certitudine præscientiæ, sed etiam certitudine ordinis, & causalitatis mediorum. 188

42 Vtrùm possit aliquis secluſa diuina reuelatione, certitudine infallibili cognoscere se, vel alium esse in numero prædestinatorum, vbi quædam signa prædestinatorum notantur. 192

43 Vtrùm saltem ex fidelibus sint plures electi quàm reprobi. 95

LIBRI VI.

Disputationes de Originali peccato, ac de viribus arbitrij naturalibus, præsertim post lapsum.

44 VTrùm omnes paruuli, per seminalem propagationem descendentes ex Adam, contrahãt peccatum originale. 198

45 Vtrùm per originale peccatum solùm fuerit homo spoliatus originali iustitia, & supernaturalibus donis, an etiam in naturalibus vulneratus. 208

46 Quæ sint vulnera, quæ homo per originale, vel actuale peccatum incurrit. 211

47 Vtrùm liberum arbitrium in natura lapsa, seclusis auxiliis gratiæ habeat easdem vires naturales ad bonum, quas habiturum esset, si in puris naturalibus conditum fuisset. 212

48 Vtrùm homo possit ex solis suis viribus absque auxilio gratiæ cognoscere omne verum pertinens ad ordinem naturæ. 215

49 Vtrùm per solas vires naturæ possit omnibus mysteriis supernaturalibus sibi propositis & explicatis assentiri, tanquam reuelatis à Deo, assensu merè naturali, certo, & firmo, ex parte credentis. 216

50 Vtrùm absque auxilio gratiæ possit operari aliquod opus virtutis moralis bonum ex obiecto, & omnibus circumstantiis, quod comparatione finis naturalis sit verè bonum, ac vetæ virtutis opus. 223

51 Vtrùm in natura lapsa possit ex solis suis viribus cum concursu Dei generali elicere actum absolutum merè naturalem dilectionis Dei super omnia, cum absoluto proposito illi in omnibus placendi. 227

52 Vtrùm liberum arbitrium cum solo concursu generali attritionem, vel contritionem quoad solam actus

Digitized by Google

actus ſubſtantiam elicere valeat. 234

53 Vtrùm homo poſſit per vires naturales ſui arbitrij reparare bonum ſibi connaturale, quod per peccatum amiſit. 236

54 Vtrùm homo lapſus poſſit abſque auxilio gratiæ ſeruare omnia mandata, & reſiſtere pro quolibet temporis momento omnibus tentationibus etiam grauiſſimis ſibi occurrentibus, quas pro ſeruanda lege naturali neceſſe ſit vincere. 237

LIBRI VII.

Diſputationes de viribus naturalibus Arbitrij reſpectu gratiæ quærendæ, vel conſequendæ.

55 VTrùm abſque ſpeciali auxilio gratiæ poſſit propriis viribus, ſaltem remotè, ſe diſponere ad conſequendam gratiam habitualem petendo, quærendo, pulſando. 245

56 Vtrùm facienti totum, quod in ſe eſt, ex ſolis viribus naturæ, detur infallibiliter, & ex certa lege auxilia ſupernaturalia prævenientis gratiæ, quibus id, prout oportet ad ſalutem exſequatur 249

57 Vtrùm ratione maioris conatus naturalis liberi arbitrij conſequatur homo maiora ſiue intenſiora auxilia gratiæ prævenientis & excitantis. 258

De viribus Arbitrij in ordine ad bonum ſupernaturale, poſtquam à Deo accepit auxilia priora diuinæ gratiæ.

58 VTrùm facienti totum, quod in ſe eſt, ex prioribus auxiliis gratiæ, vel ex auxilio ſufficienti, detur infallibiliter, & ex certa lege poſteriora auxilia, vt auxilium efficax, quo infallibiliter conuertatur, & ſaluetur. 261

59 Vtrùm facienti totum quod in ſe eſt auxilio efficaci, detur infallibiliter & ex certa lege gratia habitualis, ſeu iuſtificans: vbi etiam diſputatur; vtrùm vltima diſpoſitio ad gratiam iuſtificantem ſit meritoria de congruo eiuſdem gratiæ: & ſimiliter vtrùm iuſtus poſſit ſibi mereri reparationem poſt lapſum. 263

60 Vtrùm per actus remiſſos augeatur gratia, & charitas, ita vt illis reſpondeat nouus gradus gloriæ eſſentialis. 269

61 Vtrùm propter merita mortificata conſequatur pœnitens infallibiliter, & ex lege ſtatuta maiorem gratiam habitualem, & ius ad gloriam eſſentialem magis intenſam. 277

62 Vtrùm ratione maioris conatus liberi arbitrij, vel influxus cum auxilio gratiæ adiuuantis, vnus cæteris paribus conſequatur magis intenſam gratiam iuſtificantem, quàm alius. 279

63 Vtrùm intellectus naturaliter perfectior, cum æquali lumine gloriæ, producat actum viſionis beatificæ magis intenſum, quam alius: & eadem difficultas procedat de aliis actibus ſupernaturalibus. 283

64 Vtrùm viſio beatifica, & quilibet alius actus ſupernaturalis, in quantum eſt formaliter actio vitalis, procedat effectiuè, vt quo, à principio ſupernaturali, an à ſola potentia naturali ſecundùm ſuam innatam virtutem. 286

65 Vtrùm actus credendi, ſperandi, & diligendi Deũ in quantum eſt author gratiæ, ſint ſupernaturales ſecundùm ſubſtantiam. 288

66 Vtrùm vltima diſpoſitio ad gratiam habitualem procedat effectiuè ab ipſa gratia habituali; an à potentia eleuata per ſolum auxilium actuale ordinis ſupernaturalis 291

67 Vtrùm abſque auxilio gratiæ voluntati creatæ inhærente, ſola aſſiſtentia extrinſeca Spiritus ſancti, poſſit liberum arbitrium elicere actum fidei, ſpei, pœnitentiæ, aut charitatis ſupernaturalis, quo ſe ipſum remotè, vel proximè diſponat ad conſequutionem gratiæ habitualis. 294

68 Vtrùm homo in actibus ſupernaturalibus, quos operatur ex gratia, ſit cauſa in ſuo ordine principalis, an ſolùm inſtrumentum Dei. 298

69 Vtrùm de potentia Dei abſoluta creari poſſit aliqua ſubſtantia intellectualis, cui ex ſolis viribus naturæ competat diligere Deum ſuper omnia, vt eſt author gratiæ, & alios actus ſupernaturales elicere. 303

LIBRI VIII.

Diſputationes de diuiſione Auxiliorũ gratiæ.

70 VTrùm gratia conuenienter diuidatur in operantem, & cooperantem; vbi etiam agitur de diuiſione gratiæ, in excitantem, & adiuuantem; in prævenientem, & ſubſequentem. 307

71 Vtrùm auxilium gratiæ conuenienter diuidatur in auxilium ſufficiens, & efficax. 310

72 Vtrùm in ea diuiſione, qua auxilium gratiæ diuiditur in auxilium efficax, & auxilium inefficax immediatum diuiſum, ſit auxilium ſufficiens. 315

73 Vtrùm diuiſio auxilij in auxilium efficax, & inefficax ſolum ab effectu, qui ſimul ab arbitrij libertate pendet, deſumatur, an etiam ex virtute intrinſeca ipſius auxilij. 317

De Auxilio gratiæ Excitantis, & Sufficientis.

74 VTrùm gratia excitãs ſit formaliter aliquis actus vitalis liberi arbitrij; an verò ſit qualitas, vel aliquid pertinens ad actum primum. 320

75 Quis ſit proprius effectus gratiæ excitantis, inquantùm eſt formaliter excitans. 322

76 Vtrùm gratia excitans ſit idem, quod gratia ſufficiens. 324

77 Vtrùm gratia excitans, quæ ſecundùm communem modum hominibus confertur, dependeat à Miniſtris Eccleſiæ. 326

78 Vtrùm dependeat à propria induſtria, & conatu eius, qui excitatur. 328

79 Quodnam auxilium dicatur verè ſufficiens ad ſalutem. 329

80 Vtrùm omne auxilium ſufficiens, ſecundùm aliquam rationem, ſit efficax. 331

Vtrùm autem auxilium ſufficiens ad ſalutem detur omnibus hominibus, diſp. 112. examinabitur.

LIBRI IX.

Diſputationes de Auxilio gratiæ Operantis, & cooperantis, adiuuantis, ſeu efficacis.

81 QVid ſit gratia operans, quid cooperans, & quomodo à gratia operante diſtinguatur. 333

82 Vtrùm gratia cooperans in quantum cooperans, ſit prævenies, ſeu præmouens liberum arbitrium ad conſenſum, an ſolùm ſimultaneè cum eodem arbitrio in piam operationem influens. 338

83 Quid ſit auxilium efficax, & in quo eius efficacia conſiſtat. 341

84 Quotuplex ſit auxilium efficax. 347

85 Vtrùm Deus, ſeu auxilium efficax, & liberum arbitrium ſint duæ cauſæ partiales ſupernaturalis conſenſus, ſicut duo trahentes nauim. 350

86 Vtrùm Deus per auxilium efficax præoperantis gratiæ faciat actiuè propriè, ſiue ad modum cauſæ phyſicæ, quod liberum arbitrium ſuum adhibeat influxum in conſenſum: an ſolùm moraliter id efficiat, ſuadendo, inuitando, alliciendo. 353

87 Vtrùm auxilium efficax actuale subiaceat nostri arbitrij potestati, quantum ad vsum, sicut subiacent habitus, quibus vtimur cùm volumus. 357

88 Vtrum in eo, qui habet habitus infusos, ad singulos actus supernaturales sit necessarium auxilium speciale, non solum excitantis, sed etiam adiuuantis gratiæ, ab auxilio habitus infusi realiter distinctu. 360

89 Vtrùm liberum arbitrium creatum sit prima causa, vel prima radix suæ determinationis. 365

90 Vtrùm auxilium gratiæ in ratione efficacis auxilij dependeat ex libero influxu arbitrij creati cum illo, an verò sit efficax secundùm se, & vt venit à Deo, antecedenter ad liberum consensum eiusdem arbitrij, In qua expenduntur quidam modi loquendi circa naturam auxilij efficacis. 368

91 Vtrùm Deus per auxilium efficax præoperans tis gratiæ prædeterminet liberum arbitrium ad consensum. 372

92 Vtrùm liberum arbitrium motum à Deo auxilio efficaci, possit etiam in sensu compositi idem auxilium abiicere, dissentire, & non conuerti. Vbi expenduntur, & explicantur quædam decreta Conc. Trid. & Senonensis. 380

93 Vtrùm possit liberum arbitrium resistere in sensu compositi, vel diuiso, efficaci auxilio. 385

94 Quomodo explicandus sit, & intelligendus sensus compositus & diuisus, cùm asseritur, liberum hominis arbitrium à Deo motum auxilio efficaci non posse in sensu compositi dissentire, aut non conuerti, sed solùm in sensu diuiso. 386

LIBRI X.

Disputationes, De Auxilio Gratiæ adiuuantis, & efficacis, per comparationem ad auxilium gratiæ excitantis, & sufficientis.

95 VTrùm postquam Deus misericorditer excitauit arbitrium creatum, expectet liberum eius consensum, vt purgari, aut iustificari velit: Vbi expenditur decret. Conc. Arausic. c. 4. 388

96 Vtrùm liberum arbitrium aliquid ex seipso operetur, quando consentit Deo excitanti, & vocati. 391

97 Vtrùm bonus vsus liberi arbitrij, quo Deo excitanti, & vocanti consentit, procedat à sola, & innata eius libertate: an verò sit reducendus in ipsum Deũ, tanquam in causam priorem per se efficientem. 393

98 Vtrùm, supposita gratia excitante, consensus, vel cooperatio liberi arbitrij, sit primò inchoanda à voluntate creata; an verò à volutate diuina, siue ab auxilio efficaci præoperantis gratiæ. 399

99 Vtrùm ista causalis sit vera, Quia homo præuentus gratia excitante vult conuerti, ideo adiuuatur à Deo, & conuertitur, an è contra, ideo conuertatur, quia à Deo adiuuatur. 403

100 Vtrùm collatio efficacis auxilij sit adæquata causa, quòd liberum arbitrium conuertatur. 406

101 Vtrùm hæc causalis sit vera, Quia homo non adiuuatur à Deo, ideo non conuertitur. 409

102 Vtrùm hæc causalis similiter vera sit, Quia homo excitatus à Deo non vult rectè vti gratia sufficienti, ideo non adiuuatur à Deo, nec conuertitur. 414

De Auxilio Gratiæ specialissimo, quod est proprium prædestinatorum, scilicet de dono Perseuerantiæ.

103 VTrùm necessarium sit donum perseuerãtiæ ad continuãdam gratiam vsque ad finem vitæ. 417

104 Vtrùm donum perseuerantiæ distinguatur realiter à dono confirmationis in gratia. 419

105 Vtrùm donum perseuerantiæ in ratione doni perseuerantiæ, atque efficacia illius dependeat ex libera cooperatione nostri arbitrij cum illo. 421

106 Vtrum in statu innocentiæ primi parentes indigu erint speciali dono perseuerantiæ ad perseuerandum in gratia vsque ad finem vitæ. 426

107 Vtrùm donum perseuerantiæ sit omnibus fidelibus commune, an sit proprium donum prædestinatorum. 429

Vtrum donum perseuerantiæ possit cadere sub merito, vide disp. 58. ad 5.

108 Vtrum existentibus in duobus hominibus auxiliis præuenientis gratiæ omnino æqualibus, contingat, quòd vnus conuertatur, perseueret in gratia, & saluetur, alter verò in peccato permaneat, & damnetur. 434

LIBRI XI.

Disputationes de Reprobatione.

109 VTrùm reprobatio diuina includat actum positiuum, quo Deus voluntate absoluta ante præscientiam mali vsus liberi arbitrij futuri ex hypothesi, velit non admittere reprobos in suum regnum, an verò solùm includat actum negatiuum. 437

110 Vtrùm detur ex parte nostra causa reprobationis quantùm ad integrum effectum illius. 440

111 Vtrùm ex parte Dei sit sufficiens causa reprobationis ostentio diuinæ iustitiæ in reprobis, & maioris misericordiæ in electis. 452

112 Vtrùm Deus omnibus hominibus, quantumuis obduratis, tribuat auxilia supernaturalia sufficientia, per quæ ad vitam æternam peruenire possint, & re ipsa perueniant, si velint. 453

113 Vtrum Deus ab æterno voluntate absoluta, & efficaci antecedenter ad præscientiam futuræ determinationis creatæ voluntatis statuerit non dare auxilia supernaturalia sufficientia, vel efficacia ad salutem illis, qui re vera in tempore ea non recipiunt. 456

114 Vtrùm paruuli cum peccato originali decedentes sint perpetuò mansuri in limbo ad mortem damnati, an verò ducturi post diem iudicij in hoc mundo vitam beatam. 461

LIBRI XII.

Disputationes circa Concordiam Gratiæ, & Liberi arbitrij.

115 QVænam sit legitima definitio, ac propria natura liberi arbitrij. 467

116 Vtrùm indifferentia sit de essentia potentiæ liberæ, & in qua indifferentia consistat formaliter libertas. 471

117 Vtrùm liberum arbitrium creatum verè, & propriè habeat dominium sui actus, & quale sit huiusmodi dominium. 477

118 Vtrùm concordia liberi arbitrij, cum infallibilitate præscientiæ, prouidentiæ, & prædestinationis Diuinæ, possit naturali ratione demonstrari. 481

119 Vtrùm per potentiam Dei absolutam possit aliqua creatura, circa visionem beatificam, habere euidentem cognitionem mysterij Trinitatis, vel aliorum, quæ per se pertinent ad fidem. 484

120 Varij modi concordiæ liberi arbitrij cum gratia, qui assignari solent, referuntur & confutantur. 487

121 Antiqua, & legitima concordia liberi arbitrij cũ infallibilitate diuinæ prædestinationis, & efficacia auxiliorum gratiæ statuitur, explicatur, & defenditur. 490

122 Epilogus omnium, quæ in præcedentibus disputationibus dicta sunt, continens propositiones viginti. 494

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ QVÆ IN HOC OPERE EXPLICANTVR.

Numerus prior designat caput S. Scripturæ: posterior paginam libri.

Genesis.

3 MALEDICTA terra in opere tuo. 207
3 Spinas, & tribulos germinabit tibi. 143
4 Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. 266
4 Nõne si bene egeris recipies, 493
4 Sub te erit appetitus eius. 85
17 Masculus, cuius præputij caro, &c. 200
19 Apprehenditque manum eius, &c. 313
21 Tentauit Deus Abraham. 282
22 Sicut stellæ cæli, & sicut arena maris, sic erit semen tuum. 196
50 Num Dei possumus resistere voluntati. 157

Exodi.

3 Ego sum, qui sum. 139.304.485
4 Ego indurabo cor Pharaonis. 128
9 Quia in hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te virtutem meam. 452.
9 Et ingrauatum est cor eius, & induratũ nimis. 128
18 Et hos constitue tribunos, & centuriones, &c. 143
32 Interroga patres tuos, & dicent tibi. 26

Leuitici.

3 Duos turtures, aut duos pullos columbarum.

Numerorum.

32 Moriatur anima mea morte iustorum. 195

Deuteronomij.

13 Tentat te Dominus Deus tuus. 14
16 Iustè quod iustum est, persequeris. 216
30 Mandatum hoc, &c. non supra te est, &c. 239
32 Et ego irritabo eos in eo, qui non est populus. 118

Iosue.

20 Sol contra Gabaon ne mouearis. 90

Regum.

1 Reg. 2. Dominus mortificat, & vinificat, deducit ad inferos, &c. 149
1 Reg. 3. Erat sermo Dei pretiosus. 453
1 Reg. 8. Non te abiecerunt, sed me. 163
1 Reg. 23. Tradent te. 43
2 Reg. 15. Si autem dixerit mihi; Non places, præsto sum. 451
3 Reg. 11. Certissimè enim auertent corda vestra. 256
3 Reg. 22. Vir autem quidam tetendit arcum, in incertum sagittam dirigens, &c. 148
4 Reg. 13. Si percussisses quinquies, &c. 45
4 Reg. 20. Non glorietur accinctus aquè, vt discinctus. 193

Paralipomenon.

1 Paralip. 10. Mortuus est Saul propter iniquitates suas. ibid.

Esdræ.

4 Esdræ 8. Hoc sæculum fecit altissimus propter multos, futurum autem propter paucos. Terra dabit multam terram, vnde fit fictile, &c. vsque, pauci autem saluabuntur. 196

Tobiæ.

4 Eleemosyna ab omni peccato, & morte liberat. 194

Iudith.

9 Tu fecisti priora, & illa post illa excogitasti. 142

Esther.

13 Nec est, qui tuæ possit resistere voluntati, si decreueris, &c. 93.343.385
15 Conuertitque spiritum Regis, &c. 315

Iob.

1 Sicut Domino placuit, ita factum est. 149
1 In omnibus his non peccauit Iob. 239
2 Verumtamen animam illius serua. 242
9 Quis restitit ei, & pacem habuit? 157
23 Cumque explenerit in me voluntatem suam, &c. præsto sum ei. 451

Psalterij.

Psal. 5. Quoniam irritauerunt te Domine. 195
Psalm. 16. A resistentibus dexteræ tuæ. 153
24 Vniuersæ viæ Domini misericordia, & veritas. 127
26 Adiutor meus esto. 75.361.391
37 A Domino gressus hominis dirigentur, & viam eius volet. 389
37 Adiuua nos Deus salutaris noster. 391
39 Multiplicati sunt super numerum. 196
40 Sana animam meam, quia peccaui tibi. 209
48 Iniquitas calcanei mei circumdabit me. 201
50 Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum. 200
54 Quoniam in multis erant mecum. 492
63 Letentur insulæ multæ. 27
67 Accepisti dona in hominibus. 184
67 Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa. 327
67 Et Domini, Domini exitus mortis. 418
67 Dabit voci suæ vocem virtutis. 327
70 Cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me. 267
72 In labore hominum non sunt. 194
76 Et dixi: Nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ excelsi. 219
77 Immissiones per Angelos malos. 127
92 Eleuauerunt flumina Domine. 27
93 Qui facis mirabilia magna solus. 90
103 Omnia in sapientia fecisti. 66
104 Conuertit cor eorum, vt odirent populum eius. 128
118 Vtinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas iustificationes tuas. 241
118 Dormitabit anima mea præ tædio. 323

Digitized by Google

118 *Inclina cor meum in teſtimonia tua.* 410
120 *Dominus cuſtodiat introitum tuum, & exitum tuum.* 418
120 *Auxilium meum à Domino.* 321
125 *Conuerte Domine captiuitatem noſtram, ſicut torrens in Auſtro.* 379
126 *Sicut ſagitta in manu potentis, ita filij excuſſorum.* 168
134 *Omnia, quæcunque voluit, Dominus fecit.* 57.100. 101.150.151
134 *Suſcitans nubes ab extremo terræ, fulgura in pluuiam fecit.* 327
134 *Qui facit cælos in intellectu.* 66
143 *Beatum dixerunt populum, cui hæc ſunt, &c.* 194
144 *Iuſtus Dominus in omnibus viis ſuis.* 96
147 *Mittit cryſtallum ſuam, ſicut buccellas, &c.* 279
148 *Ignis, grando, &c. quæ faciunt verbum eius.* 148

Prouerbiorum.

3 *Miſericordia, & veritas te non deſerant.* 195
6 *Vſquequo piger dormies? &c.* 323
8 *Secundum ſeptuaginta. Præparatur voluntas à Domino.* 93.246
16 *Omnia propter ſemetipſum operatus eſt Dominus.* 143.157
16 *Hominis eſt præparare cor.* 246.399.401.402
21 *Cor Regis in manu Domini, ſicut diuiſiones aquarum, &c.* 40.93.355
22 *Terminos patrum tuorum ne tranſgrediaris.* 26
23 *Et eris ſicut dormiens in medio mari.* 323
24 *Secundum aliam literam. Nouiſſimè ego egi pœnitentiam.* 193

Eccleſiaſtes.

1 *Stultorum infinitus eſt numerus.* 196
4 *Fœliciorem vtroque indicaui eum, qui nec dum natus eſt.* 461
9 *Nemo ſcit, vtrum odio, an amore, &c.* 192
10 *Muſcæ morituræ exterminant, &c.* 26

Canticorum.

2 *Sicut lilium inter ſpinas, ſic, &c.* 196
6 *Et adoleſcentularum non eſt numerus.* ibid.
8 *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit dealbata, incumbens ſuper dilectum ſuum.* 263

Sapientiæ.

1 *Deus mortem non fecit, &c.* 149
4 *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum eius.* 37. 44.149.201.418
4 *Conſummatus in breui expleuit tempora multa.* 177
8 *Attingit à fine vſque ad finem fortiter.* 71
9 *Cogitationes mortalium timidæ.* 46.211.215
10 *Hæc illum, qui primus formatus eſt, &c. eduxit à delicto ſuo.* 187
11 *Diligis omnia, quæ ſunt.* 442
12 *Semen enim erat maledictum ab initio.* 207
14 *Odio ſunt Deo impius, & impietas eius.* 349
14 *Creaturæ in odium factæ ſunt, & in tentationem, &c.* 128
16 *Creatura tibi deſeruiens, &c. lenior fit ad benefaciendum, &c.* 157

Eccleſiaſtici.

31 *Bona, & mala, vita & mors, &c.* 149
15 *Et conſtituit eum in manu conſilij ſui.* 85.88.92.251
15 *Ne dicas, ille me implanauit.* 118.124
39 *Opera Domini vniuerſa bona valde.* 411
40 *Grane iugum ſuper filios Adam.* 201

Iſaiæ.

1 *Semini nequam.* 207
1 *Omne caput languidum, &c.* 209
1 *Niſi Dominus exercituũ reliquiſſet nobis ſemen, &c.* 44.45
1 *Manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt.*
5 *Mandabo nubibus meis, ne pluant, &c.* 327
5 *Expectauì, vt faceret vuas.* 388.390
6 *Excæca cor populi huius.* 411
7 *Iuxta aliam literam. Si non crediderítis non intelligetis.* 483
10 *Aſſur virga furoris mei, &c.* 121
10 *Nunquid gloriabitur ſecuris, &c.* 154
13 *Preciоſior erit vir auro.* 453
14 *Si non vt putaui, ita fiet.* 36.93
14 *Dominus exercituum decreuit, & quis poterit infirmare.* 121
14 *Quomodo cecidiſti Lucifer.* 193
17 *Et relinquetur in eo ſicut racemus duarũ, vel trium olinarum.* 196
19 *Dominus miſcuit illis ſpiritum erroris.* 122
24 *Quomodo ſi pauca olina, quæ remanſerunt, excutiantur ex olea, &c.* 196
24 *Et cõgregabũtur congregatione vnius faſcis, &c.* 197
26 *Seruabis pacem, quia in te ſperauimus.* 157
26 *Omnia opera noſtra operatus es nobis.* 355.489
26 *A facie tua Domine concepimus, &c.* 254
30 *Expectat Deus, vt miſereatur veſtri.* 276.388.390
32 *Princeps quæ digna ſunt principe cogitabit, &c.* 143
42 *Gloriam meam alteri non dabo.* 283
45 *Faciens pacem, & creans malum.* 148
53 *Generationem eius quis enarrabit, quoniam abſciſſus eſt.* 185
53 *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum.* 98.185
53 *Pro eo quod laborauit, videbit, & ſaturabitur.* 98
53 *Oblatus eſt, quia ipſe voluit.* ibid.
53 *Et voluntas Domini in manu eius dirigetur.* 185
55 *Non reuertetur ad me vacuum, ſed faciet quæcunque volui.* 331
61 *Iſti ſunt ſemen, cui benedixit Dominus.* 45
63 *Quid errare feciſti nos Domine à via tua.* 122
63 *Quis eſt iſte, qui venit de Edom, &c. Ego, qui loquor iuſtitiam, &c.* 188
64 *Oculus non vidit, Deus abſque te, &c.* 305
65 *Ecce creo cælos nouos, & terram nouam.* 462.466

Ieremiæ.

10 *Scio Domine, quia non eſt hominis via eius.* 479
15 *Si ſeparaueris pretioſum à vili, quaſi os meum eris.* 195
17 *Maledictus homo, qui confidit in homine.* 451
32 *Adduxi ſuper populum omne malum hoc grãde.* 148

Threnorum.

5 *Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur.* 221.252. 407

Ezechielis.

3 *Linguam tuam adhærere faciam palato tuo.* 328
18 *Si auerterit ſe iuſtus, &c. omnes iuſtitiæ eius quas fecit, non recordabuntur.* 266
18 *Si autem impius egerit pœnitentiam, &c. iniuſtitia, quam operatus eſt, viuet.* 269
29 *Et dedi ei terram Ægypti pro eo, quod laborauerit mihi.* 194
33 *Nolo mortem impij.* 164.165
33 *Impietas impij non nocebit ei, in quacunque die conuerſus fuerit.* 278
36 *Faciam, vt in præceptis meis ambuletis, &c.* 312.313. 354.406.432

Danielis.

3 *Nec quidquam moleſtiæ intulit.* 75
9 *Septuaginta hebdomadæ abbreuiatæ ſunt.* 98
13 *Semen Canaam, & non Iuda.* 207

Ioelis.

1 *Conuertimini ad me in toto corde veſtro.* 406.409

Amos.

3 *Si eſt malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit.* 148

Nahum.

1 *Quia ſicut ſpina ſe innicem complectuntur.* 197

Matthæi.

LOCORVM S. SCRIPTVRÆ.

6 *Et ne nos inducas in tentationem.* 242
6 *Beati misericordes, &c.* 194
6 *Nemo potest adiicere ad staturam suam cubitum unum.* 191
6 *Receperunt mercedem suam.* 194
7 *Et pauci ingrediuntur per eam.* 196
7 *Non potest arbor mala bonos fructus facere.* 226
8 *Non inueni tantam fidem in Israel.* 282
9 *Non est opus valentibus medico.* 209
10 *Considerate lilia agri, &c.* 149
10 *Et vnus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro.* 121
11 *Confiteor tibi Pater, &c. vsque, ita Pater, quia sic placitum fuit ante te.* 179
11 *Iugum enim meum suaue est.* 239
11 *Si in Tyro & Sidone facta fuissent signa, &c. pœnitentiam egissent.* 44.315.317.435
13 *Elegerunt bonos in vasa sua.* 180
16 *Quia caro, & sanguis non reuelauit tibi.* 210
20 *Tolle, quod tuum est, &c.* 252
20 *Nunquid non licet mihi, quod volo facere, &c.* 182
20 *Multi sunt vocati pauci verò electi.* 196.217
22 *Diliges Dominum Deũ tuum ex toto corde tuo, &c.* 218
24 *Nisi breuiati fuissent dies illi, &c.* 33.44
24 *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* 417
25 *Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes.* 196
25 *Nescio vos.* 168
25 *Venite benedicti Patris mei, &c.* 181.275
25 *Ite maledicti.* 438.463
25 *Esurini enim, & non de listis mihi manducare.* 442
25 *Vnicuique secundum propriam virtutem.* 246.249
26 *Qui pro multis effundetur.* 314
26 *Pater si possibile est, transeat, &c.* 166

Marci.

7 *Voluit luere, & non potuit.* 168
14 *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.* 466

Lucæ.

1 *Ecce ancilla Domini.* 376
10 *Ac plagis impositis abierunt, semiuino relicto.* 209. 211
10 *Qui vos spernit me spernit.* 163
13 *Quia non capit prophetam perire.* 98
14 *Hic homo cœpit ædificare, &c.* 191
16 *Si Moysen, & Prophetas non audiunt, &c.* 45
16 *Fili, recordare, quia recepisti bona in vita tua, &c.* 194
22 *Ego rogaui pro te Petre.* 377.422
22 *Filius hominis sicut definitum est, vadit.* 93.98
22 *Pater ignosce illis.* 186

Ioannis.

1 *Omnia per ipsum facta sunt.* 66.185
1 *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem.* 255
1 *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* 251.258.479
1 *Sed ex Deo nati sunt.* 294
1 *De plenitudine eius omnes nos accepimus.* 184
1 *Ecce qui tollit peccata mundi.* 200
3 *Nisi quis renatus fuerit, &c.* 201.294
4 *Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* 297
5 *Nos credimus, & cognouimus, quia tu es Christus filius Dei.* 483
5 *Filius non potest à se facere quidquam.* 74.392
6 *Omne quod das mihi Pater, ad me venit.* 190
6 *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, &c.* 100.263. 321.341.393
6 *Omnis qui audit à Patre, & didicit, venit ad me.* 5. 312.314
6 *Quod ergo tu facis signum, vt videamus, & credamus.* 483
6 *Sciebat Iesus qui essent credentes.* 37
7 *Doctrina mea non est mea, &c.* 74
8 *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* 191
10 *Animam meam pono pro ouibus meis.* 98
10 *Oues mea vocem meam audiunt.* 195.431
10 *Ego vitam æternam do eis.* 228
10 *Et nemo rapiet eas de manu mea.* 190.312
13 *Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo.* 186
14 *Si quis diligit me sermonẽ meum seruabit.* 227.228
15 *Sicut palmes nõ potest ferre fructum à semetipso, &c.* 184
15 *Sine me nihil potestis facere.* 99.240.361
15 *Si non venissem, & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent.* 456
17 *Pater venit hora, &c.* 93
20 *Nisi videro, &c. non credam.* 483

Actorum.

4 *Conuenerunt facere, &c. quæ manus tua, & consilium tuum decreuerunt fieri.* 93.98
7 *Vos Spiritui sancto semper restitistis.* 153.155.312
9 *Saulus adhuc spirans, &c.* 375
9 *Durum est tibi contra stimulum calcitrare.* 376
10 *Orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ, &c.* 248.257
13 *Quotquot erant præordinati in vitam æternam.* 93. 170.180
16 *Cuius Dominus aperuit cor, intendere his, quæ à Paulo dicebantur.* 255.260
17 *In ipso viuimus, mouemur, & sumus.* 71
17 *Definiens statuta tempora.* 93

Romanorum.

1 *Non erubesco Euangelium, virtus enim Dei est in salutem omni credenti.* 317
1 *Propter quod tradidit illos Deus in reprobum sensum.* 122.449
2 *Cogitationibus eorum accusantibus, aut etiam defendentibus.* 227
2 *Naturaliter, quæ legis sunt faciunt.* 14.214 224.226
3 *Quem proposuit propitiationem per fidem in sanguine ipsius.* 187
3 *Iustificati gratis.* 263.266
4 *Iustus ex fide viuit.* 225
4 *Ideo ex fide, vt secundum gratiam firma sit promissio.* 190.432.451.478
4 *Quoniam, quæ promisit, potens est & facere.* 431.498
4 *Ei autem, qui operatur, merces non imputatur secundùm gratiam.* 220
5 *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris.* 229
5 *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum.* 201
5 *Omnes in Adam peccauerunt.* 200.205
7 *Quis me liberabit de corpore mortis huius?* 212
8 *Qui spiritu Dei aguntur.* 74.75.339.340.377
8 *Ipse spiritus testimonium reddit, &c.* 195
8 *Non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam.* 265
8 *Nam expectatio creaturæ, reuelationem filiorum Dei expectat.* 466
8 *Ipse spiritus postulat pro nobis.* 165.221
8 *Qui secundùm propositum vocati sunt Sancti.* 179. 189.448
8 *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* 152. 309.348
8 *Quos præscinit, & prædestinauit.* 168.169
8 *Conformes fieri imaginis filij sui.* 185
8 *Certus sum, quod neque mors, &c.* 189.192.195
9 *Cum nondum nati fuissent, &c.* 1.177.443.446
9 *Vt secundùm electionem propositum Dei maneret.* 13. 169.190.446
9 *Non ex operibus, sed ex vocante dictum est, &c.* 443. 446.447
9 *In hoc ipsum excitaui te.* 127
9 *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo.* 177.179.439
9 *Quod si Deus volens ostendere iram, &c.* 122.452

INDEX LOCORVM S. SCRIPTVRÆ.

9 *Sustinuit in multa patientia.* 118.447
9 *Reliquiæ salua fient.* 196
9 *Non volentis,neque currentis,sed miseremis est Dei.* 252.351.396
10 *Quomodo credent ei,quem non audierunt?* 218
11 *Non repulit Deus plebem suam,quã præscinit.* 168
11 *Reliquiæ secundùm electionem gratiæ salua factæ sunt.* 196.179
11 *O altitudo diuitiarum,&c.* 179.488
11 *Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* 219
11 *Non tu radicem portas,sed radix te.* 352
12 *Ego ad æmulationem vos adducam.* 128
13 *Qui resistunt potestati,Dei ordinationi resistunt.* 168
13 *Plenitudo legis est dilectio.* 229
15 *Christum Iesum ministrum fuisse Circumcisionis propter veritatem Dei,&c.* 253

Primæ ad Corinthios.

1 *Factus est nobis iustitia, sanctificatio, & redemptio.* 187
1 *Qui gloriatur,in Domino glorietur.* 282
3 *Vos autem Christi,Christus autem Dei.* 185
4 *Quis enim te discernit? Quid habes,&c.* 218.280. 281.316.395.396.435.
8 *Scientia inflat,charitas ædificat.* 3.5.240
10 *Non permittet vos tentari,&c.* 14
11 *Ego accepi à Domino,quod,& tradidi vobis.* 27
11 *Probet autem seipsum homo.* 170
12 *Diuisiones gratiarum sunt.* 217.308
12 *Datur manifestatio spiritus ad vtilitatem.* 117.308
12 *Dividens singulis prout vult.* 249.259
13 *Ex parte enim cognoscimus.* 129
13 *Charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest.* 224
14 *Et spiritus Prophetarum Prophetis subiectus est.* 436
15 *Et vnicuique seminum proprium corpus.* 191
15 *Abundantius omnibus laborauí, non autem ego solus,&c.* 336.339.392

Secundæ ad Corinthios.

1 *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* 195
3 *Dei adiutores sumus.* 327.406
3 *Vos ipsos probate.* 170
3 *Non sumus sufficientes cogitare.* 127.219.255.259. 322.329
3 *Idoneos nos fecit ministros noui Testamenti.* 179
4 *Quod momentaneũ est,& leue tribulationis, &c.* 218
5 *Si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.* 202
6 *Adiuuantes exhortamur.* 327
9 *Qui parcè seminat,parcè & metet.* 272
12 *Raptum huiusmodi vsque ad tertium cælum.* 487
12 *Sufficit tibi gratia mea.* 311

Ad Galatas.

1 *Si Angelus de cælo aliter euangelizauerit.* 27
3 *In semine tuo,quod est Christus.* 45
4 *Clamantem Abba pater.* 221
4 *Filioli mei,quos iterum parturio.* 254

Ad Ephesios.

1 *Qui benedixit nos,&c. in Christo Iesu.* 184.185
1 *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem,&c.* 37. 169.181.439
1 *Prædestinauit nos in adoptionem per Iesum Christum.* 185
1 *Qui prædestinauit nos.* 93
1 *Prædestinati secundum propositum eius.* 179
1 *Prædestinati secundum propositum eius,qui vniuersa operatur secundum consilium voluntatis suæ.* 190.386
1 *Qui operatur omnia, secundum consilium voluntatis suæ.* 67.69.93.498
1 *Qui est pignus hereditatis vestræ.* 195
1 *Instaurare omnia in Christo.* 187
1 *In quo nos sorte vocati sumus.* 179
1 *In partem sortis Sanctorum.* 196
2 *Eramus natura filij iræ.* 90.200
2 *Quæ præparauit Deus,vt in illis ambulemus.* 93
2 *Gratia estis saluati per fidem.* 218
4 *Alios autem pastores,&c. ad consummationem Sanctorum,in ædificationem corporis Christi.* 185.308
4 *Vnicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi.* 259.282
5 *Mundans eam lauacro in verbo vitæ.* 202

Ad Philippenses.

1 *Vobis donatum est,non solum vt in ipsum credatis.* 218.495
2 *Humiliauit se factus obediens,&c. propter quod, & Deus exaltauit illum.* 98.474
2 *Deus est,qui operatur in nobis velle.* 4.7.104.124. 318.339.389.408
2 *Cum timore,& tremore salutem vestram,&c.* 194
2 *Qui cæpit in vobis opus bonum,perficiet.* 219
4 *In ratione dati,& accepti.* 194
4 *Omnia possum in eo,qui me confortat.* 239

Ad Colossenses.

1 *Sorte vocati estis.* 196
1 *In partem sortis Sanctorum.* 249

Ad Thessalonicenses.

1 *Thess.4. Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra.* 177

Ad Timotheum.

1 *Timoth.2. Qui vult, omnes homines salvos fieri.* 164. *& seqq.* 261.440.453.458
1 *Timoth.6. Lucem habitat inaccessibilem, &c. vsque, nec videre potest.* 305
2 *Timoth.2. Nouit Dominus qui sunt eius.* 168
2 *Timoth.2. Ne forte det illis Deus pœnitentiam.* 235. 236

Ad Hebræos.

1 *Omnes sunt administratorij spiritus,&c.* 188
5 *Nec quisquam sumit sibi honorem.* 247
6 *Non enim iniustus Deus,vt obliuiscatur operis vestri.* 267.274
11 *Accedentem ad Deum oportet credere,&c.* 256
11 *Sine fide impossibile est placere Deo.* 216
12 *Quod si extra disciplinam estis,&c. ergo adulteri,& non filij estis.* 194
13 *Deus pacis aptet vos in omni bono.&c.* 246.256.355

Iacobi.

1 *Non patietur vos tentari supra id,quod potestis.* 14. 242
1 *Omne datum optimum de sursum est.* 352

Petri.

1 *Petr.1. Elegit nos in ipso.* 185

Ioannis.

1 *Ioã.2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* 202.314
1 *Ioan.2. Si ex nobis fuissent, permansissent vtique nobiscum.* 189.193.450
1 *Ioan.3. Sed nec peccare potest,&c.* 133
1 *Ioan.3. Omnis,qui natus est ex Deo non peccat,sed nec peccare potest,quia semen Dei manet in illo.* 383
1 *Ioan.3. Omnis,qui habet hanc spem sanctificat se.* 294
1 *Ioan.3. Cum apparuerit,similes ei erimus.* 306
1 *Ioan.4. Ipse prior dilexit nos.* 229
1 *Ioan.4. Charitas ex Deo est.* 229.496
1 *Ioan.5. Mandata eius grauia non sunt.* 239
1 *Ioan.5. Tres sunt,qui testimonium dant in terra,spiritus,aqua,& sanguis.* 195

Apocalypsis.

3 *Ego sto ad ostium, & pulso; si quis audierit vocem meam,&c.* 246.251.257.388
4 *Propter voluntatem tuam erant.* 61.63.67.69.93. 498
7 *Ex omni tribu,& lingua.* 197

FINIS



DE AVXILIIS DIVINÆ GRATIÆ, ET HVMANI ARBITRII VIRIBVS, ET LIBERTATE, AC LEGITIMA EIVS CVM EFFICACIA eorundem Auxiliorum concordia,

Liber Primus.

IN QVO PRÆMITTVNTVR QVÆDAM præambulæ diſputationes, ad ea quæ in toto hoc Opere dicenda ſunt.

AVCTORE R.D.F. DIDACO ALVAREZ METIMNENSI, Archiepiſcopo Tranenſi, & Salpenſi, ex Prouincia Hiſpaniæ, Ordinis Prædicatorum aſſumpto.

PROOEMIVM,

IN QVO DIVISIO TOTIVS OPERIS ATTINGITVR, & ratio ordinis partium eius ex parte redditur, & explicatur.

DE Auxiliis Diuinæ gratiæ, cùm auxilij Diuini conſidentia tractaturi, vt ea omnia, quæ circa hanc materiam variis in locis Summæ Theologicæ S. Thomæ vel in aliis Opuſculis, à diuerſis Tractatoribus diſputantur, ſub certis limitibus comprehendamus: & ſuo ordine in hoc volumine (quod duodecim libros continet) diſponamus; ac breuiter & dilucidè, prout diuinitùs donatum nobis fuerit, noſtram ſententiam explicemus, generalem diuiſionem eorundem auxiliorũ præmittere oportet, vt gradatim poſtmodum ad particularia, ſuis in locis diſcutienda, procedamus.

Auxilia gratiæ, quædã ſũt extrinſeca li. arb. quædã intrinſeca.

Auxilia ergo Diuinæ gratiæ ſunt in duplici differentia, vt ex communi Scholaſticorum ſententia conſtat. Quædam ſunt extrinſeca, quia videlicet formaliter loquendo, nihil ponunt in libero arbitrio creato: ſed ſolum ſunt in ipſo Deo, vel in alio ſubiecto extrinſeco ab eodem arbitrio, ſicut prædeſtinatio non eſt in homine prædeſtinato, ſed in Deo prædeſtinante, vt 1.par.q.23.art.2.docet S. Thom. Cùm enim prædeſtinatio ſecundùm S. Auguſtinum ſit præſcientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicunque liberantur, & præſcientia & præparatio non ſit in rebus præſcitis, ſed in præſciente & præparante: relinquitur prædeſtinationem non eſſe formaliter in prædeſtinato, ſed in prædeſtinante. Conſtat autem, prædeſtinationem gratuitam omnino eſſe, vt infrà patebit, ac per conſequens inter diuina dona computandam. Similiter dilectio & electio, qua prædeſtinati eliguntur, & diliguntur à Deo, donum eſt extrinſecum iptis dilectis & electis. Quòd enim ſit donum gratuitum, apertiſſimis teſtimoniis Scriptura ſacra teſtatur, quoniam nullis noſtris præcedentibus meritis, ſed ſua miſericordia prædeſtinatos dilexit, & ex multis maſſa perditionis infectis, eos elegit pro ſua mera voluntate, quæ occulta eſſe poteſt, ſed non iniuſta. Dicit enim Apoſtolus: *(Cùm nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali, vt ſecundum electionem propoſitum Dei maneret, non ex operibus, ſed ex vocante, dictum eſt ei: Quia maior ſeruiet minori, ſicut ſcriptum eſt, Iacob dilexi, Eſau autem odio habui.* Vnde S.Thom.3.part.quæſt.7.artic.13.ad 1.ait: *Quòd Auguſtinus ibi*, id eſt, in libro de prædeſtinatione ſanctorum, cap.15. *gratiam nominat, gratuitam Dei voluntatem gratis beneficia largientem.* Ex dilectione autem Dei (vt idem S. Thom. notauit) cuncta bona creaturis proueniunt. Porrò dilectio actus eſt diuinæ voluntatis, ſimiliter & electio, vt 1.par quæſt.23. artic.4.

Aug. lib. de dono perſeuerantiæ, ea. 24.

Diſput. 37.

Rom. 9. vv. 11.

S.Thom 1.p. q.20.art.2. c. & q.22. art.3.v de inf diſ.37. num.15.

art.4.docet S.Thom. Vnde formaliter debet esse in Deo, non in creaturis intellectualibus dilectis, & electis: & hac ratione dicitur donum extrinsecum, quia nihil inhærens creaturæ importat formaliter. Ad auxilia etiam extrinseca pertinent Scripturæ sacræ, quæ docet quid amplecti, quidve cauere debeamus, exemplum, quod nobis reliquit Saluator noster, prædicatio Euangelij, tribulationes, quibus retrahuntur homines à malo, & inducuntur ad bonum creaturæ, quæ vnius Creatoris diuinitatem

Rom.1. ostendunt, Apostolo dicente: *Inuisibilia enim Dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus & diuinitas, ita vt sint inexcusabiles.* De hac excitatione disput. 75. num. 1. plura dicenda sunt.

Auxilia intrinseca, quæ magis propriè dicuntur auxilia, illa sunt, quæ formaliter important aliquid inhærens intellectualibus creaturis, siue ex parte intellectus, siue ex parte voluntatis, vel alterius po-

S.Th.1.2.q. tentiæ rationalis. Et hæc vt sæpe dicit S.Thom. sunt
109.art. 9. & q.110.ar. in duplici differentia. Quædam sunt auxilia habi-
2. cap. & q. tualia, vt gratia iustificans, habitus charitatis, & alij
111. art. 2 habitus infusi. Quædam actualia, vt motio in intellectu & voluntate recepta, qua Deus mouet liberum arbitrium ad actum Fidei, Spei, & Charitatis, & alios supernaturales actus.

Quia ergo dona extrinseca, quę sunt in ipso Deo, ordine naturæ & causalitatis, præcedunt auxilia intrinseca, ideò secundùm rectum ordinem doctrinæ priùs de donis extrinsecis, postmodum de auxiliis libero arbitrio creato inhærentibus agendum erit. Cùm autem in Deo scientia, quæ pertinet ad intellectum, præcedat in signo rationis, & præintelligatur ad ea, quæ spectant ad voluntatem, cùm nihil sit volitum, quin præcognitum: priùs de præscientia Dei, quàm de voluntate, & concursu generali, erit disputandum. Postea de prouidentia, & prædestinatione gratuita erit sermo instituendus: vt suo ordine ad explicanda auxilia intrinseca, quibus creaturæ rationales ad finem supernaturalem peruenire possunt, aut re ipsa perueniunt, accedamus. Consequenter de reprobatione, & reprobis, qui ab eodem fine deficiunt, agendum erit. Ac vltimo loco statuemus legitimam concordiam liberi arbitrij cum præscientia, prouidentia, & prædestinatione diuina: necnon cum efficacia auxiliorum gratiæ, quæ magis accommodata fuerint ad eandem concordiam explicandam, adnotando.

Sed ante hæc omnia, quasdam prooemiales disputationes præmittere oportet, quæ ad facilem intelligentiam huius materiæ viam aperiunt.

Primò, statuendum est, quisnam fuerit Pelagianorum error circa necessitatem gratiæ, & naturales vires nostri arbitrij.

Secundò, explicandum, in quibus assertionibus Semipelagianorum cõsistat sententia, & qualiter in aliquibus a Pelagij, Cœlestij, & Iuliani discedant errore, cum tamẽ in potissima quæstione, quam S.Pater Augustinus secundus post Paulum Apostolum gratiæ prædicator & defensor contra Pelagium, & Cœlestium disputauit, in eorum damnatam hæresim inciderint. Vbi error Fausti & Cassiani circa necessitatem gratiæ & vires naturales nostri arbitrij, aperitur.

Tertiò, quid Lutherani, & Caluiniani circa gratiæ necessitatem & vires naturales nostri arbitrij statuerint.

Quartò, quid nonnulli recentiores Theologi circa eiusdem gratiæ necessitatem, & vires naturales arbitrij senserint, ac circa concordiam liberi arbitrij cum diuina præscientia, prouidentia, & prædestinatione.

Quintò, quantam auctoritatem circa materiam prædestinationis & gratiæ habeat S. Augustini sententia, & vtrum liceat ab ea discedere. Vbi etiam agitur de auctoritate doctrinæ S.Thomæ.

DISPVTATIO I.

Vtrùm Pelagiani aliquando admiserint dari, diuinitùs ad salutem, vel ad implendum, legis præcepta, aliquam gratiam interiorem, siue aliquod Dei auxilium supernaturale.

QVIDAM dixerunt, Pelagium nullam gratiam interiorem admisisse, vel ex parte intellectus, vel ex parte voluntatis: sed illum nomine gratiæ, quam sæpius in suis scriptis inseruit, intellexisse duntaxat liberum arbitrium à Deo gratis creatum: aut legem, & doctrinam exteriorem, siue prædicationem Euangelij, per quam ostendit nobis quid facere, quidve cauere debeamus: aut etiam exemplum Christi Domini, vt refert Augustinus libro de gratia Christi contra Pelagium, & Cœlestium, cap.2. vbi ait: *Volent ad esse nobis, in eo Christum ad non peccandum præbuisse adiutorium quia ipse ipse viuendo, ipseque docendo reliquit exemplum.* Affirmant etiam hi Auctores, Pelagium negasse omnem concursum actualem Dei, non solùm præuium operationibus secundarum causarum, sed concomitãtem, etiam respectu actuum naturalium, & solùm fateri, contulisse Deum illis in sua creatione virtutem, vt à seipsis possent absque operatione Dei, & cooperatione, postmodum operari. Quæ omnia his argumentis suaderi possunt.

Primò, Quia S. August. de Semipelaginis loquens ait: *Peruenerũt autẽ isti fratres nostri, pro quibus sollicita est pia charitas vestra, vt credant cũ Ecclesia Christi, peccato primi hominis obnoxium nasci genus humanum, nec ab isto malo, nisi per iustitiam secundi hominis, aliquem liberari. Peruenerunt etiam, vt præueniri voluntates hominum Dei gratia fateantur, atque vt ad nullum opus bonum, vel incipiendum, vel perficiendum sibi quemquam sufficere posse, consentiam. Retenta ergo ista in quæ peruenerunt plurimum eos à Pelagianorum errore discernunt.* Quibus verbis satis apertè docet, Pelagianos negasse omnem gratiam præuenientem, & asseruisse, ad omnia opera bona, nedum incipienda, sed etiam perficienda, sibi sufficere liberum hominis arbitrium absque Dei gratia. Cùm dicat, in his plurimùm a Pelagianis Semipelagianos discerni, nõ enim discernerentur, si Pelagiani concederent, Dei gratiam præuenientem ad opus bonum, vel incipiẽdum, vel perficiendum.

Hieron.l.1. aduersus Pelagianos post prine. to.2.

II. Secundò. Quoniam eam gratiam necessariò esse, negauit Pelagius, quam Summi Pontifices, sacra Concilia, & sancti Patres, præsertim Augustinus, & Hieronymus, docuerunt esse necessariam, damnando errorem Pelagij. Sed illi damnando errorem Pelagij, docuerunt esse necessariam gratiam supernaturalem internam præuenientem: ergo Pelagius nullam actualem gratiam supernaturalem internam præuenientem confessus est.

Confirmatur. Nam in Concilio Carthaginensi de Pelagio & Cœlestio dicitur: *Nullum reliquunt locum gratiæ Dei qua Christiani sumus.* Et iterum: *In eo Dei gratiam deputandam asserunt, quòd talem hominis instituit creauitque naturam, quæ propria voluntate legem Dei posset implere.* Similiter etiam in Concilio Mileuitano affirmatur: *Ad tantam perfectionem iustitiæ sine adiutorio gratiæ Saluatoris, dicunt ipsi, posse nostram*

Conc. Carthag. epist. ad Innocent.

Concil. Mileuit. epi ad eundem Iustinianum.

posse

pernenirit vt non ſit neceſſarium dicere, Dimitte nobis debita noſtra. Item S. Auguſtinus loquens de Pelagianis ait: *Illam gratiam Dei, ſine qua nihil bonum facere poſſumus, non eſſe dicunt, niſi in libero arbitrio, quod nullis ſuis precedentibus meritis ab illo accepit noſtra natura, ad hoc tantum ipſo adiuuante per ſuam legem, atque doctrinam vt diſcamus, quæ facere, & quæ ſperare debeamus: non autem ad hoc per donum Spiritus ſancti, vt quæ didicerimus eſſe facienda, faciamus.*

§ Aug. lib. de hæreſibus ad Quod vult Deum, hæreſi 88. tom. 6.

III. Tertiò, arguitur. Quoniam Pelagius negauit gratiam, quæ per ſubminiſtrationem Spiritus nobis datur, vt refert S. Auguſt. lib. 1. de gratia Chriſti, cap. 2. vbi ait, Pelagiũ ſenſiſſe, quòd nos ſaluemur *adiuti, non aliqua ſubminiſtratione virtutis, ſed viribus propria voluntatis.* Et cap. 34. ſubdit: *Neque alicubi potui reperire hanc eam.* ſcilicet Pelagium, *gratiam confiteri, qua non ſolùm poſſibilitas naturalis voluntatis & actionis, quam dicit nos habere, etiamſi nec volumus, nec agimus bonum, ſed ipſa etiam voluntas & actio ſubminiſtratione ſancti Spiritus adiuuatur.* Et epiſt. 95. quæ eſt quinque Epiſcoporum ad Innocent. PP. *Sine enim dixerit gratiam eſſe liberum arbitrium, ſine gratiam eſſe remiſſionem peccatorum, ſine gratiam eſſe legis præceptum: nihil eorum dicit, quod per ſubminiſtrationem Spiritus ſancti pertinet ad concupiſcentias, tentationeſque vincendas.* Ergo nullam admiſit gratiam interiorem, ſed ſolùm naturam gratis creatam, prædicationem externam, legem, & alia huiuſmodi, quæ ſieri poſſunt abſque ſubminiſtratione Spiritus.

Aug. epiſt. 106. & 107

Confirmatur. Quia Pelagius aſſeruit, gratiam ſecundùm merita noſtra dari, vt conſtat ex his, quæ contra illum ſcribit Auguſtinus: ergo nullam admiſit veram gratiam. Patet conſequentia, nam contra rationem gratiæ eſt, quòd detur ex meritis, vt patet ex illo ad Rom. 4. *Ei autem qui operatur, merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum.* Et cap. 11. *Si autem gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia non eſt gratia.*

Rom. 4.

Quartò probatur, quòd Pelagius negauerit eſſe neceſſarium concurſum actualem Dei etiã ad opera naturæ: nam S. Hier. aduersùs Pelagianos, ſub nomine Chriſtobuli tacitè refert Pelagianorum errorem, ſic arguens: *Si in ſingulis rebus quas gerimus, Dei vtendum eſt adiutorio: ergo & calamum temperare ad ſcribendum, & temperatum pumice terere, manumque aptare literis, tacere, loqui, ſedere, ſtare, ambulare, currere, comedere, ieiunare, flere, ridere, & cætera huiuſmodi, niſi Deus iuuerit, non poterimus.* Et in epiſt. ad Cteſiphontem, aduersùs Pelagianos, eorum referens errorem, ait: *Ita Dei gratiam ponunt, vt non per ſingula opera eius nitamur, & regamur auxilio, ſed ad liberum referunt arbitrium, & ad præcepta legis ponentes illud Iſaiæ: Legem enim Deus in adiutorium poſuit, vt in eo Deo referenda ſint gratiæ, quòd tales nos condiderit, qui noſtro arbitrio poſſimus & eligere bona, & vitare mala: & non intelligunt iſta dicentes, quòd per os earum intolerabilem blaſphemiam diabolus ſibilet.* Et poſt pauca: *Audite quæſo, audite ſacrilegum, ſi, inquit, volueris curuare digitũ, mouere manum, ſedere, ſtare, ambulare, diſcurrere, ſputum iacere, duobus digitis narium purgamenta decutere, releuare alnum, vrinam digerere, ſemper nihi auxilium Dei neceſſarium erit?* Et paucis interiectis: *Ipſum liberum, vt diximus, arbitrium Dei inuitatur auxilio, illiuſque per ſingula opera indiget, quod vos non vultis: ſed id vultis, vt qui ſemel habet liberum arbitrium, Deo adiutore non egeat.*

Hie li. 1. ad. uersùs Pelagianos, paulò post prin. to. 2.

Epiſt. ad Cteſiph. circa mediũ to. 2.

IV. Huius difficultatis reſolutio ex ſcriptis S. Auguſt. contra Pelagianos potiſſimùm deſumẽda eſt, ad cuius explicationem ſupponendum eſt primò, quòd licet Pelagius admiſerit aliquam gratiam interiorem, quæcunque illa ſit, eam tandem re ipſa deſtruxit, cùm (vt refert S. Aug.) aſſeruerit gratiam ſecundùm

Aug. Epiſt.

A merita noſtra dari. *Si enim ex operibus iam gratia* (vt inquit Apoſt.) *non eſt gratia*: ſed ſpecialiter in lib. de gratia Chriſti contra Pelag. & Cœleſtium, cap. 31. vbi ait: *Quamlibet ſentiat gratiam ipſis Chriſtianis ſecundùm merita dari dicit.* 106. & 107. & li. de gratia Chriſti. cap 31. Rom. 11. 6.

Secundò eſt obſeruandum, hæreſim Pelagij quadruplicem habuiſſe ſtatum. In primo negauit omne auxilium ſupernaturale, & omnem interiorem gratiam ſupernaturalis ordinis, tam ſufficientem, quæ tribuit poſſe: quàm efficacem, quæ tribuit infallibiliter pie operari, affirmans ad omnia mandata implenda, atque ad ſalutem æternam promerendam & conſequendam, ſufficere vires naturales arbitrij. In ſecundo ſtatu admiſit, adiutorium gratię Dei hominibus conferri ad eius mandata facienda; aſſeruit tamen, hoc adiutorium in lege & doctrina exteriori, aut etiam in Chriſti exemplo eſſe conſtitutum: & ſolum eſſe neceſſarium, vt faciliùs impleret homo per gratiam, quod ſimpliciter poterat per naturam. Iſtos duos ſtatus refert S. Auguſt. *Pelagianorum*, inquiens, *eſt hæreſis hoc tempore omnium recentiſſima à Pelagio Monacho exorta, quem magiſtrum Cœleſtius ſic ſecutus eſt, vt ſectatores eorum Cœleſtiani nuncupentur. Hi, Dei gratia, qua prædeſtinati ſumus in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum in ipſum, & qua eruimur de poteſtate tenebrarum, vt in eum credamus, atque in Regnum ipſius tranſferamur, propter quod ait:* Nemo venit ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo, *& quæ diffunditur charitas in cordibus noſtris, vt fides per dilectionem operetur: in tantum inimici ſunt, vt ſine hac poſſe hominem, credant, facere omnia diuina mandata: Cùm (ſi hoc verum eſſet) fruſtra Dominus dixiſſe videretur,* Sine me nihil poteſtis facere. *Denique Pelagius à fratribus increpatus, quòd nihil tribueret adiutorio gratiæ Dei ad eius mandata facienda, correptioni eorum hactenus ceſſit, vt non eam libero arbitrio præponeret, ſed infideli calliditate ſupponeret, dicens: Ad hoc eam dari hominibus, vt quæ facere per liberum inbentur arbitrium, faciliùs poſſint implere per gratiam. Dicendo vtique, vt faciliùs poſſint, voluit credi, etiamſi difficiliùs tamen poſſe homines ſine gratia, diuina facere iuſſa. Illam vero gratiam Dei, ſine qua nihil boni poſſumus facere, non eſſe (dicunt) niſi in libero arbitrio, quod nullis ſuis precedentibus meritis, ab illo accepit noſtra natura, ad hoc tantùm (ipſo adiuuante per ſuam legem, atque doctrinam) vt diſcamus, quæ facere, & quæ ſperare debeamus. Non autem ad hoc per donum Spiritus Sancti, vt quæ didicerimus eſſe facienda, faciamus. Ac per hoc diuinius nobis dari ſcientiam confitentur, qua ignorantia pellitur: charitatem autem Dei negant, qua pie viuitur, vt ſcilicet, cùm ſit Dei donum ſcientia, quæ ſine charitate inflat, non ſit Dei donum ipſa charitas, quæ, vt ſcientia non inflet, ædificat.* Aug. lib. de hæreſib. ad Quod vult Deum, hæreſi 88. tom. 6. Epheſ. 1. Coloſ. 1. Ioan 6. Rom. 5. Galat 5. Ioan. 15. 1 Cor. 8.

Tertius ſtatus hæreſis Pelagij fuit, in quo poſt longas diſputationes cum S. Auguſt. & aliis Patribus, tandem admiſit gratiam interiorem ad poſſe, videlicet, internam illuminationem intellectus, & internam excitationem ſtupentis voluntatis. Semper tamen negauit gratiam, qua Deus efficeret, vt velimus, ſempérque in eodem permanſit errore, vt crederet, illam gratiam interiorem, quam admiſit ad poſſe, non eſſe ſimpliciter neceſſariam: ſed ſolùm vt facilius per eam poſſet homo diuina adimplere mandata. Hic tertius ſtatus conſtabit ex iis, quæ in primo & ſecundo dicto hæreſis Pelagianæ ſubiicienda ſunt.

Quartus ſtatus hæreſis Pelagianæ eſt, quem habuit ſub Cœleſtio. Hic enim, vt in tertio dicto patebit, admiſit gratiam illam internam, quam ad poſſe conceſſit in tertio ſtatu Pelagius, eſſe ſimpliciter neceſſariam, non quidem ad incipiendum: ſed ad perficiendum virtutum opera. In quo, errorem Pe-

lagij vtcunque moderatus est : quia tamen ad inciA piendum nullam interiorem gratiam necessariam esse voluit, à Dogmate Pelagij non recessit, asserentis gratiam secundùm merita nostra dari.

V. Igitur Pelagius quibusdam dictis, quamuis latebris se abscondendo, suam vltimate sententiam explicuit, verbis potiùs fallacibus antiquam hæresim obtegendo, quam veram Christi gratiam confitendo. Vnde callidè tergiuersando, iudicium fefellit plurium Episcoporum in Concilio Palæstino, vt Auguſt. refert. *Fefellit*, inquiens, *iudicium Palæstinum, propterea ibi videtur esse purgatus : Romanam vero Ecclesiam, vbi eum esse notissimum scitis. fallere vsque quaque non potuit, quamuis & hoc fuerit vtrumque conatus, sed vt dixi minimè valuit.* Et iterum ait : *Tanto iudices fefellit occultiùs, quanto exposuit ista versutius.* Et paucis interiectis subdit : *Denique quomodo respondeat aduertite, & videte latebras ambiguitatis falsitati præparare refugia, effundendo caliginem veritatis : ita vt etiam nos, cũ primùm ea legimus, recta, vel correcta, propemodum gauderemus.* Et libro primo de gratia Christi contra Pelagium, & Cœlestium, ca. 37. hæc refert verba Pelagij. *Legant etiam*, inquit, *quam ad sacram Christi Virginem Demetriadem in Oriente conscripsimus : & inuenient, nos ita hominis laudare naturam, vt Dei semper gratia addamus auxilium.* Quod expendens ibi S. Auguſt. ait : *Istam sanè legi, mihique penè persuaserat hinc illum gratiam de qua quæstio est, confiteri : quamuis in multis eius opusculi locis sibi ipsi contradicere videretur. Sed cùm in manus meas & alia venissent, quæ posteà is, Latinis que conscripsit, vidi quemadmodum potuerit etiam illic gratiam nominare, sub ambigua generalitate, quid sentiret, abscondens : gratiæ tamen vocabulo frangens inuidiam, offensionemque declinans.* Hinc Pelagius, vt idem Auguſt. notauit, se ipsum extollebat, & gloriabatur superbe & fallaciter, quòd à suis erroribus fuerit in Cœlestio Palæstino purgatus. Cùm tamen certissimũ sit, aliqua magis falsa quàm vera ratione se obtexisse, quædã negando, alia falsa interpretatione vertendo, nonnunquam etiam, vt S. refert Auguſt. de Catholicis conquerebatur in literis, quas Romam misit ad Beatæ mem. P.P. Innocentium, dicens, se ab hominibus infamari, quòd neget paruulis Baptismi Sacramentum, & absque redemptione Christi aliquibus Cælorum Regna promittat. Hæc faciebat homo ille versutus, vt facilè posset crimini obiecto (saluo suo dogmate) respondere. Sed omissa calliditate Pelagij, dicta illius, quibus suam hæresim palliare visus est, subiiciamus.

Auguſt. lib. de pecc. orig. cõtra Pelag. & Cœlestiũ, cap. 8. tom. 7 Ca. 16 eiusdem lib. Cap. 18. eiusdem lib.

Aug. eodem cap. 37.

Idem lib. de peccat. orig. ca 8. & 9.

Aug. eodem lib cap 17.

VI. Primò, concessit Pelagius, gratiam interiorem à Deo immittam, quæ illuminaret intellectum, ostendendo, quid faciendum, quidve esset fugiendum, & ex parte obiecti stupentem excitaret voluntatem, eam alliciendo, & suadendo. Negauit tamen eam gratiam simpliciter necessariam ad implenda legis præcepta, & solùm tribuere homini, vt facilius impleret per gratiam, quod simpliciter, quamuis cum difficultate, implere poterat per naturam. Hoc non aliter ostenditur, quàm ex ipsis Pelagij verbis, quæ E in libris extant S. Auguſt. Nam quodam in loco Aug. referente ait : *Hic nos imperitissimi hominum putant iniuriam Diuinæ gratiæ facere, quia dicimus, eam sine voluntate nostra nequaquam in nobis perficere sanctitatem, quasi Deus gratiæ suæ aliquid imperauerit, & non illis, quibus imperauit, etiam gratia sua auxilium subministret : vt quod liberum homines facere inbentur arbitrium, facilius possint implere per gratiam.* & tanquam explicaturus quam dicat gratiam, secutus adiunxit dicens : *Quam nos, non vt tu putas, in lege tantummodo, sed & in Dei esse adiutorio confitemur.* Quæ Pelagij verba expendens S. Auguſt. ait : *Quis non hic desideret, vt ostendat quam velit intelligi gratiam? Pro-*

Aug lib de gratia Christi cõtra Pelag & Cœlest. cap 7.

Ca. 7. citato.

pter hoc enim maximè de illo expectare debemus, vt dicat hoc quod dicit : non in lege tantummodo se gratiam confiteri : sed nobis hac expectatione suspensis, quid addiderit intuemini. Adiuuat enim nos, inquit, Deus, per doctrinam & reuelationem suam, dum cordis nostri oculos aperit : dum nobis ne præsentibus occupemur, futura demonstrat : dum Diaboli pandit insidias : dum nos multiformi, & ineffabili dono gratiæ cælestis illuminat. Deinde sententiam suam quadam velut absolutione concludens : Qui hoc dicit, inquit, gratiam tibi videtur negare? an & liberum hominis arbitrium & Dei gratiam confitetur? Ex quibus verbis colligit S. Auguſt. *hanc eum gratiam confiteri, qua demonstrat, & reuelat Deus quid agere debeamus : non qua donat, & adiuuat, vt agamus.* Et in alio loco inquit Pelagius : *Operatur in nobis* B *velle, quod bonum est, velle quod sanctum est : dum nos terrenis cupiditatibus deditos, mutorum more animalium tantummodo præsentia diligentes, futuræ gloriæ magnitudine & præmiorum pollicitatione accendit : dum reuelatione sapientiæ in desiderium Dei stupentem suscitat voluntatem : dum nobis, quod tu alibi negare non metuis suadet omne, quod bonum est.* Quibus verbis non obscure concedit gratiam, qua illuminat intellectum, & suadendo mouet voluntatẽ. Quòd autem loquatur de illuminatione interiori, quę est à Spiritu sancto, constat : nam in cap. 11. sequenti explicans S. Aug. illud Apost. *Ne magnitudo reuelationum mearum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus Satana, qui me colaphizet*, & illud, *Charitas non æmulatur, non inflatur*, inquit. *Hæc itaque charitas* C *adhuc etiam in tanto Apostolo de die in diem renouatur perficienda sine dubio, vbi iam non posset inflari : tunc autem mens eius adhuc erat, vbi inflaretur magnitudine reuelationis, donec impleretur solido ædificio charitatis : nondum enim perueniendo apprehenderat, quò perficiendo currebat.* Quibus verbis sanctus Doctor impugnat id, quod Pelagius dixerat ; videlicet, Deum operari in nobis velle, & perficere dum reuelatione sapientiæ in desiderium sui stupentem suscitat voluntatem, dum nobis suadet omne, quod bonum est : & concludit, quòd reuelatio illa etiam in Paulo Apostolo inflaret, nisi charitas ædificaret. Sentit ergo, Pelagium admisisse internam reuelationem sapientiæ, qua Deus per se ipsum ostendit, quid faciendum sit, quid fugiendum, & negasse gratiam, qua donat, & adiuuat, vt faciamus. Vnde in cap. 10. eiusdem libri ait S. Augustin. *Ad doctrinam pertinet etiam quod sapientia reuelatur, ad doctrinam pertinet, cùm suadetur omne quod bonum est. Et si inter docere, & suadere, vel potiùs exhortari distare aliquid videtur, etiam hoc tamen doctrinæ generalitate concluditur, quæ quibuscunque sermonibus, vel literis continetur. Nam & sancta Scriptura docens & exhortatur : & potest esse in docendo & exhortando etiam hominis operatio.* Vbi satis manifestè docet, reuelationem interiorem, qua Spiritus sanctus absque ministerio & operatione homihis interiùs ostendit, quid faciendum, quidque sit fugiendum, generaliter nomine doctrinæ comprehendi. Quod etiam ostendit scribens ad Vitalem, & contra Pelagium, sic arguens : *Si ergo ita præpararet atque operaretur Deus hominis voluntatem, vt tantummodo legem suam, atque doctrinam libero eius adhiberet arbitrio, nec vocatione illa alta, atque secreta, sic eius ageret sensum, vt eidem legi, atque doctrinæ accommodaret assensum ; proculdubio eam legere, vel intelligere legendo, vel etiam exponere, ac prædicare sufficeret.* Hoc autem argumentum nihil contra Pelagium concluderet, nisi ille reuelationem sapientiæ non solùm externam ; quæ fit per lectionem, aut prædicationem, sed etiam internam, quæ immediatè est à solo Deo, concessisset. Esset enim sensus, Si Deus solùm operaretur in nobis velle suadendo exterioti,

Aug. cap. 8. confitẽ libri. Pelagius apud Auguſt. eod. lib. c. 12.

Eod. lib. cap. 11. 1. Cor. 12. 2. Cor. 13.

Gratia per tinens ad doctrinam quæ dicatur.

Aug. epist. 107. ad Vitalem, col. 2. tom. 2.

teriori doctrina, ſufficeret eam legere, vel intelligere legendo exteriùs, vel etiàm exponere, aut prædicare ſimiliter exteriùs. Quod argumentum inutilem repetitionem continere perſpicuum eſt, qua Sanctus Auguſtinus idem per idem impugnaret.

VII. Sed expreſſiùs id conſtat ex his, quæ contra Pelagium & Cœleſtium idem Aug. ſcripſit, eodem lib. cap. 41. Nam inter alia, quæ videre oportet, inquit: *Ipſum vero auxilium, quo poſſibilitatem naturalem perhiberet adiuuari, in lege conſtituit, atque doctrina, quam nobis fatetur etiam a ſancto Spiritu reuelari, propter quod & adorandum eſſe concedit.* Ex quibus verbis deſumitur argumentum efficaciſſimum. Adoratio non debetur reuelanti legem & doctrinam exteriùs dumtaxat, nam hoc fieri poteſt hominis, aut Angeli miniſterio. Cùm ergo Pelagius fateatur Spiritum ſanctum eſſe adorandum, quoniam ipſe nobis reuelauit doctrinam: conſequens eſt, ipſum loqui de reuelatione interiori, qua ſolus Deus interiùs docet, quid facere, quid cauere debeamus. Et paulò ſuperius eodem cap. præmiſerat Auguſtin. *Sed in his etiam quatuor libris, quæcunque pro gratia videtur dicere qua iuuamur, vt declinemus à malo, bonúmque faciamus, ita dicit, vt nullo modo à verborum ambiguitate diſcedat, quam diſcipulis ſic poſſit exponere vt nullam auxilium gratiæ credant, qua natura poſſibilitas adiuuetur, niſi in lege atque doctrina. Ita vt ipſas quoque orationes, vt in ſcriptis ſuis apertiſſimè affirmat, ad nihil aliud adhibendas opinetur, niſi vt nobis doctrina etiam Diuina reuelatione aperiatur, non vt adiuuetur mens hominis, vt id quod faciendum eſſe didicerit, etiam dilectione & actione perficiat.* Expendatur illud verbum, *etiam Diuina reuelatione*: clarè enim indicat, Pelagium admiſiſſe internam reuelationē diuinam, vnde idem Auguſtin. ſic contra Pelagium & Cœleſtium concludit, *Legant ergo & intelligant, intueantur & fateantur non lege, atque doctrina ſonante foris, ſed interna atque occulta mirabili atque ineffabili poteſtate operari Deum in cordibus hominum, non ſolùm veras reuelationes, ſed etiam bonas voluntates.* Expendatur etiam illud, *non ſolùm veras reuelationes*, nam ſupponit, Pelagium admiſiſſe veras reuelationes, & negaſſe bonas voluntates à Deo fieri, per adiutorium gratiæ efficiens homines ex nolentibus volentes. Hoc autem ex inferiùs dicendis patebit ampliùs.

Aug. lib. de gratia Chriſti cõtra Pelagium, & Cœleſt. ca 41

Aug. eodem lib. cap. 24.

VIII. Secundò admiſit Pelagius gratiam internam ad poſſe naturæ ſuperadditam, ita refert S. Auguſt. qui poſt adducta quædam verba Pelagij, mentem ipſius explicans ait: *Quandocũque legimus, vel audimus eum diuinæ gratiæ adiutorium confiteri, vt à malo declinemus, bonúmque faciamus, ſiue in lege atque doctrina, ſiue vbilibet conſtituat; ſcimus quod loquitur, nec erremus aliter eum intelligendo, quàm ſentit. Scire quippe debemus, quòd nec voluntatem noſtram, nec actionem diuino adiuuari credit auxilio, ſed ſolùm poſſibilitatem voluntatis atque operis, quam ſolam in his tribus nos habere affirmat ex Deo, tanquam hoc ſit infirmum, quod ipſe Deus poſuit in natura. Cætera verò duo quæ noſtra eſſe voluit, ita ſint firma & fortia, & ſibi ſufficientia, vt nullo indigeant eius auxilio, & ideo non adiuuet vt velimus: non adiuuet vt agamus: ſed tantummodo adiuuet, vt velle & agere valeamus.* Et cap. 14. eiuſdem libri ſubdit: *Venire poſſe in natura ponit Pelagius, vel etiam vt modò dicere cæpit, vt gratia qualemlibet eam ſentiat.* Præmiſerat autem in verbis antecedentibus ad impugnandam hanc doctrinam Pelagij huiuſmodi argumentum. *Si enim ſolum poſſe noſtrum hac gratia iuuaretur, ita diceret Dominus: Omnis qui audiuit à Patre, & didicit poteſt venire ad me: Non autem ita dixit, ſed: Omnis, inquit, qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me.*

Aug. lib. de gratia Chriſti contra Pelag. & Cœl. cap. 5.

Ioan. 6.

Did. Aluarez de auxiliis diu. gr.

A In quo nimirum ſupponit Auguſtinus, Pelagium admiſiſſe gratiam, quæ tribueret poſſe, & negaſſe illam, quæ tribuit venire ad Chriſtum, & bene operari. Præterea idem probatur, nam S. Auguſtinus libro de gratia Chriſti, cap. 25. probat contra Pelagium & Cœleſtium, Deum ſua gratia adiuuare, & tribuere nobis non ſolùm bonum poſſe, ſed etiam ipſum velle, & operari. Et cap. 26. *Cogitationem*, inquit, *& electionem ſicut ſunt diſcernenda à ſcirnat, quia ſcientia inflat, charitas ædificat, & tunc ſcientia non inflat, quãdo charitas ædificat. Et cùm ſit vtrumque donum Dei, ſed vnum minus, alterum maius, non hic inſtitiam noſtram ſuper laudem Iuſtificatoris noſtri extollat, vt horum duorum quod minus eſt, diuino tribuat adiutorio, quod autem maius eſt, humano vſurpet arbitrio* Et in cap. 11. B eiuſdem libri de Gratia Chriſti, explicans S. Auguſt. quam gratiam debeat vlteriùs confiteri Pelagius, ſi non vult ab Eccleſiæ Catholicæ doctrina diſcedere, inquit: *Sed nos eam gratiam volumus iſti aliquando fateãtur qua futuræ gloriæ magnitudo nõ ſolùm promittitur, verùm etiã creditur, & ſperatur. Nec ſolùm reuelatur ſapientia, verùm etiam & amatur: nec ſuadetur ſolùm omne quod bonum eſt, verùm & perſuadetur*, & infrà: *Quorum autem ſit fides, & quibus perſuadeatur vt ad eum veniant, ſatis ipſe demonſtrauit, vbi ait:* Nemo venit ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum. *Et paulò poſt cum de non credentibus loqueretur.* Dixi, *inquit*, vobis, quia nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo. *Hanc debet Pelagius gratiam confiteri, ſi vult non ſolùm vocari, verùm etiam* C *eſſe Chriſtianus.* Et cap. 47. idem Auguſt. aſſignans differentiam, quæ inter ipſum & Pelagium de adiutorio gratiæ verſabatur, ſic loquitur: *Si ergo conſenſerit nobis, non ſolam poſſibilitatem in homine, etiamſi nec velit, nec agat bene, ſed ipſam quoque voluntatem & actionem diuinitùs adiuuari, vt ſine alio adiutorio nihil bene velimus & agamus: eámque eſſe gratiam Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, in qua nos, ſua, non noſtra iuſtitia iuſtos facit, vt ſit vera noſtra iuſtitia, quæ nobis ab illo eſt, nihil de adiutorio gratiæ Dei (quantum arbitror) inter nos controuerſiæ relinquetur.* Signum ergo eſt, Pelagium admiſiſſe gratiam interiorem ad poſſe, & illud adiutorium negaſſe, quo Deus efficit vt velimus.

Ioan. 6.

IX. Tertiò, Dicebat Cœleſtius Pelagij diſcipulus, D iſtam gratiam tribuentem poſſe eſſe ſimpliciter neceſſariam, vt ad conſummationem virtutum opera naturæ peruenirent, & hac via temperans vtcumque errorem Pelagij, arbitrabatur ſe locum gratiæ ſeruare. Conſtat hoc ex S. Auguſt. dicente: *Hoc enim nobis obiiciendum putarunt, quod inuito & reluctanti homini Deum dicamus inſpirare, non quanticunque boni, ſed & ipſius imperfecti cupiditatem. Fortaſſis ergo ipſi eo modo ſaltem ſeruant locum gratiæ, vt ſine illa putent hominem poſſe habere boni, ſed imperfecti cupiditatem: perfecti autem non facilius per illam poſſe. ſed niſi per illam omnino non poſſe: verum & ſic gratiam Dei dicunt ſecundùm merita noſtra dari, quod in Oriente Pelagius Eccleſiaſticis geſtis damnari timendo, damnauit. Si enim ſine Dei gratia per nos incipit cupiditas boni, ipſum cœptum erit ſecundùm meritum, cui tanquam* E *ex debito gratiæ veniat adiutorium, ac ſic gratia Dei non gratis donabitur, ſed meritum noſtrum dabitur.* Et in alio loco arguens contra Iulianum, qui boni operis initium conſtituebat in natura, perfectionem autem & conſummationem eius tribuebat gratiæ, ait: *Cùm ergo diuinitus adiuuatur homo, non tantùm ad capeſſendam perfectionem adiuuatur quod ipſe poſuiſti: vtique volens intelligi eum per ſe incipere ſine gratia, quod perficit gratia: ſed potiùs quod Apoſtolus loquitur, vt qui in vobis opus bonum cœpit, perficiat vſque in finem. In quo enim vis hominem (ſicut loqueris) ad aliquid*

Aug. lib. 2. contra duas epiſtolas Pelagianorum, c. 8.

Lib. 4. cõtra Iulian. ca. 3. paulò poſt prin. tom. 7.

Digitized by Google

laudabile generosi cordis stimulis incitari: in hoc eum non vis in Domino, sed in libero arbitrio gloriari: ac sic priorem dare, vt retribuatur illi, eóque modo gratia non sit gratia, quia non est gratuita. Rom.11. Pelagius tamen (vt supra dictum est) quamuis in tertio statu suæ hæresis admiserit gratiæ illuminationem & excitationem internam ad posse, nunquam tamen concedere voluit eam esse ad implenda mandata simpliciter necessariam, sed solùm ad facilius. Quod & S.August. expresse testatur lib.2. contra duas epist. Pelag. c.8. cùm ait: *Isti*, scilicet, Iulianus & Cœlestius, *volunt in homine ab ipso homine incipere cupiditatem boni, vt huius capti meritum etiam perficiendi gratiæ consequatur, si tamen hoc saltem volunt. Pelagius enim facilius dicit impleri quod bonum est, si adiuuet gratia. Quo adiutorio, id est addendo, facilius, itaque significat, hoc se sapere, quod etiam si gratia defuerit adiutorium, potest, quamuis difficilius, implere bonum per liberum arbitrium.*

X. Hinc S. Thomas vbicunque refert errorem Pelagij, non aliter illum explicat, quam dicendo ipsum sensisse, quòd initium bene operandi est ex nobis, sed consummatio & perfectio ex Deo, vt videre licet 1.p.q.23.art.5.in corp. 1.2.q 6 ar.1. in corp. 3.contra Gent.cap.149. quodl.1.art.7. in corp. ad Rom.7. lect.3.in fin.& 2.ad Cor.3.lect.1.in fin. & ad Ephes. 2.lect.1.etiam in fine. S.Thom.

XI. Quartò, Pelagiani, saltem Iulianus, admiserunt adiutorium diuinæ gratiæ subsequentis ad determinationem arbitrij creati, ita videlicet, vt prius natura incipiat homo, & gratiæ adiutorium posterius natura subsequatur, per quod in ipso opere diuinitus adiuuetur. Probatur hoc ex verbis ipsius Iuliani, quæ refert S. August. *Hominem*, inquit, *Dei opus defendimus nec ex illius potentia, vel in malum, vel in bonum inuitum aliquem cogi, sed propria voluntate aut bonum facere aut malum: in bono vero opere à Dei gratia semper adiuuari, in malum verò diaboli suggestionibus incitari.* S.Aug.lib.1. contra duos epi. Pelagianorum,c.13. Ad quod respondens S. Doctor ait: *Vos autem in bono opere sic putatis adiuuari hominem gratia Dei, vt in excitanda eius ad ipsum bonum opus voluntate, nihil eum creatis operari, quasi satis ipsa tua verba declarent, cur enim vbi dixisti, homine Dei gratia in bonum opus excitari, sicut dixisti in malum diaboli suggestionibus incitari? Sed dixisti in bono opere semper à Dei gratia adiuuari tanquam sua voluntate, nulla Dei gratia bonum opus aggressus, in ipso tam opere diuinitus adiuuetur, pro meritis videlicet voluntatis suæ, vt reddatur debita gratia, non donetur indebita, ac sic gratia iam non sit gratia.* Gratia excitans antecedit omne opus bonum. Idem constat ex aliis verbis eiusdem Pelagianorum, quæ refert idem S.August. lib.2.contra duas epistolas Pelagianorum: *Hæc*, inquiés, *verba sunt vestra, Baptismus omnibus necessarium esse statibus conijcimur, gratiam quoque adiuuare vnius cuiusque bonum propositum, non tamen reluctanti studium virtutis immittere, quia personarum acceptio non est apud Deum.* Et iterum ait: *Dicunt se consueri gratiam quoque adiuuare vnius cuiusque bonum propositum, non tamen reluctanti studium virtutis immittere. Hoc quippe ita dicunt, velut homo à seipso sine adiutorio Dei habeat propositum bonum, studiumque virtutis, quo merito precedente, dignus sit adiuuari Dei gratia subsequente.* Lib.2.contr. duas epist. Pelag.c.5.& 6. Ibidem c.9.

XII. Ex his inferebant Pelagiani quintum dictum, videlicet, Hanc causalem esse veram, Quia ego prior volui, Deus voluit. Quia ego volo, Deus me adiuuat, hanc autem esse falsam, Quia Deus vult, ego volo. Quia Deus adiuuat hominem, homo vult, & sic semper priores partes libero tribuant arbitrio, posteriores Deo relinquêtes. Hoc dictum refert S. August. scribens ad Vitalem, cùm ait: *Recognoscis me (vt puto) in iis, quæ nos scire dixi, non omnia, quæ ad fidem Catholicam pertinent, commemorare voluisse. sed ea tantùm, quæ ad ipsum, quæ inter nos agitur de Dei gratia quæstionem; Vtrum præcedat hac gratia, an subsequatur hominis voluntatem, hoc est, vt planius id eloquar, vtrùm ideo nobis detur quia volumus an per ipsam Deus etiam hoc efficiat, vt velimus.* Vnde hanc Pelagianorum assertionem impugnans lib.3.Hypognosticon, inquit: *In omni itaque opere sancto prior est voluntas Dei, posterior liberi arbitrij, id est, operatur Deus, cooperatur homo. Quòd si aias, vt dicere cœperisti, quia ego prior volui, Deus voluit, iam meritum facis, vt gratia ex operibus non sit gratia, sed merces.* Quam causalem, vt infra patebit, etiam Semipelagiani statuerunt. In quo autem sensu eam intellexerint, disp.99. & 100. dicetur. Disp.2.

XIII. Sextum dictum Pelagij est, si asseratur, quòd gratia Dei humana merita antecedat, & ex nolentibus volentes faciat, per talem gratiam libertas destruitur humani arbitrij, & necessitas fatalis inducitur. Hanc obiectionem opposuit sæpe sancto August. Pelagius, vt constat ex lib.2. contra duas epist. Pelagianorum, cap.5. vbi S. Augustinus calumniis Pelagij respondens, ait: *Nec sub nomine gratiæ fatum asserimus, quia nullis hominum meritis, Dei gratiam dicimus antecedi.* Et post pauca, cùm quædam verba Pelagianorum superius inducta recensuisset, subdit: *Ex his eorum verbis intellexi ob hoc illos vel putare, vel putari velle fatum nos asserere sub nomine gratiæ, quia gratiam Dei, non secundùm merita nostra dari dicimus, sed secundùm ipsius misericordiosissimam voluntatem, quod dixit, Miserebor, cui misertus ero, & misericordiam præstabo, cui misericors fuero.* Et contra Iulianum loquens, inquit: *Dicis quòd appellatione gratiæ bonos fieri homines fatali necessitate aiicamus.* Exod.33. Lib.4.contra Iulia.c.8.in princ. Polt pauca subdens, *Calumniaris me dicere, nihil iudij expectari ab humana voluntate debere contra illud Euangelicum, quo ait Dominus, Petite, & accipietis quærite, & inuenietis, pulsate, & aperietur vobis.* Et Hieron ad Ctesiphontem scribens ait: *Quod autem sursum, deorsum inflant, liberum arbitrium à nobis destrui, audiant è contrario eos arbitrij desiuere libertatem, qui malè eo abutuntur aduersùm beneficium largitoris. Quis destruit arbitrium? ille qui semper Deo agit gratias; & quodcunque in suo viuulo sunt, ad fontem refert? An qui dicit recede à me, quia mundus sum, non habeo te necessarium: dedisti enim mihi semel arbitrij libertatem, vt faciam quod voluero; Quid rursùm te ingeris, vt nihil possim facere, nisi tu in me tua dona compleueris? Fraudulenter fratres dis, vt Dei gratiam ad conditionem hominis referas, & non in singulis operibus auxilium Dei requiras, ne scilicet liberum arbitrium videaris amittere, & cùm Dei contemnas adminiculum, hominum quæras auxilium.* Matth.7. S.Hieron.ep. ad Ctesiph. aduer.iis Pelagian. post med.tom.2. Hoc fuit semper omnium Pelagianorum Achilles, quo aduersùs defensores gratiæ se triumphare gloriabantur, quo & suam hæresim palliare nitebantur, dum sub prætextu defendendi humanæ libertatis iura, bellum intestinum gratiæ Dei, per quam à morte liberamur, indixerunt. Sed quàm inefficax sit hoc eorum argumentum, inferiùs patebit.

XIV. Septimum dictum Pelagij est. Quando Apostolus ait, quòd *Deus operatur in nobis, & velle & perficere*, intelligitur de operatione per illuminationem intellectus, & excitationem stupentis voluntatis, qua Deus suadet illi quod bonum est. Hoc non aliter probatur, quàm ex verbis expressis Pelagij, quæ refert S. Augustin. libro de gratia Christi contra Pelagium & Cœlestium, capit. 10. cùm ait: *Et alio quippe loco cùm dixisset, non adiutorio Dei, sed ex nobis ipsis in nobis effici voluntatem bonam: opposuit sibi ex Apostoli epistola quæstionem, atque ait: Et quomodo, inquit, stabit illud Apostoli*: Deus est enim qui operatur in nobis & velle & perficere? Philip.2.

Deinde

Digitized by Google

Deinde vt hanc oppoſitionem veluti ſolueret, quam videbat dogmati ſuo eſſe vehementer contrariam, ſecutus adiunxit : Operatur in nobis velle quod bonum eſt, velle quod ſanctum eſt: dum nos terrenis cupiditatibus deditos mutorum more animalium tantummodo præſentia diligentes, futura gloriæ magnitudine, & præmiorum pollicitatione ſuccendit : dum reuelatione ſapientiæ in deſiderium Dei ſtupentem ſuſcitat voluntatem, dum nobis (quod tu alibi negare non metuis) ſuadet omne quod bonum eſt. Et eodem modo interpretatur Pelagius alia conſimilia loca Scripturæ, in quibus Deo tribuitur hominis conuerſio, ſicut eſt illud Ioannis 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum.* Et illud Iſaiæ 26. *Omnia opera noſtra operatus es nobis.* & alia huiuſmodi.

Ioan. 6.

A

XV. Ex hoc dicto inferebant Pelagiani, Deum operari in nobis velle, quantum in ipſo eſt, ſed ei conſentire vel diſſentire, ita noſtrum eſt, vt ſi velimus fiat, ſi autem nolimus, nos vt operatio Dei nihil nobis proſit, efficimus. Conſtat hoc ex S. Auguſtino, qui Pelagianorum referens, & redarguens errorem, inquit: *Quid eſt ergo quod ait Apoſtolus*, Deus in nobis operatur & velle, & perficere, *Reſpondes, per legem ſuam, per Scripturam ſuam, Deum operari, vt velimus, quam vel legimus, vel audimus. Sed ei conſentire, vel non conſentire ita noſtrum eſt, vt ſi velimus fiat: ſi autem nolimus, nihil in nobis operationem Dei valere faciamus. Operatur quippe ille dicis, quantū in ipſo eſt, vt velimus, cum nobis nota fiunt eius eloquia: ſed ſi eis acquieſcere nolumus, nos, vt operatio eius nihil in nobis proſit, efficimus. Quaſi dicis, profectò noſtris orationibus contradicis.*

Aug. epiſt. 107. al Vitalem. paulo poſt prin.

B

XVI. Octauum dictum Pelagianorum fuit. Diuinæ prædeſtinationis datur cauſa ex parte noſtra, videlicet merita præuiſa naturæ viribus inceptа. Hunc errorem tribuit Pelagianis S. Auguſtinus: ſic enim ait, *Præſciebat ergo (ait Pelagius) qui futuri eſſent ſancti & immaculati per liberæ voluntatis arbitrium, & ideo eos ante mundi conſtitutionem in ipſa ſua præſcientia, quia tales futuros eſſe præſciuit, elegit. Elegit ergo, inquit, antequam eſſent, prædeſtinans filios quos futuros ſanctos, immaculateſque præſciuit: vtique ipſe nō fecit, nec ſe facturum, ſed illos futuros eſſe prænidit.* Et S. Tho. eundem errorem Pelagianorum referens, ait : *Fuerunt ergo alij, qui dixerunt quod merita præexiſtentia in hac vita ſunt ratio, & cauſa effectus prædeſtinationis. Poſuerunt enim Pelagiani, quòd initium benefaciendi ſit ex nobis, conſummatio autem à Deo: & ſic ex hoc contingit, quod alicui datur prædeſtinationis effectus, & non alteri: quia vnus initium dedit ſe præparando, & non alius.* Verum eſt, quod Pelagius aſſeruit, prædeſtinationis effectum tribui prædeſtinatis propter præuiſum bonum vſum liberi arbitrij futurum ex ſola facultate naturæ, & non ex efficaci adiutorio præuenientis gratiæ. Sed tandem admiſit doctrinam & reuelationem interiorem, per quam ſuaderet quid faciendum, quidve fugiendum eſſet, vt in ſuperioribus dictum eſt. Hæc autem omnia inferius impugnabuntur, & ſimul Pelagianorum mens clariùs aperietur.

Aug. lib. de Prædeſt. SS. c. 18.

S. Tho. 1 p. q. 23. artic. 5. in corpore.

C

D

XVII. Nonum dictum continet duodecim articulos Pelagio in Synodo Palæſtina obiectos, quos niſi anathematizaſſet anathematizatus & ipſe vtique fuiſſet. Primus eſt, Adam ſiue peccaret, ſiue non peccaret, moriturus eſſet. Secundus, quod peccatum Adæ ipſum ſolum læſerit, & non genus humanum. Tertius, quòd infantes nuper nati in illo ſtatu ſint, in quo Adam fuit ante præuaricationem. Quartus, quòd neque per mortem, vel præuaricationem Adæ omne genus humanum moriatur: neque per reſurrectionem Chriſti omne genus humanum reſurgat. Quintus, infantes etiam non baptizatos habere vitam æternam. Sextus, diuites baptizatos, niſi omnibus abrenuncient, ſi quid boni viſi fuerint facere, non reputari illis, nec eos habere poſſe regnum Dei. Septimus, Gratiam Dei, atque adiutorium non dari ad ſingulos actus, ſed in libero arbitrio eſſe, vel in lege, atque doctrina. Octauus, Dei gratiam ſecundum merita noſtra dari. Nonus, Filios Dei non poſſe vocari, niſi omnino abſque peccato fuerint effecti. Decimus, non eſſe liberum arbitrium, ſi Dei indiget auxilio: quoniam in propria voluntate habet vnuſquiſque facere aliquid, vel non facere. Vndecimus, victoriam noſtram non ex Dei adiutorio eſſe, ſed ex libero arbitrio. Duodecimus, quòd pœnitentibus venia non detur ſecundùm gratiam & miſericordiam Dei: ſed ſecundùm meritum & laborem eorum, qui per pœnitentiam digni fuerint miſericordia. Iſtos errores Pelagij refert S. Auguſtin in epiſt. 106. vbi etiam oſtendit, eiuſmodi aſſertiones eſſe contra doctrinam, quam ſemper tenuit Catholica Eccleſia, quod ex diſcurſu huius operis ampliùs manifeſtabitur.

E

Ad primum argumentum reſpondetur, quòd Pelagius admiſit quidem gratiam interiorem, quæ tribueret quoddam poſſe, negauit tamen eam eſſe ſimpliciter neceſſariam ad diuina mandata implenda. Sectatores autem Pelagij Iulianus & Cœleſtius (vt ſupra oſtenſum eſt) conceſſerunt illuminationem illam internam intellectus, & excitationem voluntatis, eſſe ad operis perfectionem ſimpliciter neceſſariam. Cum hoc tamen adhuc manet, in quo ab illis Semipelagiani, de quibus capite 1. de prædeſtinatione Sanctorum loquebatur Auguſtin. diſcernantur. Quoniam Pelagiani (vt ſupra dictum eſt) conſtituerunt in natura primum initium Fidei: & bonorum operum: eorum tantummodo conſummationem & perfectionem tribuentes Diuinæ gratiæ. At verò Semipelagiani diſtinxerunt inter hæc, & bona opera, quæ fidem ſubſequuntur, & primum fidei initium dixerunt eſſe ex nobis: initium autem bonorum operum eſſe ex gratia, quam tamen aſſerebant meritò fidei dari credentibus. Conſtat hoc ex ſancto Auguſtino in eodem libr. de prædeſtinatione SS. vbi contra Semipelagianos oſtendit ex profeſſo, etiam primum initium fidei, qua Chriſtiani ſumus, ex Deo eſſe, non ex nobis. Diſcernūtur etiam, nam Semipelagiani (vt Aug. ait cap. 1. eiuſdem libri) fatebantur cum Eccleſia Chriſti peccato primi hominis obnoxium naſci genus humanum, nec ab illo malo, niſi per iuſtitiam ſecundi hominis aliquem liberari: quæ tamen Pelagius & Cœleſtius pertinaciter negauerunt, vt ex eodem Auguſtino conſtat in libris contra ipſos editis. In his ergo docet Auguſtin plurimùm Semipelagianos à Pelagianorum errore diſcerni. Sed de hoc diſputatione ſequenti latiùs dicetur, vbi Semipelagianorum dicta referemus.

S. Aug. lib. de prædeſt. SS. c. 2. 3. & 4. & ſeq.

Ad ſecundum reſpondetur per diſtinctionem aſſignatam de quadruplici ſtatu hæreſis Pelagij. Etenim contra primum diffiniuerunt Concilia, & Patres, eſſe admittendam gratiam ad ſalutem, nec ſufficere ſibi ſolam naturam ad omnia Dei præcepta implenda. Contra ſecundum ſtatum eiuſdem hæreſis, docuerunt, adiutorium gratiæ, quo Deus adiuuat ad eius mandata implenda, non conſiſtere in ſola lege, aut doctrina externa, vel in exemplo, quod nobis reliquit Chriſtus Dominus: ſed admittendam eſſe gratiam internam. Contra tertium, determinauerunt gratiam iſtam internam eſſe neceſſariam ad ſimpliciter, & non ſolum ad melius eſſe, ſiue ad facilius operandum. Contra quartum, decreuerunt eſſe ſimpliciter neceſſariam gratiam interiorem, non ſolùm quæ oſtenderet, &

doceret quid eſſet credendum, aut faciendum: ſed quæ donaret & adiuuaret, vt faciamus: quam gratiam S. Proſp. appellat præoperantem, & communi vocabulo, dicitur gratia efficax præueniens, per quam Deus actiuè & propriè facit vt velimus, & piè operemur, & per hæc patet ad confirmationem. Sed eſt adhuc argumentum: nam Concilia & Patres dicunt, Pelagium nullam admiſiſſe veram gratiam. Sed gratia interior illuminans intellectum, & excitans ſtupentem voluntatem, eſt vera gratia; ergo non admiſit illam Pelagius.

S. Proſp. in epi. ad Aug.

Reſpondetur: Quòd cum Pelagius aſſeruerit gratiam ſecundum merita noſtra dari, etiam concedendo gratiam interiorem illuminantem intellectum, excitantem voluntatem, & adiuuárem ipſum poſſe; nullam reuera gratiam admiſit. Imuno etiamſi admiſiſſet gratiam efficacem, ſiue adiuuantem ipsũ velle, dicendo gratiam ſecundum merita noſtra dari: totam rationem gratiæ deſtruxiſſet: *ſi enim ex operibus*, vt arguit Apoſtolus, *iam gratia non eſt gratia*. Vnde Auguſt. in libro de gratia Chriſti contra Pelagium & Cœleſtium, cap. 21. ait: *Quamlibet ſentiat gratiam, ipſis Chriſtianis ſecundum merita dari dicit.* Quibus verbis ſignificat, quamcunque gratiam conceſſam, à Pelagio deſtrui, ſi alteratur, illam ſecundùm merita noſtra dari.

Rom. 11.

XIX. Ad tertium reſpondetur, quòd in primo ſtatu ſuę hæreſis negauit Pelagius gratiam quæ per ſubminiſtrationem Spiritus nobis datur in ſecundo autem, vel tertio ſtatu admiſit gratiam interiorem, qua illuminatur intellectus, & voluntas excitatur, vt ſupra dictum eſt. Secundò reſpondetur, quòd gratia interior etiam, qua Deus demóſtrat & reuelat quid agere debeamus, non autem donat, atque adiuuat vt agamus: ad legem pertinet, & doctrinam licet internam, vt S. Auguſt. oſtendit locis ſuperius allegatis: non autem ad ſubminiſtrationem Spiritus, quam negare intendebat Pelagius. Licet enim interior reuelatio & doctrina, quæ oſtendit quid facere, quidve euitare debeamus, ſit in nobis a Spiritu ſancto, qui docet homines [illegible] tamen gratuitate quam ſub lucra quæ [illegible] non ſub ſpiritu qui [illegible] vt [illegible] Illa verò gratia, quæ adiuuat infirmitatem noſtram, & vires tribuit voluntati, vt quod [illegible] faciamus, pertinet ad ſubminiſtrationem Spiritus: de qua etiam inquit Apoſtolus: *Spiritus [illegible] infirmitatem noſtra. Nam quid oremus, ſicut oportet, nescimus, ſed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis*, id eſt, poſtulare nos facit, vt explicat S. Thomas, *gemitibus inenarrabilibus.* Quibus verbis non ſolùm ſignificat illam gratiam, quæ non ſolùm docet quid poſtulare debeamus, aut facere; ſed etiam donat vt poſtulemus, & faciamus, ad ſubminiſtrationem Spiritus pertinere. Hoc autem gratiæ interiori negauit Pelagius, vt ſupra dictum eſt. Dicendum eſt ergo, quòd cùm Auguſtinus ait, Pelagium negaſſe gratiam, quæ per ſubminiſtrationem Spiritus ſancti nobis datur, loquitur de gratia, per quam non ſolùm oſtendit quid facere debeamus: ſed etiam donat, atque adiuuat vt faciamus. Quæ explicatio habetur ex ipſo contextu, & præſertim ex verbis illis Auguſt. in 3. argum. inductis, in quibus aſſerit Pelagium ſentiſſe, quòd homines ſaluentur *auxiliis non aliqua ſubminiſtratione virtutis, ſed viribus propriæ voluntatis.* Si ergo adiungantur his verbis, illa S. Auguſt. in eod. argum relata, videlicet, *quòd per ſubminiſtrationem Spiritus ſancti pertinet ad concupiſcentias, tentationéſque vincendas*, conſtabit, gratiam datam per ſubminiſtrationem Spiritus idem ſignificare, quod gratia ſubminiſtrans virtutem ad concupiſcentias & tentationes vincendas. Illuminatio autem, ſeu doctrina ſola etiam interior & excitatio ſtupentis voluntatis, quam admiſit Pelagius, non tribuit vires voluntati ad mandata diuina implenda, quia ſolùm mouet eam ex parte obiecti, proponendo & docendo quid facere debeat. Vnde non pertinet ad eam gratiam, quæ per ſubminiſtrationem Spiritus datur. Poteſt hoc explicari aptiſſimo exemplo. Si enim aliquis dormiret, & ſimul etiam eſſet infirmus, & pedibus carens, ita vt nullam prorſus virtutem haberet ad ambulandum, & eſſet in magno periculo conſtitutus, quod niſi fugiendo non poſſet euadere: certè per hoc ſolum, quòd ab alio excitaretur à ſomno, & admoneretur periculi, vt fugeret, & currendo euaderet imminentem mortem, nullas vires ſubminiſtraret illi ad fugiendum, ſed eodem modo maneret impotens ad currendum quantum eſt ex parte virtutis greſſiuæ, ac ſi excitatus à ſomno, & edoctus de periculo nõ fuiſſet. Proportionabiliter ſentiendum eſt de illuminatione & excitatione interna ex parte obiecti, quam admiſit Pelagius, & hoc ſignificauit S. Aug. cùm dixit, Pelagium nunquam conceſſiſſe gratiam, *qua non ſolum poſſibilitas naturalis voluntatis & actionis, ſed ipſa etiam voluntas & actio ſubminiſtratione ſancti Spiritus adiuuatur.* Ex quibus verbis ſatis cõſtat, non quamcunque gratiam negaſſe Pelagium ſed eam, qua donatur nobis, vt bonũ, quod cognoſcimus, faciamus.

S. Aug. li. de gratia Chriſti contra Pelag. & Cœleſt. ca. 7 & 10

2. Cor. 3.

Ioan. 5.

S. Aug.

Sed contra hanc ſolutionem, eſt argumentum. XX. Sequitur quod gratia habitualis, & ſimiliter habitus charitatis non pertineat ad gratiam, quæ datur per ſubminiſtrationem Spiritus ſed ad legem, atque doctrinam. Sequela probatur: nam per huiuſmodi habitus non facit Deus, vt faciamus: neque operatur, vt operemur: cùm habitus non determinet potentiam ad operandum. Ergo ſi ſola gratia, per quã Deus donat, & facit vt faciamus, pertinet ad ſubminiſtrationem Spiritus: habitus gratiæ, & charitatis ad legem pertinebunt, atque doctrinam: & non ad gratiam, quæ datur per ſubminiſtrationẽ Spiritus.

Reſpondetur negado ſequelam. Quia per gratiã, & charitatẽ Spiritus ſanctus habitat in nobis, iuxta illud, quod Chriſtus Dominus per Ioannem ait: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum & ad eum veniemus, & manſionem apud eũ faciemus.* Licet ergo per ſolam gratiam habitualem, aut per charitatis habitum non faciat Deus, vt operemur, facit tamen, vt vitam habeamus ſpiritualem, & tribuit ſufficiens principium effectiuũ ſupernaturalis operationis. Nam per gratiã habitualem efficit nos filios Dei: per habituale verò charitatem, Dei amatores facit & ideo pertinent ad gratiã, quæ datur per ſubminiſtrationẽ Spiritus: illuminatio autẽ intellectus, atq; voluntatis excitatio, quam Pelagiani admiſerũt, nihil horũ efficit, nec tribuit vires voluntati, vt Diſp. 75. patebit, vnde non eſt ſimile.

Ioan. 14.

Gratia habitualis datur per ſubminiſtrationem Spiritus.

Secundò reſpondetur, quòd licèt habitus gratiæ & charitatis non determinent hominem ad piè operandum, in ipſa tamen infuſione gratiæ, & charitatis mouet Deus auxilio efficaci liberum eius arbitrium: vt conſentiat, & liberè cooperetur Deo, ſe diſponendo per proprium actum ad ſuam iuſtificationem, vt 1. 2. q. 113. art. 8. docet S. Th. Vnde gratia & charitas etiam habitualis non pertinent ad vetuſtatem literæ, ſiue ad legem & doctrinam: ſed ad iuſtificantem & renouantem Spiritum.

Ad confirmationem reſpond. concludere efficiter, ſententiam Pelagij implicare in dictis: qui, cùm aſſeruerit gratiam ſecundùm merita noſtra dari, veram deſtruxit rationem gratiæ, quam in illuminatione intellectus, & excitatione [illegible] voluntatis conſtituit, vt ſupra dictum eſt. Hanc vel conſimilem contradictionem in ſcriptis Pelagij ſanctus

Pelagij ſententia implicat in dictis.

Digitized by Google

ſanctus notauit Auguſtin. libro de gratia Chriſti, cap. 37. cùm dicit. *Iſtam ſanè*, ſcilicet epiſtolam ad Demetriadem, *legi, mihique perſuaſerat hanc illum gratiam, de qua quæſtio eſt, confiteri: quamuis in multis eius Opuſculis locis ſibi ipſi contradicere videretur.* Et cap. 31. eiuſdem libri, ait: *Quamlibet ſentiat gratiam, ipſis Chriſtianis ſecundum merita dari, dicit.* Et infrà: *Manifeſtum eſt, eum dicere gratiam ſecundum merita dari quamlibet eam, vel qualemlibet ſignificet, quam tamen aperte non exprimit:* ac ſi apertiùs diceret: Quamcunque gratiam conſtituat Pelagius, eam tandem deſtruit, cùm affirmet, illam ſecundùm merita noſtra dari.

XXI. Ad quartum reſpondetur, Pelagium nunquam negaſſe, neceſſarium eſſe ad actus ordinis naturalis, vt Deus tanquam auctor naturæ influat nobiſcum, quando volumus operari. Sed ſolùm negauit eſſe neceſſarium Dei adiutorium, quo operatur vt operemur: quoniam exiſtimauit deſtrui libertatem arbitrij, ſi homo nihil poteſt operari, niſi præmouente, & præoperante Deo. Optimè ſiquidem nouerat Pelagius, quòd ſi adiutorium Dei, & concurſus illius ordine naturæ poſterior eſſet arbitrij creati determinatione; ita videlicet, vt iſta cauſalis vera eſſet; quia homo operatur, Deus cooperatur: non læderetur eiuſdem arbitrij libertas. Ex verbis autem adductis S. Hieronymi ſolùm concluditur, Pelagium negaſſe, eſſe neceſſarium ad actus noſtros adiutorium: quo Deus in nobis, atque nobiſcum, vt operemur, operatur. Quod ex ipſo contextu manifeſtè colligitur, præſertim in verbis adductis in dicto ſexto: ex eo enim calumniabantur Pelagiani Hieronymum, & Auguſtinum: quia dicebant omnia bona opera noſtra ad Deum eſſe referenda, videlicet, tanquam ad primum auctorem & fontem, à quo primò & principaliter dependent, & quia prædicabant hominem nihil poſſe facere, niſi Deus in illo ſua dona compleuerit, vt patet ex illis Pelagianorum verbis apud S. Hieronymum: *Quid rurſum te ingeris, vt nihil poſſim facere, niſi tu in me tua dona compleueris?* Quibus ſanè verbis illud Dei adiutorium de medio tollere conabantur, quo Deus virtutem operatiuam creati arbitrij complet eam mouendo, & applicando ad exercitium actus, de qua in diſput. 8. & quatuor ſequentibus agendum erit ex profeſſo. Quod etiam deſignant illa verba ſancti Hieronymi in eadem epiſt. vbi ait: *Ita enim gratiam ponunt*, ſcilicet Pelagiani, *vt non per ſingula opera eius iuuemur, & regamur auxilio.* Et iterum: *Iniurium tibi fieri putas, & deſtrui arbitrij libertatem, ſi ad Deum ſemper auctorem recurras: ſi ex illius pendeas voluntate, & dicas.* Oculi mei ſemper ad Dominum, quoniam ipſe euellet de laqueo pedes meos? *Vnde & audes lingua proferre temeraria vnumquemque arbitrio ſuo regi: Et ſi ſuo arbitrio regitur, vbi eſt auxilium Dei? ſi Chriſto Ecclere non indiget, quomodo ſcribit Ieremias*, Non eſt in homine via eius? & à Domino greſſus hominis diriguntur? Ex quibus patet, Pelagium non negaſſe, concurſum ſimultaneum primæ cauſæ eſſe ad ea, quæ facimus, neceſſarium: ſed negaſſe duntaxat præuium adiutorium Dei eſſe ad ſingulos actus noſtros neceſſarium, nempe directionem, & gubernationem Dei, illam videlicet, quam petit Eccleſia, cùm dicit: *Dirigere, & ſanctificare regere, & gubernare dignare, Domine Deus, Rex cæli, & terræ, hodie corda, & corpora noſtra, ſenſus, ſermones, & actus noſtros in lege tua, & in operibus mandatorum tuorum, vt hic, & in æternum (te auxiliante) ſeru per ſalui, & liberi eſſe mereamur.* Arbitrabatur enim iniuriam fieri libero arbitrio, ſi non à ſeipſo, ſed à Domino, & regeretur, & gubernaretur. Vnde multi viri docti, & in doctrina S. Auguſtini eruditiſſimi, inter quos eſt Caſpar Caſalius Conimbricenſis, qui ſacro Concilio Tridentino interfuit, *lib. 1 de quadripart. Iuſtitiæ, c. 36.* expreſsè fatentur, Pelagium nunquam negaſſe generalem Dei influentiam. Verba Caſalij ſunt hæc: *Pelagius non negabat generalem influxum.* Et paulò infrà: *Confitebatur quidem Pelagius gratiam creationis, in hominibus humanam naturam, humanam voluntatem, & generalem Dei influxum communem omnibus agentibus.* Et poſt pauca: *Nunquid negauit generalem influxum eſſe neceſſarium hominibus ad bene operandum? Non ſcitur hactenus, nec creditur de ipſo: non enim ſic ſapere potuit, niſi prius deſiperet. Quomodo poteſt operari cauſa ſecunda ſine concurſu cauſa prima?* Dato etiam, & nõ conceſſo, quòd Pelagius non admiſerit concurſum Dei generalem, dubitari tamen non poteſt, admiſſo concurſum, ſeu adiutorium Dei ſubſequens ad determinationem creatæ voluntatis, vt conſtat ex S. Aug. locis n. 11. huius diſputationis adductis. Vnde in lib. Enchirid. ad Laurent. c. 31. clarè ſupponit, Pelagianos ſentiſſe *propterea dictum eſſe, non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei: quia ex utroque fit, id eſt, ex voluntate hominis, & miſericordia Dei, &c. Tanquam diceretur, non ſufficit ſola voluntas hominis, ſi non ſit etiam miſericordia Dei.* Et S. Doctor eodem loco contendit, aliquid ampliùs eſſe tribuendum gratiæ, de quo diſp. 97. præſertim n. 6. agendum eſt, vbi verba S. Auguſt. latius expendemus.

Pelagius conceſſit concurſum Dei generalem ad actus naturales, non tamen præuium.

Hiero. in eadem epiſt.

Pſal. 24.

Ierem. 10. Pſal. 24.

Caſalius.

Habentur in bibliotheca S. Patrum, tom. 4.

DISPVTATIO II.

Quam gratiam tanquam neceſſariam ad ſalutem admiſerint Semipelagiani, & in quo eorum ſententia cum errore conueniat Pelagianorum, vel ab eo diſcedat.

OMMVNIS error Semipelagianorum (vt nonnulli recentiores Theologi bene adnotarunt) in hoc conſiſtit, quòd licèt contra Pelagium faterentur, gratiam Dei eſſe neceſſariam ad opera ſanctitatis præſtanda, & gloriam promerendam, & obtinendam diſpoſitionem conuenientem ad remiſſionem peccati; aliquod tamen initium ſalutis reſeruarunt libero arbitrio: vt propria ſalus ſit in poteſtate hominis conſtituta. Et ideo dicebant, neceſſarium eſſe, vt homo incipiat per aliquem bonum motum, quem Deus poſtea promoueat, & perficiat: & ita in hoc bono motu conſtituebant primam cauſam ſalutis ex parte noſtra: eámque dicebant eſſe meritum omnis gratiæ ſupernaturalis. De quo autem merito id intellexerint, ex ipſiſmet eorum verbis patebit infra. Aſſerebant etiam, fidem, ſaltem quantum ad eius initium, non eſſe donum Dei: ſed eſſe in nobis ex nobis, & propter illam reddi à Deo cætera dona, quæ ſunt ad ſalutem neceſſaria, vt ex epiſtolis Proſperi, & Hilarij ad S. Auguſt. conſtat, & ex eodem Auguſtino in libro de prædeſtinatione Sanctorum, & de dono perſeuerantiæ, vbi reſpondens epiſtolis Proſperi & Hilarij, probat ex profeſſo euidentiſſimis ſactarum literarum teſtimoniis, nedum fidem perfectam, ſed etiam fidem inchoatam, & quodcumque initium illius ex Deo eſſe, atque ex præuenientis gratiæ auxilio. Sed vt ad particularia deſcendamus, & explicemus quouſque Maſſilienſes in confeſſione gratiæ peruenerint: & quam gratiam vltra illam S. Aug. neceſſariò eſſe confitendam contenderint: obſeruandum eſt, ducem Semipelagianorum fuiſſe Fauſtum Regienſem Epiſcopum, cuius

erro

, errores refert, & impugnat Maxentius in responsione ad epistol. Hormisdæ Papæ: vbi asserit libros Fausti esse hæreticos, & acriter eos reprehendit, qui tales libros defendunt vt Catholicos: & præsertim Episcopum quendam Africanum, qui dicebatur professor. Et Gelasius Papa in cap. *Sancta Romana Ecclesia* 15. *distinct.* Fausti Regiensis Gallicanum Opuscula connumerat inter apocrypha. Vnde Petrus Diaconus apud Fulgentium de Incarnatio. & gratia Domini nostri Iesu Christi. cap 8. in fine ait: *Quorum omnium sanctorum Patrum imbuti doctrinis, anathematizamus Pelagium & Cœlestium, simulque etiam Iulianum Eclanensem, & qui illius similia sapiunt: præcipue libros Fausti Gallicanorum Episcopi, qui de monasterio Lyrinensi profectus est, quos contra prædestinationis sententiam scriptos esse non dubium est. In quibus non solum contra doctrinam horum sanctorum Patrum* (id est, Augustini & discipulorum eius) *verum etiam contra ipsius Apostoli contradictionem veniens, humano labori subiungit gratiæ adiutorium.* Vnde non sunt audiendi, qui Faustum inter Patres referunt, cum non inter Patres: sed inter hostes gratiæ Christi sit computandus. Suam Faustus explicuit sententiam circa necessitatem gratiæ, & naturales vires nostri arbitrij in duobus libris de libero arbitrio, quos in lucem edidit, & habentur in Bibliotheca sanctorum Patrum, vbi qui voluerit, poterit fusius explicatam eius sententiam perlegere.

Petrus Diaconus.

Bibliotheca SS. Patrum tom. 4. in.

II. Cassianus etiam in suis scriptis, sed præsertim collat. 13. per totum eorundem Semipelagianorum sententiam tradit, & quamplurima eorum dicta constituit. Eius doctrinam refert, & impugnat S. Prosper in libro quem contra Collatorem composuit: vbi quamplurimis Scripturæ testimoniis, firmissimis, & acutissimis rationibus, & verbis elegantissimis ostendit, qualiter Cassianus, & aliæ reliquiæ Pelagianæ hæretis, dum ab errore Pelagij se longè discedere proclamarent, in illum tàdem inciderint. Collatoris nomen Cassianus, à collationibus Patrum, quas conscripsit, sortitus est. Igitur ex libris Fausti Regiensis, & Cassiani, quid & ipsi, & Semipelagiani senserint, haurire debemus: & sensum legitimum, in quo damnata est eorum doctrina, ex scriptis Prosperi, & Maxentij colligere: ac denique ex S. Patre Augustino, qui Spiritu diuino potiùs, quàm humana industria, & Pelagianorum, & Semipelagianorum, errorem penetrauit, detexit, impugnauit, expugnauit, & in extirpatione minus pestiferæ hæresis plurimùm laborauit. Vnde scribens ad Innocentium: *Non agitur*, inquit, *de vno Pelagio, qui iam fortasse correptus est, quod vtinam ita sit, sed tam multis, quibus loquaciter contendentibus, & infirmas atque inerudítas animas, velut conuictas trahentibus: firmas autem, & in fide stabiles ipsa contentione fatigantibus vsque quaque iam plena sunt omnia.* Vt autem clarè, & distincte procedamus, colligenda sunt imprimis ex libris Fausti eius dicta, quibus suam mentem aperuit, deinde Cassiani dicta ex eius pariter scriptis colligemus: vt tandem manifestum fiat, in quo Semipelagiani inter se, & cum Pelagio consenserint: & in quo vnus ab alio, aut etiam a suo capite Pelagio dissenserint.

August. epist. 95. ad Innoc. paulò post princ. tom. 2.

Error Fausti circa naturalem facultatem liberi arbitrij, & necessitatem gratiæ explicatur.

III. VT notauit Sixtus Senensis, Faustus contra doctrinam sancti Augustini, eius nomine suppresso, libros de libero arbitrio conscripsit, quod etiam

Sixtus Sen. li. 6. Biblist. Sanct. annot. 252.

A non obscurè docet Petrus Diaconus loco superius allegato. Et in primis, vt ab errore Pelagij longè discedere videretur, blasphemam illius redarguit sententiam asserentis, quod ad obtinendam salutem naturæ hominis sola sibi sufficiat: *Ego*, inquit, *arbitror, quod libertas arbitrij sibi sola sufficere absque præsidio gratiæ non potuerit, etiam antequam primi illius transgressio violaret. Quomodo verò nunc potest sibi sola sufficere, ad cuius arrogantiam dicitur*: Quia sine me nihil potestis facere: *Ad cuius præsumptionem diuinus sermo dirigitur*: Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam? *Quod vtique elationi sine gratia perficere denegatur, humilitati verò cum gratia implere conceditur.* Vnde Maxentius in responsione ad epistolam Hormisdæ, Maxent.

E eiusdem Fausti calliditatem obseruans, ait: *Refutans namque callide eiusdem Pelagij sensum, & quasi exprobrans, quòd omnino Christi negauerit gratiam, necnon & illos, qui nullis præcedentibus meritis iuxta Apostolum gratiam Dei hominibus dari fatentur: ipse quasi sapientissimus, & prudentissimus nouus nouæ prauitatis Apostolus, gratiam Dei secundum merita fidei, & laboris dari mutuat edocere: vt iam sic Dei gratia non sit gratia.*

Fausl. lib. 1. de lib. arbit. cap. 1.

Ioan. 15. Psal. 126.

IV.

Dicit secundò, non esse totum tribuendum gratiæ, sed aliquid labori humano relinquendum: contendebat enim, conatibus & labori humano gratiæ donum esse subiungendum, concedi a Deo petentibus, quærentibus, ac pulsantibus. Verba Fausti sunt

Ead. li. c. 1. in princ.

C *Hoc itaque loco gemini inter se colluctantur errores, quorum vnus solum gratiam, alter solum laborem, velicito tramite, atque mensura veritatis, insinuat, sectarum genere dispares: sed impietate consimiles, diuerso quidem studio, sed spiritu vnius serpentis insibilant. Quorum vnus, id est, solius gratiæ prædicator, prima quidem fronte venenum suum sub specie pietatis occultat. Alter, id est, laboris assertor, protinus extantem tumorem improba elatione manifestat. Hac professio insinuando solum laborem, ipso sui titulo detestanda, illa magis sub religioso colore metuenda est.* Et circa finem eiusdem capitis subdit *Aderito contra huius arrogantiæ præsumptionem sermo diuinus vim suæ auctoritatis, vel increpationis exseruit.* Nemo, *inquit*, venit ad me, nisi Pater traxerit eum. Ioan. 6. *Et iterum*: Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Rom. 9. *Quod meritò ad se dictum esse reputabit,*

D *qui salutem suam cum Pelagio propria in voluntate, ac virtute constituit: quod vtique illi obiici non necesse est, qui non de solo labore præsumit: sed conatibus suis quotidianam Dei misericordiam, & ingem gratiam implorandam esse cognouit, & auxilium Domini pernigili obsecratione deposcit.* Et capite quarto & quinto, eos impugnat, qui totum inquiunt solius esse gratiæ; & ipse fatetur, gratiam esse omnibus necessariam: sic tamen, vt ei vigilantiæ humanæ studium per omnia iudicemus adiungi. Idem docet capite sexto, & capite decimo: Ex quibus verbis constat Faustum sensisse quod naturæ conatus gratiam præuenientem præueniant: quibus libero arbitrio iugem Dei gratiam implorat, petit, desiderat. Quod etiá constat ex Concilij Arausicani can. 6. vbi cõtra hùc Fausti, & aliorũ Semipelagianorũ errorẽ diffinitur: *Si quis, sine gratia Dei, credentibus, volentibus, desiderantibus, & expulsantibus nobis misericordiam dicit conferri diuinitùs: non autem, vt credamus, velimus, vel hæc omnia (sicut oportet) agere valeamus, &c. aut humilitati, aut obedientiæ humanæ subiungit gratiæ adiutorium: nec vt obedientes, & humiles simus, ipsius gratiæ donum esse consentit, resistit Apostolo dicenti*: Quid habes quod non accepisti? &, Gratia Dei sum id quod sum. 1 Cor. 4. ibid. cap. 15.

Totum esse tribuendum gratiæ, negauit Faustus

Dicit tertiò, gratiam, & liberum arbitrium pariter sociari in his, quæ pertinent ad salutem, gratiamque esse comitem, non præuiã humanorũ meritorum. Gratiam, & lib. arb. pariter sociari

Digitized by Google

in opere imperfectionis, dicit Fauſtus.

torum. Ita dicit Fauſtus lib. 1. cit. cap. 5. vbi explicans illud Rom. 4. *Si enim Abraham ex operibus iuſtificatus eſt, habet gloriam: ſed non apud Deum.* Et illud 1. ad Corinth. 3. *Vnuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem*, inquit: *Iuxta Catholicam regulam opera legis euacuantur, quæ ſecundum literam ſunt, & ea, quæ poſt gratiam (comitante gratia) gerenda ſunt aſſeruntur.* Quibus verbis concedit, gratiam comitem, & cap. 12. concedit gratiam cooperantem. Sed ſpecialiter hoc dictum explicat Fauſtus cap. 17. eiuſdem libri, ſub his verbis: *Et ita ſe duo ſibi ita coniungunt, attrahentis virtus, & obedientis affectus: quomodo ſi ager aliquis aſſurgere conetur, & facultas animum non ſequatur: & propterea ſibi porrigi dexteram deprecetur: Clamat voluntas, quia ſola per ſe eleuari neſcit infirmitas: ita Dominus inuitat volentem, attrahit deſiderantem, erigit adnitentem.* Et lib. 2. cap. 4. explicans illud 2. ad Timoth. 7. *Laborantem agri olam oportet de fructibus accipere: Ecce* inquit, *quomodo ſibi admirabili commercio diuina & humana ſociantur; ad obedientiam pertinet labor, fructus verò laboris ad gratiam.* Vnde Maxentius in reſponſ. ad epiſt. Hormiſdæ Papæ, errorem Fauſti referens, ait: *Nam cùm nemo obediat, ſine laborare, niſi volens nemo velit, niſi ſcierit quid ei conueniat laborare: iſte poſt ſcientiam & voluntatem, ſeu obedientiam, humano labori adiungit gratiæ adiutorium: vt videlicet, gratia & labor humanus (cuius poſſibilitatem non per eandem gratiam, ſed naturaliter ineſſe omnibus aſſeris, pariter ſociari) reliqua perficiam opera: & hoc quidem ſe pollicetur defendere.* Et S. Proſper in epiſt. ad Auguſt. Pelagianæ hæreſeos reliquias commemorans, hoc dictum tertium illis tribuit, cùm ait: *Nec conſiderant ſe gratiam Dei, quam comitem, non præuiam humanorum voluntatum eſſe meritorum, etiam illis voluntatibus ſubdere, quas ab ea, ſecundum ſuam phantaſiam non negant eſſe præuentas.* Pro intelligentia huius dicti eſt aduertendum, quòd cùm Fauſtus dicit, gratiam eſſe comitem, non præuiam humanorum meritorum, loquitur manifeſtè de gratia efficaci, non autem de excitante, & illuminante: hanc enim concedit præcedere opus meritorium, & alia pietatis opera, vt ex ſequenti dicto erit perſpicuum. Dixi *pietatis opera*: nam fidem, viribus naturæ, ſicut & alij Semipelagiani, tribuebat, vt ex Auguſt. lib. de prædeſtinatione Sanctorum conſtat, & ex iis, quæ in dicto 12. ſubiicimus; cuius merito, liberum arbitrium priora auxilia gratiæ impetrare fatebantur. De quo autem merito id intelligerent, inferius erit explicandum.

Rom. 11.

Fauſtus admiſit gratiã præuiã excitantem, & negauit efficacem.

VI. Dicit quartò, quòd ad opera meritoria vitæ æternæ, & ad humanam ſalutem requiritur gratia præueniens: quam S. Auguſtin. libr. de corrept. & gratia, cap. 11. vocat adiutorium, ſine quo res non fit. Conſtat hoc, nam lib. 1. cit. cap. 1. inquit: *Ego arbitror, quòd libertas arbitrij ſibi ſola ſufficere ſine præſidio gratiæ non potuerit, etiam antequam primi legum illius tranſgreſſio violaret. Quomodo verò nunc poteſt ſibi ſola ſufficere ad cuius arrogantiam dicitur:* Quia ſine me nihil poteſtis facere? *Ad cuius præſumptionem diuinus ſermo dirigitur:* Niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam? *Quod vtique elationi ſine gratia perficere denegatur, humilitati cum gratia implere conceditur.* Et cap. 11. ſubdit: *Qui verò vel initium operis ſibi præſumit arrogare, vel finem, ad illum meritò dicitur:* Niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam. Et cap. 14. per totum idipſum docet, inter alia inquiens: *Aſſerit Propheta, voluntatis propriæ facultatem, de ſemetipſo dicens:* Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas; *ſed nihil de ſolis viribus eius intelligit præſumendum, cùm proclamat ad Deum:* Inclina, *inquit*, cor meum in teſtimonia tua, & non in auaritiam. Quod autem iſtam gratiam in illuminatione intellectus, & excitatione voluntatis conſtituat, patebit ex dicto 5. Hinc eſt, quòd S. Auguſtin. de Semipelagianis loquens, & hoc quartum dictum illis tribuens, ait: *Peruenerunt autem iſti fratres noſtri, pro quibus ſollicita eſt pia charitas veſtra, vt credant cum Eccleſia Chriſti peccato primi hominis obnoxium naſci genus humanum: nec ab iſto malo, niſi per iuſtitiam ſecundi hominis aliquem liberari. Peruenerunt etiam, vt præueniri voluntates hominum Dei gratia fateantur: atque vt ad nullum opus bonum, vel incipiendum, vel perficiendum, ſibi quemquam ſufficere poſſe contendant. Retenta ergo iſta, in quæ peruenerunt plurimum eos a Pelagianorum errore diſcernunt.* Quod & S. Proſper epiſt. ad Auguſt. notauit, cùm dixit: *Quidam verò horum intantum à Pelagianis ſemitis non declinant, vt cùm ad confitendam eam Chriſti gratiam, quæ omnia præueniat merita humana, cogantur, ne ſi meritis reddatur, fruſtra gratia nominetur, &c.* Ex quibus verbis ſatis conſtat, Semipelagianos admittere tanquam neceſſariam, nedum ad perficiendum: ſed etiam ad incipiendum bona opera aliquam gratiam præuenientem. Verum eſt, quòd ad fidem nullam gratiam poſuerunt tanquam neceſſariam, cùm ſenſerint, fidem non eſſe donum Dei: ſed eſſe in nobis ex nobis, vt patebit infrà.

Aug. lib. de præd. S. c. 1.

S. Proſper.

Dicit quintò, gratia, quæ præuenit humanas voluntates, &c, qua illuminatur a Deo intellectus, & voluntas excitatur & ratione huius illuminationis, fateatur eſſe totum imputandum gratiæ: *Pro eo verò, inquit, quod totum ad auctorem gratiæ referendum eſt, legimus: Qui docet hominem ſcientiam, vel,* Dominus illuminat cæcos. *& iterum*, Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte. *&*, Beatus homo, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum. Et iterum ait: *Quid eſt autem attrahere, niſi prædicare, niſi ſcripturam conſolationibus excitare, increpationibus deterrere, deſideranda proponere, intentare metuenda, iudicium comminari, præmium pollicere. Audi Dominum, non duris nexibus, ſed manibus attrahentem, & dilectionis brachiis inuitantem: ſicut ait Propheta:* Attraxi eos in vinculis charitatis. *& illud*, Poſt te in odorem vnguentorum curremus, *& ideo dicit:* Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos; *ne ullus ſe excuſare poſſit excluſus, qui conuincitur inuitatus.* Hinc eſt, quòd cap. 11. eiuſdem primi libri docet, initium, & finem boni operis, Deo eſſe attribuenda: quia, videlicet, ipſe incipit, illuminando intellectum, & excitando voluntatem. Explicans enim illud Pſalm. 126. *Niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam, inquit: Sed inter hæc cùm vſque ad omnium malorum tolerantiam, vitæque tacturam laborare debeat famulus: ad Dominum tamen ſemper eſt referendus laboris effectus: qui verò vel initium operis ſibi præſumit arrogare, vel finem, ad illum meritò dicitur:* Niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam. Et libr. 2. capit. 6. explicans illud ad Roman. 9. *Non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt*, inquit, *Cùm ergo audis, ex vocante dictum eſt, inuitantem intellige, non cogentem:* id eſt efficaciter mouentem: putabat enim, hoc ſine coactione voluntatis fieri non poſſe. Quia verò ſuperiùs dixerat, gratiam, & liberum arbitrium pariter ſociata noſtram perficere ſalutem: ne quis exiſtimaret, per hanc doctrinam inferri præiudicium gratiæ diuinæ, ſubiungit ſequens dictum.

Fauſtus lib. 1. de lib. arb. c. 12.

Pſal. 93.

Pſal. 145.

Pſal. 12.

Pſal 93

Cap. 17. eiuſdem lib.

Oſee 11.

Cant. 1.

Matth. 11.

Pſal 126.

VII.

Sextum dictum, Primas partes ſoli gratiæ in opere noſtræ ſalutis debemus tribuere: ita dicit libr. 1. cap. 6. vbi explicans illud 1. ad Corinth. 15. *Gratia Dei ſum id quod ſum, &c.* inquit, *Primas partes ſoli gratiæ pie ſubiectus adſcripſit, media quaque labori magiſter*

VIII.

Pſal. 118.

Pſal. 126.

giſterobedientiæ deputauit. Et cap. 9. inquit, *Nunc iſta dicentes, non laborem gratiæ coaquamus: ſed omnino gratiam ſine comparatione præponimus.* Vnde Maxentius: *Sed gratia*, inquit, *cui hoc loco Fauſtus primas partes tribuit, non eam, quæ per Spiritum ſanctum ſit, vt verbum Dei foris ſecus intonanti aſſenſum præbeamus, & obedientes efficiamur: ſed prædicationem diuinorum aſſerit el quorum: vt videl cet gratiæ ſit quòd nobis diuina eloquia prædicantur: noſtrum autem ſit, vt eidem prædicationi conſentiamus.*

Maxentius in reſponſ ad epiſt. Hormiſd.

IX. Dicit ſeptimò, Deus expectat voluntatem noſtram, vt purgari velimus, & currere: nam libro 1. cap. 7. in fin. *Fidem*, inquit, *expellat à paruulis: opera etiam cum fide à confirmatis requirit.* Et cap. 10. *Si non eſt*, inquit, *voluntas expectanda currentis, quare ergo dicitur, Ego igitur ſic curro, non quaſi in incertum?* & iterum: *Curſum conſummaui, fidem ſeruaui.* Et cap. 11. *Cæterum ſicut ab homine indefeſſa ſeruitutis expectanda deuotio eſt, ita operis conſummati, Domino eſt deputanda perfectio.* Et cap. 19. ſubdit: *Porrò prorſus iuſtitiæ per ſe effectum non peragit, quia voluntatem eius, qui eſt purgandus, expectat.* Et lib. 2. de lib. arb. cap. 10. *Inuitus homini ponus à mundationis imponit, qui remedium ſatisfactionis offendit, & ſedulæ obſequium ſeruitutis expectat.* In quo autem ſenſu intellexerit Fauſtus, Deum expectare noſtram voluntatem, vt purgari velimus, diſ. 95 patebit.

1. Cor 9. d. 26
2. Timo. 4.

X. Octauò, admittit eſſe neceſſariam ad ſalutem gratiam comitem, quam variis nominibus explicat: aliquando eam, cooperantem gratiam: aliquando, gratiæ adiutorium, appellans. Ita dicit libro 1. de lib. arb. cap. 5. vbi ait: *Verùm iuxta Catholicam regulam, opera legis enacuantur, quæ ſecundùm literam ſunt, & eaquæ poſt gratiam comitante gratia, gerenda ſunt, aſſeruntur.* Et cap. 11. ait: *Quòd Deus præcepta diuina, per laboriоſæ ſeruitutis officia, gratia cooperante ſeruantibus, regnũ cæleſte promiſit.* Et cap. 12. *Nam cùm homo per gratiam eſſe cœperit vas electionis & honoris, inuigilandum eſt, vt acceptus honor, diuina cooperatione ſeruetur.* Et paulò inferiùs: *Et quoties homo ad meliora (deterioribus repudiatis) gratia iuuante, conuertitur, toties de vaſe contumeliæ, vas honoris efficitur.* Et paulò antè præmiſerat: *Oſtendamus vas contumeliæ, an vas honoris, adiutorio Dei, & ſtudio ſuo poſſe tranſire.* Et lib. 2. cap. 4. in fine, ſic concludit. *Tu verò diuinæ ne inuideas bonitati, ſi ſepus, quod à me (illo adiuuante) bene geſtum eſt, vel etiam accepta perdiderim.* Et cap. 10. explicans illud Rom. 9. *Non volentis, neque currentis, &c. Hic*, inquit, *euidenter eum notat, & arguit, qui ſolum ſe ſibi ſufficere ſine manu adiuuantis, exiſtimat.* Et circa finem inquit. *Quin potius cooperante adiutorio etiam ſuo opere ſit dignus, & cum bona conſcientia beatus.*

XI. Nonò dicit, ad Deum pertinere quòd vocemur: ad hominem verò, quòd obediat, quòd quærat, quòd petat, quòd pulſet. Explicans enim illud ad Hebr. 11. *Et inquirentibus ſe remunerator: Quam bene*, inquit, *& Domini officium coniunxit & famuli: dicendo, & inquirentibus ſe remunerator ſit: ſicut enim ad Deum largitio remunerandi, ita ad hominem deuotio reſpicit inquirendi.* Et cap. 10. circa finem ait: *Orantibus, & vigilantibus, miſericordia benignitate ſuccurritur: quæ vtique pulſantibus magis ex deuotione, quàm ex prædeſtinatione defertur.* Et iterum ait: *Nam ſicut ſui criminis eſt, quod longè pij parentis refugit oculos; ita ſuæ eſt deuotionis, quod per inſitum ſibi bonum deliberans & aſſurgens, ad paternos recurrit amplexus.* Et alio in loco docet eſſe inſita homini bonæ voluntatis ſeminа: quod probat ex illo, *Si volueris mandata conſeruabunt te.* Et cap. 16. inquit: *Nam Deum, quolibet tempore, qui quæſiuit, inuenit, & qui inuenire non viſus eſt, non quæſiuit.* Et cap. 17. ſubdit: *Ita Dominus*

Fauſtus li. 1. de lib arb. c. 7.

Ead. lib. cap. 12.

Cap 13. in prin. Eccleſ. 15 ca 16.

innitat volentem, attrahit deſiderantem, erigit adnitentem. Et ideo, ſicut gratia eſt, quòd attrahitur: ita obedientia probatur eſſe, quod ſequitur. Volens ſanè non gratiæ diuinæ, niſi quatenus inuitauit ſed noſtrum tantùm eſſe, quod ſequimur. Et poſt pauca: *Sed is, quem perſpicis attrahentem, requirit omnimodis præcepta ſeruãtem: vt per quandam voluntatis anſulam comprehendi, & attrahi valeat, qui vocatur: quòd ſi cum putas attrahere nolentes, cæleſti iuſtitiæ iniquitatis pondus imponis.* Et cap. 19. *Sicut Dei eſt, vt prouocans ad hortetur: ita obedientis hominis reſeruatum eſt, vt ſequatur.* Et lib. 2 cap. 28. explicans illud Mat. 10. *Quid tibi vis faciam?* Et Ioann. 5. *Vis ſanus fieri?* ait: *Vides quia non tribuitur munus ſalutis, niſi prius interrogetur deſiderium voluntatis: ſed & cum venitur ad baptiſmũ, prius accedentis voluntas inquiritur, vt regenerantis gratia ſubſequatur. Et in Cornelio Centurione, quia præceſſit voluntas gratiam, ideo præuenit & gratia regenerationem:* Et poſt pauca: *De Dei bonitate eſt, quòd vocatur: de ſua propria voluntate, quod promptus obſequitur.* Et cap. 9. explicans illud Matth. 7. *Quærite & inuenietis*, inquit: *Cum enim mens humana, ad viã dum, aperit oculos, ſtatim ſe deſideranti quæſita lux ingerit.* Et cap. 10. explicans illud Pſalm. 69. *Deus in adiutorium meum intende*, ait: *Ipſum ergo adiutory vocabulum laborantis requiſiti eſt enim? Auxilium; itaque ſerme duo inuitat, qui eſt amentem, & cooperantem petentem, & promittentem poſſe autem, & aperientem quærentem pariter, & retribuentem. Hoc ſolum noſtrum eſt, vt qui profligatæ tuæ vitæ non ſumus, ſaltem quærentes, & pulſandis importunitate placeamus.* Et poſt pauca: *Niſi fuerit obedientia præuiſa, deuotio gratiæ vtique non habitat: ſimulque ſe recumbunt emendantis eſt, ſi honoretur cuius, remunerari ingratus.*

XII. Decimò dicit, quòd homo poteſt ex facultate naturæ credere, ita vt fides ſit meritoria ex nobis, perfecto autem illum ex Deo. Explicans enim illud, *Quia mater ſeruæ minori: In ſeruire*, inquit, *ſtudet arrogantia reprobatur: in iuniore fides Gentilis eligitur.* Et cap. 7. explicans illud ad Eph. 2. *Gratia ſalui facti eſtis per fidem*, inquit, *Tempus gratiæ, quo redempti ſumus. merita hominum non expectauit, opera pœnitus non quæſiuit, ſola Dei pietas noſtra deuotione contentus eſt, ſecundùm illud Apoſtoli: Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam.* Et in fine eiuſdem cap. *Fidem*, inquit, *expectat à paruulis, opera etiam cum fide confirmatis requirit: ita tamen, vt credulitatis affectum proficientibus augeat: & laborãtibus adiutor quotidianus aſſiſtat.* Hanc eandem conſummationem virtutis gratiæ deputat libro 1 cap. 11. cum ait: *Cæterum ſicut ab homine indefeſſa ſeruitutis expectanda deuotio eſt, ita operis conſummati Deo eſt deputanda perfectio.* Et libr. 2. cap. 6. in fine: *Vides, bonum credulitatis non nouellum eſſe priuilegium, ſed vetuſtum: & inter ipſa mundi coaleſcentis exordia mentem hominis, ſicuti intellectu, & ratione, ita etiam fide, à ſummo auctore dotatam.* Et cap 8. inquit: *Vnde obſiciitur incredulitas, niſi quia in promptu fuit credendi facultas? Liberi itaque arbitrij ratio facit, vt remuneretur credens, & dãnetur incredulus.* Et Maxentius in reſponſione ad epiſtolam Hormiſdæ, hunc errorem tribuit Fauſto, & adducit verba illius ex lib. 1. cap. 15. vbi agens Fauſtus contra eos, qui non generale, ſed ſpeciale aſſerunt donum eſſe credulitatis, ita inter cætera loquitur: *Sed dicet*, inquit, *quia non omnibus detur, ſed donum ſit perſonale credulitas, & illis tantum credere ſuppetat, quibus Deus ſpecialiter donauit, vt crederent; non ita eſt. Nondum eam Dominus etiam ab incredulis exigit, omnibus eam inſertam eſſe demonſtrat. Cui autem etiam ipſa [illegible] non ſuppetat credere? quando & dæmones [illegible] contremiſcunt?* Quibus verbis ex eo quod [illegible] fidem eſſe in nobis, ex nobis: nam abſque vlla prior-

Maxentius in reſponſ ad epiſt. Hormiſd.

Cap. 19. in fine.

Act 10.

Rom. 4.

Iacob. 2.

ſus auxilio gratiæ, dæmones credunt, & contremiſcunt. Sed hanc probationem eſſe inanem, ex eo conſtat: quia (vt docet ſanctus Thomas) *fides dæmonum non eſt fides laudabilis, ſed coacta, ex euidentia ſignorum*: neque innititur reuelationi Diuinæ tanquam rationi formali credendi ex pia affectione voluntatis. Vnde non eſt vera fides, ſicut eſt fides Chriſtiana, cuius initium, quodcunque illud ſit, tribuendum eſt gratiæ diuinæ, vt Diſp. 49. manifeſtum fiet.

S. Th. 2. 2. q. 5 art. 2.

XIII. Vndecimò conſtituit quædam in natura bonæ voluntatis ſemina, cùm ait: *Inter hæc ſollicitè nobis apud hæreticos requirendum eſt, Virum homo bonum non poſſit, an nolit inſita homini bona ſemina voluntatis, quod euidenter aſſignat, ita dicens: Si volueris mandata ſeruare, conſeruabunt te.* Et poſt pauca: *Videmus ergo & in bonam, & in contrariam partem poſſe humanæ mentis tranſire conſenſum.* Et iterum ait: *Sicut omni homini manum, oculum, greſſumque donauit: ita ſimiliter omni homini voluntatem, vt eam in quamlibet partem verſaret, indulſit. Iuſtitia ergo in homine non perſonale, ſed generale, & publicum Dei munus eſt, aditus capeſſendæ ſalutis.* Hæc tamen bonæ voluntatis ſemina, quæ in natura conſtituit, per Dei gratiam perfici, & conſummari docet, vt ex locis adductis dicto præcedenti patet.

Lib. 1. c. 13. in princ. Eccleſ. 15.

Eodem lib. c. 10.

XIV. Duodecimò dicit: Facienti quod in ſe eſt ex viribus naturæ, credendo, petendo, quærendo, pulſando, diuinis præceptis obtemperando, Deus confert gratiam ſuam & miſericordiam. Colligitur hoc manifeſtè ex his, quæ dicit lib. 1. c. 15. vbi explicans illud ad Rom. 9. *Miſerebor cui voluero*, ait: *Hac loquutio ita intelligenda eſt: Miſerebor cui voluero, id eſt, quem iuſtum eſſe cogneuero: cuius promptam fidem videro: quem præceptis meis obedire perſpexero: què meam facere probauero voluntatem.* Et c. 16. *Nam Deum quolibet tempore, qui quæſiuit inuenit: & qui inueniſſe non viſus eſt, non quæſiuit.* Et lib. 2. cap. 8. inquit, *In Centurione Cornelio, quia præceſſit voluntas gratiam, ita præuenit & gratia regenerationem.* Et capit. 19. explicans illud Matth. 7. *Quærite & inuenietis*, inquit: *Cùm enim mens humana ad videndum oculos aperuerit, ſtatim ſe deſideranti quæſita lux ingerit.*

Act. 10.

XV. Hanc autem aſſertionem ita moderatur, vt dicat, laborem hominis & bona opera auxilia gratiæ antecedentia non eſſe meritoria eiuſdem gratiæ, ita dicit lib. 1. cap. 17. *Sed ante omnia arrogantiam laboris refugiamus, nec nobis quicquam de eius meritis vindicemus: ne Phariſæum imitari mortifera inſtantiæ præſumptione videamur. Nam cùm ille orans indubitanter verum diceret*: Ieiuno bis in ſabbato, decimas do omnium, quæ poſſideo, euacuauit veri fidem, *quia veritati miſcuit vanitatem: non ergo operatio, ſed cordis elatio declinanda eſt.* Eandem moderationem adhibet Caſſianus, vt patebit infrà n. 26. & 28.

Luc 18.

Item 6.

XVI. Decimotertiò dicit: Neminem Deus prædeſtinauit, aut reprobauit antecedenter ad præſcientiam boni, vel mali vſus creati arbitrij, aliàs induceretur fatalis neceſſitas, & tolleretur arbitrij libertas: eſſetque Deus iniuſtus. In hac aſſertione eſt perpetuus Fauſtus, & eam ſtatuit, ac ſæpius repetit tanquam præcipuum fundamentum ſuæ ſententiæ. Etenim lib. 1. de gratia & humanæ mentis arbitrio, cap. 4. in fine, inquit: *Quomodo ſi ſub prælato mentiti cinis habitu, ſubito hoſtis appareat, aut ſi ſe inimici doloſa ſubtilitas transfiguret in Angelum lucis; ita ſub pietatis fronte, gentilitatis manum, & intra gratia vocabulum, abſconaitum erat fatale decretum. Si ergo vnus ad vitam, alter ad perditionem (vt aſſerunt) deputatus eſt: ſicut quidam Sanctorum dixit, non iudicandi naſcimur, ſed iudicati: neque vlla ſibi iuxta hæc poterit æquitas conſtare iudicij: Nam ſi nihil Deus famulo dedit, à famulo*

A *qui repoſcit?* Et cap. 9. *Neque enim in vnam partem trahit prædeſtinatio, vbi vtriuſque partis defertur electio.* Et cap. 10. explicans illud: *Et tunc reddet vnicuique* Rom. 2. *ſecundum opera ſua*, inquit, *Aduerte, quia dum dicit ſecundum opera ſua, ſalutem hominis, non in prædeſtinatione factoris, ſed in operatione ſamulantis largitor gratia collocauit.* Et cap. 11. ſubdit: *Igitur dum liberi interemptor arbitrij in alterutram partem omnia ex prædeſtinatione ſtatuta, & definita eſſe pronunciat: etiam ſuprema remedia pœnitentiæ, ſenſu abruptæ impietatis, euacuat.* Et cap. 10. in fin. explicans illud, *Potens eſt* 1. Cor. 10. *enim Deus ſtatuere illum*, ait: *Aperte oſtendit ſtatum hominis in diuerſa, non pro conſtitutione Dei, ſed pro arbitrij libertate, poſſe verſari.* Et cap. 13. obiiciens contra ſuam ſententiam illud, *Miſerebor cui voluero*, ex quo B prædeſtinatio Dei, vèl prædefinitio prædicta colligitur, inquit, locum illum eſſe intelligendum: *Miſerebor* Rom. 9. *cui voluero, id eſt, quem iuſtum eſſe cogneuero.* Quibus verbis manifeſtè præſupponit, præſcientiam boni vſus liberi arbitrij ante decretum, quo Deus ſtatuit hominem ſaluare. Et cap. 16. ſubdit: *Si quemadmodum abrupta blaſphemat impietas, alij ad mortem prædordinati, alij prædeſtinati videntur ad vitam: nullam Chriſtus veniendi cauſam, nullam moriendi, quam pietas eius inuenit, habuit neceſſitatem. Nouum ergo remedium nihil agere potuit, ſi ante ſæcula res humanas definitio vetuſta præfixit.* Et libro 2. capit. 2. in principio, ait: *Præſcientiam, & prædeſtinationem Dei male intelligunt, aſtruentes, quod inde humanorum actuum cauſa naſcatur.* Et poſt pauca: *Sed reuoluat, &* C *dicis, Præſcientia, & prædeſtinatio humanorum actuum, & meritorum præfixit, & excitat cauſas. Non ita eſt, magis de origine voluntatis humanæ genus præſcientiæ deriuatur.* Et paucis interiectis: *Sed adhuc dicis, quia opera ac voluntates hominum de natu, & impulſu præſcientiæ cæleſtis incipiãt. Non ita eſt, hoc potius agnoſce, quòd præſcientia Dei de materia humanorum actuum ſumat exordium. Quid de nobis præſcire, ac præordinare debeat Deus, quantum pertinet ad futurum, in profectu hominis, defectuque conſiſtit.* Et cap. tertio, poſt multa verba, in quibus docet præſcientiam futuri conſenſus, prædeſtinationem prætedere, concludit: *Ac ſic niſi præſcientia explorauerit, prædeſtinatio nihil decernit.* Et capite ſexto, explicans illud: *Vt ſecundum ele-* Rom. 9. *ctionem propoſitum Dei maneret, non ex operibus, ſed* D *ex vocante dictum eſt*, &c. Impietatem Gentilicam vocat eorum ſententiam, qui aſſerunt, Deum ita vnum eligere, & alium reprobare: vt inter duos perditos nulla conſideratio laboris, nulla deuotionis habeatur. Et poſt pauca, loquens de diuerſitate electorum, & reproborum, inquit: *in qua tamen partium diuerſitate multi, & de Iudæis reprobis eliguntur, & de electis gentibus reprobantur: vt intelligas in vtroque populo iuſtum iudicem non decreta obſeruare, ſed merita.*

XVII. Fauſtus negauit prædefinitionem bonorum actuum.

Sed dicis: *Cùm adhuc non egiſſent aliquid boni, aut mali, iam præfinitis partibus deputantur. Quid mirum, ſi quorum actus præuidit, eorum exitus præſignauit? & ideo ſicut eos curſum viuendi pro arbitrio proprio diſpoſituros eſſe conſtabat: ita pro Dei potentia præoſcuntur* E *pro iuſtitia præordinantur: hoc totum de eis prædicitur, non præfinitur.* Et capite ſeptimo eiuſdem libri in fine, ſic concludit: *Illud ergo, quod aſſeris, ſpeciale decretum excluditur per generale iudicium.* Vnde ſanctus Proſper epiſtola ad Auguſtinum hanc ſententiam Semipelagianis adſcribit, cum ait: *Hæc enim ipſorum definitio, ac profeſſio eſt: Omnem quidem hominem (Adam peccante) peccaſſe, & neminem per opera ſua, ſed per Dei gratiam regeneratione ſaluari. Vniuerſis tamen hominibus propitiationem, quæ eſt in Sacramento ſanguinis Chriſti, ſine exceptione eſſe propoſitam: vt quicunque ad Fidem, & ad Baptiſmum accedere voluerint,*

salui esse possint: qui autem crediturí sunt, quive in ea fide, quæ deinceps per Dei gratiam sint inuandi, manserí sunt, præscisse ante mundi constitutionem Deum, & eos prædestinasse in regnum suum, quos gratis vocatos, dignos futuros electione, & de hac vita bono fine excessuros esse præuiderit. Et post pauca: *Remoueri itaque omnem industriam, tolliquè virtutes, si Dei constitutio humanas præueniat voluntates: & sub hoc prædestinationis nomine fatalem quandam induci necessitatem: aut diuersarum naturarum dici Dominum conditorem, si nemo aliud possit esse, quàm factus sit.*

Error Cassiani circa necessitatem gratiæ, & vires naturales nostri arbitrij aperitur.

XVIII. ANTEQVAM dicta Cassiani subiiciamus, aduertere oportet, ipsum in collat. 13. Abbatis Cheremonis, mentem eiusdem Abbatis aperuisse circa gratiam, & liberum arbitrium. Cuius sententiam, quia non reprobat eam, visus est sequi: ac propterea S. Prosper in libro quem contra Collatorem composuit, cum vehementer impugnat, & à Pelagianorum semitis non discedere euidentissimis demonstrat argumentis ex Scriptura sacra, & Augustini scriptis, depromptis. Vnde & Gelasius Pontifex *distinct. 15. cap. Sancta Romana*, Ioannis Cassiani librum, & qui appellatur, Pastoris, inter apocrypha numerat. Et Doctores Louanienses, qui in doctrina Augustini sunt eruditissimi, adnotationes quasdam, & censuram in varia dicta Cassiani subiecerunt, in fine impressionis Antuerpiæ 1578.

Cassian. collat 13. c. 12. in princ.

Est ergo primum dictum Cassiani: Homo in natura lapsa habet naturale iudicium ad cognoscendum bonum & malum, & naturalem facultatem ad vtrumque amplectendum. Verba eius sunt: *Nec enim talem Deus hominem fecisse credendus est, qui nec velit vnquam, nec possit bonum: aliquin nec ei liberum permisit arbitrium, si ei tantummodo malum vt velit, & possit. bonum verò à semetipso, nec velle, nec posse, concessit.* Et post pauca, probat non amisisse genus humanum, post prauaricationem Adæ, scientiam boni: ex illo ad Rom. 2. *Cùm enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, &c.* Ait enim: *Concepit ergo Adam post prauaricationem, quam non habuerat scientiam mali: boni verò quam acceperat, scientiam non amisit. Denique non amisisse humanum genus post prauaricationem, scientiam boni, etiam Apostoli sententia euidentissimè declaratur, qua dicit:* Cùm enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt. Et paulò inferius subdit. *Denique vt possibilitatem hic esse signares, increpans Pharisæos:* Quid autem, inquit, etiam ex vobis ipsis non iudicatis, quod æquum sit? *Quod vtique eis non dixisset, nisi eos iudicio naturali id quod æquum est, scisset posse discernere. Vnde cauendum est nobis, ne ita ad Deum omnia Sanctorum merita referamus, vt nisi quod malum, atque peruersum est, naturæ adscribamus humanæ.* Et paucis interiectis, inquit: *Manet in homine liberum semper arbitrium, quo gratiam Dei possit, vel negligere, vel amare.*

Rom. 2.

Luc. 12.

XIX. Dicit secundò, hominem habere naturaliter quædam virtutum semina, quæ tamen, nisi per gratiam ad perfectionem peruenire non possunt:

Cap. 12. eius. *Dubitari ergo*, inquit, *non potest, ineſſe quidem omni animæ naturaliter virtutum semina, beneficio creatoris inserta: sed nisi hac opitulatione Dei fuerint excitata, ad incrementum perfectionis non poterunt peruenire,*

1. Cor. 13. *quia secundum Apostolum*: Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat: sed qui incrementum dat Deus. Et cap. 8. *Quia cum in nobis Deus ortum quendam bonæ voluntatis inspexerit, illuminat eam confestim, atque confortat, & incitat ad salutem: incrementum tribuens ei, quam vel ipse plantauit, vel nostro conatu viderit emersisse.*

XX. Dicit tertiò, hominem posse ex sola facultate liberi arbitrij habere charitatem. Colligitur hæc assertio ex eius dictis, collat. 13. cap. 14. vbi explicans illud Deuteron. 13. *Tentat te Dominus Deus tuus, vt palam fiat, vtrum diligas eum in toto corde tuo, & in tota anima tua, an non*, inquit: *Sed vtique nec tentari eos iustitia Domini permisisset, nisi parem in eis scisset inesse resistendi virtutem, qua possent æquitatis indicio in vtroque merito, vel rei, vel laudabiles indicari.* *Secundùm 70.*

B Idem colligitur ex capite decimo, vbi fatetur, inesse omni animæ naturaliter virtutum semina, in quibus etiam comprehendit charitatem, cùm absolutè loquatur de virtutibus. Vnde sanctus Prosper hoc dictum tribuit Cassiano, cùm ait: *Et tanta est, secundum ipsum, liberi arbitrij, vel incolumitas, vel facultas, vt charitatem, qua in omnium arce virtutum est, non ex Dei munere: sed ex sola habeat voluntate.* De quo Disp. 51. agendum est. *S. Prosp. lib. cont. collat. cap. 30.*

XXI. Dicit quartò, quòd homo in natura lapsa sufficientes vires habeat ad resistendum tentationibus etiam grauioribus, & superandas quascunque difficultates. Ita dicit collat. 13. capit. 14. vbi loquens de tentationibus Iob, quæ grauissimæ fuerunt, inquit. *Impugnatur hoc dictum disp. 54.*

C *Sed cùm nullam eiusmodi querimoniam calumniosus hostis post confectum audeat iterare, non Dei, sed illum se victum viribus confitetur. Licet etiam gratia Dei non in totum illi defuisse credenda sit, quæ tantam tentatori tentandi tribuit potestatem, quantam & illum resistendi nouerat habere virtutem, non eum ab illius impugnatione sic protegens, vt nullum virtuti humanæ relinqueret locum.* Et paucis interiectis: *Et quid eos necesse est vel tentari, quos ita infirmos nouit ac fragiles, vt nequaquam virtute sua valeant resistere tentatori? Sed vtique nec tentari eos iustitia Domini permisisset, nisi parem in eis resistendi scisset inesse virtutem: qua possent æquitatis indicio in vtroque merito vel rei, vel laudabiles indicari.* Et collat. 7. cap. 7. Germano dicenti: *Resisti illis* (scilicet tentationibus terribilibus aduersariorum) *ab hac præsertim fragili carne impossibile credemus, nisi ad hanc opinionem, vestris sententiis, velut cælestibus animaremur oraculis.* Respondet capite 8. eiusdem collat. *Quamobrem sicut in illis est impugnationis copia, ita & in nobis virtus respuendi, sine acquiescendi libertas est attributa.* Vnde capite decimoquarto, explicat illud: *Fidelis autem Deus, qui non permittet vos tentari supra id, quod potestis*, de potestate resistendi tentationibus ex facultate naturæ: ait enim, *Fidelis autem Deus, qui non permittet vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione & exitu, vt sustinere possitis*: *Cum enim dicit, qui stat videat ne cadat, sollicitam reddit arbitrij libertatem, quam vtique nouerat perceptæ gratiæ, vel stare per industriam, vel cadere per negligentiam posse.* Et post pauca. Fidelis autem Deus, qui non permittet vos tentari supra id, quod potestis: *Non vtique optat, ne eos Dominus tentari permitteret, sed ne supra id, quod sustinere poterant, tentarentur. Illud enim in eis humani arbitrij facultatem: hoc vero Domini gratiam, tentationum luctamina moderantis, ostendit.* *D* *1. Cor. 10.* *1. Cor. 10. cap. 13.*

XXII. Dicit quintò, Deus expectat nostros conatus: & aliquando nos præuenit. Primam partem huius dicti expressis verbis tradit Cassianus collatione decimatertia, capite decimotertio, cùm ait: *Et ita semper gratia Dei nostro in bonam partem cooperatur arbitrio, atque in omnibus illud adiuuat, prosequitur ac defendit, vt nonnunquam etiam ab eo conflictum conatus bonæ* *Impugnatur hoc dictum disp. 95.*

Digitized by Google

bonæ voluntatis vel exigat, vel expectet: ne penitus dormienti, aut inerti otio dissoluto, sua dona conferre videatur: occasiones quodammodo quærens, quibus humanæ segnitiei torpore discusso, non irrationabilis munificentia sua largitas videatur. Et capite duodecimo inquit, *Expectat nos, cum dicitur per Prophetam: Propterea expectat Dominus vt misereatur nostri.*

Isa. 30. l. 18

Quòd autem aliquando Deus nos præueniat, affirmat eodem cap. 12 cùm ait: *Præuenit ergo hominis voluntatem misericordia Domini, de qua dicitur:* Deus meus misericordia eius præueniet me. *Et rursus Dominum remorantem, atque vtiliter quodammodo sui sistentem, vt nostrum experiatur arbitrium, voluntas præuenit nostra cum dicitur:* Et manè oratio mea præueniet te. Et cap. 17. docet, Deum quorundam quidem volentium, & sitientium cursum ad maiorem B inciture flagrantiam: quosdam verò etiam nolentes, inuitósque compellere. Et idem repetit cap. 18. vbi ait. *Et alios quidem volentes, currentésque susceperit: alios quidem nolentes, reniteniésque pertraxerit, & ad bonam cogere voluntatem.*

Psal. 58.

Isa. 37.

XXIII. Dicit sextò, non esse ita totum tribuendum gratiæ, quin aliqua laus, & industria seruanda sit libero arbitrio. Ait enim: *Nullius enim laudis esset, ac meriti, si id in eo Christus quod ipse donauerat, præstitisset, atque quin diuisset: Non deuitam fidem in Israel.* Hanc etiam assertionem tribuit Cassiano S. Prosper, cum ait: *Impius sensus, qui putat beatiorem esse hominem, cui Deus nihil dederit quam cui vniuersa contulerit.* Sed de hoc Disputat. 62. num. 6. & Disput. 97. num. 7. & C Disput. 100. agendum erit.

Collat. 13. c. 14.

Prosper libro cont. collat. dissert. 11.

XXIV. Dicit septimò, hominem ex facultate naturæ posse medicum quærere, & sanitatem desiderare: *Nec enim* inquit, *cum voluerit quis sanitate perfrui, aut de ægritudinis morbo, pro arbitrij sui desiderio, liberatur. Quid autem prodest sanitatis gratiam conseq. si, nisi Dominus, qui vitæ ipsius vsum tribuit, etiam vigorem incolumitatis impertiat?* Quæ verba sanctus Prosper impugnans, ait. *Doces ergo non posse hominem per semetipsum apprehendere sanitatem, sed habere eum à semetipso desuetum sanitatis, & sua tantum sponte venire ad medicum non etiam hoc ipsum medicum esse, quod venit.* Hoc dictum Disputation. 55. impugnabitur.

Ead. collat. c. 9. in fine.

S. Prosp. libr. cont. collat. cap. 8.

XXV. Dicit octauò, homini ex naturalibus conanti facere quod in se est, gratiam dari: qua Deus bonos conatus naturæ dirigit, confortat, & voluntatem incitat ad salutem. Ne autem cum Pelagio consentire videatur, sic illam assertionem temperat, vt dicat, conatus illos non esse meritorios gratiæ, nec semper necessarios. Et quidem quod homini conanti ex naturæ viribus detur gratia, affirmat collat. 13. cap. 8. cùm ait: *Qui cùm in nobis ortum quendam bonæ voluntatis conspexerit, illuminat eam confirmat, atque confortat, & incitat ad salutem incrementum tribuens ei quam vel ipse plantauit, vel nostro conatu viderit emersisse.* Et cap. 11. *Nam cùm videat nos Deus ad bonam velle defectione occurrit, dirigit, atque confortat:* ad vocem enim clamoris tui statim vt audierit, respondebit tibi

Isa. 30.

XXVI. Quòd autem illi conatus non sint meritorij gratiæ, asserit in cap. 16. eiusdem collationis statim in principio, cum inquit: *Nemo autem existimet, hæc à nobis ob hoc fuisse prolata, vt nitamur astruere, summam salutis in nostræ fidei ditione consistere secundum quorundam prophanam opinionem: qui totum libero arbitrio deputantes, gratiam Dei dispensari secundum meritum voluntatis indistincte defendant.* Et cap. 13. postquam dixerat nonnunquam Deum exigere, vel expectare quosdam conatus bonæ voluntatis, subdit: *Et nihilominus gratia Dei semper gratuita perseverat, dum exigit quibusdam, paruisque conatibus, tantam*

Dicit Alcuinus de auxilio dei

immortalitatis gloriam, tanta perennis beatitudinis dona inæstimabili tribuit largitate. Et post pauca: *Quantumlibet ergo enixa fuerit humana fragilitas, futuræ retributioni par esse non poterit: nec ita laboribus suis diuinam imminuit gratiam, vt non semper gratuita perseueret.*

A

Quòd verò conatus illi non sint semper necessarij, affirmat cap. 13. citato, inquiens: *Et ita semper gratia Dei nostro in bonam partem cooperatur arbitrio, atque in omnibus illud adiuuat, protegit, ac defendit: vt nonnunquam etiam ab eo quosdam conatus bonæ voluntatis vel exigat, vel expectet.* Nonnunquam (inquit non semper. Et cap. 17. *Per hæc igitur exempla, quæ de Euangelicis protulimus monumentis, euidentèr nos poterimus aduertere, diuersis atque innumeris modis, & inscrutabilibus viis Deum salutem humani generis procurare: & quorundam quidem volentium, & sitientium cursum ad maiorem inuitare flagrantiam: quosdam verò etiam nolentes, inuitósque compellere. Et nunc quidem, vt impleantur ea, quæ vtiliter à nobis desiderata perspexeris, adiuuare: nunc verò etiam ipsius sancti desiderij inspirare principia: vel initium boni operis, vel perseuerantiam condonare.* Dicens vtique: *Quorundam quidem volentium, & sitientium cursum ad maiorem inuitare flagrantiam: quosdam verò nolentes compellere*, satis indicat, præcedentes conatus bonæ voluntatis non semper esse necessarios, vt auxilium gratiæ homini conferatur.

XXVII.

Dicit nono, gratiam præuenientem pendere ex operibus naturæ, & eandem illam esse veram: quia initium bonæ voluntatis præbet homo, ideo Deus misereatur ei. Constat hoc ex collat. 13. capit. 11. in principio, vbi ait: *Et ita sunt hæc quodammodo indiscrete permixta atque confusa, vt quid ex quo pendeat inter multos magna quæstione voluatur, id est: Vtrùm, quia initium bonæ voluntatis præbuerimus, misereatur nostri Deus an quia Deus misereatur, consequamur bonæ voluntatis initium: multi enim singula hæc credentes, ac iusto amplius asserentes, ea vis sibique contrariis sunt erroribus inuoluti.* Et in discussu eiusdem collat. docet, aliquando quia initium bonæ voluntatis præbemus, misereatur nostri Deus: aliquando verò, quia Deus misereatur, consequimur bonæ voluntatis initium: Satis apertè indicans, quòd propter bonum illum vsum nostræ voluntatis, datur auxilium præuenientis gratiæ. Idem colligitur ex eadem collat. cap. 9. vbi de operibus naturæ præcedentibus gratiam, intelligit illud Apostoli: *Deus reddet vnicuique secundum opera eius.* Vnde S. Prosp. hanc assertionem tribuit Cassiano, cum ait: *Quomodo autem non auderis tenere illud damnatum inciderè, quod velis, nolis, conuinceris dicere, gratiam Dei secundum merita nostra dari, cum aliquid præcedere boni operis ex ipsis hominibus, propter quod gratiam consequantur, affirmas.* Hoc autem dictum, sicut & præcedens, ita temperat Cassianus, vt dicat, gratiam non dari propter bona illa opera, vt propter merita sed tanquam propter solam occasionem, vt patet ex lib. 12. institut. cap. 14. vbi ait: *Præstò est namque* (scilicet Deus) *occasione sibi tantummodo à nobis bonæ voluntatis oblata, ad hæc omnia conferenda.* Quibus verbis ab operibus naturæ omne meritum excludit tam de condigno, quàm de congruo: cùm dicat, illa opera solum esse occasionem, qua accepta, Deus conferat priora auxilia præuenientis gratiæ. Et expressè in eodem capite excludit meritum de condigno: nam inter alia inquit: *Dicimus enim secundum Saluatoris sententiam, dari quidem petentibus, & aperiri pulsantibus, & à quærentibus inueniri: sed petitionem & pulsationem & inquisitionem nostram non esse condignam: nisi misericordia Dei, id quod petimus, dederit.* Et hoc sensu, Semipelagianorum

Rom. 2. a S. Prosp. lib. 1. contr. collat. cap. 6.

B 2 erro

errorem Hilarius epiſtola ad Auguſtinum, intelexiſſe videtur, cùm refert ipſos aſſeruiſſe, *Nec negari gratiam, ſi præcedere dicatur talis voluntas, quæ tantum medicum quærat: non autem quicquam ipſa iam valeat.* In eodem ſenſu loquitur Concil. Arauſicanum, canone 6. *Si quis ſine gratia Dei credentibus, volentibus, deſiderantibus, & pulſantibus nobis miſericordiam dicit conferri.* Miſericordiam, inquit: nam Maſſilienſes fatebantur, auxilia præuenientis gratiæ adiuuantis dari ex miſericordia: non ex debito iuſtitiæ petentibus, quærentibus, pulſantibus ex facultate naturæ, licèt occaſione horum conatuum naturæ tribueretur à Deo.

Eundem fuiſſe Semipelagianorum ſenſum fatentur quidam Theologi recentiores ex illis, qui negant Deum actuali gratia adiuuante præmouere, applicare, ſeu prædeterminare efficaciter voluntatem creatam ad conſentiendum: quod confirmant auctoritate ſanctorum Patrum, præſertim Auguſt. libr. de præd. SS. capite ſecundo, dicentis, *Videte ſi aliud agitur, iſto modo, niſi vt gratia ſecundum merita noſtra detur quolibet modo, ac ſic gratia, non ſit gratia.* Vbi ponderant particulam illam, *quolibet modo*: nam ampliat meritum ad quemcunque modum meriti.

XXIX. Vltimò dicit, prædeſtinationem Dei eſſe generalem reſpectu omnium, & non gratuitam reſpectu aliquorum. Conſtat hoc ex collatio. 13. cap 7. vbi ait: *Cuius benignitas cum bonæ voluntatis quantulamcunque ſcintillam emicuiſſe proſpexerit: vel quam ipſe tanquam de dura ſilice noſtri corporis excuſſerit, confouet eam, & exſuſcitat: ſuaque inſpiratione confortans, vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Et poſt pauca: *Qui enim, vt pereat vnus ex puſillis non habet voluntatem, quomodo ſine ingenti ſacrilegio putandus eſt, non vniuerſaliter omnes: ſed quoſdam ſaluos fieri velle pro omnibus?* Alia, quæ pertinent ad errores Caſſiani, dicentur inferiùs in particularibus controuerſiis: nunc in communi hæc dicta ſufficiant de errore Pelagianorum, & Semipelagianorum. Ex quibus facilè poterit vnuſquiſque colligere, in quo Semipelagiani à Pelagianis differant: vel cum illis conueniant. Hoc vnum eſt in calce huius diſputationis notandum, quod Fauſtus, & Caſſianus (ſicut de Pelagio dictum eſt ſuprà) quamlibet vel qualemlibet præuenientem gratiam admiſerint: eam tandem re ipſa negauerunt, cùm aſſeruerint ſecundùm meritum Fidei nobis dari. Vnde Maxentius loquens contra Fauſtum, qui in ſuo libro promiſerat ſe probaturum contra Pelagium, gratiam non ſecundùm merita noſtra dari; inquit: *Poſtea autem immemor ſui promiſſi, totam plenius gratiam exacuare conuincitur.*

Fouere Deũ opera naturæ dixit Caſſianus.

Concil. Trident. damnati; notandum eſt, quòd (vt S. Thom obſeruauit) multi ex hæreticis, *dum aliquos errores vitare voluerunt, inciderunt in errores contrarios. Sic Arrius, dum vitare voluit errorem Sabellij confundentis S. Trinitatis perſonas, incidit in errorem contrarium: vt diuideret Deitatis Eſſentiam. Similiter Eutiches dum vitare voluit errorem Neſtorij diuidentis in Chriſto perſonam Dei & hominis: contrarium errorem inſtituit, vt confiteretur vnam eſſe Dei, & hominis naturam. Et dum aliqui vitare volunt Origenis errorem, ponentis omnes pœnas poſt mortem purgatorias eſſe: in contrarium prolabuntur errorem, vt dicant, nullam pœnam poſt mortem, purgatoriam eſſe.* Non diſſimiliter Pelagiani, vt ſua peſtifera dogmata ſimplicibus perſuaderent, ab errore Manichæorum ſe diſcedere confingebant, quaſi ſatis eſſet viro Catholico, vnam antiquam hæreſim impugnare; & non ſimul oporteret cauere à quaque alia extrema, & veritati Catholicæ (quæ in medio conſiſtit) inhærere. Sic denique Lutherani, & Caluiniani, dum ab hæreſi Pelagij recedere voluerunt, aſſerentis gratiam ſecundum merita noſtra dari, & per naturalem facultatem arbitrij poſſe hominem, quæ ad pietatem pertinent, operari: libertatem eiuſdem arbitrij creati cum Manichæis negauerunt; & conſequenter de medio omne meritum abſtulerunt clamantes, nihil poſſe hominem liberè operari: ſed liberum arbitrium eſſe rem de ſolo titulo, aut titulum ſine re. Quod & Concil. Senon. contra Lutherum celebratum, his verbis obſeruauit: *In errorem Manichæi incidit Lutherus, dum nimis anxiè & ſcrupulosè deuitat Pelagium, metuens namque liberum arbitrium cum Pelagio nimis efferre, omne bonum opus quod eſt in homine, Deo tribuit & diuinæ gratiæ, nihil prorſus libero arbitrio: ſicque tollens omnino liberum arbitrium Lutherus factus eſt Manichæus, dum refugit eſſe Pelagianus. Debuerat certè Lutherus ex Apoſtolo noſſe: ita neceſſariam eſſe diuinam gratiam ad operandum bene, vt cum ea tamen liberum arbitrium bonum opus efficiat.* Sicut ergo Lutherus deuitare volens Pelagium, de medio abſtulit liberum arbitrium: ita & Pelagius liberum arbitrium contra Manichæos ſtatuere volens, nullum gratiæ Chriſti locum reliquit. Vnde S. Aug. ad quandam epiſtolam Iuliani, & aliorum Pelagianorum reſpondens, qui prætextu defendendi libertatem arbitrij, gratiam Chriſti hoſtiliter impugnabant; *Quid opus eſt* (inquit) *ex quo que refellere, qua dogmatis eorum inſidioſa venena non continent? ſed tantum in auxilium ſuum, vel pro Catholica Fide contra Manichæorum (ſicut loquuntur) profanitatem conſenſionem Orientalium Epiſcoporum videntur expoſcere: nihil aliud nitentes, niſi vt horribili hæreſi obiecta, cuius ſe aduerſarios eſſe confingunt, lateant inimici gratiæ in laude naturæ. Quis enim eis hinc commouit aliquando queſtionem? aut cui Catholicorum propterea diſplicent, quia damnant eos, quos prædixit Apoſtolus receſſuros à fide, cauteriatâ habentes conſcientiam, prohibentes nubere: abſtinentes à cibis: quos mundos putant, nec putantes à Deo cuncta eſſe condita? Quis eos aliquando negare compulit, quòd omnis creatura Dei bona ſit, & nulla ſubſtantia ſit, quam non ſummus fecerit Deus, niſi ipſe Deus, qui non eſt ab aliquo factus: non iſta in eis, quæ conſtant eſſe catholica, reprehenduntur, atque damnantur. Impietatem quippe Manichæorum nimiam, ſtultam & noxiam, non ſolum Fides Catholica deteſtatur: verùm etiam hæretici omnes, qui non ſunt Manichæi. Vnde, & iſti Pelagiani hoc bene faciunt Manichæis anathema dicere, & eorum erroribus contradicere: ſed faciunt duo mala, quibus & ipſi anathematizandi ſunt. Vnum, quòd Catholicos Manichæorum nomine criminantur: alterum, quòd etiam ipſi hæreſim nouis erroris inducunt. Neque enim, quia Manichæorum*

Cõc. proui. Senon. celebratum anno Domini 1528. in præfatione Concily.

Aug. lib. 2. contr. duas epiſt. Pelag. c. 1. in prin. tom 7.

Pelagiani obiiciebant Aug. hæreſin Manichæor. 2. lib. 2.

DISPVTATIO III.

Quid olim Manichæi, & his temporibus Lutherani, & Caluiniani circa neceſſitatem gratiæ, & vires naturales noſtri arbitrij ſenſerint.

I. IN o explicatione huius difficultatis, & ne doctrina Catholicorum cum errore Manichæorum, Lutheranorum, vel Caluiniſtarum confundatur, ſed manifeſtum ſit, in quo dogmate hi hæretici fuerint, per Sacr.

rum morbo non laborant, propterea Fidei ſana ſunt. Non vnum peſtilentiæ eſt genus, quemadmodum in corporibus, ita & in mentibus. Sicut ergo medicus corporis non continùo pronunciaſſet à mortis periculo liberum, quem negaſſet hydropicum, ſi alio lethali morbo perſpexiſſet ægrotum: ita iſtis non ideo veritas gratulatur, quia Manichæi non ſunt, ſi alio peruerſitatis genere inſaniunt. Quapropter aliud eſt quod anathematizamus cum eis, aliud quod in eis. Deteſtamur enim cum eis, quod rectè diſplicet etiam ipſis, ita tamen, vt deteſtemur in eis, vnde rectè diſplicent ipſi. Et poſt pauca: *Deſinant igitur Pelagiani Catholicis obiectare, quod non ſunt, nec ideo ſe velint haberi amabiles, quia odioſo Manichæorum aduerſantur errori, ſed meritò ſe agnoſcant odibiles, quia ſuum non aduerſantur errorem. Poſſunt enim duo errores inter ſe eſſe contrarij, ſed ambo ſunt deteſtandi, quia ſunt ambo contrarij veritati. Nam ſi propterea diligendi ſunt Pelagiani, quia oderunt Manichæos: diligendi ſunt & Manichæi, quia oderunt Pelagianos. Sed abſit, vt Catholica Mater propter alterorum odium, alteros eligat amare, cùm monente, atque adiuuante Domino debeat vtroſque vitare, & cupiat vtroſque ſanare.* Vt ergo luce clariùs appareat, qualiter inter duos extremos errores, Pelagianorum videlicet, & Semipelagianorum ex vna parte: & Manichæorum, ac Lutheranorum, & Caluiniſtarum ex altera ſana, & Catholica doctrina procedat, lectori (vt arbitror) non erit ingratum, poſt errores Pelagianorum, & Semipelagianorum, quos in præcedēti diſputatione notauimus; Manichæorum & aliorum hæreticorum, qui illis adhæſerunt, aut eorum hæreſim tenuerunt, aſſerta ſubnectere.

Epiſt. lib. c. 2.

A

B

C

III. *Manichæus* (vt inquit S. Aug.) *à quodam Perſa exiſtimatur, qui vocabatur Manin, quamuis, & ipſum cum eius inſana doctrina cœpiſſet nomen prædicari: nam antea Vrbicus vocabatur. Sed in Gracia diſcipuli eius vitantes nomen inſaniæ, quaſi doctiores & eo ipſo mendaciores, geminauerunt litera, Mannichæum, quaſi manna fundentem: pro Manichæum, id eſt, inſano, appellauerunt.* Et ſcribens contra Fauſtum: *Iuratis* (inquit) *per dominum veſtrum Manichæum, qui Manes lingua patria vocabatur: ſed vos, vt apud Græcos inſaniæ nomen vitaretis, vélut declinato, & prolongato nomine, quaſi fuſione abdidiſtis, vbi amplius liberemini. Sic enim mihi quidam veſtrûm expoſuit, cur appellatus ſit Manichæus, vt ſcilicet in Græca lingua, tanquam manna fundere videretur: quia Græcè fundit χεῖ dicitur. Vnde quid egeritis neſcio, niſi vt expreſſius nobis ſomniare videremini inſaniam: neque enim addidiſtis in parte priore nominis vnam literam, vt agnoſceretur manna, ſed addidiſtis in poſteriore duas ſyllabas non appellantes Manem: ſed Manichæum, vt nihil aliud vobis, tam prolixis & vanis ſermonibus ſuis, niſi inſaniam fundere ſonaret.*

Auguſt. lib. de hæreſib. ad Quod. hæreſ. 46. tom. 6.

Lib. 19. cont. Fau. Manichæum, cap. 22.

D

IV. Iſti autem præter alſa fabuloſa quàm plurima, quæ ad præſentem cauſam non pertinent, quæ & S. Auguſt. *hæreſ. 46. citat.* ad longum refert, multa quæ cum Pelagianis conueniunt: alia, quæ Lutheranis, & Caluinianis patrauerunt viam, dogmata erronea aſſeruerunt.

Auguſt. lib. de hæreſibus ad Quodu. hæreſ. 46. to. 6.

E

Primò, Manichæus *duo principia inter ſe diuerſa atque aduerſa, eadémque æterna, & coæterna, hoc eſt, ſemper fuiſſe, compoſuit. duáſque naturas atque ſubſtantias, boni ſcilicet & mali, ſequentes alios antiquos hereticos, opinatus eſt. Quarum inter ſe pugnam, & commixtionem; & boni à malo purgationem, & boni, quod purgari non poterit, cum malo in æternam damnationem, ſecundùm ſua dogmata aſſeuerans: multa fabulatur quæ cuncta intexere huic operi nimis longum eſſet.*

Refert hoc Auguſt. lib. 1. retr. cap. 8.

Secundò, *Peccatores natura malos eſſe, & à malo principio productos: non autem eſſe malos proprij arbitrij libertate:* ita refert his verbis Auguſt. *Propter eos diſputatio illa, ſcilicet, de libero arbitrio ſuſcepta eſt, qui negant ex libero voluntatis arbitrio mali originem duci, & Deum (ſi ita eſt) Creatorem omnium naturarum culpandum eſſe intendunt. Eo modo volentes ſecundùm ſuæ impietatis errorem (Manichæi enim ſunt) immutabilem quandam, & Deo coæternam introducere mali naturam.* Contra iſtum errorem, cùm adhuc Romæ remoraretur, tres libros de libero arbitrio ſcripſit S. Auguſtin. *libro primo, retract. capit. 9.* ipſe teſtatur.

Auguſt. ead. hæreſ. 46. circa fin.

Tertiò, vt idē ſanctus refert, dixerunt Manichæi: *carnalem concupiſcentiam, qua caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, non ex vitiata in primo homine natura nobis ineſſe infirmitatem: ſed ſubſtantiam volunt eſſe contrariam, ſic nobis inhærentem: vt quando liberamur, & purgamur, ſeparetur à nobis, & in ſua natura ipſa, immortaliter viuat.*

Quartò, *Baptiſmum in aqua nihil cuiquam, perhibent, ſalutis aſſerre: nec quemquam eorum, quos decipiunt, baptizandum putant.*

Aug. ibid.

Quintò, Hominem malum non poſſe fieri bonum, nec bonum poſſe propria libertate fieri malum; ita refert Hieronymus, qui Manichæos inter alios hæreticos aſſeruiſſe commemorat: *Poſſe ad perfectionem, & non dicam, ad ſimilitudinem, ſed æqualitatem Dei, humanam virtutem & ſcientiam peruenire: ita vt aſſerant, ſe ne cogitatione quidem & ignorantia, cum ad perfectionis culmen aſcenderint poſſe peccare.*

S. Hieron. in prooem. dialogi aduerſus Pelag.

Sextò, hominem non eſſe liberi arbitrij: ſed cum omnia agere fatali neceſſitate. Ita refert Hieron. in proœmio citato, vbi ait. *Manichæorum eſſe, hominum damnare naturam, & liberum auferre arbitrium, & ad interiora Dei tollere.* Idem refert Auguſt. contra Fortunatum Manichæum, Chryſoſt. *hom. 45. in Ioan.* & Socrates *lib. 1. cap. 17.* Hæc ſunt, quæ ad noſtrum faciunt inſtitutum, quæ etiam, & alia quàm plurima in vnum colligit S. Auguſt. Manichæos conferens cum Pelagianis: & oſtendens Eccleſiam Catholicam, tam iſtos, quàm illos redarguere: & eorum erroribus, atque figmentis aduerſari, ait enim *Manichæi dicunt, Deum bonum non omnium naturarum eſſe Creatorem. Pelagiani dicunt, Deum non eſſe omnium atatum in hominibus Mundatorem, Saluatorem, Liberatorem. Catholica vtroſque redarguit; & contra Manichæos, defendens Dei creaturam, ne ab illo inſtituta negetur vlla creatura: & contra Pelagianos vt in omnibus ætatibus perdita requiratur humana natura. Manichæi carnis concupiſcentiam, non tanquam accidens vitium, ſed tanquam naturam ab æternitate malam vituperant. Pelagiani eam tanquam nullum vitium, ſed naturale ſit bonum inſuper laudāt. Catholica vtroſque redarguit. Manichæis dicens, non natura, ſed vitium eſt. Pelagianis dicens, non à Patre, ſed ex mundo eſt, vt eam velut malam valetudinem ſanari vtrique permittant, deſinendò illi, tanquam inſanabilem credere; iſti tanquam laudabilem prædicare. Manichæi negant, homini bono, ex libero arbitrio fuiſſe initium mali. Pelagiani dicunt, etiam hominem malum ſufficienter habere liberum arbitrium, ad faciendum præceptum bonum. Catholica vtroſque redarguit: & illis dicens*; fecit Deus hominē rectum: *& iſtis dicens*; ſi vos filius liberauerit, verè liberi eritis. *Manichæi dicunt, animam particulam Dei, naturæ malæ commixtione habere peccatum: Pelagiani dicunt, animam iuſtam non quidem particulam, ſed creaturā Dei, etiam in iſta corruptibili vita non habere peccatū. Catholica vtroſque redarguit: Manichæis dicens: aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum: aut facite arborem malam, & fructum eius malum. Quod non diceretur homini, qui naturam facere non poteſt, niſi quia peccatum non natura, ſed vitium eſt. Pelagianis dicens*; ſi dixerimus, quia peccatum non habemus, noſipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.

Aug. lib. 2. cont. duas epiſt. Pelag. c. 2. tom. 7.

Eccleſ. 7.

Ioan. 8.

Matth. 12.

1. Ioan. 1.

quit Ierem.) ſicut lutum in manu figuli: ita vos domus Iſrael in manu mea. *Quid obſecro, actiuitatis habet lutum quando figulus formam ei affingit? nónne mera paſſio ibi cernitur?* Et in alio loco ait: *Deus nihil præſcit contingenter: ſed omnia immutabili, & æterna infallibilique voluntate, & prænidet, & proponit, & facit.* Ex quo ſic infert: *Pugnat ergo ex diametro præſcientia Dei cum libero arbitrio.* Sed quam inualida ſit hæc illatio, qua & Pelagiani, & Lutherani decepti ſunt, patebit infrà, inter explicandam concordiam liberi arbitrij, cum abſoluto Dei decreto.

Lib. de ſerno arbit. contra Eraſmum.

Diſp. 22. & 121.

IX. Subſcribit Caluinus locis ſuperius allegatis, ſed præſertim lib. 2. inſtit. cap. 3. §. 7. cuius verba, nu. 17. referenda ſunt.

Eſt tamen differentia inter Lutherũ, & Caluinum: nam Lutherus aſſeruit liberum arbitrium nullam habere in bono opere interno actiuitatem: ſed concurrere merè paſſiuè, recipiendo motum à ſolo Deo productum, vt verba eius ſuperiùs adducta demonſtrant. Caluinus autem moderatus vtcunque errorem Lutheri fatetur, liberum noſtrum arbitrium non ſe habere merè paſſiuè tanquam inanime quoddam: ſed actiuè concurrere, & motu ſpontaneo ad ſuas operationes, non tamen libere. Vide lib. 2. inſtit. c. 5. §. 14. *Extranea eſt* (inquit) *illa ſimilitudo, qua nos inuidioſè grauat. Quis enim ita deſipit, vt hominis motionem à iactu lapidis nihil differre autumet? neque verò quicquam ſimile conſequitur ex noſtra doctrina. In naturales hominis facultates referimus approbare, reſpuere, velle, nolle, eniti, reſiſtere: nempe approbare vanitatem, reſpuere ſolidum bonum, velle malum, nolle bonum, eniti ad nequitiam, reſiſtere iuſtitiæ.*

X. Eundem errorem tenuit Philippus Melãchthon ad caput octauum epiſt. ad Rom. editionis 2. vbi impugnans liberum hominis arbitrium, ait: *Quia voluntas noſtra adeò non eſt libera, vt eò tantùm feratur, quorſum à Deo impellitur, non eſt rerum contingentia, ſed neceſſitas iuxta declinationem Dei.* Et lib. 2. locorum comm. cap. de lib. arb. ait: *Quid igitur, inquies? nullane eſt in rebus humanis contingentia? nihil caſus, nihil fortuna? Omnia neceſſario euenire Scripture docent, eſto videatur tibi in rebus humanis contingentia, iudicio rationis hic imperandum eſt*: & poſt pauca: *Qui potuit diſſimulare ſententiam Scripture de prædeſtinatione, quando voluntati noſtræ libertatem per prædeſtinationis neceſſitatem adimit Scriptura, &c. Si ad prædeſtinationem referas humanam voluntatem, neque in externis, neque in internis operibus eſt vlla libertas: ſed euenium omnia iuxta prædeſtinationem diuinam. Si ad opera externa referas voluntatem, quædam videtur eſſe iudicio naturæ libertas: ſed ſi ad effectus referas voluntatem, nulla planè libertas eſt, etiam naturæ iudicio.*

XI. Hæc hæreſis Lutheri, & Caluini negans liberum arbitrium, antiqua fuit plurium hæreticorum. Nam præter Manichæos ſuperiùs allegatos, Simon Magus (vt refert Clemens Roman.) nihil hominis arbitrio, ſed omnia fato fieri voluit. Priſcillianiſtæ (vt refert Leo Primus, & S. Auguſt.) Manichæorum dogmata ſectantes, aſtruunt, fatalibus ſtellis homines eſſe colligatos. Albigenſes denique (vt refert S. Anton.) aſſeruerunt, quòd peccatum non ſit de lib. arb. Ioannes Vvicleph. 2 dialog. cap. 13. *Deus (inquit) neceſſitate creaturas ſingulas actiuas ad quemlibet actum ſuum.* & 3. dialog. cap. 9. *Nunquid creatura poteſt impedire Dei determinationem? & veritatem æternam procedentem ex Dei propoſito facere, quod non erit? ac ſi ab illis penderet diuinum propoſitum, & veritas æterna.* Et poſt pauca: *Propoſitum Dei oportet neceſſario adimpleri, & ſic omne futurum euenict neceſſario.* Sed quàm fallaci, & leui argumentatione hi hæretici ex hoc principio, Deus prædeſtinauit, decreuit efficaci decreto, & præordinauit ab æterno, omnes actus bonos, qui fiunt in tempore, & ad eos eliciendos impellit, & mouet voluntatem creatam, deduxerint, eam in ſuis operationibus non eſſe re vera liberam, patebit inferiùs.

Clemẽs Ro. lib. 3. recognitionum. Leo Primus ep. 93. c. 12. Aug. lib. de hæreſibus, hæreſi 70. tom. 6. S. Anton. part. 4. tomi. 11. c. 7. §. 9. Diſp. 28. num. 10. Diſput. 22. num. 13.

Secunda hæreſis Lutheranorum affinis præcedenti, affirmat, nullum eſſe futurum contingens: ſed omnia ex neceſſitate abſoluta euenire. Conſtat hoc ex locis adductis, num. præcedenti. Sed expreſſe eam ſequuntur Philipp. Melanchthon lib. 2. locorum communium, de lib. arb. Theodorus Beza, in ſumm. Chriſtianiſmi, p. 171. 177. & 186. *Omnia* (inquiens) *ita neceſſario ex Dei immutabili decreto euenire, vt ſecundum illud, Iudas neceſſario Chriſtum prodiderit: Herodes, & Pilatus neceſſario Chriſtum condemnauerint: reprobi peccent neceſſario, & pereant, Adamus neceſſario lapſus ſit quamquam creatus quidem fuerit bonus ad tempus, ſed ita, vt ineuitabili decreto Dei, Deo ſciente, & ordinante laberetur: qui non potuerit ita labi, niſi ex Dei decreto, voluntate, & ordinatione.* Et in abſterſione calumniarum Heſnuſij, ad primam calumniam de prouidentia Dei: *Non omnia* (inquit) *tantùm ſed etiam ſingula ex Dei decreto fieri, & euenire: & quidem eiuſmodi decreto, vt falli nulla ratione poſſit. Iudas, ſi Dei decretum conſideremus, eo ipſo momento neceſſario Dominum prodidit, Herodes quoque, & Pilatus neceſſario Chriſtum condemnauerunt (ſicut inquiunt Apoſtoli) illos conuenieſſe, vt peragerent quæcunque manus, & conſilium Domini antè determinarat, vt fieret.* Et lib. de arcana Dei prædeſt. contra Caſtilionem, fol. 359. *Nos Adamum dicimus ſua quidem ſponte, & ſua culpa lapſum, non tamen fortuito, ſed prout diffinitum Dei conſilium, prouidentia, & manus iuſte determinarant, vt fierent.*

XII.

Act. 4.

XIII. Tertia hæreſis Lutheranorum aſſerit, Mandata Dei etiam per gratiam ſeruari non poſſe, ſed homini eſſe omnino impoſſibilia. Ita dicit Lutherus in confutatione Rat. Latomianæ. *Tot* (inquit) *Scriptura teſtimonia probant, mandatum eſſe impoſſibile nobis, vt nihil ſit manifeſtius.* Et in reſponſione ad dialog. Sylu. Prieratis. *Peſſimè facis, quod negas Saluatorem impoſſibilia inſiſſe, pluſquam peſſimè facis, quod hoc falſitatem audes appellare. Non poſſumus in hac vita mandata Dei adimplere.* Et Philippus Melanchthon ad cap. 4. epiſt. ad Rom. edit. 1. *Cùm mandat lex Deum diligi, perinde impoſſibilia iubet, atq; ſi præcipiat nobis tranſuolare Caucaſum.* Et Calu. in lib. 2. inſtitutione capite 7. *Sit extra controuerſiam, impoſſibile eſſe in hac carne legis implementum.* Denique Ioannes Monhæmius, dialog. 3. *Nemo* (ait) *quantumuis perfectus præſtare poteſt quod lex iubet.*

XIV. Quarta hæreſis Lutheranorum, eáque omnium impiiſſima, & blaſphema, affirmat, Deum eſſe cauſam, & auctorem peccati, atque mala opera in nobis; ita vt bona, operari: Lutherus enim ſic loquitur: *Quo modo poteſt ſeſe homo ad bonum præparare, cùm neque in poteſtate eius ſit, vias ſuas malas facere: nam, & mala opera in impiis operatur Deus, vt Prouerb. 16. dicitur: Omnia propter ſe ipſum operatus eſt Dominus, etiam impium, ad diem malum: quis audet negare ſe etiam in malis operibus ſæpe coactum, aliud facere, quàm cogitauerit? Et* alio in loco ait: *Si præſciuit Deus Iudam fore proditorem, neceſſariò Iudas fiebat proditor: nec erat in manu Iudæ, aut vllius creaturæ aliter facere: aut voluntatem mutare, licèt id fecerit volendo non coactus: ſed velle erat opus illius, quod omnipotentia ſua mouebat Deus, ſicut & omnia alia.*

Lutherus in aſſertionib. art. 36.

Libero de ſerno arb.

Eundem errorem ſecutus eſt Caluinus *lib. contra Pighium, & lib. 3. inſtitut. cap. 23. §. 7. & 8.* Philipp. Melanchton *ad cap. 8. ad Rom. edit. 1. & ad capit. 9. eiuſdem epiſt.* Zuinglius, *ſermone de prouidentia, ca. 6.* Quo etiam errore infecti fuerunt alij hæretici antiqui: ſed præſertim Marcion, qui (vt referunt Tertul-

Digitized by Google

Tertul. lib. 1. & 2. contra Marcionem. Iren. lib 1. cap. 29.

lianus, & Irenæus) asseruit Deum esse causam mali. Peræ similiter (vt refert Agathias, *lib. 2. cap. 13.*) cum Manichæis, duo & prima inducunt principia: alterum quidem vt bonum, & optima quæque parturiens: alterum quod penitus his aduersatur. Inter Philosophos antiquos non defuerunt eiusdem erroris auctores, nam Chrysippus Stoius (vt Plutarchus de Stoicis contrarietatibus refert) *Deus* inquit *bella, & malitias operatur, homines incitando, & peruertendo.* Simon Magus (vt inquit Vincent. Lyrinens.)

Vinc. Lyrinen. aduersus hæres. ca. 34.

Deum auctorem malorum, id est, scelerum, impietatum, flagitiorúmque nostrorum ausus est dicere, quippe quem asserit, talem manibus suis hominum creare naturam, quæ proprio quodam motu, & necessariæ cuiusdam voluntatis impulsu nihil aliud velit, nisi peccare.

XVI. Quinta hæresis eorum asserit quòd voluntas nostra, nisi per Dei gratiam flectatur, naturaliter est inclinata ad malum; ita Caluinus *lib. 2. institut. cap. 3. numero 8.* vbi ait: *Ex mera gratia est, vbi velle bonum incipimus: qui ad malum toto animo sumus naturaliter propensi.* Et *num. 9.* ex illis verbis Salomonis 1. *Reg. 8. Inclinet cor nostrum ad se Dominus*, concludit, *Pernicaciam cordis nostri ostendit, quod in legis diuinæ rebellionem naturaliter exultet, nisi flectatur.*

XVII. Sexta eorundem hæresis est, Deum ita inchoare, & perficere in nobis bonum opus mouendo liberum arbitrium, vt nostra voluntas non libere, sed solùm motu spontaneo motionem diuinam subsequendo cooperetur. Ita Caluinus *lib. 2. institut. cap. 3. §. 7.* vbi ait: *Sed erunt forte qui concedent, voluntatem à bono suopte ingenio auersam, sola Domini virtute conuerti: sic tamen, vt præparata suas deinde in agendo*

X *partes habeat, quemadmodum docet Augustinus. Omne bonum opus gratiam præcedere, & id comitante, non ducente, pedissequa non prauia voluntate: quod non male à sancto Viro dictum præpostere huc detorquet Petrus Lombardus. Ego autem, tam in Prophetæ verbis, quæ citaui, quàm in aliis locis clare duo signari contendo, quod & prauam nostram voluntatem corrigat Dominus: vel potius aboleat, & à seipso bonam submittat. Quatenus à gratia præuenitur, in eo, vt pedissequam appelles, tibi permitto, sed quia reformata opus est Domini, hoc perperam homini tribuitur, quòd gratia præuenienti pedissequa voluntate obsequatur. Ideo non rectè à Chrysostomo scriptum est, nec gratiam sine voluntate, nec voluntatem sine gratia quicquam posse operari: quasi verò non ipsam quoque voluntatem operetur gratia sicuti nuper ex Paulo vidimus.*

XVIII. Septima hæresis Lutheranorum affirmat, Gratiam Dei ita esse efficacem ex seipsa, vt nostra voluntas eidem non cooperetur libere, sed solùm spontaneè: vltro, & non coactè: ita Caluinus lib. 1. institut. cap. 3. num. 11. *Neque secus accipi sententia Christi potest*, Omnis qui audiuit à Patre meo, venit ad me, *quàm vt efficacem à seipsa Dei gratiam doceat, quemadmodum & Augustinus concedit.* Sic intellexerunt verba Caluini, qui contra illum scripserunt, præsertim,

Ioann. 6.

Stapleton.

Stapletonius in Promptuario Catholico, feria 6. Hebdom. 1. Quadragesimæ, num. 4. vbi ait: *Non est gratia ex seipsa efficax (vt Caluinus loquitur) qua sola totum operetur, & cum qua nos libere non cooperemur.* Vnde ipse Caluinus num. 12. inquit, *Nos ex quo semel Domini virtute in iustitia obsequium edomiti sumus, vltrò pergere, & propensos esse ad sequendum gratia actionem; est enim certissimum, vbi gratia Dei regnat, talem esse obsequendi promptitudinē.* Vltrò pergere inquit, non liberè, quia semper negauit voluntatem liberè sequi gratiæ efficacis motionem, & in hoc errauit Caluinus, non autem in eo, quòd præuenientem gratiam verè efficacem agnouit.

Hæc, & alia hæreticorum figmenta, & errores A Caluini, quibus se ab vnitate Ecclesiæ Catholicæ diuisit, confutabuntur infrà, præsertim disputatione 12. numero 31. disputatione 14. & 15. disputatione 97. num. 11. disputatione 98. num. 10. & disputatione 121. præcipue numero 10. vbi manifestum fiet decretum Dei æternum, & efficaciam præoperantis gratiæ diuinæ, nullo modo præiudicare libertati nostri arbitrij, sed eam potiùs perficere, stabilire, & roborare.

DISPVTATIO IV.

Quid nonnulli Doctores Catholici sentiant circa vires naturales liberi arbitrij, ac illius concordiam cum diuina præscientia, prouidentia, prædestinatione, & cum efficacia auxiliorum gratiæ.

Vbi discursus eiusdem concordiæ proponitur, & referuntur fundamenta, quibus innituntur cum præcipuis assertionibus, quas ex illis deducunt.

I. VATVOR sunt fundamenta potissima, quibus concordiam liberi arbitrij cum gratiæ donis, diuina præscientia, prouidentia, prædestinatione, & reprobatione quidam ex Theologis se exactè, atque dilucide explicasse arbitrantur, & per illam aperiri viam facilem, qua tam Pelagiani, quàm Lutherani ad vnitatem Ecclesiæ, & Fidei synceritatem possent peruenire. Neque dubitant, quin ab Augustino, & cæteris Patribus vnanimi consensu eadem concordia comprobata fuisset, si eis proposita esset, & explicata.

Primum fundamentum concordiæ quorundã Doctorum.

Primum, & potissimum fundamentum est, esse in Deo constituendam quandam scientiam mediam inter merè naturalem & merè liberam, per quam Deus ante omne decretum suæ voluntatis prædeterminantis actum futurum, cognoscat quid liberum arbitrium creatum ex sua innata libertate actu rum esset, si in talibus circunstantiis constitueretur, & tali excitatione moueretur. Dicunt enim, triplicem scientiam esse distinguendam in Deo. Vnam merè naturalem, quæ proinde nulla ratione potuit esse aliter in Deo, per quam ea omnia cognouit, ad quæ diuina potentia, siue immediatè, siue interuentu causarum secundarum sese extendit: tum quo ad naturas, singulorum, & complexiones eorum necessarias, tum etiam quo ad contingentes, non quidem quod futuræ essent, vel non essent determinatè: sed quod indifferenter esse, & non esse possent, quod eis necessario competit, atque adeò sub scientia Dei naturali etiam cadunt. Aliam merè liberam, qua Deus post liberum actum suæ voluntatis, absque hypothesi, & conditione aliqua, cognouit absolutè & determinatè ex complexionibus omnibus contingentibus, quænam re ipsa essent futuræ, quæ non item. Tertiam denique mediam scientiam, qua ex altissima, & inscrutabili comprehensione cuiusque liberi arbitrij, in sua essentia intuitus est, quid pro sua innata libertate, si in hoc, vel illo, vel etiam infinitis rerum ordinibus collocaretur, actu rum esset: cùm tamen posset (si vellet) facere re ipsa oppositum. Si autē inquiratur, an huiusmodi scientia media appellēda sit libera, vel naturalis, respondent:

partim

partim habere conditionem scientiæ naturalis, quatenus præuenit actum liberum voluntatis diuinæ, neque in potestate Dei fuit aliud scire: partim habere conditionem scientiæ liberæ, quatenus quòd sit vnius potius, quam alterius, habet ex eo, quòd liberum arbitrium ex hypothesi, quòd crearetur in vno, aut altero ordine rerum, esset potius facturum vnum, quam aliud: cùm vtrumuis indifferenter posset facere: ideoque non immeritò appellari scientiam mediam, quamuis alij ad scientiam simplicis intelligentiæ, alij ad scientiam visionis reducendam esse affirment: alij scientiam conditionatam, seu futurorum conditionatorum appellent, de qua in disp. 7. agendum est.

Ideo autem hanc scientiam mediam, tanquam potissimum eiusdem concordiæ fundamentum statuunt, vt ex illa veluti ex prima radice certitudo, & infallibilitas diuinæ prouidentiæ, & prædestinationis, quantum ad effectus assequutionem, desumatur. Cum enim doceant, prædestinationem non esse certam certitudine ordinis, & causalitatis mediorum, & auxilia, quibus prædestinati ad vitam æternam perueniunt, ex reali, & intrinseca virtute, quam habent (vt veniunt à Deo) non esse efficacia: sed dependenter a libera cooperatione arbitrij creati cum illis: si ex præscientia media eiusmodi certitudo radicaliter non desumeretur; nullum solidum relinqueretur fundamentum, cui prædestinationis infallibilitas inniteretur. Prædiffinitiones quippe, & prædeterminationes efficacis voluntatis diuinæ, atque existentiam, quam futura contingentia habent in æternitate, antequam in suo esse producantur in tempore, ex quibus Thomistæ dicunt, prædictam certitudinem desumendam esse; existimant repugnare libertati. Vnde concludunt, quòd sine scientia media arbitrij nostri libertas non potest salua consistere.

II. Primum corollariũ.

Ex quo inferunt. Primò, scientiam qua Deus, antequam statuat voluntatem creare, præuidet, quid sit factura ex hypothesi, quod in eo rerum ordine collocetur, pendere ex eo, quòd ipsa pro sua libertate hoc, vel illud sit factura, & non è contrario. Et consequenter affirmant, non propterea aliquid futurum esse quia Deus scit illud esse futurum: sed è contrario, quia futurum est per liberum arbitrium ideo scitur à Deo antequam fiat. Quod disputat. 16. examinandum est.

Secundũ corollariũ.

Inferunt secundò, certitudinem, & infallibilitatem præscientiæ diuinæ respectu futurorum cõtingentium non esse desumendam ex reali existentia quam habeant in æternitate, antequam in suo esse producantur in tempore: aut in alia quauis mensura propria. Arbitrantur enim, huiusmodi existentiam in æternitate, libertatem arbitrij de medio tollere, sed eorum argumentis disput. 8. & 9. fiet satis.

Tertium corollariũ.

Inferunt tertiò, actus futuros liberi arbitrij non cognosci certò, & infallibiliter à Deo in decreto, siue in prædeterminatione absoluta, & efficaci suæ diuinæ voluntatis; existimant enim eiusmodi prædeterminationem antecedentem præscientiam determinationis liberi arbitrij futuræ ex hypothesi, quòd constituatur in tali ordine rerum, multùm præiudicare libertati arbitrij. De quo in disput. 10. & 11. agendum est.

Quartum corollariũ.

Inferunt quartò, ordinem causarum, & mediorum, qui diuina prouidentia constitutus est: secluta præscientia media, nullam omnino necessitatem libero arbitrio adferre, non solùm consequentis, sed nec etiam consequentiæ: quod in disput. 25. 30. 31. & 32. discutiendum erit. Idem docent de prædestinatione quòd scilicet non sit certa quantùm ad effectus assecutionem certitudine ordinis, & causalitatis mediorum: sed solùm certitudine illius præscientiæ mediæ, à qua radicaliter certitudo prædestinationis iuxta eosdem auctores dependent: quorum aliqui admittunt quidem prouidentiam, & prædestinationem esse certam, etiam certitudine ordinis, & causalitatis mediorum: dum tamen hæc certitudo illam præsupponat, quæ inuenitur in præscientia media, quod in disputatione 41. erit operosiùs discutiendum.

Eodem modo philosophantur de certitudine prædestinationis parnulorum: dicunt enim, quòd parnuli prædestinati vitam æternam consequentur, non esse ex certitudine mediorum, effectusque prædestinationis, qui in se non est certò futurus: sed ex certitudine diuinæ præscientiæ, qua Deus altitudine sui intellectus, quod in se est certum, potestque non esse, cognouit certò futurum. Quare secluſa certitudine diuinæ præscientiæ, nullam esse (aiunt) certitudinem in medijs, effectúque prædestinationis parnulorum, quod ad vitam æternam perueniant. De quo disput. 41. agendum est.

Quintum corollariũ.

Inferunt quinto, bonum vsum liberi arbitrij à Deo præcognitum per scientiam mediam esse conditionem, sine qua, ratiò ordinis mediorum in finem supernaturalem in mente diuina præexistens, non haberet rationem prædestinationis comparatione talis hominis: sed retineret communem rationem prouidentiæ supernaturalis. Quod in disp. 37. & 38. discutiendum erit.

III. Secundum fundamentum.

Secundum fundamentum est, concursum Dei generalem non esse influxum immediatum in causam secundam, nec præmouere, vel applicare illam ad operandum: sed esse influxum immediatum cum causa secunda in illius actionem, & effectum. Addunt que influxum in causam, quem Thomistæ constituunt, vt causæ secundæ applicentur, & moueantur ad agendum, cõmentitium esse & minime necessarium. Hanc doctrinam extendunt ad concursum Dei generalem, quo cum libero arbitrio concurrit ad operà ordinis naturalis: dicunt enim, quod sicut concursus Dei generalis cum causa agẽte per actionem transeuntem, vt cum igne producente calorem in aquam, non est influxus Dei in ignem, sed in aquam: in qua recipitur effectus à Deo, & ab igne simul productus; ita concursus Dei generalis cum causa operante per actionem immanentem, vt cum intellectu ad intellectionem, & voluntate ad appetitionem, non est influxus Dei in causam ea ratione, qua agens est, quasi eo-priùs mota & excitata agat: sed cum causa ea ratione qua agens est in ipsummet, ea ratione qua patiens est, atque in se suscipit effectum ab eadem causa, atque à Deo partiali influxu vtriusque simul productum.

Idem sentiunt de concursu Dei generali, quo ad actus supernaturales concurrit, asserunt enim, non esse concursum immediatum in liberum arbitrium, vt in causam, quasi priùs eo-concursu motum, ac à Deo ad agendum applicatum, tales actus eliceret, sed esse influxum Dei immediatum in actus ipsos vna cum libero arbitrio, & gratia præueniente. Et ratio potissima, qua conuincuntur, est, quia existimant, præmotiones illas, & applicationes causarum secundarum ad suas operationes, multùm præiudicare libertati arbitrij nostri. Eodem modo philosophantur de auxilio actuali gratiæ adiuuantis, qua ratione adiuuans, & cooperans est: dicunt enim, non esse influxum immediatum in liberum arbitrium vt in causam, sed esse influxum immediatum cum libero arbitrio in eius operationem. Fatentur tamen concursum Dei per gratiam excitantem, esse influxum in liberum arbitrium vt in causam; eidéque vires tribuere, quibus possit operari (si velit)

eos

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTOR. EMANUELE

eos actus quos sola sua virtute naturali producere non poterat. Et quantum ad hoc, assignant duplex

Discrimen inter concursum generalem, & concursum specialem gratiæ excitantis.

discrimen inter concursum Dei generalem, & concursum specialem gratiæ excitantis. Primum est: nam concursus Dei generalis ad actus naturales, nó est concursus Dei in liberum arbitrium vt causa est illorum actuum: quasi prius suscipiat in se eum morum, eóque applicetur, & potens reddatur ad influẽdum in actum; sed est influxus immediatus, vna cum libero arbitrio in actum. At verò auxilium gratiæ præuenientis ea ex parte, qua præueniens est, est influxus Dei in liberum arbitrium, atque illud mouet & excitat: potẽnsque reddit: vt eo pacto morum tanquam habens iam in seipso principium efficiens actuum supernaturalium, simul influendo vlteriùs eos producat. Secundum discrimen est, quod ex hoc primo oritur: nam influxus Dei cum libero arbitrio per concursum generalem ad actus naturales, nec tempore, nec natura antecedit influxum liberi arbitrij in eosdem actus: sed à se mutuo pendent, simulque omnino sunt in rerum natura, & in eandem numero actionem, & effectum vniuntur. Gratia verò præueniens, qua præueniens gratia est, tempore, vel natura antecedere solet influxum liberi arbitrij ad actum supernaturalem.

IV. Primum corollariũ.

Ex hoc secundo fundamento inferunt primò, cõcursum Dei generalem esse ex se indifferentem, vt pro diuersitate influxus causæ secundæ sequatur potiùs actio huius speciei, quàm alterius: atque adeò ex vario influxu arbitrij prouenire, quod sequatur potius volitio, quàm nolitio: & volitio honesti potiùs, quàm turpis obiecti, & consequenter affirmant actiones liberi arbitrij sicut & cuiusuis alterius causæ secundæ) à concursu generali Dei non habere, quòd sint tales, vel tales in particulari: ac proinde neque quòd sint studiosæ, vel vitiosæ: sed ab ipsomet libero arbitrio.

Eodem modo loquuntur de auxilio speciali gratiæ adiuuantis: sentiunt enim esse secundùm se indifferens; seu modo indifferenti esse expositum ad concurrẽdum cum libero hominis arbitrio, ad opera pietatis, si ipse voluerit concurrere.

Secundum corollarium.

Inferunt secundo, Deum antecedenter ad præscientiam cooperationis arbitrij, futuræ ex hypotheſi, quòd in tali ordine rerum constituatur, neque decreto extrinseco suæ voluntatis, neque auxilio aliquo inhærenti libero arbitrio, posse (salua eiusdem arbitrij libertate) ipsum vere efficienter, seu physicè prædeterminare ad aliquam operationem, etiam supernaturalem. Sentiunt enim talem prædeterminationem libertati arbitrij repugnare. Dixi quantum ad exercitium actus, nam, vt suprà obseruauimus, quantum ad speciem actionis, fatentur, concursum liberi arbitrij determinari per influxum gratiæ adiuuantis: quia videlicet ab eodem influxu habet consentus liberi arbitrij, quod sit supernaturalis, & qualis ad salutem oportet.

Tertium corollariũ.

Inferunt tertiò, liberum influxum, seu cooperationem arbitrij (vt emanat ab ipso arbitrio) non esse efficienter ab alia causa extrinseca, etiam à Deo, sed ab ipso arbitrio se liberè determinante, & pro sua innata libertate pariter cum Deo influente in talem actum particulare potiùs, quàm in oppositum, cùm vtrumque posset indifferenter eligere, si vellet.

Quartum corollariũ.

Inferunt quartò, bonum vsum liberi arbitrij prædicto modo spectatum computandum non esse inter effectus prædestinationis: sed ad illam præsupponi ex parte nostra, tanquam id, quod Deus à nobis exigit, vt opera nostra libera sint, atque adeò digna laude, aut vituperio.

Quintum corollariũ.

Inferunt quintò, auxilium gratiæ non esse efficax ex seipso, seu secundum realem virtutem, quam habet, vt venit à Deo, ac per consequens diuisionem illam communem Theologorum, qua auxilium gratiæ diuiditur in auxilium efficax, & inefficax, ab effectu, qui simul ab arbitrij libertate pendet, esse desumendam: non autem ex aliqua reali virtute existente in auxilio efficaci, quæ in auxilio sufficienti, seu inefficaci non reperiatur. Et consequenter affirmant, quòd illud auxilium sufficiens, siue maius, siue minus in se sit, efficax dicitur, cum quo arbitrium pro sua libertate conuertitur: cùm tamen (nihil eo auxilio impediente) potuerit non conuerti: illud verò inefficax dicitur, cum quo arbitrium pro eadem sua libertate non conuertitur, cùm tamen (si vellet) potuerit conuerti

V. Sextum corollarium.

Inferunt sextò, auxilia præuenientis, atque adiuuantis gratiæ, quæ lege ordinaria conferuntur victoribus, quod efficacia, aut inefficacia ad conuersionem, seu iustificationem sint, pendere à libero consensu & cooperatione arbitrij nostri cum illis: atque adeò in libera potestate nostra esse, vel illa efficacia reddere consentiendo & cooperando cum illis ad actus, quibus ad iustificationem disponimur: vel inefficacia illa reddere, continendo consensum & cooperationem nostram, aut etiam eliciendo contrarium dissensum.

Septimum corollariũ.

Inferunt septimò, omnia loca Scripturæ & sanctorum Patrum, in quibus asseritur Deum facere, vt faciamus, & operari, vt operemur: & conuertere corda nostra, & similia, quatenus aliqua ratione soli Deo tribuuntur, solùm verificari ratione gratiæ excitantis, & moraliter seu metaphoricè mouentis ad consensum; alliciendo, imitando, seu quouis alio modo, etiam interius moraliter suadendo bonum in illis circumstantiis, in quibus Deus præscit hominem esse consensurum ex hypotheſi, quòd prædictó modo excitetur.

Octauum corollarium.

Inferunt octauò, auxilium actuale, quo Deus mouet nostram voluntatem ad actus liberos supernaturalis ordinis, subiacere potestati eiusdem voluntatis, quantum ad vsum sicut subiacent habitus quibus vtimur, cùm volumus: quamuis ex diuina præscientia certus sit, & infallibilis consensus liberi arbitrij futurus.

Nonum corollariũ.

Inferunt nonò, Deum, postquam sua gratia excitante hominem præuenit, expectare creatam voluntatem, vt consentiat. De quo disput. 95. agendum erit ex professo.

Decimum corollariũ.

Inferunt decimò, voluntatem creatam esse quodammodo primam radicem & causam suæ determinationis: quamuis illam sine influxu & cooperatione Dei efficere non possit, vt disp. 89. videbimus.

Ex eodem fundamento inferunt fundamentum tertium cum suis appendicibus & assertionibus, quas statim subiiciemus.

VI. Tertium fundamentum.

Tertium fundamentum est, Deum & liberum arbitrium esse causas partiales eiusdem actus, etiam supernaturalis: sicut sunt duo trahentes nauim comparatione motus eiusdem nauis, quod in quo sensu intelligatur ab eisdem auctoribus, patebit disput. 85. vbi de qualitate huius fundamenti ex professo tractandum erit.

Ex hoc fundamento eadem prorsus assertiones inferunt, quas ex præcedenti, & alias insuper, quæ cum fundamento tertio habent etiam non modicam connexionem, sunt autem quæ sequuntur.

Primũ corollarium.

Inferunt primò, ab inæquali conatu & influxu liberi arbitrij prouenire posse, vt conferente Deo duobus hominibus æquale auxilium gratiæ adiuuantis, vnus eorum intensiùs operetur, meliusque se disponat ad gratiam iustificantem, quàm alius, & vt conferente eisdem inæqualia auxilia, æquè operentur, aut is interdum plus qui minori suffultus,

Digitized by Google

ſuffultus eſt auxilio. Et ratio illorum eſt, quia quando duæ cauſæ partiales concurrunt ad eum numero effectum, quò altera illarum intentius ſeu vehementiùs influit, eò magis perfectum effectum producunt: & ſi altera illarum non influat, non ſequitur effectus, quotieſcunque ipſe effectus ab vtraque intrinſecè dependet. De quo in diſputat. 62. agendum eſt.

Secundum corollarium. Inferunt ſecundò, quòd ſtantibus in duobus hominibus æqualibus auxiliis, tam externis, quam internis prævenientis gratiæ omnino æqualibus: euenire poteſt, & de facto continget pro vtriuſque libertate, quòd vnus conuertatur, perſeueret in gratia & ſaluetur: alius verò in peccato perſiſtat, & damnetur: quia vnus voluit cooperari iiſdem auxiliis, alius noluit. Quod in diſputat. 108. erit operoſius diſcutiendum.

Tertium corollarium. Inferunt tertiò, quòd licèt quiuis illorum actuum credendi, ſperandi, & diligendi ſit vnica actio, tres nihilominus habet partes vnius integræ cauſæ: à qua ita emanat totus, vt à ſingulis etiam partibus partialitate (vt vocant cauſæ) totus etiam emanet, diuerſo tamen modo. Etenim à Deo influente per ſolum cõcurſum generalem, emanat vt a cauſa vniuerſali: à qua proinde non habet magis, quod ſit aſſenſus credendi, aut dolor de peccatis: quam vel actus oppoſitus, vel actus cuiuſuis alterius potentiæ. Ab influxu verò liberi arbitrij, vna cum notitiis & cæteris neceſſariis, vt quoad ſubſtantiam actus producatur, habet tanquam à cauſa particulari, vt quoad ſubſtantiã actus ſit potiùs aſſẽſus fidei, aut dolor de peccatis, quàm alius aliquis diuerſus actus. A gratia verò prẽueniente, ſeu à Deo, vt per illam tanquam per ſuum inſtrumentum, vna cum libero arbitrio influit in eundem actum, habet, vt ſit actus ſupernaturalis ſpecie diſtinctus ab actu purè naturali credendi, aut dolendi de peccatis, quem liberum arbitrium ſuis ſolis viribus tunc eliceret, ſi cum eo ſimul non influeret gratia prævenies.

VII. Quartum corollarium. Inferunt quartò, non eam ob cauſam neceſſariò ponendum eſſe habitum fidei ſupernaturalis, vt intellectus facilè aſſentiatur contra intellectus duritiem, & diſcretè contra intellectus errores: neque item vt actus aſſentiendi ſit certus, & firmus certitudine, & firmitate ex parte credentis Hæreticum namque poſſe (inquiunt) firmius illo modo aſſentiri, non ſolùm articulis Fidei: ſed etiam ſuis erroribus, quàm multi fideles aſſentiantur per fidem infuſam veritatibus Catholicis; ſed ideo neceſſariò conſtituendum eſſe: quoniam ad illos actus eliciendos, vt fini ſupernaturali ſunt accommodati, & quales ad ſalutem ſunt neceſſarij, requiritur, vt vel per inſpirationem, & auxilium particulare Spiritus ſancti eliciantur, vel per concurſum habitus ſupernaturalis.

Quintum corollarium. Hinc etiam inferunt quintò, liberum arbitrium cum ſolo concurſu Dei generali elicere poſſe fidei aſſenſum, quò ad ſolam actus ſubſtantiam, ſeu merè naturalem, quo aſſentiatur omnibus myſteriis fidei tanquam à Deo reuelatis, & quia à Deo reuelata ſunt: ita videlicet, vt per talem aſſenſum impleatur præceptum fidei, & peccatum infidelitatis vitetur. De quo Diſpu. 49. præſertim nu. 19. agendum eſt.

Sextum corollarium. Inferunt ſextò, poſſe hominem ſolis viribus naturalis arbitrij, & concurſu generali Dei, elicere actum abſolutum merè naturalem dilectionis Dei ſuper omnia, quæ ad iuſtificationem nequaquam ſufficiat: & pari ratione propoſitum abſolutum ſeruandi in genere præcepta omnia; præſertim quando occaſiones, & difficultates omnes abſunt. De quo in Diſputatione 51. tractabitur.

Septimum corollarium. Inferunt ſeptimò, poſſe hominem cum ſolo concurſu Dei generali, intuitu bonitatis diuinæ, elicere actum contritionis naturalem cum propoſito abſoluto de cætero non peccandi lethaliter: & idem dicunt de attritione, qua peccator fidelis propter pœnas inferni, aut turpitudinem peccati cum ſpe veniæ, & abſoluto propoſito de cætero non peccandi mortaliter, dolet de omnibus peccatis commiſſis.

Octauum corollarium. Inferunt octauò, poſſe hominem in natura lapſa cum ſolo concurſu Dei generali reſiſtere pro quolibet temporis momento cuicunque (quantumuis graui) tentationi: proponentes enim quæſtionem; An interim dum iudicium rationis non abſorbetur, maneat nihilominus in eodem arbitrio cum ſolo concurſu generali Dei libertas ad non conſentiendum in quocunque temporis momento cuique graui tentationi; & ad ſuperandam quamcunque magnam difficultatem, quam pro ſeruanda in eo ſolo inſtanti lege naturali neceſſe ſit vincere: reſpondent concluſione affirmatiua. *Vide circa diſput. 54.*

Nonum corollarium. Hinc nonò conſequenter affirmant, nullum eſſe in ſingulari opus bonu morale mere naturale, quod homo in natura lapſa cum ſolo concurſu Dei generali non poſſit efficere. Et aſſignant rationem: nam ſi difficillimum, quale eſt mortem ſubire, ne mendacium proferat, poteſt præſtare maiori cum ratione poterit cætera efficere, in quibus minor longè eſt difficultas.

Decimum corollarium. Inferunt decimò, cum ſolo concurſu generali Dei abſque alio dono, vel auxilio gratiæ, poteſt homo efficere opus bonum morale, quod fini naturali hominis accommodatum, atque comparatione illius, ſit vere bonum, ac veræ virtutis opus.

VIII. Quartum fundamentum. Quartum fundamentum eſt, eſſe quandam legem à Deo ſtatutã, vt facienti totum, quod in ſe eſt ex ſolis viribus naturæ, dentur auxilia prævenientis gratiæ, quibus id, prout ad ſalutem oportet, exequatur. Ex quo inferunt quæ ſequuntur.

Primum corollarium. Inferunt primò, quòd, quotieſcunque liberum arbitrium ex ſuis viribus naturalibus conatur, præſtò ve eſt ad conandum totum id, quod ex ſe poteſt, tam circa ea, quæ fides docet addiſcenda, & amplectenda, quàm circa dolorem de peccatis, ac iuſtificationem: à Deo conferri gratiam prevenientem, atque auxilia, quibus id faciat, vt oportet ad ſalutem. non quidem quaſi eo conatu dignus efficiatur talibus auxiliis, vlláque ratione ea promereatur: ſed quoniam id obtinuit nobis Chriſtus ob ſua merita, atque inter leges, quas tã ipſe, quam Pater æternus ſtatuerunt de auxiliis, & donis, quæ nobis Chriſtus promeruit merè gratis conferendis, vna, cáq; rationi maximè conſentanea fuit, vt quoties ex noſtris viribus naturalibus conaremur facere, quod in nobis eſt, præſtò nobis eſſent auxilia gratiæ, quibus ea (vt oportet ad ſalutem) efficeremus, vt ea ratione dum eſſemus in via, ſemper in manu liberi arbitrij noſtri poſita eſſet ſalus noſtra: per nóſque ipſos ſtaret, quòd ad Deum non conuerteremur.

Secundum corollarium. Inferunt ſecundò, quòd ſicut Deus ſemper præſto eſt per concurſum generalem libero arbitrio, vt naturaliter velit, aut nolit, prout placuerit: ita præſto eſt illi per auxilium gratiæ ſufficiens, vt quoties, ex ſuis viribus naturalibus aggredi voluerit opus aliquod, ex iis quæ ad iuſtificationem ſpectant, illud exequatur, prout ad ſalutem oportet. Ea potiſſimum ratione prædictam legem ſtatutam eſſe à Deo Patre cum Filio, affirmant, quoniam arbitrantur alias non poſſe ſaluari hominem, conſtitutum eſſe à Deo in manu conſilij ſui, nec ſalutem eſſe conſtitutam in poteſtate arbitrij eius, niſi ipſe faciendo totum id, quod in ſe eſt ex ſolis viribus naturæ, poſſet conſequi auxilia prævenientis gratiæ, quibus adiutus ad vitam æternam valeret peruenire.

Alias

Alias propositiones inferunt, quas pro nunc cõsultò omittimus; tum quoniam ad præcedentes reduc̃untur: tum etiam quia infrà, cùm de illis erit disputandum, adducentur.

IX. Ex his quatuor fundamentis, cum appendicibus assertionibus, intelligibilem, & facilem reddi arbitrantur concordiam liberi arbitrij, cum diuina præscientia, prouidentia, & prædestinatione, necnon cum efficacia auxiliorum gratiæ: faciléque dissolui omnia argumenta, quibus Pelagiani, & eorum reliquiæ necessitatem, & efficaciam gratiæ: Lutherani verò, & Caluiniani libertatem arbitrij de medio tollere conabantur; innixi pariter in illo erroneo principio, quo tam isti, quam illi proclamant, efficaciam gratiæ cum libertate arbitrij cohærere non posse: ac per consequens vnum e duobus eligendum esse: nempe aut gratiæ efficaciam abnegare, vel (si illa admittatur) libertatem arbitrij de medio tollere. Cùm enim Pelagiani obiiciunt (posita prædestinatione à S. Augustino tradita) sequi, hominem prædestinatum necessariò saluari: & hominem reprobatum non posse saluari, sed quidquid faciat, necessariò damnari: ac per consequens induci homines in quandam desperationem; & frustra esse orationes, & exhortationes: recurrunt ad scientiam mediam in primo fundamento explicatam, & ad propositiones appendices illius; asserentes, non sequi, hominem prædestinatum necessariò saluari, aut reprobum necessariò damnari, nisi præsuppositia scientia media, & ex suppositione, quòd ille sit cooperaturus auxiliis gratiæ: vel iste dissensurus; quæ suppositio, cùm sit consequens ad liberum concursum voluntatis creatæ, non tollit, sed potius supponit liberum vsum illius. Eodem modo respondent ad argumenta, quibus necessitas gratiæ, & eius efficacia ab eisdem Pelagianis proclamantibus cum libertate, quam experimur, cohærere non posse, impugnatur.

Dicunt enim, gratiæ efficaciam præsupponere præscientiam mediam cooperationis arbitrij futuræ ex hypothesi, quòd tali gratia in talibus circunstantiis excitaretur: & consequenter per eandem gratiam non prædeterminari voluntatem nostram ad consentiendum vocationi diuinæ: & propterea manere liberam ad consentiendum, vel dissentiendum, vt Disp. 7. & 120. dicetur.

X. Ex eisdem fundamentis satisfacere conantur præcipuis argumentis, quibus Lutherani, & Caluiniani libertatem arbitrij de medio tollere contendunt. Cùm enim argumentantur, non esse in homine liberum arbitrium: quia non potest operari, nisi quod Deus vult, & quando Deus vult, respondent, hominem verè esse liberum, & liberam electionem in suis actibus habere: quia Deus absoluta, & efficaci voluntate nunquam vult, quòd homo operetur talem actum in particulari, nisi præsuppositia scientia media, qua Deus præsciuit hominem ex sua innata libertate esse cooperaturum, & voliturum tale obiectum ex hypothesi, quòd constitueretur in talibus circunstantiis, & talibus auxiliis prædeterminantibus eius voluntatem ad alterã partem excitaretur, & moueretur, vt ex dictis in primo, & secundo fundamento constat. Quapropter, si constitutus à Deo in illis circunstantiis consentiat, libere consentit: si autem dissentiat, vt revera potest, liberè dissentit. Et cùm prænominati hæretici impugnant iterum libertatem arbitrij ex necessitate auxiliorum gratiæ, quia homo, præsertim in natura lapsa, non potest operari aliquod opus pietatis, aut meritorium vitæ æternæ, nisi Deus sua misericordia excitet illum, & adiuuet auxilio speciali, ergo non erit in potestate hominis tale opus operari, quando voluerit, sed solùm, quando Deus voluerit illum adiuuare. Respondent ex dictis in tertio, & quarto fundamento, quòd homo potest ex viribus naturæ operari quodlibet opus bonum, etiam Fidei, Spei, & Charitatis, quantum ad substantiam: & si homo faciat totum, quod in se est ex viribus propriis producendo illa opera, aut quodlibet illorum, eo modo, quo potest, Deus ex certa lege gratis donabit illi auxilia excitantis, & adiuuantis gratiæ, quibus tale opus (sicut oportet ad salutẽ) exequatur; ac per consequens idem opus verè est in libera potestate hominis: si autem nolit facere, quod in se est, liberè etiam omittit illud opus supernaturale, quia noluit illud producere, quantum ad substantiam actus.

XI. Eodem modo respondent ad argumenta desumpta ex infallibilitate præscientiæ, prouidentiæ, & prædestinationis diuinæ, quibus ipsi Lutherani, & Caluiniani impugnant eandem libertatem arbitrij, vt inferiùs propriis in locis patebit. Dicunt enim, infallibilitatem futurorum contingentium non obstare arbitrij libertati, qua revera potest homo producere, & non producere illa; & assignant rationem, quia, vt ex propositione prima appendice ad primum fundamentum constat: non propterea aliquid futurum est per liberum arbitrium, quia Deus præsciuit futurum esse: sed e cõtra, quia id futurum erat per liberam arbitrij creati determinationem; ideo præscitur à Deo, antequam fiat: quapropter præscientia Dei nullam necessitatem operandi, aut non operandi eidem arbitrio imponit. Similiter etiam diuina prouidentia, & prædestinatio nullam (inquiunt) necessitatem imponit libero arbitrio operandi: quod vt defendant, recurrunt ad secundum, & tertium fundamentum suprà propositum: quia, videlicet, concursus Dei actualis, quo liberum arbitrium mouet, vt ad finem, per diuinam prouidentiam, vel prædestinationem statutum perueniat, non est influxus immediatus in ipsum arbitrium, vt in causam, neq; ipsum ad operandũ prædeterminat: sed est influxus, secundùm se indifferens, ac immediatus cum libero arbitrio in operationem eius: ita videlicet: vt Deus, & liberum arbitrium simul concurrant ad eundem numero effectum, tanquam duæ causæ partiales, eo modo, quo duo trahentes nauim concurrunt ad motum nauis. Vnde nulla alia necessitate (censent) esse futura, quæ reuera contingenter futura sunt, nisi ea duntaxat, quæ desumitur ex scientia media pro primo fundamento stabilita, vel quæ eandem scientiam mediam præsupponit, & ex illa radicaliter originatur, vt Disput. 25. & 41. manifestum fiet.

XII. Hoc vnum certissimum est (auctoribus cum quibus disputandum est non negantibus) quòd si prædicta quatuor fundamenta non subsistunt, necesse est, vt quæ superædificata sunt, corruant: atque aliam viam inquirendam, & stabiliendam esse contra Pelagianos, & Lutheranos, ad concordandum liberum arbitrium cum gratia: illam videlicet, quæ in omnipotentia, & efficacia diuinæ voluntatis ante omnem præscientiam cooperationis voluntatis nostræ futuræ, prædeterminãtis omnes liberos actus bonos, qui fiunt in tẽpore, fundatur, vt disp. 121. manifestum fiet. Si autem eadem fundamenta, cum appẽdicibus assertionibus vera sunt, ratio conciliandi libertatem arbitrij, cum diuina præscientia, prouidentia, & prædestinatione, quæ illis innititur, debet legitima reputari, atque valdè accommodata ad errores Pelagianorum, & Lutheranorum confutandos, & per illam aperiri viam facilem, qua tam isti, quam illi ad vnitatem Ecclesiæ, & fidei synceritatem redire possint. Vtrùm autem priori via, an potiùs hac posteriori ad finẽ, quẽ auctores Catholici vtriusque

sententiæ

ſententiæ intendunt, ſecurè peruenietur; ex huius operis diſcurſu pius & prudens lector facilè colliget: ſi locaScripturæ ſacræ, ſummorum Pontificum, Conciliorum, ac ſanctorum Patrum, præſertim, ſancti Auguſtini, ſancti Proſperi, ac ſancti Thomæ, quæ in confirmationem noſtræ doctrinæ adducemus, & attentè legerit, & diligenter expenderit.

DISPVTATIO V.

Quantam auctoritatem, circa materiam prædeſtinationis, & gratiæ habeat ſancti Auguſtini ſententia: & vtrùm liceat ab ea diſcedere.

I. Auguſtini ſententiam circa prædeſtinationem gratuitã Maſſilienes impugnarunt.

NOn defuerunt, qui auctoritatem S. Auguſt. circa prædeſtinationem & gratiam, infirmare volẽtes, dixerint eius doctrinã in hac parte eſſe particularis vnius Doctoris: à qua ſubinde liceret abſcedere. Addunt ſe in omnibus aliis eius doctrinam plurimùm admirari: ſuſcipere ac libenter audire: eam tamen, quam de prædeſtinatione & gratia Chriſti doctrinam ſequitur, ad reſiſtendum hæreticis huius temporis aptam non eſſe: nec antiquioribus Auguſtino Patribus Græcis conſonam. Obiectio hæc fuit olim à Semipelagianis e contra doctrinam eiuſdem S. Doctoris propoſita, vt refert S. Proſper in hæc verba: *Cui* (ſcilicet Aug.) *inter tot certaminum palmas, inter tot triumphorum coronas ad illuminationem Eccleſiæ, & ad gloriam Chriſti, qua ipſe illuſtratus eſt, perfulgenti; quidam noſtrorũ (quod de ipſis multum dolendum eſt) occultis, ſed non incognitis ſuſurrationibus obloquũtur. Et prout ſibi noxias aliquorum aures opportunásque reperuerint, ſcripta eius, quibus error Pelagianorum impugnatur, infamant: dicentes, eum liberum arbitrium penitus ſubmouere, & ſub gratiæ nomine neceſſitatem prædicare fatalem. Adijcientes, etiam duas illum humanæ generis maſſas, & duas credi velle naturas, vt (ſcilicet) tanta pietatis viro, Paganorum, & Manichæorum aſcribatur impietas.* Et ſanctus Hilarius: *Sed planè illud tacere* (inquit) *non debeo, quod ſe dicant tuã Sanctitatem* (hoc excepto: factis & dictis omnibus admirari. Quod & S. Fulgent. his verbis notauit: *Non ignoras, etiam præterito tempore illi luculentiſſimo S. Auguſtini operi, quod ſcripſit de prædeſtinatione Sanctorum, à quibuſdam Gallis obiectum: & quod Beatus Auguſtinus in aſſertione prædeſtinationis diuinæ peccatores non ad ſolum prædeſtinatos dicat e iudicio: ſed etiã ad peccatũ cuius dicta, quia ipſe celeri præuentus eſt obitu, Proſper vir eruditus & acutè ſolerter defendit ſi leti & copioſo ſermone.* In defenſionem autem eiuſdem S. Doctoris, quàm plurima in diuerſis locis verba aurea protulit S. Proſper, quæ in vnum colligere ſtatui: vt ex eis, quanta ſit auctoritas ſancti Auguſtini in doctrina de gratia, & prædeſtinatione, omnibus manifeſtum fiat.

S Proſper lib de gratia & liber. arb. ad Ruſſ. in præcipio.

S. Hilarius epiſt. ad Aug.

Fulgent. li. 1. de prad ad Monimum in fin.

In epiſtola allegata ad Ruffinũ, ſic de ſancto Auguſtino loquitur. *Has verſutias, quibus ſe ſily tenebrarum, in ſimilitudinem filiorum lucis transfigurare voluerunt, cum & Orientalium Epiſcoporum iudicia, & Apoſtolicæ Sedis auctoritas, & Africanorum Conciliorum vigilantia deprehenderit, Beatiſſimus quoque Auguſti-*

II. S Auguſtini doctrina circa prædeſtinationem Proſpero commendatur.

A *nus præcipua vtique in hoc tempore portio domini Sacerdotum, copioſe, & pulchrè in multis voluminum diſputationib⁹ deſtruxit: vt pote, inter multa Dei dona, quibus illum abundantiſſimi ſpiritus veritas implenit habens etiam hanc ſcientiæ, & ſapientiæ ex Dei charitate, virtutem, vt non ſolùm iſtam adhuc in ſuis detrunc ationibus palpitantem, ſed etiam multas priùs hereſes, inuicto verbi gladio debellaret.* Et infra ſic concludit: *Tu autem dilectiſſime; & venerandiſſime mihi frater, ſi verè de his quæſtionibus inſtrui deſideras, ſicut deſiderare te conuenit, ipſis Beati Auguſtini diſputationibus cognoſcendis impende curam, vt in confitenda Dei gratia defecatiſſimã, ac ſaluberrimã Euãgelicæ Apoſtolicæque doctrinæ intelligentiam conſequaris.* Et alio in loco inquit: *Doctrinam (quam ſanctæ memoriæ Auguſtinus Epiſcopus contra Pelagianos inimicos gratiæ Chriſti* B *& liberi arbitrij decomptores per multos annos Apoſtolicè aſſeruit, literisque mandauit) quibuſdam viſum eſt, aut non intelligendo, aut intelligi eam nolendo, reprehendere. Et hoc quaſi compendium cognitionis his, qui iudicio eorum ducebantur, afferre: vt quæ in libris prædicti viri dammabilia reperiſſe iactabant, breuium capitulorum indiculis publicarent: taliq; commento, & deteſtationem eius, quem impeterent, obtinerent: & ab his, quæ infamaſſent, curam exterriti lectoris auerterent. Ne ergo hunc perſuaſionem temerè quis recipiat, & talem putet ſenſum ſcriptis Catholici ineſſe Doctoris, qualem eum, qui fruſtra calumniantur oſtentant, ſingulis capitulis, quæ rationis titulo prænotarunt, breui, & abſoluta profeſſione reſpondeo, in nullo recedens à tramite earum diffinitionum, quæ in ſancti viri diſputationibus* C *continentur: vt facilè vel tenui diligentia aduertat inſpector, quam iniuſtis opprobrijs Catholici prædicatoris memoria carpatur & in quod peccatũ cadant qui aliena inſtigatione commoti, ſcriptorem celeberrimi nominis promptius habeant culpare, quàm noſſe.* Et ante profam de ingratis contra Pelagianos quędam carmina in defenſionem eiuſdem Auguſt. & laudem doctrinæ eius compoſuit. In quibus ſolidam eam eſſe demonſtrat, & irrationabiliter ab aduerſariis impugnari.

In fine eiuſdem epiſt.

Præfatione in reſponſione ad capita Gallorũ.

Nec ſolus Proſper, ſed plures etiã Summi Pontifices doctrinam eiuſdem Aug. approbauerunt & Catholicam eſſe decreuerunt: Nam Cœleſtinus Papa: *Auguſtinum* inquit *ſanctæ recordationis virum, pro vita ſua atque meritis in noſtra communione ſemper habuimus, nec vnquam hunc ſiniſtræ ſuſpicionis ſaltem rumor aſperſit, quem tantæ ſcientiæ olim fuiſſe meminimus,* D *vt inter magiſtros optimos, etiam à meis prædeceſſoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in commune ſenſerunt, vt pote qui vbique cunctis, & amori fuerit & honori: Vnde reſiſtendum talibus quos male creſcere videmus. Nefas eſt, hac pati religioſas animas quarum afflictione (quia membra noſtra ſunt) nos quoque conuenit macerari: quamuis maneat hos beatitudo promiſſa, quicunque probãtur perſecutionem propter iuſtitiam ſuſtinere, quibus quid promittat Dominus in futurũ, ſequens ſermo declarat. Non eſt agentium cauſa ſolorum vniuerſalis Eccleſia, quacunque nouitate pulſatur, intelligamus hæc ipſa vobis, quæ nobis non placent, diſplicere. Quod ita* E *demum probare poterimus, ſi impoſito improbis ſilentio, de tali re in poſterum querela ceſſauerit.* Et ſtatim petulantiam eorum, qui contra S. Auguſtini doctrinam oblatrabant coërcens ſubdit: *Quia nonnulli, qui Catholico nomine gloriantur, in damnatis autem hæreticorum ſenſibus ſeu prauitate, ſiue imperitia demorantes, piiſſimis diſputatoribus obuiare præſumunt: & eiam Pelagium, atque Cœleſtium anathematizare non dubitent: magiſtris tamen noſtris, tanquam neceſſarium modum exceſſerint, obloquuntur: eáque tantummodo ſequi, & probare confitentur, quæ ſacratiſſima B. Apoſtoli*

III. Cœleſt. ep. 8. ad quoſdam Galliarum Epiſcopos.

Auguſt doctrina circa prædeſtinationem, & gratiam à pluribus Summis Pontificibus eſt approbata.

E ad epiſt. cap. 3.

Digitized by Google

Petri ſedes contra inimicos gratiæ Dei, per miniſterium Præſulum ſuorum ſanxit, & docuit; neceſſarium fuit diligenter inquirere, quid Rectores Romanæ Eccleſiæ de hæreſi, quæ eorum temporibus exorta fuerat, iudicarint: & contra nocentiſſimos liberi arbitrij defenſores, quid de gratia Dei ſentiendum eſſe cenſuerint.

1111. Hæc, quæ in defenſionem doctrinæ S. Auguſtini & commendationẽ illius Cœleſtinus dixit, ſufficere vtique debuiſſent, ne Maſſilienſes, qui nondum ad perfectam ſcientiam peruenerant, contra præſtantiſſimi magiſtri, & Doctoris Eccleſiæ doctrinam, inſurgerent. Quia tamen reliquiæ Pelagianæ hæreſis in Gallia contendebant, fuiſſe quidem à Summo Pontifice commendatam Sancti Auguſtini doctrinam: ſed non approbatos in particulari libros de prædeſtinatione Sanctorum, & de Dono perſeuerantiæ: in quibus reſpondens Epiſtolis Proſperi, & Hilarij ad ſe directis, doctrinam ſuam de gratuita prædeſtinatione, euidentiſſimis ſacrarum litterarum teſtimoniis confirmauit, & Semipelagianorum errorem impugnauit, & expugnauit; poſt Cœleſtini tempora cum nondum factio Gallorum conquieſceret, ſanctus Leo Primus, ſcribens Nicetæ Aquilienſi Epiſcopo iterum ſectatores Pelagianæ hæreſis, qui doctrinam impugnabant S. Auguſtini, damnauit, inter alia, inquiens: *Cauendum ergo dilectioni tuæ eſt, magnáque diligentia prouidendum, ne per huiuſmodi homines extincta dudum ſcandala ſuſcitentur: & de exciſo olim dogmate, aliquod in prouincia tua eiuſdem mali germen oriatur: quod non ſolum in radicibus ſuis creſcat: ſed etiam ſancta Eccleſia ſobolem veneno ſui odoris inficiat. Qui correctos ſe videri volunt, ab omni ſe ſuſpicione purgent: & obediendo nobis, probent ſe eſſe noſtros. Quorum ſi quiſquam ſalubribus præceptis ſatisfacere detrectaret, ſiue ille clericus ſit, ſiue laicus, ab Eccleſiæ ſocietate pellatur, ne perditor anima ſua ſaluti inſidietur alienæ.* Vnde idem Leo ex libris Sancti Auguſtini quædam capitula de gratia & libero arbitrio, de verbo ad verbum tranſcripſit, approbauit, diffiniuit, & ad Concilium Auraſicanum tranſmiſit: vt ab Epiſcopis eiuſdem Concilij ſubſcriberentur, & reciperentur, ſicut factum eſt.

Leo Primus ad Nicetam.

Auguſtini quædã capitula Leo Sum Pontif. diffiniuit.

V. Poſtmodum verò Gelaſius Papa plures conſcripſit Decretales epiſtolas in deteſtationem Pelagianæ hæreſis, & eorum, qui in Gallia ſancti Auguſtini doctrinam impugnauerant: & præſertim in epiſtola tertia, quæ ad Honorium, ſic loquitur: *Ita nos triſtis, horrenda & vix credibilis confecit opinio, vt mentem noſtram confunderet, ſanciaret, affligeret. Nunciatum nobis eſt enim, in regionibus Dalmatiorum, quoſdam recidiua Pelagiana peſtis zizania ſeminaſſe, tantúmque illic eorum præualere blaſphemiam, vt ſimplices quoſque mortiferi furoris inſultatione decipiant. Eſt quidem error ipſe nefarius tanto perniciоſior ad furripiendum: quanto ad fallendum veriſimilitudinis colore verſutior. Præſtante Domino, adeſt fidei Catholicæ pura veritas, concors vniuerſorum Patrum deprompta ſententia, quæ & ſubtile virus funeſtæ prauitatis exponunt, & humano generi ſaluando, conferat de Scripturarum confectione medicinam. Nullatenus igitur diſcretionem rerum nondum abundantia corda conturbet, donec & occultum vulnus appareat, & ſaluatio ſingularis eluceat: quoniam quantalibet arte fallacia, ſpiritus perditionis armetur, ſanctо gladio ſpiritus principalis, & detegitur, & necatur.* Et poſt pauca: *Nunquid licet nobis à venerandis Patribus damnata diſſoluere, & ab illis exciſa nefaria dogmata retractare? Quid eſt ergo, quod magnopere præcauemus, ne cuiuslibet hæreſis ſemel dedicta pernicies ad examen denuò venire contendat? Si quæ antiquitus à noſtris maioribus cognita, aſcripta, refutata ſunt, reſtauranda nitimur: nónne ipſi nos (quod abſit) & quod nunquam Catholica patietur Eccleſia, aduerſariis veritatis vniuerſis contra nos reſurgentibus proponimus exemplum? Ibi eſt, quod ſcriptum eſt:* Terminos patrum tuorum non tranſgredieris: *&, Interroga patres tuos, & annunciabunt tibi; & ſeniores tuos, & dicent tibi? Quid ergo tendimus vltrà definita maiorum: aut cur nobis non ſufficit, ſi quid ignorantes diſcere cupiamus, qualiter ab Orthodoxis patribus, & ſenioribus ſingula quæque, vel vitanda præcepta ſunt vel aptanda Catholicæ veritati cur non his probantur eſſe decreta? Nunquid aut ſapientiores illis ſumus, aut poterimus firma ſtabilitate conſtare, ſi ea, quæ ab illis conſtituta ſunt, ſubruamus? an forte neſcitis hanc hæreſim (de qua loquimur) & ab Apoſtolica dudum ſede per beatæ memoriæ Innocentium, ac deinde Zoſimum, Bonifacium, Cœleſtinum, Sixtum, Leonem, continuis, & inceſſabilibus ſententiis fuiſſe proſtratam nec tantùm Eccleſia Catholica legibus, ſed Principum quoque Romanorum eo tenore damnatam: vt nec vſquam terrarum viuendi locum ſectatores eius habere ſinerentur? Quæ omnia tam geſtis Eccleſiæ per ſingulas quaſque regiones de eorum prauitate confectis quam curſura publica antiquitus edocentur. Ecce quo vmbrae aures Catholicas audire doctrinam: quæſtiones accipere: tractare tendiculas, & blaſphemias patienter admittere. O, ſi fluderent aduerſus eos maiorum noſtrorum libros, reſponſáque cognoſcere: illis, modis omnibus cerneretur, nihil eſſe prorſus, quod ab iſtis fuerit ventilatum, & ab illis non fuerit magnifica veritate contritum.* Et in altera epiſtola ad eundem Honorium, eum admonet, vt inuigilet, ne iterum Pelagiana hæreſis, quam Auguſtinus contriuit, pullularet. Et in epiſtola quinta ad vniuerſos Epiſcopos per Picenum, tria præcipua hæreſis Pelagianæ capita refellens, ait: *Quid autem tales eſſent acturi Pontifices, ſi (quod abſit) vel aliqua noua peſtis & primitus ignorata prorumperet: vel ingeniis acrioribus, ſenſibuſque verſutis, aut aliqua ſecularium doctrinarum peritia, callidis ſacrilega blaſphemiarum dicta promerentur: qui tam veteris erroris detrita commenta, tanquam à maioribus Eccleſiarum magiſtris: quam etiam noſtra ætate conuicta, non recolunt, nec refutant: atque ab impiorum, vultiſque prolata non reſpuunt?* Et circa finem eiuſdem epiſtolæ ſanctum Hieronymum, & ſanctum Auguſtinum, atque eorum doctrinam in ſpeciali commendans, ſubiungit: *Adhuc maius ſcelus accreſcit, vt ſub conſpectu, & præſentia ſuccedotum beatæ memoriæ Hieronymum, atque ſanctum Auguſtinum Eccleſiaſticorum lumina Magiſtrorum, muſca moriura (ſicut ſcriptum eſt) exterminans eorum ſuauitatis lacerare contenderet.* Denique idem Gelaſius in decreto cum ſeptuaginta Epiſcopis habito de Apocryphis ſcripturis, expreſſe approbauit Opuſcula B. Auguſtini, Proſperi, & Hilarij, & inter Apocryphos libros, qui recipiendi non ſunt, damnauit Opuſcula Caſſiani presbyteri Galliarum, & Opuſcula Fauſti Regienſis Epiſcopi, quæ conſtat contra doctrinam Sancti Auguſtini fuiſſe conſcripta. Denique Ioannes Secundus epiſt. ad quoſdam nobiles Senatores Romanos, S. Auguſtini doctrinam cõmendãs, ait: *S. Auguſtinus, cuius doctrinã ſecundùm prædeceſſorum meorũ ſtatuta, Romana ſequitur & ſeruat Eccleſia.*

Gelaſ. papa.

Gelaſ epiſt ad Honor. quæ inter epiſt. Gelaſij eſt 4.

Gelaſ. Hie. & Aug. do. ctrina commendat, & imitatur Hilarij, & Proſperi. Eccle. 10.

Habetur hæc epiſtola tomo 1. SS Patr. ed. 4. colum. 553. impr. Pariſ. 1589. Ioan. 2.

Vnde, vt quidam notauerunt graues Auctores, ſedes Apoſtolica nó tantum ſemel ſed etiam ſecundò, & tertiò, aduersùs Pelagianorum reliquias pro defenſoribus gratiæ, & prædeſtinationis, quam ex ſacris literis hauſit Auguſtinus, ſententiam tulit, vt iam eius doctrina non vnius particularis Doctoris opinio, ſed fides Eccleſiæ Catholicæ dici debeat.

Doctrina antiquorũ Patrum ſequenda. Innocent. Zozimus. Bonifac. Cœleſtin. Sixtus. Leo.

Pelagij doctrina per ſeptẽ Sum. Pontif ſunt damnata.

Ex

Digitized by Google

V. Ex quibus omnibus licet colligere, quàm ſollicitus debeat eſſe Theologus, vt nihil noui attentet inducere: ſed antiquam doctrinam a SS. Patribus acceptam ſequatur, explicet, & defendat. Quod & Capreolus Epiſc. Africanus nomine cæterorum Africæ Epiſcopor. in quadam epiſt. ad beatiſſimos Patres Concilij Epheſini ab eodem Cõcilio recepta & approbata, his verbis admonet: *Quamobrem venerandi Fratres, veſtram Sanctitatem iterum, atque iterum rogatam cupio, vt Spiritu ſancto cooperante, quem cordibus veſtris, in omnibus, quæ acturi eſtis, præſto futurum non dubitamus: nouas doctrinas, & antehac Chriſtianis auribus inuſitatas, priſca auctoritatis robore inſtructi, è medio profligetis: tantáque conſtantia, ac virtute quibuſcunque nouis erroribus reſiſtatis: ne Apoſtolicæ ſedis auctoritas, Sacerdotúmque in vnum congruens ſeueritas cuiuſcunque diſputationis prætextu illos, quos olim Eccleſia debellauit: & hoc rurſum tempore repullulaſſent: doctrinam iamdudum proſcriptam denuo renaſci permiſiſſe videantur. Quòd ſi quid forte nouarum controuerſiarum inciderit, id tempeſtiuè diſcuſſioni ſubijciatur, oportet: vt vel rectè dictum comprobetur, vel cõdemnatione dignum explodatur.* Hinc & Apoſtolus ait: *Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis.* Nihil ex ſuo arbitrio introduxit, ſed quod accepit, tradidit: quod à Domino didicit prædicauit. Et Timotheum (vt ſimiliter doceret, hortatur, dicens: *O Timothee, depoſitum cuſtodi, deuitans prophanas vocum nouitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt.* Vbi obſeruat Vincentius Lyrin. *Quod non dixit deuita antiquitates, nõ dixit vetuſtates, immò planè, quid è cõtrario ſequeretur, oſtendit. Nã ſi vitãda eſt nouitas, tenenda eſt antiquitas: & ſi prophana eſt nouitas, ſacrata eſt vetuſtas.* Nec ſolùm doctrinas nouas, ſed & vocum nouitates docet Apoſtolus eſſe euitandas, vt idipſum ſentiamus, & dicamus omnes, nec ſint inter nos ſchiſmata, & contẽtiones verborum. Ait enim. *Obſecro autem vos, fratres, per nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt id ipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata: ſitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia.* Non inquit, vt idipſum ſentiatis, aut credatis tantùm, ſed *vt idipſum dicatis omnes*, vt ſicut in eodem ſenſu, & in eadem ſententia Catholica omnes filij Eccleſiæ conueniunt: ita etiam ad eam explicandam & defendendam (quantum fieri poteſt, eiſdem vocibus vtantur. *Nobis ergo* (vt Tertullia. inquit) *nihil ex noſtro arbitrio inducere licet, ſed neque eligere quod aliquis ex ſuo arbitrio induxerit. Apoſtolos Domini habemus auctores, qui neque ipſi quidpiã ex ſuo arbitrio, quod inducerent, elegerunt: ſed acceptam à Chriſto diſciplinam fideliter nationibus aſſignarunt. Itaque etſi Angelus de cælis aliter euangelizaret, anathema diceretur à nobis.*

Habetur haec epiſt. in Cõc. Epheſ. tom. 2 cap. 9.

Vincent. Lyrin. lib. aduerſus Hæreſon nouationes, cap. 26.

1. Cor. 11.

1. Cor. 1.

Tertul. lib de præſc. hæret cap. 6.

Galat. 1.

Quam auctoritatem habeat doctrina ſancti Thomæ, præſertim circa prædeſtinationem, & gratiam.

VI. SACRAM Eccleſiæ Catholicæ doctrinam, inconcuſſam illius veritatem, & robur, ſanctus Pater Auguſtinus inſulæ comparauit dicens: *Quare Eccleſia inſula? quia circumlatratur fluctibus omnium tentationum. Sed quomodo inſula vndique circumſtrepentibus fluctibus tundi poteſt, frangi non poteſt: magiſque ipſa frangit fluctus venientes, quàm frangatur ab eis. Sic & Eccleſia Dei pullulãtes per totum orbem terrarum paſſa ſunt perſecutiones vndique frementium infidelium: & ecce ſtant inſulæ: & iam placatum eſt mare.* Quid enim Simon Magus? quid Arrius? quid Sabellius? quid Pelagius & Cœleſtinus? quid cæteri hæretici? Nõne fluctus feri maris deſpumãtes ſuas confuſiones, veritatem perſequentes, & contra fidem Catholicam vocem ſuam leuantes? *Eleuauerunt flumina Domine* (inquit Propheta) *eleuauerunt flumina vocem ſuam, eleuauerunt flumina fluctus ſuos, à vocibus aquarum multarum. Mirabiles elationes maris*: ſed prævalere non potuerunt aduerſus inſulam Eccleſiæ: quoniã, *Miravilis in altis Dominus*: quoniam, *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis*, &, *Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Sic adeò Doctor Angelicus ſanctus Thomas doctrinæ Eccleſiæ Catholicæ ſuam in omnibus conformauit, vt à multis impugnata, nunquam expugnata fuerit: ſed ſemper eadem permanſerit, & ad inſtar inſulæ, cùm fluctibus inſurgentibus tunditur, fortior efficitur, & clarior: neque ab impugnatoribus vnquam frangi potuit, nec poterit, ſed vſque ad finem ſæculi firma permanebit. In Vniuerſitate Pariſienſi (vt quidam referunt) aduerſus ſanctum Doctorem quamplurimi Theologi Pariſienſes, ſtatim poſt eius obitum inſurrexerunt, auctoritatique doctrinæ illius inuidentes, multas eius propoſitiones erroris nota dãnauerunt. Vnde factum eſt, vt Pariſij Epiſcopus ſentẽtiam excommunicationis cõtra ſectatores talium propoſitionum inconſiderate proferret: ſed modico tempore fracti ſunt fluctus iſti. Etenim anno Domini 1325. Stephanus tunc ibi Epiſcopus, ſimul cum omnibus Doctoribus Theologiæ, Eccleſiæ, & Vniuerſitatis, qui numero erant 72. habita longa conſultatione de propoſitionibus S. Thomæ, & magno ſtudio examinatis, omnes & ſingulas Catholicas eſſe iudicauerunt, hæc in laudem doctrinæ ſancti Doctoris, verba proferentes: *Fuit S. Thomas vniuerſalis Eccleſiæ lumen præfulgidum, gemma radians Clericorum, fons Doctorum, Vniuerſitatis noſtræ Pariſienſis ſpeculũ clariſſimum: & candelabrum inſigne ac lucens, per quod omnes, qui vera vitæ & ſanctæ doctrinæ vias ingrediuntur, lumen vident: claritate vitæ, fama clara, & ſcientia lucida, velut ſtella ſplendida & matutina refulgens.* Et poſt pauca decernunt prædicti Doctores, ſanctum Thomam Dei gratia nihil ſenſiſſe, docuiſſe, vel ſcripſiſſe quod ſanæ fidei, vel bonis moribus aduerſetur.

Pſal. 92.

Matth. 16.

M. Caſtill. Cent. 1. hiſto. Ord. prædic. lib. 3. c. 31.

Innocentius VI. in quodam ſermo. de laudibus S. Thomæ, qui incipit: *Et ecce plus quam Salomon hic.* eius doctrinam his verbis commendat: *Huius Doctoris doctrina præ cæteris (excepta Canonica) habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem ſententiarum: ita vt nunquã, qui eam tenuit, inueniatur à veritatis tramite deuiaſſe, & qui eam impugnauerit, ſemper fuerit de veritate ſuſpectus.*

Innoc. 6.

VII. Ioannes etiam XXII. qui beatum Thomam catalogo Sanctorum adſcripſit, in bulla canonizationis eius, hæc de illo protulit verba. *Scripſit ſanctus Thomas primas artes, Philoſophiam naturalem & moralem ſuper vtrumque Teſtamentum, & alia multa ad laudem Dei, & exaltationem fidei, clara & doctrina, non ſine ſpeciali Dei infuſione.* Et in quodam ſermone, quem de firmitate doctrinæ eiuſdem ſancti Doctoris prædicauit, aſſumens pro themate verba illa Pſalmi quarti: *Scitote quia Dominus mirificauit Sanctum ſuum* aſſeruit, ſanctum Thomam poſt Apoſtolos & primos ſanctos Doctores, magis inter omnes alios ſua doctrina Eccleſiam illuſtraſſe. Et (vt refert Ioannes Gerſon in ipſa Doctoris ſancti canonizatione) idem Ioannes XXII. in pleno Cardinaliũ Conſiſtorio, hæc, vel ſimilia in laudẽ doctrinæ ipſius protulit verba: Etſi ſanctus Thomas nullis in vita ſua, nec in morte miraculis claruiſſet, vt catalogo adſcriberetur Sanctorũ, doctrina illius ad id eſſet ſufficiẽs: quot enim articulos ſcripſit, tot miracula per illũ Dominus operatus eſt: nam quilibet eſt vnũ miraculũ.

Ioan. 22. in bulla data Auen. 18. Iulij, an. 1323.

Pſal. 65. Auguſt. ſup. eundem Pſal. tom. 8. in illa verba Lætentur inſulæ multæ.

Gerſ. tom. 1. tract 39. litera. A. Verba Io 22. in pleno Conſiſtorio.

Clemens VI. in quadam bulla edita a uenion. die

5. Februarij, Pontificatus sui anno secundo, quam etiam refert Magister Castillo, eandem doctrinam S. Thomæ commendat, asserens illam esse singularem, ex qua Vniuersalis Ecclesia vberrimos fructus spiritualis abundantiæ colligit, cuius odore recreatur & nutritur.

VIII. *Vrbanus 6.* Vrbanus VI. in bulla ad Archiepiscopum, & Doctores Vniuersitatis Tolosanæ, edita apud montem Fiasconem, die 30. Aug. Pontificatus sui anno sexto, omnia opera & scripta Doctoris commendat & approbat, omnésque Doctores & magistros eiusdem vniuersitatis hortatur, vt eam defendant & doceant. sic enim ait: *Nos attendentes, quanta a Deo scientia dotatus, ordinem Fratrum Prædicatorum, & Vniuersalem Ecclesiam S. Thom. illustrauerit: volumus, & tenore præsentium vobis iniungimus, vt dicti Beati Thomæ doctrinam tanquam veridicam, & Catholicam sectemini, eamque studeatis totis viribus ampliare.*

Pius V. qui Doctorem Ecclesiæ quintum S. Thomam designauit in quadam Bulla edita Romæ 11. April. 1576. ait: *S. Thomam Vniuersalem Ecclesiam sua doctrina illuminasse: innumeras hæreses interemisse: & quæ post eius obitum sunt suborta, doctrina eiusdem S. Doctoris corruisse.* Cuius articuli in sacro Concilio Tridentino, non semel, aut iterum, sed pluries sunt transcripti, & in Canones ab omnibus fidelibus credendos redacti, & coordinati.

Postremò Clemens VIII. in Bulla speciali, qua Ciuitati Neapoli sanctum Thomam in Patronum, & Protectorem concessit, illum, *interpretem Diuinæ voluntatis* appellauit, & meritò. Quoniam suis scriptis magna profunditate & claritate quid Deo placeat, quid displiceat, plenius inter omnes Doctores declarauit. Cui nimirum illud Isaiæ congruit: *Dominus dedit mihi linguam eruditam, vt sciam sustentare eum qui lassus est, verbo.* Et, vt inimici nostri sint iudices, Theodorus Beza Caluinista, S. Thomam Theologorum Scholasticorum omnium principem esse affirmauit. Fertur etiam, quendam Hæreticum dixisse: *Tollantur de medio scripta S. Thomæ, cum omnibus aliis Doctoribus subire certamen non recusabo.* Testis fidelis, licèt domesticus, est Ferrariensis, qui fructum vberrimum, quem ex continua S. Thomæ lectione in dies capiebat, explicare volens, sic ait: *Peream, si vnquam vel neglectam ab eo schedulam legerim, qua non me in eius admirationem pertraxerit: nunquam Thomam Aquinam conueni, quin abirem doctior, eiúsve amantior.*

Isaiæ 50.

Beza in actis Colloq. Monpelgarten.

Ferra. in epi. ad Clem. 7. qua habet. in princ. 1. lib. congen.

Quòd si testimonium hominum homines non accipiunt: ecce testimonium Dei, quod maius est: oranti enim Neapoli, imago Crucifixi S. Doctori alloquitur: *Bene scripsisti de me Thoma, quam ergo accipies pro tuo labore mercedem?* cui Sanctus: *Domine, non aliam, prater te.*

IX. *Verba imaginis Crucifixi ad S. Thomam.*

In hoc igitur opere, ea potissimè, quæ ad germanam intelligentiam doctrinæ SS. Augustini, & Thomę circa auxilia diuinæ gratiæ, & eorum efficaciam, qua potuero breuitate, & claritate (Deo auxiliante) discutiam, pro defensione eorundē Sanctorum, quæ antiquæ doctrinæ congruunt, adnotando, & aduersariorum argumenta dissoluendo. Hoc vnum cum domino Caietano omnibus persuasum esse volo, & obtestor: quoniam *personis nullo pacto, opinionibus vero, non nisi vt dissonant, aduersari intendo.*

Caietan. in proœ. 1. par.

LIBRI PRIMI FINIS.

DE

Digitized by Google

DE AVXILIIS

DIVINÆ GRATIÆ, ET HVMANI ARBITRII VIRIBVS, ET LIBERTATE, AC LEGITIMA EIVS CVM EFFICACIA eorundem Auxiliorum concordia,

Liber Secundus.

IN QVO AGITVR DE SCIENTIA DEI RESPECTV futurorum contingentium, eorum præsertim, quæ à creata voluntate dependent.

His suppositis, quæ ad proœmiales quæstiones pertinere videbantur, agendum est de scientia Dei, quæ ad actum gratuitum diuinæ voluntatis, quo electos suos dilexit & eligit in signo rationis præsupponitur, vel ad liberum decretum eiusdem voluntatis subsequitur, circa quod 12. sunt examinanda.

I. Vtrùm Scientia Dei sufficiẽter diuidatur in sciẽtiam simplicis intelligentiæ, & scientiam visionis.

II. Vtrùm sufficienter diuidatur in scientiam naturalem, & in scientiam liberam. An verò in Deo, præter scientiam merè naturalem, & merè liberam, sit constituenda scientia media, respectu futurorum conditionatorum, eorum præsertim, quæ à creata voluntate dependent.

III. Vtrùm omnia futura sint actu præsentia in æternitate secundùm proprias existentias, antequam existant in propria mensura.

IV. Vtrùm Deus certò & infallibiliter cognoscat futura contingentia, propter realem præsentiam, quam habent in æternitate, antequam in suo esse producantur in tempore.

V. Vtrùm cognoscat certa cognitione futura contingentia in decreto, siue in prædeterminatione suæ diuinæ voluntatis.

VI. Vtrùm Deus peccata futura infallibiliter cognoscat in aliquo decreto suæ voluntatis.

VII. Vtrùm Deus certò cognoscat futura contingentia prout sunt in suis causis proximis, præsertim quando causæ sunt liberæ.

VIII. Vtrùm futura contingentia ante omne decretum diuinæ voluntatis habeant determinatam veritatem ratione cuius, antè idem decretum possint certò à Deo cognosci vt futura.

IX. Vtrùm Deus ante decretum suæ voluntatis certò cognoscat futura contingentia in ideis eorũ.

X. Vtrùm anteecedenter ad decretum diuinæ voluntatis, sit in Deo coniecturalis cognitio futurorum contingentium.

XI. An ista causalis sit vera; Quia Deus sciuit hoc A contingens futurum esse: ideo futurum est: an è cõuerso, ideo Deus sciat res futuras esse, quia futuræ sunt.

XII. Vtrùm Deus immediatè per suam scientiam, siue per suum intellectum & voluntatem producat res ad extra: an verò præter intellectum & voluntatem, sit in illo constituenda tertia potentia executiua, per quam res immediatè producantur.

DISPVTATIO VI.

Vtrùm conuenienter diuidatur scientia Dei in scientiam simplicis intelligentiæ, & scientiam visionis.

Prima sententia est Gregorij in 1. d. 16. q. 1. vbi non admittit in Deo scientiam simplicis intelligentiæ, sed tantùm scientiam visionis, & per hanc scientiam (inquit) Deum cognoscere omnia possibilia, quæ nunquam erunt. Eandem sententiam videtur tenere M. Zumel 1. p. q. 14. art. 5. disp. 1. in solutione ad primum argumentum. Pro qua,

C Arguitur primò, ratione Gregorij. Illa cognitio, inter quam & obiectum nihil mediat est intuitiua: sed inter scientiam Dei, & quodlibet obiectum cognitum ab illo nihil mediat: ergo omnis cognitio Dei est intuitiua, ac per consequẽs nulla erit in illo sciẽtia simplicis intelligentiæ, quam constat abstractiuam esse. Minor probatur, inter Deum & creaturas nihil mediat: ergo neque inter scientiam Dei, & creaturas; scientia enim Dei est ipsum esse diuinum.

Arguitur secundò. Scientia diuina est ratio cognoscendi omnia perfectissimè: ergo intuitiuè. Patet consequentia nam scientia intuitiua est omnium perfectissima.

Arguitur tertiò. Creaturæ non terminant cognitionem diuinã in seipsis, sed in essentia diuina, quæ

est immediatum obiectum scientiæ Dei. Ergo eodem modo terminant scientiam diuinam, siue existant in seipsis, siue nó existant. Ergo, vt scientia Dei sit intuitiua respectu creaturarum, non requiritur, quòd actualiter existãt in seipsis; ac per consequens scientia Dei, qua cognoscit creaturas possibiles, erit intuitiua, seu scientia visionis. Nulla ergo est in illo scientia simplicis intelligentiæ.

Confirmatur: nam alias nón haberet Deus cognitionem intuitiuam futurorum, præsertim contingentium, nisi quando actualiter existunt in seipsis; quod est contra S. Thom. 1. p. q. 14. articulo 9. Sequela probatur: nam futura nondum existunt, ergo si scientia, qua Deus cognoscit possibilia, non est intuitiua, quia non existunt: etiam futurorum scientia non erit intuitiua, quia non existunt.

Arguitur quartò, ratione Mag. Zumel. Ad notitiã intuitiuam alicuius obiecti non est necessarium, quòd cognoscatur, vt existens in seipso: sed sufficit, quòd cognoscatur in alio obiecto intuitiuè cognito, in quo res illa repræsentatur & continetur eminenter & virtualiter, multò melius quàm in seipsa: sed omnes res creatæ & creabiles, etiam si nunquam sint producendæ, continentur repræsentatiuè, & eminenter in essentia diuina, tanquam in obiecto priùs cognito intuitiuè; ergo omnia, etiam possibilia, cognoscuntur à Deo intuitiuè; nulla ergo est in Deo scientia abstractiua.

Arguitur quintò, si in Deo esset distinguenda duplex scientia, nempè simplicis intelligentiæ, & scientia visionis, sequeretur, quòd scientia Dei deberet significari pluraliter, & non singulariter. Sequela probatur: nam in Deo nominantur pluraliter ideæ, quia sunt plures, & similiter rationes rerum dicuntur in Deo pluraliter, quia sunt plures: potentia autem nominatur singulariter, quia est vna: ergo si in Deo sunt plures scientiæ, debent nominari pluraliter, sicut ideæ. Quod tamen est contra communem Theologorum sententiam, & contra S. Thom. 1. p. d. 36 quæstione 2. articulo 2. ad 4

II. Secunda sententia est illorum, qui arbitrantur in prædicta diuisione esse addendum tertium membrum: dicunt enim, in diuino intellectu, nostro modo intelligendi, triplicem reperiri scientiã: prima est simplicis intelligentiæ: secunda, scientia approbationis: tertia scientia visionis. Ita tenet Dur. in 1. d. 36. quæst. 1. & Asturicensis in select. de Christi gratia, q. 6. dub. 1. pag. 617. & pro hac sententia

Arguitur sexto, auctoritate S. Thom. quæst. 3. de verit. art. 3. ad 8. vbi expresè constituit illa tria membra, & inquit, quòd scientia approbationis supra notitiam simplicis notitiæ, addit ordinem voluntatis ad res scitas producendas: scientia autem visionis addit existentiam rerum, & 1. p. q. 14. art. 8. inquit, quòd scientia Dei, quæ est causa rerum, consueuit appellari scientia approbationis.

Arguitur septimò, Scientia approbationis & visionis habent distincta obiecta: ergo distinguuntur tanquam duæ scientiæ, saltem eminenter, ac per consequens in Deo est triplex scientia. Antecedens probatur: Scientia approbationis fertur in bona, quæ in aliqua differentia temporis habebunt esse: in mala enim ferri non potest, cùm Deus non approbet, sed reprobet illa, iuxta illud: *Odio est Domino impius, & impietas eius.* Sapientiæ 14 Scientia autem visionis fertur in omnia, quæ habent esse in aliqua differentia temporis, siue sint bona, siue mala, etiam malitia morali: ergo.

Arguitur octauò: Scientia approbationis est causa rerum, vt patebit infrà: Scientia autem visionis non est causa rerum, cùm supponat earum existentiam tanquam obiectum, ac per consequens supponat res

A producta. Ergo scientia approbationis distinguitur à scientia visionis, ac per consequens erit in Deo triplex scientia constituenda.

Confirmatur: Scientia approbationis est practica in Deo: scientia autem visionis non est practica per se loquendo: alias Deus esset causa peccatorum, cùm ea cognoscat per scientiam visionis: Ergo scientia visionis distinguitur à scientia approbationis.

Tertia sententia affirmat, quòd inter scientiam III.
merè naturalem, seu simplicis intelligentiæ, & inter scientiam merè liberam, quæ est scientia visionis, cõstituenda est quædam scientia media, quæ solet appellari à quibusdam scientia conditionata, seu futurorum conditionatorum, de qua tamen disputatione

B sequenti agendum erit.

Quarta sententia, quæ magis communis est inter Thomistas, &, nostro iudicio, est expressa S. Thomę, consistit in duabus propositionibus.

Pro cuius explicatione notandum est, quod, vt docet S. Tho. *quæst. 2. de ver. artic. 9. ad 2. Scientia simplicis notitiæ, & scientia visionis nullam differentiam important in Deo ex parte scientis: sed solùm ex parte rei scitæ, dicitur enim scientia visionis in Deo ad similitudinem visus corporalis, qui res extra se positas intuetur. Vnde per scientiam visionis Deus scire non dicitur, nisi quæ sunt extra ipsum, quæ sunt, vel præsentia, vel præterita, vel futura. Sed scientia simplicis notitiæ etiam est eorum, quæ nec sunt, nec erunt, nec fuerunt, nec alio modo scit Deus ista & illa.* Vnde quamuis Deus intuitiuè suam essentiam, existentiam, omnia attributa, &

C personas diuinas cognoscat: & generali quadam ratione, possit huiusmodi cognitio, vt terminatur ad ea, quæ formaliter sunt in Deo, scientia visionis appellari, nihilominùs S. Thom. & Doctores Scholastici, cùm scientiam diuinam diuidunt in scientiam simplicis intelligentiæ, & scientiam visionis: loquuntur de scientia Dei, in ordine ad obiecta eius secundaria, videlicet, in ordine ad creaturas.

Notandum secundò, quod ea, quæ sunt, fuerunt, IIII.
vel erunt in aliqua differentia temporis, possunt dupliciter considerari. Primo modo secundùm quidditatem ipsius existentiæ, & omnium accidentium. Secundo modò, quatenus exercent actum existentiæ pro aliqua differentia temporis: & secundùm has duas considerationes distinctas, poterunt ad

D distinctam Dei scientiam pertinere. Etenim si considerentur, quatenus in actu exercito habent, vel habebunt in aliqua differentia temporis actualem existentiam, cognoscuntur à Deo per scientiam visionis: si autem considerentur secundùm quidditatem, cognoscuntur à Deo per scientiam simplicis intelligentiæ, ita docet S. Thom. in 3. sentent. ad Annib. distinct. 14. quæst. vnic. artic. 2. in corp. vbi ait: *Quòd in Verbo, siue in Deo distinguitur duplex cognitio, vna quæ dicitur visionis, per quã videt Deus quasi præsentia omnia quæ sunt, erunt, & fuerunt: alia dicitur simplicis intelligentiæ, per quã non solùm illa scit, sed etiam omnia quæ potest facere.* Et idem dicit *quæst. 2. de verit. artic. 9. cit. ad 2.* Quibus verbis manifestè supponit, Deum per scientiam simplicis notitiæ etiam

E cognoscere quæ sunt fuerunt, vel erunt; quod intelligendum est secundùm quidditatem: nam vt exercent actum existentiæ, cognoscuntur per scientiam visionis. Probatur hoc: quia (vt docent omnes Thomistæ 1. *par. quæst. 34. artic. 3.*) Verbum diuinum procedit, non solùm ex cognitione essentiæ diuinæ omnium attributorum eius, personarum; & omnium creaturarum possibilium: sed etiam ex cognitione creaturarum, quæ habebunt esse in aliqua temporis differentia, cùm procedat ex cognitione comprehensiua essentiæ diuinæ, & ex cognitione

perfectissima,

Digitized by Google

perfectiſſima,quæ Deo poteſt competere : ergo per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ,ſeu naturalem,cognouit Pater omnes creaturas,non ſolum poſſibiles, ſed etiam producendas , conſideratas tamen ſecundum quidditatem.Patet conſequẽtia:nam ante productionem Verbi non poterat eſſe in Deo cognitio libera creaturarum , quæ dicitur ſcientia viſionis, quia,vt docet S. Thom.1 *par q.* 33.*art.*3.*ad* 1.ea quæ importãt in Deo reſpectum ad creaturas exiſtentes, ſicut ſcientia viſionis,ſupponunt notionalia,& perſonas productas. Præterea , ſcientia viſionis ſupponit liberum decretum diuinæ voluntatis, ſed ante productionem diuinarum perſonarum nullum fuit in Deo liberum decretum voluntatis eius: ergo ante productionem diuinarum perſonarum,non intelligitur in Deo ſcientia viſionis reſpectu creaturarum.Cùm ergo cognitio productiua Verbi ſe extendat ad omnes creaturas , relinquitur , quòd per ſcientiam naturalem,ſeu ſimplicis intelligentiæ,cognouerit Deus ſecundum quidditatem omnes creaturas exiſtentes in aliqua differentia temporis.

V Prima concluſio.Scientia Dei ſufficienter diuiditur in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ,& in ſcientiam viſionis. Probatur primò:nam S.Thom.ita diuidit ſcientiam Dei in pluribus locis,præſertim 1. *par quæſt.* 14.*art.*9.*&* 5.*p. q.*10.*art.*2.*ad* 2. *& art.*3.*in fin.corp.&q.*13.*art.*1.*ad* 2.*&* 1.*c. nt.Gentes,cap.*66.*&* 69. *ad* 11.*quodlib.*3.*art.*4.*in corp.& de verit.q.*8.*art.*4.*&q.* 20.*art.*4.*& in* 1.*diſt.*38.*q.*1.*art.*4.*&in* 3.*diſt.*14.*q.*1.*art.* 2.*q.*2.*& in* 4.*diſt.*49.*q.*2.*art.*5.

Probatur ſecundò:Inter ens,& non ens nullum datur medium,cùm opponantur contradictoriè.ergo neque inter obiectum ſcientiæ viſionis , & ſimplicis intelligentiæ. Patet conſequentia nam obiectum ſcientiæ viſionis eſt ens actu exiſtens in aliqua menſura,ſiue in aliqua differentia temporis:obiectũ autem ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ eſt non ens, ſiue quod non exiſtit in aliqua differẽtia temporis: ergo inter ſcientiam viſionis , & ſimplicis intelligentiæ non datur media ſcientia : implicat enim quòd detur media ſcientia ſine medio obiecto,cum ſcientia ſpecificetur ab obiecto.

Confirmatur nam, vt docet S. Thom. locis ſup. cit. Deus per ſcientiam viſionis cognoſcit omnia entia,quæ habent eſſe in aliqua differentia temporis,ſiue præſentis , ſiue præteriti , ſiue futuri : nam omnia illa ſunt Deo præſentia in æternitate : per ſcientiam autem ſimplicis intelligentiæ cognoſcit ea , quæ in nulla differentia temporis , & in nulla menſura habent,neque habebũt eſſe:Ergo per iſtam duplicem ſcientiam ſufficiẽter cognoſcit Deus omnia cognoſcibilia. Probatur conſequentia Quia nõ datur aliud obiectum medium inter exiſtens,& non exiſtens,vt dictum eſt.

Probatur tertiò : In nobis nulla datur media notitia inter intuitiuam , & abſtractiuam : ſed omnis notitia noſtra ſufficienter diuiditur in intuitiuã,quę eſt rei præſentis,& abſtractiuã , quæ eſt rei abſentis: ergo ſimiliter in Deo ſcientia ſufficienter diuiditur in ſcientiam viſionis,quæ terminatur ad res exiſtentes in æternitate,&ſcientiam ſimplicis intelligentię, quæ terminatur ſecundariò ad res poſſibiles , & ad alia , quæ non exiſtunt in æternitate , neque habebunt eſſe in aliqua menſura.

Probatur quartò : nam , vt docent communiter Theologi 1.*par quæſt.* 10.*artic.* 2. *&* 3. anima Chriſti videt in Verbo omnia, quæ Deus ſcit ſcientia viſionis:ergo ſi Deus per ſcientiam viſionis cognoſcit nedum actu exiſtentia in aliqua temporis differentia, ſed etiam omnia poſſibilia , ſequeretur quòd anima Chriſti videret omnia,quæ Deus facere poteſt,& ita comprehenderet Dei,potentiam, & ſcientiam,quod A eſt contra S Thom 1.*par.qu.*12.*articul.*7.*&* 3.*par. qu.* 10. *cit.*ergo ſolum diſtinguenda eſt in Deo duplex ſcientia,ſcilicet ſimplicis intelligentiæ , & viſionis.

Secunda concluſio Scientia approbationis non VI.
diſtinguitur à ſcientia viſionis , non ſolùm ex parte ſcientis,ſed nec etiam ex parte obiecti cogniti.

Probatur primò.Nam S.Thomas aliquando diuidit ſcientiam Dei in ſcientiam viſionis,& ſimplicis intelligentiæ,vt locis ſuprà cit.aliquando verò eam diuidit in ſcientiam approbationis,& ſimplicis intelligentiæ,vt *quæſt.* 7. *de verit. artic.* 8. *in corp* ſentit ergo,quòd ſcientia viſionis , & approbationis , non diſtinguuntur intra genus ſcientiæ.

Secundò probatur. Eo ipſo quòd Deus voluntate efficaci determinauit aliquid eſſe futurum,ſit illi B præſens in æternitate etiam ſi reſpectu noſtri temporis ſit futurum:ergo cognoſcit illud ſcientia viſionis,ſeu intuitiua.Patet conſequentia nam vt cognitio ſit intuitiua,ſufficit,& requiritur , quòd terminetur ad obiectum exiſtens in illa menſura: qua ipſa cognitio menſuratur : cùm ergo ſcientia approbationis in Deo menſuretur æternitate,in qua omnia futura exiſtunt actualiter , ſecundum proprias exiſtentias;relinquitur,ſcientiam approbationis quæ futura reſpicit,eſſe ex parte obiecti cogniti ſcientiam viſionis.

Probatur tertiò,quia,vt docet S.Thom.*quæſt.*3.*de verit.art.*3.*ad* 8. ordo voluntatis ad res ſcitas producendas , quem addit ſcientia approbationis ſupra ſcientiam ſimplicis intelligentiæ , eſt extra genus notitiæ ergo non poteſt eſſe per ſe differentia diuidens ſcientiam Dei & eam cõtrahens etiam noſtro C modo intelligendi ad particularem ſpeciem. Patet conſequentia nam differentia diuidens per ſe aliquod genus debet addere aliquid contentum ſub illo genere.Et ſi fiat argumentum contra iſtam rationem: nam ſequeretur , quòd etiam ſcientia viſionis non diſtinguatur in Deo à ſcientia ſimplicis intelligentiæ : quia exiſtentia actualis rerum , quam addit ſcientia viſionis ſupra ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, eſt extra genus notitiæ vt in eadem ſolutione ad octauum docet expreſsè S.Thom.vnde ſcientia de roſa nõ variatur ſiue roſa exiſtat,ſiue non exiſtat Reſpondetur quòd vt docet S.Tho.*q.*1.*de verit. art.*9.*ad* 1. ſcientia ſimplicis intelligentiæ,& ſcientia viſionis nõ diſtinguũtur in Deo ex parte ſciẽtis, D ſed ſolùm ex parte rei ſcitæ dicitur enim ſcientia viſionis in Deo ad ſimilitudinem viſus corporalis,qui res extra ſe poſitas intuetur:ſed ſciẽtia ſimplicis notitiæ eſt eorum , quæ nec ſunt , nec fuerunt , neque erunt , & ita conuenienter diuiditur ſcientia Dei ex parte obiecti cogniti , in ſcientiam viſionis , & ſimplicis intelligentiæ. Reſpondetur ergo , argumentum ſolùm concludere, hæc duo membra non diuidere ſcientiam Dei ex parte ſcientis , ſed ex parte obiecti cogniti.

Ad primum argumentum reſpondetur Ad ſcien- VII.
tiam viſionis non ſufficere quòd inter illam & obiectum cognitum nihil mediet:ſed requiritur quòd terminetur ad obiectum actu exiſtens in illa menſura , qua menſuratur ipſa ſcientia. E

Ad ſecundum reſpondetur, quòd ſcientia diuina quantum eſt ex parte ſcientis , ſiue ipſius ſcientiæ, ſufficientiſſima ratio eſt cognoſcendi omnes creaturas intuitiuè : ſed ex parte obiecti cogniti , quod non exiſtit actu in aliqua menſura, prouenit , quòd cognitio talis obiecti non ſit intuitiua.

Ad tertium reſpondetur , quòd ex parte cognoſcentis Deus cognoſcit omnes creaturas, tantùm in ſeipſo : quia per ſuam eſſentiam, & non per propriam & adæquatam ſpeciem eas cognoſcit , vt *prima parte quæſtione* 14.

Digitized by Google

artic.5. & artic.6. ad 3. & quæst.2. de verit. artic.2. ad 2. docet S. Thom. Ex parte autem obiecti cogniti, non solùm cognoscit creaturas in seipso, sed etiam in seipsis, vt docet S. Thom. 2 *par. quæst.10. artic.2. ad 2.* vnde aliter se habent creaturæ in ordine ad scientiam Dei, quando existunt, & quando non existunt actu.

A

Ad confirmationem, illi auctores, qui negant res futuras actu existere in æternitate secundùm proprias existentias, dicunt consequenter, Deum non habere scientiam intuitiuam creaturarum, nisi quãdo actu existunt in propria mensura: sed hæc sententia impugnabitur disputat. 8. vbi ostendemus omnia futura actu existere in æternitate secundùm proprias existentias. Vnde ad argumentum respondetur, quòd, vt aliqua cognitio sit intuitiua, sufficit quòd terminetur ad obiectum existens in ordine ad illam mensuram, qua mensuratur ipsa cognitio: vnde vt Deus cognoscat futura contingentia intuitiuè, sufficit quòd actu existant in æternitate, qua mẽsuratur diuina cognitio: quia ergo illa quæ tantùm sunt possibilia, & nunquam erunt, nullam habent existentiam in propria mensura, nec in mensura æternitatis, ideo non cognoscuntur à Deo intuitiuè, sed scientia simplicis intelligentiæ: & per hæc respondetur ad quartum argumentum, negando antecedens.

B

Ad quintum respondetur cum S. Thom. *in 1. sent. dist. 56. quæst. 2. artic. 2. ad 3.* quòd essentia diuina est vna & simplicissima; respectus autem ad creaturas sunt plures: & ideo illud, quod nominat tantùm diuinam essentiam, non potest pluraliter significari: & huiusmodi est scientia, quæ tenet se magis ex parte scientis tanquam perfectio illius: ratio autem se tenet magis ex parte rerum, similiter etiam idea medio modo se habet, quia importat essentiam diuinam, & rationem imitationis, quæ est secundùm respectus ad creaturas: vnde tam ratio, quàm idea possunt in Deo significari pluraliter, non autem scientia, sicut nec potentia diuina.

C

VIII. Ad sextum argumentum pro secunda sententia respondetur ex dictis; quòd licèt scientia approbationis dicat respectum; & habitudinem voluntatis ad res cognitas producendas in propria mẽsura, illæ tamen ab æterno sunt Deo præsentes in æternitate: vnde obiectum scientiæ approbationis re vera cognoscitur à Deo per scientiam visionis, ac per cõsequens non distinguuntur in ratione scientiæ ex parte obiecti cogniti.

D

Mala quomodo cadant sub scientia Dei practica.

Ad septimum respondetur, quòd scientia visionis etiam in ordine ad mala, habet rationem scientiæ practicæ, non quidem positiuè causando mala, vt mala sunt; sed ea permittendo, vel impediendo: vnde S. Thom. 1. *par. quæst. 14. art. 16. in corp.* inquit, *quod mala licèt à Deo non fiant operabilia, tamen sub cognitione practica ipsius cadunt, sicut & bona, inquantùm permittit vel impedit & ordinat ea: sicut ægritudines cadunt sub scientia practica medici inquantum per artem humanam curat eas.* Vnde dicendum est quòd quamuis Deus scientia approbationis non approbet mala, approbat tamen eorum permissionem.

E

Disput. 24.

Respondetur secundò, quòd licèt Deus non approbet mala absolutè loquendo: approbat tamen, & vult esse omnem rationem boni, quæ in malis reperitur: quia omne bonum per participationem inquantum bonum est, cadit sub Deo, & consequenter est ab illo volitum, vt patebit infrà: quomodo enim esset aliquid, nisi voluisset ipse?

Ad octauum argumentum respondetur, quòd scientia visionis non supponit rerum existentias in propria mensura, sed eas causat: quamuis in æternitate simul sit scientia visionis, & rerum producendarum existentiæ vt dictum est.

Ad confirmationem respondetur per ea, quæ dicta sunt ad septimum argumentum.

DISPVTATIO VII.

Vtrùm scientia Dei sufficienter diuidatur in scientiam merè naturalem, & merè liberam: an præter vtramque, sit in Deo scientia media constituta à respectu futurorum conditionatorum, ab humana voluntate dependentium.

QVoniam potissimum fundamentũ eorum, qui efficaciam auxilij prædeterminantis gratiæ non admittunt, consistit in quadam scientia media, quam in Deo constituunt, vt ex illa infallibilitas futuri consensus liberi arbitrij, & certitudo prædestinationis, quantum ad effectus consequutionem desumatur; oportet ad plenam intelligentiam eorum, quæ de efficacia auxiliorum diuinæ gratiæ dicenda erunt, pressiùs examinare: vtrum huiusmodi scientia sit possibilis, ac per consequens, vtrum sit in Deo.

Scientia media quid significet.

Et vt titulus quæstionis manifestus fiat, notandũ est, quod in hac parte non est quæstio de nomine scientiæ mediæ, sed de re ipsa, quę hoc nomine significatur. Quòd aduertere oportet propter eos, qui huiusmodi scientiam nunc visionis, nunc simplicis intelligentiæ, nunc scientiam mediam appellant, nunc conditionatam, nunc autem futurorum contingentium conditionatorum à voluntate creata dependentium, quæ quidem de facto non sunt futura absolutè, essent tamen futura, si talis, vel talis conditio poneretur; confundentes hæc omnia, cùm tamen re vera non sint idem. Certissimum est enim, Deum certò & infallibiliter cognoscere non solum quæ futura sunt absolutè: sed etiam quæ re vera futura essent ex decreto diuinæ voluntatis, si poneretur in esse talis, vel talis conditio. Controuersia ergo est, vtrùm Deus ante omne decretum suæ voluntatis, prædeterminantis consensum Petri absolutè futurũ, vel ex hypothesi, quod constitueretur in talibus circunstantiis, certò sciat in particulari, an Petrus sit consensurus posita illa conditione, an potiùs dissensurus: & eadem difficultas procedit de omnibus aliis consimilibus conditionatis: si enim ita esset, quòd ante omne decretum liberum diuinæ voluntatis, prædictæ propositiones conditionatæ habeant determinatam veritatem, aut determinatam falsitatem, negari non potest, Deum certò & infallibiliter id præscire, cum eius scientia sit infinita, & extendat se ad omne obiectum scibile. Si autem dicatur, non esse certum, in quam partem determinatè inclinaret voluntas Petri posita illa cõditione: sed tantùm esse certum, quòd posset in quamlibet partem inclinare si vellet; consequenter dicendum erit, Deum ante prædictũ decretum suæ voluntatis non cognoscere certò & infallibiliter, an Petrus adimpleta illa conditione, esset in particulari consensurus, an dissensurus: sed solùm cognoscere quid posset facere.

Igitur in Deo esse constituendam ante decretum diuinę voluntatis prædictam scientiam mediam, docent quidam Theologi, vt *Disp. 4. n. 1. & 2.* visum est. Alij ita certam esse hanc sententiam existimant, vt traditam esse in sacris literis affirment à sanctis Patribus, & ab antiquis doctoribus Scholasticis recognitam, atque adeò ab omnibus rectè de diuinis sentientibus,

Digitized by Google

ſentientibus, docendam. Addúntque iam ferè nullum eſſe, qui audeat negare in Deo ſcientiam hanc. Sed quàm ſine fundamento hæc dicantur, huius diſputat. diſcurſus demonſtrabit. Probant autem ſuam ſententiam ſequentibus argumentis.

Primò arguunt ex multis teſtimoniis ſacræ Scripturæ, ex quibus colligi putant ante decretum diuinæ voluntatis prædictam ſcientiam mediam, ſeu futurorum conditionatorum eſſe in Deo. Primum
1. Reg. 23. teſtimonium habetur 1. Reg. 23. vbi Dauid conſuluit Dominum, an ſi maneret in ciuitate Ceilæ venturus eſſet Saul; & an ſi ipſe maneret, & ille veniret, ac circundaret ciuitatem, Ceilitæ eſſent illum tradituri & ad vtrumque reſpondit Deus: *Et Saul veniet, & hi tradent te.* Quo audito, aufugit Dauid, & neque Saul venit, neque Ceilitæ tradiderunt Dauid. tota igitur veritas illius reuelationis poſita erat in illis cõditionalibus: *Si expectlaueris, veniet Saul: ſi Saul venerit, tradẽt te*: ergo futura cõditionata ſcientia infallibili cognoſcuntur a Deo: ſed non cognoſcuntur per ſcientiã naturalẽ, quia hæc ſolùm eſt de neceſſariis & poſſibilibus; nec per ſcientiam liberam, quia hæc ſolùm eſt de exiſtentibus in aliqua differentia temporis, vel in aliqua ſuperiori mentura: ergo cognoſcuntur per ſcientiam mediam, ſeu conditionatam.

Matth. 11. Secundum teſtimonium eſt illud Matt. 11. *Væ tibi Corozain, væ tibi Betſaida, quia ſi in Tyro & Sydone facta eſſent virtutes, quæ in te facta ſunt, olim in cilicio, & in cinere pœnitentiam egiſſent*, vbi Chriſtus Dominus hoc futurum conditionatum reuelauit. Si miracula facta in Corozain & Betſaida, facta fuiſſent in Tyro & Sydone, conuerti fuiſſent. ergo certa ſcientia Chriſtus Dominus cognouit hæc futura conditionata, quę tamen reipſa non erant futura: ergo neceſſariò conſtituenda eſt in Deo ſcientia conditionata, ſeu media.

Matth. 24. Tertium teſtimonium habetur Matt. 24. *Niſi breuiaſſi fuiſſent dies illi, non fuiſſet ſalua omnis caro, ſed propter electos breuiabuntur*: ergo Chriſtus certò ſciebat hoc futurum conditionatum, ſi perſequutio Antichriſti duraret maiori tempore notabiliter, electi qui tunc eſſent, deficerent, & damnarentur; ergo.

Sap. 4. Quartum teſtim. eſt illud Sap. 4. *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum eius, & ne fictio deciperet animã illius*, in quibus verbis includitur quoddam futurum conditionatum, à Deo cognitum, videlicet, ſi iuſtè electus non tollatur modò è vita, cadet poſtea in peccatum, & damnabitur; & tamen illud futurum eſt conditionatum: ergo.

Iſai. 1. Quintum teſtimonium habetur Iſa. 1. *Niſi Dominus Sabbaoth reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorrha ſimiles eſſemus.* In quibus verbis includitur hoc futurum conditionatum Deo cognitum ſi non remaneant reliquiæ, id eſt, aliqui iuſti in Iſrael, totaliter deſtruentur ſicut Sodoma, & Gomorrha.

Luc. 16. Sextum teſtim. legitur Lucæ 16. *Si Moyſen & Prophetas non audiunt, neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent*, ecce Deo certò cognitum eſſe oſtenditur hoc conditionatum futurum, ſi quis ex mortuis reſurrexerit, & prædicauerit eis, non credent. Similiter etiam Ezechiel. 3. dixit Dominus ad Prophetam. *Non ad populum profundi ſermonis & ignotæ linguæ tu mitteris, & ſi ad illos mitteretis, ipſi audirent te.* Vbi reuelatum eſt tanquam certum hoc futurum conditionatum, ſi Ezechiel mitteretur ad populum ignotæ linguæ, audirent illum

4. Reg. 13. Septimum teſtimonium deſumitur ex 4. Reg. 13. vbi Eliſæus dixit ad Ioas Regem Iſrael: *Si percuſſiſſes quinquies, aut ſexies, ſiue ſepties* (ſcilicet terram) *percuſſiſſes Syriam uſque ad conſumptionem*, vbi manifeſtè tanquam certum reuelatur cõditionatum futurum ex hypotheſi, quòd ſi Rex percuſſiſſet baculo quinquies terram, hoc ſexies, aut ſepties. Hęc autem omnia futura conditionata cognoſcuntur à Deo per ſcientiam mediam: cum non poſſint ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, quæ ſolum eſt de poſſibilibus: nec ad ſcientiam viſionis, quæ ſolum terminatur ad res actu exiſtentes, pertinere; ergo neceſſariò conſtituenda eſt in Deo ſcientia media.

II. Secundò, id probant auctoritate SS Patrum, qui hanc ſcientiam mediam futurorum conditionatorum Deo videntur tribuere, præſertim ſanctus Chryſoſtom. homil 31. ſuper Matth. vbi ait: *Quemadmodum ad alios tunc acceſſit, vocauitque quanao obtemperaturos ſciebat; ſic Matthæum quoque tunc vocauit, quando miraculorum fama prædomitum, minimè reluctaturum videbat. Qua de cauſa etiam Paulum poſt reſurrectionem piſcatus eſt: nam qui corda ſcrutatur, & occulta mentium perſpicit, is etiam quando vnuſquiſque ad obediendum paratus erat, non ignorauit. Propterea non continuò incipiens, quando durior fuit, ſed poſt mille miracula, & inſignem & promulgatam famam aptiorem iam ad obtemperandum vocauit.* Et *hom.* 65. quærit, cur non priùs Chriſtus Dominus Paulum vocauit, & reſpondet: *quia præſciuit ipſum repugnaturum vocationi*; & idem dicit de latrone. Verba Chryſoſtomi ſunt hæc: *Sed cur nam (inquies) non ſtatim omnes conduxit? Omnes quidem ille ab initio conduxiſſe voluiſſet; ſi verò non omnes eodem tempore paruerunt, à voluntate vocatorum hæc differentia reſultauit. ideirco alij manè, alij tertia, alij ſexta, alij nona, alij vndecima hora vocantur, quia tunc obtemperaturi erant, quod & Paulus aperte ſignificauit, dicens*: Quando autem acceptauit Deus, qui ſeparauit me à ventre matris meæ? *Quando porrò Deus voluit? quando certè obtemperaturus erat; nam ipſe à primis etiam incunabilis voluiſſet: ſed quia illum renixurum ſciebat, tunc voluit, cùm animum ipſius penetraturam vocationem non ignorabat, ſic & latronem eum poſtea vocauit, potuiſſet antea ipſum vocaſſe, ſed vocatus ille non paruiſſet.*

Chryſoſt homil. 31. ſuper Matth.

Hom. 65.

Galat. 1. c.

Eãdem ſcientiam mediam in Deo conſtituere (inquiunt) S. Auguſtinum in libro de ſex quæſtionibus Paganorum, q. 2. vbi ait: *Tunc voluit Chriſtus hominibus apparere, & apud eos prædicare ſuam doctrinam, quando & vbi ſciebat eſſe, qui in eum fuerant credituri: his enim temporibus, & his in locis tales homines in eius prædicatione futuros eſſe præſciebat quales non quidem omnes, ſed tamen multi in eius corporali præſentia fuerunt, qui neque in eum (ſuſcitatis ab eo mortuis) credere voluerunt.* Et quæſt. ſecunda ad Simplician. inquit: *Cuius autem miſeretur, ſic eum vocat, quomodo ſcit ei congruere, vt vocantem non reſpuat.* Quibus verbis ſatis apertè docet, Deum habere certam ſcientiam huius futuri conditionati, ſi in tali tempore vocauero iſtum tali vocatione, conſentiet: ſi autem in alio tempore eum vocauero eadem vocatione, non conſentiet: Item *libro de correptione & gratia capit.* 12. loquens de præſcientia, qua Deus præſciuit primum parentem peccaturum conſtitutum in paradiſo: *Præſciente* (inquit) *Deo quid ille eſſet facturus iniuſtè, præſciente tamen, non adhuc cogente, ſed ſimul ſciente quid ipſe de eo eſſet facturus iuſtè.* Et *lib. de natura & gratia, cap.* 26 tractans quomodo Deus permittat lapſum prædeſtinati, quia nouit illum cautionem futurum, ait: *Hoc ſuperbus animus non ſapit, ſed magnus eſt Dominus, qui perſuadet quomodo ipſe nouit.*

Auguſt epiſt. 49. q. 2.

Auguſt. q. ad Simplicianum.

Li. de nat. & gratia cap. 26.

Idem

S. Amb. Idem probatur ex S. Ambroſ. ſuper cap. 9. ad Rom. dicente: *Hi ſecundùm propoſitũ vocantur quos credẽtes præſciuit Deus futuros ſibi idoneos, vt antequam crederent, ſcirentur.* Idipſum colligunt ex S. Greg. *lib. 23. Mor. cap. 23.* vbi ſic loquitur: *Suos Deus aliquando flagellis premit, & oneribus grauat, quia mera potentia præuidet, quòd ſi in tranquillitate perſiſterent, tentationes ferre aduerſarij non valentes, mentis proſtrati vulneribus iacerent.* Sentit ergo Deum habere huius futuri conditionati præſcientiam, ſi in tranquillitate iuſti perſiſterent, aduerſarij tentationibus ſuccumberent.

S. Greg.

S. Thomas. Denique eandem præſcientiam mediam putant fuiſſe traditam à S. Th. *3. p. q. 1. art. 5. ad 2. & q. 24. de verit. a. 14. in corp.* dum ait: *Omnes autem exteriores motus à diuina prouidentia moderantur. ſecundùm quod ipſe iudicat aliquem eſſe excitandum ad bonum his vel illis actionibus,* & *1. con. Gen cap. 66. 67. & 68.* ait, quòd Deus cognoſcit futura in ſuis cauſis, ex quibus SS. Patrum verbis deduci volunt in Deo ante liberum decretum ſuæ voluntatis conſtituendam eſſe omnino ſcientiam mediam, ſuperius explicatam.

In confirmationem eiuſdem doctrinæ, afferuntur alia pene innumera antiquorum Patrum, & Scholaſticorum teſtimonia, qui vnanimiter docent, Deum præſciuiſſe primos parentes conſenſuros in peccatum, ſi tentarentur à ſerpente; & ſimul etiam agnouiſſe modum, quo illis erat remedium allaturus; & hæc præſciens illos creaſſe: & idem dicunt de aliis huiuſmodi futuris conditionatis contingentibus, ergo.

III. Tertiò probant eandem ſententiam, & neceſſitatem huius ſcientiæ conditionatæ, ex diuinæ prouidentię perfectione, & effectibus illius: nã huiuſmodi ſcientia eſt vtiliſſima ad prudenter apponendum media proportionata fini intento. Id quod ex rebus humanis coniectare licet: nam ſi ego cupio aliquid alteri perſuadere, vt prudenter id faciam, multùm ad id confert, noſſe in quo tempore, & opportunitate ſoleat ille melius eſſe diſpoſitus, & quibus rebus magis affici ſoleat, & ſic de aliis circunſtãtiis. Quòd ſi omnino præſcirem, quid eſſet facturus tali & tali modo exoratus; talis cognitio vtiliſſima eſſet ad ſtatuendum, quid agere oporteat: & ad applicandum media accommodata. Sed neceſſe eſt, in Deo ſtatuere quidquid ad perfectiſſimam prudentiam, & prouidentiam conducere poteſt: ergo hæc ſcientia eſt Deo maximè neceſſaria, ergo ante omne decretum ſuæ voluntatis, eſt in illo conſtituenda.

Confirmatur primò, quia Deus non habet efficax decretum aliquid faciendi, niſi præcognoſcat modum, quo illud exequi poſſit: nec antequam cognoſcat media, quibus conſecuturus ſit illud, quod intendit. Ea autem media cognoſcit Deus ſcientia media, ſeu conditionata: qua cognouit Tyrios & Sydonios acturos fuiſſe pœnitentiam, ſi apud illos factæ eſſent virtutes, quæ apud Iudæos factæ ſunt. ergo talis ſcientia conſtituenda eſt in Deo.

Confirmatur ſecundò, & explicatur idem antecedens Nullus, prudenter aliquid ſtatuit de fine, niſi præcognoſcat media apta, & proportionata, quibus conſequetur talem finem: aliàs prouidentia eius eſſet irriſione digna, ſicut illius, de quo dicitur Luc. 14. *Quis ex vobis volens turrim ædificare, non prius ſecum cogitat, an habeat ſumptus ad perficiendum ſufficientes, alioquin dicent. Hic homo cœpit ædificare: & non potuit conſummare.* ergo antequam Deus perfectè ſtatuat electos perducere ad vitam æternam, præcognoſcit media: quibus, ſi eis conferantur, efficaciter peruenient ad illam. ergo ſcit Deus certò hoc futurum conditionatum, ſi Paulo dedero tale auxilium gratiæ, iuſtificabitur & ſaluabitur: ſed Deus non ſolùm habet media illa, quæ prædeſtinatis confert, vt ſaluentur: ſed etiam habet alia penè infinita, quæ ſi conferat illis, vel aliis, etiam ſaluarentur, ergo ante decretum ſuæ voluntatis, certò cognoſcit futura conditionata, quæ eſſent, ſi apponerentur talia media.

Luc. 14.

A

B

C

D

E

Quartò arguitur. Per ſcientiam Theologiæ cognoſcimus nos multa futura conditionata, quæ de facto eſſent, ſi talis vel talis conditio eſſet appoſita. Sicut eſt illud, quod ponit S. Thom. *3. p. q. 1. art. 2.* Si Adam non peccaſſet, filius Dei incarnatus non fuiſſet, & *1. p. q. 97.* Si homo perſeueraſſet in ſtatu innocentiæ, eſſet immortalis: ergo etiam in Deo conſtituenda eſt ſciẽtia infallibilis cuiuſcunque futuri cõditionati, hæc autem eſt ſcientia media. Ergo. IIII.

Quintò arguitur, poſtquam Deus decreuit Petrũ creare, & permittere, vt in tali ordine rerum conſtitutus peccet, præſcit abſolutè illum eſſe peccaturum: ergo antequam ſtatuat illum creare, & conſtituere in tali ordine rerum, præſcit, quòd ſi crearetur, & conſtitueretur in illo: peccaret, & idem eſt de aliis: ergo eſt in Deo ſcientia omnium futurorum conditionatorum, quæ alio nomine dicitur ſcientia media.

Sextò, datur medium inter abſolutè futurum, & poſſibiliter futurum, videlicet conditionaliter futurum: quod nempe futurum eſſet, ſi talis vel talis conditio poneretur: ergo inter ſcientiam merè naturalem, qua Deus cognoſcit omnia poſſibilia: & ſcientiam merè liberam, qua cognoſcit omnia exiſtentia in aliqua differentia temporis; datur ſcientia media, qua cognoſcit omnia futura conditionata.

Septimò, quodlibet futurum conditionatum eſt ſecundùm ſe ſcibile, ergo eſt aliqua ſcientia ſcibile: ſcientia enim & ſcibile, cùm ſint correlatiua, dicuntur ad conuertentiam, ergo talis ſcientia erit in Deo; ſcientia enim Dei, cùm ſit infinita, ſe extendit de facto ad omne ſcibile, & ad omnem differentiam entis, ſiue ſit ens in actu, ſiue in potentia, vt expreſsè docet ſanctus Thomas, parte prima, quæſtione decimaquarta, articulo quinto & nono. Sed illa ſcientia eſt media, ſeu conditionata. Ergo. S. Thom 1. p. q. 14. art 5. & 9.

Confirmatur. Ante omne decretum diuinæ voluntatis, iſtæ duæ propoſitiones ſunt contradictoriæ, ſi Petrus creetur, & conſtituatur in tali ordine rerum, peccabit: ſi Petrus creetur & conſtituatur in tali ordine rerum, non peccabit: ergo altera illarum eſt vera. Patet conſequentia: nam, vt docet Ariſtotel. lib. Periher. Neceſſe eſt, vt duarum contradictoriarum altera ſit vera, altera falſa; ergo conditionatum verũ de futuro cognoſcitur certò à Deo: Deus enim cognoſcit certo omnem veritatem, vt dictum eſt ſuprà: ergo ante omne decretum ſuæ voluntatis, cognoſcit Deus huiuſmodi futura conditionata.

Octauo, hac ſcientia media poſita, facilè, & dilucide concordatur libertas noſtri arbitrij cum diuina præſcientia, prouidentia, & prædeſtinatione; & aperitur aditus, quo Pelagiani & Lutherani ad vnitatem redeant Eccleſiæ Catholicæ: ſine illa autem vix eſt intelligibile, quomodo cohæreat libertas noſtri arbitrij cum illis tribus, ergo neceſſariò eſt in Deo conſtituenda. V.

Nonò, nam, vt fatentur auctores oppoſitæ ſententiæ, motio efficax præuenientis gratiæ eſt de ſe efficax, vt venit à Deo antecedenter ad liberum conſenſum noſtri arbitrij: ergo ante decretum dandi talem motionem, ſcit Deus certò, quòd ſi alicui homini illam tribuat, ſortietur infallibiliter ſuum effectum. ſed ſcientia, per quam Deus id cognoſcit, eſt media, ſeu conditionata, cùm ſit futuri conditionati: ergo verè datur in Deo ſcientia media inter ſcientiam merè naturalem, & merè liberam.

Decimò, eſt argumentũ, quod nõnulli magnificãt, & probare VI.

& probare exiſtimant: ſcientiam futurorum conditionatorum, quæ nunquam erunt, eſſent tamen futura, ſi talis, vel talis conditio poneretur; nullum præſupponere actuale decretum diuinæ voluntatis: ſed omnino illud anteuertere. Nam in Deo nullum poteſt eſſe actuale decretum liberum, ſine aliquo effectu reali producto in aliqua differentia temporis per idem decretum: ſed nullus effectus fuit, aut eſt, neque erit productus in futuris contingentibus conditionatis, quæ futura eſſent, ſi adimpleretur conditio; in re autem futura non ſunt: nulla enim immutatio realis facta eſt in Tyriis & Sydoniis, verbi gratia, per hoc quòd pœnitentiam egiſſent, ſi apud illos facta fuiſſent ſigna, quæ in Corozaim, & Bethſaida facta ſunt. Ergo veritas illius conditionati, & aliorum conſimilium non dependet ex aliquo actuali decreto exiſtente in Deo, ac per conſequens cognoſcuntur à Deo infallibiliter ante prædictum decretum. Maior probatur: nam inter duo extrema abſoluta non eſt poſſibilis diuerſa comparatio relativa, ſine aliqua mutatione reali alterius extremi, quæ ſit fundamentum diuerſæ comparationis relativæ: neque enim duæ quantitates poſſunt diuerſimodè inter ſe comparari, niſi altera mutetur: ſed Deus volendo actuali decreto aliquid liberè, diuerſimodè comparatur ad illud, ac ſi non habuiſſet tale decretum: ergo hæc diuerſa comparatio debet fundari in reali mutatione alterius extremi: ſed non poteſt fundari in reali mutatione ſe tenente ex parte Dei, cùm Deus ſit omnino immutabilis, ergo neceſſariò debet fundari in reali mutatione creaturæ: ac per conſequens omne decretum Dei liberum ponit aliquam realem mutationem in rebus.

Confirmant primò eandem maiorem. Nam omne decretum liberum actuale exiſtens in Deo connotat aliquid, quod potuit non eſſe: alias decretum Dei non fuiſſet liberum, ſed neceſſarium; hoc autem quod connotat, non poteſt eſſe quid intrinſecum ipſi Deo: nam omnia, quæ formaliter, & intrinſecè exiſtunt in illo, ſunt increata, ac per conſequens neceſſaria ſimpliciter. Ergo connotat aliquid exiſtens in creatura, quod potuit non eſſe. Ergo ſemper infert mutationem realem in creatura.

S. Auguſt. Confirmant ſecundò idipſum auctoritate ſancti Auguſtini libro de gratia, & libero arbitrio, capite octauo, circa finem, vbi ait: *Cur Deus prius, quam illi peccarent non rapuit eos? An quia non potuit, an quia eorum mala futura neſciuit? Nihil horum, niſi peruerſiſſimè aut inſaniſſimè dicitur*: vbi clare docet, Deum cognoſcere futura conditionata. Item etiam libro de prædeſtinat. SS. capite 8. inquit: *Si illos, quibus ſtultitia eſt, verbum crucis docere voluiſſet, proculdubio venirent & ipſi*: vbi Auguſtinus agit de contingenti conditionato certo futuro: vt indicant illæ voces. *Proculdubio venirent.* Agit præterea de contingenti habente hanc veritatem futuri conditionati ante decretum diuinæ voluntatis, quod indicant verba illa, *Si docere voluiſſet*: nam veritas cuiuſcunque propoſitionis conditionalis eſt ante poſitionem conditionis, quia conditionalis nihil ponit in eſſe. Adducitur denique ad eandem ſcientiam mediam comprobandam ſanctus Auguſtinus libro de dono perſeuerantiæ, capite decimoquarto, vbi ait: *Ex quo apparet, habere quoſdam in ipſo ingenio diuinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moueatur ad fidem, ſi congrua ſuis mentibus, vel audiant verba, vel ſigna conſpiciant.*

Confirmant tertiò idipſum: nam ad veritatem propoſitionis conditionalis non requiritur, quòd ſit bona conſequentia: ergo, etiam ſi non antecedat decretum diuinum, ratione cuius conſequentia eſt infallibilis; adhuc ſaluabitur veritas intelligibilis in futuris conditionatis. Antecedens probatur ex illo 4. Reg. capite 12. *Si hodie obedieris populo huic, & illius petitioni cederis, & locutus fueris verba lenia, erunt tibi ſerui cunctis diebus*: qui enim hoc conſilium dederunt, putauerunt ſe dicere verum, ac bonum conſilium dare, & tamen non erat neceſſitas conſequentiæ, inter lenitatem Regis, & obedientiam populi: ergo. 3. Reg. 12.

In contrarium eſt: nam, vt patebit infrà, nec ſanctus Auguſtinus, nec ſanctus Thomas, aut alij Doctores antiqui meminerunt vnquam huius ſcientiæ mediæ, inter merè naturalem, & merè liberam, nedum quantum ad nomen ſcientiæ mediæ, ſed neque etiam quantum ad ipſam rem, quæ hoc nomine ſignificatur: nec eſt aliqua neceſſitas, aut ratio vrgens ad conſtituendam talem ſcientiam in Deo: Ergo.

VII. Pro intelligentia huius difficultatis ſupponendum eſt, quòd propoſitio conditionalis dupliciter poteſt accipi. Primo modo in ratione conſequentiæ: ita vt dictio, (*ſi*) accipiatur illatiuè, & tunc ad veritatem propoſitionis conditionalis, ſufficit & requiritur, quòd ſit bona conſequentia, etiamſi conſequens ſit impoſſibile, & ſimiliter antecedens. Vt in hac propoſitione, ſi lapis eſſet homo, lapis eſſet animal rationale, propoſitio eſt vera quia eſt bona conſequentià, quamuis conſequens & antecedēs ſit impoſſibile, quia cōditionalis nihil ponit in eſſe. Ita docet expreſsè sāctus Thomas prima parte, quæſtione vigeſimaquinta, articulo tertio ad ſecundum, & quæſt. 44. articulo primo ad ſecundum, & quæſtione prima de potentia, articulo ſexto ad tertium. Secundo modo accipi poteſt iſta coniunctio (*ſi*) ita, vt importet concomitantiam antecedentis cum conſequente propoſitionis conditionalis, fundatam non quidem in bonitate conſequentiæ ſecundum ſe, ſed ſuppoſita aliqua promiſſione, aut propoſito hominis, vel alia cauſa; ex qua poſito in eſſe antecedenti, poneretur & conſequens. Vt in his conditionatis, ſi heri veniſſes in domum amici, cū nauiſſes cum illo: ſi pro me apud Regem intercеſſeris, dabo tibi equum. Tertiam acceptionem futuri conditionati fingunt nonnulli, in qua dictio (*ſi*) accipiatur ſecundum quandam denominationem, aut concomitantiam diſparatam: vt in hac propoſitione, ſi cras fuerit pluuia Romæ, Petrus diſputabit in Hiſpania.

Secundò ſupponendum eſt, ex principiis dialecticis, omnem propoſitionem conditionalem illatiuam, ſi eſt vera, eſſe neceſſariā: & ſi eſt falſa, eſſe impoſſibilem. Cuius ratio eſt, quia veritas conditionalis illatiuæ cōſiſtit in bonitate conſequētiæ: ſed conſequentia, quæ ſemel eſt bona & formalis, ſemper eſt bona: & quæ eſt mala, ſemper eſt mala: ergo conditionalis vera eſt neceſſaria, & falſa eſt impoſſibilis: vnde non datur conditionalis aliqua contingens. Contrarium huius fundamenti tenet Alphonſus Mendoza in ſuis quodlibetis, quæſtione ſeptima, ad quartum argumentum. Sed noſtra ſententia eſt expreſſa Sancti Thom. opuſcul. quadrageſim. octau. tract. de enunciat. capit. vigeſimo quarto, vbi ait, certum eſſe, hanc conditionalem, ſi homo eſt albus, homo eſt muſicus, eſſe falſam: eo quòd non neceſſariò ad album ſequitur muſicum. Et ex hoc infert ſanctus Doctor, quòd omnis conditionalis vera, eſt neceſſaria: & omnis falſa eſt impoſſibilis: quia, vt dictum eſt, terminus conſequentis neceſſariò ſequitur ad terminum antecedentis. Si autem dictio (*ſi*) non accipiatur in rigore formalis conſequentiæ ſed accipiatur

Propoſitio cōditionalis vera eſt neceſſaria, & falſa eſt impoſſibilis.

Propoſitio cōditionalis nunquā eſt contingens.

Digitized by Google

tur secundo modo, quatenus importat concomitantiam consequentis cum antecedente, tunc ad veritatem conditionalis sufficit & requiritur, vt fundamentum illius concomitantiæ sit a parte rei, & quòd posito in esse antecedente ponatur consequens: etiamsi liberè ponatur, aut contingenter, ita vt possit non poni quia videlicet adhuc posita conditione impediri poterat per alias causas secundas: vt verbi gratia, quòd adsit propositum in promittente, dandi quod promisit sub conditione: si adimpleatur conditio, vt in exemplo posito, si pro me intercesseris apud Regem, dabo tibi equum.

Supponendum tertiò, quòd futura conditionata (quantum attinet ad præsens) sunt in duplici differentia: quædam sunt, quorum consequens, de facto ponetur in esse ex decreto diuinæ voluntatis, dependenter tamen ab antecedente, sicut ante peccatum Adæ: imò, & ab æterno hoc futurum conditionatum erat Deo cognitum, si Adam peccauerit, filius Dei assumet carnem humanam. Etenim ex decreto diuino, illud consequens habebat concomitantiam cum antecedente, & dependebat ab illo: Deus enim decreuerat filium suum mittere in remedium peccati, & non aliter. vt 3. par. quæst. 1. artic. 3. probat S. Thom. vnde peccato non existente, incarnatio non fuisset. Sicut autem incarnatio ipsa, & præscientia incarnationis futuræ præsupponit decretum Dei volentis incarnationem: ita proportionabiliter peccatum futurum Adæ, & præscientia illius in signo rationis antecedens decretum incarnandi, præsupponit in ipso Deo aliud decretum quo statuit permittere primi parentis peccatum, & concurrere tàquam prima & vniuersalis causa ad actum politiuum illius, quoad omnem eius entitatem, quia vt Augustinus ait: *Non fit aliquid nisi omnipotens fieri velit, vel sinendo vt fiat, vel ipse faciendo.* Alia verò conditionata sunt, quæ de facto nunquam ponentur in esse, quia conditio non adimplebitur; ponerentur tamen, si conditio fuisset impleta, vt patet in exemplis inductis superiùs de Tyriis, & Sydoniis, & de viris Ceilæ.

Augu. in enchirid. ad Laur. c. 95.

Notandum quartò, quòd decretum aliquid faciẽdi est duplex, aliud absolutum, vt si quis absque vlla conditione statuat omnino ieiunare crastina die. Aliud verò est decretum conditionatum quod duobus modis contingere potest: primo modo ex parte obiecti voliti, vt si quis diceret, ego volo dare pauperi eleemosynam, si ipse petierit. Secũdo modo, potest esse decretum conditionatum ex parte actus ipsius voluntatis: vt quando re vera voluntas non habet determinatum actum circa aliquod obiectum, sed habuisset illum, si talis vel talis occasio se obtulisset.

Decretũ potest dupliciter dici cõditionatũ: scilicet ex parte actus voluntatis, vel ex parte obiecti.

VIII. Vltimò notandum decretum aliquid faciendi esse duplex, alterum formale, & explicitum, sicut decretum, quod ab æterno Deus habuit creandi mundum in temporis initio, & decretum quo statuit electos suos ad gloriam perducere, alterum verò est decretum virtuale, siue implicitum, quod videlicet in virtute alterius decreti includitur: sicut peccator, qui non obstante præcepto, vult comedere carnem in die Veneris, virtualiter vult Dei offensam committere. Hæc autem decreta in Deo quantum ad absolutum, quod important, identificantur cum ipsa Essentia diuina: sed distinguuntur ratione per diuersas habitudines, seu relationes rationis ad varia obiecta. Respectu autem futurorum conditionatorum, quæ aliquando ponentur in esse, præcessit in Deo decretum, quo statuit, vt conditio adimpleatur si est bona; vel quo decreuit permittere illam si est mala, & quo prædiffiniuit, vt adimpleta illa conditione, ponceretur in esse consequens eiusdem conditionati, si est bonum; vt sic tam antecedens, quam consequens, & actualis vtriusque connexio reducatur in diuinam voluntatem, tanquam in primam causam, secundum omnem entitatem, & bonitatem, quam habent. Respectu etiam futurorum conditionatorum, quæ nunquam ponentur in esse, ponerentur tamen, si conditio esset impleta, præintelligitur in Deo decretum conditionatum ex parte obiecti voliti: quo statuit, vt eueniret consequens, si impleretur conditio importata in antecedente futuri conditionati: sed quoniam absoluta, & efficaci voluntate decreuit, vt consequens non sit futurum, eadem etiam efficaci voluntate statuit, vt conditio eiusdem conditionati non ponatur in esse. Est exemplum manifestum in Tyriis, & Sydoniis, qui iuxta verbum Domini, pœnitentiam egissent, si apud illos facta fuissent signa, & virtutes, quæ facta sunt in Corozain, & Bethsaida. At quia Deus occulto suo iudicio, sed iusto, decreuit absoluta voluntate non conuertere Tyrios, & Sydonios, sed in malla perditionis relinquere; etiam statuit, vt signa illa, & virtutes non fierent apud eos, quæ si fierent, procul dubio credidissent. Vnde S. Augustinus eundem explicans locum inquit: *Non erant ergo sic excæcati oculi, nec sic obduratum cor Tyriorum, & Sydoniorum, quoniam credidissent si qualia viderunt isti signa, vidissent. Sed nec illis præfuit, quod poterant credere, quia prædestinati non erant ab eo, cuius inscrutabilia sunt iudicia, & inuestigabiles viæ: nec istis obfuisset, quòd non poterant credere, si prædestinati essent, vt eos cæcos Deus illuminaret, & induratis cor lapideum vellet auferre.* Et post pauca: *Audiunt enim hæc, & faciunt, quibus datum est, non autem faciunt, siue audiant siue non audiant, quibus non datum est.* Ecce, qualiter sanctus Augustinus veritatem determinatam illius futuri, reducit ad liberum decretum Dei dandi ipsam Fidem, aut piam operationem. Ex quo manifeste colligitur, quòd illud futurum conditionatum, si in Tyro, & Sydone facta fuissent signa, quæ operatus est Christus Dominus apud Iudæos, conuerterentur, & veritas illius non antecedit, sed potius sequitur decretu diuinæ voluntatis, & illud supponit & idem dicendum de aliis consimilibus futuris conditionatis, quæ reuelantur in Scripturis sacris, vel asseruntur à SS. Doctoribus esse futura, si talis, vel talis conditio poneretur in esse. Et hoc est maxime obseruandum: quoniam aliqui trahere volunt loca Scripturæ suprà inducta, & testimonia SS. Patrum ad probandum esse in Deo constituendam scientiam mediam, seu futurorum conditionatorum contingentium; quæ antecedat omne decretum diuinæ voluntatis, vt ex argumentis superiùs factis liquidò constat. His positis fundamentis præsentem controuersiam sequentes dirimunt conclusiones.

Augustin. de dono persæuer. cap. 14.

Decretum Dei respectu futurorum conditionatorũ explicatur.

IX. Prima conclusio. Omnia futura conditionata contingentia, in quibus dictio (*si*) accipitur illatiuè in rigore consequentiæ: si consequentia est bona & formalis, cognoscuntur à Deo per scientiam merè naturalem, quæ est simplicis intelligentiæ. Exemplum est in his futuris conditionatis: si Deus voluisset creare alium mundum, creasset illum: si Petrus est prædestinatus, saluabitur. Hæc conclusio ab omnibus Theologis debet concedi. & ratio illius euidens est: nam Deus cognoscit per suam scientiam merè naturalem omnem veritatem, vel illationem necessariam: sed omnis propositio conditionalis, quæ est bona consequentia & formalis, continet illationem necessariam; quantumuis consequens sit liberum & contingens: ergo per scientiam merè naturalem cognoscitur à Deo. Maior patet: quia omnis propositio necessaria est æternæ veritatis: ergo veritas illius non supponit actum

Digitized by Google

actum liberum diuinæ voluntatis,sed illum antecedit:ergo per scientiam mere naturalem,quæ antecedit tale decretum, cognoscitur. Minor probatur: quia,vt ostensum est in tertio fundamento, omnis conditionalis vera est consequentia necessaria, ad veritatem autem conditionalis sufficit,& requiritur,quòd sit bona consequentia.

Ex quo sequitur, quòd si conditionatum illatiuum fuerit mala consequentia,erit falsum,atque adeò non erit scibile, etiam ab ipso Deo: quia quod non est,neque habet aliquod fundamentum veritatis,non est cognoscibile,& multò minùs potest esse scibile.

X. Secunda conclusio. Futura conditionata, in quibus dictio (*si*) non accipitur illatiuè in rigore formalis consequentiæ,sed concomitanter in secunda illa acceptione explicata in primo fundamento; si accipiantur,vt antecedunt omne decretum diuinæ voluntatis prædeterminantis,quòd tale quid sit futurum adimpleta conditione;non cadunt sub scientia,vt futura aliquo modo, nec vt sic sunt scibilia infallibiliter etiam à Deo:sed solùm cognoscuntur, vt possibilia fieri. Verbi gratia: Scit quidem Deus certò & infallibiliter, quod si creasset modo alios Angelos in gratia habituali, & decreuisset voluntate absoluta,& efficaci, quod illi perseuerarent in gratia,ita fieret, & de facto perseuerarent; quia cognoscit virtutem,& omnipotentiam suæ diuinæ voluntatis,qua, quicquid vult facit:sed tamen si secludatur huiusmodi decretum,non est scibile, quid illi Angeli,si crearentur in gratia,determinatè facerent ex sua innata libertate:neque est cognoscibile scientia infallibili,etiam a Deo, vtrùm illi in particulari essent perseueraturi,an in peccatum cósenturi,sed solum quid in tali casu possent facere:&idem dicendum proportionabiliter de aliis consimilibus futuris conditionatis,à creata voluntate dependentibus: hæc conclusio est directè contra assertores scientiæ mediæ.

Futura cõditionalia à libero arbitrio dependentia non sunt scibilia ante decretum diuinæ voluntatis.

Probatur; nam hæc est expressa sententia sancti Augustini.Etenim epist. 105 ad Sixtum,explicans illud Ioan.6. *Sciebat enim ab initio Iesus, qui essent credentes,& quis esset traditurus eum*(inquit) *Ne quisquam existimaret credentes sic ad eius præscientiam pertinere quò non credentes, id est,vt non eis Fides ipsa desuper daretur, sed tantùmodo voluntas eorum præsciretur, mox adiecit:atque ait:Et dicebat, Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me,nisi fuerit ei datũ à Patre meo.* Quibus verbis non obscurè docet,ante decretũ suæ voluntatis,quo statuit donare Fidem credentibus,non præscire Deum, qui essent in eum credituri. Idem confirmat libro de prædestinat. Sanctorum, capite 17. *Hæc* (inquiẽs) *est immobilis veritas prædestinationis & gratiæ. Nam quid est, quod ait, Apostolus,* sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem? *Quod profectò, si propterea dictum est,quia præscinit Deus credituros, non quia facturus fuerat ipse credentes, contra istam præscientiam loquitur Filius, dicens: Non,vos me elegistis, sed ego elegi vos, cùm hoc potius præscierit Deus, quòd ipsi eum fuerant electuri, vt ab illo mererentur eligi. Electi sunt itaque ante mundi constitutionem ea prædestinatione, in, qua Deus sua futura facta præscinit:electi sunt autem de mundo ea vocatione, qua Deus, id quod prædestinauit, implenit.* Et post pauca: *Præscieba ergo*(ait Pelagianus) *qui futuri essent sancti, & immaculati per liberæ voluntatis arbitrium, & ideo eos ante mundi constitutionem in ipsa sua præscientia, qua, tales futuros esse præscinit,elegit. Elegit ergo* (inquit) *antequam essent, prædestinans filios, quos futuros sanctos,immaculatósque præscinit:vtique ipse non fecit,nec se facturum, sed illos futuros esse præscinit.* Et explicans illud Sap. 4. *Raptus est ne malitia mutaret intellectũ eius,* inquit,id dictum esse *secundum pericula vitæ huius,non secundum præscientiam Dei,quia hoc* (ait) *præscinit,quod futurum erat,non quod futurum non erat.* Et in alio loco,contra eos arguens, qui dicebant Deum permittere, vt infantes multi in peccato originali decederent, quoniam præsciebat ipsos futuros iniquos, si viuerent (inquit) *Ipsa exinanitur præscientia omnino,si quod præscitur,non erit. Quomodo enim dicitur præsciri futurum, quod non est futurum?* Quibus verbis aperte docet, non esse cognoscibile, ante decretum diuinæ voluntatis,quid fecissent illi infantes, si diutius vixissent:ergo secundùm Augustin. ante decretum diuinę voluntatis non est scibile,etiã à Deo,quid homo faceret, si constitueretur in talibus, vel talibus circunstantiis,cum auxiliis sufficientibus, & non prędeterminantibus eius voluntatem ad alteram partem.

Aug. li. de prædest. SS. c. 14. tom. 7.

Lib. 1. de anima & eius origine, cap. 12.

Respondent,S. Augustinum agere in locis citatis contra illorum errorem qui dicebant, Deum punire,vel gratiam conferre propter ea opera,quę homo facturus esset,si hoc,vel illud accideret, etiam si de facto nunquam id facturus sit: & nunquam negasse in Deo esse huiusmodi scientiam, quod si sentiret, proferre eo loco deberet, quia nullo faciliori modo talis error refelleretur. Sed hæc solutio est insufficiens:nam Sanct. Augustin. in verbis inductis satis aperte negat, Deum cognoscere futura illa conditionata, quia reuera,ante decretum diuinæ voluntatis,futura non erant,etiam adimpleta illa conditione.

Præterea, arguitur contra eandem solutionem, quia licet S. Augustinus principaliter in illis locis contra errorem Semipelagianorum intendat arguere:qui dicebant paruulos ex hac vita decedentes sine baptismate, damnari propter peccatum actuale, quod commisissent si vixissent; tamen hoc impugnant,quia reuera ante omne decretum diuinæ voluntatis, non est cognoscibile à Deo hoc conditionatum,vt futurum,si paruulus ille vixisset,peccaret. mortaliter; & rationem huius assignat, quia Deus non cognoscit,vt futurum,id quod reuerà non erat futurum, etiam posita illa conditione. Etenim ex hoc,quòd ille paruulus vixisset,non sequitur eũ esse peccaturum: nam poterat per diuinam gratiam ab omni peccato mortali præseruari.

Præterea impugnari potest eadem solutio secunda,quia Massilienses hanc præscientiam futuræ cooperationis arbitrij antecedentẽ liberum decretum Dei prædestinantis statuerunt pro fundamento ad probandum,dari causam prædestinationis,ex parte boni vsus liberi arbitrij à Deo præcogniti,vt constat ex sancto Prospero epistola ad Augustinum dicente: *Sed in tantum quibuscunque commentitiis meritis electionem Dei subiiciunt, vt quia præterita, quæ non extant,futura, quæ non sint futura, confingant, nouóque apud illos absurditatis genere, & non agenda præscita sint,& præscita non acta sint.* Et S. Hilarius id ipsum commemorat dicens: *Cùm autem dicitur eis, quare aliis, vel alicubi prædicetur, vel non prædicetur, vel nunc prædicetur, quod aliquando penè omnibus,sicuti nunc aliquibus gentibus, prædicatum non sit: dicunt id præscientiæ esse diuinæ, vt eo tempore, & ibi, & illis veritas annunciaretur, vel annuncietur, quando, & vbi nunciabatur esse credenda: & hoc non solùm aliorum Catholicorum testimoniis, sed etiam sanctitatis tuæ disputatione antiquiore se probare testantur.* Allegabant enim Massilienses, in fauorem suæ doctrinæ Sanctum Augustinum libro de sex quæstionibus Paganorum suprà inductum, quo eiusmodi præscientiam probare testabantur. Similiter etiam Arriani eadem præ-

S. Prosper.

Hilar. epist. ad Augus.

Ephes. 1.

Sap. 4.

scientia vsi sunt, ad suum errorem comprobandum: vt constat ex epistola Alexandri Alexandrini Episcopi, ad Alexandrum Episcopum Constantinopolitanum, quæ habetur in Concilio Niceno. Contendentes enim contra Ecclesiam Catholicam, Christum Dominum non esse Filium Dei per naturam, sed solùm per gratiam electum fuisse ad eam dignitatem, & excellentiam: cum obiiceretur illis, vnde esset, quòd sanctus Petrus, aut Paulus, vel alij non fuerint facti filij Dei; eo modo quo illi contendebant, factum fuisse Christum Dominum, rationem differentiæ assignarunt ex parte præscientiæ boni vsus liberi arbitrij futuri. Verba Alexandri sunt: *Ac cùm illis obsicitur sententia quæ deinceps sequitur, & ipsi præuerunt me, quod planè naturæ seruatoris, qui est natura immutabilis, repugnat: Tunc omni exuta erga Deum pietate, ac reuerentia aiunt: Deum cùm eum præscientia, & præsensione prænouisset neutiquam ipsum aspernaturum, idcirco ex omnibus elegisse. Non enim natura, aut quicquam præter cæteros filios habuisse prærogatiua (nullum namque natura filium Dei esse affirmant, neque quenquam esse, qui vlla cum eo proprietate coniunctus sit.) Sed cùm esset natura mutabili, & propter singularem in vita, & moribus ritè instituendis diligentiam, ac studium non ad vitia deflecteret, Deum elegisse: adeo vt si vel Paulus, vel Petrus in hac obnixè incubuisset eodem modo fuissent Filij Dei, quo ille fuit. Ac quo insanam, & pestiferam suam doctrinam confirment, etiam in ipsas Scripturas vim faciunt, & sententiam in Psalmis de Christo traditam, quæ ita se habet,* Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis, *ad suum institutum detorquent.* hactenus Alexander. Cum ergo hæc figmenta hæreticorum efficacissimè impugnentur, si asseramus præscientiam futuræ cooperationis, & boni vsus liberi arbitrij, futuri etiam ex hypothesi quod in talibus circumstantiis constituatur, non antecedere, sed necessariò supponere liberum decretum Dei, relinquitur quod antecedenter ad huiusmodi decretum, non sit constituenda in Deo talis præscientia.

Concil. Nic. lib. 1. tom. 1. Conciliorum.

Psal. 44.

Non desunt qui respondeant, quòd sicut Scriptura sacra abutuntur hæretici ad suos errores fundandos, nec tamen propter hoc neganda est sacra Scriptura: ita similiter abutuntur præscientia media, ad suos errores confirmandos, nec tamen propterea reiicienda est eiusmodi præscientia, quamuis meritò reprehendendi sint, qui malè eadem præscientia vsi fuerint.

Hæc tamen responsio habet non modicam difficultatem, quæ consistit in hoc: nam admisso, eiusmodi præscientiam antecedere in signo rationis liberum decretum voluntatis diuinæ, videtur sequi, dari causam prædestinationis, ex parte boni vsus liberi arbitrij præcogniti à Deo, vt futuri ex hypothesi, quòd in talibus circunstantiis constitueretur. Quod innuere videntur verba illa Prosperi, qui de Massilienſibus ait: *Hæc enim ipsorum diffinitio, ac professio est: omnem quidem hominem, Adam peccante, peccasse, & neminem per opera sua, sed per Dei gratiam regeneratione saluari, vniuersis tamen hominibus propitiationem, quæ est in Sacramento Sanguinis Christi, sine exceptione esse propositam: vt quicunque ad Fidem, & ad Baptismum accedere voluerint, salui esse possint. Qui autem credituri sunt, quiue in ea fide, quæ deinceps per Dei gratiam sit iuuanda, mansuri, præscisse ante mundi constitutionem Deum: & eos prædestinasse in Regnum suum, quos gratis vocatos, dignos futuros electione, & de hac vita bono fine excessuros esse præuiderit. Ideoque omem hominem ad credendum, & ad operandum diuinis institutionibus admoneri, vt de apprehendenda vita aterna nemo desperet, cùm voluntariæ deuotioni remuneratio sit parata.* Et sanctus Augustinus respondens Prospero, & Hilario, sæpissime docet, præscientiam, qua Deus præsciuit bonum vsum liberi arbitrij futurum, non antecedere in signo rationis, sed subsequi decretum Dei prædestinantis, vt patet ex locis illius suprà num. 10. & 11. adductis: ergo signum est, SS. Prosperum, Hilarium, & Augustinum sensisse, præscientiam ipsam boni vsus, seu cooperationis liberi arbitrij, futuræ etiam ex hypothesi, quod in talibus circunstantiis constitueretur, non antecedere in signo rationis, sed subsequi decretum Dei prædestinantis: vt euitetur non dari causam prædestinationis, ex parte eiusdem boni vsus à Deo præcogniti.

S. Prosp. epi. ad August.

A

B

C

D

E

Alias, posita in esse commemorata hypothesi, bonus vsus arbitrij solùm esset præscitus, & non prædestinatus à Deo, & consequenter Deus, vt contra Collatorem arguit S. Prosper, non saluator noster, sed testis, & inspector eiusdem boni vsus arbitrij, dicendus esset. Quo argumento vtitur etiam contra Faustum Maxentius, cùm ait: *Quòd si sola prædicatio, sicut iste vult, gratia Dei credenda est, quæ per Iesum Christum facta est: ergo non Saluator, sed prædicator tantummodo, idem Deus, & Dominus noster Iesus Christus (quod absit) credendus est.*

Maxentius in responsione ad epistolam Hormisdæ Papæ.

Præterea probatur eadem conclusio auctoritate S. Thomæ, qui sufficienter diuisit scientiam Dei in naturalem, quam appellat scientiam simplicis intelligentiæ, & liberam, quæ est scientia visionis, vt patet 1. p. q. 14. art. 9. 3. p. q. 10. art. 2. ad 2. & art. 3. in fin. corp. & q. 13. art. 1. ad 2. 1. cont. Gent. & aliis pluribus in locis disputatione præcedenti, num. 5. allegatis, cùm ageremus de scientia simplicis intelligentiæ, & visionis: ergo nullam agnouit scientiam mediam inter vtramque.

XII.

Secundò probatur ratione, Deus ante omne decretum suæ voluntatis non scit, quot homines, vel Angelos esset productus, si crearet alium mundum: ergo similiter ante idem decretum, non scit quot actus, vel quales esset productus quilibet homo, si crearetur, & constitueretur in tali ordine rerum: antecedens conceditur à quibusdam assertoribus scientiæ mediæ, & consequentia probatur, quia sicut omne illud, quod Deus immediatè per seipsum operatur ad extra, dependet intrinsecè ex decreto suæ voluntatis, ita etiam quicquid Deus operatur mediante causa secunda, & quicquid facit ipsa causa secunda, dependet intrinsecè ex decreto voluntatis diuinæ: cùm eius causalitas, & prouidentia se extendat ad quodcunque ens in particulari.

Deus ante decretum suæ voluntatis non scit quot Angelos esset creaturus, si produxisset alium mundum.

Respondent quidam negando consequentiam, & assignant rationem discriminis: quia licèt Deus comprehendat suum liberum arbitrium, non tamen illud comprehendit supereminentissima quadam, & altissima comprehensione, quia eius comprehensio non excedit liberum illius arbitrium, sed illi æquatur, quia vtrumque habet esse infinitum. Liberum autem arbitrium creatum comprehendit Deus supereminentissima comprehensione, quia illud in infinitum excedit. Ad intuendum autem in re libera, in quam partem se inflectet, non satis est illius comprehensio, neque quæcunque maior comprehensio, quàm sit res comprehensa: sed necessaria est altissima, atque eminentissima comprehensio. Et eadem ratione (inquiunt) quòd homo, & Angelus, ante liberam determinationem suarum voluntatum, non cognoscunt, in quam partem se inflectere debeant, quoniam intellectus in eis, essentiam, ac voluntatem infinito illo modo non superat.

Sed hæc solutio non videtur satisfacere, quia

non

non minùs perfectè comprehendit Deus suam liberam voluntatem, quàm nostram, etenim differentia assignata de comprehensione eminentissima, vel non ita eminenti, tenet se ex parte cognoscentis non ex parte obiecti cogniti: nam per vtramque si est comprehensiua, cognoscitur obiectum in quantum est cognoscibile, ita vt nihil sit in illo, actu, vel potentia, quod subterfugiat notitiam cognoscentis: ergo sicut ante determinationem liberam diuinæ voluntatis, non est scibile, etiam à Deo, quot Angelos, vel homines ipse productus esset, si crearet alium mundum: ita etiam non erit scibile ante determinationem eiusdem voluntatis, quot actus, vel quales productura esset creata voluntas ex hypothesi, quòd in tali ordine rerum crearetur, vel constitueretur. Homo autem, vel Angelus ex eo ante liberam determinationem suarum voluntatum non cognoscunt scientia infallibili, in quam partem se inflectent: quia secluſa diuina reuelatione ignorant consilium voluntatis Dei absolutæ, & quid in particulari ipse præordinauerit, & decreuerit circa futuros actus earundem voluntatum. Vnde, si Deus hoc alicui reuelaret, sine dubio ipse homo cognosceret certò & infallibiliter ante determinationem suæ voluntatis, in quam partem inclinabit. Verbi gratia, si Deus reuelasset Paulo se ab æterno decreuisse, illum conuertere efficaciter die crastina, tunc Paulus ante determinationem suæ voluntatis, certò cognosceret, se crastina die esse consensurum Deo vocanti, quia certò scit, neminem posse Dei voluntati resistere, vt dicitur Esther 13. & ad Romanos 9.

Vim huius argumenti sentientes alij, aliter conantur illi satisfacere. Dicunt enim, quòd non ex parte virtutis cognoscentis, sed ex parte obiecti cognoscibilis reddenda est ratio differentiæ. Et secundùm illos consistit in hoc, quia propositio, in qua Deo attribuitur aliquod decretum liberum, vt velle creare mundum: non priùs ratione habet determinatam veritatem, quàm Deus intelligatur actu habere in sua æternitate illud decretum: & ideo non obiicitur diuinæ scientiæ, vt exhibendum, sed vt iam exhibitum, quod aliter contingit in voluntatibus creatis, & ideo est in his locus cognoscendi futura, vel absoluta, vel conditionata, priùs quàm in seipsis actu sint, non tamen in decreto libero voluntatis Dei.

XIII. Hæc solutio, videtur minùs sufficiens, quia nostrum argumentum non procedit de decreto, quod actualiter est, vel erit in Deo, sed de decreto creandi tot Angelos, vel homines, quod esset in Deo ex hypothesi, quòd vellet alium mundum producere. Licet enim hoc decretum non possit obiici diuinæ scientiæ, vt exhibendum pro aliquo tẽpore futuro: potest tamen illi obiici, vt possibile, quo ad determinationem ad tales, vel tales creaturas. Si enim Deus voluisset creare alium mundum, sine dubio ab æterno decreuisset, in quantitate determinata tales, vel tales creaturas producere: & de hoc decreto, quòd esset in Deo ab æterno, data illa hypothesi, nostrum procedit argumentum. Quo supposito, sic arguitur. Hæc propositio, Deus crearet tot Angelos, si alium mundum produxisset, non habet determinatam veritatem, ante omne decretum diuinæ voluntatis, determinantis Angelos futuros, ex hypothesi, si vellet creare alium mundum, ergo similiter hæc propositio, si Petrus ponatur in talibus circunstantiis, consentiet, non habet determinatam veritatem ante decretum diuinæ voluntatis decernentis consensum illum futurum ex hypothesi, si Petrus crearetur aut constitueretur in illis circunstantiis: ergo quãtũ ad hoc est omnino vtrobiq; cadẽ ratio.

Confirmatur, nam, vt docet Aristoteles libro primo de interpretatione, capite octauo, & patebit disputatione decimatertia, propositiones de futuro cõtingenti secundum se non habent determinatam veritatem, nec etiam sunt determinatè falsæ, alias tolleretur contingentia, quia cõtingens, in quantũ cõtingens, se habet omnino indifferenter ad vtrumlibet: ergo ante decretũ diuinæ voluntatis prædeterminantis voluntatem ad alteram partem contradictionis, non est scibile, quid in particulari faciet homo, vel quid esset facturus, si constitueretur in talibus circunstantiis, sed solùm, quid posset facere: patet consequentia, quoniam nihil est scibile, nisi sit determinatè verum, ergo si ante decretum diuinæ voluntatis non est determinatè verum, quòd Petrus consentiet, si ponatur in talibus circunstantiis, id non erit scibile, etiam à Deo.

Propositiones de futuro contingenti, nõ sunt secundum se determinatè veræ, aut determinatè falsæ.

Respondent, dictum illud Aristotelis esse falsum, & assignant rationem, quia causa non dicitur contingenter operari, vel esse operatura, quia nihil determinatè operatura sit, sed quia ita est operatura, vt possit nõ operari. Et cùm obiicitur, quia si eadem propositio est determinatè vera, ergo necessariò vera, ergo quod per illam futurum dicitur, necessariò futurum est, & ita tolleretur contingentia rerum. Respondent, solùm sequi, si propositiones de futuro contingenti semel supponuntur veræ: necessariò aliquando futurum esse, quod per eas significatur necessitate consequentiæ, & ex suppositione, nõ simpliciter, quia absolute non fuit necessarium eas esse veras: tamen supposito, quòd veræ sint, fieri non potest, quin eo tempore verificentur, pro quo esse veræ supponuntur. Vnde non tollitur contingentia, quia necessitas ex suppositione consequẽte causam rei, nec libertati obstat, nec contingentiæ.

Hæc solutio videtur petere principium, contendimus enim, quòd ante decretum diuinæ voluntatis prædeterminantis causas contingentes, vt contingenter operentur suas particulares actiones, nulla sit maior ratio, propter quam voluntas, si constituatur in talibus circunstantiis, sit operatura hoc in particulari potiùs quàm oppositum: cùm adhuc in illis circunstantiis posita, indifferenter omnino se habeat ad vtrumque, quod in disput. 13. ex professo tractabitur: ostendemusque propositiones de futuro, ante liberum decretum voluntatis diuinæ, non habere determinatam veritatem, aut falsitatem. Nec sufficit respondere, ante decretum diuinæ volũtatis hanc propositionem, Petrus, si constituatur in talibus circunstantiis consentiet, esse determinatè verã, quoniam hoc habet proprium creata volũtas, quòd pro sua innata libertate, possit se in illis circunstantiis constituta ad alteram partẽ determinare, & determinet, quia ita sibi placet: quamuis posset, si vellet, non se determinare ad illam partẽ contradictionis, sed ad oppositã. Hęc inquam respõsio non valet, quia licèt voluntas sit causa proxima se mouens, & determinans ad particularem operationem, non tamen potest esse prima radix simpliciter, nec prima causa suę determinationis: quoniam à causa contingenti, in quantum est cõtingens, non exit determinatus actus, nisi ab aliquo alio determinetur ad illũ, vt ex commentatore 2. phys. text. 48. probat sanctus Thom. Et ratio illius est, nam contingens in quantum contingens, se habet omninò indifferenter ad vtrumlibet: ergo necessariò est assignanda alia prior causa, propter quam voluntas creata, si constituatur in his, vel illis circunstantiis, sit determinatè volitura hoc obiectum sibi proportionatum potiùs quàm oppositum: sed non potest assignari alia prior causa, nisi diuina voluntas: ergo ante decretum illius non est scibile, quid in particulari

A causa cõtingenti, vt sic nõ exit determinatus actus.

S. Th. 1 p. q. 19. art. 3. in 5. arg. & eius solutione.

operabitur causa secunda contingens, & libera ex hypothesi, quòd constituatur in talis, vel illis circumstantiis.

Hoc argumentum conantur dissoluere assertores scientiæ mediæ, dicunt enim, ex obiecto congruè proposito voluntati, atque attemperato complexioni, & inclinationi huius individui prouenire, quòd sit potius consensura voluntas obiecto sic proposito, quàm dissensura. Verbi gratia: est quis inclinatus ad comedendum cibum taliter præparatum, si alius proponat illi talem cibum conformem eius appetitui, & ipse esuriat, certum est, quòd comedet illum, vt vitam conseruet, quem tamen non comederet, si esset aliter præparatus, & proponeretur illi tempore, quo nullam haberet inclinationem ad comedendum, præsertim cibum illum, sed potiùs ad nauseam prouocaretur quocunque cibo sibi oblato.

XV. Facilè tamen impugnari potest hæc solutio, quia licet obiectum congruum, propositum voluntati vt conueniens eam determinet quantum ad specificationem, ita videlicet, quod si voluntas mediante illa propositione obiecti conuenientis exeat in actum, talis actus erit prosequutio eiusdem obiecti, eo quòd nihil propositum voluntati, vt bonum, & vt conueniens respuitur ab eadem voluntate; impossibile tamen est, quòd aliquod bonum in particulari, quantumuis congruè propositum, & in debitis circumstantiis, eam determinet, quantum ad exercitium actus. Cuius ratio est, quam assignat S. Thom. 1. part. quæst. 105. artic. 4. in corp. *Quoniam non potest sufficienter aliquid mouere aliquod mobile, nisi virtus actiua mouentis excedat, vel saltem adæquet virtutem passiuam mobilis: virtus autem passiua voluntatis se extendit ad bonum in vniuersali: est enim eius obiectum bonum vniuersale, sicut & intellectus obiectum est ens vniuersale: quodlibet autem bonum creatum est quoddam particulare bonum, solus autem Deus est bonum vniuersale: vnde ipse solus implet voluntatem, & sufficienter eam mouet, vt obiectum.* Et ex hoc principio eadem 1. part. quæst. 106. artic. 2. concludit: *Quòd Angelus nor sufficienter mouet voluntatem alterius, neque vt obiectum, neque vt offendens obiectum, sed inclinat eam, vt amabile quoddam, & vt manifestans aliqua bona creata ordinata in Dei bonitatem: & per hoc inclinare potest ad amorem creaturæ, vel Dei, per modum suadentis.* Et idem docet quæstion. 111. artic. 2. Imò, & ipsum bonum vniuersale, quod est Deus, quantumuis congruè propositum voluntati hominis dum est in via, non potest, vt obiectum eam efficaciter mouere, quantum ad exercitium actus, sed solùm in patria. Primò, quia in patria dumtaxat, vbi clarè intuentur beati Essentiam Dei, proponitur ipse Deus voluntati, vt vniuersaliter bonum secundùm omnem considerationem, nec potest videntibus eum repræsentari sub aliqua ratione mali: vnde voluntas non potest non diligere illum: in via autem potest voluntati repræsentari Deus, vt inferens malum pœnæ, vel vt prohibens aliquod bonum delectabile, ad quod inclinatur voluntas: & similiter potest illi repræsentari vt bonum, cessare ab actuali eius dilectione, & ideo voluntas potest non diligere illum. Hanc rationem tangit S. Thom. 1. 2. quæst. 10. artic. 2. in corp. & 1. part. quæst 106. artic. 2. in corp. Secundò, quoniam, quamdiu homo est in via, potest de quocunque obiecto non cogitare, siue illud sit particulare bonum, siue vniuersale, ac per consequens potest non velle illud. Hæc ratio est etiam S. Thom. 1. 2. citat. Relinquitur ergo, quòd prima radix, & causa determinans voluntatem ad exercitium actus, & ad prosequutionem cuiuscunque boni sibi propositi, sit solus Deus, atque decretum efficax illius, qui solus voluntatem, quam creauit, immutare potest, iuxta illud Prouerbiorum vigesimo primo: *Cor Regis in manu Domini, sicut diuisiones aquarum: quocunque voluerit vertet illud.* Non ergo est scibile, ante decretum Dei, quid determinate esset factura creata voluntas, si crearetur, vel constitueretur in talibus, vel talibus circumstantiis, sed solùm quid posset facere.

Voluntas non determinatur efficaciter ab obiecto quoad exercitium, nisi à solo Deo clarè viso.

Deus vt obiectum determinat voluntatem in patria, quoad exercitium actus, non autem in via.

Tertiò, principaliter probatur nostra conclusio: XVI. quia nulla apparet necessitas, vel vtilitas constituendi in Deo ante decretum suæ voluntatis præscientiam cooperationis, & boni vsus liberi arbitrij futuri ex hypothesi: ergo non est constituenda ante idem decretum, sed post illud. Antecedens probatur: nam si esset talis necessitas, vel vtilitas, maximè ad concordandam libertatem arbitrij, cum infallibilitate diuinæ prouidentiæ, & prædestinationis, ac efficacia auxiliorum gratiæ, sed ad hoc non est necessaria, cùm absque illa optimè inter se cohæreant, vt disputatione 121. patebit: nec etiam est vtilis, aut apta ad eandem concordiam: nam per illam non soluunt difficultates, quas in concordia ipsa fugere intendunt, sed magis in eas incidunt: quoniam posita eiusmodi præscientia antecedenter ad decretum Dei prædestinantis bonum vsum liberi arbitrij futurum absolutè, vel ex hypothesi, videtur sequi eundem bonum vsum arbitrij, tandem vltimatè, reducendum esse ad aliquid naturale, videlicet ad constellationem cœlestem, vel complexionem individualem, aut proprietatem huius liberi arbitrij, quæ non est in potestate hominis, ratione cuius asseritur, vocationem in eisdem circumstantiis esse ita congruam, & attemperatam huic voluntati, vt si per illam præmoueatur, sit infallibiliter præfitura consensum. Quod sic probo. Nam quod Petrus, verbi gratia, sit potius consensurus, quàm dissensurus obiecto sibi proposito, si constituatur in talibus, vel talibus circumstantiis, non refunditur ad aliquod decretum diuinæ voluntatis prædeterminantis, vt homo consentiat, si in eisdem circumstantiis constituatur: quoniam obiectum scientiæ mediæ, & scientia ipsa antecedit omne decretum diuinum, nec etiam reducitur in ipsum auxilium gratiæ: nam illud auxilium, vt supponitur, non præmouet efficaciter voluntatem ad alteram partem, sed eam omnino indifferentem ad opposita relinquit, in causa autem omnino indifferenti, in quantum indifferens, id est, non inclinata efficaciter ad alteram partem, non potest certò & infallibiliter cognosci determinatus effectus, vt suprà dictum est: nec reducitur in ipsam liberam voluntatem, sub illo auxilio in talibus circumstantiis constitutam, propter eandem rationem: quoniam voluntas sub eodem auxilio, & in eisdem circumstantiis constituta, adhuc manet indeterminata, & omninò indifferens ad opposita: nec reducitur in obiectum propositum voluntati: quia, vt ex præmissis constat, nullum obiectum mouet efficaciter voluntatem hominis viatoris, quantum ad exercitium actus; nec reducitur in alium priorem actum liberum voluntatis: nam supponamus, quòd ille sit primus actus liber: nihil ergo restat ad quod possit vltimatè reduci prædictus consensus arbitrij in talibus circumstantiis constituti, nisi in naturalem complexionem, aut proprietatem huius individui, vel in aliam causam naturalem, quod tamen nullatenus est concedendum nam sequeretur: quòd voluntas huius hominis in talibus circumstantiis constituti, esset per naturam, seu naturaliter determinata ad vnum, quod est magnum inconueniens.

Si

Si dicatur, ipſam voluntatem ex ſe habere hanc facultatem, quod poſſit ſe determinare, & determinet ad alteram partem quæ ſibi placuerit; contra hoc inſurgit eadem difficultas: quia licet natura voluntatis conſiſtat in facultate ad vtrumlibet, non tamen habet, nec poteſt illi competere ex natura ſua, quòd ſe determinet ad conſenſum talis obiecti ſibi propoſiti, potius quam ad diſſenſum: nam alias eſſet determinata per naturam ad vnum, ſaltem in talibus circunſtantiis conſtituta. Cum ergo omnes iſtæ difficultates facile euitentur, ſi dicamus, præſcientiam boni vſus liberi arbitrij futuri, etiam ex hypotheſi, quòd in talibus circunſtantiis conſtitueretur, non antecedere in ſigno rationis, ſed ſubſequi liberum decretum voluntatis Diuinæ; à quo participat creatura omnem ſuam libertatem: relinquitur ante eiuſmodi decretum non eſſe in Deo conſtituendam præſcientiam eiuſdem boni vſus arbitrij futuri, etiam ex hypotheſi.

Confirmatur: nam (vt quidam ex aſſertoribus ſcientiæ mediæ fatentur) ſi Deus ante determinationem ſuæ voluntatis ſciret, quot Angelos eſſet producturus ex hypotheſi, quòd vellet creare aliud mundum, non eſſet liber in eorum productione: quia tunc illa productio eſſet determinata a natura, & ſecundùm ſe. Videtur ergo, quod eadem ratione non erit liber, ſed neceſſarius futurus conſenſus Petri, ſi ante omne decretum diuinæ, & humanæ volùtatis, ſciat Deus certò & infallibiliter, quòd ſit conſenſurus ex hypotheſi, quòd conſtituatur in talibus circunſtantiis; præſertim cùm non ſit in facultate Petri tollere, vel ponere illam conditionem, & ſuppoſitionem, qua poſita, dicunt eſſe infallibile, quod conſentiet. Ipſi enim ſæpiſſime ſupponunt tanquam certum, hoc fundamentum (quod tamen nos non admittimus) nempe, actum, qui ſequitur neceſſariò, ex aliqua ſuppoſitione antecedente conſenſum creatæ voluntatis, eſſe ſimpliciter neceſſarium, & non liberum, quotieſcunque non eſt in facultate eiuſdem voluntatis tollere, vel ponere illam ſuppoſitionem. Non ergo effugiunt per ſcientiam mediam, difficultatem concordiæ liberi arbitrij, cum gratia, & prædeſtinatione diuina, quam ſoluere intendunt: ſed eam magis implicare videntur, & difficilem reddere. Huius argumenti efficacia magis apparebit ex his, quæ diſputatione decimatertia, dicentur.

Quartò probatur noſtra concluſio, deducendo ad aliud inconueniens. Nam hac præſcientia media poſita, videtur euertari efficacia gratiæ; & dari ex parte noſtra ratio prædeſtinationis, vel ſaltem conditio, ſine qua non: ergo non eſt admittenda. Antecedens, quoad primam partem, diſputat. 73. 90. & 91. patebit. Quoad ſecundam verò probatur. Nam præſcientia conditionata, ſeu media non pertinet intrinſecè ad prædeſtinationem; ſed ad illam præſupponitur, vt fatentur Auctores oppoſitæ ſententiæ: ergo obiectum eiuſdem ſcientiæ non pertinet intrinſecè ad ipſam prædeſtinationem, nec eſt pars, vel effectus illius: ergo ante decretum prædeſtinandi Petrum ad gratiam, & gloriam, præſupponitur, neceſſariò ex parte eiuſdem Petri, quòd ex innata eius libertate, ſit conſenſurus Deo vocanti ex hypotheſi, quòd conſtituatur in talibus circunſtantiis, & cum talibus auxiliis non applicantibus efficaciter eius voluntatem ad conſenſum: hoc enim eſt obiectum ſcientiæ mediæ, ergo prius eſt in ſigno rationis, quòd Petrus conſtitutus in eiſdem circunſtantiis, & cum eiſdem auxiliis ſit, pro ſua innata libertate, conſenſurus, quàm quòd intelligatur prædeſtinatus: ac per conſequens prædeſtinatio Petri penderet ex futura eius cooperatione à Deo præcognita per ſcientiam mediam, tanquam à conditione, ſine qua non eſſet in Deo prædeſtinatio Petri, ſeu decretum efficax prædeſtinandi Petrum. Poterit ergo ex parte noſtra aſſignari ratio, vel conditio neceſſariò prærequiſita, qua ratio ordinis mediorum in finem ſupernaturalem, quibus Deus huic, vel illi opitulari ſtatuit, ſortiatur rationem prædeſtinationis, vel retineat ſolummodo rationem communis prouidentiæ ſupernaturalis. Etenim ſi Petrus pro ſua innata libertate, re ipſa conſenſurus ſit, cum talibus auxiliis præuenientis gratiæ, & perſeueraturus vſque in finem, manebit prædeſtinatus, ſi autem cum eiſdem auxiliis non ſit conſenſurus, non manebit prædeſtinatus, ſed reprobus.

Confirmatur. Nam eo ipſo, quòd ante omne decretum voluntatis diuinæ ſupponitur, Petrum ex ſua innata libertate eſſe conſenſurum Deo vocanti ex hypotheſi, quòd in tali ordine rerum conſtituatur; data illa hypotheſi, & ſecluſo quocunque alio, eſſet de facto cooperatio Petri, & conſequenter talis cooperatio, eximeretur à prædeſtinatione, & cauſalitate diuina; ac ſubinde, aliquid maximè conducens ad vitam æternam conſequendam (cuiuſmodi eſt prædicta cooperatio arbitrij) tribueretur naturæ, pro innata eius libertate, & non eſſet effectus prædeſtinationis, ſed potiùs conditio, ſine qua non eiuſdem prædeſtinationis.

Vim eiuſmodi argumenti duplici ſolutione conantur euertere auctores oppoſitæ ſententiæ. Prima eſt, deducens ad inconueniens: Nam idem (inquiunt) argumentum poſſet fieri contra nos, qui admittimus hanc præſcientiam futuri conditionati in auxilio prædeterminante: nam Deus priuſquam hominem talem prædeſtinet per talia auxilia, præſcit eundem hominem meriturum eſſe gloriam, ſi illi dentur talia auxilia prædeterminantia; & nihilominus hæc non ſit, Deum prædeſtinare hominem propter talia merita, ſed potiùs prædeſtinare illum per talia merita; ergo neque in ſententia oppoſita, id ſequitur: quia ad vim illationis parum refert, quòd illa præſcientia ſit in cauſa, vel in ipſa veritate euentus futuri. Sed hæc ſolutio ſupponit in primis vnum, quod nos non admittimus; ſcilicet, eſſe in Deo prædictam ſcientiam mediam, in auxilio prædeterminante. Etenim præſcientia huius futuri conditionati, ſi Deus auxilio prædeterminante moueret Petrum ad conuerſionem, conuerteretur (quam nos in Deo eſſe aſſerimus) eſt merè naturalis, & fundatur in omnipotentia voluntatis diuinæ, cui (vt Scriptura docet) *nullus poteſt reſiſtere*. Præſcientia autem media, quam impugnamus, non eſt merè naturalis, ſed partim naturalis, partim libera, innititurque in libera hominis cooperatione, quæ ante omne decretum diuinæ voluntatis, aſſeritur futura ex hypotheſi, quòd in talibus circunſtantiis conſtituatur. Vnde in noſtra ſententia cooperatio arbitrij, quæ à Deo præſcitur futura ex hypotheſi, quòd ipſe velit efficaciter Petrum conuertere, ſeu auxilio prædeterminante præmouere, poſita in eſſe tali hypotheſi, tandem reducitur in Diuinam prædeſtinationem, tanquam in cauſam per ſe efficientem. Vnde non poteſt eſſe cauſa, vel ratio prædeſtinationis, aut conditio ſine qua non. Cæterùm, iuxta ſententiam quam impugnamus, libera cooperatio arbitrij, quæ aſſeritur futura ex hypotheſi, quòd conſtituatur in talibus circunſtantiis, non eſſet effectus prædeſtinationis, nec reduceretur in Deum tan-

Esther 15.

tanquam in priorem cauſam efficientem, arbitrium noſtrum cooperari, ſed fundatur in arbitrij libertate innata. Vnde cum huiuſmodi cooperatio ſit conditio, ſine qua ratio ordinis mediorum in finem ſupernaturalem præexiſtens in mente diuina non haberet rationem prædeſtinationis, ſed retineret rationem communis prouidentiæ ſupernaturalis comparatione talis hominis: relinquitur, quòd, ſi ponatur ſcientia media, detur ex parte noſtra, cauſa, ratio, vel conditio, ſine qua non, prædeſtinationis. De quo diſputat. 36. 37. & 38. erit agendum ex profeſſo.

Secunda ſolutio eſt: Prædictam ſcientiam cooperationis liberi arbitrij futuræ ex hypotheſi, quæ prævia ponitur ad prædeſtinationem, non eſſe conditionem neceſſariam ex parte hominis, ſed ex parte Dei. id eſt, non eſt neceſſaria, quia applicet, vel proponat Diuinæ voluntati rationem aliquam ex parte hominis, quæ moueat illum per modum meriti ipſius hominis ad prædeſtinandum illum; quia in re, quæ nec eſt, neque cognoſcitur, vt aliquando futura, non poteſt talis ratio motiua fundari, ſed ſolùm eſt neceſſaria, vt obiectum illud proponatur Deo tanquam prædiffinibile, vt infallibiliter futurum, & vt poſſit habere rationem medij efficacis in mente Dei, vt ſub illa ratione eligatur, vel etiam, vt finis proximus intendatur. Vnde non ſequitur, quòd ſit in illo obiecto alia ratio mouens præter finalem, quæ non repugnat prædeſtinationi: prædeſtinat enim Deus hominem, non quia habet, vel quia habiturus eſt merita, ſed vt illa habeat, & ſanctus ſit, iuxta illud, *Prædeſtinauit nos, vt eſſemus ſancti.*

Sed nec iſta ſolutio vim euacuat argumenti. Nam licet præſcientia cooperationis arbitrij, ſe teneat ex parte Dei, tamen ipſa cooperatio arbitrij, quæ aſſeritur futura ex hypotheſi, tenet ſe ex parte hominis. Vnde ſi ex parte illius aſſignatur ratio, vel conditio, ſine qua, ratio ordinis mediorum in finem, non haberet rationem prædeſtinationis, ſed retineret dumtaxat rationem communis prouidentiæ ſupernaturalis, verè datur ratio prædeſtinationis ex parte hominis. Nec ſatis eſt dicere, quòd illa cooperatio futura ex hypotheſi non applicat, vel proponit diuinæ voluntati rationem aliquam ex parte hominis, quæ moueat Deum per modum meriti ad prædeſtinandum illum. Contendimus enim, non ſolùm hanc rationem prædeſtinationis ex parte hominis excludendam eſſe, ſed etiam illam, quæ reuerà eſt conditio, ſine qua ratio ordinis mediorum in finem ſupernaturalem præexiſtens in mente diuina non haberet rationem prædeſtinationis, ſed retineret rationem communis prouidentiæ, alias enim (vt diſp. 37. manifeſtum fiet) prædeſtinatio formaliter loquendo in ratione prædeſtinationis, penderet ex libera cooperatione arbitrij.

Nec obſtat, quòd res, quæ non eſt, nec cognoſcitur aliquando futura, non poteſt eſſe cauſa, vel conditio ſine qua non prædeſtinationis: nam eo ipſo quòd aſſeritur ante omne decretum diuinæ voluntatis eſſe certum, Petrum ex innata libertate eſſe conſenſurum vocationi diuinæ, & perſeueraturum vſque in finem, ex hypotheſi quid conſtituatur in talibus circunſtantiis, poſita in eſſe tali hypotheſi, ſicut poſita eſt in omnibus prædeſtinatis, qui ſunt vel fuerunt, & ponetur in iis qui naſcentur: iam de facto cooperatio arbitrij perſeuerantis vſque in finem eſſet conditio ſine qua non prædeſtinationis, & conſequenter non haberet rationem cauſæ finalis eiuſdem prædeſtinationis nam huiuſmodi cauſa eſt effectus prædeſtinationis.

XVII. Scientia mediæ non eſt ſcibile.

Quintò probatur: nam obiectum ſcientiæ mediæ non eſt ſcibile, ergo reſpectu illius non poteſt eſſe vera ſcientia. Antecedens probatur, quia non eſt aliquid ſcibile, niſi aliqua neceſſitate ſit neceſſarium, ſed ante omne decretum diuinæ voluntatis, non eſt aliqua neceſſitate neceſſarium, etiam neceſſitate conſequentiæ, quòd Petrus poſitus in talibus circunſtantiis, & cum talibus auxiliis non applicantibus efficaciter eius voluntatem ad conuerſionem, infallibiliter conuertatur; ergo non eſt ſcibile etiam a Deo, quòd conuertetur. Minor probatur: nam impoſſibile eſt, quòd aliquis effectus ſequatur neceſſariò neceſſitate conſequentiæ, ſeu neceſſitate infallibilitatis ex cauſa defectibili & impedibili per concurſum aliarum cauſarum, niſi talis cauſa determinetur ad talem effectum ab alia cauſa ſuperiori, quæ deficere non poſſit, nec impediri per alias cauſas: ſed Deus non determinat cauſas defectibiles ad particulares effectus, niſi per decretum ſuæ voluntatis. ergo ante huiuſmodi decretum non eſt neceſſarium neceſſitate conſequentiæ, ſiue neceſſitate infallibilitatis, quod voluntas creata, quæ ex natura ſua defectibilis eſt, & impedibilis, conſentiet obiecto ſibi propoſito, ſi conſtituatur in talibus circunſtantiis.

media obiectum nõ eſt ſcibile

Confirmatur hæc ratio auctoritate S. Thomæ 1. p q 14. art. 13. in corp. vbi ſic ait: *Contingens vt eſt in ſua cauſa, conſideratur vt futurum, & vt contingens nondum determinatum ad vnum, quia cauſa contingens ſe habet ad oppoſita: & ſic contingens non ſubditur certæ cognitioni vnde quicunque cognoſcit effectum contingentem in cauſa ſua tantum, non habet de eo, niſi coniecturalem cognitionem.* & idem docet q. 57. art. 3. & q. 88. art. 3. in corp. & artic. 4. in corp. & q. 16. de malo, art. 7.

Contingẽs vt contingens non ſubditur certæ cognitioni.

XVIII. Ante decretum diuinæ voluntatis nihil intelligitur vt futurũ.

Sexto probatur: Impoſſibile eſt, quòd aliquis effectus ſit, vel intelligatur futurus in aliquo caſu, niſi dependenter a ſua cauſa efficiente: ſed decretum diuinæ voluntatis eſt prima, & vniuerſaliſſima cauſa efficiens, a qua magis dependent effectus, quàm à ſua cauſa proxima, vt dicitur in lib. de cauſis, propoſitione prima; ergo ante decretum diuinæ voluntatis nihil erit, aut eſſet futurum poſita quacunque conditione, ac per conſequens ante idem decretum non eſt ſcibile; quòd, ſi voluntas Petri conſtituatur in talibus circunſtantiis, conſentiet obiecto ſibi propoſito.

Confirmatur primò, ita ſe habet decretum Dei abſolutum in ordine ad futurum abſolutè, ſicut decretum conditionatum in ordine ad futurum conditionatum, ſed implicat, quòd aliquid ſit futurum abſolutè, niſi præcedat decretum Dei abſolutum decernentis, quòd illud fiat, vt in Enchiridione ad Laurentium, cap. 95. dicit Auguſt. ergo implicat etiam, quòd ſit aliquid futurum conditionatum, niſi præcedat decretum Dei, ſtatuentis vt futurum illud fiat, ſi adimpleatur conditio: ergo ante huiuſmodi decretum non eſt ſcibile, Petrum eſſe conſenſurum ex hypotheſi, quòd conſtituatur in talibus, vel talibus circunſtantiis.

Confirmatur ſecundò, futurum conditionatum adimpleta conditione tranſit in futurum abſolutè; ergo ſi ante decretum ſuæ voluntatis cognoſcit Deus certò & infallibiliter, quòd ſi Petrus conſtituatur in talibus circunſtantiis, conſentiet tali obiecto ſibi propoſito: adimpleta illa conditione, antequam Deus aliquid decernat de actu futuro, cognoſcet illum actum vt futurum abſolutè: & ita in tali caſu, aliquid eſſet futurum abſolutè independenter à decreto diuinæ voluntatis, quod repugnat perfectioni cauſalitatis diuinæ.

Reſpondent ad hoc, quòd tam futurum conditionatum, quàm abſolutum, vt ponantur in eſſe, dependent intrinſecè, vt à cauſa efficiente à decreto diuinæ

diuinæ voluntatis, per quod principaliter res ponitur in esse. Dicunt tamen, quod quando causa secunda est libera, Deus non habet absolutum decretum producendi cum illa effectum liberum: nisi præsupposita præscientia, quòd si ponatur in talibus circunstantiis, ipsa pro sua innata libertate adhibitura sit suum liberum influxum, sine quo produci non potest actus liber. Vnde eo ipso, quòd Deus per decretum suæ voluntatis adimplet conditionem: & statuit voluntatem creatam in talibus circùstantiis, in quibus præscit illam esse adhibituram suum influxum in consensum liberum: consequenter vult simul concurrere cum illa, vt causa vniuersalis, ex cuius influxu principaliter dependent effectus secundæ causæ liberæ, sicut & cuiuscunque alterius causæ. Deus ergo (iuxta istos auctores) antequàm statuat creare hominem in talibus circunstantiis, & antequam aliquid decernat in particulari circa actus liberos illius, præcognoscit certò, & infallibiliter, quòd si voluntas illius hominis constituatur in talibus circunstantiis, ipsa se determinabit suo libero influxu ad consensum circa tale obiectum sibi propositum. Deinde, ipse Deus suo decreto libero & efficaci, constituit talem hominem in illis circunstantiis cum propositione illius obiecti, & consequenter vult simul influere cum voluntate se determinante, & producit cum illa effectum liberum. Vnde ille effectus dependet principaliter ex decreto diuinæ voluntatis, nec procedit solùm à causa secunda. Quòd si voluntas creata esset dissensura in illis circunstantiis, sicut poterat, Deus etiam eo ipso quòd vult constituere eam in illis circunstantiis, decernit simul cum illa producere dissensum: & idem dicunt de aliis futuris conditionatis, quæ de facto non ponentur in esse, ponerentur autem (vt aiunt) si adimpleta esset conditio.

Concursus Dei cum libero arbitrio qualiter à quibusdam explicetur.

XIX. Multa tamen incommoda, & inconuenientia (de quibus ex professo infrà erit agendum) secum affert hæc solutio: arguitur enim contra illam. Primò: nam dato quòd saluaret, ipsam operationem causæ secundæ pendere effectiuè ex decreto diuinę voluntatis, de quo alibi dicetur, non tamen saluat, quòd ipse influxus voluntatis creatæ, quo influit in actum liberum, dependeat effectiuè ex eodè decreto. Quod sic ostenditur. Nam omnis causa efficiens debet præcedere suum effectum: sed decretum diuinæ voluntatis non præcèdit liberum influxum voluntatis creatæ futurum adimpleta conditione: nam (iuxta auctores oppositæ sententiæ) Deus non statuit, quòd voluntas influat & cooperetur, priùs quam præuideret ipsam ex sua innata libertate esse cooperaturam ex hypothesi, quòd in talibus circùstantiis constitueretur: ergo ille influxus formaliter loquendo, inquantum influxus voluntatis creatæ non dependet effectiuè a Deo, sed à sola voluntate creata, & ita respectu illius, voluntas creata esset prima causa simpliciter, quod tamen est impossibile, vt probat S. Thom. in 2. sent. d. 37. q. 2. ar. 2. in corp. & nos disp. 25: id ipsum ostendemus.

Concursus liberi arbitrii creati est effectiue à Deo.

Secundò: nam sequeretur, istam causalem esse concedendam, quia voluntas creata vult influere in istum actum in singulari, Deus influit in eundem actum in particulari, & ita voluntas, & operatio humana esset prior, voluntásque & operatio diuina posterior, & pedissequa eiusdem voluntatis creatæ, ac per consequens creatura operaretur, & Deus cooperaretur illi. Item sequeretur influxum Dei determinari ad talem actum ab influxu voluntatis creatæ, & voluntatem diuinam, atque adiutorium ipsius subiungi voluntati humanæ, quæ omnia causalitati primæ causæ, & efficaciæ auxiliorum diuinæ gratiæ multum videntur derogare, vt Disp. 18. 23. 86. 97. & duabus sequentibus manifestum fiet.

Denique, contra istam doctrinam vrget argumentum suprà factum, quod & necessarium, & vtile est sæpius repetere, *ne leue existimetur* (vt dicit Prosper) *quod non frequenter arguitur*: quoniam à causa indifferenti in quantum indifferens non exit determinatus actus, sed ante decretum diuinæ voluntatis, creata voluntas in quibusuis circùstantiis posita, est omnino indifferens ad oppositа: ergo ante idem decretum non potest esse certum certitudine infallibili, quod determinatè producet consensum, potiùs quàm dissensum, aut e contrà.

Prosp. epist. ad August. circa finem.

XX. De conditionatis disparatis, quorum consequens nullam habet connexionem cum antecedente etiam ex decreto diuinæ voluntatis, sed per accidens omnino coniungitur eidem antecedenti; non oportet in præsenti disputare, quoniam de his specialiter agendum erit Disput. 13. Hoc vnum pro certo est constituendum, quòd si considerentur in ratione conditionalium propositionum, nullam habent veritatem: nam vt conditionalis vera sit, necessariò requiritur, vt ex antecedenti si ponatur in esse, consequens sequatur: quando autem consequens est omnino disparatum ad antecedens, vt in hac propositione, si Petrus disputabit cras in Hispania, Romæ erit magna pluuia, antecedens nullo modo infert consequens: vnde, quamuis vtrumque simul ponatur in esse, non erit vera conditionalis, licet tam antecedens, quàm consequens in ratione simplicium propositionum vera sint.

Conditionata disparata, non sunt secundùm se feibilia.

Tertia conclusio, Inter scientiam Dei merè naturalem, & merè liberam, nulla alia scientia media constituenda est. Hæc conclusio manet ex præcedentibus sufficienter probata, & patebit ampliùs ex iis quæ disp. 37. dicenda sunt.

Ad primum argumentum respondetur: illa conditionata, de quibus est sermo in locis inductis Scripturæ, non cognosci à Deo, nec esse cognoscibilia, vt futura, antecedenter ad decretum conditionatum diuinæ voluntatis; sed vt subsequuntur illud, vnde non est de illis scientia media, hæc enim antecedit omne decretum eiusdem diuinæ voluntatis, vt dictum est.

XXI. Specialiter autem ad primum locum adductum ex lib. 1. Reg. cap. 23. respondetur, Dominum illis verbis significare voluisse Dauid certum periculum, quod illi imminebat ex parte causæ proximæ, si remansisset in Ceila, & illic venisset Saul, sciebat enim Dominus, Ceilitas habere animum firmatum tradendi Dauid, vnde illud verbum, *tradent te*, sic est intelligendum, id est, voluntatem habent tradendi te, sic explicat Glos. interlin. quæ maximam habet auctoritatem, cuius auctor fuit Anselm. Laudunensis vir doctissimus. Similiter illud verbum, *descendet Saul*, intelligendum est cõditionaliter, id est, si manseris in Ciuitate illa, descendet Saul. Hæc explicatio colligitur ex ipso contextu, in quo habetur, quòd non venit Saul in illam Ciuitatem: quia Dauid inde recesserat. Concedimus ergo illam conditionalẽ esse veram, & consequenter Deo cognitã, si expectaueris, veniet Saul, si Saul venerit, tradent te, quamuis nec antecedens, nec consequens fuerit positum in esse; conditionalis enim nihil ponit in esse, sed ad veritatem illius solùm requiritur, quòd sit bona cõsequẽtia, ita vt, si ponatur in esse antecedẽs, ponẽdum sit infallibiliter & consequẽs: sicut ista cõditionalis est vera; Si lapis est homo, lapis est animal rationale, quãuis tam antecedẽs quàm consequens sit impossibile. Non tamẽ cognouit Deus per scientiam mediam veritatem illius conditionati, si Saul venerit, tradent te: quia non cognouit illam antecedenter ad omne decretum suæ volũtatis, sed in decreto,

Glossæ interlinearis auctor fuit Anselmus Laudunen-sis.

quo ſtatuit permittere, vt Dauid traderetur, & concurrere ad ipſum traditionem in quantum erat actio A
miſi per fugam Dauid, traditio fuiſſet impedita. Quia vero abſoluta & efficaci voluntate ſtatuerat Deus vt Dauid non traderetur, admonitus eſt, vt fugeret: Vnde per ſcientiam liberam cognouit Deus illa futura conditionata. Et eam arguitur, nam ſcientia libera ſolum eſt de exiſtentibus in aliqua differentia temporis, reſpondetur, negando aſſumptum: nam ad ſcientiam liberam ſufficit, vt ſit de exiſtentibus in aliqua differentia temporis, vel de his, quæ ex decreto Dei ſpecialis exiſterent, ſi talis vel talis conditio eſſet apposita. Sicut enim futura abſolute, ſunt obiectum ſcientiæ liberæ, quia ſupponunt decretum abſolutum diuinæ voluntatis, tam ex parte B
volitionis, quam ex parte obiecti voliti: ita etiam futura conditionata, de quibus eſt ſermo in loco inducto, pertinent ad ſcientiam liberam, quia ſupponunt decretum conditionatum ex parte obiecti voliti, quo videlicet Deus ſtatuit ponere in eſſe conſequens, ſi poneretur antecedens: vnde ex vi decreti ſuperius explicati, conſequentia illa erat infallibilis, ſi expectauerit, veniet Saul: ſi Saul venerit, tradent te Ceilitæ.

Futura conditionata quædã per ſcientiam liberam cognoſcũtur a Deo

Scientia libera eſt de exiſtẽtibus vel de illis quæ ex actuali decreto Dei exiſterent, ſi adimpleretur conditio,

XXII. Sed e contra eſt argumentum. Sequitur quòd iſtud futurum conditionatum ſignificatur a Deo per ſcientiam liberam, videlicet, a Deus voluiſſet creare aliam mundum, creaſſe illum, conſequens eſt falſum: ergo. Sequela probatur, nam hoc futurum etiam ſupponit decretum conditionatum in antecedenti, quod explicatur per illa verba, ſi Deus C
voluiſſet.

Reſpondetur, hoc conditionatum cognoſci à Deo per ſcientiam naturalem, & non per ſcientiam liberam, quia infallibilitas illius illationis non fundatur in aliquo libero decreto exiſtente in Deo, ſed in omnipotentia diuinæ voluntatis, quæ naturaliter competit Deo. Ex hoc enim quòd eſt omnipotens, cuius voluntati nullus poteſt reſiſtere, ſequitur euidenter, quòd, quidquid voluiſſet facere, feciſſet. Connexio autem conſequentis cum antecedente illorum conditionatorum, de quibus in loco inducto ex primo lib. Reg. fit ſermo, non fundatur immediate in aliquo, quod naturaliter competat Deo, ſed in decreto eius libero ſuperius explicato, vnde D
non eſt ſimile.

XXIII. Ad ſecundum teſtimonium ex auctoritate Matt. 11. fatemur Chriſtum Dominum certa ſcientia, & infallibili cognouiſſe illud futurum conditionatum ſi in Tyro & Sydone fuerint ſigna & prodigia, quæ facta ſunt in Corozaim, & Bethſaida, conuerſi fuiſſent; non quidem ex ſolis illis miraculis, ſignifque exteriis, nam vt fatentur etiam aduerſarii oppoſitæ ſententiæ, ad hæreſim Pelagianam pertinet, dicere, quòd ad conuerſionem non requiratur interium auxilium diuinæ gratiæ, ſed ſufficiant exterina ſigna & prodigia, quibus proximo Euangelica confirmatur, & illuminatur intellectus ad legem percipiendam, atque doctrinam. Conuerſi ergo fuiſſent ex auxilio efficaci diuinæ gratiæ præuenientis, quod Deus ſtatuit illis miſericorditer dare, ſi talia illa ſigna, & prodigia apud eos facta fuiſſent. Vnde veritas illius futuri conditionati non antecedit decretum illud diuinæ voluntatis, ſed conſequitur potius: ac per conſequens non cognoſcitur a Deo per ſcientiam mediam, ſed per liberam, vt ſupra dictum eſt. Soluto hac habet magnum fundamentum in Sancto Auguſtino lib. de Dono perſeu. cap. 10. vbi quærens, cur non fecerit Chriſtus ſigna illa in Tyro & Sydone, cum illi, ſi fecerint, ad fidem crediturari, reſpondet hoc reducendum eſſe ad diuinam voluntatem, & in iudicia Dei inſcrutabilia, & in cap. 14. ſeq. idipſum

Tyrus & Sydon ſi viſis ſignis fuiſſent conuerſæ, non ex his ſolis ſignis ſed ex auxilio efficaci quod Deus illis conferret

confirmat, dicens: *Non erant ergo ſic excæcati oculi, nec ſic induratum cor Tyriorum & Sidoniorum quoniam credidiſſent, ſi qualia viderunt iſti ſigna vidiſſent. Sed nec illis profuit quod poterant credere, quia prædeſtinati non erant ab eo, cuius inſcrutabilia ſunt iudicia, & inueſtigabiles viæ nec iſtis obſtiſſet, quos non poterant credere, ſi prædeſtinati eſſent, vt eos Deus cæcos illuminaret, & induratis cor lapideum vellet auferre.* Et poſt hæc ſubdit: *Audiunt enim hæc, & faciunt, quibus datum eſt, non autem faciunt ſine audiant, ſine non audiant, quibus non datum eſt.* Quia vobis (inquit) datum eſt noſſe myſteria regni cælorum, illis autem non eſt datum. *Quorum alterum ad miſericordiam, alterum ad iudicium pertinet illius, cuius arcta ſcientia noſtra.* Miſericordiam & iudicium cantabo tibi Domine. Quibus verbis clariſſime docet Auguſt. ex diuina voluntate, & miſericordia donante bonum velle, procedere, quòd iſti dum audiunt, & vident ſigna, credant ſi ergo Tyri, & Sydonij viſis illis ſignis & prodigiis credidiſſent, ex gratia Dei & voluntate illius, donante ipſum credere, credidiſſent, ac per conſequens illud futurum conditionatum ſequitur ad decretum diuinæ voluntatis. Matth. 13. Pſalm. 100.

XXIIII. Sed dices, quare igitur increpantur Iudæi, ſiquidẽ & ipſi credidiſſent ſi Deus decreſſet illis auxilium efficax, & conuertere eos voluiſſet.

Iudæi iure increpati ſũt a Chriſto Domino.

Reſpondetur hanc eos increpari quia maiora impedimenta præſtiterunt gratiæ & magis indigni extiterunt, vt poſt propria malitia obſtinati quæ quidem obſtinatio non fuit in Tyrus & Sydonius. Licet enim propriis viribus Tyrij & Iudæi non potuerint conſequi auxilium gratiæ, neque ad illud recipiendum tempora præteriuerint tamen ſe impedire magis vel minus, ne ſibi donaretur a Deo, iuxta illud Oſeæ 13. *Perditio tua ex te Iſrael, tantummodo in me auxilium tuum.* Id quod hic proſequitur S. Tho. 3. contra gentes, cap. 149. & 160. Oſee 13.

Ad tertium teſtimonium ex Matth. 24. reſpondetur primò, illud eſſe dictum ſecundum peritia humana, non ſecundum præſcientiam, vt Auguſt. dicit explicans auctoritatẽ Sap. 4. ſicut ſtatim patebit.

Sap. 4.

Secundò reſpondetur, quòd in decreto, quo Deus ſtatuit conferre electis auxilium efficax ad ſuperandas tantum tales, vel tales tentationes, quibus decreuit permittere, vt tentarentur, & non ad alias quæ occurrere potuiſſent, & non occurrerunt cognouit Deus certo & infallibiliter, quòd ſi alias tentationes graniores habuiſſent, ſuccubuiſſent illis. Et quoniam Dei miſericordia erant præ deſtinatione à malis perditionis diſcreti, idcirco impedit ne illis tentationibus tangerentur: vnde non per ſcientiam mediam, ſed per liberam id Deus cognouit.

Et per hæc reſpondetur ad aliud teſtim. ex Sap. 4. cap. videatur S. Auguſt. lib. de prædeſt. SS. cap. 14. vbi ait. *Hoc ſi tota cauſa cur dictum eſt a quocunque ſit dictum, Raptus eſt malitia mutet intellectum eius: dictum eſt enim ſecundum peritia oculorum non ſecundum præſcientiam Dei, qui hoc præſcivit, quod futurum erat, non quod futurum non erat, id eſt, quòd ei mortem immaturam futuram in puerili ætate tentationum ſubtrahere retur ineertos non quod peccaturus eſſet qui non ſuperatus in tentatione non eſſet.* Quibus verbis ſignificat, Deum non cognouiſſe vt futurum peccatum illius, qui raptus eſt, quia reuerà in decreto, vel permiſſione diuina non habebat rationem futuri: quod etiam confirmat ex verbis ſuperius adductis ex lib. de anima & eius origine, cap. 12. Secundò reſpondetur, quòd in decreto quo Deus ſtatuit conferre illi donum perſeuerantiæ vſque ad tale tentationis determinatum, cognouit quòd ſi deſereretur viribus, relictus hac naturæ impulſu tentationis vinceretur & periret.

Ad quintum teſtimonium ex cap. 1. Iſaiæ reſpon- XXV.
derit

detur ſimiliter, per ſcientiam naturalem cognouiſſe Deum, quòd niſi per Apoſtolos & alios prædicatores Euangelij, aut immediatè per ſe ipſum nota faceret myſteria Fidei, iis qui ſalui facti ſunt ex Iſraelitis, totaliter periiſſent: ſicuti per ſcientiam naturalem nos etiam cognoſcimus, quòd niſi Deus conſeruaret mundum, ſtatim redigeretur in nihilum, quia niſi ipſo conſeruante, nequit ſubſiſtere. Et ratio huius eſt, quia nullus poteſt credere myſteria Fidei, niſi proponantur ab alio, iuxta illud: *Quomodo credent ei, quem non audierunt, quomodo audient ſine prædicante?* Per ſemen igitur in loco inducto Iſaiæ, intelligitur Chriſtus Dominus, de quo ad Galat. 3. ſcriptum eſt; *In ſemine tuo, quod eſt Chriſtus*: intelliguntur etiam Apoſtoli, iuxta illud Eſaiæ 61. *Iſti ſunt ſemen, cui benedixit Dominus.* Secundò poteſt dici, quòd ſicut in decreto, quo ſtatuit conuertere Paulum per orationes Stephani, & non aliter, cognouit Deus ſcientia libera hanc veritatem, ſi Stephanus non oraſſet, Eccleſia Paulum Apoſtolum non habuiſſet: ita etiam in decreto, quo ſtatuit per prædicationem Chriſti & Apoſtolorum ſaluos facere credentes, cognouit, quòd niſi ſemen illud paruum fuiſſet relictum populo Iudæorum (id eſt, Apoſtoli) quaſi Sodoma & Gomorrha eſſet idem populus deſtructus: negatiuum enim cognoſcitur à Deo per poſitiuum, vt docet S. Thom. 1. p. qu. 14. artic. 10. Vnde non cognouit Deus illud conditionatum per ſcientiam mediam, ſed per ſcientiam meræ liberam.

Rom. 10. Semè Chriſtum Dominum deſignat.

XXVI. Ad ſextum teſtimonium ex Lucæ 16. cap. reſpondetur eodem modo, quòd in decreto, quo Deus ſtatuit voluntate abſoluta non conferre auxilium efficax fratribus Epulonis, vt conuerterentur: cognouit illos non eſſe credituros, etiam ſi aliquis ex mortuis reſurrexiſſet. Ad aliud teſtimonium ex cap. 3. Ezechielis, reſpondetur, illum modum loquendi eſſe phraſim Scripturæ ſacræ, qua ſolent etiam homines communiter, vti, cùm exprobrantes alicuius amici duritiam dicunt: ſi hoc perſuaſiſſem tot precibus à lapide, vel ab inimico, id feciſſet. Multoties enim Scriptura ſe accommodat communi modo loquendi hominum.

Luca 16.

Ad ſeptimum teſtimonium ex 4. lib. Reg. cap. 13. reſpondetur, Deum decreuiſſe totaliter deſtruere Syriam, poſita illa conditione, quòd videlicet Rex quinquies, aut ſexies, ſiue ſepties percuſſiſſet terram abſque interruptione, vt docet Gloſ. ſuper eundem locum. Vnde illa conditionalis cognoſcebatur à Deo in prædicto decreto ſuæ voluntatis, vnde non per ſcientiam mediam, ſed per liberam cognouit illam.

Ad ſecundum argumentum ex auctoritate SS. Patrum qui ante errorem Pelagij ſcripſerunt, reſpondetur, illos parum de diuina gratia docuiſſe, & ea potiſſimùm ſtatuere conatos fuiſſe, quæ ad conuincendum errorem Manichæorum negantium liberum arbitrium, videbantur eſſe neceſſaria. Vnde S. Auguſt. lib. de prædeſt. SS. cap. 14. ait: *Quid igitur opus eſt, vt eorum ſeruemur opuſcula, qui priùs quàm iſta hæreſis oriretur, non habuerunt neceſſitatem in hac difficili ad ſoluendum quæſtione, verſari? Quod proculdubio facerent, ſi, reſpondere talibus, cogerentur. Vnde factum eſt, vt de gratia Dei quid ſentirent, breuiter quibuſdam ſcriptorum ſuorum locis, & tranſeunter attingerent: immorarentur verò in eis, quæ aduerſus alios Eccleſiæ inimicos diſputabant.* Nunquam tamen docuerunt ſcientiam illam mediam, quam impugnamus. Et ad verba adducta ex S. Chryſoſt. reſpondetur, veriſſimum eſſe, Deum cognouiſſe certò & infallibiliter Matthæum conſenſurum, & ſimiliter Paulum, ſi vocarentur eo tempore, quo vocati ſunt: id tamen cognouit, quia ab æterno ſtatuit, & decreuit in ſua prædeſtinatione, eos conuertere tali tempore, & non antea: vnde per ſcientiam liberam, non autem per ſcientiam mediam, huiuſmodi futura conditionata, & alia conſimilia præſciuit.

Patres, qui ante Pelagium ſcripſerũt, paucadixerunt de gratia Chriſti.

Eandem ſolutionem adhibemus verbis inductis ex S. Aug. lib. de 6. quæſtionibus Paganorum, qu. 2. quam etiam ipſe S. Doctor expreſsè tradit lib. de prædeſt. Sanct. cap. 9. vbi explicat ex profeſſo id, quod in prædicto lib. prædixerat, ſe illis opponens, eo quòd illam ſcientiam antecedentem decretum diuinæ voluntatis, ei imponebant. Ait enim: *Cernisne me ſine præiudicio latentis conſilij Dei, aliarumque cauſarum, hoc de præſcientia Chriſti dicere voluiſſe, quòd conuincendæ Paganorum infidelitati, qui hanc obiecerant quæſtionem, ſufficere videretur? Quid enim eſt verius, quàm præſciſſe Chriſtum, qui & quando, & quibus locis in eum fuerant credituri? Sed vtrùm prædicato ſibi Chriſto, a ſeipſis habituri eſſent fidem, an Deo donante ſumpturi: id eſt, vtrùm tantummodo, eos præſcierit, an etiã prædeſtinauerit Deus, quærere, ac differere tunc neceſſarium non putaui. Proinde, quod dixi tunc voluiſſe hominibus apparere Chriſtum, & apud eos prædicari doctrinam ſuam, quando ſciebat, & vbi ſciebat eſſe, qui in eum fuerant credituri: poſſet etiam ſic dici, tunc voluiſſe hominibus apparere Chriſtum, & apud eos prædicari doctrinam ſuam, quando ſciebat, & vbi ſciebat eſſe, qui electi fuerant in ipſo ante mundi conſtitutionem. Sed quoniam ſi ita diceretur, lectorem faceret intentum ad ea requirenda, quæ nunc ex admoniſtione Pelagiani erroris neceſſe eſt copioſius & laborioſius diſputare: viſum mihi eſt (quod tunc ſatis erat) breuiter eſſe dicendum, exceptâ (vt dixi) altitudine ſapientiæ & ſcientiæ Dei, & ſine præiudicio aliarum cauſarum, de quibus non tunc, ſed aliàs opportunius diſputandum putaui.* Hanc ſolutionem proſequitur S. Thom. 3. p. q. 1. art. 5. ad 2.

XXVII. Scientiam mediã nũquam docuit Aug.

XXVIII. Vocatio cõgrua ſecũdum Auguſt. quæ dicatur.

Ad alium locum Auguſtini ex q. 2. ad Simplician. reſpondetur, quòd cùm ait: *Deum ſic eum vocare, quomodo ſcit congruere illi, vt vocantem non reſpuat*, nihil aliud ſignificare voluit, quàm gratiæ ſuæ vim, & energiam Deum non ignorare, qua occultè quoſdam ita vocat, vt vocando conuertat, obſequentéſque faciat: & ideo ita vocatos videat ſequuturos, quia vocando facturus ſit, vt ſequantur, ita ſcit dona ſua, & beneficia ſua, quibus nos dignatus eſt liberare, vt ipſe Aug. fatetur lib. de prædeſt. SS. c. 9. citat. quod etiam repetit c. 10. ſeq. cùm ait: *Prædeſtinatione quippe Deus ea præſciit, quæ fuerat ipſe facturus, vnde dictum eſt, fecit quæ futura ſunt.* & ca. 12. *Electi ſunt itaque ante mundi conſtitutionem ea prædeſtinatione, in qua Deus ſua futura facta præſciuit.* Et cap. 17. *Cùm ergo nos prædeſtinauit, opus ſuum præſciuit, qui nos ſanctos, & immaculatos facit.* Et lib. de Dono perſeu. c. 14. *An quiſquam dicere audebit, Deum non præſciſſe, quibus eſſet daturus, vt crederent, aut quos daturus eſſet filio ſuo, vt ex eis non perderet quenquam? Quæ vtique ſi præſciit, profectò beneficia ſua, quibus nos dignatur liberare, præſciit.* Et idem repetit eodem lib. cap. 17. 18. 21. & 24.

Præſciuit Deus futura bona, quæ erat ipſe facturus.

Ad auctoritatem ex lib. de corrept. & gratia, cap. 12. reſpondetur, quòd, vt Diſp. 11. patebit in decreto, quo Deus ſtatuit permittere peccatum primi parentis in paradiſo conſtituti, & cõcurrere ad actionem poſitiuam illius inquantum actio, cognouit Deus, quòd eſſet peccaturus, ſi conſtitueretur in paradiſo; vnde per ſcientiam liberam, & non per mediam ſcientiam id cognouit. Similiter etiam reſpondetur ad alium locum ex lib. de nat. & gratia, c. 26. quòd Deus voluit per lapſum prædeſtinati, quem permittit, ipſum reddere cautiorem: & ideo per ſcientiam liberam ſcit hoc futurum cõditionatum, ſi pec

Peccata futura qualiter à Deo cognoſcãtur.

si peccauerit, magis cautus deinceps efficietur.

Et per hæc patet ad ea, quæ obiiciuntur ex S. Ambrosio, S. Gregorio, S. Tho. & aliis Sanctis, & Doctoribus Scholasticis. Nam præsertim S. Thomas sæpissimè impugnat scientiam illam mediam, quamuis sub alio nomine, vt patet ex locis supra inductis.

XXIX. Scientia media vtilis non est ad concordã dam arbitrij libertatem, cum gratia.

Ad tertium argumentum respondetur, scientiam mediam, non solùm vtilem non esse ad perfectionem diuinæ prouidentiæ, sed etiam in seipsa impossibilem esse, vt suprà ostensum est: & ad impugnationem respondetur, quòd prouidentia & voluntas hominis non est efficax ad promouendum voluntatem alterius, & ad efficiendum quicquid voluerit: dicitur enim Sap. 9. *Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ.* Vnde, vt prudenter alteri persuadeat, quod intendit, oportet, vt obseruet circumstantias, & expectet tempus, in quo alter est magis dispositus. Hæc autem ratio non procedit de voluntate diuina, quæ est efficacissima, & omnia quæcunque voluit fecit in cœlo & in terra. Vnde S. Prosper libr. de ingratis, cap. 15. ait: *At verò Omnipotens hominem cum gratia saluat, Ipsa suum consummat opus cui tempus agendi Semper adest, quæ gesta velit: non moribus illi Fit mora, non cassis anceps suspenditur vllis, Nec quod sola potest, cura, officioque ministri, Exequitur famulisve vicem committit agendi.*

Ad primam confirmationem respondetur, quòd Deus priùs ratione quàm habeat efficax decretum faciendi aliquid, præcognouit per scientiam naturalem suam omnipotentiam, efficaciamque suæ diuinæ voluntatis, & motionis. Per illam quippe scientiam, & non per scientiam mediam cognouit, quòd si ipse voluerit hominem conuertere, & dare illi auxilium efficax, conuertet illum, vt suprà dictum est. Et per hæc patet ad secundam cõfirmationem.

Ad quartum argumentum respondetur, quòd illud futurum conditionatum, si Adam non peccasset, Filius Dei incarnatus non fuisset, est verum, & cognitum à Deo in decreto suæ diuinæ voluntatis, quo statuit incarnari, supposito peccato primi parentis, & non aliàs, vt constat ex sancto Thoma, tertia parte citata. Vnde per scientiam liberam id Deus cognoscebat: & idem dicendum de futuro illo conditionato, si homo perseuerasset in statu innocentiæ, esset immortalis: veritas enim illius fundatur in decreto voluntatis, quo Deus statuit hominem à morte, durante statu innocentiæ, præseruare. Alia autem conditionata, quorum consequens non habet infallibilem connexionem cum antecedenti, ex natura rei, neque ex decreto diuinæ voluntatis, non sunt vera, & consequenter nec scibilia etiam à Deo, vt suprà habitum est.

Christi incarnatio facta est suppositio peccato.

XXX. Ad quintum respondetur, quòd, vt Disput. 11. patebit, post decretum diuinæ voluntatis, quo Deus statuit permittere, vt Petrus positus in talibus circumstantiis peccet, & concurrere ad actum peccati, vt actio est, præsciuit absolutè illum esse peccaturum, & similiter antequam statueret illum creare, & constituere in prædictis circumstantiis, præsciebat certò & infallibiliter, quòd si constitueretur in eisdem circumstantiis, & Deus permisisset peccatum Petri, & decreuisset concurrere ad actionem peccati, vt est actio positiua, Petrus peccasset: sed hoc conditionatum non est obiectum scientiæ mediæ, nec per illam cognoscitur à Deo, sed per scientiam merè naturalem, seu simplicis intelligentiæ: nam omne possibile esset futurum, si Deus voluisset.

Possibilia omnia sic

Ad sextum argumentum negatur antecedens: ad probationem respondetur, quòd omnia possibilia

A esse futura ex hypothesi, quòd Deus voluisset illa efficere, si sunt bona, aut permittere si sunt mala: vnde futurum ex hypothesi, quod Deus voluisset illud efficere, non extrahit prædictum obiectum à ratione possibilis, vnde cognoscitur per scientiam naturalem; si autem non supponatur in antecedenti decretum diuinum saltem conditionatum, quo Deus decreuit, quod tale quid fiat, si ponatur in esse illa conditio, nihil esset futurum ex vi illius hypothesis quia non potest intelligi effectus, vt futurus aliquo modo antecedenter ad decretum primæ cautæ, vt supra dictum est, & ita conditionatum illud non esset verum, & consequenter nec scibile etiam à Deo.

esse futura ex hypothesi, quod Deus voluisset.

Ad septimum argumentum iam patet ex dictis, B qualiter futura conditionata non sint scibilia, secundum quod constituuntur ab assertoribus scientiæ mediæ. quia reuerà non essent futura, posita illa conditione, nisi in illa supponatur decretum diuinæ voluntatis, sine quo decreto, vel absoluto, vel conditionato non datur omnino futurum aliquod conditionatum. Vnde nos negantes scientiam mediam, & illam impugnantes, non negamus in Deo scientiam esse futurorum conditionatorum, sed eorum tantummodo, quæ cùm nullo modo futura sint etiam ex hypothesi, asseruntur esse futura conditionata.

Ad confirmationem respondetur, quod vt illæ duæ propositiones sint contradictoriæ, debet in negatiua antecedere negatio copulam (*si*) & tunc an- C te omne decretum diuinæ voluntatis decernentis actum futurum, affirmatiua est falsa, quoniam est mala consequentia: ad veritatem autem conditionalis requiritur, quod sit bona consequentia, & subinde conditionalis, negatiua est vera: facit enim istum sensum, non sequitur, quod si Petrus constituatur in tali ordine rerum, peccabit, qui sensus est verus, cum voluntas adhuc in illis circumstantiis posita ante decretum diuinæ voluntatis sit omnino indifferens ad actum peccati, vel ad actum oppositę virtutis producendum.

XXXI. Ex duabus cõtradictorijs non oportet, quod altera sit determinatè vera.

Secundò respondetur, quòd quando propositiones sunt in materia contingenti, non oportet quòd ex duabus contradictoriis, altera sit secundùm se determinatè vera, altera determinatè falsa, sed suffi- D cit, quod si vna est vera, altera sit falsa, ita vt repugnet, ambas simul esse veras, vel falsas: & quoniam peccare, vel non peccare, contingenter competit Petro, hinc est, quod non sit magis vera secundùm se hæc propositio: Petrus in talibus circumstantiis positus peccabit, quàm oppositа.

Scientia media inutilis est ad concordã dum liberum arbitrium cum gratia.

Ad octauum argumentum negatur antecedens: veriùs enim dici potest, quòd illa concordia liberi arbitrij cum diuina gratia, & prædestinatione per scientiam mediam quamplurimas pariat difficultates circa libertatem arbitrij; circa efficaciam auxiliorum gratiæ; circa diuinam causalitatem, prouidentiam, & prædestinationem gratuitam, vt constat ex dictis, & ex dicendis infra patebit ampliùs.

XXXII. Auxilium efficax habet infallibilem connexionem cum operatione ad quam datur. S. Thom. 2. 2. q. 24. art. 1. in corp. & 1. 2. q. 112. art. 3. cap. 4.

Ad nonum argumentum respondetur, quòd cùm E auxilium efficax sit effectus diuinæ voluntatis, decernentis quòd homo conuertatur, eius conuersio habet infallibilem connexionem cum eodem auxilio, sicut eam habet cum absoluta voluntate Dei volentis, vt homo, cuius cor mouet, conuertatur: dicit enim S. Thom. *Impossibile est hæc duo esse simul vera, quòd Spiritus sanctus velit aliquem mouere ad actum charitatis, & quòd ipse charitatem amittat peccando.* Et iterum ait, quòd *si ex intentione Dei mouentis est, quòd homo, cuius cor mouet gratiam consequatur, infallibiliter ipsam consequitur, secundùm illud Ioannis sexto:* Omnis qui audit à Patre, & didicit, venit ad me.

Vnde

Digitized by Google

Vnde ante decretum suæ voluntatis absolutum A cognoscit certò & infallibiliter, quòd si dedisset auxilium efficax Iudæ fuisset conuersus, sed hoc conditionatum non cognoscitur à Deo per scientiam mediam, sed per scientiam merè naturalem, per quam comprehendit omnipotentiam suæ voluntatis, & virtutem intrinsecam efficacis auxilij, vt suprà dictum est, & patebit clariùs ex his, quæ in disputatione vigesima quinta, dicenda erunt.

Ad decimum respondetur, non solùm non demonstrare, sed nec probabiliter suadere, quod intendit. Etenim principium assumptum in maiori, voluntarium est & manifestè falsum, etiam in sententia defendentium scientiam mediam: nam ipsi fatentur, quòd Deus decreuit concurrere cum voluntate creata ad actus liberos concursu generali B indifferenti, si ipsa videlicet voluerit influere, & tamen hoc decretum in nulla re ponit necessariò mutationem realem: nam Deus habet hoc decretum (in eorum sententia) etiam respectu eorum, qui nihil operantur, in quibus tamen per illud decretũ nulla fit realis mutatio. Et ad probationem respondetur, quòd quando decretum Dei est absolutum ex parte obiecti voliti, resultat ex illo pro aliquo tempore realis mutatio in creatura: quando autem est conditionatum ex parte obiecti voliti, non est necesse, quòd inferat mutationem realẽ in creatura: sed sufficit, quòd ex vi illius decreti realiter mutaretur creatura, si conditio fuisset impleta, & hæc realis mutatio, quæ futura esset, si adimpleretur conditio, est etiam sufficiens, vt diuina voluntas C aliter comparetur ad creaturas post illud decretum actuale, quàm antea: eo vel maximè, quòd respectus rationis, qui inuoluitur in decreto Dei actuali in ordine ad obiecta secundariò volita, vt obiecta sunt, non est respectus prædicamentalis, sed transcendentalis, nec est respectus realis, sed rationis; etiam ex parte creaturarum, quando creaturæ non existunt, sed existerent, si adimpleretur conditio.

Secundò respondetur, non esse necessarium etiam in decreto Dei absoluto ex parte obiecti voliti, quòd semper inferat mutationem realem in creatura, pro aliqua differentia temporis. Etenim decretum, quo Deus vult sua lege naturali obligare sub peccato mortali creaturã rationalẽ, est absolutum ex parte obiecti voliti, & tamẽ ex hoc decreto D nulla resultat mutatio realis in eadem creatura.

XXXIII. Et per hæc respondetur ad primam confirmationem, quòd quando decretum Dei actuale est absolutum ex parte obiecti voliti, connotat aliquid existens in creatura pro aliqua differẽtia tẽporis, quòd possit non esse: at quando decretum est conditionatum ex parte obiecti voliti, solùm connotat aliquid, quod ex vi illius decreti existeret in creatura, si adimpleretur conditio, quod tamen poterat non esse: nam adimpleta conditione, produceretur à Deo, non quidem ex necessitate absoluta, sed solùm necessitate ex suppositione immutabilitatis decreti diuini, vt dicetur infra.

Ad secundam confirmationem respondetur quòd locus Augustini ex libro de gratia, & libero arbitrio E capite octauo, non adducitur ad propositum: nam ibi loquitur expresse de futuris quæ reuerà futura erant, scilicet de peccatis futuris eorum, qui rapti non sunt, quando erant in gratia; hæc autem peccata fuerunt quidem certò & infallibiliter cognita à Deo vt futura, antequam fierent, sed non fuerunt cognita ante actuale decretum diuinæ voluntatis, sicut arguens prætendit: sed post decretum, quo Deus statuit peccata illa futura permittere, & ad ipsam actionem peccati in quantum est actio concurrere ad modum explicandum disputatione vigesimaquinta. De his futuris peruersissimè, & insanissimè dicitur, quòd Deus ea nó cognouerit, antequã fierẽt: sicut peruersissime & insanissimè dicitur, quòd Deus ea impedire nó potuerit. De aliis autẽ futuris conditionatis de quibus procedit præsens cõtrouersia, nó peruersissime & insanissime, sed rectissime, & verissime dicitur, quòd ante decretum diuinæ voluntatis, non sint scibilia, vt determinatè futura, etiam ex hypothesi, quod voluntas creata constitueretur in talibus circunstantiis; sed solum vt possibilia fieri, vt supra dictum est. Si dicatur: sanctum Augustinum non solùm docere, Deum cognouisse peccata futura, sed etiam illud futurũ conditionatum, si isti diutiùs viuant, peccabunt. Respondetur, quòd etiam illud conditionatum cognouit Deus, sed post decretum actuale suæ voluntatis, vt dictum est.

Similiter etiam locus adductus ex capite octauo, de prædestinatione Sanctorum, non est ad propositum: nã in ipsa conditione, quæ importatur in antecedẽti, videlicet, si eos docere voluisset, includitur voluntas Dei conditionata ex parte actus volendi: ita vt sensus sit, si Deus voluisset eos efficaciter ad se trahere, venirent vtique & ipsi; hoc autem conditionatum certò cognoscitur à Deo per scientiam merè naturalem, qua cognoscit efficaciam & omnipotentiam suæ voluntatis, sicut certò cognoscit, quòd si voluisset creare alium mundum, creasset illum. Nec est aliquis Theologus qui neget esse in Deo scientiam infallibilem horum & similium conditionatorum, quæ simpliciter sunt necessaria: quia, vt docet sanctus Thomas, eorum consequens, infallibiliter, siue ex necessitate consequentiæ, sequitur ex antecedenti, si ponatur in esse. Ad alium locum Augustini ex capite decimoquarto, de Dono perseuerantiæ, iam supra responsum est.

S. Tho. 2. 2. q. 24. ar. 11. in corp. & p. 2. q. 112. art. 3. in corp.

Ad tertiam confirmationem respondetur, quòd vt supra dictum est ex sancto Thoma, ad veritatem propositionis conditionalis necessario requiritur, quòd posito antecedenti, ponatur in esse infallibiliter, & consequens: & ad impugnationem respondetur, illo consilio significari, quòd benignitas Regis magnam vim habet ad alliciendum, & trahendum moraliter populum ad obsequium & seruitutem eius, in quo verum dixerunt, qui dederunt illud consilium, quoniam moraliter ita solet contingere: de facto tamen non habet infallibilem veritatem illud conditionatum antecedenter ad decretum, quo Deus statuit, per benignitatem Regis facere populum seruum eius: nam secluso tali decreto, stabit aliquando, quod ponatur conditio illa, & quòd populus sit ingratus & rebellis Regi: & idem dicendum proportionabiliter de aliis consimilibus consultationibus, & consiliis.

DISPVTATIO VIII.

Vtrùm omnes res futuræ sint actu præsentes in æternitate secundùm proprias existentias, quas habebunt in propria mensura.

I. HÆc difficultas est præcipua inter ilias, quæ, ad declarandam certitudinem præscientiæ diuinæ comparatione futurorum contingentium, conducunt. Si enim semel statuatur, omnia futura contingentia actu existere ab æterno, in mensura æternitatis, nedum

nedum in esse cognito, & obiectiuo: sed etiam secundum proprias & actuales existentias; aperitur via facilis ad explicandam infallibilitatem eiusdem scientiæ diuinæ. Sunt ergo in hac parte duæ oppositæ sententiæ. Prima est multorum Theologorum asserentium, res non esse præsentes Deo in æternitate in esse reali, & secundum proprias existentias, nisi quando actu eas habent in propria, & immediata mensura. Sequuti sunt hac sententiam Scotus in 1. dist. 39. & eius discipuli idem tenet Aureolus apud Capr. Dur. eodem lib. dist. 38. quæst. 3. Gabr. Ocham, & Palatius ibidem. Eandem sententiam tuentur multi ex recentioribus Theologis qui contendunt, in eadem opinione esse sanctum Thomam. Argumenta, quibus conuincuntur, sunt hæc.

PRimò, argumentantur ex locis Scripturæ, in quibus habetur, solum Deum esse ab æterno: alia verò omnia fuisse in tempore ab illo producta, vt patet. Genes. 1. *In principio creauit Deus cœlum & terram.* Et Psal. 89. *Priusquam montes fierent, & formaretur terra & orbis, à sæculo & vsque in sæculum tu es Deus.* Hæc autem loca, & similia debent intelligi in sensu proprio: ergo proprie loquendo, nulla res creata habet ab æterno in ipsa æternitate propriam, & actualem existentiam; sed solùm est præsens Deo ab æterno in esse cognito, siue in esse obiectiuo.

Arguitur secundò ex auctoritatibus sancti Thomæ, in quibus solùm concedit ab æterno realem præsentiam in æternitate secundùm esse obiectiuum: etenim 1. par. quæst. 14. artic. 13. inquit, *quòd futura in tempore sunt Deo ab æterno præsentia quia eius intuitus fertur ab æterno super omnia, prout sunt in sua præsentialitate.* Et 12. quæst. 91. art. 1. ad primum ait: *quæ ea, quæ in seipsis non sunt, apud Deum existunt, inquantum sunt ab ipso cognita, & præordinata*: & idem docet 1. contra Gentes, cap. 66. ratione 6. item etiam 1. par. quæst. 8. artic 3. inquit, quòd Deus est præsens omnibus rebus, & omnia sunt in conspectu eius præsentia: quia intuetur omnia, vbi sanctus Thomas non ponit aliam præsentiam rerum in ordine ad Deum antequam sint, nisi solùm obiectiuam.

Arguitur tertiò: Futura non existunt ab æterno in æternitate: ergo non coëxistunt Deo in æternitate. Patet consequentia nam coëxistere alicui, est simul existere cum illo. Antecedens probatur. Omnes res creatæ incipiunt existere in æternitate nam incipiunt existere in seipsis secundùm mensuram propriam, & consequenter incipiunt existere in quacunque alia mensura superiori: ergo non existunt ab æterno in æternitate.

Confirmatur primò: Si res ab æterno existerent in æternitate, sequeretur, quòd non essent creatæ à Deo. Probatur: nam, cùm creatio sit productio totius entis ex nihilo, ad veram creationem requiritur, quòd res habeat esse post non esse: quod autem est ab æterno in æternitate, non habet esse post non esse: ergo.

Confirmatur secundò nam in Concil. Niceno in symb. fid damnatur illa impia vox Arrij asserentis de Filio Dei, quòd erat, quando non erat, & quòd incœperat sicut creaturæ: si autem vera est sententia, quæ asserit, omnes res creatas fuisse ab æterno in æternitate, nulla esset differentia quantùm ad ipsam æternitatem inter generationem Verbi, & productionem creaturarum secundùm proprias existentias: ergo.

Arguitur quartò: Sequeretur ex opposita sententia quòd in æternitate darentur duæ contradictoriæ veræ, probatur manifestè: Istæ sunt contradictoriæ, Petrus est albus, & Petrus non est albus: sed istæ sunt veræ, si res futuræ existãt ab æterno in æternitate ergo, minor probatur: In casu quòd Petrus hodie sit albus, & cras niger, affirmatiua est vera: etenim cùm in nostro tempore verificetur modò, quòd Petrus sit albus, etiam est albus in mensura æternitatis: negatiua verò probatur, nam cras Petrus reuerà non erit albus, sed futura existunt in æternitate secundùm proprias existentias, iuxta oppositam sententiam, ergo etiam erit vera ab æterno in æternitate, Petrus non est albus, & ita erit simul albus & non albus in æternitate.

Arguitur quintò: Implicat quòd idem bis producatur, sed si res existunt in æternitate, antequam in propria mensura, idem bis produceretur realiter: ergo. Minor probatur: nam, si Antichristus coëxistit Deo ab æterno in ipsa æternitate; ergo iam est productus in æternitate: alias enim non posset existere, cùm non habeat esse à seipso, sed ab alio. Item etiam Antichristus reuerà est futurus: ergo iterum erit producendus, atque adeò idem bis produceretur.

Arguitur sextò. Creaturæ futuræ in nostro tempore, non coëxistunt Angelo in mensura æui; ergo nec Deo in mensura æternitatis. Antecedens probatur: nam alias Angelus cognosceret naturaliter omnia futura contingentia, antequam producerentur, quia essent illi præsentia; & coëxisterent illi in mensura æui, qua mensuratur Angelus. Consequentia verò probatur: nam æuum est mensura superior ad nostrum tempus, sicut æternitas: ergo si futura contingentia existunt in æternitate, quia est mensura superior, etiam existunt in mensura æui, antequam producantur in tempore.

Confirmatur Deus propterea habet certam notitiam futurorum contingentium, quia coëxistunt illi in mensura æternitatis, secùdùm illud esse reale, quod habebunt in tempore: sed, etiam futura contingentia coëxistunt Angelo in mensura æui, cùm illa mensura sit superior ad nostrum tempus, & sit inuariabilis & tota simul; ergo etiam Angelus habebit certam cognitionem futurorum contingentium.

Arguitur septimò: Impossibile est, quòd aliquid existat in mensura superiori secundùm suum esse reale, nisi priùs existat in mensura inferiori secundùm idem esse reale: ergo implicat, quòd aliquid habeat propriam existentiam in æternitate, nisi eam habeat in propria mensura: sed res futuræ non existunt in propria mensura, ergo neque in mensura æternitatis. Antecedens probatur: nam res non comparantur ad mensuram superiorem, nisi mediante inferiori. Sicut ergo implicat, quòd aliquid sit sub cœlo tanquam sub mensura inadæquata, & superiori, nisi existat in aliquo loco inferiori sibi proprio & adæquato: ita erit implicatio, quòd aliquid existat realiter in æternitate, antequam habeat esse in propria mensura.

Arguitur octauò: Si res iam habent esse in æternitate, & propriam existentiam; sequitur, quòd nulla remaneat libertas arbitrij, neque contingentia rerum: hoc autem non est dicendum; ergo. Sequela probatur: nam si existunt in æternitate; ergo iam omnia futura sunt producta secundùm omnes circunstantias, quas habebunt in nostro tempore; ergo non erit modò in potestate liberi arbitrij aliquid facere, vel alio modo, quàm factum sit in æternitate; ergo nulla remanet libertas.

Confirmatur: Futurum contingens, & liberum, non est in æternitate, nisi per idem esse quod habiturum est in tẽpore: sed si in tempore haberet esse, antequam fieret à libero arbitrio, non esset contingens neque liberum: ergo similiter non erit contingens, neque liberum, si habet esse in æternitate, antequam à libero arbitrio producatur in tempore.

Secunda

Secunda ſententia eſt præcedenti oppoſita, quam ſequitur Capr. in 1.d.36.q vnica, articulo ſecundo, & d. 38.q. vn. articulo ſecundo. Ferrar. 1. contra Gent. capite 66.& 67. Aegidius in 1.d. 38.quæſt. 1. Caiet. 1.p.q.14.art.13. & omnes Thomiſtæ, & eſt expreſſa ſententia S.Thom. vt inferiùs patebit. Pro cuius explicatione ſunt aliqua ſupponenda.

Nunc æternitas quid ſignificet.

Notandum eſt primò, quòd quando dicimus, res futura eſt, ſiue exiſtit in æternitate ſecundùm propriam exiſtentiam, aduerbium, nunc, quod includitur in illo verbo, eſt, non denotat nunc temporis noſtri; ita vt ſenſus ſit, quòd in menſura, qua nos menſuramur ſecundum eſſe ſucceſſiuum, quod habet, res futuræ exiſtant in æternitate, ſed ſolùm importat nunc æternitatis, quod eſt inuariabile, & totum ſimul.

Æternitas eſt menſura ſuperior.

Notandum ſecundò, æternitatem comparari ad noſtrum tempus, ſicut menſura communis ad particularem. Eſt quid ſimile in naturalibus. Sicut enim cœlum in ratione loci comparatur ad iſtam aulam, & ad omnia, quæ continentur in illa, tanquam méſura communis, & vniuerſalis ad particularem: ita proportionabiliter æternitas comparatur æuo, & noſtro tempori. Vnde ſicut omnia, quæ continentur in iſta aula, continentur ſub cælo, & non è conuerſo: ita quicquid continetur in noſtro tempore, continetur in æternitate, & non è contrà.

Notandum tertiò ex Ferrar. capite 66. cit. §. conſiderandum, quòd, vt docet Ariſt. 4. phy. tex. 114. aliter dicuntur duæ res menſuratæ aliqua duratione coëxiſtere inter ſe, & aliter dicuntur ipſæ durationes coexiſtere. Etenim, quæ menſurantur duratione, dicuntur inter ſe coexiſtere, quando ambo coexiſtunt in eadem menſura præſenti, ſicut duo individua dicuntur coexiſtere in hac die, quia in ordine ad menſuram huius diei habent ſimul eſſe, duæ autem menſuræ dicuntur coexiſtere: quia vna continetur in alia, ſicut præſens dies coexiſtit méſi Martio, & anno 1610. quia continetur in illo. Vt ergo res futuræ coexiſtant Deo in æternitate, ſufficit & requiritur, quòd Deus & futura ſimul habeant eſſe in illa menſura æternitatis, qua menſuratur Deus: quamuis æternitas ſit propria & adæquata menſura Dei; aliarũ autẽ rerum ſit cõmunis & inadæquata.

Coëxiſtere aliqua inter ſe, quid ſit.

III. Futura ſint Deo præſentia, in æternitate ſecundum proprias exiſtẽtias.

COnclusio ergo noſtra ſit: Res futuræ non ſolùm ſunt præſentes Deo in æternitate ſecundùm eſſe obiectum, ſiue in eſſe cognito; ſed etiam ſecundùm realem præſentiam, & actualitatẽ, quam habebunt in noſtro tempore. Hæc concluſio eſt contra auctores primæ ſententiæ: aſſeritur tamen à S.Thoma, articulo 13. cit. & 1.cont.Gent. capite 66. ratione 6. vbi dicit, quòd *Deus cognoſcit omnia contingentia, non ſolùm, prout ſunt in ſuis cauſis, ſed etiam prout vnumquodque eorũ eſt actu in ſeipſo*, & 1.p.q.14. art.13. inquit, quòd *omnia, quæ ſunt in tempore, ſunt Deo ab æterno præſentia, non ſolùm ea ratione, qua habet rationes rerum apud ſe præſentes, vt quidam dicunt, ſed quia eius intuitus fertur ab æterno ſuper omnia, prout ſunt in ſua præſentialitate.*

Reſpondent auctores oppoſitæ ſententiæ, S.Thomam intelligi de præſentialitate obiectiua tantùm, non autem de præſentialitate reali, quæ eſt ſecundùm proprium ſuum eſſe, & propriam exiſtentiam.

Sed hæc explicatio videtur pugnare cum verbis S.Thomæ; nam quod eſt præſens ſolùm obiectiuè, nondum habet eſſe in ſeipſo, vel ſaltem non eſt præſens ſecundùm quòd habet eſſe in ſeipſo; at S.Tho. apertè dicit, quod futurum eſt præſens Deo, prout actu habet eſſe in ſeipſo, in ordine ad menſuram æternitatis: ergo. Addo: nam S. Thom. ait expreſsè, quòd futura non ſolùm dicuntur præſentia Deo in æternitate: *Secundũ quòd Deus habet rationes rerũ apud ſe præſentes*, quod pertinet ad præſentialitatem obiectiuam ſed etiam, quia vnumquodque eorũ habet eſſe in æternitate, quæ eſt tota ſimul & 1. con. Gen. capite 66. cit. addit, quòd quicquid eſt in quacunque parte temporis, coexiſtit æternitati, quaſi præſens eidem, etiam ſi reſpectu alterius partis temporis ſit præteritum, vel futurum: & idẽ docet, quæſtione ſecunda de veritat. articulo duodecimo, in corp. & 1.p.q.57. articulo tertio, & q.86.art.4. & 22. q.171.art.2.ad primum, & ſecundum, quæ loca ſunt neceſſariò videnda. Hanc doctrinam magis explicat S.Tho. in 1.d.38.quæſtion.1.ar.5. in corpore, vbi ait: *quòd Deus non tantum cognoſcit ab æterno de rebus ſe cognoſcere cauſas, quod eſt eſſe in cognitione ſuæ: ſed etiã ab æterno videt vno intuitu ſingula tempora, & rem talem eſſe in hoc tempore, & in hoc deficere.* Quibus verbis apertè fatetur, res futuras habere præſentialitatem non ſolùm obiectiuam in ordine ad diuinum intuitum: ſed etiam ſecundum realem præſentiam, quam habebunt in propria menſura.

IV.

Probatur hæc ſententia, primò ex ſacris literis, in quibus non obſcurè inſinuatur noſtra concluſio: præſertim Iob 14. cum dicitur, & *numerus menſium eius apud te eſt*, quem locum explicans S. Greg. ait: *quoniam apud omnipotentem Deum, etiam labentia ſtãt, apud eum eſſe numerum noſtrorum menſium perhibet.* Sed in menſibus ſunt tempora futura, & præterita: ergo hæc ſtant præſentialiter apud Deum. Item ad Hebr. 1. dicitur de verbo diuino: *Per quem fecit, & ſecula*: in ſeculis autem, quædam ſunt præterita, quædam futura: ſed omnia dicutur eſſe facta à Deo: quoniam in æternitate, omnia ſunt præſentia. Item etiam Iſaiæ 45. dicitur de Deo, quòd *fecit ventura*. ſiue quę futura ſunt, vbi futura in ſeipſis dicuntur facta a Deo, quia in æternitate eius omnia ſunt præſentia tanquam facta, nec reſpectu illius eſt aliquid futurum, aut præteritum: quamuis aliquid dicatur præteritum in ordine ad vnam partem temporis noſtri, & futurum in ordine ad aliam. Denique, pro hac ſententia eſt notandus locus Apoſtoli ad Rom. 4. vbi dicitur de Abraham: *Patrem multarum gentium poſui te ante Deum, qui vocat ea, quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt*, vbi per hoc quod dicitur, *Ante Deum*, explicat, quod dixerat de præterito, *Poſui te*, etenim licet illud eſſet futurum, quia tamen in æternitate Deo erat præſens; ideo dixit, *Poſui te*, & rationem ſubdit, cum ait, *Qui vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt*, quaſi diceret. Ideò de futuro loquitur per modum præſentis: quoniam futura ſunt Deo præſentia in æternitate, & eodem modo intuetur quæ ſunt facienda in tempore noſtro, ſicut quæ facta ſunt, aut fiunt: ſic explicat locum illum Apoſtoli S.Ambroſ. & alij plures Doctores ſancti.

S.Greg. lib. 12 Moral. cap. 5.

Iſaia 45. ſecundum ſeptuaginta.

Rom 4.

Probatur ſecundò, auctoritate Sanctorum, & primò ex ſancto Auguſtino lib. 4. de Trinitate capite 17. vbi ait: *Apud Deum præterita, & futura ſtant.* Et libro quinto, capite 16. *Apud Deum* (inquit) *nec præterita tranſierunt, & futura iam facta ſunt.* Idem dicit libro 15. capite ſeptimo, ſed ſpecialiter ad idem probandum, eſt inſignis locus eiuſdem ſancti Auguſtini in Soliloquiis, capite vigeſimoſexto, vbi ait: *Antequã enim naſcerer ego filius ancillæ tuæ, Domine ſpes mea ab vberibus matris meæ, tu præueniſti, præparaſti mihi ſemitas, quibus incederem, & venirem ad gloriam domus tuæ. Prius quàm me formares in vtero, noueras me: & antequam exirem de vulua, quidquid tibi placuit, præordinaſti de me. Quæ & qualia ſunt in libro tuo ſcripta de me in ſecreto conſiſtorij tui, ego quidem ignoro, vnde & valdè timeo. Tu verò noſti, quoniam, quod ego per ſucceſſus dierum, &*

temporalium, hinc ad mille annos huius temporalitatis expecto, in conspectu æternitatis tuæ, iam factum est, & quod futurum est, iam factum est. Hæc autem verba explicari non possunt de sola præsentialitate obiectiua: nam futura, si solùm essent obiectiuè præsentia in æternitate, non dicerentur iam esse facta in eadem æternitate. Idem tenet Hieron. ad Ephes. 1. Ambros. vbi suprà, & lib 8. de fid. ad Gratianum, c. 7. Greg. hom. Dominicæ in passione, Anselm. lib. de casu diab. c. 18 & 20. & lib. de concordia præscientiæ, & prædestinationis, c. 1. Hidorus lib. 2. de summo bono, capite sexto, glos. super Psalm. 89. & S. Prosper libro primo de voc. Gent. cap. 24.

Probatur tertiò ratione: Deus habet claram & distinctam cognitionem intuitiuam omnium futurorum contingentium: ergo omnia illa sunt præsentia in æternitate secundùm propriam existentiam, & non tantùm in esse obiectiuo, siue in esse cognito. Patet consequentia: nam cognitio intuitiua est rei præsentis, prout præsens est secundùm propriam existentiam. Antecedens autem probatur: nam cognitio, quam Deus habet futurorum contingentium, est perfectissima; ergo intuitiua: alias mutaretur Dei cognitio, quando futura producerentur in esse; nam incipere cognoscere intuitiuè, quod antea cognoscebat abstractiuè.

Probatur quarto, ratione Ferrar. vbi suprà: Adam, & Antichristus, vel coëxistunt Deo in nunc æternitatis, secundùm proprias existentias reales, vel non coëxistunt: sed Adam coëxistit Deo de præterito, & Antichristus de futuro. Si detur primum, habemus intentum. si secundum, sequitur dari in æternitate futurum, & præteritum: nihil enim dicitur præteritum, & futurum in ordine ad aliquã durationem, nisi illa duratio habeat in se partes præteritas, & futuras, vt patet in nostro tempore: si enim in illo solùm esset vnum instans indiuisibile, nihil esset præteritum, aut futurum in ordine ad illud: sed præteritum, & futurum repugnant æternitati, vt docet S. Tho. p. q. 10. art. 4. & 5. nam æternitas est indiuisibilis, & tota simul: ergo.

V. Probatur quintò: Illud quod aliquando coëxistit æternitati, semper illi coexistit: nam æternitas est tota simul, vt dictum est: sed nato Antichristo erit verum dicere, Antichristus coexistit Deo in æternitate, secundum suum esse reale; ergo ab æterno habet hanc coëxistentiam in ipsa æternitate; Minor conceditur ab auctoribus oppositæ sententiæ, & consequentia probatur: nam æternitas non habet successionem.

Ad hoc argumentum respondet quidam, distinguendo maiorem propositionem: si intelligatur enim de tota æternitate, prout æternitas est res quædam simplex, nullis constans ex partibus, vera (inquit) est propositio; nam, cum æternitas re ipsa careat in se partibus, fieri non potest, vt aliquid coëxistat æternitati, & non coexistat toti æternitati, secundùm rem ipsam æternitatis: si autem intelligatur de æternitate tota, prout potest æternitas alios, & alios conceptus nostros terminare, quibus verè affirmetur, ipsam æternitatem existere, sic falsa est propositio.

Sed hæc solutio non euacuat vim argumenti: secludamus enim nostros conceptus, & loquamur de ipsa existẽtia à parte rei: nam, vt iste auctor fatetur, quod semel existit à parte rei in æternitate: coexistit toti æternitati; ergo ita est à parte rei, quòd Antichristus habet ab æterno, in tota ipsa æternitate actualem existentiam.

Probatur vltimò, & explicatur ista doctrina aliquibus exemplis. Primum exemplum est, quo vtitur S. Thom. articulo 13. cit. ad 3. Nam ita se habet Deus A in ordine ad futura contingentia; sicut existens in alta specula, ex qua intuetur totam viam in ordine ad transeuntes per illam: licet enim vnus pergat post alium, & posterior non videat priorem, ille tamen qui est in specula omnes simul intuetur, & habet præsentes sibi: ergo similiter Deus habet sibi præsentes in specula æternitatis omnes res præteritas & futuras, licèt istæ succedant illis. Secundum exemplum est eiusdẽ S. Thomæ primo contra Gen. cap. 66. ratione 6. vbi æternitatem comparat centro. Sicut enim centrum indiuisibile cum sit, adest cuicunque puncto oppositio signato in circumferentia, & omnibus lineis ab eadem circumferentia ad centrum deductis: ita æternitas, cùm sit indiuisibilis, adest omnibus existentibus, in quacunque B differentia temporis, & omnia habet sibi præsentia. Tertium exemplum est, quo vtitur S. Anselm. lib. de concordia præscientiæ, & prædestinationis Dei, c. 1. vbi dicit: quòd sicut idem nunc temporis, cùm sit indiuisibile, attingit omnia loca diuisibilia, & omnia locata quantumuis sint inter se distantia, & omnem durationem quantumcunque diuisibilem: ita similiter æternitas, quamuis sit indiuisibilis, & tota simul, potest esse præsens multis durationibus diuisibilibus, & inter se distantibus. Quartum exemplum desumitur ab anima rationali, quæ est indiuisibilis; & tamen est præsens simul, & tota in pluribus partibus corporis diuisibilibus, & inter se distantibus; hæc autem omnia amplius patebunt ex solutionibus argumentorum.

C AD primum argumẽtum ex factis à principio, respondetur, loca Scripturæ adducta, & alia consimilia tantum docere, creaturas non fuisse ab æterno in propria mẽsura, neque habuisse in se ipsis esse ab æterno in propria mẽsura, solum autẽ Deum esse ab æterno in propria mẽsura, quæ est æternitas: cum hoc tamen stat, quòd omnia futura producenda in tempore, & similiter præterita sint præsentia in æternitate secundum proprias existentias, vt ex dictis patet. VI.

Ad secundum argumentum ex auctoritatibus S. Thomæ, respondetur, quòd S. Doct. fatetur quidem futura contingentia esse præsentia Deo obiectiuè in æternitate, non tamen negat in illis locis esse præsentia secundum proprias existentias, quin potius, id expresse affert in alijs locis suprà inductis, D pro nostra sententia, & quodl. 12. ar. 3. ad 3.

Ad tertium argumentum, negatur antecedens. Ad probationem dicitur, quòd, vt futura coexistant Deo in æternitate, non requiritur, quòd priùs existant in propria mensura, cuius ratio est, nam existentia, quam habent in æternitate, non dependet ab existentia futura, vt futura est: quoniam æternitas est mensura infinita, & illimitata, in qua subinde potest Deus existentias omnium rerum intueri, antequam in propria mensura existant. Vnde quamuis futura incipiant existere in propria mensura, in æternitate tamen non incipiunt existere: quoniam æternitas non habet prius & posterius, cùm sit indiuisibilis, & tota simul, vnde non possumus in æternitate signare aliquod instans in quo res non sit, & E aliud in quo incipiat esse, siue in quo primo sit.

Sed contrà est argumentum: In hoc instanti nostri temporis, est verum dicere, nunc Antichristus coëxistit Deo in æternitate, ergo existentia rerum in æternitate dependet ab existentia, quam habent in propria mensura, ergo implicat, quòd hæc propositio: Antichristus est in æternitate, verificetur in mensura æternitatis, quin etiam verificetur in nostro tempore, & in quolibet instanti illius.

Respondetur cum Ferrar. 1. cont. Gent. cap. 49. & 66. istam propositionem: In hoc instanti nostri

noſtri temporis,Futura ſunt præſentia in æternitate,habere duplicem ſenſum : primus eſt , quòd illa determinatio in hoc inſtanti , ſiue in hoc tempore noſtro, importet menſuram veritatis illius enunciationis, & in hoc ſenſu, illa propoſitio veriſſima eſt nunc enim verum eſt dicere, quòd Antichriſtus eſt præſens Deo in menſura æternitatis,& ſimiliter heri fuit vera illa enunciatio , & pro quolibet inſtanti futuro erit vera. Secundus ſenſus eſt, vt illa determinatio in hoc tempore, importet non menſuram veritatis propoſitionis,ſed menſuram actualis exiſtentiæ,Antichriſti,aut alterius rei futuræ,& tunc propoſitio eſt falſa : ſenſus enim illius eſt, quòd in hoc inſtanti præſenti , res omnes futuræ, ſunt in ſe ipſis , & à Deo intuentur in ipſa æternitate, tanquam coexiſtentes ſibi,& habentes eſſe in propria menſura.Hanc eandem doctrinam ſequitur Caiet.ar.13.cit.Aduertit enim, res eſſe præſentes in æternitate, poſſe intelligi dupliciter : primò , ita, quòd coexiſtentia rerum temporalium in æternitate,menſuretur quolibet inſtanti noſtri temporis, & hic ſenſus eſt falſus,nec intentus à S. Thoma. Secundò,ita, vt in quolibet nunc æternitatis res temporales ſint præſentes Deo in ipſa æternitate,& in hoc ſenſu intelligendus eſt S.Thom. Cum ergo æternitas ipſa comprehendat omnia tempora, in quolibet etiam inſtanti noſtri temporis verificatur quòd omnia temporalia ſint præſentia Deo in æternitate.

Ad primam confirmationem reſpondetur ex dictis, creationem propriè, & abſolute loquendo,reſpicere propriam menſuram, in qua res producuntur de non eſſe,ad eſſe.Cuius ratio eſt:nam in tempore reperitur prius, & poſterius,vnde in illo poſſumus ſignare aliquod inſtans,in quo res non ſit,& aliud in quo res incipiat eſſe,quod quidem non habet locum in æternitate , cùm ſit indiuiſibilis , & tota ſimul.

Reſpondetur ſecundò,quòd,vt dicit S. Auguſtinus, locis ſuperiùs allegatis , & colligitur ex Iſaiæ cap.45. cit. quæ futura ſunt , dicuntur facta apud Deum , quoniam reſpectu illius nihil eſt futurum. Sed tamen eſt aduertendum, quòd eadem actione, qua futura fient in tempore, dicuntur facta in æternitate : quoniam actio futura eſt ſemper præſens in menſura æternitatis.

Ad ſecundam confirmationem reſpondetur ex dictis,differentiam , quam conſtituit Concilium contra Arrium inter Filium Dei, & creaturas, conſiſtere in hoc, quòd Filius Dei in menſura propria non incepit eſſe , neque habuit eſſe poſt non eſſe; creaturæ autem incœperunt eſſe in propria menſura : nam in tempore productæ ſunt à Deo de non eſſe ad eſſe. Vnde iſta conſequentia non valet:Antichriſtus eſt in æternitate ; ergo Antichriſtus eſt, argumentamur enim à minùs reſtricto , ad magis reſtrictum affirmatiuè , ſiue ab amplo , ad non amplum.Vnde ſicut non ſequitur , Petrus eſt, vel fuit, vel erit; ergo Petrus eſt.ita non ſequitur,Petrus eſt in æternitate ; ergo Petrus eſt:nam ad hoc , vt ſit in æternitate,ſufficit, quòd in aliqua differentia temporis noſtri habeat eſſe, ſiue ſit in tempore præſenti,ſiue in tempore præterito , ſiue futuro ; ad hoc autem quòd verificetur iſta propoſitio; Petrus eſt, oportet,quòd in propria menſura ſit.

VII. Ad quartum argumentum,Caiet.1.p.q.14.ar.13. & Magiſter Bañes in quæſt. 10. art. 1. ad vltimum argumentum , & alij plures Thomiſtæ non reputant inconueniens , quòd in menſura æternitatis dentur duæ contradictoriæ verę.Quorum ratio eſt, quoniam illud inſtans indiuiſibile æternitatis , ſecundùm omnium Theologorum ſententiã , quamuis formaliter ſit indiuiſibile , propter ſuam tamen eminentiam,continet virtualiter ſucceſſionem , & diuerſa inſtantia noſtri temporis:vnde in illa menſura æternitatis verificatur vna contradictoria per habitudinem ad vnum inſtans noſtri temporis , & ſimiliter alia per habitudinem ad aliud inſtans extrinſecum.

Sed hæc ſolutio patitur impugnationem : nam contradictoriæ,ſi vere contradictoriæ ſint , debent accipi in ordine ad idem inſtans.Nam contradictio eſt affirmatio, & negatio eiuſdem de eodem, & ſecundum idem ; ergo implicat, quòd duæ contradictoriæ ſint veræ,etiam in æternitate.

Reſpondetur ergo ad argumentum,illas contradictorias non eſſe veras, etiam in æternitate, negatiua enim eſt falſa : ſenſus enim illius eſt, quòd Petrus in inſtanti æternitatis , ſecundum quòd illud inſtãs correſpondet cuilibet inſtanti noſtri tẽporis, non eſt albus , qui quidem ſenſus eſt falſus. Et ſi fiat argumentum : nam Petrus in inſtanti æternitatis eſt niger , ergo in inſtanti æternitatis non eſt albus,negatur conſequentia : nam , vt affirmatiua verificetur , ſufficit , quòd in aliquo inſtanti noſtri temporis ſit niger , ad hoc autem, quòd verificetur illa negatiua,Petrus non eſt albus in æternitate,requiritur , quòd in inſtanti æternitatis ſecundùm quòd correſpondet cuilibet inſtanti noſtri temporis, non ſit albus. Si autem vna propoſitio accipiatur pro inſtanti æternitatis, ſecundùm quòd correſpondet vni inſtanti noſtri temporis,altera verò accipiatur pro inſtanti æternitatis , ſecundum quòd correſpondet extrinſece alteri inſtanti noſtri temporis , tunc non ſunt contradictoriæ. ſicut etiam iſtæ non ſunt contradictoriæ,in ordine ad noſtrum tempus : Petrus nunc eſt albus,Petrus cras non erit albus:nam vtraque poteſt eſſe ſimul vera, & falſa.

Contradictoriæ etiã in æternitate nõ ſũt veræ.

Ad quintum argumẽtum negatur,quòd bis producantur res futuræ, & ad probationem reſpondetur, quòd Antichriſtus ſemel tantùm producitur in tempore, ſed tamen eius productio , quæ reſpectu huius diei dicitur futura , reſpectu æternitas eſt præſens : quoniam , vt dictum eſt , æternitas toti tempori noſtro coëxiſtit præſens: cùm nullam admittat ſucceſſionem.

VIII. Ad ſextũ argumentum reſpondetur, cũ Caiet.ar. 13. cit. in ſolutione,ad tertiam rationem Scoti,cognitionem Angeli , qua cognoſcit futura contingentia , non menſurari æuo. Cuius ratio eſt ; nam actualis repræſentatio ſingularium contingentium, quæ fit per ſpecies inditas,non menſuratur æuo,ſed de nouo aduenit,quando in eſſe producuntur futura : non ergo ſequitur,quòd Angelus cognoſcat futura cõtingentia,antequam producantur in eſſe.

Angelus nõ cognoſcit futura contingentia antequã ſint.

Sed cõtra hãc ſolutionẽ eſt argumentũ.Nã illa cognitio futurorũ,ſaltem mẽſuratur inſtãti Angelico, quod eſt indiuiſibile,& totũ ſimul,ergo futura poſſũt habere coëxiſtẽtiam in ordine ad illud inſtãs Angelicũ,antequã exiſtãt in propria mẽſura, atq; adeò Angelus poterit cognoſcere futura, antequam ſint.

Reſpondetur,quòd inſtans Angelicum licèt non admittat variationem, & ſucceſſionem in ſubſtantia operationis,quam menſurat,eam tamen admittit,quantùm ad aliqua accidentia, vt docet S.Tho. quodl.9.ar.8.& Ferrar.3.cont.Gent.cap.100.& Magiſter Bañes 1.p.q.63.ar.6.in fin.æternitas autẽ nullam prorſus variationem admittit, ſicut neque ipſe Deus. Vnde Deus abſque vlla ſucceſſione ſimul intuetur omnia , prout ſunt præſentia in æternitate , Angelus autem ſucceſſiuè cognoſcit futura contingentia , quando ſunt in propria menſura. Eſt etiam alia differentia : nam inſtans Angelicum, licèt ſit menſura perfectior,non tamen eſt

Digitized by Google

mensura superior ad mensuram nostri temporis, neque eam continet, quemadmodum æternitas cõtinet omnes alias mensuras. Vnde non sequitur, quòd futura contingentia coexistant Angelo in ordine ad propriam mensuram ipsius Angeli, sicut coexistunt Deo in ordine ad mensuram æternitatis: & per hæc patet ad confirmationem.

Existentiæ rerum in superiori mensura, non semper requirit earum existentiam in inferiori.

Ad septimum argumentum respondetur, quòd quando superior mensura est finita, & limitata, nihil existit in superiori mensura, & inadæquata, nisi priùs existat in mensura inferiori propria, & adæquata; vt contingit in exemplo adducto in argumento. Cæterum, quando mensura superior est infinita, & illimitata; qualis est æternitas, bene potest aliquid existere, secundùm realem existentiam in superiori mensura, antequam existat in mensura inferiori sibi propria, & adæquata. Cuius ratio est, quia mensura infinita, nullam potest admittere in se successionem, aut mutabilitatem: vnde eminentiori modo continet in se in vnico instanti, quicquid continetur successiuè in mensuris inferioribus.

Ad vltimum argumentum respondetur, supposito, quod Deus præsentialiter videat in æternitate aliquem actum nostri liberi arbitrij futurum tali tempore, simul esse incompossibile, quod actus ille non fiat: simpliciter autem, & in ordine ad suam causam proximam, quæ defectibilis est, potest non esse. Vnde, quando in tempore producitur à voluntate, liberè producitur, & contingenter: libertas enim, & contingentia rerum desumitur formaliter ex habitudine ad causam proximam. Et si argumentum aliquid concluderet, etiam probaret, quòd præscientia Dei tolleret libertatem, & contingentiam rerum. Nam, supposito, quod Deus præsciuit, aliquid esse futurum, implicat in sensu composito, quòd illud non sit futurum. Confirmatur hæc solutio: nam supposito, quòd ego video Petrum loquentem, impossibile est, quod non loquatur, & tamen liberè loquitur, & contingenter; ergo eodẽ modo, licèt Deus præsentialiter videat omnes actiones futuras liberi arbitrij, nihilominus producentur libere, & contingenter suo tempore, ergo existentia rerum in æternitatem non impedit earum contingentiam.

Ad confirmationem respondetur, quòd idem esse, quod habet futurum contingens in tempore, habet etiam in nunc æternitatis: sed respectu nostri temporis, illud esse est futurum, respectu autem æternitatis est præsens. Vnde, quamuis in æternitate sit præsens, fiet nihilominus contingenter suo tempore. Et cùm arguitur: Si futurum haberet esse in tempore, antequam produceretur à sua causa libera, & contingenti, tolleretur libertas respectu illius actus, ergo etiam tollitur, si habet esse in æternitate, priùs quàm à sua causa contingenti producatur in tempore. Respondetur, negãdo consequentiam, nam si futurum contingens haberet esse in tempore, antequàm produceretur à libero arbitrio, respectu illius se haberet merè passiuè, vt dixit Lutherus: quia solum reciperet actionem productam ab alio & non à seipso, vnde respectu illius non esset causa libera: hoc autem non sequitur ex hoc, quòd futura contingentia, & libera habeant esse in æternitate, antequam producantur in tempore: etenim, sicut Deus intuetur in sua æternitate actum nostrum liberum, qui futurus est tali tempore, ita etiam intuetur in eadem æternitate causam liberam illius actus, liberè illum producentem, quamuis respectu nostri temporis, illa productio sit futura.

IX. Vnum tamen argumentum difficile restat dissoluendum. Sequeretur ex nostra sententia, quòd daretur in actu multitudo infinita, quæ esset actu præsens in aliqua duratione, consequens est impossibile, ergo. Sequela probatur, nam omnes cogitationes futuræ Beatorum sunt infinitæ; ergo si omnes illæ sunt actu præsentes Deo in mensura æternitatis secundum proprias existentias, dabitur multitudo infinita in actu, respectu alicuius durationis. Minor autem probatur: nam in duratione temporis limitata non potest dari multitudo actu infinita: quia quælibet multitudo constans ex omnibus suis partibus, est proportionabilis speciebus numerorũ, ac per consequens est finita, sicut est finita quæcumque species numeri, cum specificetur per vltimam vnitatem: sed hæc ratio etiam procedit de multitudine existente in æternitate, ergo implicat, quòd in æternitate detur aliqua multitudo actu infinita.

Infinita multitudo in actu non datur.

Ad hoc argumentum Respondetur; in æternitate posse existere infinita: quoniam illa non sunt præsentia sibi, licèt sint præsentia in æternitate; sicut Adam, & Antichristus sunt præsentes Deo in æternitate, & coexistunt in ipsa æternitate, non tamen sunt præsentes inter se: quoniam in ordine ad propriam mensuram, Adam est præteritus, & Antichristus futurus. Implicatio autem infiniti in actu, solum est respectu eorum, quæ sunt inter se præsentia: quia tunc darentur infinita sibi inuicem præsentia. & multitudo aliqua in actu rerum coëxistentium, quæ non esset proportionabilis speciebus numerorum, quod implicat contradictionem.

Infinita multitudo actu existit in æternitate.

Sed contra hoc, est argumentum: quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se; ergo quæ sunt præsentia vni tertio, sunt præsentia inter se: sed Adam, & Antichristus, & omnes cogitationes futuræ sunt actu præsentes vni tertio, videlicet æternitati; ergo sunt præsentes inter se, ac per consequens omnes cogitationes futuræ erunt actu præsentes inter se, & ita dabitur infinitũ in actu in rebus præsentibus inter se. Respondetur maiorem assumptam verificari solùm in his, quæ sunt eadem vni tertio, re & ratione; non autem in illis, quæ licèt realiter identificentur vni tertio: differunt tamen ab illo ratione, vt patet in diuinis. Etenim Pater, & Filius sunt idem realiter Essentiæ diuinæ, & tamen inter se distinguuntur personaliter: Pater enim non est Filius. Similiter etiam actio, & passio identificantur motui, & tamen inter se distinguuntur. Proportionabiliter dicimus in præsenti, quod quamuis existentia Antichristi, & Adæ sit præsens in æternitate, tamen inter se non sunt præsentes: quoniam præsentia inter se desumuntur ex habitudine ad propriam mensuram, in ordine ad quam non coëxistunt: vnde non sequitur, quòd dentur in actu infinita inter se præsentia.

Propositio Quæ sunt eadem vni tertio, &c. qualiter sit intelligenda.

DISPVTATIO IX.

Vtrùm Deus certò cognoscat futura contingentia, propter præsentialitatem realem in æternitate, antequam fiant, & vtrum huiusmodi existentia aliquid conducat ad certitudinem, & infallibilitatem cognitionis Diuinæ.

I. ARTEM negatiuam defendunt omnes illi Doctores, qui negant futura contingentia existere in æternitate in esse reali proprio, antequam producantur in propria mensura,

Digitized by Google

menſura,quorum loca adduximus diſp.præcedenti, ſed præſertim iſtam ſententiam modo defendunt multi moderni Theologi pro qua proferunt omnia argumenta, quibus diſputatione præcedenti contendebamus probare, futura contingentia, antequam producantur in propria menſura, ſolùm exiſtere in æternitate in eſſe obiectiuo, non autem ſecundum propriam,& realem exiſtentiam.

Arguitur præterea: In Deo verè & formaliter eſt præſcientia futurorum certa, & infallibilis, vt conſtat ex illo Sap 19. *Præſciebat enim futura illorum.* & ad Rom.8. *Quos præſcinit, & prædeſtinauit,* & ca. 11. *Non repulit Deus plebem ſuam, quam præſcinit,* & 1.Pet.1.& Act.2. tribuitur Deo præſcientia,quod etiam aſſerit S.Auguſt.lib.5.de Ciuit.cap.8. & 9. & Magiſter ſenten. in primo,d.36.& 38. qui non ſolùm ſcientiam,ſed etiam præſcientiam,docent eſſe in Deo: ſed præſcientia,formaliter loquendo, importat certam cognitionem rerum, antequam actu ſint ergo præſcientia,quam Deus habet futurorum contingentium,eſt certa,& infallibilis, antequam intelligantur exiſtere, etiam in æternitate, ac per conſequens talis exiſtentia nihil conducit ad cognitionis diuinæ certitudinem, comparatione futurorum contingentium.

Confirmatur. Deus infallibiliter cognoſcit futura contingentia formaliter loquendo, ergo cognoſcit illa,vt infallibiliter futura:ergo ratio, propter quam ea cognoſcit infallibiliter, non eſt exiſtentia,quam habet in æternitate,alias illa cognitio non eſſet formaliter futurorum,ſed præſentium: ergo talis exiſtentia impertinenter ſe habet ad certitudinem præſcientiæ futurorum.

Arguitur ſecundò. Scientia Dei libera eſt cauſa rerum,ſiue exiſtentiæ earum,vt patebit infrà: ergo priùs in ſigno rationis intelligitur certa & infallibilis talis ſcientia, quàm intelligantur res contingentes actu exiſtere etiam in æternitate:ergo infallibilitas ſcientiæ diuinæ non fundatur, neque deſumitur ex rerum contingentium exiſtentia, quam habent in æternitate ab æterno: priùs enim non dependet à poſteriori,nec fundatur in illo. *Diſput. 17.*

Arguitur tertiò. Deus nullo modo accipit ſuam perfectionem à rebus creatis,ſed certitudo & infallibilitas præſcientiæ diuinæ, qua cognoſcit futura contingẽtia, eſt magna perfectio eiuldem ſcientiæ, ergo non accipit illam ab exiſtentia, quam habent in æternitate,nec eam præſupponit:ergo non ideo eſt certa in Deo cognitio futurorum contingentium, quia actualiter exiſtunt in æternitate: ergo talis exiſtentia nihil conducit ad certitudinem ſcientiæ Diuinæ.

Arguitur quartò. Deus infallibiliter cognoſcit futura conditionata,quæ reuerà eſſent futura,ſi poneretur in eſſe talis, vel talis conditio, vt patet ex dictis in diſp. 7. ſed huiuſmodi futura non habent aliquod eſſe exiſtentiæ in æternitate, quia in propria menſura nunquam ponentur in eſſe: ergo ad infallibilem cognitionem futurorum conditionatorum impertinenter ſe habet actualis exiſtentia in æternitate: ergo ſimiliter erit impertinens ad infallibilem cognitionem futurorum contingentium, quæ futura ſunt abſolutè.

Arguitur quintò. Abſque exiſtentia futurorum contingentium in æternitate poteſt Deus certò, & infallibiliter cognoſcere, illa eſſe futura: ergo talis exiſtentia ſaltem non erit neceſſaria ad certitudinem præſcientiæ diuinæ reſpectu futurorum cõtingentium. Antecedens probatur: nam etiam ſi excludamus huiuſmodi exiſtentiam, poſito in Deo efficaci decreto, quo abſolutè vult futurum contingens fieri tali tempore,illud eſt infallibiliter futurum;etenim,vt docet S. Thom 1.p quæſt.19.ar.8. hæc conditionalis eſt neceſſaria,Si Deus vult aliquid fieri,illud fiet:nam Deus *omnia quæcunque voluit,fecit in cælo,& in terra*; vt canit Pſalmiſta:ergo in efficacia ſui decreti diuini cognoſcit Deus infallibiliter futurum eſſe tali tempore, quod decreuit facere,vel permittit,vt fiat: non ergo eſt neceſſaria actualis exiſtentia futurorum in æternitate ad certitudinem præſcientiæ diuinæ. *Pſal.134.*

Confirmatur. Vt Deus cognoſcat infallibiliter futura contingentia, ſufficit ipſa veritas obiecti futuri: Deus enim cognoſcit infallibiliter omnem veritatem. Ergo ſuperfluè ponitur actualis exiſtentia futurorum contingentium in æternitate, vt Deus certò cognoſcat illa,antequam fiant.

II. Oppoſitam ſententiam tenet S. Thom.1.p.qu.14. ar.13.qu.86.ar.4.in corp. 1.con.Gen.cap.67.quæſt.2. de veritat.ar.10.& quodl.12.quæſt.5. & vbicunque loquitur de certitudine cognitionis diuinæ: ſemper enim recurrit ad actualem exiſtentiam,quam futura contingentia habent in æternitate, vt oſtendat, Deum certiſſime illa cognoſcere, antequam fiant, quam ſententiam ſequuntur communiter Thomiſtæ, ſed pro eius explicatione ſupponenda ſunt aliqua.

Notandum eſt primò, quòd præſentia rerum in æternitate poteſt conſiderari dupliciter, primò, ex parte ipſius æternitatis, ſecundò, ex parte rerum contingentium, quæ in æternitate exiſtunt. Cùm enim præſentia quandam relationem importet,res dicuntur præſentes æternitati,& æternitas eſt præſens omnibus rebus,& habet illas ſibi coexiſtentes, & præſentes; quia cùm ſit menſura infinita, & indiuiſibilis,ambit ſimul omne tempus, & quamcunque aliam menſuram inferiorem, & actu continet omnes res,quæ eſſe habebunt in illa, vt ſuprà dictum eſt. *Præſentia rerum in æternitate dupliciter conſideratur.*

Notandum eſt ſecundò, quòd dupliciter poſſumus oſtendere certitudinem cognitionis futurorum contingentium, quæ eſt in Deo: primò, à priori, vel quaſi à priori per propriam cauſam, ſiue rationem illius certitudinis. Secundo modo à poſteriori per effectum,ex quo per euidentem conſequentiam infertur,ſcientiam Dei reſpectu futurorum contingentium eſſe infallibilem.

Notandum eſt vltimò,quòd præſens quæſtio poteſt procedere de infallibilitate ſcientiæ diuinæ, vt ſcientia infallibilis eſt, aut verò de ſcientia ipſa, ſecundùm quòd formaliter dicitur ſcientia viſionis.

PRima ergo Concluſio ſit: Actualis præſentia rerum in æternitate conſiderata ex parte diuinæ æternitatis,eſt propria ratio, propter quã Deus certò cognoſcit omnia futura. Hæc concluſio eſt S. Thomæ locis cit. vbi ex eo probat cognitionem futurorum contingẽtium eſſe in Deo infallibilem; quia intuitus Dei fertur ab æterno ſuper omnia, prout ſunt in ſua præſentialitate, eò quòd æternitas, qua menſuratur cognitio diuina, habet ſibi præſentes omnes res futuras propter eminentiam,& infinitam perfectionem ipſius æternitatis:ergo ex parte ipſius perfectionis æternitatis aſſignanda eſt ratio propria certitudinis cognitionis diuinæ, reſpectu futurorum contingentium. Nec poteſt explicari S. Thomas de præſentialitate tantùm obiectiua, aliàs enim probaret idem per idem. *Exiſtentia rerum in æternitate ex parte æternitatis eſt propria ratio propter quam Deus cognoſcit futura.*

Probatur præterea concluſio auctoritate Eccleſiaſtici,cap.39. vbi dicitur:*Opera omnis carnis coram illo,à ſæculo uſque in ſæculum reſpicit,& nihil eſt nouũ in oculis eius*, vbi ratio,quare Deus omnia contingẽtia reſpicit, & certò ab æterno omnia cognoſcit, ita vt nihil ſit nouum, aut futurum reſpectu illius,

assignatur ex parte æternitatis, qua mensuratur diuina cognitio: quia videlicet habet præsentes in se omnes res, quæ futuræ sunt in propria mensura.

S. Tho. 1. p. q. 10. art. 2 & 4. & q. 14. art. 13. in corp.

Probatur præterea ratione: nam, vt docet S. Tho. æternitas ambit omne tempus; ergo actu continet omnia futura in tempore, tanquam sibi præsentia; ergo ex parte perfectionis ipsius æternitatis assignatur propria, & sufficiens ratio, propter quam æterna Dei cognitio respectu futurorum contingentium sit infallibilis, quamuis futura in seipsis sint contingentia. Patet consequentia: nam ea, quæ sunt præsentia cognoscenti, quamuis secundum se contingentia sint, tam considerantur, vt determinata, & vt determinate vera, in ordine ad illam mẽsuram, in qua sunt præsentia, & in ordine ad cognitionem, qua, vt præsentia sibi cognoscuntur.

III.

Scientiæ diuinæ certitudo respectu futurorum contingentiũ nõ sumitur formaliter ab æternitate in æternitate.

Secunda conclusio. Si consideretur præscientia futurorum contingentium in æternitate ex parte ipsarum rerum contingentium, non est ratio, quare Deus certò cognoscat futura: per illam tamen existentiam ostenditur a posteriori certitudo infallibilis cognitionis diuinæ. Prima pars huius conclusionis probatur efficaciter secundo, & tertio argumento ex factis a principio. Præterea probatur: Perfectio essentialis scientiæ Diuinæ non debet desumi ex obiecto secundario, sed ex primario: etenim esse ipsius scientiæ desumitur ex obiecto primario, ac per consequens omnis perfectio essentialis debet desumi ex eodem obiecto primario; sed certitudo, & infallibilitas est perfectio essentialis scientiæ: cognitio enim, quæ non est certa, non est scientifica: ergo certitudo cognitionis diuinæ non debet desumi ex ipsis creaturis existentibus in æternitate: creaturæ enim pertinẽt ad obiectum secundarium cognitiõnis diuinæ. Secunda pars conclusionis est expressa sententia sancti Tho. 1. p. q. 14. art. 8. ad primum, & probatur: nam per effectum proprium potest à posteriori demonstrari causa, sicut per creaturas demonstramus a posteriori Deum esse, & omnipotentem esse: sed existentia, quam res habent siue in tempore, siue in æternitate, est proprius effectus scientiæ Dei infallibilis vt disput. 16. & 17. patebit, ergo. Præterea probatur. Certitudo cognitionis, præsertim diuinæ, optimè colligitur ex certitudine, & determinatione obiecti, & veritate illius; sed futura contingentia, vt sunt præsentia in æternitate, iam considerantur, vt determinata ad vnum, vt S. Thom. docet 1. part. qu. 14. art. 13. ergo ex determinatione veritatis, quam habent in æternitate, potest colligi per euidentem consequentiam à posteriori, quòd Deus infallibiliter illa cognoscat, cùm sit euidens, quòd nulla Deum ipsum veritas lateat.

Sed contra primã partẽ conclusionis est argumẽtum difficile. Præsentia rerum in æternitate ex parte ipsarum rerum existentium, est ratio, vel conditio propter quam scientia Dei sit intuitiua, respectu futurorum contingentium: ergo est ratio certitudinis cognitionis intuitiuæ, ac per consequẽs per illã existentiã potest demõstrari à priori certitudo, scientiæ intuitiuæ, quæ est in Deo. Antecedens probatur: nam scientia Dei respectu futurorum contingentium est intuitiua, quia terminatur ad actualem existentiam earundem rerum, quam habent in æternitate, & per hoc distinguitur à scientia simplicis intelligentiæ, quæ terminatur ad res possibiles: ergo ex ipsa existentia rerum demonstratur à priori, quòd scientia Dei sit intuitiua, respectu earundem rerum.

Confirmatur idem antecedens, nam probatio, quæ fit per propriam rationem eius, quod demonstratur, est à priori, & similiter probatio, quæ fit per conditionem necessariam, reducitur ad argumẽtum a priori, sicut conditio causæ reducitur ad causam: sed præsentia actualis, quam habent res in æternitate, est ratio, vel conditio, quod scientia Dei sit intuitiua creaturarum ergo probatio, quæ desumitur ab existentia rerũ in æternitate, ad concludendum, quòd scientia Dei sit intuitiua, erit probatio a priori.

Respondetur, admittendo per existentiam rerum in æternitate, ostendi a priori, quòd scientia futurorum contingentium sit intuitiua in Deo, ex hoc tamen non infertur, quod certitudo, quam habet scientia illa intuitiua, probetur à priori per existentiam rerum in æternitate ex parte ipsarum rerum: hæc enim est differentia inter scientiam visionis, seu intuitiuam nostram, & scientiam intuitiuam Dei nam scientia nostra intuitiua super rationem communem cognitionis, & supra scientiam abstractiuam, addit aliquam perfectionem realem ex parte cognitionis, scilicet certitudinem maiorem, & claritatem obiecti cogniti: addit etiam relationem realem ipsius cognitionis ad obiectum cognitum: nam cognitio intuitiua creata dependet ab obiecto viso, & mensuratur ab illo: vnde in cognitione intuitiua creata obiectum præsens, quod est causa, vel ratio, propter quã cognitio sit intuitiua, est etiam ratio, & conditio, quod talis cognitio sit magis certa, & magis clara: cæterùm in Deo scientia visionis non est certior, neque clarior scientia eius abstractiua, nec talis scientia visionis dicit relationem realem ad obiectum præsens, seu visum, nec dependet ab illo, nec ab illo mensuratur; quin potiùs, cum talis cognitio creaturarum in Deo sit practica, causat ipsas res existentes, vt disp. 16. & 17. manifestum fiet respectus autem rationis ad creaturas existentes, quem addit scientia Dei intuitiua supra scientiam simplicis intelligentiæ, dependet ab existentia actuali earundem rerum, tanquam à termino, quæ dependentia reducitur ad genus causæ formalis. Vnde quamuis possit à priori probari per existentiam rerum, quod scientia Dei sit intuitiua, non tamen potest probari a priori per eandem existentiam, quod sit certa, & infallibilis scientia Dei intuitiua.

Scientia intuitiua Dei, & nostra, in quo differant.

IIII.

Scientia futurorũ fuit in Deo ab æterno intuitiua.

Tertia conclusio. Scientia, quam Deus habet futurorum contingentium, fuit ab æterno intuitiua. Conclusio est contra aliquos modernos, asserentes scientiam futurorum contingentium non esse in Deo intuitiuã, antequam res existant in propria mensura: quando enim non existunt in propria mensura, censent solùm esse abstractiuam, & ratio potissima illorum est; nam ad scientiam intuitiuã requiritur necessariò, quod terminetur ad actualem rei existentiam: sed res creatæ, vel creandæ nullam habent actualem existentiam etiam in æternitate, antequam sint in propria mensura: ergo scientia Dei respectu creaturarum tantum incipit esse intuitiua, quando res incipiunt esse in propria mensura. Sed nostra conclusio colligitur ex sancto Thoma locis superiùs allegatis.

Probatur. Vt scientia sit simpliciter intuitiua, sufficit, quòd terminetur ad obiectum actualiter existens, & prout existens est in illa mensura, qua mensuratur ipsa cognitio: sed omnia futura contingentia ab æterno existunt in æternitatis mensura, vt disputatione præcedenti ostensum est: ergo.

Probatur præterea. Repugnat perfectioni scientię diuinæ, quòd in tempore incipiat esse intuitiua, quando incipit esse futurum contingens mutaretur enim scientia diuina de abstractiua in intuitiuã, & quando postea desinit esse obiectum in propria mẽsura, scientia Dei mutaretur de intuitiua in abstractiuam: quod sic ostenditur, quia licet hęc differẽtia oriatur

oriatur ex mutabilitate obiecti, tranſit tamen in diuerſum modum ipſius cognitionis Dei, & actualis repræſentationis, quam habet eſſentia Diuina in eſſe ſpeciei intelligibilis, reſpectu futurorum contingentium; quod tamen in eius imperfectionem cederet.

V. Præſcientia, & ſcientia in Deo quo modo diſtinguãtur.

AD primum argumentum reſpondetur, in Deo eſſe præſcientiam reſpectu futurorum, ſi conſiderentur ſecundùm eſſe, quod habent in propria menſura. Si autem conſiderentur ſecundum eſſe, quod habent in æternitate, cognitio illorum reſpectu eorundem non dicitur propriè præſcientia, ſed præſentium ſcientia, vt dicit Auguſt. quæſtion. 2. ad Simplicianum, & S. Anſelm de caſu diab. c. 21. & ratio eſt: quia reſpectu æternitatis, qua menſuratur Dei cognitio, nihil eſt futurum, ſed omnia futura ſunt præſentia, vt ſuprà dictum eſt.

Futura, vt futura quo modo cognoſcãtur à Deo.

Ad confirmationem reſpondetur ſimiliter, Deum cognoſcere futura contingentia, vt futura in propria menſura, ſi dictio, VT, importet conditionem ex parte obiecti cogniti: quia reuerà obiectum cognitum à Deo, eſt futurum in propria menſura; non tamen cognoſcit illa, vt futura in æternitate, ſed vt præſentia, ſecundùm actualem eorum exiſtentiam.

Ad ſecundum, & tertium argumentum reſpondetur, tantùm probare ſecundam concluſionem.

Ad quartum reſpondetur, quòd licèt futura conditionata, quæ Deus cognoſcit ſcientia libera, non habeant eſſe exiſtentiæ in æternitate; tamen ab æterno præceſſit in Deo actuale decretum illa producendi ex hypotheſi, quòd conditio fuiſſet impleta, vt diſput. 7. oſtenſum eſt. Vnde ex vi illius decreti, exiſterent in æternitate, ſi conditio eſſet implenda.

Ad quintum patebit ex profeſſo diſputatione ſequenti. Pro nunc dicimus, quòd eo ipſo quòd Deus abſoluta, & efficaci voluntate ſtatuit aliquid producere in tempore, ſit actualiter præſens illi in menſura æternitatis ſecundùm propriam exiſtentiam: vnde talis præſentia non eſt ſeparabilis à prædicto decreto. Secundò reſpondetur, quòd, quamuis ex alio capite poſſit cognitio futurorum eſſe infallibilis, tamen ex ipſa præſentia actuali rerum in æternitate, ex parte ipſius æternitatis, eſt certa & infallibilis cognitio Dei, reſpectu futurorum contingentium: &, vt ſuprà diximus, talis præſentia ad minùs eſt neceſſaria, vt ſcientia Dei reſpectu futurorum ſit ab æterno intuitiua: quia de ratione cognitionis intuitiuæ eſt, vt terminetur ad obiectum præſens, vt præſens eſt ipſi cognoſcenti.

Ad confirmationem reſpondetur, quòd præſcindendo decretum diuinum, & exiſtentiam actualem, quam ex tali decreto habent in æternitate futura contingentia, nulla propoſitio ſimplex de futuro contingenti habet ſecundùm ſe determinatam veritatem, vt diſput. 13. manifeſtum fiet: vnde ſecluſo prædicto decreto, & exiſtentia in æternitate, non eſt cognoſcibilis, etiam à Deo; neque obiectum illius propoſitionis eſt ſcibile, vt futurum determinate, ſed ſolùm vt poſſibile.

DISPVTATIO X.

Vtrùm Deus certò, & infallibiliter cognoſcat omnia futura contingentia in decreto, ſiue in prædeterminatione ſuæ diuinæ voluntatis.

A IRCA iſtam difficultatem tot ferè ſunt I. ſententiæ, quot capita: ſed tres ſunt præcipuæ, ad quas poſſunt aliæ, quæ circumferuntur, reduci.

Prima ſententia eſt Capr. in primo, diſt. 38. artic. 2. quæſt. 1. ad argumenta Durand. contra primam concluſionem; quam ſequitur Franciſcus à Chriſto, eodem lib. diſt. 39. quæſt. 6. & Palat. diſt. 38. quæſt. 2. circa finem, & nonnulli alij Theologi, qui ſentiunt, totam rationem, propter quam Deus certò cognoſcit futura contingentia, eſſe actualem præſentiam, quam habent ab æterno in æternitate: ita videlicet, vt ſi tollatur per poſſibile, vel impoſſibile talis præſentialitas, non poſſet cognitio Dei, reſpectu futurorum, eſſe certa & infallibilis: & pro hac ſententia B militant argumenta ſequentia.

Arguitur primò. Nam, vt patet ex locis adductis, diſputat. præcedenti, ſanctus Thomas, ad probãdam infallibilitatem cognitionis futurorum cõtingentium, quæ eſt in Deo, ſemper recurrit ad præſentiam actualem eorum in æternitate: ſentit ergo, quòd ſecluſa huiuſmodi præſentia, non eſt cognoſcibile, etiam à Deo, aliquod contingens, vt infallibiliter futurum: aliàs enim aſſignaſſet aliam cauſam, & rationem certitudinis cognitionis diuinæ, reſpectu futurorum contingentium.

Arguitur ſecundò. Futurum contingens, ſecundùm quod eſt in ſua cauſa libera, non habet eſſe determinatum, nec determinatam veritatem, quia cauſa libera ſe habet indifferenter ad oppoſita: ergo C vt eſt in cauſa libera, non poteſt certò & infallibiliter cognoſci, vt futurum, ſed ſolùm, vt poſſibile: ſed diuina voluntas eſt cauſa libera omnium futurorum: ergo in ſolo decreto diuinæ voluntatis non poteſt Deus certò cognoſcere, aliquid eſſe infallibiliter futurum.

Confirmatur. Alius mundus poſſibilis habet eſſe in ſua prima cauſa, ſcilicet in potentia Dei infinita, qua poteſt illum producere, & tamen Deus non cognoſcit illum mundum, vt futurum, ſed ſolùm vt poſſibilem: ergo.

Arguitur tertiò. Adhuc poſita prædeterminatione diuinæ voluntatis, manet omnino libera creata voluntas, & indifferens ad operandum, & non operandum: eſt enim de eſſentia cauſæ liberæ, quòd D poſitis omnibus requiſitis ad agendum, poſſit agere, & non agere: ergo ſi voluntas creata non operetur, ſicut reuerà poteſt non operari, etiam poſito decreto diuinæ voluntatis, reddetur falſa ſcientia Dei: ergo in ſuo ſolo decreto non poteſt Deus cognoſcere certò, quòd liberum arbitrium creatum ſit operaturum hoc, vel illud in particulari.

Arguitur quartò. Deus certò cognoſcit omnia peccata futura, ſecundùm omnes ſuas circunſtantias, & tamen non cognoſcit illa in decreto, & prædeterminatione ſuæ voluntatis: nam Deus non prædeterminat peccata futura, nec vult illa eſſe, ſed ſolùm permittit, vt habetur in Conc. Arauſ. 2. can. 23. & 25. & in Conc. Trid. ſeſſ. 6. de iuſtific. can. 10. & 17. ergo.

II. E Secunda ſententia eſt Scoti in primo, diſtinct. 39. quæſt. vnic. quam defendunt omnes eius diſcipuli, quòd ſcilicet Deus certò & infallibiliter cognoſcat omnia futura contingentia in prædeterminatione ſuæ diuinæ voluntatis, ſiue futura illa ſint naturalia, ſiue libera. Eandem ſententiam tenet Ioannes Maior in primo, diſtinct. 38. & 39. quæſt. 1. articul. 4. Durand. diſt. 38. quæſt. 3. Richard quæſt. 1. Herueus, quæſtione vnica: quam ſententiam (ſi conſequenter loquantur) tenentur defendere omnes illi auctores, qui aſſerunt, Deum ab æterno abſoluta, & efficaci voluntate, nulla præſuppoſita ſcientia me-

dia, determinasse in particulari, & secundùm omnes suas circunstantias, omnia futura contingentia, etiam libera: quorum testimonia, & fundamenta adducemus infra disp. 22. & duabus sequentibus.

Tertia sententia est media, asserentium quædam futura contingentia cognosci a Deo in determinatione suæ voluntatis, quædam verò non, sed est differentia inter auctores huius sententiæ. Quidam dicunt, quòd futura contingentia, quæ proueniunt à causis naturalibus, certò cognoscuntur à Deo in determinatione suæ voluntatis: ea tamen, quæ procedunt à causis liberis, non cognoscuntur a Deo in eodem decreto: & conuincuntur tertio argumento ex factis à principio. Alij autem docent futura libera, quæ pendent ex sola Dei operatione, sine vlla cooperatione alicuius causæ secundæ, certò cognosci à Deo in prædeterminatione suæ voluntatis, vt creatio cœli, creatio primi hominis, & alia huiusmodi, quæ dependent a solo Deo. Isti enim effectus respectu Dei, dicuntur liberi: quia non ex necessitate naturæ sunt producti: illa autem futura contingentia, vel libera, quæ dependent a Deo, & producuntur ab illa media causa secunda contingente, & libera, dicunt non cognosci à Deo certò, in absoluto, & efficaci decreto suæ voluntatis: & ratio illorum est, quia Deus non prædeterminat efficaciter huiusmodi futura contingentia, nec illa vult esse antecedenter ad scientiam mediam, qua cognoscit, quid liberum arbitrium ex sua innata libertate sit operaturum ex hypothesi, quòd constitueretur in talibus circunstantiis, vt contr. 7. notauimus.

III. Pro resolutione huius difficultatis supponendum est inprimis id quod ex professo in disputatione vigesimasecunda & vigesimatertia, probandum erit, Deum videlicet ab æterno antecedenter ad præscientiam cooperationis arbitrij futuræ, etiam ex hypothesi, prædeterminasse absoluto, & efficaci decreto omnia futura contingentia, tam ea, quæ pertinent ad ordinem naturæ, siue sint necessaria, siue libera, quàm ea, quæ pertinent ad ordinem gratiæ: cuius ratio est, nam omne illud, quod Deus operatur in tempore, prædeterminauit ab æterno, se facturum in tempore: alias, vel Deus mutaretur, de nouo producendo volitionem, quam ab æterno non habet, siue, vt meliùs loquamur, habendo volitionem nouam; vel futura contingentia euenirent præter eius intentionem, & prædeterminationem, & ita fierent à casu, respectu illius. Hoc autem intelligendum est de futuris contingentibus secundùm omnem rationem entitatis & bonitatis, quam habent. Peccata enim absolutè loquendo, non sunt à Deo prædeterminata, intenta, aut volita, sed solùm permissa, vt patebit disp. 24.

Supponendum est secundò, ex doctrina S. Thom. 1. part. q. 19. artic. 3. quòd licet Deus ab æterno libere statuerit producere res ad extra, & libere producat omnes effectus, quos producit: suppositio tamen, quòd ab æterno decreuit efficaci voluntate eos producere; impossibile est in sensu composito, quòd eos effectus non producat, tempore per suam prouidentiam statuto. Hæc enim duo sunt simul incompossibilia, quòd Deus ab æterno statuerit producere tali tempore, talem effectum, & quòd talis effectus non producatur tempore determinato, etiamsi sit effectus liberalias vel voluntas Dei esset inefficax, vel impedibilis per liberum arbitrium creatum, quod est contra Fidem Catholicam, vt ex professo ostendit sanctus Augustinus in enchir. ad Laurent. cap. 65. vel sequeretur, quòd voluntas Dei esset mutabilis, quod etiam repugnat perfectioni diuinæ. Ipse enim ait: *Ego Deus, & non mutor*, & ad Hebræos 1. *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* Sit ergo

IV. In decreto suæ voluntatis cognoscit Deus futura cõtingentia.

PRima Conclusio. Deus in decreto absoluto, & efficaci suæ voluntatis, prædeterminatis in particulari, omnia futura contingentia, etiam libera, cognoscit certò & infallibiliter, illa esse futura, quantum ad omnes circunstantias, & quantum ad omnem substantiam illorum. Itaque ex parte huius decreti potest assignari sufficiens ratio certitudinis scientiæ diuinæ respectu omnium futurorum, quæ non sunt mala moraliter. Conclusio est contra auctores tertiæ sententiæ; quam tamen asserunt auctores secundæ, & est expressa sententia S. Thomæ primo cont. Gent. cap. 66. post 6. rationem, vbi ait: *Ea quæ sunt præsentia, præterita, vel futura nobis, cognoscit Deus secundum quòd sunt in potentia sua, & in propriis causis, & in seipsis. Et horum cognitio dicitur notitia visionis: non enim Deus rerum, quæ apud nos nondum sunt, videt solùm esse, quod habent in suis causis, sed etiam illud, quod habent in seipsis in quantum eius æternitas est præsens suæ indiuisibilitati omni tempori.* Et cap. 68. ratione 4. seipsum referens ad prælegatum caput, ait: *Deus non solùm cognoscit res secundum quòd in seipsis sunt, sed etiam, secundùm quòd sunt in causis suis, vt ex supradictis patet. Cognoscit enim ordinem causæ ad suum effectum.* Et post quintam rationem ex iis, quæ proposuerat in discursu capitis, & præsertim ex eo quòd Deus est prima causa, sub cuius dominio & potestate est nostrum velle & nolle. Concludit, *quòd Deus seipsum cognoscendo, nostræ voluntatis motus cognoscere possit*: quia videlicet cognoscit decretum suæ voluntatis, quo statuit in nobis, atque nobiscum tales actus liberos tali tempore operari. Sentit ergo S. Th. Deum certò cognoscere omnia futura contingentia etiam libera in decreto suæ diuinæ voluntatis. Item etiam in capite 67. præsertim ratione tertia, docet, quòd effectus possunt certò cognosci in causa determinata completa, & non impedita: sed decretum diuinæ voluntatis est efficacissima causa omnium futurorum, & non impeditur, sed neque impediri potest per aliquam causam secundam, aut per aliquam mutationem voluntatis diuinæ, vt in secundo fundamento dictum est; ergo. Idem docet 2. 2. quæst. 171. articulo sexto ad 2. vbi ait, *quòd Deus dupliciter intuetur effectus contingentes & futuros: vno modo, vt sunt in seipsis præsentes in æternitate; alio modo, vt sunt in suis causis secundis determinatis.* quod etiam docet 1. p. q. 14. articulo 13. cùm ait: *Deus non tantùm cognoscit futura contingentia, vt sunt in seipsis, sed etiam vt sunt in suis causis*, scilicet determinatis; ergo à fortiori id erit verum, loquendo de determinatione primæ, & vniuersalissimæ causæ, quæ per suum æternum decretum determinat omnes causas secundas ad operandum, & efficit, quòd licèt possint impediri per concursum aliarum causarum secundarum, de facto tamen non impediantur, sed infallibiliter producant effectus prædeterminatos à Deo, eo modo, quo prædeterminati sunt. Eandem conclusionem docet S. Thom. Opusculo de prædestinatione, capite tertio, circa finem.

Probatur præterea conclusio insigni testimonio Isaiæ Prophetæ, cap. 14. *Iurauit Dominus exercituum dicens, si non, vt putaui, ita fiet, & quomodo mente tractaui, ita eueniet, vt cõteram Assyrium in terra mea, &c.* & statim subdit: *Hoc consilium, quod cogitaui super omnem terram, & hæc manus extensa super vniuersas gentes, Dominus exercituum decreuit, & quis poterit infirmare? & manus eius extensa, & quis auertet eam?* vbi Dominus ex eo ait esse certò futuram contritionem Assyriorum: quoniam ipse eam decreuit, & manus eius extensa causabat illam, talis autem con-

tritio

tritio dependebat ex actu libero Assyriorum aduenientium in terram Domini: quoniam si non venissent, non fuissent contriti in terra Domini, ergo futura contingentia libera potest Deus certò cognoscere in prædeterminatione suæ voluntatis.

Præterea idem probatur ratione. Causa determinata, quæ ita est efficax, vt impediri non possit per aliam causam, producit infallibiliter suum effectum. sed decretum diuinæ voluntatis est causa efficacissima omnium futurorum contingentium, nec potest impediri ab alia causa etiam libera, ne producat effectum determinatum; ergo eo ipso, quòd Deus cognoscit, se determinasse efficaci voluntate, quòd fiant futura contingentia, certò cognoscit illa esse futura. Maior patet: nam si causa est efficacissima & immutabilis, non potest assignari aliqua ratio, propter quam non producat effectum. Minor autem est expressa sancti Augustini in Enchirid. ad Laur. cap. 95. vbi id probat ex illo Psalmistæ: *Omnia, quæcunque voluit Dominus fecit in cælo & in terra. Quod*, inquit, *non est verum, si aliqua voluit facere, & non fecit, &, quod est indignius, ideo non fecit, quia ne fieret, quod volebat omnipotens, voluntas hominis impediuit.* Et post pauca: *Hoc nisi credamus, periclitatur ipsum nostræ fidei confessionis initium, quo nos in Deum Patrem omnipotentem credere confitemur. Neque enim veraciter ob aliud vocatur omnipotens, nisi quia, quicquid vult, potest; neque voluntate cuiuspiam creaturæ, voluntatis omnipotentis impeditur effectus.*

Voluntas Dei impediri nõ potest per humanam voluntatem.

AD primum argumentum respondetur, quòd S. Thomas etiam ex parte determinationis diuinæ voluntatis assignat rationem certitudinis scientiæ futurorum contingentium in Deo; vt patet ex locis inductis pro prima conclusione.

Ad secundum respondetur, futurum habere esse determinatum in causa determinata, quando est efficax; & impediri non potest ab alia causa, sicut est decretum diuinæ voluntatis.

Ad confirmationem respondetur, quòd voluntas diuina non habet, neque habuit ab æterno decretum determinatum producendi alium mundum, vnde non est simile.

Libertas nostri arbitrij simul stat cum prædeterminatione diuina.

Ad tertium respondetur, quòd etsi posita prædeterminatione diuina, qua prædeterminauit futura contingentia libera, adhuc voluntas creata maneat libera, & possit non operari actum prædeterminatum à Deo; tamen infallibiliter producet illum. hoc enim efficit voluntas Dei, quòd, cùm liberum arbitrium creatum possit operari, & non operari talem actum, infallibiliter operetur illum & liberè, iuxta conditionem suæ naturæ. Vnde hæc duo sunt simul incompossibilia, quòd Deus decreuerit, vt Petrus conuertatur tali tempore, & tamen Petrus non conuertatur. Verum est, quòd hæc duo sunt simul compossibilia, quòd scilicèt Deus decreuerit conuersionem futuram Petri, & quòd Petrus possit non conuerti. Etenim decretum Dei non tollit à Petro potentiam ad oppositum actum, sed solùm tollit actum oppositum conuersioni, vt disput. decimaoctaua, numero 23. dicetur latiùs, & disputat. 22. & 23.

Ad quartum patebit controuersia seq.

DISPVTATIO XI.

Vtrùm Deus cognoscat certò, & infallibiliter peccata futura, in aliquo decreto suæ Diuinæ voluntatis.

PARTEM negatiuam defendunt quidam moderni Theologi, quam probant his argumentis.

Primò. In Deo triplex decretum possumus fingere, respectu actus peccati. Primum est decretum physicè prædeterminans liberum arbitrium ad futurum actum peccati, inquantum actus, & ens est. Secundum est decretum concurrendi simul cum voluntate ad eundem actum, si voluntas voluerit ad illum se applicare. Tertium est decretum permittendi malitiam moralem ipsius peccati. Sed in nullo decreto istorum, nec in omnibus simul cognoscit Deus certò, & infallibiliter peccata futura; ergo Deus non cognoscit illa in aliquo decreto suæ voluntatis. Minor, quoad primum decretum, probatur: nam in Deo nullum esse potest absolutum & efficax decretum physicè prædeterminans liberum arbitrium creatum ad actum peccati, etiam inquantum est actus: tum etiam quoniam peccatum ipsum tribueretur Deo, vt primo auctori & motori; ergo Deus non cognoscit peccata futura in prædicto decreto suæ voluntatis. Quòd autem ea non cognoscat in decreto concurrendi simul cum libero arbitrio creato ad actum peccati, probatur: nam sola voluntas Dei non est integra causa actus peccati, sed ad illum etiam requiritur liber concursus creatæ voluntatis; ergo nisi voluntas concurrat, non erit certò futurus actus peccati: ergo in decreto, quo Deus statuit concurrere simul cum voluntate ad actum peccati, non potest certò cognoscere actum peccati futurum. Quòd verò in decreto permittendi malitiam peccati, non cognoscat illud, probatur: nam Deus ea ratione dicitur permittere peccatum, inquantum non confert auxilium prædeterminans voluntatem ad actum oppositum virtutis: quod si conferret, homo non peccaret. sed huiusmodi auxilium non est necessarium, vt homo producat actus virtutis; ergo in negatione, vel carentia talis auxilij, non potest certò cognosci peccatum futurum.

Secundò arguitur. Voluntas permittendi peccatum duo includit; alterum est propositum non impediendi peccatum, nec dandi auxilium efficax ad actum virtutis, quo vitatur peccatum; alterum est voluntas concurrendi ad actum positiuum voluntatis, quo peccatum liberè committitur. Nam secundùm S. Thom. non datur pura omissio culpabilis: sed in proposito non dandi prædictum auxilium efficax, cognosci non potest peccatum infallibiliter esse futurum; quia sequeretur, voluntatem humanam suæ naturæ, & efficacitati relictam cum generali influentia primæ causæ, esse ex se determinatam ad operandum actum malum; quod videtur dogma Manichæorum & Lutheranorum, vt Disputatione tertia ostensum est; ergo. Probatur hoc: nam illa voluntas sibi relicta cum communi influentia in omnibus actibus, infallibiliter operatur malum; erit ergo ex se determinata ad malum. In causa enim proxima contingenti non potest certò cognosci effectus futurus, nisi sit prædeterminata ad illum, & non impedita. Similiter etiam in decreto concurrendi simul cum voluntate creata ad actum peccati, non potest Deus certò cognoscere actum illum esse futurum: nam voluntas pro sua libertate potest talem actum non producere, aliàs ex se esset determinata ad actum malum producendum. ergo in sola voluntate permittendi peccatum non potest Deus certò cognoscere illud esse futurum, nisi recurramus ad scientiam mediam, per quam Deus certò cognoscit voluntatem esse consensuram in

S. Th. 1. 2. q. 71. ar. 5.

Digitized by Google

peccatum ex hypothesi, quòd in tali ordine rerum, & in talibus circunstantiis constitueretur.

II. Contrariam sententiam defendunt consequenter omnes Doctores, qui tenent scientiam mediam non dari, etiam in Deo. Si enim huiusmodi scientia non est, non poterit ex illa desumi certitudo infallibilis, quod Petrus, verbi gratia, peccabit, nec in eadem scientia talis certitudo fundari. Vnde ex alio capite desumenda erit hæc certitudo & infallibilitas, videlicet ex realiexistentia, quam peccata futura habent in æternitate, vt disp. 8. & 9. dicebamus; vel ex aliquo decreto diuinæ voluntatis, quod in præsenti intendimus explicare.

Igitur pro resolutione huius difficultatis notandum est, quòd in peccato reperiuntur duo. Primò reperitur actio politiua peccati, quæ, vt est ens, bona est, & consequenter procedit efficienter à primo bono, scilicet à Deo, tanquam à primo auctore, & prima causa, vt probat S. Thom. 1. 2. quæst. 79. art. 2. & in 2. distin. 37. quæst. 2. art. 2. de quo ex professo à nobis disputandum erit disput. 24. vbi ex sententia S. Augustini, & S. Thomæ manifestum fiet, Deum suo concursu generali physicè præmouere, & prædeterminate creatam voluntatem ad actum peccati, inquantum actus est, quantumuis alias sit intrinsecè malus in ordine ad voluntatem creatam, quæ deficienter operatur. Secundò reperitur in peccato ratio formalis peccati, seu malitia moralis, & deordinatio à recta ratione: & hanc Deus non causat, sed solùm permittit, quatenus videlicet non præbet auxilium efficax ad vitandum peccatum, quod quidem auxilium si Deus præberet homini, non peccaret, vt 1. 2. quæst. 79. articulo 1. in corpor. dicit S. Thomas.

Liberum arbitr. creatum ex natura sua est peccabile, quia ex nihilo productum est. *S. Augustin. lib. 2. de vitiis & corrup. c. 28. libr. 2. de Ciuit. c. 1. S. Th. in 2. dist. 34. q. 1. art. 3. ad 4.*

Notandum secundò, quòd aliud est dicere, liberum arbitrium creatum esse defectibile ex natura sua, & aliud est dicere liberum arbitrium esse determinatum ex se ad malum: illud enim est veritas Catholica, hoc autem est error etiam contra lumen naturale. Illud possibilitatem dicit à fine deficiendi, & lege Dei; quia facultas liberi arbitrij non est ipsa regula suarum actionum; hoc autem refert determinationem ad malum in auctorem naturæ, qui liberum arbitrium produxit, quod est hæresis blasphema. Illud, vt sæpe docent SS. August. & Thom. competit libero arbitrio; quia est productum ex nihilo, quod etiam docent Cyrillus libr. 1. in Ioan. cap. 25. Nyssenus libr. 7. de libero arbitr. capit. vltim. S. Greg. libro 25. Moral. cap. 5. Damascenus libro 2. fidei orthodoxæ, capite 27. & Rupertus libr. 1. in Genes. capite 15. hoc autem inclinationi naturali eiusdem arbitrij repugnat: nam semper tendit ad bonum verum, vel apparens, cùm malum sub ratione mali, etiam dum peccat, velle non possit. Sit ergo

III. Peccata futura quomodo à Deo cognoscatur.

PRima conclusio. Deus certò, & infallibiliter cognoscit omnia peccata futura in decreto, quo statuit prædeterminare voluntatem creatam ad entitatem actus peccati, inquantùm actio, & ens est, & permittere malitiam moralem peccati, seu peccatum ipsum vt peccatum est, non dando auxilium efficax ad illud vitandum.

Probatur conclusio ex illo Psal. 80. *Dimisit eos, secundum desideria cordis eorum: ibunt in adinuentionibus suis.* Quibus verbis significatur, Deo deserente, & non adiuuante peccatorem, ne cadat, infallibiliter esse peccaturum. Vnde sanctus Augustin. explicans differentiam inter recessum Christi corporalem & spiritualem, ait: *Discessit de ipsa ciuitate Dominus, vel de illo loco: numquid Lazarus non vixit? Non sic anima suscitatur: suscitat illam Deus, moritur, si discesserit Deus. Dicam enim audatter, fratres, sed ta-*

Aug. super Psalm. 70. conc. 2. in 8.

A *men verum. Duæ vitæ sunt; una corporis, altera animæ. Sicut vita corporis anima, sic vita animæ Deus. Quomodo si anima deserat, moritur corpus, sic anima moritur, si deserat Deus.*

Confirmatur auctoritate Conc. Arausic. 1. can. 19. vbi dicitur: *Natura humana etiam si in illa integritate, in qua est condita, permaneret, nullo modo seipsam, creatore suo non adiuuante, seruaret.* Ergo secundùm mentem Concilij, Deo non adiuuante hominem, ne cadat, infallibiliter cadet; aliàs seipsum in bono conseruaret, creatore suo illum non conseruante. Idem probatur ex Innoc. Papa epist. 25. ad Concilium Carthaginens. quæ est apud August. 91. vbi sic loquitur: *Quotidiana præstat ille remedia, quibus nisi freti, confisique nitamur, nullatenus vincere humanos*
B *poterimus errores: necesse est enim, vt quo auxiliante vincimus, eo iterum non adiuuante, vincamur.* Quo nihil dici potuit clariùs pro nostra sententia.

Secundò probatur ratione. Deus certò scit, quòd, si non conseruaret creaturas in suo esse, statim redigerentur in nihilum: quoniam creatura seipsam conseruare non potest, creatore suo illam non conseruante: ergo etiam scit, quòd si ipse non conseruet hominem in bono rationis, homo ipse non conseruabit se: ergo in decreto, quo Deus statuit non dare auxilium efficax tali tempore alicui, quo bonum operando, vel abstinendo à peccato, bonum rationis conseruet, certò scit, quòd homo ab eodem bono rationis, peccando, deficiet.

Tertiò probatur. Sine auxilio efficaci prædeter-
C minante liberum arbitrium ad actum virtutis, nunquam homo producet illum actum, vt disputat. 18. & 23. manifestum fiet: ergo in decreto, quo Deus statuit non dare Petro, verbi gratia, tali tempore auxilium efficax ad actum virtutis, qui est in præcepto, scit, quòd Petrus non producet illum actum, ac per consequens scit, quòd peccabit omissionis peccato.

Præterea idipsum probatur de peccato commissionis: nam in decreto, quo Deus prædeterminauit voluntatem Petri ad actum peccati, inquantum actus est, certò cognoscit, quod producet illum actum, vt disputatione vigesimaquarta fiet manifestum: ergo si ex alia parte permittat eiusdem actus malitiam moralem, & quòd Petrus, deficiendo à re-
D gula rationis, eundem actum producat; erit infallibile, quòd Petrus peccet, ac per consequens id certò cognoscet Deus.

IV. Secunda conclusio. Simpliciter & absolutè dicendum est, Deum non cognoscere certò & infallibiliter peccata futura in aliquo decreto suæ voluntatis, quo prædeterminauerit liberum arbitrium ad eadem peccata committenda. Hæc conclusio est de fide, quam vtplurimùm probant argumenta facta à principio.

Præterea probatur omnibus locis Scripturæ, Conciliorum Arausic. & Trid. & auctoritatibus sanctorum Patrum; quibus disputatione vigesimaquarta ostendemus, Deum, absolutè loquendo, non prædeterminare voluntatem hominis ad malum,
E siue ad peccatum.

Ad argumenta igitur facta à principio respondetur, tantùm probare hanc secundam conclusionem: quatenus verò contra primam videntur militare, singulis est occurrendum.

AD primum respondetur, quòd in primo & tertio decreto cognoscit Deus peccata futura, videlicet in decreto præmouendi efficienter voluntatem creatam ad entitatem actus peccati, inquantùm actus est, & in decreto permittendi, quòd voluntas creata deficiat à ratione, vt ex dictis constat. Nec huiusmodi decretum repugnat humanæ

liber

libertati, aut propter illud, ipſum peccatum refunditur in Deum, tanquam in primum auctorem, abſolutè loquendo, ſed ſolum cum addito diminuente, inquantum ſcilicet actus, & ens eſt, de quo ex profeſſo diſp. 24. erit agendum. Ad aliud, quo in eodem argumento probatur, Deum in decreto permittendi malitiam, non poſſe cognoſcere peccatum futurum; reſpondetur, quòd, vt infrà patebit, ad quemlibet actum virtutis prærequiritur Dei decretum, & auxilium efficienter prædeterminans liberum arbitrium creatum ad talem actum: neque ex hoc licet inferre, quod, qui non habet actu auxilium illud, non poſſit operari talem actum virtutis: nec etiam licet inferre, quod, qui habet illud auxilium, non poſſit non operari eundem actum: defectus huius illationis iam ſuprà à nobis explicatus eſt; & diſput. 18. demonſtrabimus, quam ſit fallax hæc argumentatio.

Ad ſecundum argumentum reſpondetur per ea, quæ dicta ſunt in ſecundo fundamento: diximus enim, voluntatem creatam ex natura ſua, eſſe inclinatam ad bonum: nam eius inclinatio naturalis a Deo eſt, vt Opuſc. 2. capite vigeſimonono & trigeſimo, & alibi ſæpe docet ſanctus Thomas. Vnde talis inclinatio non poteſt tendere ad malum: cum hoc tamen aſſerendum eſt, voluntatem creatam eſſe ex natura ſua defectibilem, & niſi manu Creatoris in bono rationis cõſeruetur, ſe per ſe ipsã non conſeruabit, & ita Deo deſerente, infallibiliter deficiet, & libere deficiet, ſicut Deo ipſam conſeruante, infallibiliter & libere ſeipſam conſeruabit, vt ſuperius ex ſancto Auguſtino dictum eſt. Vnde in decreto, quo Deus occulto ſuo iudicio, ſed abſque vlla dubitatione iuſtiſſimo, ſtatuit voluntatem creatam in bono rationis non conſeruare, ſed permittere, vt ab illo deficiat, atque ad actum peccati, inquantum actus eſt, modo ſuperiùs explicato, concurrere, certò cognoſcit peccata futura.

DISPVTATIO XII.

Vtrùm Deus cognoſcat certò, & infallibiliter futura contingentia in prædeterminatione cauſarum ſecundarum, præſertim quando cauſæ ſecundæ ſunt liberæ.

1. PARTEM negatiuam defendunt illi auctores, qui negant Deum efficaciter prædeterminaſſe ſuo æterno decreto huiuſmodi futura contingentia antecedenter ad præſcientiam liberæ cooperationis arbitrij futura ex hypotheſi, quòd in talibus circunſtantiis conſtituatur: quorum argumenta adducemus diſp. 22. & 23.

Præterea etiam probatur hæc ſententia. Multoties contingit, quòd cauſæ ſecundæ ſint determinatæ ad producendum aliquem effectum, & tamen de facto non producant illum, vt patet in Ezechia, cui dictum eſt Iſaiæ 38. *Diſpone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives.* In illo enim cauſæ naturales mortis erant iam determinatæ, & tamen mors non fuit tunc ſubſequuta: ergo in cauſis determinatis non poteſt certò cognoſci effectus futurus.

Arguitur ſecundò. Primus actus liber tam hominum, quàm Angelorum, ſequitur infallibiliter ad iudicium determinatum, & naturale ipſorum, quo iudicant tale obiectum eſſe proſequendum: huiuſmodi enim iudicium oportet, quòd ſit naturale, & non liberum alias enim actus voluntatis, qui ſequitur ad illum iudicium, non eſſet primus actus liber, ſed ſupponeret alium actum liberum ex parte intellectus, & ita daretur proceſſus in infinitum: ſed in huiuſmodi iudicio nõ poteſt certò cognoſci actus liber futurus; ergo in cauſis determinatis non poſſunt certò cognoſci futura contingentia. Minor probatur: nam alias quilibet Angelus per virtutem ſuæ naturæ cognoſceret omnes actus primos liberos aliorum Angelorum, & hominum: nam cognoſcit naturaliter omnes actus naturales aliorum, & omnia, quæ pertinent ad ordinem naturæ: ergo cognoſcit iudicium illud naturale, ex quo infallibiliter ſequitur primus actus liber: ergo ſi in determinatione cauſarum ſecundarum certò poſſunt cognoſci actus futuri contingentes & liberi, relinquitur, quòd Angelus, qui naturaliter cognoſcit illud iudicium naturale, cognoſcat etiam primum actum liberum cuiuſcunque alterius Angeli, vel hominis, quod tamen nullus concedit.

Oppoſitam ſententiam tenet S. Thom. locis cit. in diſp. præced. concluſ. 1. quam ſequuntur communiter Thomiſtæ, & alij Theologi, qui docent Deum prædeterminare omnes cauſas ſecundas ad ſuas operationes.

II. Futura cõtingentia certò cognoſcũtur à Deo in prædeterminatione cauſarum ſecundarũ.

CONcluſio ergo noſtra ſit, In determinatione cauſarum ſecundarum, quæ impediendæ non ſunt per concurſum aliarum cauſarum, cognoſcit Deus certò omnia futura contingentia etiam libera. Itaque eo ipſo quòd Deus cognoſcit determinationem cauſæ ſecundæ, & omnium aliarum cauſarum concurſum, per quem non impedietur effectus contingens, certò cognoſcit illum eſſe futurum.

Probatur hæc concluſio. Effectus certò cognoſcitur in cauſa ſimpliciter neceſſaria, cò quòd talis cauſa habet infallibilem ordinem ad talem effectum, ſicut cognoſcimus infallibiliter, quòd omnis homo ſit riſibilis, quia eſt rationalis: ſed cauſa contingens completè determinata, & non impedienda, quantumuis ſit libera, & poſſit non agere; de facto tamen infallibiliter operabitur, & producet ſuum effectum: ergo etiam in tali cauſa poteſt certò cognoſci eius effectus contingenter futurus.

III. Probatur ſecundò. Deus in decreto abſoluto, & efficaci ſuæ voluntatis certò cognoſcit futura contingentia etiam libera, vt diſputatione præcedenti oſtenſum eſt: ergo etiam illa cognoſcit in determinatione completa cauſarum ſecundarum non impediendarum. Patet conſequentia nam in ipſa motione, qua Deus determinat cauſas ſecundas ad ſuos effectus contingentes & liberos, eſt intentio Dei, quæ deficere non poteſt, vt docet S. Thomas par. 1. quæſt. 112. artic. 3. in corp. & 2. 2. quæſt. 24. art. 11. in corp.

IV. AD primum argumentum reſpondetur, quòd quamuis cauſæ naturales mortis Ezechiæ eſſent determinatæ, impeditæ fuerunt ſpeciali Dei diſpenſatione, ne tunc ex illis ſequeretur mors Ezechiæ, vnde in illis non poterat certò cognoſci mors Ezechiæ.

Imperij primus actus quomodo ſit liber.

Ad ſecundum reſpondetur, quòd primus actus voluntatis ſequitur infallibiliter ad primum imperium, quod quidem non eſt omnino actus naturalis, ſed aliquo modo eſt liber, ſaltem quoad exercitium. Pro quo notandum eſt, dupliciter poſſe aliquem actum eſſe liberum. Primò, quia eſt expreſsè volitus, tanquam obiectum, & in hoc ſenſu primus actus imperij non eſt liber, alias daretur proceſſus in infinitum, vt argumẽtum probat: ſecundo modo

poteſt

poteſt dici liber, quoniam verſatur circa obiectum, ad quod non eſt naturaliter determinata potentia eliciens illum actum: & in hoc ſenſu primum imperium eſt actus liber, quoad exercitium: quia intellectus non eſt à natura determinatus ad obiectum illud particulare, circa quod verſatur primum imperium. Vnde vnus Angelus non poteſt naturaliter cognoſcere primum actum imperij aliorum Angelorum, vel hominum, neque primum actum liberum, qui ſequitur ad huiuſmodi imperium.

Cajet. 1. 2. q. 1 art 6. Caprol. in 1. diſt. ſent. 1. q. 3. & in 4 ſent. diſt. 49. q 3. Vide D. Th. 1. 2. q. 17. artic. 6. & Conradum ibidem.

Reſpondetur ſecundò, quòd primus actus voluntatis debet verſari circa bonum in communi, ad quod naturaliter determinatur voluntas, quantùm ad ſpecificationem: nam, vt docent graues auctores, voluntas non poteſt velle aliquod bonum in particulari, niſi priùs habuerit aliquem actum circa bonum in communi: vnde Angelus per virtutem ſuæ naturæ poteſt certò cognoſcere, quòd primus actus, quem voluntas hominis producet, erit appetitus, ſeu volitio boni in communi; non tamen poteſt cognoſcere, in quo tempore producet talem actum, eò quòd quamuis actus ille ſit neceſſarius quoad ſpecificationem; quoad exercitium tamen aliquam habet libertatem.

DISPVTATIO XIII.

Vtrùm præſcindendo omnem prædeterminationem Diuinæ voluntatis, & exiſtentiam in æternitate, poſſit aſſignari alia ratio certitudinis ſcientiæ diuinæ, ex parte videlicet veritatis obiecti.

I. EST prima ſententia quorundam recentiorum, aſſerentium, Deum cognoſcere hæc futura ſolùm per ſimplicem intuitum veritatis rei, quæ futura eſt: vnde ſecundùm iſtam ſententiam, ideo Deus certò cognoſcit futura contingentia; quia ipſum futurum habet veritatem determinatam, quam ſubinde Deus certò cognouit. Alij moderni ex veritate futurorum contingentium, & ex infinitate intellectus Dei, colligunt certitudinem ſcientiæ ipſius, qua ab æterno cognoſcit futura contingentia. Potiſſima huius ſententiæ argumenta ſunt, quæ ſequuntur.

ARgumentantur primò. In illo priori ſigno rationis, antequam intelligatur aliquod decretum diuinæ voluntatis, & antequam futura exiſtant in æternitate, hæc propoſitio de futuro contingenti: Antichriſtus erit, eſt determinatè vera, vel determinatè falſa; ergo in illo priori cognoſcit Deus determinatè: vtrùm Antichriſtus ſit futurus, vel non ſit futurus, in ipſa veritate obiecti: patet conſequentia: nam Deus in quolibet ſigno rationis cognoſcit omnem veritatem determinatam, alias in illo ſigno eius cognitio non eſſet infinita. Antecedens probatur: nam etiam in illo ſigno rationis iſtæ duæ propoſitiones ſunt contradictoriæ: Antichriſtus erit: Antichriſtus non erit: ergo altera illarum eſt determinatè vera, & altera eſt determinatè falſa: de ratione enim contradictoriarum eſt, quòd altera ſit vera, altera falſa ergo in illo ſigno cognoſcit Deus contradictoriam, quæ eſt vera.

Confirmatur idem antecedens. Hæc diſiunctiua eſt vera, & neceſſaria: Petrus peccabit, vel non peccabit; vt docet Ariſt. 1. de interpret. cap. 8. ergo altera pars eius eſt determinatè vera; ad veritatem enim diſiunctiuæ requiritur, quòd altera pars ſit vera: ergo illa cognoſcitur a Deo ante actum ſuæ voluntatis.

Confirmatur ſecundò. Verum, & falſum ſunt paſſiones propoſitionis, ſicut par, & impar ſunt paſſiones numeri; ſed impoſſibile eſt, quòd in aliquo ſigno rationis detur numerus, qui non ſit par, vel impar: ergo impoſſibile eſt, quòd in aliquo ſigno rationis detur propoſitio de futuro contingenti, quæ non ſit determinatè vera, vel falſa.

Confirmatur tertiò. Vt docet Ariſtot. 6. metaph. verum, & falſum reſpectu propoſitionis ſunt contraria immediata, ſicut ſanum, & ægrum reſpectu animalis: ſed inter contraria immediata non datur medium: ergo in quocunque ſigno rationis quælibet propoſitio de futuro contingenti vel eſt vera, vel falſa, ac per conſequens à Deo certo cognita.

Arguitur ſecundò. Deus in Scriptura ſacra reuelauit multa futura contingentia, antequam fiant ſicut Iſaiæ 7. *Ecce virgo concipiet, & pariet filium.* Et quòd reſurrectio mortuorum ſit futura; & Petro Apoſtolo dixit Chriſtus Dominus: *Antequam gallus cantet, ter me negabis*: ergo antequam fierent, erant determinatè vera, & conſequenter Deo certò cognita. *Matth. 26.*

Arguitur tertiò. Omnis propoſitio de futuro contingenti habet ſuam de ineſſe determinatè veram, vel determinatè falſam; ergo eſt vera, vel falſa: patet conſequentia: nam veritas, vel falſitas propoſitionis de futuro debet regulari, & probari per propoſitionem de ineſſe: vnde illa propoſitio de futuro eſt vera, quæ aliquando habebit vnam de ineſſe veram; falſa autem, ſi nunquam ſit habitura vnam de ineſſe veram. Antecedens autem probatur: nam hæc propoſitio, Antichriſtus eſt, vera erit, nato Antichriſto: hæc autem propoſitio: Mons aureus eſt, nunquam erit vera: & ideo propoſitio illa de futuro: Mons aureus erit, eſt determinatè falſa: & idem contingit in omnibus aliis conſimilibus propoſitionibus, ergo.

Confirmatur. Aliquando ita erit, ſicut ſignificatur per propoſitionem de futuro contingenti: ergo talis propoſitio erit vera. patet conſequentia. Nam ab eo, quòd res eſt, vel non eſt, ſecundùm exigentiam copulæ, propoſitio dicitur vera, vel falſa.

Arguitur quartò. Hoc complexum: Antichriſtus erit, eſt volitum à Deo, vt futurum: ergo ante actum diuinæ voluntatis fuit cognitum à Deo, vt futurum patet conſequentia; quia nihil eſt volitum ſub quacunque ratione, quin ſub eadem ratione ſit præcognitum.

Arguitur quintò. Ante omnem actum ſuæ voluntatis cognoſcit Deus certò, quid ſit ipſe voliturus, & ad quas creaturas producendas ſit determinanda eius voluntas: ergo ante omnem actum ſuæ voluntatis cognoſcit certò, quæ res ſint determinatè futuræ, quæ verò non ſint futuræ. Antecedens patet; nam Verbum diuinum procedit ex cognitione omnium veritatum, cùm producatur per actum perfectiſſimum intellectus: ergo procedit ex cognitione huius veritatis: Antichriſtus naſcetur, & ex cognitione omnium aliorum futurorum contingentium: ergo ante omnem actum voluntatis diuinæ erat verum hoc complexum: Antichriſtus naſcetur. Verbum enim diuinum procedit ante omnem actum diuinæ voluntatis, ac per conſequens veritas illius futuri antecedit omnem actum diuinæ voluntatis: vel dicendum erit, quòd Verbum diuinum non procedit ex cognitione omnium veritatum.

Arguitur ſextò. Ideæ creaturarum, quæ ſunt in Deo, repræſentant ante omnem actum diuinæ voluntatis

luntatis omnia futura, vt futura ſunt: nam, vt docet S. Thom. 1. p. q. 15. ideæ, propriè loquendo, repreſentant futura, vt futura ſunt, cum ſint rationes rerum, quas Deus eſt operaturus: ſed huiuſmodi ideæ ante omnem actum diuinæ voluntatis habent actualiter repræſentare, alias idea non eſſet attributum diuinum: quia nullum attributum, præſertim ſi pertineat ad intellectum, ſupponit in Deo liberum actum ſuæ voluntatis; ergo per huiuſmodi ideas certò cognoſcit Deus in illo priori ſigno rationis, quæ ſint determinatè futura, & quæ non ſint futura.

Confirmatur hæc ratio auctoritate S. Thomæ 1. p. q. 14. articulo 13. c. vbi ait: *Deus non tantum cognoſcit futura, quia habet rationes rerum apud ſe præſentes; ſed etiam quia eius intuitus fertur ab æterno ſuper omnia, prout ſunt in ſua præſentialitate.* Quibus verbis docere videtur, quòd etiam per ideas, quæ ſunt rationes rerum, Deus certò cognoſcat omnia futura contingentia, cùm ergo ideæ ante actum diuinę voluntatis repræſentant futura cõtingentia, relinquitur, quòd ante prædictum actum poſſit Deus illa cognoſcere, vt futura.

II. Secunda ſententia, inter Thomiſtas communis aſſerit, Deum ante omnem actum ſuæ voluntatis non cognoſcere certò & infallibiliter, quid ſit determinatè futurum, nec propoſitionem de futuro contingenti habere determinatam veritatem: quæ ſententia certa eſt, atque ad mentem S. Thomæ, pro cuius explicatione

Notádum eſt primò, quòd in præſenti loquimur de prioritate tantùm ſecundùm diuerſa ſigna rationis, etenim quicquid Deus decreuit producere in tempore, ab æterno decreuit, nec poteſt reperiri aliquis actus in Deo etiam liber, qui ab æterno in illo non fuerit: aliàs enim eſſet mutabilis.

Scientia libera nõ ponit nouam perfectionẽ in Deo.

Notandum ſecundò, quòd ſicut actualis creatio rerum ad extra, & actualis volitio creandi, vel iuſtificandi hominem, nullam perfectionem addit in Deo ſupra potentiam creandi, aut iuſtificandi, ſed ſolùm importat eandem perfectionem realem cum nouo reſpectu rationis ad creaturam: ita cognitio futurorum nihil perfectionis addit in Deo ſupra cognitionem poſſibilium, ſed dicit eandem perfectionem, cum nouo reſpectu rationis ad eadem futura, vt ſunt in ſuis cauſis determinatis; aliàs enim in Deo eſſet aliqua realis perfectio dependens ex actu libero ſuæ volutatis, ac per cõſequens, ſi Deus voluiſſet creare alium mundum, eſſet magis perfectus in ſeipſo, quam de facto ſit: nam cognoſceret plura futura, vt futura ſunt; hoc autem nullatenus eſt dicendum: ergo.

Notandum tertiò, quòd quando aliqua duo opponuntur contradictoriè, vel ſunt contraria immediatè oppoſita, neceſſe eſt, quòd pro quolibet inſtanti temporis, alterum illorum conueniat proprio ſubiecto: non tamen requiritur, quòd alterum eorum conueniat eidem ſubiecto pro quolibet ſigno rationis. Eſt exemplum manifeſtum, nam gratia & peccatum in homine ordinato ad vitam æternam ſunt oppoſita immediatè, atque adeò neceſſe eſt, quòd in quolibet inſtanti temporis, homo, vel habeat gratiam, vel habeat peccatum; ſed tamen id non eſt neceſſarium, in quolibet priori ſigno rationis, vel naturæ, etenim in illo priori naturæ, in quo contritio antecedit gratiam in genere cauſæ materialis, nõ intelligitur homo habere peccatum mortale; quia cum contritione non compatitur peccatum mortale: & tamen in illo priori nondum intelligitur gratia habitualis; at verò ſi ſermo ſit de inſtanti temporis, in illo inſtanti habet gratiam habitualem. Sit ergo

Duarũ cõtradictoriarum oportet alteram eſſe determinatè veram pro quolibet inſtanti tẽporis, ſed nõ pro quolibet ſigno rationis.

III. PRima Concluſio. Si loquamur de inſtanti temporis, omnis propoſitio de futuro contingenti, eſt determinatè vera, vel falſa, antequam futura ponantur in eſſe. Hanc concluſionem probant efficaciter aliqua argumenta ex factis à principio, præſertim argumentum ſecundum, & tertium.

Præterea probatur. Deus iam ab æterno decreuit, quid ſit futurum, & quid non ſit futurum: ergo pro quolibet inſtanti temporis, antequam futura ponantur in eſſe, verum erit dicere, quòd erit futurum id, quod reuerà futurum eſt; & quod non erit futurum id, quod reuerà futurum non eſt; ergo cognoſcitur à Deo ab æterno, antequam in tempore fiat, vel non fiat.

Confirmatur. Ex illo inſtanti temporis, in quo futura ponentur in eſſe, propoſitio de futuro incipit eſſe falſa; etenim tunc res iam non eſt futura, ſed præſens, vel præterita: ergo antequam ponantur in eſſe, propoſitiones de futuro ſunt determinatè veræ, vel determinatè falſæ pro quolibet inſtanti temporis præcedentis.

Nulla propoſitio de futuro cõtingẽti eſt ante decretum diuinæ voluntatis, determinate vera, vel determinatè falſa.

Secunda concluſio. Ante omne decretum diuinæ voluntatis, ſiue in illo priori ſigno rationis, antequam intelligatur in Deo huiuſmodi decretum determinans, quid ſit futurum, quid non ſit futurum; nulla propoſitio de futuro contingenti habet determinatam veritatem, ac per conſequens in illo priori ſigno non eſt cognoſcibile, etiam à Deo ex ipſa veritate obiecti, quid ſit determinatè futurum. Hæc concluſio eſt directè contra auctores primæ ſententiæ: videtur tamen eſſe de mente S. Thomæ locis citatis diſputatione præcedenti. Etenim ſanctus Doctor ex duplici cap. oſtendit, Deum certò cognoſcere futura contingentia, videlicet; quia actualiter exiſtunt in æternitate, antequam fiant in propria menſura, & in determinatione cauſarum; quæ quidem eſſe non poteſt ante decretum diuinæ voluntatis, per quod omnes cauſæ ſecundæ determinantur ad producendos ſuos effectus: ergo, &c.

Præterea probatur ratione. In illo priori ſigno rationis futura non habent determinatam entitatem, neque in ſeipſis, quia non intelliguntur exiſtere etiam in æternitate: nam talis exiſtentia intrinſecè dependet ex decreto diuinæ voluntatis, vt patet ex illo Apocalyp. 4. *Propter voluntatem tuam erant, & creata ſunt.* Et iterum dicit Scriptura: *Quomodo aliquid eſſet, niſi tu voluiſſes?* nec habent determinatum eſſe in ſuis cauſis: nam in illo priori nondum intelligitur determinata prima cauſa ad productionem alicuius futuri: ergo in illo priori nullam habent determinatam veritatem, ſi conſiderentur, vt futura; quia quod non habet determinatam entitatem, non habet determinatam veritatem.

Probatur ſecundò. Ante decretum diuinæ voluntatis hæc propoſitio: Antichriſtus erit, non eſt determinatè vera ex natura ſubiecti: nam actualis exiſtentia ſolùm Deo competit ex natura rei, nec eſt determinatè vera ex aliqua cauſa efficiente: nam in illo priori nondum intelligitur decretum diuinæ voluntatis, ſine quo eſſe non poteſt, nec intelligi cauſalitas alicuius cauſæ ſecundæ, cùm eſſentialiter dependeat à cauſalitate primæ cauſæ: ergo in illo priori ſigno rationis non intelligitur illud prædicatum competere ſubiecto, atque adeò in obiecto ſignificato per illam propoſitionem nulla reperitur determinata veritas.

Probatur tertiò auctoritate Ariſtot. libro primo de interpr. capite octauo, quem locum adduximus, & expendimus diſputatione 7. præſertim in ſecundo argumento facto pro noſtra ſententia: *Diſp. 7. n. 13.*

docet enim, quòd tolleretur contingentia rerum, & consequenter libertas arbitrij, si propositiones de futuro contingenti essent secundùm se determinatè veræ, vel determinatè falsæ. Quod etiam videtur sequi, si ponantur determinatè veræ in illo priori signo rationis: quod sic ostenditur: nàm si ante decretum diuinæ voluntatis, hæc propositio: Antichristus erit, vel Antichristus loquetur, est determinatè vera; ergo prædicatum illud ex natura rei, & per se, competit illi subiecto. patet consequentia: nam in illo priori signo rationis non potest illi competere ex aliqua causa efficiente, vt ostensum est; ergo competeret illi per se, & ab intrinseco: atque adeò non poterit postea in tempore prædicari de illo contingenter & liberè, quia quod competit alicui per naturam, non competit ei liberè.

Confirmatur hæc ratio argumento illo tertio, quo eadè disp. 7. n. 16. scientia media impugnata est.

Ex hac conclusione sequitur, quòd propositiones de futuro contingenti etiam non sunt determinatè falsę in illo priori signo rationis, antequam intelligatur decretum diuinæ voluntatis. Probatur iisdem argumentis: nam in illo priori causæ non sunt determinatæ ad non producendum hoc, vel illud contingens; ergo in illo priori signo non est determinate falsum asserere, quòd hoc, vel illud sit futurum.

Confirmatur. Si in illo priori essent determinatè falsæ propositiones de futuro contingẽti, sequeretur, quòd essent determinatè falsæ ex natura rei, ac per consequens Deus non posset per decretum suum illas reddere veras: sicut Deus non potest efficere, quòd hæc propositio: Homo non est rationalis, sit determinatè vera; quia ex natura rei antecedenter ad omne decretum voluntatis Dei, est determinate falsa.

Confirmatur secundò id ipsum in conditionatis propositionibus disparatis contra illos, qui sentiũt, omnia hæc conditionata habere ante omne decretum diuinæ voluntatis determinatam veritatem, vel determinatam falsitatem. Hoc conditionatum, si equus est animal, Antichristus nascetur, ante decretum diuinæ voluntatis non est secundùm se determinatè verum, aliàs Deus non potuisset determinare seipsum ad non producendum Antichristum, sed ex necessitate absoluta produceret illum suo tempore. Nec etiam est ante illud decretum determinate falsum propter eandem rationem: quia sequeretur, quòd Deus non posset producere Antichristum, quia non potest mutare veritatem, aut falsitatem propositionum, quæ antecedenter ad eius decretum sunt determinate veræ secundùm se, aut determinatè falsæ. Idem argumentum fieri potest proportionabiliter de quocunque alio futuro conditionato disparato, cuius consequens nullam habet connexionem cum antecedenti, nec infertur ex illo, etiamsi antecedens ponatur in esse, vt in hac assertione: Si tali die pluat in Hispania, Petrus disputabit in Italia, & similibus. Etenim si dicatur, hoc conditionatum ante omne decretum diuinæ voluntatis esse determinatè verum, sequitur, quòd posito in esse antecedenti, Deus non posset facere, vt consequens non ponatur in esse, quod nullatenus est dicendum. Si autem è contrario asseratur, conditionatum illud ante omne decretum diuinum esse determinatè falsum, sequeretur aliud inconueniẽs, quòd scilicet posito in esse antecedenti, Deus non posset facere, vt Petrus non disputet Romæ, quod tamen dici non potest.

AD primum argumẽtum respondetur, quòd, vt constat ex dictis, præsertim in tertio fundamento, hæc propositio: Antichristus erit, nec est determinatè vera, nec determinatè falsa in illo priori signo rationis, in quo consideratur ante omne decretum diuinæ voluntatis: & ad probationem respondetur, quòd ex duabus contradictoriis, etiam de futuro contingenti, oportet quòd altera sit determinatè vera, altera determinate falsa pro quolibet instanti temporis, non tamen oportet, quòd altera sit determinatè vera, altera determinatè falsa pro quolibet signo rationis. Si dicatur: nam etiam in illo priori signo rationis, illæ duæ propositiones sunt contradictoriæ: ergo etiam pro eodem signo altera est determinatè vera, & altera falsa; respondetur negando consequentiam. nam ad essentiam contradictoriarum id non requiritur pro quolibet signo rationis, sed sufficit, quòd repugnet, ambas simul esse veras, vel falsas; & quòd si vna est vera, altera sit falsa. quod quidem competit illis propositionibus etiam pro illo priori signo vel dicendum, quòd vera contradictio attenditur secundùm instans temporis, non autem secundùm instans naturæ; quia instans naturæ non est instans, in quo, sed a quo.

Ad primam confirmationem respondetur, quòd sicut illa disiunctiua: Petrus peccabit, vel non peccabit, est necessaria, quamuis neutra pars illius sit necessaria: ita etiam eadem disiunctiua est determinatè vera, eò quòd ambæ partes sunt incompossibiles in falsitate, quamuis neutra pars sit determinate vera in illo primo signo rationis; ad veritatem quippe disiunctiuæ non requiritur, quòd altera pars sit determinatè vera, sed sufficit, quòd repugnet, vtramque partem esse simul falsam. IV.

Ad secundam confirmationem respondetur primò, quòd par, vel impar, sunt passiones, seu proprietates, quæ consequuntur numerum ex natura rei, sicut risibile consequitur ad naturam hominis: vnde signato quocunque numero, oportet etiam in illo priori signo rationis, quòd sit par, vel impar. Veritas autem determinata, vel falsitas in futuris contingentibus non consequitur propositionem de futuro contingenti ex natura rei, quia futurum contingens ex natura sua non habet esse determinatum, nec etiam non esse, sed id consequitur ex decreto diuinæ voluntatis; vnde non est simile. Par, vel impar, sunt passiones numeri.

Secundò respondetur, solùm concludere argumentum, quòd pro quolibet instanti temporis omnis propositio de futuro contingenti, est determinate vera, vel determinatè falsa, non autem pro quolibet signo rationis, & hoc etiam reperitur in numero: nam in illo priori signo rationis, in quo à nobis consideratur numerus secundum suam præcisam quidditatem, non attribuimus illi, quòd sit par, vel impar determinatè; sed hoc competit numero in secundo signo rationis, in quo consideratur etiam secundùm passiones, quæ consequuntur ad eius naturam, præscindendo ab actuali existentia. si tamen par, vel impar accipiantur, secundùm quòd in exercitio actualis existentiæ competunt numero; neutrum prædicatur determinate de numero, ante decretum diuinæ voluntatis; quoniam ante illud nullus datur numerus à parte rei, ac per consequens etiam non dabitur numerus par, vel impar. & per hęc patet ad tertiam confirmationem.

Ad secundum, & tertium argumentum cum sua confirmatione respondetur, quòd tantùm probant primam conclusionem. videatur S. Th. q. 6. de verit. art. 3. ad sextum, vbi explicat dictum Arist. supra inductum, videlicet: Propositiones de futuro contingenti non habent certam, & determinatam veritatem, antequam ponantur in esse.

Ad quartum argumentum respondetur, quòd, vt Deus velit illud futurum esse, sufficit quantum ex parte intellectus, quòd per scientiam simplicis intelli

telligentiæ illud cognoſcatur vt poſſibile, vel vt futurum ſecundum ſuam quidditatem, non autem requiritur, vt præcognoſcat illud, vt futurum eſt in actu exercito, quia rationem futuritionis habet a determinatione diuinæ voluntatis. Obiectum enim potentiæ actiuæ non præcedit, ſed conſequitur operationem eiuſdem potentiæ.

Verbũ diuinum procedit ex cognitione omnium creaturarũ.

Ad quantum argumentum negatur antecedens, vt conſtat ex dictis diſp. 7. de ſcientia media, vbi oſtendimus, Deum ante actualem determinationem ſuæ voluntatis, non poſſe certò cognoſcere, quid in particulari ſit voliturus, vel facturus, etiam ex hypotheſi, quòd crearet alium mũdum, vel conſtitueret hominem in talibus circumſtantiis. Et ad probationem reſpõdetur, quòd Verbum diuinum procedit ex cognitione neceſſaria omnium veritatum, quam habet Pater per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ; non autem ex cognitione libera. hæc enim nõ addit nouam perfectionem in Deo ſupra ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, vt in ſecundo fundamento oſtenſum eſt. Vnde etiam ſi Verbum non procedat ex cognitione futurorum contingẽtium, vt futura ſunt in actu exercito, adhuc procedit ex cognitione infinite perfecta. Pro maiori explicatione huius ſolutionis notandum, futura contingentia, & eorum exiſtentiam poſſe dupliciter conſiderari. Primò, quantum ad exercitum actuale ipſius exiſtentiæ & ſecundùm hanc rationem cognoſcuntur a Deo per ſolam ſcientiam liberam, & non per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ; & in hoc ſenſu loquitur S. Th. q 8. de ver. ar. 4. & in 3. ſent. d. 14 q. 1 ar. 2. quæſtiunc. 2. cùm ait, Deũ nõ cognoſcere ſcientia ſimplicis intelligentiæ, res quandoq; exiſtentes, ſed ſolùm eas, quæ nunquam exiſtent. vnde Verbum diuinum non procedit ex cognitione futurorum contingentium, ſecundùm quod exercent actum exiſtentiæ. Secundo modo poſſunt conſiderari futura contingentia, & eorum exiſtentia ſecundùm quidditatem, & ſub hac ratione cognoſcuntur à Deo per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, vt expreſſe docet S. Th in 3. ſent. ad Annibald. d. 14. q. vn. ar. 2. in corp. vb: ait *In Verbo ſine in Deo diſtinguitur duplex cognitio, vna quæ dicitur viſionis, per quam videt Deus quaſi præſentia omnia, quæ ſunt erunt, & fuerunt. Alia dicitur ſimplicis intelligentiæ, per quam non ſolùm illa ſcit ſed etiam omnia, qua ſcit, poteſt facere.* Et ratio eſt nam quidditas talis exiſtentiæ non dependet ex decreto diuinæ voluntatis, cùm eſſentiæ rerum ſint perpetuæ. Et ſub hac ratione verbum diuinum non ſolùm procedit ex cognitione creaturarum poſſibilium, ſed etiam exiſtentium in quacunque differentia temporis, ſi talis exiſtentia conſideretur ſecundùm quidditatem, & non vt exercet actualiter actum exiſtentiæ.

Scientia ſimplicis intelligẽtiæ cognoſcit Deus omnia futura ſecundum quidditatẽ.

Ad ſextum argumentum patebit ex his, quæ in diſp. ſeq. dicenda erunt.

DISPVTATIO XIV.

Vtrùm Deus ante decretum ſuæ voluntatis certò cognoſcat futura contingentia, vt futura ſunt, in ideis eorum.

I. SOTVS in primo, diſt. 19. & omnes eius diſcipuli tenent, per ideas diuinas non poſſe repræſentari, neque cognoſci à Deo futura contingentia, neque ante decretum diuinæ voluntatis, prædeterminantis futura, nec poſt illud. idem docet Durandus in 1. d. 35. quæſt. 2. Aureol. apud Capr. ar. 1. d. 38. ad argumenta contra ſecundam concluſionem. Gabr. & Ocham eadem d. q. 1 art. 2. Cordub. lib. 1. q. 55. dub. 8. & hanc

A ſententiam quidam Theologi attribuunt S. Thom. 1. p q. 14. art. 13. Sed profectò S. Th. tenet contrariam, vt infra patebit. Et quidem quòd ante decretum diuinæ voluntatis ideæ non repræſentent futura, vt futura ſunt, ſed ſolùm poſſibilia, probatur manifeſte, quia quod non eſt, neque in ſe ipſo, neque in ſuis cauſis, repræſentari non poteſt, ſed ante omne decretum diuinæ voluntatis nullum futurum habet eſſe determinatum, neque in ſe ipſo, neque in ſuis cauſis, vt ſupra oſtenſum eſt ergo.

Confirmatur nam alias Deus ante omnem actum ſuæ voluntatis certò cognoſceret, quæ res ſint futuræ, quæ non ſint futuræ. nam cognoſcit omnia, quæ repræſentantur per ideas; repræſentatio enim competit ideis naturaliter: ergo ſi ante decretum B diuinæ voluntatis per diuinas ideas repræſentantur futura, vt futura ſunt, ſequitur, quòd ante idem decretum Deus cognoſcat futura, quod eſt inconueniens: alias enim futura non penderent ex decreto diuinæ voluntatis, contra illud Apoc. 4. *Tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata ſunt.*

II. Quod autem etiam poſt decretum non repreſententur futura, probatur. nam quæ quid repræſentant ideæ diuinæ, repræſentant naturaliter, & neceſſariò, cùm repræſentatio idearum pertineat ad eſſentialem perfectionem intellectus diuini: ergo nihil repræſentant poſt decretum diuinæ voluntatis, quod non repræſentarent ante illud decretum. alias enim repræſentatio idearum eſſet variabilis in Deo, & aliqua perfectio diuina, qualis eſt repræſentatio futurorum contingentium, quæ competit ideis, penderet ex libero decreto diuinæ voluntatis. C

Oppoſitam ſententiam tenet S. Th. 1. p. q. 15 ar. 3. ad 4. & de verit. quæſt. 2 art. 7. ad ſextum, & quæſt. 3. artic. 6. in quibus locis aperte docet, ideas eſſe formas, quibus cognoſcuntur res non ſolùm ſecũdum ſuam quidditatem, ſed etiam ſecundùm omnia ſua accidentia, & diſpoſitionem, quam habent. Eandem ſententiam docet Capr. artic. 2. citat. ad argumenta Scoti contra primam concluſionem, Caietanus, & Magiſter Banes 1. part. q. 14. art 13. & communiter Thomiſtæ pro cuius explicatione ſit

III. Ideæ diuinę ante decretum voluntatis & Deo nõ repreſentant determinare futura contingentia.

PRima Concluſio. Ante decretum diuinæ voluntatis, ideæ diuinæ non repræſentant actu futura, vt futura ſunt, ſed ſolùm vt poſſibilia. Probatur hoc D argumentis factis pro ſententia Scoti, & vltimo argumẽto, quod propoſuimus: ſequeretur enim, Deum cognoſcere futura contingentia ante actum diuinæ ſuæ voluntatis, cuius contrarium dictum eſt ſupra.

Secunda concluſio. Poſt decretum diuinæ voluntatis prædeterminantis futura, ideæ diuinæ actu repræſentant illa, vt futura ſunt: ac per conſequens per huiuſmodi ideas cognoſcuntur à Deo, ſuppoſito prædicto decreto.

Probatur hæc concluſio. Ideæ diuinæ repræſentant creaturas, ſecundùm quòd diuerſimodè imitantur eſſentiam diuinam, ſed creaturæ futuræ diuerſo modo imitantur eſſentiam diuinã, quàm creaturæ poſſibiles: etenim futura imitantur Deum ſecundùm actualem exiſtentiam, quam non participant creaturæ poſſibiles: ergo debent conſtitui E ideæ, quæ repræſentent creaturas, vt futuræ ſunt poſt decretum diuinæ voluntatis.

Probatur ſecundò. Omnia quæ Deus producit, reuerà producit tanquam artifex, vt ex ſe patet: ergo omnium illorum habet ideas. Patet conſequentia: nam omnis artifex præhabet in intellectu ideas rerum, non ſolùm quas poteſt producere, ſed etiam quas producit.

Probatur tertiò: nam aliàs futura contingentia non haberent in Deo cauſam exemplarem, & formalem, quod eſt falſum. probatur ſequela: nam idea

eſt cauſa exemplaris, ad quam reſpiciens artifex operatur: ergo ſi non ſunt ideæ repræſentatiuæ futurorum contingentium in Deo, non erunt in illo cauſæ exemplares futurorum: non enim poteſt eſſe in Deo alia cauſa exemplaris, niſi idea. A

IV. AD argumenta facta pro ſententia Scoti reſpondetur ex doctrina Caietani; quòd repræſentatio rerum, quantùm ad eſſentiam, vel poſſibilitatem eſſendi, pertinet ad naturalem perfectionem intellectus diuini: & hæc repræſentatio competit ideis antecedenter ad decretum diuinæ voluntatis. Repræſentatio autem rerum, quantùm ad futuritionem, vel conditiones accidentales, non competit ideis naturaliter, ſi loquamur de repræſentatione in actu exercito; ſed ſupponit decretum diuinæ voluntatis. cuius ratio eſt, nam ideæ, ſicut eſſentia diuina in ratione ſpeciei intelligibilis neceſſariò repræſentant omnia, quæ habent determinatam veritatem, & entitatem. & quoniam ante actum diuinæ voluntatis res habent determinatam entitatem, quantùm ad quidditatem, & eſſentiam, & quantùm ad poſſibilitatem, non ſupponunt quantùm ad hoc, decretum diuinæ volũtatis; ideo ante talem actum, repræſentantur hæc naturaliter per ideas. Quia verò futura, in quantùm futura, non habẽt ante actum diuinæ voluntatis determinatam entitatem, & veritatem, quam tamen habent, ſuppoſito diuino decreto; ideo futura, vt futura, non repręſentantur per ideas ante actum diuinæ voluntatis, ſed ſolùm poſt talem actum. Neque ex hoc ſequitur, quòd ideæ diuinæ non ſint naturaliter infinitæ in repræſentando: quoniam, vt ſupra diximus, repræſentatio futurorum, vt futura ſunt, ſicut & cognitio, non addit nouam perfectionem ſupra repræſentationem poſſibilium: & præterea, quia non prouenit ex imperfectione idearum, quòd ante decretum diuinæ voluntatis non repræſentent actu futura vt futura ſunt in exercitio, ſed ex imperfectione futurorum contingentium, quæ ante idem decretum repræſentabilia non ſunt. B C

V. Sed contra hanc doctrinam adhuc vrget argumentum pro ſententia Scoti. Idea ſupponit cognitionem creaturarum: ergo non poteſt eſſe principium cognitionis earum, ac per conſequens, neque poterit repræſentare creaturas. repræſentatio enim obiecti præcedit eius cognitionem. Antecedens probatur: nam idea habet rationem obiecti cogniti ex eo enim, quòd Deus cognoſcit ſuam eſſentiam, vt diuerſimodè imitabilem à creaturis, conſurgunt ideæ diuerſæ in mente diuina; ergo idea ſupponit cognitionem creaturarum. D

Reſpondetur, Deum priùs noſtro modo intelligẽdi cognoſcere ſuam diuinam eſſentiam, vt à creaturis imitabilem, ſecundùm diuerſos gradus perfectionis, quàm cognoſcat creaturas, quæ imitantur tales gradus. Ideæ namque diuinæ ſunt quaſi quoddam medium inter primam, & ſecundam cognitionem. vnde quamuis ideæ ſupponant cognitionem diuinæ eſſentiæ diuerſimode imitabilis; non tamen ſupponunt cognitionem creaturarum, diuerſimodè imitantium eſſentiam diuinam; ſed potiùs illam antecedunt in ſigno rationis: & per hæc manet ſolutum ſextum argumentum principale præcedentis diſputationis cum ſua confirmatione. E

Circa futura conditionata ſe offerebat magna difficultas, qualiter cognoſcantur à Deo; ſed de hoc iam egimus ex profeſſo, diſput. 7. vbi explicuimus, quænam conditionata cognoſcantur à Deo, & per quam ſcientiam. & diſp. 13. aliqua diximus de conditionatis diſparatis, quorum conſequens nullam connexionem habet cum antecedente, etiam ſi ponatur in eſſe.

DISPVTATIO XV.

Vtrùm ſit in Deo coniecturalis cognitio, quid in particulari faciet creata voluntas, ſi in talibus circumſtantiis conſtituatur.

PRÆSENS difficultas poteſt procedere tum de futuris quæ reuerà ſunt futura, tum etiam de futuris conditionatis, quæ nunquam erunt: & controuerſia conſiſtit in hoc; Vtrùm Deus, antequam determinet in particulari actum futurum creatæ voluntatis, habeat coniecturalem cognitionem, quòd voluntas poſita, vel ſi poneretur in talibus circumſtantiis, & proponeretur ei tale obiectum, ſit illud volitura. Pars affirmatiua probatur.

Primò, Talis complexio, diſpoſitio, & inclinatio huius voluntatis, & talis propoſitio obiecti conuenientis, & amabilis, eſt magna coniectura, quòd voluntas proſequetur illud; ſed Deus comprehendit omnem complexionem, diſpoſitionem, & inclinationem cuiuſcunque voluntatis creatæ: ergo antequam decernat actum illius futurum, habet coniecturalem cognitionem, quòd ſi proponatur ei in talibus circumſtantiis tale obiectum ſibi conueniens, proſequetur illud.

Secundò. Ex his, quæ regulariter contingunt, deſumitur optima coniectura, quid in caſibus conſimilibus accidet; ſed regulariter loquendo, homines iracundi cùm prouocantur iniuriis, prorumpunt in appetitum vindictæ: ergo Deus ante omne decretum ſuæ voluntatis habet coniecturalem cognitionem, quòd talis homo iracundus appetet vindictam, ſi ab alio iniuriis afficiatur.

Tertiò, vt docet S. Th. 1. p. q. 14. artic. 13. in corp. quicunque cognoſcit effectum contingentem in ſua cauſa, habet de eo coniecturalem cognitionem; ſed Deus cognoſcit omnia futura contingentia in ſuis cauſis, vt in eodem articulo docet S. Thom. & conſtat ex dictis in præcedentibus diſputationibus: ergo habet de illis coniecturalem cognitionem.

Confirmatur nam vt 1 p. q. 57. ar. 3. in corp. docet S. Thomas, Angeli habent coniecturalem cognitionem futurorum contingentium, quæ ex ſuis cauſis proueniunt, vt in pluribus; quia rerum cauſas vniuerſaliùs, & perfectiùs cognoſcunt: ſicut medici, qui acutiùs vident cauſas, meliùs de futuro ſtatu ægritudinis prognoſticantur. Cum ergo Deus perfectiſſimè cognoſcat omnium cauſarum contingentium naturam, propenſionem, ſeu inclinationem; ſequitur, ipſum habere coniecturalem cognitionem futurorum contingentium, antequam de illis aliquid determinet

In contrarium eſt: nam coniecturalis cognitio, ſicut & opinatiua, intrinſecè includit imperfectionem; Dei autem cognitio imperfecta eſſe non poteſt. ergo in illo non reperitur coniecturalis cognitio alicuius futuri.

PRO reſolutione huius difficultatis notandum eſt, quòd dupliciter poteſt cognitio alicuius eſſe coniecturalis. Primo modo, ex parte ipſius cognitionis, & in ordine ad cognoſcentem, qui coniecturis ducitur ad proferendum iudicium de aliqua re, ſicut medicus ex aliquibus ſignis iudicat coniecturaliter de infirmitate futura: & iſto modo non poteſt in Deo reperiri coniecturalis cognitio alicuius futuri contingentis, tum propter rationem factam, tum etiam: nam qui per coniecturas iudicat de aliquo futuro contingenti, non eſt omnino certus de illo. vnde & cognitioni coniecturali poteſt ſubeſſe falſum. Cùm ergo Dei cognitio incerta eſſe

non

nō poſſit, nec illi ſubeſſe falſum relinquitur, nullam in eo eſſe cognitionem coniecturalem ex parte cognoſcentis id, quod præſertim verum habet antecedēter ad decretum ſuæ voluntatis, eò quòd Deus certò ſcit, nihil eſſe futurum in rerum natura, niſi priùs ipſe decernat, vt ſit futurum, ipſo faciente, vel permittente, vt fiat. qui autem habet coniecturalem cognitionem alicuius, non eſt certus, illud non eſſe futurum. nam vbi eſt omnimoda certitudo, quod aliquid non ſit futurum, omnes coniecturæ euaneſcunt, quibus inclinatur intellectus ad iudicandum coniecturaliter, id eſſe futurum.

Secundo modo poteſt cognitio eſſe coniecturalis ex parte obiecti cogniti ſecundum ſe, quod contingit, quando aliquis cognoſcit habitudinem, quam habent cauſæ ad effectus, qui ex eiſdem cauſis regulariter proueniunt; & ſimul ſcit, quòd intellectus humanus, qui coniecturis inclinatur ad iudicandum de aliquo euentu futuro, ex eiſdem cauſis deſumit ſufficientes coniecturas ad ferendum iudicium de aliquo futuro; quamuis aliunde ille, qui habet coniecturalem cognitionem ſolùm ex parte obiecti, certò ſciat illud non eſſe futurum; & iſto modo poteſt Deo attribui coniecturalis cognitio futurorum contingentium, & ſaltem aliquorum. Cuius ratio eſt; nam huiuſmodi cognitio, non eſt ſimpliciter, & intrinſece coniecturalis, ſed ſolùm extrinſece ex parte obiecti cogniti, ſicut ſcientia, quam Deus habet contingentium, non eſt ſcientia contingens, niſi extrinſece; quia videlicet obiectum ſecundariò cognitum eſt ſecundùm ſe contingens, quod ſubinde poteſt impediri per concurſum alterius cauſæ. Ergo ſicut Deo tribuitur cognitio omnium futurorum contingentium, abſque eo quòd ſcientia Dei ſit in ſeipſa contingens, ita erit illi attribuenda certa cognitio omnium coniecturarum alicuius futuri contingentis, abſque eo quòd ipſa Dei cognitio ſit in ſe coniecturalis.

Vnde ſimpliciter, & abſolutè non eſt Deo attribuenda coniecturalis cognitio alicuius obiecti: nam hæc propoſitio ſignificat cognitionem eſſe coniecturalem ex parte cognoſcentis. Si autem cum addito dicamus, cognitionem Dei eſſe coniecturalem, ex parte videlicet obiecti ſecundariò cogniti; ſolum ſignificatur in ipſo obiecto cognito eſſe cōiecturam euentus futuri in ordine ad intellectum, qui coniecturis mouetur ad iudicandū de aliqua re. Et per hęc patet ad omnia argumēta ſuperiùs facta.

DISPVTATIO XVI.

Vtrùm hæc cauſalis ſit vera: Quia hoc futurum eſt, ideo præſcitur à Deo, an verò è conuerſo: Quia Deus præſcit aliquid futurum eſſe, ideo ſit futurum.

1. QVÆSTIO iſta maximè conducit ad efficaciam diuinæ gratiæ, & concordiam illius cum libero arbitrio explicandam: Auctores enim, qui aſſerunt eiuſmodi efficaciam pendere ex libera cooperatione noſtri arbitrij futura, pro innata ipſius libertate; & ad hoc explicandum vruntur ſcientia mea, propoſita, & impugnata, diſp. 7. fatentur conſequenter, iſtam cauſalem eſſe veram: Quia hoc futurum erat pro innata arbitrij libertate, idcirco præſcitur a Deo; hanc autem eſſe falſam quia Deus præſciuit hoc futurum eſſe, ideo futurum eſt. Ad cuius explicationem aduertunt, quòd ſcientia diuina reſpectu creaturarum duobus modis conſiderari poteſt. Primò, quatenus cognoſcit ſe poſſe creaturas producere, atque hoc, vel illo modo eſſe producēdas, vt ſint, & accommodatæ ſint ad talem, vel talem finem. & hæc ſcientia eſt naturalis in Deo, & non libera, quoniam omnem actum diuinæ voluntatis antecedit. Secundo modo, quatenus Deus per eam ſcientiam cognoſcit creaturas eſſe futuras tali, vel tali tempore, & ſub hac ratione inquiunt, ſcientiam creaturarum, quam Deus habet, non eſſe naturalem, ſed liberam; quia ſupponit liberam determinationem voluntatis eius, qua ſtatuit, vt creaturæ ſint tali, vel tali tempore. Dicunt ergo, quòd ſcientia Dei primo modo ſumpta, id eſt, ſcientia naturalis, eſt cauſa rerum, non autem ſcientia Dei libera. Ex quo inferunt, quòd non propterea aliquid erit, quia id ſcientia libera ſcit Deus futurū, ſed quia futurū eſt, ideo ſcitur à Deo. Probatur hæc ſentētia.

Primò auctoritate S. Hier. ſuper c. 26. Hier. in illa verba: *Noli ſubtrahere verbum Dei, ſi forte audiant.* Vbi ait: *Verbum ambiguum, forſitan, maieſtati Dei non poteſt conuenire, ſed noſtro loquitur affectu, vt liberum hominis ſeruet arbitrium, ne ex præſcientia eius, quaſi neceſſitate vel facere quid, vel non facere cogatur; non enim ex eo quia Deus ſciuit futurum aliquid, ideo futurum eſt, ſed quia futurum eſt ideo ſciuit.* Et Orig. ſuper epiſt. ad Rom. lib. 7. explicans illud: *Quos vocauit, hos & iuſtificauit*, inquit: *Non propterea aliquid erit, quia id ſcit Deus futurum: ſed quia futurum eſt ideo ſcitur à Deo, antequam fiat.* Idem docet Iuſtin. mart. q. 58. ad Gent. Aug. lib. 3. de lib. arb. c. 4. libr. de præd. & grat. c. 5. & lib. 5 de Ciuit. c. 10. Cyrill. libr. 9. in Ioan. c. 10. Chryſoſt. hom. 7 ſuper Mat. Leo PP. ſerm. 16. de paſſ. Domini, Damaſc. in dialog. cont. Manich. & Ruper. ſuper c. 2. Iſaiæ. Rom. 8.

Secundò, Scientia Dei libera, quatenus per eam cognoſcit, creaturas futuras eſſe tali, vel tali tempore, remanet intra limites meræ contemplationis diuinæ, neque dirigit voluntatem ad opus, neque modum operandi dehnit: ergo non eſt cauſa rerum: ergo hæc cauſalis eſt falſa: Quia Deus ſciuit ſcientia libera aliquid futurum eſſe, ideo futurum eſt.

Tertiò, Si per impoſſibile non eſſet ſcientia libera in Deo, adhuc ſcientia naturalis, qua Deus cognoſcit, ſe poſſe creaturas producere, & hoc, vel illo modo eſſe producendas, vt proportionem habeant cum hoc, ad quem ordinantur, adiuncta libera determinatione voluntatis diuinæ, ſatis eſſet, vt creaturæ producerentur à Deo: ergo ſcientia Dei libera non eſt cauſa rerum, & conſequenter illa cauſalis eſt falſa Quia Deus ſciuit ſcientia libera, hoc futurum eſſe, ideo futurum eſt.

Quartò, Si prædicta cauſalis eſt vera, ſequitur, quòd ſcientia Dei prædeterminet cauſas contingentes, & liberas ad alteram partem contradictionis, antequam intelligatur, cauſam liberam, & contingentem ſeipſam determinare. hoc autem repugnat eius contingentiæ & libertati: ergo. Probatur ſequela nam ſi prima radix, & cauſa, quare voluntas Petri, verbi gratia determinabit ſe tali tempore ad actum ieiunij in particulari, eſt ſcientia libera, qua Deus cognouit, Petrum eſſe ieiunaturum: ergo ante omnem actum voluntatis Petri, intelligitur prædefinita, & prædeterminata eius volūtas à Deo ad actū ieiunij. Minor autem probatur: nam cauſa, quæ iam eſt prædeterminata ab alia cauſa extrinſeca, non determinat ſeipſam: implicat enim, id, quod eſt iam determinatum ab alio, determinare ſe: quia omnis determinatio ſupponit indeterminationem: ergo ſi voluntas Petri eſt iam determinata ab alia cauſa extrinſeca, videlicet à præſcientia diuina ad ieiunium, non determinat ſeipſam, ac per conſequens non erit cauſa libera ieiunij; nam de ratione

cauſæ libetæ eſt, quòd ſeipſam determinet ad alteram partem.

Quintò, Scientia Dei libera eſt intuitiua rerum: ergo ſupponit res exiſtentes, & creatas: ergo non eſt cauſa illarum, ac per conſequens illa cauſalis erit falſa: Quia Deus ſciuit aliquid eſſe futurum, ideo futurum eſt.

Sextò, Priuationes, & mala, ſeu peccata, non ideo futura ſunt in rebus, quia Deus ſciuit eſſe futura: alias Deus eſſet cauſa malorum, & priuationum, quod eſt falſum; nam priuationes, & peccata in cauſas deficientes reducuntur, & non in Deum, qui eſt cauſa efficiens, & non deficiens: ergo ſimiliter res poſitiuæ non ideo futuræ ſunt, quia præſciuntur à Deo.

In contrarium tamen eſt D. Th. 1. p. q. 14. art. 8.

II. Sciẽtia Dei qualiter ſit cauſa rerũ.

Pro explicatione huius difficultatis ſupponendum eſt, quòd ſcientia ſecundùm rationem formalem ſcientiæ præcisè non importat aliquam cauſalitatem; ſed inquantùm eſt ſcientia artificis. Hoc fundamentum eſt expreſſum S. Thom. in 1. diſt. 38. q. 1. art. 1. in corp. & q. 2. de ver. art. 14. in corp. quod probat duplici ratione. Primò, quia ſi ſcientia, vt ſic, eſſet cauſa rerum, omnis ſcientia eſſet cauſa rerum, quod eſt falſum. Secundò, nam ſcientia, vt ſcientia eſt forma ſcientis; forma autem, vt forma ſcientis, non dicit cauſam actiuam, eò quòd forma, inquantùm huiuſmodi, ſolum habet perficere ſubiectum, in quo eſt, & quieſcere in illo; actio autem importat aliquid vt egrediens ab agẽte. ergo ſcientia, vt ſic, non importat principium actiuum, ſed ſcientia artificis. Vnde ex analogia ad ea, quæ contingunt in ſcientia artificis creati in ordine ad artificiata, inueſtigandum eſt, qualiter ſcientia ſupremi artificis, qui eſt Deus, ſit cauſa rerum.

Secundò, ſupponendum eſt cum eodem S. Th. in 1. ſent. in art. 1. cit. quòd in productione rei artificiatæ huiuſmodi proceſſus ſeruatur: *Primò, ſcientia artificis oſtendit finem, ſecundò, voluntas intendit illum, tertiò, imperat actum, per quem educatur opus, & tandem circa tale opus ſcientia artificis ponit formam conceptam.* Ex quo infert S. Thomas, quòd principalis cauſalitas *reſidet penes voluntatem quæ imperat actum.* Vnde, vt ſcientia artificis ſit cauſa rei artificiatæ, & habeat rationem principij effectiui in actu ſecundo; requiritur neceſſariò actus voluntatis determinantis ſcientiam ad opus. Ideo S. Thom. quæſt. 2. de verit. artic. 14. in corp. & ad ſecundum, inquit: *Mediante diuina voluntate proueniunt res à ſcientia Dei*: & idem docet 1. p. quæſtio. 19. articul. 4. maximè ad quartum.

III. Tertiò, Supponenda eſt illa diſtinctio, qua ſcientia Dei ſufficienti diuiſione in naturalem, & liberam, diuiditur à S. Th. locis adductis, diſp. 7. quam omnes Theologi admittunt præter aſſertores ſcientiæ mediæ.

PRima concluſio. Scientia Dei eſt cauſa rerum. Hæc concluſio, vt iacet, eſt S. Tho. 1. p. quæſt. 14. artic. 8. & 2. contra Gentes, c. 23. & 24. & Ferrar. ibidem, idem docet quæſt. 3. de potentia artic. 15. & habetur ex locis Scripturæ. Dicitur enim de Deo Prou. 3. *Dominus ſapientia fundauit terram.* Et Pſal. 103. *Omnia in ſapientia feciſti.* Pſal. 135. *Qui fecit cœlum in intellectu*: id eſt, per ſapientiam, vt explicat Gloſ. aduertens, de cæteris creaturis idem eſſe ſentiendum, quod de cœlis dicitur. Item etiam Sap. 8. dicitur de diuina ſapientia, per quam cœli & terra conditi ſunt: *Quis horum, quæ ſunt, magis, quàm illa, eſt artifex?* & Ioannes Apoſtolus de Verbo diuino, quod eſt ſapientia Patris, inquit: *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.*

Sap. 8.

Ioan. 1.

Præterea probatur ratione. Perfectiſſimæ cauſæ A debet conuenire modus perfectiſſimus cauſandi; ſed cauſare res per ſcientiam, & artem eſt nobiliſſimus modus cauſandi. nam agens per intellectum, & artem, dirigit actionem, quæ eſt per modum naturæ, & vtitur agente per naturam, tanquam inſtrumento: ergo, cum Deus ſit cauſa prima, & præſtantiſſima, debet illi competere modus cauſandi per intellectum, & artem. Hanc rationem tangit S. Th. 2. cont. Gent. c. 23. & q. 3. de potentia ſuperiùs adducta.

Et ſi quis obiiciat contra illam: Productio diuinarum perſonarum eſt nobilior productione creaturarum, & tamen productio perſonarum eſt per modum naturæ, non per intellectum & artem; productio autem creaturarum eſt per intellectum, & artem: ergo modus producendi per modum naturæ B eſt ſimpliciter perfectior, quam modus producendi per artem.

Reſpondetur, modum producendi per naturam eſſe quidem perfectiorem modo producendi per artem; modus tamen cauſandi per naturam non eſt perfectior modo cauſandi per artem; quod ex eo patet: nam perfectiſſimus modus cauſandi per artem eſt nobilior perfectiſſimo modo cauſandi per naturam. Inſtantia autem adducta de productione Perſonarum diuinarum, non eſt ad propoſitum; quoniam productio illa non eſt per cauſalitatem, ſed per emanationem vnius perſonæ ab alia etenim in diuinis nulla eſt ad initia cauſalitas propriè, cùm nihil ibi ſit prius, & poſterius: cauſa autem prior eſt, quàm effectus: videantur aliæ rationes apud S. C Thom. locis ſuperiùs allegatis.

Modus producẽdi per naturã perfectior à modo producẽdi per artem, non autem modus cauſandi.

IV. Secunda concluſio. Scientia Dei eſt cauſa efficiens rerum. Hæc concluſio eſt expreſſa S. Th 1. par. quæſt. 14. art. 8. in corp. vbi ait: *Scientia Dei ſe habet ad omnes res creatas, ſicut ſcientia artificis ſe habet ad artificiata.* Et ſtatim ſubdit: *Scientia artificis eſt cauſa artificiatorum, ſicut calor eſt principium calefactionis*: ſed calor eſt principium efficiens, quo, calefactionis, vt de ſe patet, & ars eſt principium, quo, artificialium, vt expreſsè docet Ariſt. 6. Ethic. cap. 3. 4. & S. Thom. part. 2. quæſt 57. artic. 3 vbi ait: *Ars, propriè loquendo, habitus operatiuus eſt.* Et idẽ docet Durand. in 1. diſt. 38. quæſt. 1. Ægidius eadem diſt. artic. 1. q. 1. & Sylueſt in conflato. quæſt. 14. art. 2. ergo.

Probatur hæc concluſio ratione facta pro præD cedenti concluſione, quæ etiam iſtam probat: nam modus cauſandi efficienter per intellectum, & artem, eſt præſtantiſſimus, ac per conſequens debet competere primæ, & vniuerſaliſſimæ cauſæ.

Præterea probatur. Vt in ſequenti diſputatione patebit, in Deo non reperitur alia potentia exequtiua præter intellectum, & voluntatem ergo per intellectum, & voluntatem efficienter produxit res creatas; non enim poteſt dici, quòd per ſolam voluntatem abſque aliqua ratione eas produxerit, vt quidam dixerunt, quorum errorem impugnat ſanctus Thomas 2. contra Gentes, cap. 24. citat.

Probatur tertiò ratione ſancti Thomæ in eodem capite. Secundùm Philoſophum primo Metaph. cap. ſecundo, ſapientis eſt ordinare; vnde omnes res E creatæ ſunt ordinatæ inter ſe ſecundùm illud Apoſtoli: *Quæcunque ſunt, à Deo ordinata ſunt.* Ergo Deus omnes creaturas per ordinem ſui intellectus produxit. Videatur S. Thom. 1. part. quæſt. 19. art. 4. ad 4. & in 1. diſtinct. 38. quæſt. 1. artic. 1. vbi docet, ſcientiam Dei eſſe cauſam rerum per modum dirigentis.

Rom. 13.

V. Tertia concluſio. Scientia Dei libera eſt cauſa rerum. Hæc concluſio eſt contra auctores primæ ſententiæ, aſſeritur tamen à ſancto Thoma prima parte, quæſt. 14. art. 8. & eam communiter docent Thomiſtæ.

Probatur

Probatur primò: Scientia Dei, quatenus præſupponit liberam determinationem ſuæ voluntatis ad alteram partem contradictionis, eſt ſcientia libera, vt fatentur auctores oppoſitæ ſententiæ: ſed hæc ſcientia eſt cauſa rerum, vt docet ſanctus Thomas, articulo octauo, citat. in corp. & conſtat ex eius ratione: nam, vt diximus in ſecundo fundamento, ſcientia ſecundùm ſe, quatenus præcisè eſt forma intelligibilis, non habet inclinationem ad effectum determinatum, niſi per actum voluntatis determinetur ad illum: ergo ſcientia, quæ eſt cauſa rerum, ſupponit actum diuinæ voluntatis: ergo ſcientia Dei libera eſt cauſa rerum.

Probatur ſecundò: Si ſcientia Dei naturalis eſt cauſa rerum, ergo hæc cauſalis eſt vera: Quia Deus cognoſcit ſcientia naturali res futuras, ideo erunt: & per conſequens ante omne decretum diuinæ voluntatis intelliguntur res, vt futuræ, quod eſt contra illud ad Epheſ. 1. *Qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ.* Et Apocal. 4. *Tu creaſti omnia & propter voluntatem tuam erant, & creata ſunt.*

Confirmatur. Scientia Dei naturalis æqualiter, & indifferenter ſe habet ad omnia poſſibilia: ergo ſi illa eſt cauſa rerum, non magis produxiſſet iſtum quam alium mundum.

Tertiò probatur. Scientia Dei naturalis eſt in ipſo naturaliter, ita vt non poſſit illi non conuenire etiam de potentia abſoluta: ergo ſi per illam Deus eſt cauſa rerum, ſequitur, quod creaturæ naturaliter proceſſerint a Deo, & conſequenter ab æterno, quod eſt erroneum, vt oſtendit ſanctus Thomas prima parte, q. 46. per totam.

Reſpondent non ſolum ſcientiam Dei naturalem eſſe cauſam rerum, ſed requiri etiam, vt adiungatur illi actus diuinæ voluntatis, ac per conſequens non ſequi aliquod inconueniens ex ſupradictis. Hæc tamen ſolutio non euacuat vim argumenti: nam, vt conſtat ex dictis, propterea eſt neceſſarius actus voluntatis diuinæ, vt noſtro modo intelligendi determinet ſcientiam ad alteram partem: ergo talis actus voluntatis antecedit in ſigno rationis ſcientiam Dei, quatenus cauſat res; ac per conſequens ſcientia Dei, vt cauſat res ad extra, eſt ſcientia libera, etenim illa ſcientia in Deo eſt libera, quæ præſupponit actum diuinæ voluntatis.

VI. Cauſalis iſta: quia res futuræ ſunt, ideo cognoſcuntur à Deo, eſt falſa.

Quarta concluſio reſponſiua ad quæſtionem. Cauſalis iſta: Quia res futuræ ſunt, ideo cognoſcuntur a Deo, eſt falſa, hæc autem eſt vera: Quia Deus ſcientia libera ſcinit aliquid eſſe futurum, ideo futurum eſt. Concluſio iſta eſt communiter recepta inter Thomiſtas, eſt etiam expreſſa S. Thom. 1. par. quæſt. 14. art. 8. in ſolut. ad primum, quam etiam docet S. Aug. tom. 3. lib. 15. de Trin. c. 13. vbi ait. *Vniuerſas autem creaturas, ſiue ſpirituales, ſiue corporales, non quia ſunt, ideo nouit, ſed quia nouit, ideo ſunt: nec enim neſcirit, quæ fecit creaturas. Quia ergo ſciuit, creauit, non quia creauit, ſciuit:* & lib. 6. cap. 10. idipſum repetit. Item S. Gregor. 20. Mor. cap. 24. idem tenet expreſſe Magiſter ſentent. in 1. diſt. 38. vbi ait: *Neque enim res futuræ cauſa ſunt Dei præſcientiæ: licèt enim non eſſent futura, niſi præſciantur à Deo, non tamen ideo præſciuntur à Deo, quia futura ſunt: ſi enim hoc eſſet, tunc eius, quod æternum eſt, aliquid exiſteret cauſa, ab eo alienum, ab eo diuerſum, & ex creaturis penderet ſcientia creatoris, & creatum eſſet increati cauſa.*

Scientiam Dei non accipit a rebus.

Probatur hæc concluſio ratione ſancti Auguſtini, & Magiſtri ſententiarum. Nam alias ſequeretur, quòd Deus acciperet ſcientiam à rebus, & diuinæ ſapientiæ aliquid accreſceret ex eis, conſequens eſt abſurdum, & contra Diuum Thomam, articulo octauo cit. & aliis in locis inductis, ergo Sequela probatur manifeſtè, vt ait ſententia, quam impugnamus, quia Dinus Paulus conſentiens erat Deo vocanti, ideo Deus præſciebat illum eſſe conſenſurum, ergo cauſa, propter quam id præſcinit, eſt, quia futurum erat: ergo a rebus futuris ſuam ſcientiam Deus accipit.

Si dicatur, quòd a rebus futuris Deus accipit ſuam ſcientiam, tanquam ab obiecto, non autem tanquam a cauſa efficiente, contra. Sequitur, quòd in genere cauſæ efficientis ita cauſalis ſit vera: Quia Deus ſciuit, hoc eſſe futurum, ideo futurum eſt, quod tamen pugnat cum ſententia, quam impugnamus.

Confirmatur: nam obiectum proximum diuinæ cognitionis non eſt aliquid extra Deum, ſed ipſa eſſentia diuina eſt obiectum mediatum illius, vt ſæpe docet S. Thomas, ergo Deus non accipit ſcientiam a rebus creatis, etiam tanquam ab obiectis. S. Tho. 1. p. q. 14.

Confirmatur ſecundò. Angeli non accipiunt ſcientiam à rebus creatis, etiam tanquam ab obiectos quia non accipiunt ab illis ſpecies intelligibiles, quibus eaſdem res cognoſcunt. Vnde S. Thom. qu. 2. de verit. art. 14. in corp. art: *Scientia noſtra cauſata eſt a rebus, in quantum ſcilicet eam a rebus accipimus: ſed ſcientia Angelorum non eſt cauſata a rebus, nec eſt cauſa rerum.* Cùm ergo in eodem articulo expreſsè doceat ſanctus Doctor, ſcientiam Dei eſſe cauſam rerum, & non è contrà, intelligit, ſcientiam Dei non cauſari a rebus, etiam vt ab obiecto, ſed ipſas res efficienter procedere a Diuina ſcientia practica.

Secundo probatur. Scientia Dei libera eſt cauſa rerum: ergo iſta cauſalis eſt vera: Quia Deus ſciuit hoc eſſe futurum, ideo futurum eſt. Antecedens patet ex dictis in præcedenti concluſione, & conſequentia probatur a ſimilitudine ex eo quòd rationalitas in homine eſt cauſa riſibilitatis, hæc cauſalis eſt vera: Quia homo eſt rationalis, eſt riſibilis: ergo ſi ſcientia Dei libera eſt cauſa rerum, ita cauſalis erit vera: Quia Deus ſciuit aliquid futurum eſſe, ideo futurum eſt.

Tertiò probatur. Sequeretur ex oppoſita ſententia, quòd ſcientia Dei non eſſet infallibilis: nam quòd Antichriſtus naſcetur, non eſt ſecundùm ſe aliquid infallibile, cum ſit futurum contingens, & conſequenter ſecundum ſe poſſit eſſe, & poſſit non eſſe: ergo ſi ſcientia Dei, qua cognoſcit Antichriſtum naſciturum, deſumitur ex hoc obiecto, erit fallibilis, ſicut & ipſum obiectum fallibile eſt. Præcendum ergo eſt: quòd prima ratio, & cauſa, quare Deus certò nouit Antichriſtum naſciturum, non eſt, quia naſciturus eſt: ſed potiùs è conuerſo, ideo eſt naſciturus, quia Deus nouit ſcientia libera, illum eſſe naſciturum. VII.

Quartò probatur. Sequeretur item ex oppoſita ſententia, priorem eſſe voluntatem hominis, voluntate Dei, & conſequenter derogaretur cauſalitati diuinæ, à qua omnia quocunque modo futura intrinſecè dependent: nam, iuxta illā, priùs fuit, quod Paulus Apoſtolus poſitus in talibus circunſtantiis eſſet conſenſurus, quàm quòd Deus ſciuerit conſenſum illius futurum. Hac enim ratione dicunt, quòd ſcientia Dei non eſt omnino antecedens liberum vſum arbitrij creati, ne tollatur eius libertas: ergo prius intelligitur conſenſus S. Pauli futurus ex innata libertate, quàm Deum ſcire, illū eſſe futurum, & conſequenter, quàm velle efficaci voluntate, illum eſſe futurum. & ita prior eſſet voluntas hominis, & poſterior voluntas Dei: ac per conſequens aliquid eſſet ab homine, quod non eſſet ex Deo; quod tamen derogaret cauſalitati diuinæ, vt oſten-

sum est suprà,& patebit ampliùs disput.96.& 97.

VIII. AD primum argumentum ex auctoritate sancti Hieronymi,Origenis, & aliorum Patrum respondet S.Thom.1.p.q.14.ar.8. ad 1. quòd *Origenes loquitur, ostendens rationem scientiæ,cui non competit ratio causalitatis,nisi adiuncta voluntate : sed quod dicit: Præscire Deum aliqua,quia sunt futura,intelligendum est secundùm causam consequentiæ, non secundùm causam essendi,sequitur enim, si aliqua sunt futura, quòd Deus ea præscierit,non tamen res futuræ sunt causa,quòd Deus sciat.* Eandem solutionem assignat q. 2.de ver.ar.14.ad primum,quam etiam adhibet Magister sentent.in primo,distinct.38. Secundò respondetur cum S.Thoma quæst.2.de ver.art. 14. ad primum : *Quòd intentio Orig.& aliorum Doct. est dicere, quòd scientia Dei non est causa, quæ inducat necessitatem in scito, vt ex hoc cogatur aliquid euenire, quia Deus illud scinit.*

Ad secundum respondetur, quòd scientia Dei libera,quatenus nostro modo intelligendi per actũ diuinæ voluntatis determinatur ad inducendum formam conceptam,non remanet intra limites meræ speculationis, sed est cognitio quædam artificis practica,per quam producitur opus, & per eandem scientiam intuetur illud.

Ex impossibili sequitur aliud impossibile.

Ad tertium argumentum respondetur primò. Admisso vno impossibili sequitur aliud, vnde si in Deo non ponatur scientia libera causa rerum existentium in aliqua differentia temporis, sequetur hoc impossibile, quòd scilicet mundus iste esset productus à Deo,& non esset productus à Deo. Affirmatiua enim patet ex hypothesi ; negatiua verò probatur,nam scientia Dei,vt ostensum est,nõ producit res ad extra, nisi quatenus nostro modo intelligendi determinatur per actum diuinæ voluntatis,ad producendum talem, vel talem rem, sed scientia Dei determinata per actum diuinæ voluntatis,ad producendum res ad extra,est scientia libera,vt fatentur auctores oppositæ sententiæ : ergo si non esset talis scientia in Deo, non produxisset mundum.

Secundò respondetur : Per scientiam naturalem cognoscit Deus res,modo quodam speculatiuo, vt constat ex S.Thom.1.p.q. 14. art.16. Vnde, vt per scientiam suam Deus sit causa rerum,oportet,quod per actum voluntatis determinetur ad opus.Scientia autem, quæ præsupponit in Deo actum voluntatis, est libera, vnde per scientiam liberam Deus est causa rerum.Fateor tamen,quòd scientia Dei,vt antecedit actum voluntatis diuinæ, est causatiua rerum, & in actu primo habet virtutem ad illas producendas, sicut ars ex natura sua ante omnem actum voluntatis artificis, est habitus practicus in actu primo,siue operatiuus. Ita docet Caiet. vbi suprà,& ratio illius est,nam scientia Dei habet rationem causæ efficientis, quasi in actu primo,inquantum est actus infinitus præhabens in se rerum omnium perfectiones:hoc autem habet ante determinationem diuinæ voluntatis : nam scientia Dei est formaliter ipsum esse diuinum, quod quidem non præhabet in se perfectiones creaturarum dependenter a voluntate,sed necessariò,& naturaliter eas continet, sicut ars considerata in actu primo, necessariò continet in virtute perfectionem rei artificiatæ:ergo. Verum est, quòd in actu secundo, siue quantùm ad exercitium causalitatis, prærequirit actum diuinæ voluntatis, vt ex locis Scripturæ suprà inductis est perspicuum.

IX. Scientia Dei libera prædeterminat causas secundas ad operandum.

Ad quartum argumentum, fatemur scientiam Dei,quatenus habet adiunctam voluntatem, prædeterminare causas contingentes,& liberas ad suas operationes prius ratione, quàm se determinent; negamus tamen inde subsequi detrimentum aliquod libertatis aut contingentiæ rerum, vt patebit disp. 18. & 22. Et ad impugnationem respondetur, quòd causa, quæ iam intelligitur prædeterminata ab alia causa extrinseca, scilicet à Deo, tanquam à causa prima,determinat se,vt causa secunda,& proxima : & hoc sufficit ad rationem libertatis creatæ, quæ non est simpliciter prima causa suę determinationis,sed proxima,& secunda ; de quo tamen inferiùs locis citatis erit ex professo disputandum.

Scientia Dei libera qualiter sit intuitiua.

Ad quintum argumentum respondetur scientiam Dei intuitiuam terminari quidem ad res existentes quas ipsa producit, vnde scientia Dei, inquantùm est practica in actu secundo, producit effectiuè rerum existentias, sed inquantum intuitiua, illas supponit,tanquam obiectum secundarium.

Ad sextum argumentum negatur consequentia: nam, vt disp.24. patebit, defectus, & priuationes non possunt in Deum reduci,sicut reducuntur omnes perfectiones, & entitates positiuæ, vnde non est simile.Secundò,respondetur, scientiam Dei esse causam earum rerum,quas cognoscit per propriam similitudinem, mala autem,& similiter priuationes non cognoscit Deus per propriam similitudinem sed per similitudinem bonorum, vt docet S.Thom. 1.p.q.14.ar.10.& q.15.art.3 ad 1. vnde scientia Dei non est causa malorum. Solutio est S. Thomæ in 1. d.38.q.1.art 1.ad 2.

Mala & priuationes nõ cognoscit Deus per propriã similitudinem.

DISPVTATIO XVII.

Vtrùm Deus immediatè per suam scientiam, siue per suum intellectum, producat res ad extra, an verò præter intellectum, & voluntatem, sit in illo constituenda tertia potentia exequutiua, per quam res immediatè producantur.

I. EST prima sententia asserentium, esse constituendam in Deo potentiam immediatè exequutiuam,seu productiuam creaturarum fundamentaliter distinctam, siue eminenter formaliter ab eius intellectu,& voluntate-Ita docet Durand.in 1.d.38.& Magister Zumel 1.p.q.25.ar.1.conc 1.& pro hac sententia arguitur.

Primò,auctoritate S.Thom.1.p.q. 19. art.4 ad 4. vbi ait : *Eiusdem effectus scientia est causa, vt dirigens, & voluntas, vt imperans,sed potentia est causa exequens, quia nominat immediatum principium operationis.* Et expressius id docet q.25.art.1.ad 4. in 10lut vbi ait: *Potentia non ponitur in Deo, vt aliquid additum à scientia & voluntate secundum rem, sed solum secundum rationem, inquantum scilicet potentia importat rationem principij exequendi id quod voluntas imperat, & ad quod scientia dirigit, quæ tria Deo secundum idem conueniunt.* Vbi clarè docet potentiam exequutiuam Dei ratione distingui ab intellectu, & voluntate : ergo loquitur de distinctione rationis ratiocinatæ, non autem ratiocinantis solum, alias nullam constituisset maiorem differentiam inter potentiam exequutiuam, & intellectum, quam esset inter intellectum, & ipsum intellectum non etiam intellectus potest distingui à seipso ratione ratiocinante.

Arguitur secundò. Potentia exequutiua in nobis realiter distinguitur ab intellecta, & volutate:ergo in Deo

in Deo distinguitur fundamentaliter, siue ratione ratiocinata. Patet consequentia : nam propterea attribuimus Deo intellectum, & voluntatem diuersis conceptibus, quia in nobis realiter distinguuntur, & ita in Deo distinguuntur ratione ratiocinata.

Arguitur tertiò. Potentia exequutiua in Deo habet distinctum obiectum immediatum ab eius intellectu, & voluntate : etenim immediatum obiectum intellectus, & voluntatis diuinæ est ipsa essentia diuina immediatum autem obiectum potentiæ exequutiuæ sunt creaturæ factibiles: ergo. Patet consequentia: nam potentiæ, sicut & habitus, distinguuntur per actus, & actus per obiectum immediatum.

II. Secunda sententia est aliorum, asserentium, neque intellectum, neque scientiam Dei esse potentiam exequatiuam producentem immediate creaturas, sed solum actum diuinæ voluntatis immediatè eas producere, pro qua sententia militat sequens argumentum.

Arguitur quartò. Productio, & creatio rerum tribuitur in Scriptura Dei voluntati, vt patet in Psal. 134. *Omnia, quæcunque voluit Dominus, fecit in cælo, & in terra*, & Apocalyp 4. *Tu fecisti omnia, & propter voluntatem tuam ea creata sunt.* Vnde Aug. lib. de Speculo, inquit : *Deus sola voluntate omnia creauit*: ergo.

Confirmatur. Seclusis quocunque alio principio actiuo, & posito in Deo, solo actu efficacis voluntatis, quo vult, vt res tali, vel tali tempore sint; eo ipso res producuntur, cùm voluntas Dei sit efficacissima: ergo per solum actum voluntatis exequitur Deus immediatè id, quod scientia sua cognouit esse futurum.

III. Tertia sententia magis communis inter Thomistas, & probabilior, ac subinde à nobis defendenda, consistit in sequentibus conclusionibus.

Potentia exequutiua in Deo non distinguitur ab eius intellectu, & voluntate.

PRima Conclusio. Præter intellectum, & voluntatem, non est constituenda in Deo ad rerum productionem tertia potentia exequutiua eminenter formaliter distincta ab eius voluntate, & intellectu. Hanc conclusionem, tanquam probabiliorem tenet Caiet. 1 p. q. 25 ar. 1. & q. 54 ar. 3. & eam docet expressè S. Thom. eadem q. 25 ar. 1. ad 4. in 2. solut. per quam correxit primam. Ibi enim ait : *Ipsa scientia, vel voluntas diuina, secundum quod est principium effectiuum, habet rationem potentiæ.* Idem colligitur ex q. 54. cit. & q. 57. ar. 2. in corp. vbi in Angelis non constituit aliam potentiam, nisi intellectum, & voluntatem : ergo a fortiori idem de Deo dicendum est, cùm Deus sit simplicissimus.

Probatur præterea ratione eiusdem S. Tho. quodl. 6 q. 2 ar. 2. Omnis potentia naturalis debet esse secundum modum naturæ illius, cuius est potentia, sed natura diuina est purè intellectualis: ergo omnis potentia illius est purè intellectualis: ergo debet esse vel intellectus, vel voluntas. Patet consequentia; quia naturæ purè intellectuali solum competit intellectus, & voluntas, vt dicit Aug. 21. de Trin. cap. 2.

IV. Secunda Conclusio. In Deo potentia immediate exequutiua non est sola voluntas, sed est intellectus seu scientia practica, vt mouetur à voluntate. Conclusio est contra secundam sententiam, est tamen conformis doctrinæ S. Thomæ.

Probatur primo auctoritate Apostoli dicentis: *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ*, vbi, vt aiunt Glos. prius ponitur consilium, quod pertinet ad intellectum, deinde additur : *voluntatis suæ*, vbi significatur, quòd intellectus diuinus, seu scientia eius, vt determinatur à voluntate, est causa rerum. Item etiam Gene. 1. *Dixit Deus: Fiat lux, & facta est lux.* & Psalm. 148. *Ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt*, vbi intellectui Dei, atque imperio eius tribuitur immediatè rerum productio; imperium autem essentialiter est actus intellectus, vt mouetur à voluntate, sicut docet S. Th. p. 2. q. 17. articulo 1. ergo.

Confirmatur. Vt docet S. Tho. de malo, q. 15. art. 1. ad 14. & 15. Angeli suo imperio mouent corpora cœlestia, & inferiora, & addit : *Mouent illa solo imperio.* Ergo similiter Deus, solo imperio, qui est actus intellectus, vt mouetur à voluntate, res producit. Item etiam in opusc. 11. art. 3. inquit : *Virtus motiua Angeli est eius intellectus* : ergo similiter potentia Dei operatiua est eius intellectus.

Probatur denique rationibus factis disp. 16. num. 3. quia modus causandi per intellectum, & artem, est perfectissimus: ergo debet competere perfectissimæ causæ, qualis est Deus.

AD primum argumentum respondetur primò, quod S. Thom. vtramque sententiam disputatiuè defendit, sed tandem in nostram inclinat, vt constat ex dictis. vnde 1. p. q. 25. cit. primam solutionem correxit per secundam, quæ verior est, vt ibi notauit Caiet.

Respondetur secundò: Quando S. Thom. inquit, quòd potentia exequutiua in Deo ratione distinguitur à scientia illius, intelligitur, de scientia speculatiua : hæc enim non est causa exequens, sed dirigens, scientia autem practica, & ars est, quæ immediate exequitur id, quod dirigit scientia speculatiua, & ad quod mouet voluntas.

Ad secundum argumentum negatur consequentia : & ratio discriminis est, quia natura hominis non est purè intellectualis, vnde in illo datur potentia exequutiua distincta ab intellectu, & voluntate, natura autem Diuina, & Angelica est purè intellectualis, vnde non est simile.

Ad tertium argumentum respondetur. Etiam in Deo obiectum immediatum scientiæ practicæ, vt sic, non est ipse Deus, sed res operabiles, seu factibiles ab ipso Deo.

Ad quartum pro secunda sententia respondetur, quòd etiam tribuitur in aliis Scripturæ locis, intellectui diuino rerum productio, vt dictum est, de quo videndus est S. Thom. locis allegatis. Voluntati ergo diuinæ tribuitur productio rerum, tanquam mouenti, & determinanti scientiam Dei ad exercitium operis; intellectui autem tribuitur, tanquam exequenti immediate id, ad quod mouet voluntas. Est simile in Sacerdote consecrante Eucharistiam, consecratio enim producitur effectiuè à charactere, qui est in intellectu, præsuppositâ tamen motione voluntatis. Similiter etiam actus fidei producitur effectiuè ab intellectu, præsuppositâ motione voluntatis. ita proportionabiliter dicimus, quòd intellectus diuinus, seu scientia practica exequitur immediatè productionem rerum, præsuppositâ determinatione diuinæ voluntatis, & iuxta hanc doctrinam explicanda est auctoritas S. Aug. in argumento inducta.

Ad confirmationem respondetur, quòd, cùm nihil sit volitum, quin præcognitum, impossibile est, Deo voluntatem velle aliquid producere, nisi intellectus eius ostendat finem, & ars, seu scientia practica eius ponat formam conceptam. Vnde non soli voluntati diuinæ tribuenda est productio rerum, sed intellectui, vt à voluntate determinatur ad eas producendas.

LIBRI SECVNDI FINIS.

DE AVXILIIS

DIVINÆ GRATIÆ,

ET HVMANI ARBITRII

VIRIBVS, ET LIBERTATE,

AC LEGITIMA EIVS CVM EFFICACIA

eorundem Auxiliorum concordia,

Liber Tertius.

IN QVO AGITVR DE CONCVRSV DEI GENERALI ad actus præsertim ordinis naturalis, & prædefinitionibus Diuinis.

DEINDE agendum est de concursu Dei generali, & diuina voluntate, qua ad omnes effectus causarum secundarú concurrit, eas mouendo, vt conformiter ad propriam naturá operentur. Et inprimis, vt ab vniuersalioribus, iuxta Aristotelis documenta, incipiamus, disputandum est de concursu Dei generali in ordine ad actus, etiam liberos naturalis ordinis, vt gradum postmodum ad ea, quæ supernaturalis sunt ordinis, faciamus. Circa concursum generalem ordinis naturalis, decem sunt examinanda. A

I. Vtrùm concursus Dei generalis sit influxus immediatus in causam secundam, an verò solùm sit immediatus influxus cum causa secunda in eius effectum. B

II. Vtrùm concursus Dei generalis præmouens causas secundas sit qualitas vel motio eisdem causis inhærens, & à solo Deo producta.

III. Vtrùm sit eiusdem rationis in ordine ad omnes actus tam naturales, quàm supernaturales.

IIII. Vtrùm sit secundùm se indifferens.

V. Vtrùm Deus absoluto, & efficaci decreto suæ voluntatis ad modum causæ physicæ prædeterminet omnes causas secundas tam naturales, quàm liberas ad suas operationes, salua earum libertate, & natura.

VI. Vtrùm Deus præuia motione, voluntati creatæ inhærente, eam ad modum causæ physicæ præmoueat, applicet efficaciter, seu prædeterminet C ad omnes actus bonos in particulari cum omnibus circunstantiis, salua ipsius libertate.

VII. Vtrùm eandem voluntatem præmoueat ad actum peccati, in quantùm actus est, & ens quoddam positiuum.

VIII. Vtrum omnes actus etiam liberi à Deo prædefiniti, & prædeterminati necessariò fiant necessitate ex suppositione prædeterminationis diuinæ, & cum hac necessitate illæsa maneat eiusdem arbitrij libertas.

Vbi explicatur, quæ, & qualis sit hæc necessitas ex suppositione.

IX. Vtrùm prima radix contingentiæ, sit efficacia, & omnipotentia voluntatis diuinæ, an verò libertas illius: ita vt si Deus operaretur ex necessitate naturæ, nullus esset effectus contingens.

X Vtrùm aliquis effectus possit dici formaliter contingens in ordine ad causam diuinam.

DISPVTATIO XVIII.

Vtrùm motio Dei actualis, qua indigent omnes causæ secundæ, vt suum effectum, vel operationem producant, sit influxus immediatus in ipsam causam secundam: an verò sit solùm influxus immediatus cum causa secunda in eius effectum.

SENSVS quæstionis est: vtrùm quando causa secunda habet ratione propriæ formæ virtutem permanentem, & proportionatam cũ aliquo effectu, sit etiam necessaria præuia Dei motio recepta in ipsa causa, vt de facto suam producat operationem: an verò sufficiat concursus simultaneus, pariter influens cum ipsis causis secundis in earum effectus. I.

Quidam Theologi sentiunt non esse necessarium concursum, siue influxum Dei præuium, sed sufficere simultaneum, quæ sententia sic probatur.

Primò. Motio actualis Dei, & concursus illius nihil confert voluntati, quo ad agendum iuuetur, inclinetur, aut confortetur: ergo non est influxus in voluntatem, vt in causam, sed est influxus cum illa in eius effectum. Antecedens probatur. nam per istam motionem non constituitur voluntas in actu primo, sed in actu secundo, cùm præsupponat in voluntate quidquid ad agendùm est necessarium ex parte actus primi.

Confirmatur. Non sunt multiplicandi concursus sine necessitate, sed quando causa secũda est sufficienter constituta in actu primo per formam permanentẽ, & in suo genere sufficientem, vt actu operetur, sufficit concursus Dei simultaneus: ergo superfluè

Digitized by Google

perfluè ponitur, tanquam neceſſarius alius concurſus Dei prævius.

Secundò arguitur. Solùm inſtrumenta indigent, vt prævia motione moueantur, & applicentur à ſuperiori agente ad operandum, vt patet in ſerra, & penicillo, & hoc inde prouenit, quia inſtrumentum de ſe, & virtute propriæ formæ, non habet vim ad producendum effectum principalis agentis: ſed cauſæ ſecundæ habent de ſe, & ratione propriæ formæ virtutem ad producendos effectus ſibi proportionatos, quia ſunt cauſæ principales reſpectu talium effectuum ergo non requirunt ad operandum prævium aliquam Dei motionem.

Tertiò. Cauſæ naturales ſunt per propriam formam determinatæ ad vnum, ſicut ignis per calorem eſt naturaliter determinatus ad calefaciendum: ergo illæ ſaltem non indigent prævia Dei motione ad producendum determinatam actionem, vel effectum determinatum.

Quartò. Potentiæ exteriores mouentur à voluntate ad ſuas operationes, vt potentia viſiua ad videndum, & tamen per talem motionem voluntas in potentia viſiua nihil produxit prævium actioni videndi, ab illa diſtinctum; ſed per quandam ſympathiam, & ſubordinationem ſequitur actio videndi ad motionem voluntatis: ergo ſimiliter propter ſubordinationem, quam habent ad Deum cauſæ, poterit mouere illas ad ſuas operationes, abſque eo quòd in eis cauſet aliquid prævium eiſdem operationibus.

Quintò. Deus producit effectum cauſæ ſecundæ immediatè, immediatione virtutis, & immediatione ſuppoſiti ergo non influit in ipſam cauſam, eam mouendo, ſed immediatè cum illa in effectum. Probatur conſequentia: nam aliàs non immediatè, ſed mediatè cauſa ſecunda produceret effectum.

Sextò. Si ad omnem actionem ordinis naturalis neceſſarius eſſe prævius Dei influxus in cauſam, duo magna ſequerentur inconueniẽtia: primum eſt, voluntatem creatam, quando non operatur circa obiecta proportionata ſibi, & propoſita, non habere ſufficiens principium volendi illa, nec poſſe reuerà circa illa operari; atque adeò non eſſe imputandum illi ad culpam, ſi non operetur. Probatur nam quando voluntas actu non operatur, non habet prævium illum Dei influxum, qui, iuxta oppoſitam ſententiam, eſt neceſſarius ad operationem. nec eſt in poteſtate voluntatis talem influxum habere in poteſtate namque voluntatis eſſe non poſſunt illa, quæ omnem conſenſum eius liberum antecedunt: ergo quoties voluntas non operatur, reuerà operari non poteſt.

Secundum inconueniens, quod ſequeretur, eſt, Deum præmouere prævio influxu, & trahere voluntatem ad actum peccati, cui eſt intrinſecè coniuncta malitia, vt ad actum odij Dei; & ita Deus faceret, quòd voluntas produceret illum actum peccaminoſum, & conſequenter Deus operaretur mala opera non minùs, quàm bona: quod tamen eſt cõtra illam Concilij Tridentini definitionem: *Si quis dixerit non eſſe in poteſtate hominis, vias ſuas malas facere, ſed mala opera ita, vt bona Deum operari, non permiſſiuè ſolùm, ſed etiam propriè, & per ſe, adeo vt ſit proprium eius opus non minùs proditio Iudæ, quàm vocatio Paulicanathema ſit.*

Conc. Trid. ſeſſ. 6. de iuſtific. can. 6.

Septimò. Per talem motionem prævium Dei tollitur libertas voluntatis, quantùm ad vſum illius: ergo non ſolùm non eſt neceſſarius prævius Dei concurſus, vel influxus ad operationes liberas, ſed etiam eſt incompoſſibilis cum eis. Antecedens probatur. De ratione cauſæ liberæ eſt, quòd poſitis omnibus requiſitis ex parte principij actiui, & antecedentis actum, poſſit operari, & non operari, & operari hoc, aut huic oppoſitum. Sed poſito illo Dei influxu in cauſam, non poteſt voluntas non operari actum, ad quem eam mouet: ergo non manet libera, quoad exercitium in ordine ad illum actum.

Confirmatur. De ratione potentiæ liberæ eſt indifferentia, ſiue indeterminatio ipſius potentiæ: nam potentia libera, inquantùm huiuſmodi non eſt determinata ad vnum: ſed per motionem Dei prævium tollitur indifferentia noſtræ voluntatis, cùm talis motio eam efficaciter prædeterminet ad vnum, vt auctores ſententiæ oppoſitæ fatentur: non ergo conſtituenda eſt huiuſmodi prævia motio.

Octauò. Non poteſt explicari, ſed nec intelligi, quidnam ſit hæc motio prævia, aut quid ponat in voluntate, ergo non eſt admittenda. Antecedens probatur: nã quicquid eſt ſubiectiuè in volũtate & in quacunque alia potẽtia, vel eſt habitus, vel diſpoſitio, vel actus ſecundus ipſius potentiæ; ſed motio Dei prævia nõ eſt habitus, nec diſpoſitio: aliàs enim eſſet qualitas, cuius contrarium docet S. Th. 1. 2. qu. 110. artic. 2. in corp. nec etiam eſt actus ſecundus: quoniam actus ſecundus voluntatis dependet efficienter ab ipſa voluntate, cùm ſit propria operatio illius; ſed influxus Dei prævius non dependet efficienter à noſtra voluntate, cùm antecedat omnem liberum concurſum illius; hac enim ratione dicitur prævius influxus in cauſam: ergo.

Confirmatur hoc. Prævius influxus eſt effectiuè à ſolo Deo, voluntate noſtra paſſiuè ſe habente: ergo non dependet efficienter à noſtra voluntate: non ergo identificatur realiter cum operatione illius. operatio enim voluntatis dependet efficienter ab eadem voluntate.

Oppoſitam ſententiam tenent communiter Thomiſtæ, & ſine dubio eſt expreſſa Ariſtot. S. Auguſtini, & S. Thomæ locis interiùs allegandis. Et quoniam inter cauſas ſecundas quædam ſunt naturales, & neceſſariæ, quædam liberæ, & contingentes, ex quibus quędam pertinent ad ordinem naturæ, quędam ad ordinem gratiæ, de omnibus ſuo ordine dicendum erit. Quod attinet ergo ad cauſas naturales, ſit

II.

PRima concluſio. Vt cauſæ ſecundæ naturales ſuas producant operationes, neceſſarius eſt prævius Dei influxus in ipſas cauſas, quo, ad operandum moueantur, & applicentur. Hanc cõcluſionem certiſſimam eſſe affirmo, & oppoſitam improbabilem reputo, & contra philoſophiam Ariſtotelis, & S. Thomæ, vt patebit infrà. Eadem concluſio ſtatuitur in catechiſmo Romano ex decreto ſacroſancti Concilij Tridentini, iuſſu Pij V. edito, parte prima de primo ſymboli articulo, nu. 22. cuius verba ſunt: *Non ſolùm autem Deus vniuerſa, quæ ſunt, prouidentia ſua tuetur, atque adminiſtrat: verum etiam quæ mouentur, & agunt aliquid, intima virtute ad motum, atque actionem ita impellit, vt quamuis ſecundarum cauſarum efficientiam non impediat, præueniat tamen, cùm eius occultiſſima vis ad ſingula pertineat & quemadmodum Sapiens teſtatur:* Attingat à fine vſque ad finem fortiter, & diſponat omnia ſuauiter. *Quare ab Apoſtolo dictum eſt*: Cùm apud Athenienſes annunciaret Deum quem ignorantes colebant. Non longè eſt abvnoquoque noſtrũ, in ipſo enim viuimus, mouemur, & ſumus. Vbi clariſſime docet, non ſimultaneo dumtaxat, ſed etiam prævio influxu, Deum cauſas ſecundas ad operandum mouere, atque impellere, idque intima virtute, hoc eſt per aliquid intimè in ipſa cauſa ſecunda receptum, quo virtus eius actiua completur, & ad actum reducitur: quam doctrinam colligit ex ſancto Paulo Apoſtolo dicente: *In ipſo viuimus, mouemur, & ſumus.*

III.

Cõcurſus Dei generalis eſt influxus immediatus in cauſam ſecundam.

Sapient. 8. Actor. 8.

Eandem

Eandem ſententiam docet Ariſtoteles octauo Phyſicorum,vbi explicans ſubordinationem,& dependentiam , quam habent agentia proxima à primo motore immoto,atque à motione illius , docet, inter mouentia quædam eſſe mota ab alio , ſicut mouentia proxima ; aliud eſſe mouens non motum, ſicut primum mouens, quod eſt Deus; & ſubdit ſtatim , quòd primum mouens magis mouet quàm inferiora mouentia ; cuius rei duplicem aſſignat rationem:altera eſt,quia primum mouens manet mouentia poſteriora , poſteriora autem non mouent primum : altera eſt , quia primum mouens mouere poteſt ſine poſterioribus mouentibus, eò quòd non dependet ab illis , poſteriora autem mouentia non poſſunt mouere,niſi primum mouens moueat,quia dependent ab illo. Ariſtotelis autem verba ſunt hæc : *Vtraque igitur mouere dicimus,& primum,& vltimum mouentium,ſed magis primum. illud enim mouet vltimum,ſed non hoc primum, & ſine primo quidem vltimum non mouebit:illud autem ſine hoc,vt baculus non mouebit,niſi moueatur ab homine.* Sentit ergo , quòd ſicut baculus non mouebit aquam,niſi ipſe moueatur à manu,& applicetur ad mouendum aquam, ita cauſa ſecunda nõ mouebit,neque producet aliquem effectum , niſi moueatur à prima , ergo ſententia oppoſita eſt contra Ariſt.

Ariſt.8.Phyſ.textu 33. lect. 9. apud S. Thomam.

Confirmatur idem.Ariſt.7.Phyſ.c.1.& 8.Phyſ. c. 5. ex illo principio cõmuniter recepto , omne quod mouetur,ab alio mouetur,concludit,deueniendum eſſe ad vnum primum mouens , quod omnia agentia moueat,& non moueatur ab alio, ne detur proceſſus in infinitum.

IIII. Ad hoc argumentum reſpondent aliqui Theologi,explicando dupliciter Ariſtotelem. Primò,illum explicant de motione præuia communiter dicta, qua ſecundæ cauſæ producuntur in eſſe , & conſeruantur à prima cauſa. Hac enim motione neceſſe eſt,vt moueantur priùs à Deo cauſæ ſecundæ , vt mouere poſſint , quia niſi à prima cauſa producerentur in eſſe , & conſeruarentur ,mouere non poſſent,aut aliquid operari.

Cauſa ſecũda agit,in quantum mota à prima.

Secundò reſpondent , cauſam ſecundam dici, agere vt motam à prima , quin in ratione agentis conſtituitur in actu ſecundo per cooperationem primæ cauſæ Sed vtraque explicatio eſt voluntaria, & contextui repugnat Ariſtotelis.

V. Contra primam arguitur:nam, vt patet exemplo baculi,quo vtitur Ariſtot. ibi intendit probare,cauſam ſecundam accipere à prima non ſolùm eſſe, quod habet, neque ſolam ſui conſeruationem , ſed etiam actualem motionem diſtinctam ab eſſe permanente ipſius cauſæ : baculus enim habet à mouente & virtutem actualem,& actualem motionem qua mouet lapidem:& idem docet S.Thom.quæſt. 3. de potentia , articulo 7. cuius verba ſtatim adducimus.

Præterea:nam etiam quando non operantur cauſæ ſecundæ , conſeruantur à Deo in ſuo eſſe: ergo motio præuia, de qua ibi loquitur Ariſtot. non eſt illa dumtaxat,per quam in ſuo eſſe producũtur,vel conſeruantur cauſæ ſecundæ , ſed alia , per quam mouentur ad ſuas operationes:ad motionem quippe actualem primi agentis ſequitur, quòd agens ſecundum moueat.

VI. Contra ſecundam explicationem arguitur. Si illa explicatio intelligat , quòd ſcilicet , primum agens ſuo influxu conſtituat cauſam proximam in actu ſecundo ita vt illam verè efficienter reducat de actu primo ad ſecundum , & faciat illam adhibere ſuum proprium influxum & operari , habemus intentum nam talis reductio antecedit influxum cauſæ ſecundæ ordine cauſalitatis,ſicut cauſa antecedit ſuum effectum.Si verò ſolùm intelligat cauſam primam concurrere cum ſecunda ad eius operationem concurſu ſimultaneo , non ſaluat, à primo agente moueri agens ſecundum ad operandum,ſicut quando duo trahunt nauim,ſimul influendo in effectum vnus non mouet alium;quia non facit illum influere,ſeu concurrere , ſed vterque ſimul influit in effectum. Item etiam non videtur ſaluare,quod primum agens ſimpliciter,nempè Deus cauſet propriè efficienter omnem actualitatem, & omnem formalitatem realem,quæ reperitur in cauſa ſecunda , ſiquidem ſecundùm iſtam explicationem,actualis illa applicatio,& influxus cauſæ ſecundæ, vt applicatio eſt,& influxus cauſæ ſecundæ , non eſt effectiuè à primo agente,ſiue ab operatione ipſius,de quo diſput.86. agendum erit.

Item etiam probatur ex eodem Ariſt.lib. de cauſis propoſ.prima,& 16.vbi docet,virtutem diuinam eſſe virtutem omnium cauſarum, quia videlicet cõiungit cauſas ſecundas cum ſuis effectibus , quod etiam docet S. Tho. 1.p.q.36.ar.3.& q.3. de potentia art.7.

VII. Secundò probatur auctoritate S.Tho. qui in 1.2. quæſtione 109.110.& 111.in omnibus fere articulis præter formam permanentem, quam habent cauſæ ſecundæ, & conſeruationem illius,docet eſſe neceſſarium,quòd Deus,tanquam agens vniuerſale, moueat ipſas cauſas ſecundas ad ſuas operationes , id eſt, vt illæ operentur : ſed præſertim ſunt notanda verba,quæ habet art. 1.eiuſdem quæ.109. ait enim: *Videmus autem in corporalibus, quod ad motum non ſolum requiritur ipſa forma,quæ eſt principium motus, vel actionis,ſed etiam requiritur motio primi mouentis. Primum autem mouens in ordine corporalium eſt corpus cæleſte , vnde quantumcunque ignis habeat calorem perfectum, non alteraret , niſi per motionem corporis cæleſtis. Manifeſtum eſt autem,quòd ſicut motus omnes corporales reducuntur in motum cæleſtis corporis , ſicut in primum mouens corporale, ita omnes motus tam corporales, quàm ſpirituales reducuntur in primum mouens ſimpliciter,quod eſt Deus:& ideo quantumcunque natura aliqua corporalis,vel ſpiritualis ponatur perfecta , non poteſt in ſuum actum procedere,niſi moueatur a Deo.*

Motus omnis cauſarũ ſecundarũ reducitur in Deum vt in primum agens.

VIII. Et idem repetit ar.9. eiuſdem quæſtionis in corpore,vbi generaliter docet , quòd nulla res creata poteſt in quemcumque actum prodire , niſi virtute motionis diuinæ.Hæc autem duo loca non poſſunt explicari de motione ſimultanea,cùm de præuia, & antecedente influxum cauſæ ſecundæ manifeſtè loquantur,nam S.Thom.inquit, quòd per illam motionem Dei accipiat virtutem ipſa cauſa ſecunda ad operandum.Hæc autem vis actiua antecedit ordine naturæ ipſam operationem cauſæ ſecundæ.

IX. Hoc ipſum docet expreſſius in 2.ſent. diſtinct.37. quæſt.2.ar.1. Cuius verba,adducenda & expendenda ſunt infrà,nu. 13 & diſp.24.num.17.& q.3.de potentia,ar.7.in corp.vbi ex profeſſo demõſtrat, quòd *Deus operatur in natura, & in voluntate operantibus, & hoc multipliciter. Primò quidem , quia dedit rebus naturalibus virtutes,per quas agere poſſunt.Secundo,inquantum conſeruat virtutem naturalem in eſſe. Tertiò, inquantum mouet eam ad agendum,in quo,* inquit, *non intelligitur collatio , aut conſeruatio virtutis actiuæ,ſed applicatio virtutis ad actionem. ſicut homo eſt cauſa inciſionis cultelli,ex hoc ipſo quod applicat acumen cultelli ad incidendum,mouendo ipſum.* Et ſtatim id probat ſubdens hæc verba:*Et quia natura inferior agens non agit,niſi mota, eo quod huiuſmodi corpora inferiora ſunt alterantia alterata cœlum autem eſt alterans , non alterum,& tamen non eſt mouens , niſi motum , & hoc non ceſſat quouſque perueniatur ad Deum,ſequitur de neceſſitate, quod Deus ſit cauſa actionis cuiuslibet rei naturalis,*

Deus operatur in natura & in voluntate operãtibus quadrupliciter.

Diſp 24.

ralis,vt mouens , & applicans virtutem ad agendum. Quartò,dicitur Deus cauſa actionis rei naturalis,ſicut principale agens eſt cauſa actionis inſtrumenti. Omnibus his quatuor modis docet S.Th.Deum eſſe cauſam cuiuſcunque actionis cauſarum ſecundarũ. Et in ſolutione ad ſeptimum eiuſdem articuli docet, quòd quando Deus mouet cauſam ſecundam ad agẽ. dum,aliquid ei confert,quo illa actualiter agat,& inquit : *Id,quod confert , eſſe intentionem quandam primi agentis habens eſſe incompletum per modum , quo colores ſunt in aëre , & virtus artis in inſtrumento artificis.*

X. Hoc loco S. Thomæ conuictus quidam ex ſectatoribus contrariæ ſententiæ , fatetur ingenuè , S. Thomam tenuiſſe iſtam opinionem in quæſtione allegata de potentia,ſed tamen illam mutaſſe in 1. p. qu. 105. articulo quarto, & 5. nam agens ibi ex profeſſo de eadem quæſtione non meminit illius intentionis primi agentis , nec conſtituit , tanquam neceſſarium illud ens incompletum , quod ſtatuerat, quæſt. tertia de potentia : ſed hanc ſolutionem inſufficientem eſſe non obſcurè patebit , ſyncerè conſideranti verba S. Thom. Nam eodem articulo q. 105 in corpore,ait: *Primum agens mouet ſecundum* ad agendum:& ſtatim ſubdit:*Deus mouet res ad operandum,quaſi applicando formas & virtutes rerum ad operationem,ſicut artifex applicat ſecurim ad ſcindendum*, vbi illa vox,quaſi,non eſt dictio diminuens,vt quidam volunt,ſicut neque apud Ioan. cùm dicitur:*Vidimus gloriam eius,gloriã quaſi vnigeniti à Patre.* Vnde in ſolutione ad 3. eiuſdem articuli abſolutè dicit, quòd *applicat res ad agendum.* & in eadem 1. p. q. 2. articulo tertio,in corpor.idipſum clariùs docet,cùm ait: *Mouentia ſecunda non mouent , niſi per hoc , quòd ſunt mota à primo mouente ; ſicut baculus non mouet, niſi per hoc,quòd eſt motus à manu.* Et idem docet 3.cõtra Gen.cap.70.vbi ait:*Oportet quòd operatio inferioris agentis non ſolùm ſit ab eo per virtutem propriam ſed per virtutem ſuperiorum agentium : ait enim in virtute omnium* Et in cap.66.ratione 4.inquit:*Complementum virtutis agentis ſecundi eſt ex virtute agentis primi.* Quomodo ergo S.Tho. mutauit ſententiam,cùm in ipſa 1.p.& 3.con Gen.ſemper in eadem perſeueret?

S. Tho.nũquã mutauit ſentẽtiã quã tenuit circa influxũ præuiũ primæ cauſæ.

Ioan. 1.

XI. Cum S.Thoma tuentur hanc ſententiam Capreol. in 2. d. 1. quæſt. 2. artic. 1. vbi adducit pro ſe auctoritatem S.Thom.q.3.de potentia,cit. Idem ſentit Caietan.1.p.q.45.art.5.§.ad Durandum. vbi loquens de illa propoſitione : Omnis cauſa ſecunda eſt inſtrumentum Dei,ſic ait : *Dicitur ſecundò , quòd etiam illa propoſitio eſt vera,vt patet de potentia* quæſt.3.a.7. *vbi Angelus,& omnis cauſa ſecunda non agit,niſi agatur à Deo multipliciter,vt diffuſe ibidem oſtenditur.Nec inconuenit,imò oportet omnem actionem creaturæ attingere ad effectum Dei,quia ſemper attingit ad eſſe , quod nulla cauſa dat,niſi in virtute prime cauſæ,vt hic & in tertio con.Gen.cap. 64. & 65. oſtenditur.* Eandem ſententiam confirmat q.115.eiuſdem 1.partis,art.6.§. ad euidentiam,vbi ait : *Nunquam agentia inferiora coagere cœlo,niſi ſimul patiãtur à cœlo,quoniã nõ mouẽt,niſi mota:& priùs naturaliter eſt , inferiora corpora pati, & moueri à cœlo,quàm coagere illi.* Si ſecundum Caietan. prius eſt, quòd agentia inferiora patiantur à cœlo, quàm quòd agant;ergo indigent motione præuia, vt agant.Hæc autem motio præuia eſt influxus immediatus in cauſam,ergo.Vnde immeritò allegatur à quibuſdam pro oppoſita ſententia. Licèt enim in eadem prima parte,qu.114.art 13. §. nec ſuſtinendus, dicat,quòd cauſa ſecunda non operetur , vt mota à Deo , motione præuia propriæ actioni , ſicut aqua calefacit calefacta ab igne,ſed motione cooperante intrinſecè ad propriam actionem ; quod iterum repetit quæſt 19.articulo octauo, §. ad primam autem:non tamen eſt ſibi,aut nobis contrarius quoniam in illis locis ſolùm intendit docere , cauſam primam non cooperari præuia motione attingente in aliquo priori temporis,vel naturæ effectum cauſæ ſecundæ antecedenter ad influxum eiuſdem cauſæ ſecundæ. Quæ explicatio colligitur ex ipſo contextu:nam in fine eiuſdem articuli octaui, ſic ait:*Illa propoſitio aſſumpta non eſt ſic intelligenda, quaſi ſit aliqua duratio naturæ, in cuius primo inſtanti cauſa prima reſpiciat effectũ,& in ſecundo ſecunda;puerilis enim hic eſt ſenſus,ſed eſt intelligenda quoad independentiam , & intimitatem.* Nihilominùs in eiſdem locis apertè admittit influxum Dei præuiũ in cauſã ſecundam coniungentem virtutem ſecundæ ſuo effectui:nam ait.quòd influxus cauſæ primæ modificatur in ſecunda,& ideo cum cauſa ſecunda contingente producit effectum contingentem ad modum ipſius cauſæ ſecundæ.Sentit ergo Caietan.quòd influxus primæ cauſæ priùs natura recipitur in ſecunda,& in illa modificatur,quam producat ſuum effectum cum ipſa cauſa ſecunda.

Capreoli& Caietani ſententia circa influxum primæ cauſæ.

XII. Sequitur eandem ſententiam Ferrarienſis 3. con. Gen. cap. 70. & ait eſſe expreſſam S. Thomæ, qu. 3. cit.de potentia,cui omnes Thomiſtæ vnanimiter cõ. ſentiunt.Eandem ſententiam ſequitur Magiſter Cabrera 3.p q.17. ar.4.diſput.2.§.3.n.113.& ſeqq aitque eſſe S.Thomæ,& receptã ab omnibus Philoſophis.

Tertiò probatur ratione naturali , deſumpta ex qu.3.de potentia,cit. in corpore illius ſeptimi articuli,& ad ſeptimum ; quam etiam tangit Caietan. 1.p. q. 45. cit. Nam cauſæ ſecundæ non ſolùm producunt ſuum effectum,& ſuam operationem ſecundùm ſpeciem,ſed etiam effectui tribuunt vltimam actualitatem,& eſſe,quod habent : quicquid enim reperitur in effectu , producitur effectiuè à ſua cauſa efficiente : ſed iſtam vltimam actualitatem non poſſunt tribuere effectiuè cauſæ ſecundæ ſuis effectibus , niſi eædem cauſæ compleantur in ſua virtute actiua per motionem actualem primi agentis : ergo oportet,quòd præuia motione , moueantur ab illo , vt illam vltimam producant actualitatem. Minor probatur : nam omnis forma, & virtus operatiua cuiuſcunque entis creati eſt actus admixtus potentiæ ; atque adeò non habet ſecundùm ſe tam perfectam actualitatem, quantam habet operatio , quæ eſt actus ſecundus: ergo non poteſt eſſe principium effectiuum talis operationis, quantùm ad ſuam vltimam actualitatem ; niſi priùs natura compleatur in ſua virtute operatiua per actualem motionem primi agentis; principium enim efficiens non debet habere minorem actualitatem,quàm habeat effectus,cùm vnumquodque operetur,inquantùm eſt actu.

Cauſa ſecũdaoperatur eſſe. vt inſtrumẽtum Dei.

Quartò probatur: nam , vt oſtendit ex profeſſo S. Thom. 3.con.Gen.capite 66.eſſe eſt actus vniuerſaliſſimus , & proprius effectus ſolius Dei ; vnde & in lib. de cauſis dicitur , quòd neque intelligentia dat eſſe,niſi inquantùm eſt diuina : ergo cauſæ ſecundæ , quatenus attingunt eſſe proprij effectus formaliter loquendo , ſunt inſtrumenta ipſius Dei: ergo oportet , quòd moueantur ab illo priùs natura , quàm attingant ipſum eſſe cuiuſlibet effectus. Patet conſequentia: nam , vt inſtrumentum attingat effectum principalis agentis, oportet, quod præuia motione ab illo moueatur. Hæc concluſio patebit ampliùs ex ſequentibus.

Effectus vniuerſaliſſimus eſt effectus ſolius Dei.

XIII. Secunda Concluſio. Cauſæ liberæ etiam contingentes indigent præuio Dei influxu, vt ſuas producant operationes. Concluſio eſt ita certa,ſicut præcedens,& tradita à S.Tho.locis citatis,& 1. p q. 81. art. 1. ad tertium , vbi ait : *Liberum arbitrium non eſt ſufficiens ad aliquid volendũ,niſi moueatur,& iuuetur à*

Cauſæ cõtingẽtes in-

Digitized by Google

digétad operandum præuio Dei influxu.

Deo. Et in solut. ad tertium, inquit: *Deus est prima causa mouens & naturales causas, & voluntarias, & sicut naturalibus causis, mouendo eas, non aufert, quin actus earum sint naturales, ita mouendo causas voluntarias, non aufert, quin actiones earum sint voluntariæ; sed potius hoc in eis facit: operatur enim in vnoquoque secundum eius proprietatem.* Et in 2. sententiarum dist. 37. q. 2. a. 2. ad secundum, inquit: *Deus influit agenti esse posse, & agere, & quidquid perfectionis in agente est.* Et in solu. ad 3. subdit: *In bonis actibus vtrumque agenti influit, & vt agat, & vt bene agat.* vbi apertè docet, Deum priùs influere in liberum arbitrium, vt in causam, quàm influat cum illo in eius effectum. Etenim Deus, per concursum immediatum cum libero arbitrio in eius effectum, seu operationem liberam, non influit agenti ipsum agere, sed vnà cum libero arbitrio se determinante, & influente, efficit actum liberum. Cùm ergo S. Thomas affirmet, Deum influere agenti ipsum agere, sentit, Deum suo concursu priùs influere in causam secundam, quam influat cum ipsa causa secunda in effectum vtriusque. Hanc conclusionem probant à fortiori argumenta facta pro conclusione præcedenti.

A causa indifferétim. quãtum in huiusmodi nõ exit determinatus effectus.

Præterea probatur speciali ratione, quam assignat S. Thom. 1. p. quæst. 19. artic. 3. ad 5. Ab eo, quod se habet ad vtrumlibet, non sequitur aliqua actio determinata, nisi ab aliquo alio moueatur, & inclinetur ad vnum, vt dicit Comment. 2. Phy. text. 48. Ab eo enim, quod est in potentia, & indifferens, in quantum huiusmodi, non exit determinatus actus: quia non est maior ratio, quare exeat iste actus, quam oppositus, cum talis potentia secundum se sit indifferens ad [illegible] causa libera, & cõtingens se habet indifferenter ad oppositа; ergo non exibit ab illa determinata operatio, nisi moueatur a primo agente, & determinetur ad vnam particularem operationem.

Confirmatur ratione eiusdem S. Tho. p. 2. q. 9. a. 4. in corpore, & 1. p. quæ. 2. art. 3. Omne, quod quandoque est agens actu, quandoque in potentia, indiget moueri ab aliquo mouente, quod in parte a [illegible] sed voluntas creata, quandoque est agens actu, quandoque in potentia, ergo indiget moueri a primo actu, vt suam producat operationem.

XIV.

Secundò probatur alia ratione S. Thomæ in 2. dist. 37. quæst. 1. art. 2. in corp. Nam videtur sequi ex oppositа sententia, esse plura prima principia. consequens est error Manichæorum, vt vidimus disput. 3. ergo. Sequela probatur: nam hoc est de ratione primi principij, vt agere possit sine auxilio prioris agentis, & sine influentia illius: ergo si voluntas humana aliquam actionem produceret absque motione prioris agentis, respectu illius actionis esset voluntas creata primum principium, primum se mouens simpliciter, & primum se determinans. Huius rationis vim conantur infringere auctores oppositæ sententiæ, dicentes, voluntatem creatam non habere rationem primi principij, respectu suæ operationis: quia licet possit operari absque præuia motione prioris agentis, non tamen habet esse à seipsa, nec potest operari absque concursu simultaneo primi agentis: quod tamen esset necessarium, vt rationem primi principij haberet. Sed quàm inefficax sit hæc solutio, disput. 24. num. 19. manifestum fiet; interim breuiter impugnatur. Nam, vt in eodem libro 2. sent. artic. 2. citato arguit S. Thom. *quamuis per hanc responsionem euitaretur, quod voluntas humana, & quæcunque alia causa secunda non esset primum ens simpliciter: non tamen videtur posse euitari, quin esset primum agens, si eius actio in aliquod prius agens non reduceretur, sicut in causam.*

Tertiò probatur alia ratione, quam prosequitur S. Thom. eod. artic. 2. id, quod non habet à se esse, non habet a se operari, aut aliquid influere, sed totum hoc accipit ab alio, a quo habet esse. Vnde & Conc. Florent. decreto de Fide Catholica ex eo probat, quòd Filius Dei habet æternaliter a Patre hoc ipsum, quod est spirare Spiritum sanctum; quoniam Filius habet esse non a seipso, sed a Patre, à quo æternaliter genitus est; & in Euangelio ipsa veritas testatur: *Doctrina mea, non est mea, sed eius, qui misit me, Patris.* Et iterum: *Filius non potest à se facere quidquam.* quia videlicet non est à se, sed a Patre. Sed voluntas creata non habet esse à seipsa, sed à Deo: ergo non habet à se hoc, quod est actualiter influere in suam operationem; sed hoc ipsum accipit à Deo: ergo Deus influit in ipsam voluntatem motione præuia, qua voluntas mouetur ad suam operationem, & applicatur, vt actualiter agat.

Esse habẽs ab alio, ab eodẽ habet operari.

Conc. Flo. Filius Dei habet operari à Patre, quia ab ipso habet esse.

Ioan. 7.

Ioan. 5.

Quartò probatur ratione speciali, quæ procedit de omni operatione vitali: nam fieri non potest etiam per potentiam absolutam, vt Deus producat actionem vitalem creatam, nisi mediante potentia vitali; quia talis actio à solo Deo attingi non potest, aut produci, cùm dicat intrinsecum ordinem ad potentiam vitalem: ergo impossibile est, quòd Dei operatio, seu concursus influat cum causa vitali in operationem vitalem, nisi priùs natura influat in ipsam causam vitalem, per quam debet produci eiusmodi vitalis operatio.

Tertia Conclusio Etiam causas secundas supernaturales, & constitutas iam in actu primo per supernaturales habitus, vt suas producant operationes supernaturales, præmoueri oportet à Deo motione actuali ordinis supernaturalis. Hæc conclusio est etiam contra quosdam recentiores Theologos, asserentes, auxilium, seu concursum supernaturalem in hoc conuenire cum generali concursu ordinis naturæ, quòd per se, ac præcise non sit in causam, sed cum causa in effectum, est tamen expressa S. Thom. p. 2. quæst. 109. artic. 1. & 9. vbi apertè loquitur de motione præuia. Eandem sententiam tenet S. Bon. in 2. d. 26. q. 6. vers. Respondeo, vbi eam explicat optimo exemplo: ait enim, quod sicut lumen non solùm operatur cum aëre, illuminando hæc inferiora, sed etiam priùs operatur in ipsum aërem, ratione continuationis cum suo fonte; sic etiam gratia non solum operatur cum libero arbitrio, sed etiam operatur in liberum arbitrium, & illud mouet. Idem docet expressè Capreol. in 2. d. 28. quæst. 1. artic. 3. ad 12. vbi ait, esse expressam sententiam S. Augustini, & probatur rationibus factis pro conclusionibus præcedentibus, quæ hanc etiam demonstrant.

XV.

Concursus Dei generalis ad actus supernaturales est influxus in causam.

Lumen operatur cũ aëre, & in aërem.

Præterea probatur auctoritate Cælestini I. in epist. ad Episcopos Galliæ, cap. 1. vbi sic ait: *Ita Deus operatur in cordibus hominum, atque in ipsum liberum arbitrium vt sancta cogitatio, pium consilium, omnisque bonus motus voluntatis ex Deo sit.* Ecce docet Pontifex, Deum influere in liberum arbitrium, quod de præuia motione intelligendum est, ratione cuius, omnis bonus motus bonæ voluntatis ex Deo est, & ex Deo habet primum initium, nedũ in genere causæ moralis, sed etiã verè efficiẽter.

Cælestini sẽtẽtia circa gratiam & liberum arbitrium.

Secundò probatur auctoritate August. tom. 7. lib. de correp. & gratia, cap. 2. quem adducit Capreolus loco cit. vbi S. Augustinus de filiis Dei, de quibus inquit Apostolus: *Spiritu Dei aguntur*; sic ait, *Intelligant, si filij Dei sunt, Spiritu Dei se agi, vt quod agendum est agant: & cum egerint, illi, a quo agantur, gratias agant, aguntur enim, vt agant, non vt ipsi nihil agant*: ergo secundùm Augustinum priùs natura est, quòd liberum arbitrium moueatur, & agatur à Deo, quam quòd aliquid agat. & lib. de gratia

XVI.

tom. 8. Liberũ arbitriũ agitur, vt agat iuxta sententiam Augustini.

Christi

Digitized by Google

Chriſti contra Pelagium,& Cæleſt.cap.25.explicans eundem locum Apoſtoli ait: *Profectò,vt agant, quod bonum eſt, ab illo aguntur, qui bonus eſt.* Et iterum in alio loco inquit: *Tu te vis agere? à te ipſo vis agi?* &c. *Non qui ſpiritu ſuo aguntur, ſed quotquot ſpiritu Dei aguntur, hi filij ſunt Dei. Dicet mihi aliquis: ergo agimur, non agimus. Reſpondeo, imò agis, & ageris; & tunc bene agis, ſi ab eo agaris. Spiritus enim Dei,qui te agit,agentibus adiutor eſt,ipſum nomen adiutoris præſcribit tibi:quia & tu ipſe aliquid agis. Agnoſce quid poſcas, agnoſce, quid confitearis, quando dicis:* Adiutor meus eſto, ne derelinquas me: *adiutorem vtique vocas Deum. Nemo adiuuatur, ſi ab eo nihil agatur: quotquot enim, inquit: ſpiritu Dei aguntur, hi filij ſunt Dei.* Et libro 3. Hypognoſticon paulò poſt principium, inquit: *Præcedit miſericordiſſima gratia ſua Deus hominis ignorantis,& nondum ſe quærentis voluntatem liberi arbitrij, vt eum ſe ſcire,& quærere faciat.* quibus verbis S. Auguſt. noſtram ſententiam docet apertè.

Serm. 13. de verbis Apoſt poſt med.

Pſal. 26.

XVII. Tertiò probatur:nam alias primum initium piæ operationis eſſet ex nobis, atque adeò homo eſſet, qui primò inciperet opus ſupernaturale, & ſuam determinationem ad illum actum.conſequens videtur contra definitionem Concilij Arauſicani II. vt patebit diſp. 89. nam in can. 25. dicit: *Hoc etiam ſalubriter confitemur,& credimus, quòd in omni opere bono nos non incipimus, & poſtea per Dei miſericordiam adiuuamur,ſed ipſe nobis nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem, & amorem ſui inſpirat.* Et in Concilio Senonenſ. in initio ſtatim dicitur: *Accedentem ſiquidem ad Deum oportet primum diuinæ gratiæ munere adiutum credere,deinde bonis operibus intendere. In quibus efficiendis & liberum arbitrium operatur, & gratia primo tamen,& principaliùs gratia. Quare qui hominem bene operari, & ſalutem conſequi arbitratur ſine gratia, aut primatum boni operis libero arbitrio adſcribit,non gratiæ, Pelagianus cenſendus eſt.* Sequela probatur:nam ſi poſtquam intellectus, & voluntas per habitus ſupernaturales ſunt in actu primo conſtituti,non indigent ampliùs præmoueri à Deo actuali influxu ſupernaturali;ergo voluntas eſt, quæ primò incipit actum ſupernaturalem;quia ex innata ſibi libertate voluit vti habitu ſupernaturali: & ita eſſet primum initium ſui actus, atque adeò aliquid proprium haberet in negotio ſuæ ſalutis, quod non accepiſſet ex gratia. contra illud 1. ad Corint. 4. *Quis enim te diſcernit? quid habes, quod non accepiſti?* Si dicatur, quòd homo ille habet ex habitu ſupernaturali piam operationem, non autem ex viribus naturæ,& ita nihil refunditur in ſolam facultatem naturalem, quod ad ſalutem pertineat; contrà: nam ſolus habitus ſupernaturalis non tribuit voluntati,vt infallibiliter operetur; ſed ſolùm, vt poſſit operari ſupernaturaliter, ſi velit; ſimiliter etiam influxus Dei ſimultaneus non tribuit efficienter voluntati, quod operetur,nec facit illam influere, ſed ſolum concurrit cum illa ſimul ad actualem operationem, ſi ipſa voluerit operari; ergo quòd actualiter operetur, haberet voluntas ex ſeipſa, & non ex gratia. Sed de hoc agendum erit latiùs diſputatione 88. 96. 97. & 98. inter diſputandum de efficacia auxiliorum præuenientis gratiæ. Cùm ergo noſtra concluſio tot pro ſe habeat Doctores grauiſſimos, & rationes adeò efficaces,immeritò nonnulli contendunt, præuiam iſtam motionem,quam S. Thomas quæſt.3.citata, de potentia,dicit eſſe quandam virtutem ſuperadditam cauſis ſecundis,habentem eſſe incompletum eo modo quo colores ſunt in aëre aut virtus artis in inſtrumento artificis,commentitiam plane eſſe, nullaque ratione fulciri,& res fruſtra multiplicare.

Gratia eſt quæ primò incipit piã operationem.

Did. Aluarez de auxiliis diu. gr.

AD primum ergo argumentum ex factis à principio reſpondetur, quòd motio actualis Dei confert voluntati,& omnibus cauſis ſecundis vltimum complementum actus primi,vt docet S. Tho. locis ſupra cit. præſertim 3. con. Gen. cap. 66. ratione 4. & quæſt. 3. de potentia, art. 7. ad 7. Confert etiam vim quandam,qua operantur ad eſſe, & ad vltimam actualitatem effectus, vt inſtrumentum Dei, vt ſuprà explicatum eſt. Et cùm arguitur: nam talis concurſus ſupponit in voluntate quidquid ad agendum eſt neceſſarium ex parte actus primi, reſpondetur, ſupponere quidem quidquid eſt neceſſarium ex parte actus primi per modum potentiæ,aut operatiuæ virtutis;non tamen ſupponit applicationem, ſeu vltimum complementum actus primi,ſed illud tribuit voluntati, & cuilibet cauſæ ſecundæ,vt dictum eſt. **XVIII.**

Auxilium efficax tribuit voluntati vltimũ cõplementum actus primi.

Ad confirmationem iam patet ex rationibus adductis pro prima, & ſecunda concluſione, quæ ſit neceſſitas conſtituendi præuium Dei influxum in cauſam præter influxum ſimultaneum.

Ad ſecundum argumentũ reſpondetur,quòd omnis cauſa ſecunda quatenus tribuit effectui eſſe, & vltimam actualitatem,eſt inſtrumentum Dei,vt numero 12. dictum eſt. Et quamuis ratione propriæ formæ habeat virtutem per modum habitus ad ſuos effectus producendos; tamen vltimum complemẽtum,& actualitatem eiuſdem virtutis,accipit à præuia Dei motione,vt dictum eſt.

Ad tertium reſpondetur,quod,vt docet S.Thom. q.3 de potentia, art. 7. ad 8.etiam cauſæ naturales ſupponunt, tanquam neceſſariam, præuiam illam Dei motionem propter rationes ſuperiùs adductas:nam licet ſint per ſuam formam determinatæ naturaliter ad vnum per modum potentiæ actiuæ, ſicut ignis ad calefaciendum, tamen per modum actualis influxus determinantur per motionem diuinam,vt actualiter operentur & cõpleantur in virtute operatiua,vt dictum eſt. Vnde ignis fornacis Babylonis non combuſſit tres pueros intus exiſtentes, quia Deus non applicauit illum ad eos combutendos.

Dan. 3.

XIX. Ad quartum negatur conſequentia: nam potentiæ exteriores, quantùm ad ſuas operationes, non ſubordinantur eſſentialiter voluntati in eſſe phyſico;ſed tantùm in eſſe morali, quod illis competit extrinſeca denominatione.Item etiam voluntas non eſt primum mouens ſimpliciter; cæterùm omnes cauſæ ſecundæ,ſiue naturales,ſiue liberæ, quantùm ad ſuas operationes in eſſe phyſico ſubordinantur eſſentialiter ipſi Deo,tanquam primo agenti,& mouenti ſimpliciter,a quo ſubinde oportet,quòd in ſua virtute operatiua compleantur,vt dictum eſt; vnde non eſt ſimile.

Ad quintum argumentum reſpondetur ex doctrina Caiet. 1. p quæſt. 8. art. 1.notab. 2. & 3. Deum operari immediatè,cùm immediatione virtutis,tum etiam immediatione ſuppoſiti, omnem effectum cuiuſcunque cauſæ creatæ;aliter tamen & aliter:etenim immediatione virtutis operatur immediatè omnem effectum cauſæ ſecundæ, quantùm ad omnia,quæ reperiuntur in illo effectu, cò quòd virtus primi agentis intimiùs, & immediatiùs attingit effectum: dicitur enim in libris de cauſis propoſ. 1. quòd virtus cauſæ primæ priùs agit in cauſatum, & vehementiùs ingreditur in ipſum. Cæterùm immediatione ſuppoſiti producit omnẽ effectum cauſæ ſecundæ immediatè, non quidem quantùm ad omnia,ſed quantùm ad aliqua, videlicet quantùm ad eſſe, & quantùm ad vltimam actualitatem, quæ reperitur in tali effectu, cuius ratio eſt:nam vt docet S. Thom.1 p.cit.& quæſt.3.de potentia,art. 7.

Deus qualiter operetur immediatè immediatione virtutis, & ſuppoſiti.

Digitized by Google

in corp. eſſe creatum eſt proprius effectus ſolius Dei, ſicut ignire eſt proprius effectus ignis. Vnde inter ſuppoſitum diuinum operans, & inter eſſe communicatum effectui, nullum mediat aliud ſuppoſitum operans, quod virtute propria operetur tale eſſe: vnde illud operatur Deus immediate immediatione ſuppoſiti. Verùm quantùm ad ea, in quæ influunt etiam cauſæ ſecundæ, virtute ſuæ propriæ formæ, fatetur Caietanus, Deum non agere immediatè immediatione ſuppoſiti, cùm agat mediantibus ſuppoſitis ſecundarum cauſarum, quæ vt agentia ſecunda principalia ſuos producunt effectus. Hæc ſolutio habet fundamentum in S. Thom. qu. 3. de poten. art. 7. in cor. & ad 4.

XX. Ad ſextum argumentum reſpondetur, nullum prorſus ſequi inconueniens ex noſtra ſententia. & ad primum, quod infertur: nam aliàs voluntas non poſſet operari, quando non habet præuiam motionem, neque imputaretur illi ad culpam, quòd non operaretur; reſpondet ex profeſſo S. Aug. lib. contra duas epiſtolas Pelagianorum, cap. 5. & lib. 4. contra Iulianum, cap. 8. & lib. de correp. & gratia, c. 7. & S. Thom. 1. 2. q. 2. art. 5 ad 1. & 1. 2. q. 109. art. 8. ad 1. & q. 14. de verit. art. 11. ad 2. & multo latiùs 3. cont. Gen. c. 159. & 160. Ex cuius doctrina reſpondetur, præuium illum influxum non eſſe neceſſarium, vt voluntas poſſit operari actus ſibi proportionatos; ſed vt actu operetur. Aliud enim eſt poſſe operari, aliud verò actualiter operari. Vnde ex eo, quòd voluntas non habeat illum præuium Dei influxum, non ſequitur, quòd nõ poſſit operari, ſed ſolùm quòd non ſit operatura de facto, vt optimè explicat Ferrarien. 3. cont. Gent. capit. 155. & nos idem latiùs dicemus diſput. 23. num. 32. Et cùm arguitur: nam illa præuia motio non eſt in poteſtate creatæ voluntatis, maximè quando motio eſt ſupernaturalis, & ad actum ſupernaturalem: reſpondetur, quòd licèt illa motio præuia non ſit in poteſtate voluntatis, tanquam in cauſa efficiente, cùm talis motio præuia ſit effectiuè à ſolo Deo; tamen ſuppoſita illa motione, terminus illius motionis eſt in noſtra facultate, videlicet operatio libera, ad quam datur talis motio. Item etiam eſt in facultate noſtræ voluntatis ſeipſam impedire, ne habeat illam motionem. Vnde ſi non operetur actum, qui eſt in præcepto, imputabitur illi ad culpam, eò quòd ſua culpa ſe impediuit, ne daretur illi auxilium efficax, quod neceſſarium erat vt actualiter operaretur actum virtutis, qui eſt in præcepto, ſicut ſi Deus imponeret homini præceptum volandi, & quantùm eſt ex parte ſua, offerret illi alas, & adiutorium neceſſarium, vt volaret, ipſe autem ſua libertate reſponderet; Domine nec volo alas accipere, nec volare; meritò reputaretur reus, & tranſgreſſor præcepti, etiamſi non poſſet abſque alis volare, quia ſua culpa ſe impediuit, ne illi donarentur à Deo. Solutio eſt D. Th. 3. con. Gen. ca. 159. cit. vbi oſtendit, quod rationabiliter homini imputatur ad culpam, ſi ad Deum non conuertatur, quamuis hoc ſine auxilio gratiæ non poſſit, & aſſignat rationem; quia licèt non ſit in poteſtate hominis illud auxilium, ſed ſolùm in poteſtate Dei: eſt tamen in poteſtate hominis ſe impedire, ne illi à Deo conferatur. Sed de hac ſolutione inferiùs redibit ſermo: interim videatur S. Auguſt. lib. 2. de peccatorum meritis, & remiſſione, cap. 2. vbi ait: *Vt homines non adiuuentur gratia Dei, in ipſis cauſa eſt, non in Deo.* Et epiſt. 105. ad Sixtum docet, eos, quibus non dat Deus auxilium gratiæ, meruiſſe, vt illis non detur: quod etiam aſſerit de diabolo S. Anſelm. lib. de caſu diaboli, cap. 3. vbi ait: *Ista eſt cauſa, quare Deus non conceſſit diabolo gratiam; quia ipſe noluit eam accipere, nec paratus fuit.* quam auctoritatē adducit, & explicat S. Thomas p. 2. qu. 112. art. 3. ad 2. Huius argumenti ſolutio patebit amplius diſp. 22. num. 34.

Auxilio gratiæ efficaci carens peccat, ſi nõ impleat præcepta

Auxilium præuiũ nõ eſt in poteſtate voluntatis.

Diſput. 23. num. 23.

Ad aliud inconueniens, quo infertur, Deum eſſe cauſam peccati, ſi præmouet ad actionem illam, vt actio eſt; reſpondetur, ſimile argumentum fuiſſe obiectum ſancto Auguſtino a Iuliano de peccato originali, vt refert ipſemet Auguſtinus libro tertio cõtra Iulianum, capite nono, ſic enim argumentabatur Iulianus ad probandum non eſſe peccatum originale: Deus eſt cauſa creationis animæ, & ſimiliter inſtituit nuptias; & eſt cauſa, quòd parentes generent prolem: ergo ad illam generationem non ſequitur peccatum originale, alias peccatum tribueretur Deo. Ad quod tamen argumentum reſpondet ibi S. Auguſt. & libro ſecundo de libero arbitrio, capite decimo nono, & 20 vbi tractat quæſtionem illam de peccato actuali, & libro quinto contra Iulian. cap 3. Idem argumentum ſoluit S. Thom. quæſt. 3. de malo, art 2. & in p. 2. qu. 79. art. 2. & latiùs in 2. ſent. diſt. 37. quæſt. 2. art. 2. in corpore. Ex quorum doctrina reſpondetur, in actione illa peccati conſiderari duo: alterum eſt entitas illius actionis, quam habet etiam in particulari, & ſub hac ratione actio illa, quamuis alias ſit peccatum, refunditur in Deum, tanquam in primum auctorem, & ratio eſt, quia cùm ſit ens, per participationem debet refundi in primum ens alias Deus non eſſet primus auctor cuiuſcunque entis. In ratione autem entis illa actio non eſt mala, ſed bona; quia omne ens, vt ens, bonum eſt, & conſequenter debet eſſe à Deo præmouente. Secundò conſideratur, vt eſt mala moraliter, & defectiua, ſiue inquantùm eſt peccatum, & ſub hac ratione ſolùm reducitur in cauſam deficientem, videlicet in voluntatem creatam, quæ voluit operari deficienter, ad illam enim dicit intrinſecum ordinem. Vnde peccatum, abſolutè loquendo, non eſt à Deo, neque præmouente, neque ſimul influente; non enim Deus eſt cauſa peccati, quamuis ſit cauſa actionis, quæ habet, vt ſit peccatum a mala voluntate. Vnde S. Tho. in 2. ſenten. diſt. 37. citata, explicans, qualiter in hac materia ſit loquendum, ait: *Quodcunque nomen deformitatem ſimul cum actu ſignificat ſiue in generali, ſiue in ſpeciali, non poteſt dici, quòd hoc à Deo ſit ſimpliciter. Vnde non poteſt dici abſolutè, quòd peccatum ſit a Deo, vt homicidium, aut aliquid huiuſmodi: niſi cum hac additione, inquantùm eſt actus, & inquantum eſt ens.*

XXI. Deus non eſt cauſa peccati.

Actus peccati vt ens à Deo eſt.

Hanc ſolutionem proſequitur optimè Ferrar. 3. contra Gent cap. 71. circa finem, vbi oſtendit ex S. Thoma, quòd poſſit agens primo mouere cauſâ ad agendum entitatem actionis peccati, & non agere ad deformitatem, quia videlicet deformitas non ſequitur ad actionem illam, vt actio eſt, ſed vt dicit habitudinem ad cauſam deficientem. Eandem ſolutionem tradit S. Aug. vbi ſuprà, Capreol. in 2. diſt. 37. quæſt. 1. art. 1. concluſione ſecunda, & artic. ſecundo, in ſolutione ad argumenta contra ſecundam cõcluſionem. Mag. Canus libro ſecundo de locis, capite quarto ad ſeptimu, Sotus libro primo de natura, & gratia, cap. 18. circa finem, vbi docet, Theologos cõiteri, Deum eſſe cauſam entitatis, & actionis peccati eo efficientiæ genere, quo præmouet omnia ad ſuas naturales actiones. Idem tenet M. Bañes 1. p. quæſt. quadrageſima nona, art. 2. & Mag. Med. p. 2. q. 109 ar. 2. de quo latiùs agẽdum erit diſp. 24. Et, vt euidenter appareat huius argumẽti ſolutio, aduertimus, quòd eadem omnino difficultas procedit de cõcurſu Dei ſimultaneo, quæ eſt de præuio. Vnde auctores oppoſitæ ſententiæ, cùm fateantur, Deum actuali concurſu ſimultaneo verè, & propriè cauſare in particulari entitatẽ illã, & actionem, quæ

XXII.

quæ eſt peccatum;reſpondere ſimiliter tenentur ad difficultatem propoſitam:cui & ipſi ſatisfaciunt dicentes, quòd illa deformitas peccati ſequitur ad actionem, vt eſt à voluntate deficiente, non autem vt procedit à Deo ſimul cum voluntate influente; vnde voluntati deficienti,& non Deo tribuenda eſt. Quod ergo illi reſpondent ad argumentum procedens de influxu Dei ſimultaneo, idem reſpondemus & nos, cùm illi argumentantur contra prævium Dei concurſum:eadem enim ſolutio procedit de vtroque,vt diſp.14.nu.20.& 21.manifeſtum fiet.

Ad locum inductum ex Conc.Trid. reſpondetur, quòd ibi damnatur hæreſis Lutheranorum,& ſequacium, qui aſſerebant, Deum operari in nobis mala opera ita, vt bona; ſentiebant enim iſti hæretici, quòd noſtra voluntas mere paſſiuè ſe habet in ordine ad peccata, & in ordine ad quæcunque opera; vel ſi actiuè concurrit, eſt quidem motu ſpontaneo,non libero:atque adeò dicebant,quòd,abſolutè loquendo,ita ſit opus Dei peccatum,ſicut eſt actus bonus;vnde tribuebant Deo & entitatem actionis peccaminoſæ, & deformitatem, atque defectum, vt diſput. 3. oſtenſum eſt, & diſput. 24. manifeſtum fiet. quod quàm alienum ſit à noſtra ſententia, ſatis conſtat ex dictis. Nos enim cum S. Auguſtino tribuimus Deo, quod ſuum eſt, videlicet entitatem illius actionis: & deficienti voluntati creatæ damus, quod eſt proprium illius, videlicet defectum eiuſdem actionis,& peccatum.

XXIII. Auxilium efficax non deſtruit,ſed perficit libertatem.

Ad ſeptimum argumentum cum ſua confirmatione reſpondendum erit ex profeſſo diſputatione 121. vbi explicabimus, qualiter per efficaciam auxilij præoperantis gratiæ non deſtruatur, ſed potiùs roboretur,& perficiatur noſtri arbitrij libertas. Nunc autem dicimus,quòd, vt patebit diſput. 115. & 116. etiam in illo inſtanti,in quo volùtas mouetur à Deo tali motione prævia;eadem voluntas poteſt nó operari,ſi velit,aut operari oppoſitu actum;quia motio Dei prævia, quatuuis efficax in actu primo,imò etiã dum eſt efficax in actu ſecundo,non aufert à voluntate potentiam, & facultatem, qua poteſt operari, oppoſitum,aut non operari ſed ſolùm efficit, quod cum voluntas poſſit non operari actum, ad quem mouet;infallibiliter tamen operetur illum; & propterea manet libera in ipſo exercitio:cuius ratio eſt, quia quamuis libertas ſit formaliter in voluntate; radicaliter tamen eſt in intellectu, & fundatur in differentia iudicij, quo intellectus iudicat, bonum propoſitum voluntati,non habere neceſſariam, ſeu naturalem connexionem cum bono in communi, ad quod naturaliter determinatur voluntas: & quoniam intellectus pro iſto ſtatu,quodcunque bonum proponat voluntati, illud proponit cum indifferentia huiuſmodi iudicij;ideo manet libera reſpectu talis obiecti, quoad exercitium, vt optimè explicat S. Thom. quæſt. 24. de verit. artic. 1. & 1 part. quæſt. 85. artic. 1. & 3. contra Gen. cap. 85. ratione 4. & quæſt. 3. de malo, art 3. in corpore. Quòd autem motio actualis,qua Deus efficit, vt voluntas velit bonum, ſecum compatiatur potentiam, qua voluntas poſſit determinare ſe ad oppoſitum actum, ſi velit; docet S. Proſp. lib. 2. de vocat. gent. capit. 17. & 18. dum ait: *Quod Deus voluit eos velle,voluerunt, qui ad obediendum ſibi ipſum velle ſic donat,vt etiam à perſeueraturis illam mutabilitatem,qua poteſt nolle, non auferat.* Idem confirmat S. Thom. quæſt.22.de verit. art.5.ad tertium, dicens *quamuis non eſſe effectus diuinæ voluntatis, non poſſit ſimul ſtare cum diuina voluntate: non enim ſunt iſta incompoſſibilia: Deus vult iſtum ſaluari,& iſte poteſt damnari, ſed tamen iſta ſunt incompoſſibilia: Deus vult iſtum ſaluari, & iſte damnatur.* & quæſt.6. de verit art. 3. ad ſeptimum,inquit:*Si loquamur de prædeſtinato ſecundùm ordinem,quem habet ad aliud ſcilicet ad Deum prædeſtinantem,ſic ordo ille non compatitur ſecum iſtum euentum,quod ſcilicet moriatur in peccato mortali. quamuis compatiatur ſecum iſtam potentiam.* Similiter & nos dicimus, quòd licèt iſta duo ſimul ſint incompoſſibilia: hic homo mouetur efficaciter à Deo ad conſenſum, & iſte homo diſſentit,tamen iſta duo,ſimul ſunt compoſſibilia:hic homo mouetur efficaciter à Deo ad conſenſum,& hic homo poteſt diſſentire,ſi velit,vt ex Conc.Trident.conſtat,vnde manet ſemper liber in exercitio.

Conc. Trid. ſeſſ.6.can.4.

Ad confirmationem reſpondetur, quòd,vt patebit diſputatione 23. 25. 115. & 116. determinatio ad vnum ex neceſſitate, quæ aliàs dicitur determinatio naturalis, repugnat libertati, non autem determinatio ad vnam operationem ſecundùm modum voluntatis. efficax autem Dei præmotio prædeterminat quidem voluntatem ad alteram partem, non quidem ex neceſſitate,ſed iuxta propriam naturam ipſius voluntatis,vt docet ſanctus Thomas 1. p.quæſt.2 3.art 1.ad 1.& de veritate,q.25. art.1.ad 1. & 3.contra Gentes.cap.90.& p.2.q.10.a.4.in corpore. Qualis autem indifferentia ſit de eſſentia libertatis,diſp. 115.& 116.explicabitur.

Auxilium efficax non prædeterminat ad vnum ex neceſſitate.

Octauum argumentum petit,vt explicemus aliam difficilem quæſtionem: Quidnam videlicet ſit efficax illa præmotio, qua diximus indigere omnes cauſas ſecundas, vt actualiter operentur.& quid ſit illud prævium quod ſit à Deo in cauſa ſecunda antecedenter ad eius operationem, ſiue cauſa ſit naturalis,ſiue libera.& quoniam potiſſima difficultas procedit de cauſis liberis,& contingentibus,de illis ſpecialiter agendum erit in præſenti.

Libertas voluntatis radicaturin iudicij rationis indifferenti.

Auxilium efficax,quo prædeterminatur homo ad vnũ actum, cõpatitur ſecũ potẽtiã ad oppoſitum.

DISPVTATIO XIX.

Quidnam ſit motio illa prævia,qua Deus mouet, & applicat cauſas ſecundas ad operandum.

PRIMA ſententia eſt quorundam Thomiſtarum,aſſerentium, præmotionem primæ cauſæ in ſecundis cauſis receptam,qua ad operandum mouentur,& applicantur,eſſe qualitatem,non quidem per modum permanentis, ſed per modum diſpoſitionis tranſeuntis cum operatione cauſæ ſecundæ. Quam ſententiam vt probabilem defendit Magiſter Cabrera,& eam videntur ſuadere hæc argumenta. I.

M.Cabrer.3. par q. 18.ar. 4.dub.1 cõclu. 4.n.58.

Primò.Nam S.Thom.1.par.q.109.a.9. in corpore, ex eo probat,illum,qui iam conſequutus eſt iuſtificantem gratiam, adhuc indigere ad rectè operandum auxilio actuali,ſeu motione diuina;quia *nulla res creata poteſt in quemcumque actum prodire, niſi virtute motionis Diuinæ.* & hanc rationem dicit eſſe generalem,comparatione cuiuſlibet cauſæ ſecundæ. ſentit ergo ciuſmodi motionem eſſe qualitatem, ſiquidem affirmat tribuere cauſæ ſecundæ virtutem ad operandum. Et artic. 1. eiuſdem quæſt. idipſum docet,ſub his verbis: *Quantumcunque natura aliqua corporalis,vel ſpiritualis ponatur perfecta, non poteſt in ſuum actum procedere,niſi moueatur à Deo.*Ex quo teſtimonio, & aliis eiuſdem ſancti Thomæ, diſputatione decima octaua adductis,deſumitur argumentum. Sine motione diuina non poteſt cauſa ſecunda operari,ergo per illam poteſt; ergo talis motio tribuit aliquam virtutem ad operandum: ergo eſt qualitas,ſaltem per modum tranſeuntis.

Secundò arguitur. Motio Dei præuia confert causis secundis aliquam virtutem operatiuam, cùm illas constituat in vltimo complemento actus primi; sed omnis virtus operatiua, seu conferens formaliter virtutem operatiuam, est qualitas pertinens ad primam, vel secundam speciem: ergo.

Confirmatur. Causa efficiens operatur in quantùm est actu, & in tantum deficit à virtute operandi, in quantùm est in potentia: ergo id, quod tribuit formaliter vltimam actualitatem ad operandum, confert causæ efficienti aliquam virtutem, vt operetur, ac per cõsequens erit qualitas. Cùm ergo motio Dei actualis conferat secundis causis actualem virtutem ad operandum, sequitur, quòd sit qualitas.

Tertiò. Causa secunda, licèt sit causa principalis suæ operationis, quantùm ad speciem illius, & substantiam: tamen, vt illam attingat, quantùm ad esse, siue in ratione entis, & actualitatis, oportet, quòd vltra formam permanentem recipiat à Deo motionem actualem, cuius virtute concurrat ad effectum producendum, in quantùm habet esse, siue actualitatem vltimam, eò quòd solus Deus est causa principalis entis, in quantum ens actu, cùm vniuersalissimus effectus in vniuersalissimam causam reduci debeat: ergo motio Dei præuia erit qualitas, tribuens virtutem actualem potentiæ ad attingendum instrumentaliter suum effectum in quantùm ens, & actus est.

Quartò, idem probatur ratione speciali, procedente de motione ad actus imperfectos supernaturales, qui eliciuntur à rationalibus potentiis ante infusionem habitus, quales sunt, timor inferni, desiderium imperfectum obtinendi salutem, attritio, quam sacrum Concilium Tridentinum docet: *Effundunt Deo, & Spiritus sancti impulsum, nondum quidem inhabitantis, sed mouentis; quo pœnitens adiutus, viam sibi ad iustitiam parat.* Etenim huiusmodi actus supernaturales eliciuntur à potentiis eleuatis solùm per auxilium speciale, seu motionem actualem gratiæ adiuuantis, non autem per habitus, vel qualitates permanentes: quia, vt supponitur, non habent in se habitus infusos: ergo necesse est, quòd eleuentur, & constituantur in actu primo per aliquam transeuntem qualitatem, vt tanquam causa principalis, efficiant eosdem actus. alias enim homo solum esset instrumentum Dei comparatione illorum actuum: id enim, quod operatur per solam motionem alterius agentis, non est causa principalis, sed instrumentalis, sicut aqua calefacta ab igne, solum est causa instrumentalis calefactionis, & caloris: quia solùm operatur, vt mota ab igne: ergo auxilium speciale, seu motio Dei ad dictos actus imperfectos, erit qualitas in potentiis recepta, & à solo Deo producta.

Concil. Trid. sess. 14. c. 4. de sacramẽto Pœnitentia.

Secunda sententia asserit per oppositum extremum, auxilium actuale, seu motionem Dei non importare aliquid receptum in causis secundis antecedens, etiam ordine naturæ, & causalitatis, operationes earum; sed esse ipsum Deum, seu voluntatem Diuinam, quatenus parata est, & expósita ad concurrendum simul cum causis secundis. quotiescunque ipsæ vel ex necessitate naturæ operentur, vel ex innata libertate operari voluerint. In causis autem secundis, dicunt, motionem Dei solùm importare, aut ponere ipsam operationem causæ, quatenus procedit efficienter ex concursu Dei simultaneo, sicut creatio in creatura nihil ponit distinctum à substantia illa, sed est ipsa creatura, secundùm quod procedit efficienter à Deo. Probatur hæc sententia sequentibus argumentis.

Quintò arguitur. Si auxilium Dei actuale esset aliquid præuium ad operationem causæ secundæ, pertineret ad primam, vel secundam speciem qualitatis: sed ad neutram illarum pertinet: etenim prima, & secunda species qualitatis ponunt aliquid intrinsecum in subiecto, quod sit principium actiuum operationum: illud autem auxilium præuium non est principium intrinsecum actiuum: nam posito in nobis quocunque principio intrinseco actiuo, indigemus adhuc auxilio diuino, & concursu Dei, vt operemur, sed posito auxilio diuino, non indiget homo alio auxilio Dei ad operandum, alias daretur processus in infinitum: ergo auxilium Dei non est principium intrinsecum actiuum operationis.

Sextò. Nulla virtus, aut qualitas actiua est determinata ad vnum effectum numero, sed potest plures producere, vt patet, discurrendo per omnes virtutes actiuas, quas experimur; sed auxilium Dei actuale est determinatum ad vnum effectum numero, & ad vnam operationem, nam transit cum ipsa operatione: ergo non est qualitas, aut virtus actiua.

Septimò. Sola subordinatio essentialis ad efficacissimam voluntatem Dei est sufficiens, vt liberum arbitrium producat supernaturales actiones, præsertim si fuerit constitutum in actu primo per habitus supernaturales: ergo superfluè constituitur, tanquam necessarium auxilium aliud actuale, quod sit qualitas, aut virtus actiua. Antecedẽs probatur: nam humanitas Christi absque aliquo principio actiuo creato ex sola subordinatione ad Verbum, cui vnitur, elicit operationem infinite meritoriam; etenim illa infinitas non prouenit ex aliquo principio creato, ergo prouenit ex sola subordinatione ad Verbum, cui est hypostatice vnita: ergo similiter liberum arbitrium nostrum ex sola subordinatione ad Deum poterit elicere operationem supernaturalem absque alio auxilio, quod sit virtus actiua.

Octauò. Auxilium, siue influxus Dei actualis, quo adiuuat hominem ad eliciendum actum liberum, nihil est aliud, quàm actus liber, secundùm quod procedit ex influxu Dei, & quatenus est in fieri à Deo: ergo non est virtus actiua. Patet consequentia: nam omnis operatio distinguitur realiter à virtute actiua: etenim actio non est principium actiuum actionis. Antecedens probatur: nam influxus actualis liberi arbitrij, quo ad eundem actum liberum concurrit, nihil est aliud, quàm ipsa operatio libera, vt procedit effectiue a nostro libero arbitrio: ergo similiter motio, qua Deus mouet voluntatem ad actum liberum, erit realiter ipse actus liber, secundùm quod est in fieri à Deo.

Confirmatur. In naturalibus motio ad albedinem est ipsa albedo, vt in fieri: quia, vt dicit Aristoteles, motus non est præter res, ad quas est motus: ergo motio actualis, qua Deus mouet voluntatem ad actũ liberum, erit ipse actus liber, vt est in fieri à Deo.

Tertia sententia affirmat auxilium, seu motionem actualem, qua Deus mouet, & applicat causas secundas ad operandum esse aliquid receptum in ipsis causis secundis prius natura, quam operentur, & si inquiratur, quid sit, respondent, esse realiter ipsam operationem causæ secundæ, quatenus procedit à Deo, eam applicante, & promouente efficaciter ad operandum. Ex quo inferunt, quòd prædeterminatio, qua Deus prædeterminat voluntatem ad actionem liberam, non sit distincta realiter à determinatione actuali, qua voluntas seipsam determinat per suam operationem, sed eadem. Cùm enim voluntas formaliter se determinet, eliciendo actum liberum, idem actus, secundùm quod procedit à Deo præmouente, dicitur prædeterminatio Dei; quatenus verò procedit à voluntate simul tempore, sed posteriùs natura cooperante, dicitur determinatio voluntatis. Probant hoc aliquibus argumentis ex factis à principio.

III.

Præterea. Nã determinatio voluntatis posita est in illo

illo exitu, quo voluntas exit de potẽtia ad actum, & de actu primo ad actum ſecundum: quod quidem non aliter fit, quàm per actionem procedentem ab ipſa voluntate, cum iam incipit agere, & operari; ad quem exitum Deus iuuat ſua motione actuali, influendo priùs natura, & incipiendo: & hac ratione dicitur præmouere voluntatem efficienter propriè, & eam prædeterminare: ergo prædeterminatio Dei non diſtinguitur realiter à determinatione noſtræ voluntatis.

Confirmatur. Nam à parte rei non ſunt conſtituendæ duæ determinationes voluntatis diſtinctæ, vna Dei, altera voluntatis: nam talis multiplicatio ponitur fruſtra: ergo determinatione eadem, qua voluntas ſe determinat, determinatur à Deo, tanquam à primo deliberante, & prædefiniente.

Differt autem hæc ſententia à præcedenti: nam licèt vtraque aſſerat concurſum Dei generalem, ſiue auxilium actuale non diſtingui realiter ab operatione cauſæ ſecundæ; auctores tamen primæ ſententiæ dicunt, quòd auxilium actuale eſt ipſa operatio cauſæ ſecundæ, vt procedit ex influxu Dei, non quidem prævio, ſed ſimultaneo; non enim volunt admittere, quòd in aliquo priori etiam rationis, ſiue cauſalitatis, phyſicè moueat Deus voluntatem ad actum noſtrum liberum, antecedenter ad influxum creati arbitrij. Auctores autem huius tertiæ ſententiæ dicunt, quod auxilium actuale Dei eſt realiter ipſa operatio cáuſæ ſecundæ, vt procedit ex influxu Dei præmouente, & prædeterminante cauſam ſecundam ad influendum & operandum, vt ſemper ſaluetur, quòd ſolus Deus eſt, qui primò incipit, qui efficienter facit, vt faciamus, & operatur, vt operemur. De hac ſententia iterum erit agendum inferiùs, cùm diſputabitur de efficacia auxilij præuenientis gratiæ.

IIII. Quarta ſententia eſt aliorum Thomiſtarum, aſſerentium, auxilium Dei, ſiue motionem prævium, qua mouet, & applicat cauſas ſecundas ad operandum, eſſe in illis aliquid realiter diſtinctum ab earum operationibus, & eſſe quoddam complementum virtutis actiuæ: *quo actualiter agat*, vt dicit ſanctus Thomas. Et quoniam hæc ſententia eſt ad mentem ſancti Thomæ, pro eius explicatione ſupponenda ſunt aliqua.

S. Thom. q. 3. de potentia, art. 7. ad 7.

Primò ſupponendum eſt, præſentem difficultatem non procedere de influxu, ſeu concurſu Dei ſimultaneo, quo vna cum libero arbitrio creato operatur. Omnes enim conueniunt, huiuſmodi concurſum nihil aliud eſſe in nobis, niſi operationem ipsâ liberi arbitrij, vt procedit efficienter à Deo; ſicut creatio nihil aliud intrinſecum ponit in creatura, niſi ipſam ſubſtãtiam creatam, vt à Creatore procedit. Et idem ſentiendum de concurſu diuino comparatione effectus cuiuſcunque alterius cauſæ ſecundæ. Quæſtio ergo procedit de influxu, ſeu motione prævia ad concurſum cauſæ ſecundæ, quæ datur per modum auxilij, & immediatè recipitur in cauſa ſecunda priùs ordine rationis, & cauſalitatis, quam ipſa operetur.

Supponendum ſecundò, quòd in præſenti poſſumus loqui de auxiliis gratiæ, quibus Deus adiuuat ad ſupernaturales actus hominẽ, iam conſtitutum in actu primo per ſupernaturales habitus Fidei, Spei, & Charitatis: aut verò de auxiliis, quæ dantur ad ſupernaturales actus antecedentes infuſionẽ habitus. Sunt enim quidam actus ſupernaturales perfecti, vt contritio, & actus charitatis, qui procedunt ab habitibus infuſis: alij imperfecti, vt timor inferni, & attritio, & alij huiuſmodi, quibus remotè præparatur homo ad iuſtificationem; qui quidem non ex habitibus ſupernaturalibus, ſed ex impulſu ſpeciali Spiritus ſancti procedunt, nondum quidem inhabitantis, ſed mouentis, vt ſuprà dictum eſt.

Supponendum tertiò, quòd, cum in natura intellectuali ſint duæ potentiæ, quæ eleuari poſſunt ad actus ſupernaturales, ſcilicet intellectus, & voluntas, difficultas procedit de auxiliis tam ex parte intellectus, quàm ex parte voluntatis, & quæſtio eſt: Vtrùm auxilium gratiæ ponat aliquid intrinſecum non ſolùm in intellectu, ſed etiam in voluntate: an verò poſt perfectam illuſtrationem intellectus poſſit voluntas immediatè elicere conſenſum, abſque alio auxilio inhærente eidem voluntati, quod ſit principium actiuum conſenſus. Sed quoniam hæc pertinent ad quæſtionẽ de efficacia gratiæ, ſuo loco erunt inferiùs diſcutienda; & nunc tantùm agendũ de concurſu Dei generali, ſiue pertinente ad ordinem naturæ, ſiue ad ordinem gratiæ.

V. Auxilium actuale præuium eſt in cauſis ſecũdis aliquid incõpletũ.

PRima concluſio. Id quod à Deo fit in cauſis ſecundis, quo actualiter agant, eſt aliquid habens eſſe quoddam incompletum per modum, quo colores ſunt in aëre, & virtus artis in inſtrumento artificis. Hæc concluſio, vt iacet, eſt expreſſa ſancti Thomæ, quæſtione tertia, de potentia, articulo ſeptimo, ad ſeptimum, vbi ait: *Virtus naturalis, quæ eſt rerum naturalibus in ſua inſtitutione collata, ineſt eis, vt quædam forma habens eſſe ratum, & firmum in natura. Sed id, quod à Deo fit in re naturali quo actualiter agat, eſt, vt inĉtio ſola, habens eſſe quoddam incompletum per modum, quo colores ſunt in aëre, & virtus artis in inſtrumẽto artificis.* Et probatur eius ratione: nam rebus naturalibus potuit conferri, & collata eſt de facto in ſua prima inſtrutione, & creatione forma, & virtus in eis permanens, qua ſibi proportionatos poſſent effectus producere; non tamen potuit eis conferri vis aliqua permanẽs, qua agerent ad eſſe, vt inſtrumentum primæ cauſæ, niſi daretur eis, quòd eſſent vniuerſale eſſendi principium: ſicut per artẽ dari potuit acumen ſecuri, vt eſſet forma in ea permanens apta ad ſcindendum, non tamen potuit ei communicari, quòd abſque motione artificis rem artificiatam efficeret: ergo influxus Dei prævius, quo cauſæ ſecundæ actualiter agunt, eſt in illis aliquid incompletum & tranſiens cum ipſa operatione, ſicuti eſt virtus, qua inſtrumentum motum ab artifice, operatur ad effectum artis.

VI. Auxilium efficax eſt effectiuè à ſolo Deo.

Secunda concluſio. Hoc ens incompletum prævium actioni cauſæ ſecundæ producitur in illa effectiuè à ſolo Deo, & nullo modo depẽdet efficiẽter ex influxu ipſius cauſę ſecundæ. Concluſio eſt etiam ſancti Thomæ, articulo ſeptimo citato, ad tertium argumentum, vbi ait: *in operatione, qua Deus operatur, mouendo naturam, non operatur ipſa natura.* Sentit ergo, illud incompletum prævium operationi cauſæ ſecundæ produci à ſolo Deo effectiuè.

Præterea probatur euidenti ratione: nam illud ens incompletum eſt quid prævium operationi, ſiue influxui cauſæ ſecundæ, & antecedit illum ordine cauſalitatis: ergo non dependet efficienter ab ea. Patet conſequentia, tum quia priùs, non dependet à poſteriori, tum etiam quia effectus non poteſt antecedere ſuam cauſam efficiẽtem, nec eam prævenire, alias haberet eſſe, antequã à ſua cauſa produceretur.

Confirmatur: nam, vt ſuprà dictum eſt, & patebit infrà, actuale Dei auxilium, quo Deus præmouet cauſas ſecundas, & eas applicat ad operandum, tribuit illis complementum virtutis actiuæ, vt operentur: ergo non dependet efficienter ab ipſa operatione cauſæ ſecundæ; virtus enim actiua cauſæ, & complementum illius non dependet effectiuè ab operatione eiuſdem cauſæ, aliàs idem ſecundùm eãndem rationem ſimul eſſet cauſa & effectus in eodẽ genere cauſæ reſpectu eiuſdem, quod implicat.

In hac diſp. num 5. & diſp. 18. num. 12. & 18.

Ex quo sequitur, quòd omnis causa secunda in ordine ad illud præuium auxilium Dei, se habet passiuè, siue causa secunda sit naturalis, siue libera: & ratio est, quoniam omne recipiens, inquantùm recipiens, se habet passiuè in ordine ad formam, quam recipit; cùm ergo illud auxilium præuium sit effectiue à solo Deo, & recipiatur in causa secunda antecedenter ad eius operationem; relinquitur, quòd ipsa causa secunda se habeat passiuè, & non actiuè in ordine ad illud. Neque ex hoc sequitur, quòd voluntas, dum iustificatur adultus, vel producit actum liberum, se habeat merè passiuè, vt Lutherus asseruit: quoniam licèt passiuè se habeat in ordine ad auxilium præuium, tamen in ordine ad actum liberum, ad quem mouetur, se habeat actiuè, & liberè, vt inferiùs patebit. Vnde Conc. Tridentin. sessio. 6. de Iustification. canon. 4. non damnat eos, qui dicunt, liberum arbitrium se habere passiuè in ordine ad motionem diuinam; sed eos, qui sentiunt, non posse dissentire, si velit; sed velut inanime quoddam, nihil omnino agere, meréque passiuè se habere. In quibus verbis non obscurè supponit Conc. nostrum liberum arbitrium passiuè se habere in ordine ad excitationem, & motionem diuinam, quam in se recipit, vt capite quinto præmiserat: solùm ergo determinat, quòd non se habet mere passiuè, ita vt, velut inanime quoddam, nihil omnino agat, nihilque cooperetur, libere assentiendo Deo excitanti, atque vocanti: agit ergo aliquid liberum arbitrium, non quidem effectiue producendo auxilium efficax, quo mouetur à Deo vt liberè consentiat; sed libere producendo consensum, ad quem Deus per auxilium gratiæ mouet ipsum arbitrium.

Voluntas in ordine ad auxiliũ præuium se habet passiuè.

Conc. Trident definitio quòd lib. arb. nõ se habet merè passiuè, expẽditur.

VII. Tertia conclusio. Quoties causæ secundæ, siue ordinis naturalis sint, siue supernaturalis, habent, ratione formæ sibi inhærentis, sufficientem virtutem actiuam, per modum actus primi, proportionatam cum effectu; tunc auxilium Dei, seu motio præuia, qua Deus mouet, & applicat ealdem potentias actiuas ad operandum, non est qualitas, sed proprio vocabulo dicitur motio virtuosa, qua primum agens vniuersalissimum efficit, vt causæ secundæ actualiter operentur, vnaquæque iuxta modum sibi proprium. Hæc conclusio est expressa sancti Thomæ prima secundæ, quæstione cẽtesima decima, articulo secundo, vbi quærit: Vtrum gratia sit qualitas; & respondet, quòd gratia habitualis est qualitas; auxilium autem actuale, quo nos mouet ad aliquid volendum, non est qualitas, sed motus quidam animæ; quod probat: nam actus mouentis in mobili est motus mobilis, vt dicitur tertio Physicor. text. 1.

Præterea probatur ratione. Omnis qualitas actiua pertinet ad primam, vel secundam speciem qualitatis, at verò Dei auxilium actuale non pertinet ad aliquam speciem illarum: ergo non est qualitas. Minor probatur: nam habitus perficit potentiam in ratione actus primi, includentis potentialitatem, comparatione actualis operationis, eò quòd habitus non determinat potentiam ad actualiter operãdum, stat enim, quòd quis habeat in se habitũ, & nõ operetur; sed auxilium actuale præmouens causas secundas ad operandum non perficit potentiam, constituendo illam in actu primo, sed potiùs reducit ipsum actum primum ad actum secundum; hæc enim duo sunt incompossibilia, quòd iustus mouetur efficaciter ad diligendum Deum, & tamen non diligat illum, vt sæpe docet S. Thomas.

2. Thom 1. 2. q. 24 a. 11. in corp. & 1. 2 q. 112 a. 3. in corp.

Secundò probatur. Impossibile est, quòd per aliquem actum, aut qualitatem actiuam determinetur liberum arbitrium ad vnam numero operationem; habitus enim ex natura sua, quandiu est in viatoribus, potest esse principium diuersarũ actionum; sed prædictum auxilium actuale determinat liberum arbitrium ad vnam numero operationem: quamuis cum vera facultate, qua possit operari oppositam, si velit, aut non operari. ergo auxilium actuale non est habitus, aut qualitas actiua.

Tertiò. Habitus subiiciuntur libero arbitrio, quãtum ad vsum; habitibus enim vtimur, cùm volumus: sed auxilium Dei actuale, seu præuia motio diuina non subditur libero arbitrio, quantum ad vsum, sicut subiiciuntur habitus; sed potiùs ipsum auxilium subiicit voluntatem humanam, & eã sibi obsequentem facit, vt disp. 87. patebit: ergo.

Quartò. Posito in homine quocunque habitu, aut qualitate actiua, indiget adhuc auxilio, seu motione diuina, vt actualiter operetur, vt disputatione præcedenti ostensum est, sed posito prædicto auxilio in homine, non indiget alio auxilio, quo moueatur; & applicetur ad operãdũ, aliàs daretur processus in infinitum: nam illud vltimum auxilium erit habitus, vel qualitas actiua, & consequenter indigebit alio auxilio ad operandum, & sic in infinitum, ergo, &c.

Quinto. Si auxilium gratiæ, quo Deus nos mouet ad operandum, esset habitus, aut qualitas actiua; sequeretur, quòd iustus, qui non habet in se tale auxilium, seu motionem diuinam actualem, non haberet reuera principium sufficiens, quo posset operari, si velit: nam deesset illi aliqua qualitas actiua, qua in actu primo per modum principij cõstitueretur. Consequens autem est falsum, & contra S. Augustinũ, qui sæpissime docet, primis parentibus fuisse concessum adiutorium gratiæ, quo possent perseuerare, si vellent; qui tamen non receperunt auxilium, seu motionem actualem, qua perseuerarent, & vellent. Eisdem argumentis poterit facile probari, auxilium præuium actuale non pertinere ad speciem dispositionis, aut naturalis potentiæ; præsertim cùm eiusmodi auxilium præsupponat potentiam, quam eleuat in actu primo constitutam.

Aug. lib. de correp & gratia. c. 12. lib. de præd. ss. 16. tom. 7.

Quarta conclusio. Etiam quando potentiæ non sunt constitutæ per habitus infusos, in actu primo proportionato cum actionibus supernaturalibus timoris Inferni, attritionis, & similium actuum, qui regulariter infusionem habitus tempore antecedunt, sed præueniente gratia eleuantur ad eosdẽ actus eliciendos; censeo, auxilium actuale præuium quo Deus efficit, vt homo actus illos producat, non esse formaliter qualitatem, sed motionem Dei virtuosam. Probatur argumentis factis pro conclusione præcedenti, quæ hanc etiam probare videntur.

Præterea probatur. Auxilium actuale præuium, quo Deus mouet efficaciter potentiam ad eliciendos prædictos actus supernaturales tempore antecedentes infusionem habitus, est eiusdem rationis cum auxilio actuali, quo Deus mouet efficaciter liberum arbitrium informatum habitibus supernaturalibus ad operationes supernaturales; sed hoc auxilium præuium non est qualitas, vt ex dictis in præcedenti conclusione cõstat: ergo neque illud. Et si quis petat, per quid cõstituantur potentiæ in actu primo, siue in potentia proxima ad eliciendos actus supernaturales, tempore antecedentes infusionem habitus: respondetur, hãc esse specialem difficultatem inferiùs discutiendam, cùm de gratia excitante, & sufficiente disputabimus.

Disp 68. num. 12. & d. 76. Auxilium efficax realiter distinguitur ab operatione causæ secundæ.

Quinta conclusio. Hæc motio præuia, siue auxilium actuale realiter distinguitur ab operatione causæ secundæ: hæc est contra auctores secundæ sententiæ. Sed probatur primò. nam omnis cau-

sa

ſa efficiens realiter diſtinguitur à ſuo effectu; inter cauſam enim efficientem, & eius effectum debet eſſe diſtinctio realis, aliàs idem eſſet cauſa efficiens ſui ipſius, ſed illa motio prævia, ſiue Deus per illam motionem eſt cauſa efficiens, quod liberum arbitrium, & quæuis alia cauſa ſecunda operetur, vt dicetur infrà diſputatione ſexageſima octaua, ergo realiter diſtinguitur ab operatione eiuſdem cauſæ ſecundæ.

Probatur ſecundò. Voluntas priùs in ſigno rationis recipit in ſe motionem Dei prævuiam, quàm producat actum liberum, vt ex præmiſſis patet: ergo motio Dei non poteſt eſſe realiter idem, quod actus liber eiuſdem voluntatis. probatur conſequentia: nam voluntas prius efficit actum ſuum liberum, quàm recipiat illum, vel patiatur ab eo.

B Probatur tertiò. Motio illa prævia eſt terminus productus per ſolam operationem diuinam, vt ſuprà dictum eſt: operatio autem, & effectus cauſæ ſecundæ non eſt quid productum efficienter à ſolo Deo, ſed etiam à cauſa ſecunda: ergo motio illa non identificatur realiter cum operatione cauſæ ſecundæ, vel cum termino producto per illam: probatur conſequentia: nam cùm operationes ſpecificentur ex terminis; vbicunque fuerint operationes realiter diuerſæ, debent realiter diſtingui & termini.

Et ſi obiiciatur contra iſtam rationem: nam effectus cauſæ ſecundæ eſt vnus, & idem realiter: & tamen producitur per diuerſam operationem, & influxum, videlicet per operationem Dei, & cauſæ ſecundæ: ergo ex diuerſitate operationum non cõcluditur diuerſitas effectuum. Reſpondetur, quòd quando cauſæ ſunt ſubordinatæ, non ponunt in numero, reſpectu effectus, quem producunt: nam cauſa inferior operatur in virtute ſuperioris; vnde ab vtraque poteſt ſimul idem numero effectus produci, vt docet S. Thom. quæſt. 3. de potentia, art. 7. ad 3. Id autem, quod ex natura ſua habet, vt producatur effectiuè à ſolo Deo, non poteſt eſſe idem realiter cum eo, quod producitur effectiuè à cauſa ſecunda.

. Probatur quartò. Deus non poteſt per ſeipſum in aliquo priori attingere immediate actum liberum, in quo illum nõ attingat voluntas creata: ergo auxilium efficax ſeu motio Dei prævia, non eſt realiter ipſe actus liber, quatenus in aliquo priori intelligitur, vt procedens à Deo antecedenter ad influxum noſtri arbitrij. Antecedens probatur: nam actus liber eſt intrinſecè vitalis: ergo dicit intrinſecum ordinem ad potentiam vitalem: ergo nõ poteſt intelligi, vt procedens à Deo immediate, antecedẽter ad liberum influxum potentiæ vitalis, videlicet liberi arbitrij, ſine quo produci non poteſt.

Confirmatur primò: nam aliàs ſequeretur, quòd in aliquo priori ſigno rationis intelligeretur noſtrũ liberum arbitrium merè paſſiuè ſe habere in ordine ad actum liberum; quod tamen videtur repugnare eius libertati. Sequela probatur: nam ſi in illo priori ſigno rationis intelligitur fieri à ſolo Deo actus liber voluntatis: ergo volũtas intelligitur merè paſſiuè ſe habere in ordine ad illum actum liberum. Quod ergo Deus facit in illo priori naturæ, E eſt mouere efficaciter voluntatem, vt eadem voluntas ſic mota ſuum producat actum liberum, & terminus huius actionis, ſeu motionis diuinæ eſt, voluntatem eſſe motam, vt ſe moueat; quia operatio primæ cauſæ non attingit effectum ſecundæ cauſæ, niſi ſe modificet in cauſa ſecunda, iuxta modum ipſius cauſæ ſecundæ: ergo nulla eſt aſſignabilis duratio naturæ, in cuius primo inſtanti cauſa prima efficiat effectum cauſæ ſecundæ, & in ſecundo illum attingat cauſa ſecunda, de quo diſp. octuageſima nona, & nonageſima octaua, agendum eſt.

A Confirmatur ſecundò: nam actus liber creatus intrinſecè habet, quòd ſit actio contingens, & conſequẽter inpedibilis per alias cauſas: ergo ſi in aliquo priori intelligitur produci à ſolo Deo, in illo priori debet intelligi, vt contingens, ac per conſequens contingentia, & defectibilitas illius actus proueniret immediatè, tanquam ex cauſa proxima, ex ipſo Deo, ſiue ex diuina voluntate; ac per conſequens voluntas Dei eſſet cauſa contingens, & defectibilis; quod manifeſtam inuoluit cõtradictionem, vt diſp. vigeſima ſeptima perſpicuum fiet.

IX.

AD primum argumentum factum à principio pro prima ſententia, reſpondetur, S. Thomam expreſsè docere, auxilium diuinum, quo nos mouet ad operandum, non eſſe qualitatem, vt patet ex loco adducto pro tertia concluſione. Vnde ad teſtimonia in contrarium allegata, reſpondetur, quòd, cùm S. Thomas dicit, cauſam ſecundam, quantumuis ponatur perfecta, non poſſe operari, niſi moueatur à Deo, non eſt ſenſus, quòd abſque prævia motione actuali Dei cauſa ſecunda non habeat verum poſſe, ſeu virtutem actiuam in actu primo. Etenim, vt in quæſtione tertia, de potentia, articulo ſeptimo ad ſeptimum, docet idem S. Doctor, cauſæ ſecundæ naturales in ſua creatione acceperunt à Deo per formam permanentem, virtutem, qua poſſent operari. Et ſimiliter per habitus infuſos poteſt liberum arbitrium operari alias actiones ſupernaturales, ſi velit; ſed ſenſus S. Thom. eſt, cauſam ſecundam nunquam eſſe operaturam, niſi moueatur à Deo.

C Ad cuius maiorem explicationem aduertendum eſt, quòd in hac propoſitione cauſa ſecunda non poteſt operari, niſi moueatur à Deo, illa excluſiua poteſt accipi ita, vt determinet verbum, poteſt, & tunc ſenſus eſt, quòd nulla cauſa ſecunda habet in ſe verum poſſe operari, niſi moueatur a Deo; & hic ſenſus eſt falſus, neque intentus à S. Thoma, & eius diſcipulis, vt dicetur infrà diſputatione 22. numero trigeſimo tertio. Secundò poteſt illa excluſiua determinare verbum, operari, & tunc ſenſus eſt, fieri non poſſe, quòd cauſa ſecunda operetur aliquam actionem, & tamen nó moueatur à Deo; & hic ſenſus eſt verus, & intentus à ſancto Doctore, vt in alia conſimili propoſitione ipſemet explicat quæſtione prima de potẽtia, articulo quinto, ad primum, cuius verba diſputat. 22. num. 33. referenda D ſunt. Vnde non ſequitur, quòd auxilium diuinum ſit qualitas, tribuens in actu primo virtutem aliquã operandi.

Ad ſecundum argumentum reſpondetur, quòd etiam motio diuina, quæ non eſt qualitas, poteſt tribuere aliquam virtutem operandi, non quidẽ per modum actus primi, ſed per modum complementi actus primi, id eſt, faciendo, quòd actus primus reducatur ad ſecundum.

Ad confirmationem reſpondetur, ſolùm concludere, motionem prævuiam eſſe vltimum complementum actus primi, & eſſe id, quo Deus potentiã conſtitutam in actu primo efficaciter, & efficienter E reducit ad actum ſecundum, iuxta modum ſuperiùs explicatum.

Ad tertium reſpondetur, potiùs concludere, motionem diuinam non eſſe qualitatem: nam ſi cauſa ſecunda in ordine ad productionem effectus, inquãtum habet rationem actus, ſiue entis, eſt inſtrumentum Dei, vt quidam ſentiunt; potiùs ſequitur, quòd auxilium Dei actuale, in cuius virtute cauſa ſecũda attingit ipſum eſſe effectus producti, non ſit qualitas recepta in cauſa ſecunda, ſed motio, ſicut eſt illa, quæ recipitur ab artifice in inſtrumento, quo rem artificiatam producit.

Ad

Ad quartum respondetur, motionem, qua Deus adiuuat ante infusionem habitus liberum arbitrium ad eliciendos actus supernaturales imperfectos, non esse, proprie loquendo, qualitatem, licet vires ad operandum tribuat, vt ex dictis in superioribus constat; neque ex hoc sequitur, quòd liberum arbitrium non sit causa secunda principalis, sed instrumentalis eorundem actuum, vt disputat. 68 patebit; vbi operosius discutienda est quæstio illa: An liberū arbitrium comparatione actuum supernaturalium, quos elicit, verè sit causa principalis: an solùm instrumentalis.

Ad quintum argumentum respondetur, auxilium Dei actuale præuium operationi causæ secundæ esse aliquid receptum in illa, illud tamen non est qualitas, sed motio virtuosa, & medium quoddam inter actum primum, & secundum, vt dictum est.

Ad sextum respondetur, maiorem assumptam veram esse de qualitate, & virtute actiua, quæ habet esse firmum, ratum, & permanens in subiecto per modum actus primi. Auxilium autem Dei non est qualitas permanens, sed motio transiens cum operatione, ad quam ordinatur: vnde per illud nunquā producitur, nisi vnica operatio.

Ad septimum respondetur, negandam esse maiorem propositionem. Ad probationem dicendum, infinitatem meriti Christi Domini esse infinitatem dignitatis moralis, siue in genere moris, non autem physicam in ratione entis: ideo non requirit aliquod principium intrinsecum infinitum inhærens animæ Christi à quo eliciatur operatio infinite meritoria, sed sufficit infinitas suppositi diuini operantis per naturam humanam, actus autē supernaturales physicè, & entitatiuè sunt supernaturales, vnde non est simile.

Ad octauum respondetur, influxum Dei simultaneum, quo Deus cum libero arbitrio se determinante concurrit simul ad eliciendum actum liberum, nihil esse aliud, nisi actum liberum, quatenus procedit à Deo. Cæterùm auxilium, quo Deus applicat, & præmouet liberum arbitrium, & efficit, vt se determinet, non est realiter ipse actus liber, sed aliquid præuium ad illum, vt ex præmissis patet.

Ad confirmationem respondetur, motionem ad albedinem non tribuere virtutem aliquam actiuam aut complementum virtutis actiuæ subiecto, in quo recipitur; quia mere passiue se habet illud subiectum in ordine ad albedinem: motio autem præuia, qua Deus mouet, & applicat liberum arbitrium, vt se determinet ad suos actus, tribuit illi virtutem quandam, seu complementum virtutis actiuæ, vt dictum est, vnde non est simile.

Ad rationes autem adductas pro tertia sententia iam patet solutio ex dictis. Sed specialiter respondetur determinationem, seu motionē præuiam, de qua loquimur, consistere in complemento quodam virtutis actiuæ, quo Deus vere efficienter, & efficaciter facit, vt liberū arbitrium de actu primo exeat ad secundum, non autem consistit formaliter in ipso exitu, qui fit per actum secundum: vnde non sequitur, quòd motio Dei præuia ad actum liberum sit realiter ipse actus liber.

Ad confirmationem dicendum, quod, vt dictum est in præcedenti disputatione, & patebit disputat. 23. illa motio præuia distincta ab operatione causæ secundæ, non constituatur absque necessitate, sed propter rationes vrgentes adductas, & adducendas in prælegatis locis.

Per hæc manet solùm octauum argumentum disputationis præcedentis. Dicimus enim, inter potentiam actiuam, quæ per modum permanentis habet esse, & actum secundum, mediare motionem Dei actualem, per quam potentia actiua applicatur, & prædeterminatur ad operandum, vt ex supradictis constat, & patebit amplius ex iis, quæ disput. 23. num. 22. dicentur.

DISPVTATIO XX.

Vtrùm concursus Dei generalis, quo causas secundas constitutas in actu primo, per formas supernaturales adiuuat ad supernaturales actus producendos, sit supernaturalis: an verò eiusdem ordinis cum concursu generali ad actus merè naturales.

QVIDAM dixerunt, eiusmodi concursum, quantum est ex se, non esse alterius rationis ab eo, quo Deus concurrit ad actus mere naturales. Et vt suā explicent sententiam, distinguunt tres causas partiales eorundem actuum supernaturalium, à quibus ita emanat totus, tanquā ab vna integra causa, vt à singulis etiam partibus, partialitate, vt vocant, causæ, totus etiam emanet, diuerso tamen modo. Etenim à Deo influente per solum concursum generalem, emanat, inquiunt vt à causa vniuersali, a qua proinde non habet magis, quod sit assensus credendi, aut dolor de peccatis, quàm vel actus oppositus, vel actus cuiuslibet alterius potentiæ. Ab influxu verò liberi arbitrij, vnà cum notitiis, & cæteris necessariis, vt quoad substantiam actus producatur, habet tanquam à causa particulari, vt quoad substantiā actus, sit potiùs assensus fidei, aut dolor de peccatis, quam aliquis alius diuersus actus. A gratia verò præuenientē, seu à Deo, vt per illam, tanquā per suū instrumētum, vnà cum libero arbitrio influit in eundē actū, habet vt sit actus supernaturalis specie distinctus ab actu putè naturali credendi, aut dolendi de peccatis, quem liberum arbitrium suis solis viribus tunc eliceret, si cum eo non influeret simul gratia præueniens. Probāt hanc sententiā omnibus argumentis, quibus suadere conantur, gratiam, & liberum arbitrium esse causas partiales supernaturalis consensus: sicut duo trahentes nauim causant motum nauis. Sed hæc argumenta disputat. 25. adducenda sunt, & soluenda.

Præterea id probant: nam actus credendi, sperandi, pœnitendi, & diligendi non habent à concursu Dei generali, quòd sint supernaturales, sicut nec ab influxu liberi arbitrij: sed id habent ab influxu Dei per gratiam præuenientem, vel ab influxu supernaturalis habitus, quo euehuntur actus liberi arbitrij, vt supernaturali fini sunt proportionati: ergo concursus generalis, quo indigent causæ supernaturales, vt operentur, nō est supernaturalis, vel alterius rationis ab eo, quoad effectus merè naturales, cum aliis causis secundis concurrit. Probatur consequentia: nam aliàs actus liberi arbitrij haberent, quòd essent supernaturales, à concursu Dei generali: & consequenter omnes actus eodem concursu generali à causis secundis producti, essent supernaturales: quod nullus Theologus admittet.

Secundò: nam aliàs sequeretur, quòd habitus charitatis, vel eius concursus, nō esset sufficiens ad producendū actum supernaturalem charitatis; & idem esset dicendum de lumine gloriæ, respectu visionis beatificæ. Probatur: nam illud dicitur sufficiens in aliquo genere, vltra quod non requiritur aliud

in

in eodem genere: ergo ſi in genere concurſus ſupernaturalis ex parte Dei, præter concurſum ſupernaturalē habitus, requiritur alius generalis concurſus ſupernaturalis: ſequitur, quòd concurſus habitus charitatis, non ſit ſufficiens ad actus ſupernaturales producendos.

Confirmatur. Habitus ſupernaturalis, & gratia præueniens ponuntur, vt actus liberi arbitrij ſint ſupernaturales: ergo fruſtra ad id conſtituitur cōcurſus generalis ordinis ſupernaturalis: fruſtra enim fit per plura, quæ fieri poſſunt per pauciora.

II. Tertiò arguitur. Hæc eſt differentia inter virtutes acquiſitas & infuſas, quòd virtutes acquiſitæ præſtant faciliter poſſe virtutes autem infuſæ præſtant ſimpliciter poſſe: ergo potentia cum habitu ſupernaturali, & concurſu Dei generali, cauſis naturalibus communi, ſemper poterit elicere actum ſupernaturalem, ſecluſo quocunque alio Dei concurſu ſupernaturalis ordinis.

Quartò. Præexiſtente ex parte intellectus habitu fidei in poteſtate liberi arbitrij eſt producere, vel non producere actum fidei ſupernaturalem cū concurſu Dei generali: ergo ad id non requiritur alius concurſus ſupernaturalis ordinis alias, etiam ſuppoſito habita fidei, non eſſet in poteſtate arbitrij, actū fidei elicere.

Confirmatur. Sequeretur ex oppoſita ſententia, ad omnem actum ſupernaturalem eſſe neceſſariam triplicem Dei concurſum; hoc autem non eſt dicendum nam eſſet multiplicare concurſus Dei ſine neceſſitate: ergo Sequela probatur: nam inprimis eſt neceſſarius concurſus Dei per habitum ſupernaturalem, aut per gratiam præuenientem, quæ vices habitus ſupernaturalis ſupplet. Similiter etiam eſt neceſſarius cōcurſus Dei generalis, naturalis ordinis quo Deus, tanquam prima, & vniuerſaliſſima cauſa, concurrit cum omnibus cauſis ſecundis, etiam naturalibus ad ſuas operationes: ergo ſi præter illum concurſum eſt neceſſarius ex parte Dei alius concurſus ſupernaturalis ordinis, ſequitur Deum triplici concurſu concurrere cum cauſa ſecunda ad quilibet operationem ſupernaturalem.

Quintò arguitur, ex Concilio Tridentino, ſeſſione ſexta, de iuſtificatione, capite quinto, & canone tertio, vbi hoc ipſum videtur inſinuare, cùm ad huiuſmodi actus ſupernaturales, præter excitantem & adiuuantem gratiam ſolùm dicit, requiri liberum influxum noſtri arbitrij cum cadē gratia: ergo præter concurſum generalem Dei, quo in ſuo eſſe res omnes conſeruat, nō requiritur ad actus ſupernaturales alius cōcurſus Dei ſupernaturalis ordinis

Si dicatur, ipſum auxilium gratiæ adiuuantis eſſe concurſum Dei ſupernaturalem, ad omnes actus ſupernaturales generaliter neceſſarium, contra hoc arguitur.

Sextò. Gratia excitans, & adiuuans non ſunt duæ gratiæ diſtinctæ; illa enim eadem gratia, qua Deus liberum arbitrium excitat ad actus ſupernaturales, dicitur adiuuans, ſi noſtrum arbitrium cum illa velit operari: nam quatenus præuenit liberum arbitrium, dicitur excitans, quatenus verò cooperatur iā cum libero arbitrio actum ſupernaturalem, dicitur gratia adiuuans, & cooperans: ergo præter gratiam excitantem & concurſum generalem, non requiritur aliud ſpeciale auxilium adiuuantis gratiæ, vel concurſus Dei ſupernaturalis.

III. Concurſus Dei generalis ad actus ſupernaturales eſt ſupernaturalis.

HÆc tamen ſententia nobis nō probatur: Quapropter dicendum eſt, concurſum Dei generalem, quo, cum libero arbitrio, & aliis cauſis ſecundis ad actus ſupernaturales concurrit, eſſe ſupernaturalem, & eiuſdē ordinis cum ipſis actibus, nec eſſe eiuſdē rationis cum generali concurſu, quo cum cauſis ſecundis naturalibus ad earum operationes concurrit. Hanc ſententiam docet M. Soto libro primo de natura, & gratia, cap. 16. Andreas à Vega, libro ſexto, ſupra Concil. Tridentinu, capite ſexto, & tribus ſequentibus, & videtur expreſſa ſancti Thomæ 1.2. quæſt. 109. artic. 9. in corp. vbi ſic loquitur: *Homo ad recte viuendum dupliciter auxilio Dei indiget. Vno modo quantum ad aliquod habituale donū, per quod natura humana corrupta ſanetur, & ſanata eleuetur ad operanda opera meritoria vitæ æternæ: alio modo indiget homo auxilio gratiæ, vt a Deo moueatur ad agendum.* Vbi præter donum habituale, docet eſſe neceſſarium auxilium actuale diuinæ gratiæ; auxilium autem gratiæ non eſt influxus Dei generalis communis rebus naturalibus, ſed influxus ſpecialis ordinis ſupernaturalis quamuis poſſit dici generalis in eodem ſupernaturali ordine: ergo.

Præterea probatur ratione. Deus inquātùm auctor gratiæ, eſt finis vltimus ſupernaturalis omnium ſupernaturalium actionum: ergo inquantum auctor ſupernaturalis, eſt prima cauſa earum efficiens: ergō concurrit ad illas generali concurſu ſupernaturali.

Secundò. Concurſus primæ cauſæ debet eſſe proportionatus formę, per quam operatur cauſa ſecunda, ſed forma, per quam operatur cauſa ſecunda actus ſupernaturales, eſt ſupernaturalis nam potentia naturalis, ſcilicet intellectus, & voluntas, & aliæ potentiæ naturales ſecundùm ſe nullam habent proximam virtutem actiuam, comparatione ad unum ſupernaturalium: ſed tota earum virtus dependet, vt quo, à forma ſupernaturali, vt diſputat. 64. patebit. ac per conſequens forma, per quam operatur cauſa ſecunda ſupernaturales actus, eſſe debet ſupernaturalis: ergo ſimiliter cōcurſus primæ cauſæ debet eſſe ſupernaturalis.

Confirmatur: nam, vt diſputat. 18. dictum eſt, concurſus Dei generalis eſt influxus immediatus in cauſam, & in eā recipitur, & modificatur ab ipſo Deo iuxta eiuſdem cauſa conditiones ſuprias naturæ, quam cum illa producat effectum: ergo neceſſe eſt, quòd idem concurſus generalis cum cauſa ſecunda ſupernaturali ſit etiam ſupernaturalis; alias enim Deus non modificaret eundem concurſum in cauſa ſecunda nec illum accōmodaret eiuſdem cauſæ conditionū, & naturæ

Tertiò. Id ipſum probatur ſpecialiter de concurſu Dei ſimultaneo. Concurſus, quo Deus immediatè cum cauſa ſecunda ſupernaturali producit ſupernaturalem operationem, eſt realiter ipſamet operatio, vt procedit ex influxu Dei, ſed operatio eſt ſupernaturalis. ergo influxus immediatus Dei in eandem operationem eſt ſupernaturalis.

Si dicatur, operationem non eſſe ſupernaturalem vt producitur a concurſu Dei, vel ab influxu liberi arbitrij, ſed quatenus producitur ex influxu habitus ſupernaturalis, vel excitantis gratiæ ſimul cum potentia hominis intellectiua, vel appetitiua; contra hoc eſt argumentum. Gratia excitans ſine adiuuante non efficit actum liberum, neque attingit ſupernaturalitatem illius, ſed ſolùm mouet moraliter liberum arbitrium, ex parte obiecti, illi ſuadendo; illud inuitando, & alliciendo, vt proſequatur bonum ſibi propoſitum per intellectum. Habitus autem ſupernaturalis ſolùm tribuit potentiæ poſſe operari ſupernaturales actus, non autem tribuit illi actualiter operari: ergo præter ipſum habitum, & gratiam excitantem, neceſſe eſt ponere ex parte Dei, concurſum actualem ſupernaturalis ordinis, quo ipſa potentia rationalis eleuata per habitum ſupernaturalem, moueatur efficaciter à Deo, vt actualiter operetur ſupernaturalem actum.

IV.

Quartò probari poteſt eadem ſententia omnibus, argumen

argumentis, quibus disp. 88. manifestum fiet, in eo, qui habet habitus infusos, ad eliciendum actum supernaturalem, esse necessarium auxilium non solùm excitantis, sed etiam adiuuantis gratiæ, eisdem habitibus infusis superadditum.

V. Actus supernaturalis à Deo, à lib. arb. & ab habitu supernaturali produ citur.

AD primum argumentum respondetur, actum supernaturalem credendi, verbi gratia, aut diligendi, secundùm omnem realitatem, & supernaturalitatem, quam habet, produci efficienter à libero arbitrio, ab habitu supernaturali, & à Deo, seu auxilio eius supernaturali: à libero quidem arbitrio eleuato per habitum, vt à causa proxima, seu principio, quod, proximo, ab habitu autem, vt à principio, quo, à Deo vero, vt à prima causa supernaturali, cui liberum arbitrium eleuatum per supernaturalem formam essentialiter subordinatur, nō solùm in esse, B sed etiam in operari. Nec est admittendum, Deum, & liberum arbitrium esse causas partiales supernaturalis consensus; verè enim sunt causæ totales in suo genere, vt disp. 85. patebit.

Disp. 85.

Ad secundum argumentum respondetur, quòd habitus charitatis est quidem sufficiens ad diligendum Deum super omnia, in genere principij, quo, formalis, constituentis liberum arbitrium in actu primo supernaturali in ordine ad dilectionem Dei, vt est auctor gratiæ. Tribuit enim voluntati posse diligere Deum. Vt autem hæc potentia eleuata per habitum supernaturalem reducatur in actum secundum, necessariò requiritur concursus Dei generalis supernaturalis ordinis, siue auxilium actuale supernaturale vt ex suprà dictis constat. Nec ex hoc se- C quitur, quòd omnes actus, producti à causis secūdis, sint supernaturales: nam concursus Dei generalis nō est supernaturalis, respectu quarumcunque operationum, sed earum duntaxat, quæ a causis secundis supernaturalibus producuntur.

Charitatis habitus in quo sensu dicatur sufficiens ad diligendā Deum.

Ad confirmationem respondetur, quòd non ponitur frustra concursus Dei supernaturalis: nam ab illo, tanquā à causa prima, habet actus fidei, & charitatis, & alij huiusmodi actus; quòd sint, & quòd supernaturales sint, à libero autē arbitrio eleuato per habitū supernaturalē & gratia excitante præuento, id habent, vt à causa proxima, sicut superiùs dictū est.

Ad tertium respondetur, quòd habitus per se infusi tribuunt potentiæ simpliciter posse operari, nō tamen ei tribuunt actualiter operari, alias habens D huiusmodi habitus, bene semper operaretur, & ita semel iustificatus non posset peccare, aut gratiā amittere, quod est erroneum. Vnde præter habitum requiritur actuale auxilium, & cōcursus Dei supernaturalis ordinis, per quod potentia eleuata per habitum moueatur, & ad piè operandū determinetur. Aliud est enim posse operari, aliud actualiter operari; & plura requiruntur, vt homo actualiter operetur, quam sint necessaria, vt operari possit.

VI. Ad quartum argumentum respondetur, esse quidem in potestate nostri arbitrij ipsum credere; supposito tamen ex parte Dei concursu generali eiusdē ordinis, sine quo liberum arbitriū, quantumuis habeat perfectum habitum fidei, nunquam operabitur. Nec ex hoc sequitur, hominem non habere liberum E arbitrium, sed solùm sequitur, quòd nō habeat liberum arbitrium independenter ab alio, & quòd non sit simpliciter primum liberum. Hoc enim solùm competit libero arbitrio Dei, vt disp. 117. dicetur.

Ad confirmationem respondetur, ad actus supernaturales sufficere ex parte Dei, concursum generalem ordinis supernaturalis, in quo eminenter continetur quidquid perfectionis reperitur in concursu generali Dei, inquantùm est auctor naturæ. Vnde non sequitur, ad omnem actum supernaturalem esse necessarium triplicem Dei concursum. Videantur circa istam solutionem, quæ in disp. 18. dicta sunt.

Ad quintum argumentum respondetur, quòd Concil. Trident. locis citatis, præter gratiam excitantem, necessariam esse docet ad conuersionem gratiam adiuuantem, sub qua comprehendit concursum Dei actualem supernaturalis ordinis, quo Deus influit immediatè in liberum arbitrium, illud mouendo, & applicando efficaciter ad piè operandū, vt disp. 18. dictum est, & patebit amplius disp. 23.

Ad sextum respondetur, gratiam excitantem, & adiuuantem non esse idem auxilium gratiæ, sed distinctum, vt infrà patebit. *Disput. 74. 75. 88. & 95.*

DISPVTATIO XXI.

Vtrùm concursus Dei generalis, præsertim respectu actuum à libero arbitrio creato dependentium, sit secundùm se indifferens.

QVAM affirmatiuam tenent aliqui recentiores Theologi, asserentes concursum Dei generalem esse æternam voluntatem Dei, qua statuit ita omnibus causis secundis præstò esse, vt quoties causæ secundæ, vel naturæ necessitate, vel sponte, ac libertate sua cooperarentur, perinde eiusmodi influxus ex determinatione liberæ voluntatis diuinæ perpetuò sequeretur, ac si ipse ex necessitate naturæ influeret. Ex quo inferunt, quòd concursus Dei generalis est indifferens ex se, vt, pro diuersitate causæ secundæ cooperātis, varia actio, variúsque effectus resultet. Quidam hanc sententiam sic explicant, vt asserant, Deum non absolutè, sed quasi sub conditione velle, vt hic actus fiat à voluntate creata, si ipsa, sese ad illum eliciendum determinauerit, & sub eadem conditione velle influere, & concurrere in eundem actum, expectando tamen influxum creatæ voluntatis. Ex vi autem huius diuinæ voluntatis, ita, inquiunt, manet applicata diuina omnipotentia ad influendum in actum humanæ voluntatis, vt hac influente, absque noua Dei voluntate, aut applica- D tione suæ potentiæ, Deus etiam influat, quasi necessitate quadam, orta ex eius voluntate, quæ ad id, quod vult, & quomodo vult, efficax est, & immobilis. Et ita, modo veluti indifferenti ac generali applicat, & offert humanæ voluntati suam virtutem, vt sit paratus ad concurrendum cum illa ad actum, quem ipsa effecerit. Ex quo inferunt, quòd concursus causarum secundarum determinat concursum generalem primæ causæ, tum ad speciem actus in esse naturæ, tum etiam ad bonitatem, vel malitiam, quam habet in genere moris. Dicunt enim, quòd cùm concursus Dei generalis non sit concursus Dei in causam secundam, sed in actionem ipsiusmet causæ; is verò de se indifferens sit, vt pro diuersitate influxus causæ secundæ, se- E quatur potiùs actio huius speciei, quàm alterius, quippe qui non determinat influxum causæ secundæ, sed ab eo determinatur ad speciem actionis: quādo verò cum eo concurrit liberum arbitrium ex vario influxu arbitrij proueniat, quòd sequatur potiùs volitio, quam nolitio, & volitio honesti potiùs, quā turpis obiecti sit, vt actiones liberi arbitrij, vt & cuiusuis causæ secundæ, à concursu generali Dei non habeant, quòd sint tales, vel tales in particulari, ac proinde neque quòd sint studiosæ, vel vitiosæ, sed ab ipsomet libero arbitrio. I.

Probant istam sententiam primò: nam hic modus II.

concur

concurrendi primæ cauſæ eſt poſſibilis, cum nulla repugnantia, vel implicatio contradictionis in eo poſſit excogitari, ne dum reperiri. Cùm ergo voluntas diuina ſit omnipotens, vt faciat, quod vult, & quomodo vult, poſſitque omne id velle, in quo non eſt contradictio, ſequitur, quòd poſſit concurrere cum cauſis ſecundis, modo explicato.

Confirmatur, & declaratur exemplis. Sol eſt ex natura ſua, illo generali modo veluti expoſitus ad concurrendum cum ſingulis cauſis ſecundis, quæ ab illo pendent, iuxta vniuſcuiuſque capacitatem: ergo ad eundem modum Deus ſua voluntate poterit efficacitatem, ſeu potentiam ſuam, prædicto modo veluti indifferenti, ac generali applicare, & offerre humanæ voluntati, vt ſit paratus ad concurrendum cum illa ad actum, quem ipſa effecerit. Item vnus homo poteſt hoc modo offerre auxilium ſuum ad omne id, quod alter elegerit: ergo Deus, qui omnipotens eſt poterit illo modo cõcurſum ſuum, ſeu auxilium offerre, ſecluſis imperfectionibus.

Confirmatur ſecundò. Voluntas Dei, cùm ſit infinita, & efficaciſſima, nullo nouo actu indiget, vt de facto in tempore concurrat cum cauſis ſecundis ſed hoc ipſo, quòd potentiam ſuam applicuit, perpetuò manet ad influendum proximè applicata: ergo ille modus concurrendi eſt Deo poſſibilis. Et ex alia parte eſt aptiſſimus, & accommodatiſſimus ad vtramque libertatis partem in voluntate humana tuendam, ſcilicet quoad ſpecificationem & exercitium, ſeu quoad poſſe agere, & poſſe non agere. Etenim cùm poteſtas liberæ voluntatis ſit veluti ſuperior, & eminentior cæteris naturalibus agentibus, vt in ſuo vſu non contrahatur, & ad vnum tantùm adſtringatur ex parte diuini concurſus: neceſſe eſt, vt hic concurſus cum eadem eminentia, & abſtractione, & vniuerſitate tribuatur: nam, ſi ad alteram partem determinetur, ad illam erit voluntas neceſſariò addicta, neceſſitate videlicet, non ab ipſamet orta, ſed ab aliquo alio antecedente: quæ eſt neceſſitas ſimpliciter, & libertati repugnans, vt diſputation. 23. patebit ex doctrina S. Anſelmi: ergo, &c.

Secundò arguitur. Hic modus concurrendi non ſolùm eſt poſſibilis, aptiſſimúſque ad libertatis vsũ defendendum, ſed nullus alius modus ad hunc finem poteſt eſſe accommodatus, licèt enim Deus poſſit concurrere cum cauſis ſecundis etiam liberis eas phyſicè prædeterminando, tamen ille concurſus, quamuis ſufficeret voluntati noſtræ ad agendum, non tamen ad agendum liberè: nam in hoc inuoluitur contradictio, quòd ſcilicet voluntas hic, & nunc agat determinata, & indeterminata: quod agat indifferens, poſitis omnibus requiſitis in actu primo, & determinata ab alio in actu primo. Neque hoc eſſet fortiter, & ſuauiter negotium liberi arbitrij diſponere, ſed eſſet potiùs fortiſſimè illud ligare, & ne ad vtrumlibet ſolutum maneat, impedire; ac vi potius, quàm ſuauitate illud ad conſentiendum pertrahere: ergo neceſſariò ſtatuendum eſt, & admittendum, concurſum Dei generalem ex ſe, modo prædicto, indifferentem eſſe.

III. Tertiò arguitur. Ille concurrendi modus ſacræ Scripturæ, & Patribus eſt conſentaneus. Scriptura *Eccleſ 15.* illum innuit, cùm inquit: *Reliquit Deus hominem in manu conſilij ſui. Appoſui tibi ignem, & aquam: ad quod volue is porrige manum tuam.* Et iterum: *Genes 4.* *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius*, in quibus, & aliis conſimilibus locis, cùm ſermo ſit de poteſtate proxima, & morali, non ſola facultas proxima potentiæ, ſed etiam indifferens concurſus Dei, ad intra, ſeu in actu primo propoſitus, & oblatus euidentiſſime oſtenditur. Nam ſi homo reuera re-

A lictus eſt in manu conſilij ſui: ergo verè etiam habet homo in manu ſua concurſum Dei neceſſarium ad ea, de quibus verè poteſt conſultare; ac per conſequens, concurſus Dei ſecundùm ſe eſt indifferens ad ea, quæ pro ſua libertate homo voluerit eligere.

Quartò, arguitur auctoritate Scholaſticorum, qui iſtum modum concurrendi cum cauſis ſecundis, concurſu ex ſe indifferente, tribuunt primæ cauſæ. Hi ſunt S. Thom. locis adducendis diſput. 22. num. 3. ad probandum, Deum ſuo decreto non prædeterminare cauſas, præſertim liberas, & contingentes ad operandum. Præterea 1. part. quæſt. 14. articul. 13. ſimpliciter docet, cognitionem futurorum in cauſa eſſe coniecturalem; vnde, vt in Deo ſit certa, reuocat illam ad eorum præſentiam in æternitate: &
B 1. 2. quæſtione 9. artic. 6. ad tertium, cum dixiſſet, hominem per rationem determinare ſe ad volendum, addit, eos qui per gratiam à Deo excitantur, ſpecialiter moueri ab ipſo ad vnum determinatè volendum, quo loco expreſsè docet S. Thomas, generalem concurſum Dei, vt primæ cauſæ, non conſiſtere in hoc, quòd voluntatem determinet ad vnum, ſed potiùs, Deum ex ſe conferre concurſum indifferentem in ordine ad obiectum adæquatum voluntati, quod eſt bonum: nam quòd ſanctus Thomas de generali concurſu loquatur, conſtat ex illis verbis: *Sine hac vniuerſali motione homo non poteſt aliquid velle*, ſentit ergo hanc motionem, ſeu concurſum indifferenter offerri, quantùm eſt ex parte Dei, per rationem verò, & libertatem determinari volũtatem cum illo generali concurſu ad aliquid determinatè volendum. Et prima ſecundæ, quæſt. 10. articulo 4. docet, Deum ſeſe accommodare naturis rerum, ideóque ita mouere voluntatem noſtram ex ſe indifferentem, *quod non ex neceſſitate ad vnum determinat.* Idem repetit tertio contra Gent. cap. 190. quæſtione 5. de veritat. articulo 5. ad primum. Denique in quæſt. 3. de potentia, art. 7. ad 13. ait, determinationem actus relinqui in poteſtate rationis, & voluntatis: ergo ſecundùm ſanctum Thomam concurſus Dei generalis eſt ſecundùm ſe ita indifferens, vt pro ſua libertate poſſit homo illo vti ad iſtum actum, vel eius oppoſitum producendum, quod in quæſt. 5. de ver. art. 9. ad 10. his verbis confirmat, *Actio prima cauſæ*
D *quodammodo determinatur ad hunc effectum per cauſam ſecundam.* & 3. contr. Gent. cap. 66. dicit, *cauſas ſecundas eſſe particulares, & determinantes actionem primi agentis.* Vult ergo S. Thom. concurſum Dei generalem eſſe indifferentem ſecundùm ſe, & ab ipſa voluntate determinari ad hanc aut illam actionem particularem, ita vt actio particularis ſit à Deo, ſed non ideo ſit talis, quia eſt à Deo, ſed quia eſt à voluntate, aut ab alia cauſa ſecunda.

Nobis tamen hæc ſententia nunquam probari IIII. potuit, nec videtur cum perfectione concurſus diuini congruere, nec cum ſententia S. Auguſtini, & S. Thomæ, & antiquorum Thomiſtarum. Vnde ad reſolutionem huius difficultatis ſtatuuntur ſequentes concluſiones.

E PRima Concluſio. Concurſus Dei generalis, quo cauſas ſecundas adiuuat ad operandum, non eſt ſecundùm ſe indifferens, nec offertur illis à Deo per voluntatem ex ſe indifferentem, modo ſuperiùs explicato. Hanc concluſionem tenentur admittere conſequẽter omnes Theologi, qui docent, Deũ, prę- uia motione in cauſis ſecũdis recepta, eas efficiẽter & efficaciter præmouere, ſeu prædeterminare ad omnes actiones in particulari ſecundùm omnem rationem entis, quam habent; quorum teſtimonia diſputatione 22. & 23. & 24. adducenda erunt. etenim impoſſibile eſt, per concurſum, ſecundùm ſe

Concurſus Dei generalis non eſt ſecũdùm ſe indifferẽs.

indifferentem, aliquam causam præmoueri, & applicari efficaciter, quantum ad exercitium actus, ad producendam aliquam actionem in particulari.

Probatur ergo conclusio: primò, ratione desumpta ex S. Thom. 1. part. qu. 19. artic. 3. ad 5. nam ab eo quod est indifferens ad vtrumlibet, non sequitur aliqua actio, nisi ab aliquo alio inclinetur, vel determinetur ad vnum, vt dicit Commen. 2. Phys. tex. 48. ergo si concursus Dei generalis secundùm se est indifferens ad vtrumlibet: sequitur, quòd ab aliquo aliquo alio determinetur ad effectum, & sic habebit aliquam causam priorem; quod repugnat primæ causæ.

Confirmatur. Nã S. Tho. propter præcedens argumentum art. 3. ad 5. ait: *Causa, quæ est ex se contingens, oportet, quòd determinetur ab aliquo exteriori ad effectum, sed voluntas diuina, quæ ex se necessitatem habet, determinat se ad volitum, ad quod habet habitudinem non necessariam.* Quibus verbis apertè docet, voluntatem diuinam, quę est prima causa omnium rerum determinari à se ipsa ad producendum eos omnes effectus, quos vel per se ipsam immediatè, vel per causas secundas in tempore producit: ergo concursus Dei generalis, qui est per voluntatem diuinam, non est secundùm se indifferens, sed determinatus, & ad determinatos effectus, qui reuerà in tempore producuntur, iuxta naturam cuiuslibet causæ secundæ.

V. Si dicatur concursum Dei generalem esse ex voluntate diuina determinatum ad particularem effectum, postquã ex influxu liberi arbitrij, vel alterius causæ secundæ quodammodo ad talem effectum limitatur, eò quòd per talem causam secundam non producit, nisi talem effectum determinatum.

Contra hoc est argumentum. Sequeretur, causam secundam determinare primam ad operandum, & influendum in illum actum potiùs, quàm in alium. Etenim si causa prima secundùm se indifferenter applicat suam voluntatem, & concursum ad eos actus producendos cum causis secundis, ad quos ipsæ causæ secundæ ex necessitate naturæ, vel per suam liberam voluntatem applicantur: ergo ipsa causa prima non se determinat ad hunc effectum in particulari, ac per consequens determinatur ad illum à causa secunda.

Secundò probatur. Modus concurrendi per voluntatem secundùm se indifferentem ad istum, vel illum effectum, vel eius oppositum producendum, est valde imperfectus, cùm in sua efficacia depẽdeat ex concursu causæ secundæ, & omnis dependentia importet in re, quæ dependet, imperfectionem quandam, & inferioritatem respectu illius, à quo dependet: ergo non potest talis modus concurrendi Deo attribui, aut eius voluntati, quæ infinita est, & perfectissima causa, conuenire.

VI. Respondent, hæc argumenta facilè soluì: ad cuius explicationem supponunt, Deum ante omne liberum decretum suæ voluntatis, scientia sua infinita non solùm cognoscere, quid omnes voluntates possint facere, sed etiam quid facient, si cum hoc auxilio, vel occasione ad hoc, vel illud volendum procreentur: & hæc scientia vocari solet conditionalium contingentium, & à nonnullis appellatur scientia media inter simplicem intelligentiam, & scientiam visionis. Hac ergo scientia in Deo supposita, dicunt, Deum distinctè ac definitè res singulas in suos fines destinare, & media eligere, quæ sunt naturis rerum consentanea, quorum mediorum ratio in intellectu diuino existit. Quando ergo Deus vult aliquem actum in particulari à causa contingente, vel libera produci, præuidens per scientiam mediam, eandem voluntatem creatam ex sua innata libertate esse operaturam talem actum ex hypotheti, quòd constituatur in tali ordine rerum, vel in talibus circumstantiis, & offerat illi concursum generalis secundùm se indifferens, de facto constituit illam in eisdem circumstantiis, & tribuit ei suum concursum generalem ad talem actum determinatum, & simul cum voluntate creata eundem actum determinatè, & definitè producit in particulari, & in indiuiduo. Supponunt secundò, determinationem primæ causæ duo posse significare: vnum est applicatio illa, qua Deus suam omnipotentiam applicuit, & ordinauit ad causam secundam adiuuandam, & concurrendum cum illa: quæ determinatio facta fuit à sola voluntate diuina, quæ potuit concursum suum non dare causæ secundæ, & libere se determinauit ad illum dandum, vel offerendum in particulari, præuidens, vbi, & quando habiturus esset effectum, quæ determinatio ab eis dicitur determinatio ad intra, cuius nullo modo est causa voluntas humana: aliud verò, quod in hac determinatione inuenitur, est determinatio ad extra, videlicet determinata actio creata, à diuina voluntate egrediens, & à potentia Dei cooperante cum humana voluntate.

Dicunt ergo, quod, quantùm ad determinationem ad intra diuinę voluntatis, quam includit concursus Dei generalis, sola voluntas diuina per suum actum seipsam libere determinauit ad particularem effectum in indiuiduo, cùm causis secundis modo prædicto concurrendo, nec quantum ad istam determinationé, determinari potest concursus Dei generalis per concursũ causæ secundæ. Nihilominùs, quantùm ad determinationem ad extra, verissimum esse censent, actionem illam Dei accipere determinationẽ suam à proxima causa, seu voluntate humana; non quia ab hac sola talis determinatio effectiuè procedat: nã illa determinatio nihil aliud est, quàm exercitium talis actionis in tali specie: & hoc totũ necesse est à Deo fieri, *sine* quo *factum est nihil*, sed *Ioan. 1.* quoniam causa proxima, seu voluntas humana suo influxu determinat actionem Dei ad extra ad hanc speciem, ad hoc tempus, & ad hoc indiuiduum. Quod nullam in Deo arguit imperfectionem, sed potiùs perfectionem maximam, tum quia hic modus determinationis non est per aliquam vim, seu actionem circa ipsam causam prima, sed solùm per cooperationem cum illa ad hãc actionem potius quam ad aliam: tum etiam quia hoc ipsum nó est propter indigentiam causæ primæ; posset enim ipsa, si vellet, prædeterminare causam ad effectum, nisi vellet liberè fieri ab homine, sicut etia posset se sola producere, nisi vellet vitaliter fieri ab homine. Et totum hoc processit ex voluntate ipsius primæ causæ, quæ, vt iura libertatis humanæ integra conseruet, hunc modum concurrendi, & cooperandi statuit: & voluit ad eam actionem cooperari, ad quam voluntas humana influeret, & non ad aliam, & quando illa voluerit, & non antea.

VII. Hæc tamen solutio, quoniam tota in illa scientia media fundatur, impugnari potest in primis omnibus argumentis, quibus disputat. 7. ostendimus, scientiam illam non dari etiam in Deo, quia reuerà non est talis scientia. Præterea: nam concursus Dei generalis non est solùm influxus immediatus cum causa secunda in eius effectum, sed etiam est influxus in ipsam causam, eam mouens, & applicans efficaciter ad producendum talem effectum in indiuiduo, vt suprà ostensum est, & infrà ex professo demonstrabitur: ergo impossibile est, concursum Dei ad extra determinari ad speciem actionis, vel ad producendum talem actum particularem, ex concursu causæ secundæ. Accedit quòd

Sup. disp. 18. & infrà disp. 22. 23. & 24.

deter

determinatio ad extra,qua Deus, inquantùm causa A vniuersalis, applicat liberum arbitrium ad producendam talem actionẽ in individuo ; non est realiter, vel formaliter ipsa actio libera ab eodem arbitrio producta , sed aliquid prævium ad eandem actionem,complens ipsam causam secundam in sua virtute operatiua , vt ex doctrina expressa sancti Thomæ disputat. 19. ostensum est ergo necesse est, quòd concursus Dei generalis non sit secundùm se indifferens. Denique impugnatur eadem solutio, quia concursus causæ secundæ , etiam inquantùm est formaliter concursus illius , procedit effectiuè ex operatione primæ causæ , vt disputat. 36. & 86. manifestum fiet: alias aliquid reale existens in rerum natura subtraheretur ab operatione,& causalitate primi agentis , quod esse impossibile , sæpius B ostensum est : ergo concursus causæ secundæ non determinat operationem , seu concursum ad extra primæ causæ ad talem actionem in individuo , sed potius ipsa causa secunda à concursu primæ determinatur.Probatur consequentia: nam effectus procedens ex operatione , vel concursu alicuius causæ, non potest determinare illam causam , & eius operationem ad illum effectum in particulari producendum , cùm prius,ordine saltem naturæ , intelligatur determinatio causæ ad agendum , quantùm ad exercitium , quàm ipse effectus , cò quòd omnis effectus inquantum huiusmodi est posterius tempore,vel natura, sua causa efficienti. Illud autem, quod in solutione , quam impugnamus , asseritur, videlicet iura libertatis humanæ integra conseruari non posse , C nisi concursus Dei generalis secundùm se esset indifferens,quàm sine fundamento dicatur,patebit inferiùs. Interim dicimus è conuerso, iura cuiuscunque liberi arbitrij creati , cùm in suo esse,suáque operatione dependeat intrinsecè ex decreto, & operatione primi liberi quod est Deus , vt de facto exeat in particulares operationes; exigere, quòd applicetur efficaciter ad illas per influxum prævium eiusdem primæ causæ ; & nisi à Deo præmoueatur , manebit omnino immotum , cò quòd non est primum se mouens simpliciter , nec prima causa sui motus,sed mouens se liberè,motum priùs à Deo.

Disput.22. & 23.

Tertio specialiter probatur , concursum Dei generalem esse non posse indifferentem ad bonum, & D ad malum , ad actum virtutis , & ad actum vitij. Deus est summè bonus,ergo ex se non præbet concursum indifferentem ad bonum,& ad malum : ergo , quantùm est ex parte operationis diuinæ , eius concursus generalis tendit semper ad bonum determinatè.

Confirmatur. Si concursus Dei generalis est indifferens ad actum virtutis , & actum vitij virtuti oppositum, sequitur , Deum cum voluntate creata se determinante ad peccandum,cõcurrere ad ipsum peccatum , absolutè loquendo. Sequela probatur. Qui voluntariè præbet alteri concursum indifferẽtem, & expositum ad producendum opus studiosum,aut peccatum,prout sibi placuerit;reuera concurrit ad peccatum , si determinetur ex voluntate E alterius ad idem peccatum efficiendum ; ergo, si Deus,quantùm est ex parte sua,præbet homini concursum generalem indifferentem ad virtutem , & vitium, siue ad bonum morale,& ad peccatũ,prout sibi placuerit; sequitur, Deum concurrere determinate ad peccatum in ipso exercitio , postquam per voluntatem creatam concursus Dei generalis determinatur ad peccandum, quod tamen non potest admitti : ergo dicendum est, Deum,quantùm est ex parte sua,concurrere determinatè solum ad bonum & liberum arbitrium creatum,sua malitia , concurrere ad peccatum,vt disput. 18. explicatum est , & disputatione 24.dicetur latius.

Quartò probatur conclusio ex perfectione diui- VIII.
næ prouidentiæ,ad quam requiritur,quòd determinate velit, & prædefiniat omnia , quæ fiunt in tempore,& ea ordinet in finem intentum à Deo;& causas secundas moueat , & applicet ad determinatos effectus. Hæc autem perficere non posset , si eius concursus esset secundum se indifferens , vt per se est manifestum:ergo.

Confirmatur : nam,vt patebit disput. 30. ad perfectionem diuinæ prouidentiæ pertinet non solum ordinatio mediorum in finem,sed etiam assequutio infallibilis finis a Deo intenti : sed si concursus generalis esset secundum se indifferens , aut Deus per eundem concursum non applicaret efficaciter causas secundas ad suas operationes in particulari;diuina prouidẽtia non assequeretur infallibiliter finem intentum per media prædefinita, & ordinata ad assequutionem eiusdem finis : nam starent simul hæc duo,quòd Deus daret suum concursum generalem ad aliquem effectum producendum,& quod voluntas pro sua libertate nollet illum effectum producere,vel ad illum concurrere. Nec sufficit recurrere ad scientiam mediam , ex qua aduersarij dicunt desumendam esse totam certitudinem , & infallibilitatem diuinæ prouidentiæ,quantum ad assequutionem effectus.Iam enim ostendimus,scientiam illam non dari , ac per consequens in Deo reperiri non posse : ergo ex illa potest desumi certitudo diuinæ prouidentiæ , quantum ad assequutionem finis intenti. *Disput.7.*

Quintò probatur:nam aliàs concursus & determinatio liberi arbitrij creati subtraheretur à diuina prouidentia;& ita Deus non haberet prouidentiam rerum omnium in particulari , sed solum in communi.Probatur : nam si concursus Dei generalis est secundum se indifferens,& similiter voluntas Dei offerens eundem concursum causis secundis liberis, vbi, & quando ipsæ pro sua libertate voluerint operari,& non antea,ergo Deus per talem concursum nõ efficit vere efficienter , quòd liberum arbitrium hic,& nunc in talem operationem in individuo,ac per consequens influxus liberi arbitrij erit exẽptus à diuina prouidentia:nam,vt sæpe docet S. Tho.ad ea dumtaxat se extendit diuina prouidẽtia, ad quæ extendit se diuina causalitas: ergo si Deus non causat efficienter concursum liberi arbitrij,non habebit prouidentiam, sed solum præscientiã illius in particulari,atque adeò eius prouidentia solum se extenderet ad opera contingentia,& libera in communi,quatenus videlicet contulit creaturis intellectualibus liberum arbitrium , quo possent operari, quando sibi placuerit. *S.Th.1.p.q.22.*

Quidam hoc argumentum multipliciter conantur diluere. Sed omnes solutiones inferius erunt impugnandæ,inter disputandum de perfectione diuinæ prouidentiæ. *Disp.28 & sequentibus.*

Secunda Conclusio. Non solum concursus ad IX.
intra,sed etiam concursus Dei ad extra , quo causas secundas præmouet ad operandũ, determinari non potest ex concursu causarum secundarum , sed potius Deus per eundem concursum , ipsas causas secundas efficaciter applicat , & determinat ad operandum.Hæc conclusio sequitur ex præcedenti,nihil enim determinatur ab alio , nisi quod est indifferens,antequam determinetur : sed concursus Dei generalis,non est secundum se indifferẽs,vt dictum est conclus. præced. ergo non determinatur à concursu liberi arbitrij, sed potius è contra liberum arbitriũ ; quia secundum se est indifferens ad operandum & non operandum, & ad producendum istum

Digitized by Google

actum,vel illum; oportet, quòd inclinetur per concurſum Dei, vt aliquã actionem in particulari producat. Sed de hac concluſione agendum erit latiùs in tribus diſputationibus ſequentibus.

AD primum argumentum reſpondetur,modum illum operandi, & concurrendi concurſu ſecundum ſe indifferenti, non eſſe Deo poſſibilem, quia perfectioni diuinæ prouidentiæ & cauſalitatis videtur valdè repugnare,vt ex ſupradictis conſtat.

Ad primam confirmationem reſpondetur, quòd Sol eſt cauſa finita,&limitata habens aliquid potentialitatis,& ſimiliter homo,cùm ſit creatura:& ideo poteſt per concurſum alterius cauſę determinari ad producendum talem, vel talem effectum in indiuiduo. Deus autem eſt cauſa infinitè perfecta,& purus actus, nullam habens potentialitatem admixtam: Vnde eius voluntas,vel concurſus,in quo eſt intentio voluntatis, & virtutis diuinæ, determinari non poteſt ad operandum ex concurſu liberi arbitrij, vel cuiuſcunque alterius cauſæ ſecundæ.

Ad ſecundam confirmationem reſpondetur,quòd, licèt voluntas diuina nullo nouo actu indigeat, vt de facto concurrat in tempore cum cauſis ſecundis ad ſuos effectus producendos, ad id tamen neceſſariò requiritur, quòd ab æterno decreuerit voluntate abſoluta, tales, vel tales actus in indiuiduo per cauſas ſecundas producere, & eas præmouere ad coſdem effectus producendos tali, vel tali tempore; & virtute huius æterni decreti,manet applicata eius voluntas, & potentia ad coſdem effectus determinato tempore producendos. Et ideo concurſus eius non eſt ſecundùm ſe indifferens, nec talis modus indifferenter concurrendi aptus eſt, aut accommodatus ad libertatem voluntatis humanæ, quantùm ad exercitium operis tuendum, ſed potiùs ſi hoc modo indifferenti Deus præberet ſuũ concurſum generalem,nullam producerent operationem cauſæ ſecundæ præſertim liberæ, vt dictum eſt.

Ad ſecundum argumentum reſpondetur,negando,eſſe impoſſibilem Deo alium modum concurrendi accommodatum noſtri arbitrij libertati:nam, vt diſputat.22.23. patebit, modus concurrendi per concurſum præuium, determinantem liberum arbitrium ad operandum,eſt Deo poſſibilis, & libertati arbitrij congruẽs,imò & neceſſàrius, vt in actũ determinatum, & liberum exeat.Quo modo autem cum hac prædeterminatione ſtet ſimul in voluntate indifferentia,ſeu potentia ad operandum, vel nõ operandum, quæ eſt de intrinſeca ratione liberi arbitrij,explicandum erit ex profeſſo diſputat. 22. 23, 115.& 116.

Vide ſuprà diſp.18.nu. 23.

XI. Ad tertium argumentum reſpondetur, modum concurrendi Dei per concurſum ex ſe indifferentem,nullo modo eſſe conformem ſacræ Scripturæ, vel SS. Patribus : nec in illis habere aliquod fundamentum, & ad locum adductum ex cap.15. Eccleſiaſt. reſpondetur cum S.Thom.1.par. quæſt. 22. art.2.ad 4. *Quòd in hoc, quod dicitur, Deum reliquiſſe hominem in manu conſilij ſui,non excluditur homo à diuina prouidentia, ſed oſtenditur, quòd non præfigitur ei virtus operatiua determinata ad vnum, ſicut rebus naturalibus,quæ aguntur tantùm, quaſi ab altero directa in finem, non autem ſeipſa agunt, quaſi ſe dirigentia in finem,vt creaturæ rationales per liberum arbitrium, quo conſiliantur,& eligunt.Vnde ſignanter dicit*: In manu conſilij ſui.*Sed quia ipſe actus liberi arbitrij reducitur in Deum,ſicut in cauſam,neceſſe eſt,vt ea, quæ ex libero arbitrio fiunt,diuinæ prouidentiæ ſubdantur,prouidentia enim hominis continetur ſub prouidentia Dei,ſicut cauſa particularis ſub cauſa vniuerſali.* Sicut ergo per hoc, quòd homo ſit conſtitutus in manu conſilij ſui,non excluditur concurſus arbitrij à diuina prouidentia, ita etiam non excluditur à diuina cauſalitate,& prædeterminatione, quia cum ſit ſecundum liberum, in ſua determinatione intrinſecè,depẽdet à prædeterminatione primi liberi, quod eſt Deus. Nec ad libertatem requiritur, quòd homo habeat in manu ſua præuium Dei concurſum, ſed ſufficit, quòd habeat in ſua poteſtate actum liberũ,ad quem Deus mouet hominem ſuo generali concurſu, vel ſpeciali. Et ſimiliter dicendum ad locum Geneſ. inductum,in quo tantùm ſignificatur, hominem habere liberum arbitriũ,& dominium ſui actus, quod ſufficientiſſimè ſaluatur, etiamſi non habeat primum,& abſolutum dominium illius, independens ab alio ſuperiori, vt diſp.117. manifeſtum fiet. ſicut Rex vere habet dominium ſui regni, etiamſi non ſit primus, & abſolutus dominus illius, cum primum omnium rerum dominium ſoli Deo cõpetat.

XII. Ad quartum reſpondetur, S. Thomam expreſsè docere noſtram ſententiam locis inductis,& in aliis quæ in tribus diſputationibus ſequentibus adducemus,neque alicubi aſſerunt, aut leuiter inſinuauit ſententiam oppoſitam. Vnde ad locum adductum ex quæſt.14. artic.13.1. partis reſpondetur, quòd ibi non ait ſimpliciter, cognitionem futurorum in cauſa eſſe coniecturalem,ſed cum iſto addito, videlicet in cauſa contingenti. & indifferenti,qualis eſt noſtra voluntas; de hac enim cauſa loquitur aperte in proceſſu articuli. Voluntas autem diuina, ſeu decretum illius, & ſimiliter concurſus generalis, quo mouet cauſas ſecundas ad operandum, non eſt cauſa contingens, neque impedibilis ex concurſu alterius cauſæ,vt diſp. 23 patebit. Vnde in decreto, quo ab æterno ſtatuit efficaciter præmouere in tempore cauſas ſecundas ad tales vel tales effectus contingentes,cognoſcit infallibiliter, illos eſſe futuros,vt diſp.10.ex teſtimoniis S.Thom.& rationibus efficaciſſimis oſtenſum eſt.

Ad alium locum ex p.2.q 9.reſpondetur,quòd in illo ſolum intendit docere S. Thom. voluntatem noſtram determinari à ſolo Deo, quantum ad ſpecificationem ad bonum in communi.Sed in ordine ad hoc, vel illud bonum in particulari non ſolum prædeterminatur a Deo, ſed etiam ipſa voluntas ſeipſam per deliberationem determinat, & ſeipſam mouet,tanquam determinans proximum, ad motione,& prædeterminatione primi mouentis & primi determinantis vniuerſa. Cum autem ſubdit, *Deum inte dum ſpecialiter mouere aliquos ad aliquid determinatè volendum,quod eſt bonum,ſicut in his, quos mouet per gratiam*: ſignificare voluit, quòd præter motionem generalem,qua Deus mouet, & applicat omnes cauſas naturales; & eas prædeterminat ad ſuas operationes in particulari,vt ipſe S.Doctor explicat in pluribus locis, datur motio ſpecialis per ſpeciale auxilium diuinæ gratiæ, quo Deus mouet liberum arbitrium ad bonum ſupernaturale, quod eſt verè,& ſimpliciter bonum.

Ad locum adductum ex p.2.q.19. art.4.& 3. con. Gen.c.90 & q. 5. de ver.art. 5. reſpondetur, potius nobis fauere.Cùm enim dicat S. Doctor actus liberos non eſſe per prouidentiam diuinam ita determinatos ad vnum,ſicut ea, quæ libertatem non habent: & Gregorium Nyſſenum,& Damaſcenũ,cum aſſerunt: Deum non prædeterminare quæ ſunt in nobis; exponendos eſſe,vt intelligatur,ea,quæ ſunt in nobis, diuinæ determinationi non eſſe ſubiecta, quaſi ab ea neceſſitatem accipientia; clariſſimè ſupponit, Deum prædeterminare ad quamlibet operationem in particulari noſtrum liberum arbitrium, non tamen ex neceſſitate abſoluta, ſicut determinat cauſas naturales, ſed iuxta naturam eiuſdem liberi

liberi arbitrij : siue secundùm modum libertatis, A quia videlicet prædeterminat liberum arbitrium non solùm ad operandum, sed etiam ad operandum libere, conformiter ad suam naturam, vt ipsemet S. Doct. 1. p. q. 1. art. 5. diluciùs explicuit.

Ad locum ex q. 3. de pot. respondetur per ea quæ dicta sunt, & dicentur disput. 111. vbi explicabitur, qualiter consensus liberi arbitrij sit in eius potestate.

Ad illud autem, quod dicit q. 6. de ver. artic. 9. ad 10. videlicet, actum, siue actionem primæ causæ determinari per causam secundam ad hunc effectum, respondetur, quòd sanct. Thomas non dixit absolutè, quòd per concursum causæ secundæ determinatur influxus causæ primæ ad hunc effectum, sed *quodammodo* vt insinuaret, quòd implicitèr, & quàtùm ad exercitium actus, causa secunda determinatur ad concurrendum a concursu primæ causæ, vt in aliis locis clarissimè docet, quamuis concursus causæ primæ determinetur ad talem speciem effectus in ipsa causa secunda, qua recipit in se influxum primæ causæ. Sed hæc determinatio non fit ab ipsa causa secunda, sed à Deo, qui concursum suum generalem in causis secundis modificat, vt dictum est, & ita per talem causam secundam, scilicet per ignem, non producit nisi ignem, & per equum, non generat, nisi equum, & sic de singulis. Propter quod in eadem solutione ad 10. dixit S. Doct. effectum magis assimilari secundæ causæ, quam primæ, & eodem modo refellendus est alius recens ex 3. cont. Gent. cap. 66.

XIII. COnsequenter explicandum est, vtrum Deus per hanc motionem prævium in causis secundis receptam, antecedenter ad earum operationem physicè prædeterminet ipsas causas secundas, tam naturales, quàm liberas ad actualiter operandum. Hæc enim est potissima quæstio, propter quam dissensio exorta est inter viros Catholicos, quibusdam contendentibus, cum hac prædeterminatione non posse cohærere vsum liberum creatæ voluntatis in actuali exercitio; aliis ex aduerso reclamantibus, illam prævium motionem, applicantem voluntatem ad alteram partem contradictionis, aut contrarietatis, esse necessariò constituendam, vt causa, quæ de se est indifferens, exeat in actum determinatum, & B per illam motionem nedum lædi, sed potiùs perfici creati arbitrij libertatem. Et quoniam duplex est prædeterminatio nostræ voluntatis: altera merè extrinseca per efficaciam diuinæ voluntatis, & potentiæ, cui nulla creatura potest resistere: altera intrinseca, quæ fit per motionem prævium in voluntate receptam, cuius virtus, & efficacia ab efficacia diuinæ voluntatis dependet; de vtraque suo ordine est disputandum, & primò agendum est de prædeterminatione extrinseca, deinde de intrinseca, & inhærente; hæc enim secunda determinatio sequitur ex prima. Vnde, si Deus absoluta, & efficaci voluntate physicè prædeterminat nostrum liberum arbitrium ad consensum, antecedenter ad omnem scientiam mediam, consequenter admittenda est physica prædeterminatio intrinseca, facta a Deo per motionem prævium, in eodem arbitrio receptam, &, si illa non impedit vsum libertatis, neque ista: nam, vt quidam ex auctoribus sententiæ oppositæ rectè docet, eadem ratio est, quantùm ad hoc, de physica prædeterminatione ex causa extrinseca, hoc est, ex efficaci, & absoluto decreto voluntatis Diuinæ, & de hac inhærente præmotione.

Dei efficax decretum intrinseca libertatem non tollit, quia ex prædeterminatione extrinseca quæ est per decretum Dei efficax.

DISPVTATIO XXII.

Vtrùm Deus, absoluto, & efficaci decreto suæ voluntatis vere efficienter, siue ad modum causæ physicæ, prædeterminet omnes causas secundas, tam naturales, quàm liberas ad suas operationes, salua eorum natura, & libertate.

VT tertius huius disputationis manifestius fiat, ne quis ignorantia nominum offendat, & veritatem ipsam impugnet, dum contra vocabulum prædeterminationis physicæ militatur, notandum est, quòd, sicut distinguitur a Doctoribus duplex causalitas, & duplex causa; ita etiam duplex prædeterminatio eiusdem causæ debet distingui: altera moralis, altera vere efficiens, seu physica. Vt enim docet sanctus Thomas quæstione tertia de malo, 11. articulo tertio, in corp. *Causa aliquid mouens est duplex, quandoque enim dicitur causa id, quod est disponens, vel quod est constituens, vel quod est præceptum*: & hæc communi vocabulo dicitur causa moralis, eò quòd per modum suadctus dericte mouet *quandoque vero dicitur causa id, quod est persuadens, & hæc proprie & vere causa dicitur: quia causa est, ad quam sequitur effectus, ad actionem autem causa perficiens rationem effectus sequitur, non autem ad ... eum disponentis, vel consulentis, vel imperantis: suasio enim non cogit inuitum*, vt Augustinus dicit in libro 83. quæstionum, quæ. 4. Proportionabiliter nos distinguimus duplicem prædeterminationem voluntatis, alteram moralem dumtaxat, quæ fit per suasionem internam, vel per externum consilium, vel præceptum. & hoc modo Rhetores multis rationibus, quibus faciat apparere voluntati conuenientiam obiecti, eam inclinant, & quasi prædeterminant moraliter ad aliquid volendum, vel faciendum: quamuis hæc prædeterminatio non possit esse efficax, quantùm est ex parte sua, vt inferius patebit, quoniam interius non immutat C voluntatem, eam transferendo ab vno in aliud, sed solum se tenet ex parte obiecti. Altera verò est prædeterminatio physica, qua ex parte potentiæ efficienter propriè mouetur a Deo voluntas ad aliquid volendum, quę quidē prædeterminatio dicitur physica, siue ad modum causæ physicæ, vt condistinguitur contra illam, quæ est solùm moralis, non autem, vt condistinguitur contra liberam prædeterminationem: pro quo

I. Causa alicuius effectus duplex alia physica, alia moralis.

Prædeterminatio est duplex.

II. Notandum est secundò, aliquam actionem, seu prædeterminationem posse in duplici sensu physicam appellari. Primò, ita, vt actio, seu prædeterminatio physica idem significet, quod actio, & prædeterminatio naturalis, cuius conditio ad physicū spectat, & in hoc sensu nullus Catholicus docet, Deum suo efficaci decreto, aut per auxiliū aliquod D intrinsecum, physicè prædeterminare liberum arbitrium ad suam operationem: hæc enim prædeterminatio absque dubio tolleret libertatem, vt inferius patebit. Secundo modo accipiatur actio, & prædeterminatio physica, vt distinguitur ab actione, & prædeterminatione dùtaxat morali, quæ fit per solam suasionem, & propositionē obiecti conuenientis, siue exterius, siue interius fiat, & in hac acceptione illa dicitur causa physica alicuius effectus, quæ per veram, & realem efficientiam illum efficit, & a qua effectus in suo esse dependet, siue causa illa sit naturalis,

Prædeterminatio potest dupliciter physica appellari.

turalis, ſiue libera, & in eadem acceptione ſumitur verbum, phyſicè ſeu phyſica actio a Theologis, cùm dicunt, quòd humanitas Chriſti actione phyſica noſtram cauſat ſalutem, & ſimiliter miracula in quo differt cauſalitas illius a cauſalitate, qua alij Sancti faciebant miracula: nam alij Sancti ſolùm moraliter ea cauſabant, orando Deum, vt illa efficeret, aut etiam præcipiendo, ſicut Ioſue, cum dixit: *Sol, contrà Gabaon ne mouearis*: at humanitas Chriſti non ſolùm moraliter, ſed efficienter, & phyſicè cauſabat miracula, tanquam inſtrumentum diuinitati coniunctum, quod innuere videntur verba illa: *Qui facit mirabilia magna ſolus.* Solus, inquit, nam licet alij Sancti moraliter miracula fecerint, ſolus tamen Deus efficienter proprie, & phyſice, vt cauſa principalis, illa efficiebat: quia, vt dicit ſanctus Thom. 1. par. quæſt. 111. artic. 2. *Solus Deus, qui naturam condidit, poteſt illam immutare.* Vnde ſanctus Auguſtinus explicans prædicta verba Pſalmiſtæ, ait: *Fecit Moyſes mirabilia, ſed non ſolus, fecit Elias, & Eliſæus, fecerunt & Apoſtoli, ſed nullus eorum ſolus, illi cùm facerent, tu cum eis, tu quando faceres, non illi tecum: quia ſolus operabaris: non enim tecum fuerunt, cùm feciſti, quando & ipſos tu feciſti.* Et in hoc ſenſu vtuntur nomine actionis phyſicæ, & cauſalitatis phyſicæ quamplurimi auctores, etiam ex illis, qui negant, Deum efficienter prædeterminare voluntatem ad piam operationem. Imò & in Concilio Epheſino, Anathematiſmo tertio, vnio Verbi incarnati appellatur vnio phyſica, id eſt, vera, & realis, vt diſtinguitur contra vnionem ſecundùm dignitatem vel auctoritatem. Verba Concilij ſunt hæc: *Si quis poſt naturarum vnionem, ſubſiſtentias in vno Chriſto diuidit, (vnicuique nimirum ſuam propriam aſſignans) naturáſque ea tantùm copula connectit quæ eſt ecũdum dignitatem, vel auctoritatem: non ea autem coitione, quæ ſit ſecundùm phyſicam* * *vnionem, anathema ſit.* Et infrà in declaratione eiuſdem anathematis explicatur verbum illud, *ſecundùm phyſicam ſeu naturalem vnionem*, cùm dicitur, *ſecundùm naturalem hoc eſt, ſecundùm veram vnionem. Nam ita diuina Scriptura verũ alicubi vſurpat, ait enim. Et eramus natura filij iræ, ſicut & cæteri, hoc eſt verè.* Idem confirmat ſanctus Cyrillus in eodem Concilio, cùm reſpondens Orientalibus, qui nomen phyſicæ vnionis nõ admittebant, aſſerentes, gratiæ vnionis repugnare, ait: *At ſi naturalem vnionem dixerimus, habet enim Scriptura diuinitus inſpirata hunc morem, hac dictione vti ſcribit enim alicubi quibuſdam diuinus Paulus*: Et eramus natura filij iræ, ſicut & cæteri, *& neutiquam dixerit quiſpiam, ſubſiſtere ſecundùm naturam diuinam, iram, ita vt peccatores illius ſint ſoboles: alioqui prorſus, & omnibus modis, cum errore, & inſania Manichæorum laboraremus. Vnde ibi natura idem eſt, quod verè. Non igitur confundentes naturas, neque ipſas inter ſe confirmantes ſicut dicunt aduerſarij, naturalem dicimus fieri vnionem ſine commixtione, ſed ex duabus rebus diſſimilibus, Deitate (inquam) & humanitate, vnum factum eſſe Chriſtum, & Filium, & Dominum vbique affirmamus. Demum de Apollinarij dogmatis planè nullum ſermonem facimus: ſemel enim condemnata, tanquam veritatem adulterantia, aduerſari oportet.*

Ex his facile colligi poteſt, non eſſe nouum, ſed antiquum in Eccleſia hoc nomen præmotionis, vel prædeterminationis phyſicæ, & a Patribus vſurpatum in eadem acceptione, qua in præſenti diſputatione ſumitur. Quando ergo quæritur, vtrùm Deus abſoluto, & efficaci decreto ſuæ voluntatis, phyſice prædeterminet omnes cauſas ſecundas ad ſuas operationes, verbum, phyſicè, non ſumitur determinate pro determinatione naturali, qua ſecundæ cauſæ determinantur ad vnum ex neceſſitate abſoluta, ſed pro determinatione, vt abſtrahit à naturali, & libera: & vt diſtinguitur a prædeterminatione dumtaxat morali, quæ nil ſuadendo, & proponendo etiam interius congruè, & opportunè obiectum, & ſenſus eſt, vtrùm Deus abſoluto & efficaci decreto ſuæ voluntatis antecedenter ad omnem præſciẽtiam cooperationis arbitrij creati, futuræ, etiam ex hypotheſi quod in talibus circunſtantiis conſtituatur, prædefinierit, & prædeterminauerit in particulari omnes actus futuros, etiam liberos, & eodem decreto phyſice, id eſt vere, efficienter faciat, vt cauſæ ſecundæ in tempore eoldem actus producant.

Eſt ergo prima ſententia multorum recentiorum aſſerentium, non minùs impediri indifferentiam libertatis, & vſum actualem illius per phyſicam prædeterminationem, quæ fit à decreto abſoluto diuinæ voluntatis, omnem ſcientiam mediam antecedente, quàm ex prædeterminatione intrinſeca, quæ fit per inhærentem præmotionem. Probant hanc ſententiam ſequentibus argumentis. III.

Primò, auctoritate Sanctorum, qui omnino negant noſtrum liberum arbitrium prædeterminari ad vnum ex voluntate Dei extrinſeca. Etenim ſanctus Damaſcenus libro 2. de fide orthodoxa, cap. 29. inquit: *Quæ in poteſtate noſtra ſita ſunt, non prouidentiæ, ſed libero noſtro arbitrio aſſignari debent.* Vbi prouidẽtię nomine ſumi neceſſariò debet pro abſoluta prędefinitione & prędeterminatione Dei, & c. 30 ſubdit: *Illud ſcire intereſt, Deũ omnia quidẽ præſcire ſed non omnia prædefinire: præſcit enim ea etiam, quæ in noſtra poteſtate, & arbitrio ſita ſunt: at non item ea prædefiniuit.* Et Gregorius Nyſſenus libro 7. de Philoſophia, cap. 1. & lib. 8. cap. 4. ait: *Ea, quæ ſunt in nobis, non eſſe ex prouidentia*: quod non poteſt aliter intelligi, niſi non eſſe ex volun.ate Dei prædeterminante nos ad vnum: & idem dicit Theodoret. libro 5. diuinorum decretorum, capite de prouidentia, & ſanctus Chryſoſtomus homil. 12. ſuper epiſtolam ad Hebræos, ait: *Non antecedit noſtras voluntates, noſtrum ne lædatur arbitrium.* Quibus verbis non excludit gratiam excitantem, ſed ſolum antecedentem Dei prædeterminationem, quæ noſtrum læderet arbitrium. Et ſanctus Hieronymus epiſt. 146. ad Damaſum de filio prodigo ait: *Hominem ita eſſe liberum, vt viuat non ex imperio Dei, ſed ex obſequio ſuo, id eſt, non ex neceſſitate, ſed ex voluntate*: vbi per imperium intelligit voluntatem Dei prædeterminantem ad vnum, noſtrum liberum arbitrium, & pro eodem reputat hominem viuere, & operari ex imperio Dei, hoc eſt, ex decreto abſoluto diuinæ voluntatis, & operari ex neceſſitate. Et ſanctus Auguſtinus libro de Spirit. & litera, cap. 31. *Legimus*, inquit, *non eſt poteſtas, niſi à Deo: non autem legimus: Non eſt voluntas niſi à Deo, & recte non ſcriptum eſt, quia verum non eſt.* & idem dicit lib. 5. de ciuitate Dei, cap. 9. & 10. Quibus verbis negare intendit, voluntatem noſtram eſſe a Deo prædeterminante illam ad vnum: nam talis prædeterminatio induceret neceſſitatem. & libro 7. de ciuitate Dei, ita inquit: *Deus adminiſtrat res, quas condidit, vt eas motas ſuos agere ſinat*: & libro 3 de libero arbitrio cap. 18. ait: *Hoc breuiſſimum tene, quæcunque iſta cauſa eſt voluntatis, ſi non poteſt ei reſiſti, ſine peccato cedit.* Si ergo voluntas Dei efficax ita nos præuenit, vt non poſſimus ei reſiſtere, ſine peccato, ac per cõſequens ſine libertate cedimus. Denique S. Thom. p. 2. q. 10. art. 4. inquit, Deum ita mouere voluntatem noſtram ex ſe indifferentem, *vt non ex neceſſitate illam ad vnum determinet*: & idem docet 3. contr. Gent. cap. 90. quæſt. 5. de ver. art. 5. ad 1. & 1. part. quæſt. 23. artic. 1. ad 1. Præterea

Ioſue 10.

Pſalm. 93.

S. Aug. ſuper Pſalm. 93. tom. 8.

In Actis Cõcil. Epheſ. to. 5. anath. 3.

* *alibi, naturalem.*

Epheſ. 2.

Damaſcen.

Greg. Nyſſ.

Theodoret. Chr. Ioſtom.

terea quæst. 5. de potent. art. 7. ad 13. inquit, determinationem actus relinqui in potestate rationis, & voluntatis. Sentit ergo, Deum non prædeterminare voluntatem nostram ad eosdem actus absoluto & efficaci decreto suæ voluntatis. Et certe, si sanctus Thomas sensisset, Deum hoc modo prædeterminare hanc voluntatem efficaci omnes nostros actus, docuisset aliquando, cognoscere Deum futura contingentia in hac prædeterminatione tuæ voluntatis, & non recurrisset ad præsentiam rerum in æternitate, vt cum contingentia rerum faluaret in Deo infallibilem scientiam futurorum contingentium. Alia loca S. Thomæ, quæ huic sententiæ fauere videntur, adducemus infra.

Secundo arguitur nam Lutheranos, & Caluinianos non negauerunt, voluntatem nostram physice operari, quando vult; sed dixerunt, quòd physica quadam efficacitate à Deo prædeterminatur, vt velit, per efficacissimam voluntatem, qua illum præmouet; & ideo non manere liberam in sua actione: hoc enim designat vox illa Lutheri apud Rodericum fol. 314. *Homo multa facit propter, & circa Dei præscientiam.* Et illa: *Non quæ nos, sed quæ ille vult, ea facimus, & facimur*: ergo, &c.

Contra hanc non oppositæ scripturæ, nullæ authoritate, vel necessitate ergo erit, voluntati connaturale cum actione nostri temporis ita penitus fundamentaliter quo ab ea deducitur, libertatem arbitrium esse rem de bono titulo: ergo est omnino reuocienda.

Terto. Si ad hoc, quod homo aliquid velit in particulari, necessarium est, vt Deus ex æternitate sua, absoluto & efficaci decreto suæ voluntatis prædeterminet liberum hominis arbitrium ad illud determinatè **volendum: sequitur, quòd non sit in nostra potestate, nisi id tantùm velle, quod Deus vult,** nos velle. Quod si hoc ita est, sequitur vlterius, nos **non liberè velle id, quod volumus, sed ex necessitate** absoluta, quia non possumus aliter facere, si Deus **vult**, vt faciamus illud; & eadem ratione iterum deducitur, non libere committi à nobis eos actus, qui sunt in præcepto: certum si ad hoc, quòd Petrus, verbi gratia, actus illius actiuus, est necessarium, quòd Deus prædeterminauerit eius voluntatem ad eundem actum: quando potest Petrus facere talem actum, si Deus suo decreto efficaci, & efficaci non prædeterminante, actum illum non à Petro.

Confirmatur: quia nos nolle velle possumus sine hac prædeterminatione diuina, sed hoc non est in nostra potestate: quia nullo modo à nobis incipit, sed à Deo: ergo à Deus alligauit nostræ voluntatis determinationem ad vnum actum, & non ad alios, omnino: aliàs non fuit in nostra potestate: & per consequens, nec contingentia nec libertas, & culpabiliter: quia nequit ante determinationem illam Dei fuit in **nostra potestate facere**, vt non ad hunc actum, sed ad aliud non prædeterminatum: cum quo posset eius determinationem facere quodlibet ex possumus, vt Deus ad illum actum nos determinauit.

Quinto arguitur: Vt voluntas nostra sit libera in actuali exercitio: necesse est, vt non solum habeat intrinsecam facultatem & potestatem: sed etiam quòd habeat esse in actu, vel in potestate sua ea omnia, quæ sibi sunt ad agendum necessaria: sed non est in potestate nostræ voluntatis habere efficax illud Dei decretum extrinsecè prædeterminans nostrum liberum arbitrium ad illum actum in particulari: ergo si illa prædeterminatio extrinseca est necessaria, vt voluntas nostra actu operetur, non erit libera in exercitio.

I V. Quintò: **Indifferentia, & indeterminatio est de** essentia libertatis: potentia enim libera ex eo dicitur, quòd sit indifferens ad operandum hoc, vel illud, aut etiam à operandum, & non operandum: sed prædeterminatio, qua per extrinsecam voluntatem Dei voluntas nostra efficaciter prædeterminatur ad hoc operandum in particulari, tollit ab eadem voluntate huiusmodi indifferentiam: ergo tollit id, quod est de essentia libertatis: ergo destruit libertatem. Non ergo est admittenda huiusmodi prædeterminatio.

Confirmatur. Vt voluntas sit libera in ordine ad aliquam operationem, necessarium est, quòd ea determinet ad illam operatio enim libera debet procedere à principio intrinseco, & mouente, & liberè determinante: sed si voluntas nostra ante omnem suum actum est iam prædeterminata per extrinsecam Dei voluntatem ad operandum hunc actum in particulari, non potest ipsum determinare ad eundem actum: quod enim determinatum iam est, non potest determinari, cum omnis determinatio præsupponat indeterminationem in ipso, quod determinatur: ergo determinatio efficax per extrinsecam Dei voluntatem, repugnat creatæ libertati.

Sexto. De ratione potentiæ liberæ est, vt positis omnibus requisitis ad operandum, possit operari, & non operari: sed posito decreto efficaci Dei prædeterminante nostram liberam voluntatem ad operandum hoc in particulari, non potest voluntas non operari: ibi enim dicit Deus: *Domine Deus omnipotens, in dextera tua cuncta sunt posita, & non est, qui possit tuæ resistere voluntati, si decreueris saluare Israel.* Et Apostolus: *Voluntati enim eius quis resistit?* Ergo nullatenus est admittendum, quòd Deus sua efficaci voluntate liberum nostrum arbitrium prædeterminet ad hoc in particulari volendum.

Septimò. Necessarium opponitur libertati: ergo actio necessaria opponitur liberæ, sed si Deus efficaciter ordinat nos prædeterminando ad operandum, quæcumque operatio nostra erit necessaria: necesse enim, quod si Deus velit aliquid fieri, illud fiat, cum voluntas eius sit efficacissima, iuxta illud Psalmi: *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit in cœlo & in terra*: ergo nulla relinquitur actio libera, si naturam efficax prædeterminatio per absolutam Dei voluntatem.

Si dicatur, falsum concludere argumentum, actus nostros esse necessarios ex suppositione voluntatis diuinæ: non autem simpliciter, contra hoc est

Oct. nam argumentum. Quod est necessarium ex suppositione, efficitur necessarium simpliciter respectu alicuius, quando non est in eius potestate tollere, aut ponere suppositionem illam, ad quam necessario sequitur actus, qui dicitur ex suppositione necessarius, sed non est in potestate voluntatis creatæ tollere, vel ponere suppositionem illam efficacis decreti voluntatis Dei, prædeterminantis liberum arbitrium creatum ad operandum, cum illud decretum sit à solo Deo, & nullo modo dependeat ex libera operatione nostri arbitrij, etiam præcognita per scientiam mediam: ergo actus, qui dicuntur necessarij ex suppositione eiusdem decreti diuini, absolute, & simpliciter sunt necessarij. Maior probatur, & explicatur: nam si ex suppositione eclipsis necessariò sequitur mors Petri, eclipsis illa est simpliciter necessaria respectu Petri, quia non est in eius potestate eclipsim tollere, aut impedire, ex qua necessariò sequitur mors eius. Idem etiam si ex eo quòd Paulus transeat flumen, necessariò sequitur, quod madefiat; simpliciter erit necessa-

rium Petro madefieri, si non est in eius potestate flumen pertransire.

Confirmatur, quia non habet Deus alium modum efficaciorem, quo possit humanæ voluntati necessitatem absolutam inferre, quam decreto efficaci suæ voluntatis, illam physicè ad alteram partem prædeterminando.ergo.

V. Nonum argumentum. Necessitas antecedens liberum consensum creatæ voluntatis, seu quæ prouenit ex causis prioribus, tollit libertatem; sed necessitas operandi habens ortum ex absoluto, & efficaci decreto voluntatis diuinæ, prædeterminantis liberum arbitrium creatum ad omnem suam actionem in particulari,est necessitas ex causis prioribus proueniens.ergo. Maiorem propositionem clarissimis verbis tradit beatus Anselmus libro secundo. Cur Deus homo, capite 18.& de concord.prædest. capite primo & secundo. nam capite primo distinguit duas necessitates; alteram præcedentem, quæ facit rem esse,alteram verò sequentem,quæ descendit de libera voluntate,atque hanc posteriorem docet non esse contrariam libertati, quia nihil cogit, siquidem descendit ex ipsa libertate;illam verò necessitatem, quæ rem præcedit, ait esse contrariam libertati: & ideo capite secundo ad medium ait, bo. prædestinati non euenire ex necessitate, quæ præcedit rem,sed ea, quæ rem sequitur:& rationem reddit, quia illam facit Deus, non cogendo voluntatem,sed illam in sua potestate demittendo. Sentit ergo Beat. Anselmus, necessitatem operandi, quæ antecedit consensum nostræ voluntatis, esse contrariam libertati.

Confirmatur primò eadem propositio auctoritate sancti Thomæ 3. parte quæstione quadragesimasexta, articulo secundo, vbi diuersos modos necessitatis explicans ait: *Alio modo dicitur necessarium ex aliquo exteriori,quod quidem si sit causa efficiens,vel mouens, facit necessitatem coactionis.* Et 2.contr. Gent. capite vigesimonono, docet, necessitatem absolutam esse illam, quæ prouenit ex causis prioribus,ait enim: *Inuenitur autem & alius necessitatis modus secundum quod aliquid dicitur necessarium absolute:quæ quidem necessitas dependet ex causis prioribus in esse, sicut ex principiis essentialibus, & ex causis efficientibus, siue mouentibus.* Et libro secundo Perihерm. lect.15.in princip.sic ait: *sciendum est, quòd necessitas, quæ pendet ex causis prioribus, est necessitas absoluta.* id quod postea de singulis causis probat: & loquens de efficiente,sic ait: *Et similiter quod habet necessitatem ex causa efficiente,est necessarium absolute:quod autem habet necessitatem ex eo,quod est posterius in esse, est necessarium ex conditione, vel ex suppositione*: quam doctrinam,veluti ad practicam reducens,quæstione sexta de malo,articulo primo,in corpore,docet, illas dispositiones,quæ non subiacent voluntati,eam necessitare, secus autem si subiacent eidem voluntati: sic enim ait: *Si ergo dispositio, per quam alicui videtur aliquid bonum,& conueniens, fuerit naturalis, & non subiacens voluntati: ex necessitate naturali voluntas præeligit illud, sicut omnes homines naturaliter desiderant esse, viuere,intelligere: si autem sit talis dispositio, quod non sit naturalis, sed subiacens voluntati, puta cum aliquid disponitur per habitum,vel passionem ad hoc,quod sibi videatur aliquid vel bonum, vel malum in hoc particulari, non ex necessitate mouetur voluntas: quia potest hanc dispositionem remouere, vt sibi non videatur aliquid sic, vt scilicet cùm aliquis quiescat in se tram vt non iudicet de aliquo tanquam iratus.*

Confirmatur secundò. Amor Beatorum erga Deum propterea non est liber, quantùm ad exercitium; quia licèt oriatur ex potentia natura sua libera,& amante Deum motu spontaneo; oritur tamen necessariò ex suppositione antecedente consensum voluntatis, videlicet ex suppositione visionis beatificæ, quæ non subiacet potestati voluntatis: ergo similiter actus, qui est necessarius ex suppositione diuinæ voluntatis, erit absolute necessarius, & non liber; quia consequitur necessariò ex suppositione antecedente liberum consensum voluntatis.

Confirmatur tertiò. Motus primi, qui sine libertate in homine excitantur, propterea non sunt liberi, quia oriuntur necessariò ex suppositione inaduertentiæ antecedentis consensum voluntatis,similiter etiam illa,quæ fiunt in somno, non sunt libera;quia necessariò accidunt ex suppositione somni,non obstante indifferentia, quam voluntas ex natura sua habet:ergo si nostra voluntas necessariò consentiret ex suppositione prædeterminationis diuinæ, illa necessitas contraria esset actuali vsui libertatis, ita vt operatio eo modo elicita non sit libera.

VI. Argumentum decimum. Vt voluntas sit libera, debet habere dominium sui actus, vt patet ex S.Th. in 2.sent.dist.25.quæst. secunda, articulo primo, & colligitur ex illo Ecclesiast.15. *Deus ab initio constituit hominem,& reliquit illum in manu consilij sui,&c. Apposuit tibi aquam,& ignem,ad quod volueris,porrige manum tuam. Ante hominem vita,& mors, bonum, & malum,quod placuerit ei,dabitur illi*: sed si prædeterminaretur efficaciter ad vnum actum determinatum ex voluntate Dei extrinseca, non haberet dominium sui actus: ergo non prædeterminatur. Minor probatur,nam S.Thom. in 2.sent.loco citat. ad primum argumentum, ex eo probat, saluari in Deo liberum arbitrium,seu liberam potestatem, & dominium sui actus; quia determinatio actus non est sibi ab alio,sed à se ipso:&ex hoc infert,quod sui operis ipse dominus verissimè est. *Ecclesi. 15.*

VII. Secunda sententia est aliorum Theologorum asserentium,Deum Optim.Max. æterno suo decreto, atque absoluta, & efficaci voluntate prædeterminasse omnes actus nostros in particulari ante eorum præuisionem,& independenter ab omni scientia media liberæ cooperationis futuræ ex hypothesi, quòd in talibus circumstantiis constitueretur, absque eo quod per huiusmodi prædeterminationem lædatur in aliquo libertas nostri arbitrij. Hæc est expressa sententia S. Thomæ, & omnium Thomistarum:quam etiam tenet Scot in 1.sent. dist. 39. quæst. vnic. & quodlibeto nono, articulo decimoquarto, litera S.& omnes eius discipuli, præsertim Vega lib.2.super Concil.Trident. capite decimoseptimo. Eandem sententiam docent communiter Sancti Patres, qui loquuntur de hac materia,vt patebit ex locis infrà allegandis: vnde pro eius explicatione sit

VIII. PRima Conclusio. Deus sua absoluta, & efficaci voluntate prædeterminauit omnes actus etiam liberos in particulari,priùs in signo rationis, quàm intellectus diuinus cognosceret, actus illos esse futuros etiam ex hypothesi; quòd voluntas creata constitueretur in tali ordine rerum, & in talibus circumstantiis; & intelligimus hoc de actibus, qui non sunt mali moraliter, nam quid sentiendum sit de actu peccati, discutiendum erit ex professo disputatione vigesimaquartâ. Hæc conclusio est contra auctores primæ sententiæ,ex quibus aliqui aiunt, quòd Deus opera nostra bona moralia vult inprimis voluntate conditionata, si & nos pro nostra libertate ea velimus, eo pacto, quo vult omnes homines saluos fieri, si & ipsi velint.Præuidens verò,quæ eorum pro nostra libertate sint futura,complacet in illis, vultque absoluta voluntate, vt sint.

Omnes causæ secundæ prædeterminantur extrinseco Dei decreto ad suas operationes.

Nostram

Noſtram tamen concluſionem docent auctores omnes allegati pro ſecunda ſententia, & alij, quos diſp. 18. retulimus ad confirmandam illam doctrinam, quæ aſſerit, concurſum Dei generalem eſſe influxum in cauſam immediatum.

Probatur primò ex ſacris literis, in quibus habetur, Deum prædeſtinaſſe, & prædeterminaſſe bona opera noſtra; dicitur enim ad Epheſ. 2. *Ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus.* vbi verbum, *præparauit*, idem ſignificat, quod *prædeterminauit*, vnde S. Athanaſius hæc eadem verba explicans, ait: *Athan. ſuper cap. 2. ad Epheſ. in impreſſione Lugdun. 1552.* *Sciens autem hæc*, ſupple bona opera, *paranit Deus, quæ differri non poterunt, neque prætermitti, quin peragantur, tanquam diuinitus ſint præfinita, idque per multam erga nos prouidentiam.* Expendatur illud verbum, *præfinita*: nam idem ſignificat, quod *prædeterminata*. En Apoſtolus vtrumque coniunxit, & prædefinitionem bonorum operum à Deo factam, quam ſignificauit per verbum, *præparauit*, & libertatem noſtram, quam ſubiunxit dicens: *Vt in illis ambulemus*, propria videlicet libertate, & ad Epheſ. 1. inquit: *Qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ*: hoc eſt ſecundùm liberam determinationem voluntatis ſuæ, qua *omnia, quæcunque voluit, fecit in cœlo, & in terra*: vt enim docet S. Thomas, in *Pſal. 134. S. Th. p. 2. q. 19. ar. 1. ad 2.* Deo non reperitur conſilium, ſecundùm quod importat inquiſitionem, & diſcuſſionem mediorum; ſed quantum ad certitudinem ſententiæ, vel iudicij; cui conſonat illud Apocalyp. 4. *Tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata ſunt*, & Sap. 11. *Quomodo autem poſſet aliquid permanere, niſi in voluiſſes?* Quibus verbis aperte ſignificatur, æterno decreto voluntatis diuinæ prædeterminatum eſſe, vt exiſtant, quæ in quacunque differentia temporis habent eſſe.

IX. Idem probatur ex illo Iſaiæ: *Iuranit Dominus exercituum dicens: Si non, vt putaui, ita erit, & quomodo mente tractaui, ſic eueniet, vt conteram Aſſyrium in terra mea, & in montibus meis conculcem eum: & auferetur ab eis iugum eius, & onus illius ab humero eorum tolletur. Hoc eſt conſilium, quod cogitaui ſuper omnem terram, & hæc eſt manus extenſa ſuper omnes gentes. Dominus enim exercituum decreuit, & quis poterit infirmare? & manus eius extenſa: & quis auertet eam?* ex quo teſtimonio deſumitur argumentum. Rex Aſſyriorum liberè venit in terram Iſraël, ſimiliter etiam liberè fuerunt gentes debellatæ, & tamen Deus ſuo æterno decreto hæc prædeterminauerat: ergo extrinſeca Dei prædeterminatio ſimul ſtat cum libertate arbitrij creati. Præterea Eſther 13. dicitur: *Domine Rex omnipotens, in ditione tua cuncta ſunt poſita, nec eſt, qui tua poſſit reſiſtere voluntati: ſi decreueris ſaluare Iſraël*: vbi efficax Dei decretum prædeterminans ſaluare Iſraël, ſimul componitur cum libertate, qua Iſraël ſaluus factus eſt.

Iſaiæ 14.

Luc. 22. Actor. 4. Idipſum conſtat ex illo Lucæ 22. *Filius hominis, ſicut definitum eſt vadit.* & Actor. 4. *Conuenerunt enim verè in ciuitate iſta aduerſum ſanctum puerum tuum Ieſum Herodes, & Pontius Pilatus facere, quæ manus tua, & conſilium tuum decreuerunt fieri.* & cap. 17. *Deſiniens ſtatuta tempora, & terminos habitationis eorum.* Ex quibus locis deſumitur argumentum. Chriſtus Dominus liberè ſuſtinuit paſſionem, & liberè occiſus fuit à Iudæis; aliàs, nec Chriſtus Dominus meruiſſet aliquid per paſſionem ſuam, & mortem, nec Iudæi peccaſſent, illum occidendo; & tamen paſſio Chriſti fuit à Deo prædefinita, & prædeterminata: ergo.

Prou. 8. ſecundum 70. Præterea Prouerb. cap. 8. dicitur, *Præparatur voluntas à Domino*, id eſt, prædeterminatur: & cap. 21. dicitur: *Cor Regis in manu Domini, ſicut diuiſiones aquarum, quocunque voluerit, vertet illud.* Vbi verbum, *vertet*, idem ſignificat, quod *inclinabit*, & *determinabit*. Et, vt notauit Ianſenius, cùm omnium hominum corda ſint in manu Domini, peculiariter de corde Regis id dicitur, eò quòd hoc maximè ſit liberum, & alterius poteſtati minùs ſubiectum; vt deſignaret quòd cum efficaci Dei motione ſaluatur perfectiſſima libertas arbitrij noſtri, qualis ſolet eſſe libertas Regis. Hoc teſtimonio S. Thom. 3 contra Gent cap. 89. & 90. probat, quòd Deus in nobis cauſat motum voluntatis, & facit nos velle, & liberè velle hoc, vel illud: quod tamen efficaciter non faceret, niſi voluntatem ad volendum hoc, vel illud efficienter prædeterminaret. ſicut riui aquarum, humana opera in diuerſas partes, abſque aliqua violentia, magna cum ſuauitate feruntur. *Ianſenius.*

Item aſſerri poſſunt in confirmationem huius ſententiæ omnia loca Scripturæ, in quibus habetur, noſtra bona opera eſſe à Deo præparata, & prædeſtinata: nam, vt fatentur auctores contrariæ ſententiæ, prædeſtinare idem ſignificat, quod prædeterminare, prædefinire, præſtituere. Quod probant ex Hieronymo in prioribus commentariis in illud ad Epheſ. 1. *Qui prædeſtinauit nos in adoptionem &c.* Vbi prædeſtinare, ait, eſſe, *prædefinire*. Et Auguſt. aut quicunque alius eius operis auctor, Hypognoſt. libr. 6. *Prædeſtinatio*, inquit, *a prouidendo, vel præordinando futurum aliquid dicitur.* Et infra: *Quod ergo bonum eſt, præſcientia prædeſtinat, id eſt, priuſquam ſit inde, præordinat.* Conſentit etiam (inquiunt) Scriptura ſacra, non ſolùm Actor. 13. vbi prædeſtinati appellantur præordinati in vitam æternam: *Crediderunt* ait Lucas, *quotquot erant præordinati in vitam æternam*; ſed etiam quoniam, vbi ad Rom. 8. & ad Epheſ. 1. interpres Latinus transfert, *prædeſtinauit*, Græcè habetur προώρισε, à verbo προωρίζω, quod eſt prædefinio, præſtituo, prædetermino. hactenus ſunt formalia verba cuiuſdam Doctoris ex illis, qui phyſicam prædeterminationem impugnant. Prædeſtinare, & prædeterminare idem ſignificat. *Actor. 13.*

Secundò probatur auctoritate Sanctorum, qui verbis formalibus, aut æquiualentibus vnanimiter aſſerunt, omnia, quæ fiunt in tempore prædefinita eſſe, & prædeterminata decreto æterno voluntatis diuinæ.

X. Et inprimis S. Dionyſ. cap. 5. de diuinis nom. tit. de exemplaribus, lect. 3. apud D. Thom. ponit rationes rerum in Deo exiſtentium prædeterminatiuas, & effectiuas, ſub his verbis: *Exemplaria autem eſſe dicimus in Deo, exiſtentium rationes ſubſtantificas, & ſingulariter præexiſtentes, quas Theologia prædefinitiones vocat, & diuinas, & bonas voluntates, exiſtentium prædeterminatiuas, & effectiuas ſecundùm quas ſubſtantialis eſſentia omnia prædeſtinauit & produxit.* Quibus verbis prædefinitionem phyſicam voluntatis Dei efficaciſſimam cõſtituit, & tradit reſpectu omnium exiſtentium. Etenim prædeterminatio effectiua rerum exiſtentium phyſica eſt. Quod ex eo patet; nam prædeterminatio moralis tantùm, non eſt propriè effectiua rerum exiſtentium, cùm metaphoricè ſit cauſa, vt ex S. Thoma diximus in principio huius quæſtionis. Idem docet S. Auguſtinus ſuper Ioannem; explicans enim illud: *Pater venit hora, clarifica Filium tuum*, ait: *Quapropter hoc, quod ait: Pater venit hora clarifica filium tuum: oſtendit, omne tempus, & quid, & quando faceret, vel fieri ſineret, ab illo eſſe diſpoſitum qui tempori ſubditus non eſt: quoniam quæ futura erant per ſingula tempora, in Dei ſapientia cauſas efficientes habent in qua nulla ſunt tempora. Non ergo credatur, hanc horam, fato vrgente, veniſſe, ſed Deo potiùs ordinante.* In quibus verbis duo non obſcurè docet: alterum eſt, omnia bona, quæ fiunt in tempore, eſſe à Deo prædeterminata, & ordinata, quod indicant *S. Dionyſ.* *Aug. tract. 104. in Ioan. ſub medio. Ioan. 17.*

illa

illa verba: *Ab illo esse dispositum*, & illa: *Sed Deo potius ordinante*. Alterum est, dispositionem, & prædeterminationem diuinæ voluntatis esse causam vere efficientem cuiuscumque actionis bonæ, etiam liberæ, quæ fit in tempore. Hoc enim indicant verba illa: *In Dei sapientis* [illegible] *efficientes habent*. quæ similia sunt verbis Dionysij, cap. 5. de diuinis nominibus, adductis. Apposuit autem sanctus Augustinus illam diiunctiuam: *Vel fieri sinaret* propter peccata. Hæc enim diuino decreto non sunt volita, sed solùm permissa, vt dicetur inferiùs. Item etiam in Soliloquiis cap. 24. ait: *Velle, quod bonum est, non possum, nisi tu velis*. quæ verba explicari non possunt de decreto, & voluntate Dei, præsupponente præscientiam mediam determinationis liberi arbitrij, futuræ ex hypothesi. Aliàs enim non dixisset S. Augustinus: *Esse, quod bonum est, non possum, nisi tu velis*: sed potiùs dicendum esset è contrario: *Deus velle non potest bonum liberum, nisi prius ego velim*. Præterea in eisdem Soliloquiis cap. 26. eandem sententiam docent illis verbis, disp. 8. num. 4. adductis: *Priusquam me formares in vtero, nouisti me: & antequam exirem de vulua, quidquid tibi placuit præordinasti me*. vbi verbum, *placuit*, & verbum, *præordinasti*, absolutam, & efficacem Dei voluntatem, & prædeterminationem importat, qua nostras præuenit voluntates, de illis, & in illis disponendo, & præordinando quidquid sibi placuit, minimè per scientiam mediam obseruans, quid iste, vel ille ex sua innata libertate volituru[illegible] sit. certò enim scit Deus, nostram volũtatem liberè volituram esse, quidquid ipse præordinauerit, vt liberè velit quia, vt patebit infrà, voluntas nostra irritam facere non potest voluntatem Dei, aut impedire, ne effectus à Deo prædefinitus eueniat eo modo, quo à Deo efficaci voluntate prouisum est, vt eueniat, scilicet liberè & contingenter, aut etiam necessariò, iuxta conditionem causæ secundæ. Alia loca S. Augustin. in quibus eandem doctrinam confirmat, adducentur infrà. Et à posteriori est magnum argumentum, illum fuisse huius sententiæ: nam Faustus Rigiensis, qui, vt disp. 2. num. 2. dicebamus, contra doctrinam S. Augustini, suppresso eius nomine, scripsit duos libros de libero arbitrio; eorum sententiam vehementer impugnat, qui asserunt, ante præscientiam boni, vel mali vsus liberi arbitrij, Deũ prædeterminasse absoluto, & efficaci decreto suæ voluntatis actus humanos futuros, vt ex dictis eadem disputatione 2. num. 16. constat. Signum ergo est, S. Augustinum eiusmodi prædeterminationem diuinam & agnouisse, & docuisse. Quam etiam docet sanctus Prosper, cuius verba num. 14. referenda sunt.

Leo Papa ser. 7 de passione Domini, qui incipit, Scio quidem, ddeclissimus.

Idipsum probatur ex S. Leone Papa dicente, *In saluandis enim hominibus per Crucem Christi, communis erat voluntas Patris, & Filij, & commune consilium, nec vlla poterat ratione turbari, quod ante æterna sacula, & misericorditer erat dispositum, & incommutabiliter præfinitum*. vbi verbum, *præfinitum*, idem significat, quod *prædeterminatum*. Et sermone 9. subdit: *Sacramentum Dominicæ passionis in salutem generis humani, ante tempora dispositum, & per multas significationes omnibus retrò seculis nunciatum, &c.* Et ser. 16. *Cum ergo omnia, quæ in Christum Iudaica admisit impietas, tanto ante prædicta sint, vt non tam de futuris, quam de præsentibus propheticus sit sermo contextus: quid aliud nobis, quàm sempiternarum dispositionum Dei incommutabilis ordo reseratur, apud quem, & discernenda iam diiudicata, & futura iam facta sunt. Cùm enim qualitates actionum nostrarum, & effectus omnium voluntatum scientia diuina præueniat: quanto magis nota Deo sunt opera sua? Et rectè placuit, quasi facta, recoli, quæ non poterant omnino non fieri*. Et in confirmatione huius doctrinæ adducit locum Actor. 4. suprà inductum.

Eodem modo loquuntur alij sancti Patres quam plurimi, præsertim S. Athanasius super caput secundum ad Ephesios, cuius verba supra retulimus. *S. Athanas.* Theodoretus in illa verba ad Rom. 8. *Quos prædestinauit, hos & vocauit*. vbi ait: *Prædestinatos autem, & præfinitos etiam vocauit*. & ad Ephes. 1. in illa verba: *Elegit nos in ipso*. sic ait: *Ab initio enim ante mundi constitutionem ea, quæ ad nos pertinebant, præscijt, & prædefiniuit* & paulò post subdit: *Præscijt nos, & dilexit, & nostram precationem præcognouit, vt nos filiorum adoptionis donum perciperemus secundùm propositum voluntatis suæ*. S. Anselmus libro de concordia prædestinationis, & liberi arbitrij, idem docet, cùm ait: *Quoniam enim, quod Deus vult, non potest non esse, cùm vult hominis voluntatem nulla cogi, vel prohiberi necessitate ad volendum, vel ad non volendum, & vult effectum sequi voluntatem: tunc necesse est, voluntatem esse liberam, & esse, quod vult*. Quibus verbis infallibilitatem effectus voluntarij reducit, tanquam ad primam radicem, ad absolutum, & efficax decretum voluntatis diuinæ prædeterminantis actus futuros etiam contingentes, & liberos. Idem sentit etiam Fulgentius libr. 1. ad Monimum, vbi ait: *Hoc enim gratuita iustificatione tribuit præparatum quod in æterna prædestinatione præparauerat tribuendum*. Prædestinatione autem præparare aliquid, absque prædeterminatione diuini decreti, fieri non potest. Item etiam Henricus homil. super c. 11. Ioan. in illa verba: *Collegerunt*, ait: *Redemptor noster se tradidit comprehendendum, sicut ante sæcula præfinierat*. Præfinire autem idem significat, quod efficaci decreto prædeterminare: ergo, iuxta sententiam horum Patrum, negari non potest, Deum efficaci decreto ab æterno prædeterminasse omnes actus bonos, qui fiunt in tempore.

S. Anselm. li. de concordia præscien. & prædest. cap. 1. paulò post princ.

Fulgent.

Henricus.

Et quoniam S. Damascenus adducitur à quibusdam (sed immeritò) pro contraria sententia, loco in primo argumento huius disputationis inducto, necessarium est ex verbis illius ostendere, ipsum prædeterminationem æternam decreti diuini, de qua loquimur, statuisse; statutámque esse temporibus Apostolorum à S. Dionysio Areopagita, docuisse. Etenim in oratione prima de imaginibus, sic loquitur. *Sunt item in Deo imagines, & exempla rerum, quæ ab ipso futura sunt, nempe consilium eius æternum, quod se habet semper eodem modo. Immutabilis enim est omnino Deus, in quo nulla est commutatio, aut vicissitudinis obumbratio. Has imagines, & hæc exempla præfinitiones appellat Sanctus ille, Dei munere, diuinis in rebus considerandis, & explicandis, excellentissimus Dionysius. Omnia enim ab illo præfinita, & sine vlla commutatione futura, in eius consilio non aliter, antequam fierent, erant expressa, quàm si quis velit domum ædificare priùs imaginem, ac formam ipsius in animo effingit, cogitatione[illegible]que complectitur*. Quibus verbis prædeterminationem verè efficientem, seu physicam decreti efficacis voluntatis diuinæ, sicut à S. Dionysio superiùs allegato acceperat, constanter docet, & hanc explicat exemplo artificis, qui volens domum ædificare, priùs in mente domum format, omnes partes eius prædeterminat, & disponit, & postmodum præconceptam domum exequutioni mandat: ita Deus ab æterno prædefiniuit omnia, & singula, quæ in vniuerso mundo erat ipse facturus.

S. Damasc. oratione 1. de imaginibus paulò post princ.

Tertiò probatur auctoritate Scholasticorum, qui hanc doctrinam sequuntur, & inprimis S. Thom. super 5. cap. Dionysij de diuinis nominibus, lectione 3. loquens de rationibus rerum existentibus in Deo, inquit: *Et huiusmodi rationes sacra Scriptura vocat præfinitiones, seu prædeterminationes*. & post pauca subdit:

XI.

Digitized by Google

ſubdit: *Quæ quidem prædeterminationes, ſeu voluntates ſunt adinuicem entium, & effectuum ipſorum: quia & huiuſmodi rationes ſuperſubſtantialis Dei eſſe prædeterminantis, omnia ſunt produxit.* & 1. part. quæſt. 19. art. 3. ad 5. cum propoſuiſſet tale argumentum: *Ab eo, quod eſt ad vtrumlibet, non ſequitur aliqua actio, niſi ab aliquo alio inclinetur ad vnum, vt ait Commentator 2. Phyſ. text. 48. Si ergo voluntas Dei in aliquibus ſe habet ad vtrumlibet, ſequitur, quod ab aliquo alio determinetur ad effectum, & ſic habet aliquam cauſam priorem.* Reſpondet: *Cauſa quæ ex ſe eſt contingens, oportet, quòd determinetur ab aliquo exteriori ad effectum; ſed voluntas diuina, quæ ex ſe neceſſitatem habet, determinat ſeipſam ad volitum, ad quod habet habitudinem non neceſſariam.* Quibus verbis aperte docet, quòd voluntas creata, quia ex ſe eſt cauſa contingens, oportet, quòd determinetur ab aliquo, ac per conſequens prædeterminetur, vt producat determinatum effectum; & in hoc conſtituit differentiam inter voluntatem diuinam, & humanam, quòd diuina determinat ſeipſam abſque eo, quòd determinetur ab alia priori cauſa; quia eſt primum determinans ſimpliciter; voluntas verò humana non ſe determinat, niſi prius natura melinetur, & determinetur ab alia priori cauſa. Et ratio eſt; quia voluntas creata non eſt primum ſe determinans ſimpliciter, ſicut nec primum ſe mouens. Præterea quodl. 12. quæſt. 3. art. 4. illam pertractans quæſtionem: Vtrùm omnia ſubſint fato, inquit: *A prouidentia Dei omnia ſunt prædeterminata, & ordinata.* Et in hac acceptione docet poſſe concedi, quòd omnia ſubiiciuntur fato, iuxta illud Boëtij: *Fatum eſt immobilis diſpoſitio, rebus mobilibus inhærens.* Addit tamen non eſſe vtendum hoc nomine: *Quia cum Gentilibus nec nomina conuenit habere communia.* & ideo Auguſtinus dicit: *Si quis hoc modo intelligat fatum, ſententiam teneat, linguam corrigat, & non dicat fatum, ſed prouidentiam Dei.* & 1. p. quæſt. 116. art. 1. in corp. inquit: *Ea, quæ hic per accidens aguntur, ſiue in rebus naturalibus, ſiue humanis, reducuntur in aliquam cauſam præordinantem, quæ eſt prouidentia diuina,* vbi verbum *præordinantem* idem ſignificat, quod *prædeterminantem*: & in diſcurſu articuli aperte docet, omnia, quæ hic aguntur, eſſe à Deo præordinata: & idem docet art. 3. & 4. eiuſdem quæſtionis. Item etiam 1. part. quæſt. 105. art. 1. ad 3. inquit: *Hoc ipſum, quod cauſæ ſecundæ determinantur ad determinatos effectus, eſt ex illis a Deo.* Præterea in eadem 1. part. quæſt. 25. art. 5 ad 1. dicit: *Fieri non poſſe, vt Deus aliqua faciat, quæ non præſciuerit, & præordinauerit ſe facturum, quia ipſum facere ſubiacet præſcientiæ, & præordinationi Dei.* Hoc etiam innuit p. 2 q. 10. ar. 4. in corp. dum ait: *Deus ſic voluntatem mouet, quod non ex neceſſitate ad vnum determinat.* Significans, quòd determinat eam, non quidem ex neceſſitate, ſed liberè, iuxta modum ſuæ naturæ: alias enim ſimpliciter dixiſſet, quòd non determinat eam ad vnum; ſiquidem erat planior ſenſus, nec adiunxiſſet illud verbum, *ex neceſſitate.* Idem docet 1. part. quæſt. 23. art. 1. ad 1. quæſt. 5. de verit. art. 5. ad 1. & 3. cont. Gent. cap. 90. in hunc, quibus locis exponens quoddam dictum Damaſceni, dicit: *Eum non quemcumque noſtram actuum prædeterminationem negare voluiſſe, ſed eam excluſiuam, quæ eſt cum impoſitione neceſſitatis;* aperte indicans, Deum actus noſtros prædeterminare, abſque impoſitione tamen neceſſitatis. Denique quæſt. 24. de verit. art. 14. in hunc corp. probat, quod voluntas creata debeat determinari a Deo, vt producat actum determinatum quia ex ſe indifferenter ſe habet ad multas operationes.

Fatum in malo ſenſu ſic concedendum.

Reſpondent quidam Doctores, quòd S. Thom. non explicat, vtrùm illa præordinatio Dei, & præ[illegible]determinatio ſit abſoluta, an ſub conditione intellecta, ſi voluntas creata voluerit concurrere, & conſentire. Hæc tamen reſponſio non videtur ad mentem S. Doctoris, tum quia ex verbis inductis manifeſtè conſtat, illum loqui de abſoluta prædeterminatione, eo vel maxime, quia non admittit ſcientiam mediam, vt diſput. 7. oſtenſum eſt; tum etiam, quia determinatio ſub conditione non eſt prædeterminatio, cùm non antecedat, ſed ſequatur determinationem creatæ voluntatis. Vnde & nonnulli ex auctoribus contrariæ ſententiæ eam condeterminationem appellant, ſed verius dixerint, poſtdeterminationem, cùm reuera, in eorum ſententia, determinationem creatæ voluntatis ordine naturæ ſubſequatur, vt diſp. 99. patebit. Idem conſtat ex locis S. Thomæ, in quibus ait, quòd ſi voluntatem mouet Deus ad aliquem actum, impoſſibile eſt poni, quòd voluntas ad illum non moueatur, quia intentio Dei deficere non poteſt.

S. Th. 1. 2. q. 24. art. 1. 2. & 12. q. 112. ar. 3. c.

Eandem ſententiam docet Scot. in 4. diſtinct. 49. quæſt. 6. §. dico ergo, vbi reſpondens ad quoddam argumentum, ſic ait: *Contra naturam voluntatis eſt determinari a cauſa inferiori; quia hoc ipſo non eſſet ſuperior: non eſt autem contra naturam eius determinari à cauſa ſuperiori.* Gabr. etiam in 1. diſtinct. 33. quæſt. vnic. c. 2. adducens opinionem Scoti, dicit ex eius ſententia: *quod voluntas diuina, quæ eſt prima regula contingentium, prius natura determinat contingentia, quàm intellectus diuinus intelligat, ita eſſe futura.* Idē docet Capreol. in ſecundo diſtinct. 28. quæſt. 1. art. 3. ad 12. argumentum Durandi, vbi ait: *Deus inuat hominem ad actum bonum, faciendo ipſam voluntatem partialiter concurrere, ita quod ipſa voluntas partialiter concauſat applicata, & quaſi inſtrumentaliter mota à Deo, ad ſic partialiter concauſandum, in qua tamen motione ipſa non neceſſitatur, ſed inſtrumentum liberum exiſtens, in cuius poteſtate eſt ſequi motionem agentis inuitatur.* Et hanc eſſe ſententiam Auguſtini probat ibi multis eius teſtimoniis. qui autem efficaciter facit. quod voluntas inſinuat, & concauſet, eam prædeterminat ad operandum. Sentit ergo Capreol. Deum Optimum Maximum ſuo decreto abſoluto prædeterminare noſtram voluntatem ad operandum, ſalua eius libertate. Eandem doctrinam docet Ferrar. 3. cont. Gent. vbi explicans propoſitionem illam: Qui ab alio determinatur ad aliquid, non habet perfectè illud in ſua poteſtate, inquit: *Poteſt aliquid determinari ab alio ad effectum, & tamen habere illud in ſua poteſtate, ſecundo modo ſuperius dicto, eo quod cauſa prima mouet vnamquamque cauſam ſecundam ad ſuum effectum, ſecundum conditionem ipſius cauſæ ſecundæ. cauſam enim non potentem deficere ſic ad ſuum effectum determinat, vt ipſum neceſſariò abſolutè producat; cauſam autem, quæ deficere poteſt, ita determinat, vt tamen abſolutè deficere poſſit in producendo.* Et ita tum ſubdit Ferrariensis, quòd non dicitur aliquis effectus contingens in ordine ad voluntatem noſtram, tanquam ad primam radicem contingentiæ, & libertatis: ſed in ordine ad ſapientiam, & voluntatem diuinam, vt ſuperiùs eſt oſtenſum, inquantum ſcilicet Deus determinauit alia quidem euenire neceſſariò, & iſtis dedit cauſas neceſſarias: alia verò euenire contingenter, & iſtis dedit cauſas contingentes. Quidam etiam ex auctoribus contrariæ ſententiæ pro comperto habent, quòd iuxta ſententiam S. Thom. q. 22. de verit. art. 8. Deus inclinat voluntatem ad aliquid appetendum eam determinando ad particularem actum efficienter, & phyſicè.

Ferrar. 3. cont. Gent. c. 88. §. ad confirmationē.

Præterea Frater Ioannes Maria ordinis ſeruorum, qui anno 1598. opuſculum de concordia perfectæ libertatis humanæ compoſuit, in ſolutione obiectorum, cap. 5. pag. 69. duplicem diſtinguit Dei determinationem: & loquitur aperte de antecedente

Digitized by Google

dente determinatione: alteram naturalem, alteram verò liberam, & cum hac docet saluari arbitrij libertatem.

Quartò probatur ratione: nam, vt ostendit S. Th. 1. part. quæst. 103. art. 5. Deus habet omnium rerum, quæ quomodocunque habent esse, perfectissimam prouidentiam: ergo absolutam, & efficaci voluntate prædefiniuit in particulari omnia futura, etiam contingentia, & libera, antecedenter ad eorum præscientiam. Patet consequentia: nam prædefinitio, & prouidentia conditionata est valde imperfecta, cùm dependeat ex voluntate hominis; si enim Deus solùm prædefiniuit, quòd Petrus, verbi gratia, conuertatur, si ipse voluerit; & non prædefiniuit efficaciter, quòd velit, iam ipsum velle, quod est perfectissimum inter operationes causarum secundarum, subtraheretur à prouidentia Dei; & ipsa prouidentia, quantùm ad suam efficaciam, penderet ex voluntate hominis.

XIV. Quintò probatur. Deus per decretum suæ voluntatis, & non aliter, causat omnia, quæ fiunt in tempore; dicit enim August. lib. 83. quæstionum, q. 3. *Hoc est aliquid fieri, Deo agente, quod Deo volente.* Et super illud Psal. 144. *Iustus Dominus in omnibus viis suis*: *Apud Deum*, inquit, *hoc est velle, quod facere, quia ex eius voluntate res habent esse.* & S. Prosper lib. 2. de vocat. Gent. cap. 34. inquit: *Nec aliter quidquam procedere potest, quam omnipotentis voluntate dispositum est.* Dei autem volitio antecedit & æternitate, & causalitate volitionem causæ secundæ, ergo priùs Deus vult, vt ego velim, quàm ego reipsa velim: ergo non sum ego volturus, nisi priùs Deus sua voluntate efficaci decernat, vt ego velim; ergo per illud decretum antecedens, cui nullus potest resistere, voluntatem humanam prædeterminat ad volendum.

Deus agit ad extra per decretum suæ voluntatis.

Confirmatur primò. Quoniam vel Deus vult, me velle aliquid, quia ego id sum volturus, & Deus id præsciuit, vel è contrario, homo vult, quia Deus voluit, & disposuit, eum velle. Primum, vt disp. 99. patebit, non potest dici, tum quia inuoluit repugnantiam, cùm homo sine voluntate diuina, cui in sua operatione subordinatur intrinsecè, nihil possit velle, aut facere, iuxta illud, quòd Veritas ait: *Sine me nihil potestis facere*: tum etiam, nam alias voluntas diuina subordinaretur humanæ, subiungeretur illi, & esset ea posterior, ac pedissequa illius: quod est contra definitionem Conc. Arausic. & contra expressam doctrinam S. Augustini: ergo dicendum est, me velle, quia Deus disposuit, & decreuit, quod velim; ergo voluntas diuina prædeterminat humanam ad volendum, & ad liberè volendum.

Ioan. 15.

Homo vult quia Deus vult, & nó è contrà. Concil. Arausican. 6.

Confirmatur secundò: nam vt voluntas Dei concurrat cum humana voluntate; debet cum illa coniungi in volendo, & causando eundem actum, seu effectum; duæ autem voluntates non possunt coniungi in causalitate eiusdem effectus, nisi vel vna supponatur, & altera illi consentiat, suppositæ præscientia causalitatis illius; aut verò altera moueat, & determinet alteram, vt consentiat secum; aliter enim non potest intelligi, qualiter duæ voluntates in aliquam rem volendam conueniant, nisi forte à casu, & fortuito. Sed non potest voluntas diuina consentire humanæ in volendo actum eius, eo quòd præuideat Deus, humanam voluntatem se determinantem ad talem actum, quia non stat, voluntatem humanam aliquid velle, nisi prius Deus id ipsum velit. Vnde illa præscientia Dei præsupponit necessariò voluntatem Dei, idem volentem: ergo non potest voluntas diuina consentire humanæ ex præsuppositione, & præscientia concursus eiusdem humanæ voluntatis. ergo, ad hoc, vt consentio, & conIunctio diuinæ, & humanæ voluntatis in ordine ad eundem actum non fiat à casu, necesse est, vt voluntas diuina, efficacitate sua humanam mouendo, prædeterminet, vt secum consentiat.

Voluntas diuina determinat humanam, vt consentiat secum.

Confirmatur tertiò. Sequeretur ex opposita sententia, aliquid reale fieri in tempore ab humana voluntate, quod Deus absoluta voluntate beneplaciti, priùs non voluerit esse. Probatur: nam determinatio, siue influxus creatæ voluntatis est aliquid reale, procedens in tempore à voluntate creata: ergo, si Deus antecedenter ad determinationem eiusdem voluntatis creatæ non voluit, neque determinauit, quòd ipsa voluntas creata se determinet, & liberè influat in suum actum; iam aliquid fieret in tempore à voluntate creata antecedenter ad decretum, & determinationem voluntatis diuinæ; & ita Deus non esset simpliciter prima, & vniuersalissima causa omnium existentium, quod est impossibile, vt disp. 24. manifestum fiet.

Si dicatur, Deum, voluntate beneplaciti voluisse, vt voluntas creata produceret illum actum, postquam per scientiam mediam præsciuit illam esse cooperaturam ex hypothesi; contra hoc est argumentum. Nam iuxta hanc solutionem cooperatio, & determinatio arbitrij, vt determinatio illius est, semper maneret exempta à decreto absoluto, & voluntate beneplaciti Dei, & consequenter à causalitate ipsius, & solùm esset præscita, & non volita, absoluta voluntate, à Deo, quod tamen non est dicendum.

Hoc argumentum cum suis confirmationibus diuersimodè conantur dissoluere auctores contrariæ sententiæ.

XV. Prima solutio Fatetur quidem, Deum prædefinire omnes actus bonos in particulari, non tamen prædeterminare creatam voluntatem ad illos. Ad cuius explicationem aduertunt, quòd, sicut August. de prædest. SS. cap. 10. & de Bono perseu. cap. 14. distinxit prædestinationem à gratia in hoc, quòd prædestinatio est gratiæ præparatio; gratia verò est ipsa donatio, ac per consequens, prædestinatio est æterna; gratia verò temporaliter donatur; ita prædefinitio, & physica prædeterminatio distinguuntur: nam prædefinitio importat internam Dei volitionem, quam Deus in sua voluntate statuit, non vt per eam immutet causam secundam immediatè, aut illam determinet, extrahátque à suo proprio, & connaturali agendi modo, sed solùm, vt in sese definitam, & absolutam intentionem habeat alicuius finis, & ex vi eius applicet media consentanea, & aptissima, vt eo modo, quo prædefinitus est, infallibiliter fiat. Prædeterminatio autem importat prædefinitionem diuinæ voluntatis, quæ, cum tali, tantáque efficacia in effectum externum exit, vt voluntatem humanã physicè determinet ad suum actum.

Prædefinitio actuum contingentium qualiter fiat secundùm quosdam Theologos.

Priorem vocant prædefinitionem internam, vel immanentem, siue prædefinitionem per modum intentionis: posteriorem vocant prædefinitionem externam, vel transeuntem, siue prædefinitionem per modum executionis. & aliis nominibus priorem vocant prædeterminationem solius diuinæ voluntatis ad volendum talem actum; posteriorem verò prædeterminationem etiam voluntatis humanæ, vt illum faciat: & breuioribus, ac simplicioribus verbis priorem vocant præfinitionem, seu prædefinitionem; posteriorem verò prædeterminationem: nam prior vox ex vi suæ significationis solùm actum animæ internum denotat, sicut prouidentia, vel prædestinatio, posterior verò vox magis refertur potest ad actum, & effectum exteriorem.

Prædefinitio, & prædeterminatio an differant.

Supponunt secundò, esse duplicem differentiam inter voluntatem Dei prædefinientem illo priori modo

XVI.

modo actum liberum, ante abſolutam præſcientiam eius, & voluntatem Dei determinantem phyſicè liberum arbitrium ad talem actum efficiendum. Prima differentia, quæ ab illis aſſignatur, eſt: nam prior voluntas purè prædefiniens actum, habet coniunctam voluntatem, vel potiùs ſimul eſt voluntas talis medij, quod non determinet liberum arbitrium, ſed contingenter illud moueat, quantum in ipſo eſt, infallibiliter autem ex præſcientia. Poſterior autem voluntas prædeterminans non requirit aliud medium, quàm ſuam efficacitatem, qua ſecum rapit voluntatem, determinando illam. Secunda differentia eſt; quia prior voluntas prædefinit actum cum habitudine ad modum operandi cauſæ ſecundæ. Vnde in obiecto ſuo includit actum, vt faciendum ex determinatione ipſiuſmet liberi arbitrij cum concurſu, & auxilio accommodato, iuxta ſapientiſſimam Dei gubernationem ex dicta præſcientia. Poſterior verò voluntas prædeterminans habet pro obiecto non ſolùm actum, ſed etiam modum, ſeu prædeterminationem phyſicam per efficacem Dei motionem.

Tertiò, hinc inferunt, quòd prior prædefinitio abſtractè concepta, vt præſcindit ab effectione, ſeu applicatione medij accommodati, non ſit immediatè actiua ad extra, nec applicatiua potentiæ diuinæ, donec determinata ad tale medium intelligatur; quamuis enim hæc duo in re idem ſint, poſſunt tamen per intellectum præſcindi. At verò altera voluntas prædeterminans per ſe ipſam eſt actiua, vel applicatiua potentiæ diuinæ ad vim, ſeu neceſſitatem, aut prædeterminationem inferendam voluntati creatæ.

Quartò denique ſupponunt, quòd ex vi illius prioris prædefinitionis, non variatur concurſus Dei concomitans, quo Deus concurrit cum voluntate creata ad operandum; ſed ſolùm ita dirigitur, & gubernatur voluntas, vt infallibiliter eo vtatur, vel illi ſeſe accommodet. At verò, ex vi alterius voluntatis phyſicè prædeterminantis, neceſſe eſt, variari concurſum Dei, talémque præſtari, vt ille potiùs voluntate vtatur, quàm voluntas illo, neque voluntas illi ſeſe accommodet; ſed ille potiùs voluntatem ſecum operari compellat, nec ſit indifferens talis concurſus, ſed determinatus ad vnum.

XVII.

His ſuppoſitis, reſpondent, quòd, ſicut Deus cauſat omnem actum bonum in particulari, ita etiam prædefiniuit abſolutè, & in particulari actus noſtros liberos directè, & in ſeipſis priori illa prædefinitione interna; præſuppoſita tamen illa ſcientia conditionatorum, qua Deus nouit, liberum arbitrium pro ſua libertate eſſe conſenſurum ex hypotheſi, quòd ſic, vel ſic moueretur à Deo. Quam ſolutionem his verbis ampliùs explicant. Duobus modis, inquiunt, poſſe intelligi diuinam voluntatem velle influere in actum liberum humanæ voluntatis. Primus eſt ſuprà expoſitus, ſimpliciter, & abſolutè volendo, vt talis actus à tali voluntate, tali tempore, & modo fiat, voluntate ſcilicet, quæ ſecundùm rationem antecedat præſcientiam abſolutam talis effectus, vt futuri; & ſit ita efficax, vt potenter efficiat, aut per ſeipſam, aut verò (noſtro modo loquendi) applicando ſuam omnipotentiam, vt efficaciter influat, & ſecum ferat, ac determinet humanam voluntatem, vt ſimul in eundem actum influat: & hunc modum hactenus impugnauimus. Alius ergo modus, quo hoc intelligi poteſt, hic eſt, Deum non abſolutè, ſed quaſi ſub conditione velle, vt hic actus fiat à voluntate creata, ſi ipſa ſeſe ad illum eliciendum determinauerit, & ſub eadem conditione, velle influere, & concurrere in eundem actum; expectando tamen, vt ſic dicam, influxum creatæ voluntatis; non quia non poſſet ipſum actum aliter efficere, ſed quia vult ſeſe noſtræ voluntati ita accommodare, vt eius non lædat libertatem; ex vi autem huius diuinæ voluntatis ita manet, inquiùt, applicata diuina omnipotentia ad influendum in actum humanæ voluntatis, vt hac influente, abſque noua Dei voluntate, aut applicatione ſuæ potentiæ, Deus etiam influat, quaſi neceſſitate quadam, orta ex eius voluntate, quæ ad id, quod vult, & quomodo vult, efficax eſt, & immobilis.

Quoniam verò hæc ſolutio tota fundatur in ſcientia media, ex qua dicunt, deſumendam eſſe infallibilitatem futuri conſenſus, ſiue influxus liberi arbitrij; impugnatur illis rationibus, quibus diſp. 7. ex profeſſo oſtendimus, ſcientiam illam non eſſe admittendam: & præterea etiam impugnabitur infrà ex aliis principiis. Sed, vt in particulari ſuo ordine ad ea, quæ in quatuor fundamentis propoſitis hæc ſolutio ſupponit, reſpondeamus, dicimus, illam diſtinctionem inter prædefinitionem, & prædeterminationem, in primo fundamento explicatam, voluntariam eſſe, nec in ſanctis Patribus, aut Doctoribus Scholaſticis habere fundamentum: quinimò apud illos prædefinitio, & prædeterminatio pro eodem accipiuntur, vt ex teſtimoniis ſuprà inductis conſtat: ergo, qua ratione auctores huius ſolutionis fatentur, Deum æterno decreto ſuæ voluntatis prædefinire omnes actus bonos in particulari, fateri etiam tenentur, Deum efficaci decreto prædeterminaſſe voluntatem creatam ad eos eliciendos, cùm impoſſibile ſit, tales actus eſſe à Deo prædefinitos, & prædeterminatos, quin ipſe Deus prædefinierit, & prædeterminauerit, quòd voluntas creata, ſine cuius influxu fieri non poſſunt, eos eliciat.

Ex eodem capite impugnatur prima differentia, aſſignata in ſecundo fundamento, inter prædefinitionem, & prædeterminationem. Nam ſicut infallibilitas prædeterminationis, ita etiam infallibilitas prædefinitionis diuinæ, quantùm ad effectus conſequutionem, fundari non poteſt in præſcientia media, quia talis ſcientia non datur, vt ex dictis in ſeptima diſputatione conſtat: ergo neceſſariò debet fundari in omnipotentia, & efficacia diuinæ voluntatis, qua omnia, quæ prædefiniuit, vt fierent, fecit: atque in efficacitate auxiliorum, quibus ſtatuit, voluntatem creatam efficaciter præmouere in tempore: ergo quantùm ad hoc non eſt differentia inter prædefinitionem, & prædeterminationem. Secunda etiam differentia facilè impugnatur: quia tam prædefinitio, quàm prædeterminatio voluntatis Dei efficacis habet pro obiecto actum cum modo congruente ſuæ naturæ. Prædefiniuit enim, & prædeterminauit, quòd cauſæ naturales operentur naturaliter tales actus in particulari, & cauſæ liberæ, & contingentes operentur tales actus liberè, & contingenter, id eſt, cùm libera determinatione arbitrij, quam non tollit, ſed potiùs efficit in nobis, atque nobiſcum prædeterminatio per efficacem Dei motionem; quia non rapit voluntatem eam neceſſitando, ſed efficit, vt voluntas creata ſuum liberum adhibeat influxum, & cooperationem cum vera facultate, qua poſſit diſſentire, ſi velit, vt diſputatione centeſimadecimaquinta & centeſimadecimaſexta patebit.

Illud verò, quod in tertio fundamento ſupponitur, eadem ratione impugnatur; quia tam prædefinitio, quàm prædeterminatio Diuinæ voluntatis actiua eſt, ſeu operatiua earum rerum, quas, vt fierent, ſtatuit. Et quamuis inferant in tempore phyſicam motionẽ, prædeterminantem voluntatem creatam ad eliciendos actus prædefinitos, & prædeterminatos; nullam tamen eidem voluntati vim inferunt, aut neceſſitatem abſolutam operandi, ſed ſolùm neceſſitatem conditionatam, ſeu neceſſitatem conſequentiæ, quæ libertatem non lædit, vt diſput. 25. perſpicuum fiet.

Idem dicimus ad ea, quæ in quarto fundamento ſupponuntur: nam, vt patebit diſput 87. tam in actibus prædefinitis, quàm prædeterminatis, adiutorium gratiæ non ſubiacet poteſtati noſtri arbitrij, quantum ad vſum, ſicut ſubiacent habitus, quibus vtimur, cùm volumus, ſed potiùs Deus per auxilium efficax ſubiicit creatam voluntatem, & ſibi eam obſequentem, & liberè obſequentem facit.

Circa illam autem cauſalem, in prima confirmatione poſitam, Deus vult, me velle aliquid, quia ego id ſum voliturus; multa dicuntur in hac ſolutione, quæ maiori egent diſcuſſione, de quibus ex profeſſo diſp. 99. & 100 agendum erit. Id etiam, quod addunt in eadem ſolutione, Deum ſcilicet expectare noſtram voluntatem, vt conſentiat, maiori indiget examine, quod tamen ad diſp. 95. reſeruamus.

XVIII. Actus omnes liberos prædefiniri à Deo, quoad ſubſtantiam, non tamẽ quoad omnes circumſtantias quidã dixerũt, inter quos eſt Epiſc. Macarenſis tract. de auxiliis gratiæ, diſp. 2. p. 4. nu 30. Chriſti paſſio fuit à Deo prę definita quoad omnes circũſtantias.

Secunda ſolutio aliorum eſt, quòd actus liberi poſſunt quidem prædefiniri à Deo, quãtùm ad ſubſtantiam, non autem poſſunt eſſe prædefiniti, quantùm ad modum, & omnes circumſtantias loci, & temporis, & intenſionis, &c. Arbitrantur enim, quòd libertas cohærere non poſſit cum prædeterminatione, quoad ſubſtantiam actus, & omnes circumſtantias. Ex quo inferunt, quòd huiuſmodi actus prædeterminati non ſunt meritorij, quantùm ad ſubſtantiam actus, ſed ſolum quoad illas circumſtantias, ſecundùm quas prædeterminati non ſunt. Contra iſtam ſolutionem ſunt efficaciſſima argumenta.

Primò arguitur, Chriſtus Dominus meruit per ſubſtantiam paſſionis, & mortis. Præmium enim, quod obtinuit, ſubſtantię eiuſdem paſſionis, & mortis correſpondet, vt patet ex illo ad Philipp. 2. *Nemetipſum exinaniuit factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen*, & Iſaiæ 53. *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum*, & paulò inferiùs: *Pro eo, quod laborauit, videbit, & ſaturabitur*; quibus in locis præmium magnum repromittitur, nedum circumſtantiis, ſed ipſi ſubſtantiæ paſſionis, & mortis: & tamen paſſio Chriſti, & mors eius fuit à Deo præordinata, & prædefinita, vt patet ex illo Lucæ 22. *Filius hominis, ſicut definitum eſt, vadit*, & Actor. 4. *conuenerunt aduerſus puerum ſanctum tuum Ieſum Herodes, & Pontius facere quæ manus tua, & conſilium tuum decreuerit*: ergo.

Confirmatur; quia non ſolùm ſubſtantia paſſionis, & mortis Chriſti, ſed etiam omnes eius circumſtantiæ fuerunt Dei decreto prædefinitæ, vt probat S. Thom. 3. p. q. 46. art. 9 & 10. Et quidem, quòd fuerit præfixum, & prædeterminatum tempus paſſionis, colligitur ex illo Dan. 9. *Septuaginta hebdomadæ abbreuiatæ ſunt*, id eſt prædefinitæ, & regiſtratæ vſque ad paſſionem Chriſti, vt exponunt Theodoret. & Lyran. ſuper eundem locum. Vnde Leo Papa ſer. 7. de paſſione Domini, qui incipit: Scio quidem, dilectiſſimi, inquit: *Diuino intelligimus diſpoſitum fuiſſe conſilio, vt ſacrilegi Iudæorum principes, & impij ſacerdotes, qui ſæuiendi in Chriſtum occaſiones ſæpe exquiſierant, non niſi in ſolemnitate Paſchalis Exercendi furoris ſui, acciperent poteſtatem.* & paulò inferiùs. *At Ieſus conſilij ſui certus, & in opere paternæ diſpoſitionis intrepidus, cuius teſtamentum conſummabat, & nouum Paſcha condebat.* Item Lyranus, explicans illud Mat. 26. *Venit Ieſus in villam, quæ dicitur Gethſemani*, ait, fuiſſe a Deo determinatum, quòd Chriſtus tunc moreretur. De circumſtantia verò loci id ipſum probatur ex illo Lucæ 13. *Verumtamen oportet me hodie, cras, & ſequenti die ambulare, quia non capit, Prophetam perire extra Ieruſalem.* quod, vt explicat Theophylactus, ideo dixit Chriſtus Dominus, quia prædefinitum erat à Deo, vt moreretur in Ieruſalem; & tamen Chriſtus libere paſſus eſt, & mortuus eſt loco, & tempore, vt patet ex illo Iſaiæ 53. *Oblatus eſt, quia ipſe voluit.* & Ioan. 10. *Ego pono animam meam, & iterum ſumam eam; nemo tollit eam à me, ſed ego pono eam à me ipſo, & poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam.* Quibus verbis, vt Chryſoſtomus explicat, & Auguſt. ſignificatur, mortuum eſſe Chriſtum, quia voluit: ergo ſimul ſtant hæc duo, quod aliquis actus ſit à Deo prædefinitus, & quantum ad ſubſtantiam, & quantum ad circumſtantias illius, & ſit nihilominùs liber.

Theophyl. Chriſtus liberè mortuus eſt.

Chryſ. hom. 54. in Ioan. S. Aug. tract 47. in Ioan.

Si dicatur, quod tempus, & locus paſſionis Chriſti fuerunt à Deo prædefinita; non tamen fuit prædeterminata intenſio actus, quo mortuus eſt, neque extenſio illius ad tales perſonas, & ideo potuit paſſio eſſe libera ex hac parte. Contra: Paſſio Chriſti in individuo fuit a Deo prænouita prædefinitione perfecta: ergo omnes circumſtantiæ, quæ concurrunt ad individuationem illius, prædeterminatæ ſunt æterno Dei decreto, ſed ad talem individuationem etiam concurrit intenſio actus, & extenſio ad tales perſonas: ergo.

Secundò probatur, quia prædeterminatio Dei extrinſeca non immutat, neque exercit modum operandi connaturalem voluntati: ergo non deſtruit eius libertatem. Antecedens probatur nam tamdiu manet libertas in voluntate, quamdiu intellectus repræſentat illi obiectum cum indifferentia, indicans, illud non eſſe commodè bonum, neque coniunctum neceſſariò cum bono in communi, ad quod eſt determinata naturaliter voluntas. Sed extrinſeca Dei prædeterminatio non facit, quòd intellectus repræſentet voluntati obiectum prædeterminatum, tanquam omnimode bonum, aut neceſſariò coniunctum cum bono, ad quod amandum eſt naturaliter determinata voluntas: ergo non immutat modum operandi connaturalem voluntatis. Hæc autem omnia patebunt ampliùs ex his, quæ dicentur diſput. ſequenti, in qua manifeſtum fiet, prædeterminationem creatæ voluntatis intrinſecam à Deo factam per auxilium efficax illi inhærens, non lædere in aliquo, ſed potiùs perficere eius libertatem.

Secunda concluſio. Per hanc prædeterminationem extrinſecam decreti efficacis voluntatis diuinæ, non lædituꝛ, ſed potiùs perficitur libertas arbitrij creati. Hæc concluſio patebit ex ſolutione argumentorum ſententiæ contrariæ, & ex iis, quæ diſp ſeq. conc. 3. ſubiiciemus, & diſput. 122. num. 20. Reliquum eſt, vt ad argumenta, à principio huius diſputationis contra ſententiam noſtram propoſita, reſpondeamus.

XX. *S. Th. 2. p. q. 23. ar. 2. ad 1. & 3. cont. Gent. c. 90.* Damaſceni auctoritas expenditur, circa prædeterminationem.

AD primum, ex auctoritate Damaſceni reſpondetur cum S. Thoma, quòd Damaſcenus non quamcunque noſtrorum actuum prædeterminationem intendit negare, ſed illam dumtaxat, quæ eſt cum impoſitione neceſſitatis, qualis reperitur in rebus naturalibus; quod patet ex eo, quod ſubdit: *Non enim vult malitiam, neque cõpellit virtutem.* Vnde prædeterminatio, ſecundùm modũ liberi arbitrij creati

eteati facta per efficax, & abſolutum decretum diuinæ voluntatis, non tollitur.

Hanc ſolutionem auctores oppoſitæ ſententiæ impugnant, contendentes, Damaſcenum, & S. Th. ex eo, non admittere hanc prædeterminationem extrinſecam diuinæ voluntatis, quia infert neceſſitatem antecedentem, quæ eſt neceſſitas ſimpliciter. Expendunt namque in auctoritate Damaſceni illam particulam, *enim*, quæ eſt cauſalis, & non tàtùm limitans, vel declarans verbum præfinire: & argumentantur ſic: nam Damaſcenus duas rationes affert ad probandum, Deum non præfinire ea, quæ in noſtra poteſtate, & arbitrio ſita ſunt. Prima eſt, de malis actibus, quia vitium non vult admitti, vbi in malis non vtitur ratione fundata in libertate noſtra, ſed in obiecti ipſius deformitate. Secunda ratio procedit de actibus bonis: nam virtuti non affert vim, vbi non ſumitur vis pro coactione in eo rigore, quo Scholaſtici ea voce vtuntur, vt voluntario opponitur; ſic enim, etiamſi Deus voluntatem noſtram neceſſitaret, non eam cogeret. ſumit ergo vim pro neceſſitate, quæ repugnat libertati; & hanc reddit cauſam, ob quam Deus voluntatem noſtram non prædeterminat. Sentit ergo Damaſcenus, prædeterminationem inferre neceſſitatem repugnantem libertati, & inde concludit, Deum non prædeterminare eos actus, qui in noſtra ſunt poteſtate. Et eundem ſenſum inquiunt aduerſarij eſſe S. Thomæ, qui hanc neceſſitatem æquiparat neceſſitati naturæ, quia eſt neceſſitas ſimpliciter, & æquè repugnans libertati, vt clariùs explicauit tertio cont. Gent. cap. 90.

XXI. Hæc tamen explicatio apertè contradicit verbis S. Thom. quibus explicat mentem Damaſceni; nam, vt conſtat ex locis ſupra inductis, duplicem S. Doctor antecedentem Dei prædeterminationem diſtinguit: alteram, quæ eſt cum impoſitione neceſſitatis, & de hac ſola prædeterminatione docet, eſſe intelligendum Damaſcenum; nam hæc prædeterminatio tolleret libertatem, vt arguit ipſe Damaſcenus: alteram ſine impoſitione neceſſitatis, quæ fit iuxta modum voluntatis liberæ, & hac prædeterminatione concedit S. Thom. à Deo prædeterminari omnes actus liberos, qui ſunt in noſtra poteſtate. Licèt enim ex hac prædeterminatione conſurgat in noſtris actibus quædam neceſſitas, quam S. Thom. appellat neceſſitatem infallibilitatis, neceſſitatem conditionatam, neceſſitatem conſequentiæ, ſiue neceſſitatem ex ſuppoſitione, quæ eſt neceſſitas ſecundùm quid, non repugnans libertati, vt diſp. 25. patebit: non tamen conſurgit neceſſitas abſoluta, quæ libertatem euertit. Quando autem neceſſitas antecedens repugnet libertati, in ſolutione ad octauum explicabitur. Accedit, quòd S. Damaſcenus expreſſis verbis docet cum S. Dionyſio Areopagita, Deum omnia bona, quæ fiunt in tempore, ſuo æterno & incommutabili decreto prædeterminaſſe, vt conſtat ex verbis illius, n. 10 huius diſputationis inductis.

Eodem modo reſpondetur ad auctoritatem Greg. Nyſſ. cum S. Thom. 3. cont. Gent. c. 90. vbi iuxta ea, quæ dicta ſunt ad Damaſcenum, explicat verba Nyſſeni, & per hæc patet ad locum Theodoreti.

XXII. Ad auctoritatem S. Chryſ. hom. 12. ſuper epiſt. ad Hebræos, quidam reſpondent, quòd licet Chryſoſt. de gratia eadem fere doceat, quæ cæteri Patres; nihilominùs, ſicut Auguſt. antequam eſſet Epiſcopus, ſine culpa, re nondum bene peripecta, & examinata, quam poſtea occaſione Pelagianorum diligentiùs diſcuſſit, in eo fuit errore, vt crederet initium fidei, hoc eſt, primum actum credendi eſſe à nobis: ita Chryſoſtomum, cùm intelligere non valeret, quinam ratione libertas arbitrij noſtri ſalua poſſet conſiſtere, ſi Deus ſua gratia noſtram præueniret electionem, credidiſſe, electionem, qua primò accepimus bona, eaque facere decernimus, eſſe priorem ipſa Dei gratia: poſtea verò ſubſequi gratiam, qua adiuuamur, & nobis cooperatur Deus. Sed profectò nunquam S. Chryſoſtomus, errore Pelagianorum, etiam materialiter infectus fuit, cùm in aliis ſuis quamplurimis locis rectè de gratia Chriſti ſenſerit, & ſcripſerit, præſertim hom. de Adam, & Eua, vbi poſtquam in confirmationem doctrinæ Catholicæ multa attuliſſet loca Scripturæ, præſertim illud Ioan. 15. *Sine me nihil poteſtis facere.* & Ioan. 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum.* & Matth. 19. *Non omnes capiunt Verbum.* & Matth. 11. *Confiteor tibi Pater Domine cœli, & terra, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea parvulis*; ſubdit: *Sed ne aliquis dicat, quòd non accepi, quid à me exigit Deus, non habet excuſationem: quia omnis accipiens gratiam, iam in eadem gratia accipit & lumen: quòd ſi malè fecerit, aſſignet ſibi, ſi autem bene fecerit, aſſignet Deo, à quo venit omne donum optimum, & omne lumen perfectum.* Et poſt pauca: *His ergo Eccleſiaſticis regulis, & diuina ſumptis auctoritate documentis, ita adiuuante Domino confirmati ſumus, vt omnium bonorum effectuum, atque operum, & omnium ſtudiorum, omniumque virtutum, quibus ab initio Fidei, ad Deum tenditur: Deum profiteamur auctorem: & non dubitemus, ab ipſius gratia omnia hominis merita prouenire, per quem ita ſit, vt aliquid boni & velle inueniamur, & facere. Quo vtique auxilio, & munere Dei non auferatur liberum arbitrium ſed liberatur, vt de tenebroſo lucidum, de prauo rectum, de languido ſanum, de imprudente ſit prouidum. Tanta enim eſt erga nos bonitas Dei, vt noſtra velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius bona, & pro his, quæ largitus eſt æterna præmia ſit daturus. Agit quippe in nobis, vt, quod vult, & velimus, & agamus: nec otioſa in nobis eſſe patiatur, quæ exercenda, non negligenda donauit, vt & nos cooperatores gratiæ Dei ſimus, & in his, quæ in nobis ex noſtra viderimus remiſſione languere, ad illum ſollicitè recurramus, qui ſanat omnes languores noſtros, & redimit de interitu vitam noſtram cui quotidie dicimus: Ne inducas nos in tentationem, ſed libera nos à malo.* Sed quoniam non deſunt, qui aſſerant, illam homiliam de Adam, & Eua non eſſe Chryſoſtomi, legat Theologus eiuſdem Chryſ. homil. 1. ſuper epiſt. ad Epheſ. præſertim column. 2. vbi explicans illud: *Elegit nos ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti*, inquit: *Sic diuina ratione cuncta diſpenſata ſunt, & præfinita, idque per multam ergà nos prouidentiam.* Quibus verbis noſtram de prædeterminatione Dei extrinſeca apertiſſimè docet ſententiam. & paulò inferiùs: *Si Chriſti fidem amplectimur, ſi ad Deum acceſſerimus, hoc & eius munus eſt, qui nos vocauit, ſed tamen & noſtrum.* Ecce Chryſoſtomus non ſolùm poſſe, ſed etiam & ipſum credere, & piè operari ad Deum refert. Verum eſt, quòd ſanctus Chryſoſtomus, & alij Patres, qui ante exortam hæreſim Pelagij ſcripſerunt, pauca de gratia Chriſti, & plurima pro confirmanda arbitrij libertate, contra hæreſim Manichæorum docuerunt, quod & ſanctus Auguſtinus aduertit, cùm ait: *Quid igitur opus eſt, vt eorum ſeruemur opuſcula, qui priuſquam iſta hæreſis oriretur, non habuerunt neceſſitatem in hac difficili ad ſoluendum quæſtione verſari? Quod procul dubio facerent, ſi reſpondere talibus cogerentur. Vnde factum eſt, vt de gratia Dei quid ſentirent, breuiter quibuſdam ſcriptorum ſuorum locis, & tranſeuntes attingerent, memorarentur verò in eis, quæ aduerſus alios inimicos Eccleſiæ diſputabant.* Et lib. 1. retract. c. 9. reſpondens idem S. Auguſt. ad quædam teſtimonia, ex ſuis libris deprompta, malè à Pelagio intellecta, quibus ante exortam hæreſim Pelagij

prædeterminantem gratiam expenditur.

Ephes. 1.

Patres, qui ante hæreſim Pelagij ſcripſerunt, paucà dixerunt de gratia Chriſti.

S. Aug. li. de prædeſt. SS. c. 14.

Chryſoſtomi ſententia circa

Pelagij libertatem arbitrij contra Manichæos confirmauerat, inquit: *In his, atque in huiusmodi verbis meis, quia gratia Dei commemorata non est, de qua tunc non agebatur, putant Pelagiani, vel putare possunt, suam nos tenuisse sententiam. Sed frustra hoc putant: voluntas quippe est, qua & peccatur, & rectè viuitur: quod his verbis egimus. Voluntas ergo ipsa, nisi Dei gratia liberetur à seruitute, qua facta est serua peccati, & vt vitia superet, adiuuetur, rectè, piéque à mortalibus viui non potest: & hoc diuinum beneficium, quo liberatur, nisi eam præueniret, iam meritis eius daretur, & non esset gratia, qua vtique gratis datur. quod in aliis opusculis nostris satis egimus, istos inimicos huius gratiæ, nouos hæreticos refellentes: quamuis & in his libris qui non contra illos omnino, quippe illi nondum erant, sed contra Manichæos conscripti sunt de libero arbitrio, non omnimodo de ista gratia reticuimus, quam nefanda impietate conantur auferre.* Eodem modo quidam putant, vel putare possunt, Chrysostomum in verbis inductis, Pelagianorum tenuisse sententiam; quia gratiam non nominauit, sed frustra hoc putant; quoniam in aliis locis rectissimè de illa sensit, & scripsit. Vnde idem S. August lib. 1. cont. Iulian. cap. 2. à suspicione hæresis Pelagianæ purgat Chrysostomum: *Itáne*, inquit, *ista verba S. Ioan. Epist. audes, tanquam è contrario, tot talium sententiis collegarum eius opponere, eámque ab illorum concordissima societate seiungere, & aduersarium eis constituere? Absit hoc malum de tanto viro credere, aut dicere. Absit, inquam, vt Constantinopolitanus Ioannes, de Baptismate parvulorum, eorumque à paterni chirographi liberatione per Christum, tot ac tantis Coëpiscopis suis, maximéque Romano Innocentio, Carthaginensi Cypriano, Cappadoci Basilio, Gregorio Nazianzeno, Gallo Hilario, Mediolanensi resistat Ambrosio.*

Li 1 retract. c. 9.

XXIII. Respondetur ergo, quòd, vt aliqui viri docti adnotauerunt, verba adducta ex homil. 12. ad Hebræos in originalibus Græcis Chrysostomi non habentur, saltem in omnibus, sed fuerunt à Pelagianis illius ætatis inserta, vt auctoritate Chrysostomi suam hæresim confirmarent; id quod familiare est hæreticis, & semper fuit, vt constat ex pluribus erroribus ab ipsis in operibus Origenis, & aliorum Patrum, imò & in libris Canonicis, non semel insertis, vt eorum auctoritatibus se munirent.

Patres Græci, qui ante Pelagium scripserunt de gratia, caute legendi sunt.

Secundò respondetur, quòd sanctus Chrysostomus nonnunquam vires nostri liberi arbitrij mirum in modum extollit, loquendo quasi per hyperbolem ex contentione impugnandi Manichæorum, & Gentilium errores, asserentium, hominem esse vel naturæ malum, vel fati violentia ad peccandum compelli. Vnde Iansenius in concor. cap. 59. cum adduxisset aliquot ex Græcis, præcipuè Chrysostomum, & Euthymium, aduertit quòd nisi attentè legantur in hac materia, de qua disputamus, & intelligantur, & explicentur piè, occasionem erroris Pelagij præbere poterunt. Cùm ergo, inquit Chrysost. non antecedit nostras voluntates, ne lædatur nostrum liberum arbitrium, intelligitur, quòd non antecedit illas, actum nostrum liberum in nobis sine nobis libere cooperantibus producendo, vt posuerunt hæretici, qui libertatem negauerunt arbitrij; si enim isto modo illas antecederet, læderet sine dubio arbitrij libertatem, quia tunc homo merè passiuè se haberet, recipiendo actum à solo Deo producium, vt somniauit Lutherus; vel spontaneo motu, non libere producendo illum, vt effutiuit Caluinus; non tamen intendit Chrysostomus negare extrinsecam Dei prædeterminationem, qua omnes actus bonos prædeterminauit, absoluta, & efficaci voluntate, vt ex aliis verbis illius suprà inductis ostensum est. Vel dicendum, quòd, cùm ait: Non antecedit nostras voluntates, intelligit, quòd non antecedit eas, ad vnum ex necessitate prædeterminando, licut prædeterminat ea, quæ arbitrij libertatem non habent: sicut enim auctores oppositæ sententiæ explicant Chrysost. de antecedentia determinante, seu physicè prædeterminante: ita licet nobis illum explicare de antecedentia prædeterminante ad vnum ex necessitate: in quo sensu S. Thom. explicuit consimilem locum Damasceni. Et colligitur hæc nostra explicatio ex eo, quòd S. Chrysost. loquebatur ibi contra Manichæos, qui, vt disp. 3. n. 3. ostensum est, introducere volebant naturam boni, ex qua bona; & naturam mali, ex qua mala ex necessitate fierent: contra quos ait Chrysost. Non antecedit nostras voluntates, eas videlicet necessitando, vt ponebant Manichæi, ne nostram perderet voluntatem.

S. Th. 1 p. q. 23. artic. 1. ad 1.

Ad S. Hier. respondetur, mirum esse, quòd aduersarij velint illum in suam sententiam pertrahere, cùm nostram expressè multis in locis doceat. Etenim super c. 1. ad Ephes. explicans illud Apost. *Prædestinati secundum propositum eius, qui vniuersa operatur secundum consilium voluntatis suæ*, inquit: *Prædestinatio, & propositum simul posita sunt, iuxta quæ, omnia operatur Deus secundum consilium voluntatis suæ, quo vniuersa, quæ facit consilio facit, & voluntate: quia scilicet & ratione plena sint, & potestate facientis: nam homines pleraque volumus facere consilio, sed nequaquam voluntatem sequitur effectus: illi autem nullus resistere potest, quin omnia, quæ voluerit, faciat.* Quibus verbis plane agnoscit in Deo decretum efficax prædeterminans voluntatem creatam efficaciter ad suas operationes. Et in epistola ad Ctesiphontem aduersùs Pelagianos, inquit: *Quod autem sursum deorsum iactitant, liberum à nobis destrui arbitrium, audiant è contrario, eos arbitrij destruere libertatem, qui malè eo abutuntur aduersùm beneficium largitoris. Quis destruit arbitrium? ille qui semper Deo agit gratias, & quodcunque in suo riuulo sitit, ad fontem refert: an qui dicit: Recede à me, quia mundus sum: non habeo te necessarium? Dedisti enim mihi semel arbitrij libertatem, vt faciam, quod volueris: quid rursum te ingeris, vt nihil possim facere, nisi tu in me tua dona compleueris?* Et post pauca: *Iniuriam tibi fieri putas, & destrui arbitrij libertatem, si ad Deum semper auctorem recurras, si ex illius pendeas voluntate, & dicas: Oculi mei semper ad Dominum: quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos?* Et lib. 3. aduersùs Pelagianos ait: *Egòne liberum tollo arbitrium, qui in tota disputatione mea nihil aliud egi, nisi vt omnipotentiam Dei cum libero arbitrio conseruarem?* Et paulò inferiùs explicàs illud Ioan. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*: subdit: *Quando dicit: Nemo potest: frangit superbientem arbitrij libertatem: quia etiamsi velit ad Christum pergere, nisi fiat illud, quod sequitur: Nisi Pater meus traxerit eum: neque quidquam cupiat, & frustra nitatur.* Quibus verbis clarissimè docet, omnia esse referenda ad consilium voluntatis diuinæ, & potentiam voluntatis eius, qui *Omnia, quæcunque voluit fecit in cælo, & in terra*: & per hanc efficacem Dei voluntatem nullo modo destrui nostri arbitrij libertatem.

XXIV. Hiero. sententia circa prædeterminantem gratiam expenditur.

Ioan. 6.

Psalm 24.

Psal. 134.

XXV. Quando ergo inquit Hieronymus, hominem ita esse liberum, vt viuat *non ex imperio Dei, sed ex obsequio suo*: per imperium Dei, non intelligit efficacem Dei voluntatem, prædeterminantem quomodocunque liberum hominis arbitrium ad alteram partem, sed prædeterminantem ex necessitate ad vnum, sicut determinat res naturales, quæ libertatem non habent. Et cùm se explicat, subdens, id est non ex necessitate, sed ex voluntate; solùm intendit excludere ab actibus humanis necessitatem absolutam,

absolutam, quæ est necessitas simpliciter; non autem necessitatem conditionatam, vel ex suppositione, quæ est necessitas secundùm quid, non obstans libertati, vt disp. 25. patebit.

XXVI. Ad loca adducta ex S. Augustino respondetur, nihil esse clarius in eius sententia, quàm Deum, absoluto, & efficaci decreto suæ voluntatis, omnia, quæ fiunt in tempore, prædeterminasse, vt patet ex locis sup. allegatis, & ex Enchirid. ad Laur. capit. 95. vbi ait: *Deus autem noster in cælo, sursum in cælo, & in terra, omnia, quæcunque voluit, fecit. Quod vtique non est verum, si aliqua voluit facere, & non fecit; & (quod est indignius) ideo non fecit; quoniam ne fieret, quod volebat omnipotens, voluntas hominis impediuit: non ergo fit aliquid, nisi omnipotens fieri velit, vel sinendo, vt fiat, vel ipse faciendo.* Et post pauca: *Hoc nisi credamus, periclitatur ipsum nostræ fidei confessionis initium, qua nos in Deum Patrem omnipotentem credere confitemur. Neque enim veraciter ob aliud vocatur omnipotens, nisi quia, quidquid vult, potest, nec voluntate cuiuspiam creaturæ, voluntatis omnipotentis impeditur effectus.* Et de prædestinatione SS. capit. 17. ait: *Electi sunt itaque ante mundi constitutionem, ea prædestinatione, in qua Deus sua futura facta præscijt; electi sunt autem de mundo ea vocatione, qua Deus id, quod prædestinauit, implenit*; id est, quod prædeterminauit; prædestinare enim & prædeterminare idem significant, vt suprà dictum est. Eandem prædeterminationem non obscurè docet August. cùm ait, Deum facere volentes ex nolentibus, & humanas voluntates magis esse in Dei potestate, quàm in propria, quòd conuertit ad se corda nostra. Quæ omnia sæpius repetit, vt patebit ex locis allegandis in disputatione sequenti, quæ tamen saluari non possunt sine determinatione extrinseca diuinæ voluntatis prædeterminantis voluntatem creatam ad eas operationes, quas Deus vult, vt faciat. Cùm ergo ait Augustinus, aliquam voluntatem non esse à Deo, loquitur expresè de voluntate mala, qua peccatur: etenim voluntas mala, & actio mala, vt mala est, non est à Deo, sed solùm à creatura deficiente, vt disput. 24. manifestum fiet. Ex hoc tamen non sequitur, quòd voluntas Dei non prædeterminet nostram ad omnes suos actus, quantùm ad id, quod habent entitatis, & bonitatis; prædeterminatione tamen, quæ est secundùm modum liberæ voluntatis, vt dictum est. Ad aliud ex libro 7. de Ciuit. Dei respondetur, ita esse, quòd Deus finit liberum arbitrium, & alias causas secundas agere suos motus; sed tamen æterno suo, & efficaci decreto statuit, quòd eos agerent vel naturaliter, si causæ sint naturales, vel contingenter, & liberè, quando causæ sunt contingentes, & liberæ.

Augustini sententia circa prædeterminationem diuinam.

XXVII. Ad locum ex lib. 3. de lib. arb. respondetur, quòd, vt disp. 32. patebit, voluntas creata non potest absolutè, & propriè resistere voluntati diuinæ, licèt simpliciter possit facere oppositum eius, quod Deus efficaci voluntate vult ab ea fieri. Cùm ergo ait S. Augustinus: Quæcunque ista causa est voluntatis, si non potest ei resisti, sine peccato ei ceditur: loquitur de causa creata, quæ inferior est ad voluntatem nostram. Si autem prædicta verba extendantur etiam ad causam primam, intelligendus est de resistentia communiter dicta, vt importat potentiam ad faciendum oppositum: & sensus est, quòd quicunque est causa, quòd homo velit, si non possit ei resisti; id est, si non possit homo facere oppositum eius, ad quod causa illa inclinat, vel mouet liberum arbitrium, sine peccato ei ceditur. Quæ explicatio colligitur ex eodem Augustino: nam in pluribus aliis locis disput. 32. & 93. allegandis, docet expresè, voluntati Diuinæ voluntatem humanam non posse resistere, quod etiam Scriptura sacra sæpissime docet, vt in eisdem disp. manifestum fiet.

XXVIII. Denique aduertimus, quòd Pelagius quàm plurima testimonia eiusdem Augustini congessit, quibus suum confirmare nitebatur errorem. Ad quæ tamen idem S. Augustin. libr. 1. suarum tetractationum, cap. 9. & 10. sigillatim respondet, cuius verba in præsenti referre necessarium duxi, quoniam ex illis mentem illius poterit Lector facilè colligere. In cap. 9. allegato sic loquitur: *Quapropter noui hæretici Pelagiani, qui liberum sic asserunt voluntatis arbitrium, vt gratiæ Dei non relinquant locum, quandoquidem eam secundùm merita nostra dari asserunt; non se extollant, quasi eorum egerim causam: quia multa in his libris dixi pro libero arbitrio, quæ illius disputationis causa poscebat. Dixi quippe in libro primo: Malefacta iustitia Dei vindicari. & addidi: Non enim iustè vindicarentur, nisi fierent voluntate. Item, cùm ipsam bonam voluntatem tam magnum bonum esse monstrarem, vt omnibus corporis & externis bonis meritò anteponerem, dixi: Vides igitur iam, vt existimo, in voluntate nostra esse constitutum, vt hoc vel fruamur, vel careamus tanto, & tam vero bono?* Et cùm alia plurima loca consimilia ex suis scriptis retulisset, quæ Pelagius in alienum sensum detorquebat, subiungit: *In his, atque huiusmodi verbis meis, quia gratia Dei commemorata non est, de qua tunc non agebatur: putant Pelagiani, vel putare possunt, suam nos tenuisse sententiam. Sed frustra hoc putant: voluntas quippe est, qua & peccatur, & rectè viuitur: quod his verbis egimus. Voluntas ergo ipsa, nisi Dei gratia liberetur à seruitute, qua facta est serua peccati, &, vt vitia superet, adiuuetur: rectè piéque viui à mortalibus non potest. Et hoc diuinum beneficium, quo liberatur, nisi eam præueniret, iam meritis eius daretur, & non esset gratia, quæ vtique gratis datur.* Et infrà: *Quod verò dixi: Illud autem lumen nõ irrationabilium animalium oculos pascit, sed pura corda eorum, qui Deo credunt, & ab amore visibilium rerum, & temporalium se ad eius præcepta implenda conuertunt: quod omnes homines possunt si velint: non existiment noui hæretici Pelagiani, secundùm eos esse dictum. Verum est enim omnino omnes homines hoc posse, si velint: sed præparatur voluntas à Domino, & tantùm augetur munere charitatis, vt possint. Quod hic ideo dictum non est, quoniam præsenti necessarium non erat quæstioni.*

Lib. 1. c. 12.

Rom. 6. Ioan. 3.

XXIX. Quod attinet ad S. Thom. luce clarius constat ex locis superiùs allegatis, illum expresè docuisse nostram sententiam: neque alicubi approbauit, sed neque insinuauit oppositam. Et cùm inquit, Deum ita mouere voluntatem nostram, vt illam non ex necessitate ad vnum determinet, non obscurè fauet nostræ sententiæ. Ideo enim addit illud verbum, *ex necessitate*, vt innueret, quòd determinat eam alio modo conformi naturæ eiusdem volũtatis. Loquitur ergo de determinatione ad vnum ex necessitate absoluta, qualis reperitur in rebus, quæ libertatem non habent, vt ipse se explicat in eisdem, & in aliis locis.

Voluntas creata non est simpliciter primũ se determinans.

Ad aliud testimonium ex q. 3. de potentia respondetur, determinationem actus relinqui in potestate rationis, & voluntatis: quia voluntas est, quæ tanquam causa secunda determinat sibi suum velle. Quia tamen non est simpliciter primum se determinans, oportet, quòd determinetur à Deo, tãquam à prima causa simpliciter, vt in aliis locis suprà inductis explicuit. Videantur, quæ docet 1. p. q. 19 art. 3. ad quintum, & q. 83. art. 1. ad 3. Et de hoc restat nobis longa disputatio 117. vbi explicabimus, qualiter consensus arbitrij sit in eius potestate. Et cùm obijcitur: nam si S. Thomas agnouisset hanc efficacem Dei prædeterminationem, non recurrisset ad existen-

existentiam futurorum contingentium in æternitate, vt infallibilem scientiam eorundem futurorum saluaret in Deo, & cum eorum contingentia concordaret Respondetur, quòd S. Thom. non solùm recurrit ad existentiam, quam futura contingentia habent in æternitate, vt ostendat scientiam Dei respectu eorum esse infallibilem, sed etiam recurrit ad prædeterminationem causarum secundarum non impediendarum, vt patet 1. contra Gent. cap. 67. ratione 3. & 22. q. 171. art. 6. ad 2. & 1. part q. 14. artic. 13. & ex his, quæ disp. 10. dicta sunt, vbi S. Th. verba adduximus, & expendimus. Vnde Caiet. 1. p. citata, §. circa dicta, & §. ad secundum autem, notat, quòd in litera S. Thom. manifestè duæ causæ assignantur, quòd res sint ab æterno Deo præsentes, ac per consequens certitudinaliter cognitæ ab illo; quia tamen existentia rerum in æternitate ex parte ipsius æternitatis est ratio proxima, propter quam scientia Dei respectu futurorum contingentium est infallibilis, quamuis contingentia in ordine ad causam proximam considerata, possint non esse; ideo S. Thomas specialiter demonstrat, infallibilitatem scientiæ diuinæ ex præsentialitate, quam futura contingentia, secundùm suas reales existentias, habent in æternitate, vt disp. 9. explicatum est.

S. Tho. recurrit tum ad existentiam rerũ in æternitate, tũ ad determinationem diuinæ volũtatis, ad ostendẽdam infallibilitatẽ scientiæ diuinæ.

XXX. Ad secundum argumentum respondetur, Lutheranos, & Caluinianos non in eo errasse, quia dixerunt, voluntatem nostram physica quadam efficacitate à Deo prædeterminari, vt velit, per efficacissimam videlicet eius voluntatem, qua illam præuenit: sed in eo, quod malè intulerunt ex illo principio Catholico, per huiusmodi determinationem destrui libertatem arbitrij in sua operatione, vt disp. 115. & 116. manifestum fiet. Ad cuius euidentiam considerandum est, quòd Pelagius, & Lutherus cum Caluino eadem via, & eodem argumento conuicti in contrarios errores inciderunt. Cùm enim existimarent, hanc consequentiam esse euidentem: Datur voluntas Dei efficax, seu gratia efficax præueniens nostram voluntatem, & præmouens illam ad operandum; ergo voluntas nostra non est libera in suis operationibus; vnus illorum scilicet Pelagius, ne liberum hominis arbitrium, quod experiebatur, negaret, negauit gratiam Dei, & voluntatem illius efficacem nostras præcedere voluntates. Alter verò, id est, Lutherus cum Caluino, concedens æternum decretum, absolutum, & efficax voluntatis diuinæ, & motionem illius efficacem nostras præcedere voluntates; & non intelligens, qualiter cum illa efficaci Dei voluntate, & gratia staret simul nostri libertas arbitrij; asseruit erroneè, nostrum liberum arbitrium esse rem de solo titulo. Itaque Pelagius sic arguebat: Est in nobis vera arbitrij libertas ergo non est in Deo voluntas efficax & gratia præueniens nostras voluntates, qua facit, vt faciamus, & operatur, vt operemur. Lutherus autem, & Caluinus, ex oppositio consequentis ad oppositum antecedentis arguentes, sic inferebant. Est in Deo voluntas efficax, & gratia præueniens nostras voluntates, qua facit, vt faciamus, & operatur, vt operemur: ergo non est in nobis liberum arbitrium. In hoc tamen Caluinus vtcunque moderatus est hæresim Lutheri: Lutherus enim, vt disput. 3. vidimus, asseruit, nostrum liberum arbitrium merè passiuè se habere in ordine ad liberam operationem, quam existimabat à solo Deo in nobis efficienter produci. Caluinus autem confessus est, nostrum arbitrium cooperari quidem efficienter Deo efficaciter mouenti ad consensum, non tamen cooperari liberè, sed spontaneè dumtaxat; quia non resistat, eo modo, quo equus non recalcitrans currit spontaneè, sed non liberè, cùm mouetur à sessore. Nos autem extremas, & impias hæreses Pelagianorum, & Lutheranorum detestantes, media via recta incedentes, fatemur contra Pelagianos, Deum, æterno, absoluto, atque efficaci decreto suæ voluntatis, ac sua præoperante gratia, nostras præuenire voluntates, easque ad modum causæ physicæ ad omne opus bonum dirigere. Asserimus etiam contra Caluinum, & Lutherum, quòd nihil impediente efficacia voluntatis, aut motionis diuinæ, maneat in homine integra libertas arbitrij, videlicet facultas, & potestas, qua possit, si velit, non sequi motionem diuinam, atque adeò cum efficacia diuinæ voluntatis, & motionis præuenientis determinationem creatæ voluntatis, simul manet integra, & illæsa libertas nostri arbitrij, vt inferiùs ex professo manifestum fiet.

Pelagiani, & Lutherani eodẽ argumẽto conuicti in contrarios errores inciderunt.

XXXI. Caluinus à Luthero in quo differserit.

B Et per hæc patet ad confirmationem. Dicimus enim, quòd hæretici ex illo fundamento deduxerunt quidem, liberum arbitrium esse rem de solo titulo, sed id deduxerunt per malam consequentiam, quam propterea approbare non possumus; negando quippe prædictam consequentiam, & Pelagianis resistimus, & Lutheranis, euertendo potissimum fundamentum, quo illi decepti in contrarios errores inciderunt.

XXXII. Ad tertium argumentum respondetur, quòd sicut aliud est posse currere, aliud verò actu currere: ita aliud est posse velle, vel producere aliquem actum liberum in particulari: aliud autem de facto illum producere. Vt ergo homo verè possit velle aliquod obiectum, non requiritur, quòd ex æternitate præcesserit in Deo absolutum, & efficax decretum prædeterminans eius liberum arbitrium ad volendum idem obiectum: quamuis id requiratur, vt illud actu velit. Vnde ex hoc, quòd in Deo non fuerit huiusmodi decretum, non sequitur, quòd homo non possit velle tale obiectum, absolutè loquendo: sed solùm sequitur, quòd de facto non velit illud. Nec etiam sequitur, quòd si Deus prædeterminauit me ad volendum hoc in particulari, non sit, absolutè loquendo, in mea potestate aliud velle, quamuis ex suppositione diuinæ voluntatis efficacis, impossibile sit, impossibilitate in sensu composito, quòd velim aliud obiectum, vt disput. 25. patebit: aliàs enim voluntas Dei esset inefficax. Illa ergo conditionalis: Si Deus vult, me velle hoc, hic, & nunc, faciam illud: est necessaria, vt docent SS. August. & Thom. locis allegandis infrà cùm sit bona consequentia. Sed consequens est absolutè liberum, & contingens: cuius ratio est, quam assignat S. Thom. 1. part. quæst. 14. art. 13. ad 2. nam, *quando in antecedente ponitur aliquid pertinens ad actum animæ, consequens est accipiendum, non secundùm quòd in se est, sed secundùm quòd est in anima, aliud enim est esse rei in se ipsa & esse rei in anima, vt putà, si dicam: Si anima intelligit aliquid, illud est materiale; intelligendum est, quòd illud est immateriale, secundùm quòd est in intellectu, non secundùm quòd est in se ipsa. Similiter si dicam: si Deus scinit aliquid, illud erit: consequens intelligendum est, prout subest diuinæ scientiæ, scilicet prout est in sua præsentialitate, & sic est necessarium, sicut antecedens: quia omne, quod est, dum est, necesse est esse, vt dicitur in 1. perihermen.* Proportionaliter dicimus in præsenti, quòd illud consequens: Ego faciam hoc in particulari: est necessarium, necessitate consequentiæ, vt subest illi antecedenti: scilicet Deus vult vt faciam hoc: quoniam ex illo necessariò infertur per bonam consequentiam, vt prima parte quæstione 19. artic. 8. ad 1. docet S. Thom. Vbi explicans illud August. in Enchirid. c. 103. *Nullus fit saluus, nisi quem Deus voluerit saluari. Et ideo rogandus est, vt velit, quia necesse est fieri si voluerit*: inquit, *quòd per illud verbum*

Posse operari, & operari distinguuntur.

Contingẽs & necessariũ necessitate consequentiæ non oppanuntur.

Digitized by Google

bum Auguſtini intelligenda eſt neceſſitas in rebus volitis à Deo, non abſoluta, ſed conditionalis, neceſſe eſt enim hanc conditionalem veram eſſe: ſi Deus hoc vult, neceſſe eſt hoc eſſe. Abſolutè tamen loquendo, & in ſe conſideratum, ſiue in ordine ad ſuam cauſam proximam, conſequens eſt contingens, & liberum.

XXXIII. Omiſſio poteſt eſſe culpabilis non habēti auxilium efficax

Eodem modo reſpondetur ad id, quod obiicitur in eodem argumento de actibus omiſſis, qui ſunt in præcepto. Dicimus enim, quòd libere illos omittimus, & omittendo peccamus, quamuis Deus non præterminauerit efficaciter voluntatem noſtram ad illos exequendos; hæc enim Dei prædeterminatio non eſt neceſſaria, vt homo verè poſſit actus illos producere, ſed vt actu illos producat, vt ſuprà dictum eſt. Cùm ergo omittens actus, qui ſunt in præcepto, verè poſſit illos producere, & non producat, ſequitur, quòd liberè eos omittat, ac per conſequens peccet: nam, vt docet S. Tho. & omnes eius diſcipuli, vt aliquis actus cenſeatur volùtariè omiſſus ſaltem indirectè, ſufficit quòd homo poſſit illum facere, & non faciat, & ſi actus ille eſt in præcepto, omiſſio eius imputabitur ad culpam. Videatur ſupradicta diſp. 18. num. 20.

S. Th. 1. 2. q. 6 ar. 3 q. 71. ar. 5. & q. 2. de malo ar. 2.

Sine prædeterminatione Dei nihil homo poteſt operari in ſenſu compoſito.

Ad confirmationem reſpondetur ex dictis, quòd in ſenſu compoſito nihil velle poſſumus ſine prædeterminatione diuina; quia non poſsūt hæc duo ſimul eſſe vera, quòd ſcilicet nos velimus in particulari aliquid, & quòd Deus non præordinauerit, & prædeterminauerit, quòd velimus illud; abſolutè tamen & in ſenſu diuiſo, poſſumus quidem velle oppoſitum eius, quod Deus voluit nos velle. Nam per huiuſmodi decretum prædeterminans voluntatem noſtram ad alteram partem, non ſtatuit Deus, quòd non poſſimus velle oppoſitum, ſed quòd de facto non velimus, niſi illud in particulari, quod ſua efficaci voluntate decreuit nos velle. Vnde quamuis determinatio diuinę voluntatis, ſecundum quod eſt in Deo, & vt eſt actio immanens illius, non ſit in noſtra poteſtate, ſed in poteſtate ſolius Dei: Effectus tamen illius prædeterminationis, ſcilicet noſter actus liber, eſt in noſtra poteſtate, quia Deus non decreuit producere, nec producit illum in nobis ſine nobis liberè conſentientibus, & cooperantibus. Et quamuis poſt determinationem diuinam, qua nos determinauit ad iſtum actū in particulari, non poſſimus quidquā facere, vt ipſe ad alios actus nos determinet, eò quòd voluntas diuina ſubdi non poteſt humanæ voluntati, aut illi ſubordinari, determinari ab ea, vel mutari: libere tamen facimus actum, ad quem nos determinauit: ac per conſequens, verè poſſumus facere illum, & non facere, ſeu prorumpere in actum contrarium, quoniam non ſolùm prædeterminauit Deus, vt faciam iſtum actum in particulari, ſed etiam prædefiniuit, vt faciam illum liberè iuxta modum propriæ naturæ, ac per conſequens, decreuit, vt poſſim illum actum non facere.

Secundò, poteſt fortè clarioribus terminis explicari hæc ſolutio, ſi dicamus, quòd illud antecedens aſſumptum in argumento, nempe: Sine prædeterminatione diuinæ voluntatis, nullum actum poſſum facere: dupliciter intelligitur. Primò ita; vt illud complexum, ſine prædeterminatione diuinæ voluntatis, cadat ſuper verbum, poſſum, & illud modificet, & tunc ſenſus eſt, quòd ſine prædeterminatione prędicta non habeo verum poſſe, comparatione actus, qui non eſt a Deo prædeterminatus, & in hoc ſenſu antecedens eſt falſum. Secundo ita, vt complexum illud, ſine prædeterminatione diuina, cadat ſupra verbum, facere & illud modificet; & tunc ſenſus eſt, nulla potentia fieri poſſe, vt ego faciam aliquem actum, & quòd voluntas mea non ſit phyſicè à Deo prædeterminata ad illum actum producendum; & hic ſenſus eſt verus: ſed ex hoc non ſequitur, illum, qui non eſt à Deo prædeterminatus ad talem actum, non habere verum poſſe, comparatione eiuſdem actus; ſed ſolùm infertur, quòd nó efficiet de facto talem actum. Hæc ſolutio deſumitur ex S. Thoma q. 1. de potentia, art. 5. ad 1. vbi explicans illam propoſitionem: Deus non poteſt facere niſi quod præſcit ſe facturum ait: *Hæc loquutio in duplici ſenſu poteſt accipi, quia exceptio poteſt referri ad potentiam, qua importatur per Ly. poteſt, vel ad actū, qui importatur per Ly. facere. Si primo modo, tunc loquutio eſt falſa: plura enim poteſt facere, quàm præſciat, ſe facturum, & in hoc ſenſu ratio procedebat. Si autem ſecundo modo, ſic loquutio eſt vera, & eſt ſenſus, quòd non poteſt eſſe, quòd aliquid fiat à Deo, & non ſit à Deo præſcitum.* Proportionabiliter nos dicimus in præſenti, quod in illa propoſitione: Nullum actum poſſum facere, niſi quem Deus prædeterminauit, me eſſe facturum: ſi exceptio referatur ad potentiam, quæ importatur per verbum, *poſſum*, tunc propoſitio eſt falſa, vt ſupra dictum eſt, plura enim poſſum facere, quàm Deus prædeterminauerit me facturū. Si autem exceptio referatur ad actum, tunc propoſitio eſt vera, & eſt ſenſus, fieri non poſſe, quòd ego aliquid faciam, & Deus non prædeterminauerit, me id eſſe facturum.

XXXIV. Sine prædeterminatione diuina non eſt homo liber in actu ſecundo.

Ad quartum argumentum reſpondetur, ſolùm concludere, quòd ſine prædeterminatione Dei extrinſeca, & abſque decreto efficaci diuinæ voluntatis, homo non ſit futurus liber in actu ſecūdo; quod veriſſimum eſt, quia voluntas creata nullum actum ſecundum producet, niſi Deus præordinauerit, & prædefinierit, vt producat illum, aliàs enim aliquis effectus produceretur à voluntate creata antecedenter ad decretum, & cauſalitatem diuinam, ac per conſequens, voluntas creata eſſet ſimpliciter prima cauſa reſpectu illius, quod admitti non poteſt, vt oſtendit S. Thom in 2. ſent. d. 37. q. 2. artic. 1. in corp. non tamen concludit, quòd voluntas non ſit libera in actu primo, hanc enim libertatem conſequitur homo per actionem diuinam, cùm productus eſt in ſuo eſſe. In actum verò ſecundum, ſiue in actualem operationem in particulari exit hæc libertas depēdenter à decreto efficaci diuinæ voluntatis prædeterminantis noſtrum liberum arbitrium ad talem operationem. Cuius ratio eſt, quia noſtrum arbitrium non eſt primum liberum ſimpliciter, nec primum ſe determinans ſimpliciter, ac per conſequens eſſentialiter ſubordinatur arbitrio Dei, quod eſt ſimpliciter primum liberum, nulli alteri ſubiectum. Vnde, vt ſe moueat, & determinet ad talem actum, indiget moueri, & prædeterminari à Deo, aliàs manebit immotum omnino, quia non ſe mouet, niſi motum, vt dictum eſt.

XXXV. Voluntas habet duplicem indifferētiam paſſiuam ſcilicet & actiuam.

Ad quintum argumentum ſatisfaciendum eſt ex profeſſo diſput. 115. & 116. vbi de natura, & quidditate lib. arb. agendum eſt. Interim reſpondetur, quòd duplex indifferentia reperitur in voluntate creata, altera paſſiua in ordine ad Deum, ſecundùm quod recipit motionem præuiam, qua Deus ipſe efficit, quòd liberum arbitrium ſe determinet ad volēdum hoc, vel illud. Altera verò eſt indifferentia actiua in ordine ad iſtum actum libetum, vel illum. Prima indifferentia tollitur efficienter à ſolo Deo per decretum efficax ſuę voluntatis, quo producit motionem præuiam, in voluntate creata receptam, & formaliter tollitur per eandem motionem, de qua in diſp. 18. dictum eſt. Illa enim motio non eſt efficiēter à voluntate creata, cùm antecedat ordine naturæ, & cauſalitatis determinationem, ſeu cooperationem illius. Secunda autem indifferentia, ſcilicet

Digitized by Google

actiua tollitur efficienter à creata voluntate mota à Deo, & formaliter per actum liberum, qui actus non producitur in nobis effectiuè à solo Deo, sed
Philip. à. à Deo & à libero arbitrio. Licet enim *Deus*, vt inquit Apostolus, *operetur in nobis velle, & perficere*,
Cõc. Trid. sess. 6. can. 4. non tamen id operatur sine nobis simul cõsentientibus, & libere cooperantibus idem velle, vt ex Tridentino constat, vnde semper conseruat illæsam nostram libertatem, quantumuis efficaciter eam prædeterminet ad operandum hoc in particulari. Imò per eandem prædeterminantem motionem arbitrij nostri libertatem perficit.

XXXVI. Sed pro maiori explicatione huius solutionis notandum est, quòd, cùm indifferentia determinationi opponatur, & indifferens determinato secundùm diuersitatem determinationis, erit distinguenda indifferentia, quæ in potentia reperitur. Est autem duplex determinatio: prima est naturalis, qua agens determinatur ad vnum ex necessitate absoluta, sicut ignis per calorem ad calefaciendum: secunda est determinatio libera, quam habet voluntas, quando actualiter operatur, tunc enim liberè determinat se ad talem operationem secundùm modum eiusdem liberæ voluntatis, quæ ita vult operari istum actum determinatum, vt liberam retineat facultatem, qua possit operari oppositum, si velit, aut non operari. Proportionabiliter distinguenda est duplex indifferentia, seu indeterminatio potentiæ, altera, quæ opponitur determinationi naturali, quæ est determinatio ad vnum ex necessitate, & hæc est de essentia libertatis, implicat enim, potentiam esse liberam in exercitio, & esse determinatam ad vnum naturaliter. Vnde liberum arbitrium, vt disputat. 115. & 116. patebit, non solùm habet istam indifferentiam priùs natura quàm operetur, sed etiam in ipso instanti, in quo actum liberum producit. Altera verò est indifferentia, quæ opponitur determinationi liberæ, & importat quamdam potentialitatem, vel suspensionem actus liberi, & hãc indifferentiam habet voluntas toto tempore, quo nihil operatur, nec præmouetur efficaciter à Deo ad aliquid operandum: quia tunc nec determinatur per actum liberum, nec per motionem efficacem, ad quam media potentia libera sequitur talis actus: & hæc indifferentia non est de ratione libertatis, sed potiùs imperfectio competens ei, quãdo est priuata actu secundo, ad quem est in potentia, etenim magis perfecta est voluntas, & eius libertas, quãdo est libera in actu secundo, quàm dum solùm est libera in actu primo. Præterea, nam si talis indifferentia esset de essentia libertatis, voluntas non esset libera, quando actualiter producit actum liberum, quia iam est determinata per talem actum. Præterea, idem ostenditur ratione euidenti. Nam Deus est perfectissimè liber in his, quæ vult, aut operatur ad extra, & tamen nullam prorsus habet indifferentiam, quæ potentialitatem includat, aliàs non esset summè perfectus, aut purus actus: ergo talis indifferentia non est de essentia libertatis, sed imperfectio competens ei, secundùm quòd reperitur in intellectuali natura creata, & mutabili, quæ de potentialitate ad actum procedit.

XXXVII. Notandũ secũdò, quòd vtraque determinatio siue naturalis, siue libera adhuc est duplex: altera in actu primo, siue in vltimo complemento actus primi, & hæc præintelligitur actuali operationi causæ secundæ. & dicitur prædeterminatio, quia ordine dumtaxat causalitatis præcedit prædeterminationem eiusdem potentiæ in actu secundo; & hæc fit extrinsecè quidem per efficacem Dei voluntatem, intrinsecè verò per motionem præuiam, qua vnaquæque causa secunda iuxta modum suæ naturæ præmouetur efficaciter, & applicatur à Deo ad suam operationem. Altera verò dicitur determinatio in actu secundo, quæ formaliter fit per ipsam operationem causæ secundæ.

Ex his respondetur facilè, quòd indifferentia opposita determinationi naturali, seu determinationi ad vnum ex necessitate, est de intrinseca ratione libertatis, non autem indifferentia, quæ opponitur determinationi liberæ, qualis est prœuia determinatio voluntatis, seu prædeterminatio, quæ fit per auxilium prœmouens voluntatem efficaciter ad ipsam operationem.

Sed contrà. Determinatio voluntatis est operatio voluntatis: ergo si Deus prædeterminat voluntatem antecedenter ad eius concursum, actus voluntatis erit à solo Deo, eadem voluntate merè passiuè se habente. Respondetur, quòd determinatio voluntatis in actu secundo est formaliter operatio eiusdem voluntatis, & hæc non fit à solo Deo, sed à Deo & à libero arbitrio, moto ab ipso Deo: Determinatio autem voluntatis in actu primo, siue in vltimo complemento actus primi, non est formaliter operatio voluntatis, sed aliquid prœuium. Vnde non sequitur, quòd actio libera voluntatis sit effectiuè à solo Deo, aut quòd volũtas merè passiuè se habeat. Licèt enim se habeat passiuè, quatenus recipit auxilium, & motionem prœuiam, in ordine tamen ad terminum motionis, qui est libera operatio, se habet actiuè & liberè: dicit enim sanctus Augustinus: *Intelligant, qui filij Dei sunt, spiritu Dei se agi, vt quod agendum est, agant, & cùm egerint, illi, a quo aguntur, gratias agant, agunt enim, vt agant, non vt ipsi nihil agant.* & idem repetit aliis pluribus in locis disputatione 18 num. 6. allegatis, Si dicatur: nam volitio, cùm sit actio immanens, recipitur in potentia eliciente; ergo liberum arbitrium, etiam in ordine ad volitionem, se habet passiuè, respondetur, quòd per prius se habet actiuè, liberè producendo volitionem, & secundariò passiuè, quatenus in se recipit volitionem, quam producit.

Ad confirmationem respondetur, quòd vt voluntas sit libera in ordine ad aliquam operationem, necesse est, quòd efficienter se determinet ad illam, non tamen oportet, quòd sit simpliciter primum se determinans: nam hoc est proprium primi liberi, quod est Deus. Voluntas ergo creata se determinat in actu secundo, prædeterminata tamen à Deo in vltimo complemento actus primi per auxilium efficax, sicut voluntas se mouet; sed tamen non est simpliciter primum se mouens, sed mouet se, mota à Deo, vt suprà dictum est. Sicut autem est de ratione liberi arbitrij, quòd se determinet, ita est de eius ratione, quòd se moueat; ergo quemadmodum potest seipsum mouere absque eo quòd sit primum se mouens, ita poterit seipsum liberè determinare, absque eo quòd sit simpliciter primum se determinans. Et cùm arguitur, nam quod est iam determinatum, non se determinat, &c. respondetur, antecedẽs esse verum, loquendo de eo, quod est omnibus modis determinatum, præsertim in facto esse, nihilominùs, quod in priori natura est determinatum à Deo in vltimo complemento actus primi, potest seipsum determinare in actu secundo. Vnde prius natura, quàm voluntas seipsam determinet per suã operationem liberam, intelligitur indifferens, seu indeterminata à se ipsa per eandem operationem liberam. Vel dicendum, quòd liberum arbitrium determinatur à Deo tanquam à causa prima, & se determinat, vt causa proxima suæ operationis, & ad illam propositionem: Omnis determinatio præsupponit in ipsa potentia indeterminationem, respondetur, id esse verum, loquendo

XXXVIII. Determinatio voluntatis in actu secundo, est idem quod actus voluntatis, nõ autem determinatio prœuia.

Augustin. lib. de corrept. & grat. c. 9.

Voluntas se determinat, sed nõ est primũ se determinans.

de essentia libertatis quale sit.

Indifferentia est duplex, sicut & determinatio, altera naturalis, altera libera.

Determinatio, & indifferentia duplex, altera in actu primo, altera in actu secundo.

Indifferentia, quæ est

quendo de determinatione, & indeterminatione reſpectu eiuſdem cauſæ. Vnde priùs quam voluntas creata ſe determinet in actu ſecundo, vt cauſa proxima, intelligitur indeterminata à ſeipſa, & à quacunque alia cauſa proxima : cum hoc tamen ſtat, quòd præintelligatur prædeterminata in fieri, ſeu prædeterminari à Deo, tanquam à prima cauſa, à qua primò incipit omnis determinatio cuiuſcumque cauſæ ſecundæ, vt diſp. 89. & 98. patebit.

XXXIX. Ad ſextum argumentum reſponſum eſt iam aliqua ex parte diſputa. 18. nu. 23. ad ſeptimum argumentum, & nunc dicimus, id eſſe de ratione potentiæ liberæ, vt poſitis omnibus requiſitis ad operandum, poſſit operari, & non operari abſolutè, & ſimpliciter loquendo : non tamen inconuenit, quòd ex ſuppoſitione voluntatis diuinæ efficacis, non poſſit in ſenſu compoſito non operari actum illum, ad quem prædeterminatur à Deo, vt diſputatione 25. & 115. manifeſtum fiet. Deus ergo, prædeterminando noſtram voluntatem ad aliquem actum determinatum non tollit ab ea potẽtiam ad oppoſitum, vt diſp. 18. nu. 23. dictum eſt, ſed ſolùm tollit actum oppoſitum, & efficit, vt homo infallibiliter velit actum à Deo prędeterminatum. Vnde libera manet in exercitio in ordine ad illum actum : cuius ratio eſt, quam aſſignat S. Tho. nam Deus non ſolùm prædeterminauit, vt voluntas velit tale obiectum, ſed etiam prædefiniuit, vt liberè illud velit. Quare ex eo, quòd liberum arbitrium creatum non poſſit reſiſtere efficaci Dei voluntati, ſequitur, quòd non ſolùm fiant ea, quæ Deus fieri vult, ſed quòd fiant contingenter, vel neceſſariò, quæ ſic fieri vult.

Voluntas, poſitis omnibus requiſitis ad operandũ, poteſt abſolute non operari.

S. Tho. 1. p. q. 19. art. 8. præſertim in ſol. ad 1. & 1. cont. Gent. c. 35. ratione 4.

Ad ſeptimum argumentum reſpondetur, neceſſitatem abſolutam opponi libertati, non autem neceſſitatem ex ſuppoſitione, ſiue in ſenſu compoſito, vt diſp. 25. patebit.

Ad octauum reſpondetur, negando antecedens ſumptum vniuerſaliter, & inſtantia eſt manifeſta in negatione Petri quæ ſimpliciter, & abſolutè fuit libera, quamuis non fuerit conſtitutum in eius poteſtate tollere, vel ponere ſuppoſitionem illam antecedentem, videlicet dictum Chriſti Domini : *Antequam gallus cãtet, ter me negabis* : ex qua ſuppoſitione neceſſariò conſequebatur negatio Petri neceſſitate quadam, non quidem abſoluta, ſed illationis, & infallibilitatis, alias enim Chriſtus Dominus mẽdacium dixiſſet : quod repugnat, cùm ſit per eſſentiam prima veritas, quæ fallere non poteſt, aut falli. Similiter etiam conuerſio gentium fuit libera, & tamen neceſſariò ſequuta eſt, ad promiſſionem Dei, quæ quidem promiſſio non erat in poteſtate gentium. Et, ſi argumentum aliquid concluderet, etiam procederet contra auctores oppoſitæ ſententiæ, & probaret, conuerſionem non eſſe homini liberam, quia neceſſariò ſequitur neceſſitate conſequentiæ ad vocationem congruam, quæ non eſt in poteſtate hominis, ſed ſolùm in poteſtate Dei.

Luc. 22.

Reſpondetur ergo, quòd, quando ſuppoſitio antecedens tenet ſe ex parte primæ, & vniuerſaliſſimę cauſæ, ſcilicet Dei, bene poteſt aliquid eſſe neceſſarium ex ſuppoſitione reſpectu creatæ voluntatis, & liberum illi ſimpliciter, quamuis non ſit in poteſtate illius tollere, vel ponere ſuppoſitionem, ex qua neceſſariò, neceſſitate infallibilitatis, conſequitur. Secus autem contingit, quando ſuppoſitio antecedens tenet ſe ex parte alicuius cauſæ creatæ extrinſecæ à voluntate. Et ratio diſcriminis eſt, nam, vt 3. cont. Gent. cap. 88. & 89. & aliis in locis docet S. Thom. ſolus Deus propter ſuam infinitatem, & omnipotentiam, quia eſt auctor voluntatis creatæ, poteſt illam immutare cõformiter ad ſuam naturam, & mouere efficaciter, atque applicare, ad producendum actum in particulari, non ſolùm ſecundùm ſubſtantiam, ſed etiam ſecundùm modum libertatis; quod tamen non poteſt aliqua cauſa creata, quia eſt limitata, & finita, atque inferior ad ipſam voluntatem. Videatur circa iſtam ſolutionem S. Thom. 1. p. quæſt. 22. artic. 4. & 3. cont. Gent. cap. 148.

S. Thom. 1. p. q. 106. ar. 1. & q. 111. art. 2.

Ad confirmationem reſpondetur, negando aſſumptum. Dicimus enim, quòd, ſi Deus vellet abſolutam neceſſitatem inferre voluntati, comparatione alicuius actus, id poſſe efficere eam phyſice prædeterminando ad vnum, medio iudicio, quo iudicaret actum, ſeu bonum illud, quod proſequitur, habere neceſſariam connexionem cum bono in communi ad quod voluntas eſt naturaliter determinata, ſicut contingit in viſione beatifica, vt ad ſecundam confirmationem ſequentis argumenti patebit. Et extra viſionem beatificam poſſet etiam voluntati neceſſitatem inferre, illam phyſicè prædeterminando ad vnum, abſque iudicio rationis indifferenti, ſicut contingit in motibus primò primis.

XL. Ad nonum reſpondetur, quòd S. Thomas tacito nomine Anſelmi, idem argumentum in terminis proponit, & diſſoluit 1. parte quæſtione 194. articulo 8. vbi in tertio argumento ſic arguit. *Illud, quod habet neceſſitatem ex priori eſt neceſſarium abſolutè, ſicut animali mori, eſt neceſſarium; quia eſt ex contrariis compoſitum : ſed res creatæ à Deo comparantur ad voluntatem diuinam, ſicut ad aliquid prius, à quo habent neceſſitatem, cùm hæc conditionalis ſit vera, ſi Deus aliquid vult, illud eſt. Omnis autem cõditionalis vera eſt neceſſaria: ſequitur ergo, quod omne, quod Deus vult, ſit neceſſarium abſolutè.* Ad quod tamen argumentum reſpondet, *quòd poſteriora habent neceſſitatem à prioribus ſecundum modum priorum, vnde & ea, quæ fiunt à voluntate diuina, talem neceſſitatem habent, qualem vult Deus ea habere, ſcilicet, vel abſolutam, vel conditionatam tantùm, & ſic non omnia ſunt neceſſaria abſolutè.* Nec ſanctus Anſelmus eſt contrarius, ſed potiùs fauet noſtræ ſententiæ : nam capite ſecundo allegato, paulò poſt principium, expreſsè docet, quod neceſſitas ex ſuppoſitione diuinæ voluntatis nõ tollit libertatẽ à noſtris actibus. ſic enim ait : *Quando Deus vult effectum ſequi voluntatem, tunc neceſſe eſt, voluntatem eſſe liberã, & eſſe quod vult.* Et tamen certum eſt, decretum diuinæ voluntatis, & conſequenter neceſſitatem ex ſuppoſitione talis decreti antecedere actum noſtræ voluntatis. Item idem Anſelmus libro ſecundo, Cur Deus homo, cap. 27. in quo etiam conſtituens illam duplicem neceſſitatem antecedentem, & conſequentem, ait, Fuiſſe neceſſe Chriſtum pati, quia ſcriptum id erat, non tamen fuit neceſſarium ſimpliciter : ergo admittit neceſſitatem ex ſuppoſitione antecedente cum libertate : nam Scripturæ anteceſſerunt voluntatem humanam Chriſti. Et ad auctoritatem Anſelmi inductam in contrarium reſpondetur, quòd, vt conſtat ex ipſo contextu, loquitur de neceſſitate antecedente, quæ eſt neceſſitas ſimpliciter, & facit cauſam ſecundam operari ſine proprio conſenſu, & abſque vlla deliberatione rationis, nam ponit exemplum in motu cœli, capite decimo ſeptimo citato, vbi ſic ait : *Neceſſitas præcedens cauſat neceſſitatem, ſicut neceſſe eſt cœlum volui : præcedens, & efficiens neceſſitas eſt cœlum volui; quia neceſſe eſt vt voluatur.* Et poſt pauca. *Violentia naturalis conditionis cogit cælum volui, te verò nulla neceſſitas facit loqui.* Neceſſitas autem futuri conſenſus, quæ deſumitur ex antecedenti decreto voluntatis diuinę, non eſt neceſſitas abſoluta, ſed conditionalis, & ſecundùm quid, vt ſuprà dictum eſt, vnde actus noſtri liberi arbitrij, qui neceſſa

cessariò sequuntur ex huiusmodi suppositione, non sunt simpliciter necessarij, sed liberi: vt ex communi sententia antiquorum, disputatione 25. patebit.

Ideo autem sanctus Anselmus nomine necessitatis antecedentis, intellexit necessitatem absolutam seu naturalem, quia hæc necessitas antecedit omnem suppositionem, & sumitur ex natura rei, siue ex ipsa connexione extremorum secundùm se, sicut necesse est cœlum volui; quia motus non habet liberam, & naturalem connexionem cum cœlo, nomine autem necessitatis consequentis significare voluit necessitatem conditionalem, seu necessitatem consequentiæ, quia talis necessitas non est absoluta, nec competit subiecto ex natura rei, sed solùm consequitur ad talem suppositionem, vel conditionem, ex qua necessariò infertur id, quod ex tali suppositione, vel conditione dicitur necessarium necessitate secundùm quid, licèt absolutè, & secundùm se, sit liberum, aut contingens, vt disputatione 25. patebit, in hoc sensu explicat S Thomas qualitatem antecedentem, & consequentem 1.2. quæstione 17. articulo 7. ad 2. vbi ait: *Qualitas corporalis dupliciter se habet ad actum appetitus sensitiui. Vno modo, vt præcedens prout aliquis est aliqualiter dispositus secundùm corpus ad hanc, vel illam passionem. Alio modo, vt consequens: sicut cùm ex ira aliquis incalescit. Qualitas igitur præcedens nõ subiacet imperio rationis; quia vel est ex natura, vel ex aliqua præcedente motione, quæ non statim quiescere potest: sed qualitas consequens sequitur imperium rationis, quia sequitur motum localem cordis, quod diuersimodè mouetur secundùm diuersos actus sensitiui appetitus.* Sicut ergo sanctus Thomas per qualitatem præcedentem intelligit qualitatem naturalem, & per qualitatem consequẽtem intelligit qualitatem, quæ sequitur imperium rationis, ita & sanctus Anselmus per necessitatem antecedentem intellexit necessitatem naturalem, quæ est necessitas absoluta: per necessitatem autem consequentem intellexit necessitatem conditionatam, seu necessitatem consequentiæ, vel ex suppositione. Et priorem necessitatem docet repugnare libertati, non verò necessitatem posteriorem. Confirmari potest hæc explicatio alio exemplo. Nam sanctus Damascenus distinguit voluntatem Dei in voluntatem antecedentem, & voluntatem consequentem; in qua diuisione, vt disputatione 34. patebit, omnes fere Scholastici, & præsertim sanctus Thomas 1. par. quæstione 19. articulo 6. ad primum; per voluntatem antecedentem intelligunt voluntatem, quæ fertur in obiectum absolute consideratum, & secundum se, & per voluntatem consequentem intelligunt illam, quæ fertur in obiectum cum omnibus adiunctis & circunstantiis. Sic ergo sanctus Damascenus per necessitatem antecedentem intellexit illam, quæ est necessitas absoluta, & secundùm se, & per necessitatem consequentem intellexit necessitatem illam, quæ non est absoluta necessitas, sed conditionata, quæ sequitur ex aliquo adiuncto, vel præsuppositio. In quo sensu dicit Augustinus: *Orandus est vt velit*, scilicet Deus: *nam si vult, necesse est esse.* vbi verbum necesse sumitur pro necessitate non quidem absoluta, quæ repugnat libertati, sed pro necessitate conditionata, vel consequentiæ, quæ libertati non obstat. Hæc enim consequentia est bona, & consequenter necessaria: Deus vult, hoc esse, ergo erit: eo scilicet modo, quo Deus voluit fieri nempe liberè, & contingenter, si consequens fuerit liberum, & contingens, aut necessariò, si consequens fuerit necessarium. Sic interpretatur verba Augustini sanctus Thomas 1. par. quæstione 19. articulo 8. ad 1. Videantur, quæ circa vtramque necessitatem dicemus disp. 25.

Necessitas absoluta quare dicatur, necessitas antecedens.

Damascen. lib. 2. de fide orthodoxa, cap. 29.

Aug. in Enchir. c 103 tom. 3.

XLI. Secundò respondetur, & fortè clariùs ad verba Anselmi, quòd necessitas ex suppositione voluntatis diuinæ, non est necessitas antecedens, sed potiùs consequens causam rei: licèt enim antecedat causam secundam, quæ est voluntas creata, non tamen antecedit causam primam simpliciter, scilicet voluntatem diuinam, quæ magis influit in effectum, quàm causa secunda, & attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter, sed consequitur illam. Sicut ergo necessitas ex suppositione liberi influxus creatæ voluntatis, non tollit ab actibus illius, sed potiùs causat libertatem, quoad exercitium actus, quia hæc necessitas desumitur ex causa secunda eorumdem actuum; ita à fortiori necessitas ex suppositione voluntatis diuinæ, cuius virtus perfectiùs operatur, & vehementiùs influit, atque attingit effectum secundùm omnem substantiam, & modum illius; non tollit, sed potiùs causat libertatem in actibus humanis. Vnde August. libro de corrept. & gratia, capite 14. inquit: *Cui volenti saluum facere, nullum hominum resistit arbitrium. Sic enim velle, vel nolle, in volentis aut nolentis est potestate, vel diuinam voluntatem non impediat, nec superat potestatem.* Et infrà: *Non est itaque dubitandum voluntati Dei, qui in cœlo, & in terra omnia, quæcumque voluit, fecit: & qui etiam illa, quæ futura sunt, fecit, humanas voluntates non posse resistere, quo minus faciat ipse quod vult, quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod vult, facit.* Et in fine eiusdem capitis inquit: *Deus magis habet in potestate voluntates hominum, quam ipsi suas.*

Necessitas ex suppositione voluntatis diuinæ est consequens causam rei.

XLII. Ad primam confirmationem ex auctoritatibus sancti Thomæ respondetur, nihil esse clarius in eius doctrina, quam quòd necessitas, ex suppositione diuinæ voluntatis non tollat ab humanis actibus libertatem, & contingentiam, vt patet ex his, quæ docet, 1. par. quæstione 19. articulo 8. ad 3. & 1. con. Gen. cap. 85. in ratione 4. atque in aliis locis disputatione 25. allegandis. Loca autem adducta in contrarium non videntur ad propositum, nam in 3. par. expressè loquitur de necessitate priori, quæ sumitur ex causa particulari efficiente, vel mouente, non autem de necessitate antecedente, quæ sumitur ex efficacia primæ & vniuersalissimæ causæ. Quin potiùs in eodem loco apertè docet, cum hac necessitate saluari arbitrij libertatem; nam admittit necessitatem ex suppositione æternæ prædefinitionis Dei, cum libertate Christi Domini, qui liberè acceptauit mortem. similiter in alio loco ex libro 2. cont. Gent. apertè loquitur de necessitate, quæ sumitur ex causis proximis, quando operantur per modum naturæ, vt patet ex ipso contextu, in quo sermonem facit de necessitate priori, orta ex causa materiali, vel formali, quæ sunt principia essentialia, & naturaliter suos causant effectus. Similiter etiam loquitur de causis efficientibus, vel mouentibus naturaliter, non autem de prima causa simpliciter. Locus verò adductus ex q. 6. de malo, procedit de dispositione naturali determinante, & de hac inquit S. Thom. quòd facit actum necessarium: sed intelligitur, quoad specificationem, & ex parte obiecti, non autem, quantùm ad exercitium, vt constat ex fine corporis articuli, & ex his, quæ dicit p. 2. quæstione 9. articulo 5. vbi expressè docet, quantùm ad exercitium actus, neque à corporibus cœlestibus, neque ab appetitu sensitiuo

S. Tho. sententia circa necessitatẽ ex suppositione voluntatis diuinæ & contingentiam rerum.

Digitized by Google

ſenſitiuo poſſe voluntatem efficienter moueri.

XLIII. Ad ſecundam confirmationem reſpondetur, aliud eſſe, aliquem actum eſſe neceſſarium, ſuppoſito hoc vel illo; aliud verò eſſe neceſſarium ex ſuppoſitione. Amor ergo beatificus circa Deum eſt neceſſarius, quantùm ad exercitium ſuppoſita viſione beatifica, ad quam ſequitur, quia niſi beati viderent Deum per eſſentiam, non ex neceſſitate illum diligerent; illa tamen dilectio non dicitur neceſſaria ſolùm ex ſuppoſitione, ſed abſolutè, & ſimpliciter. Cuius ratio eſt, quia fertur in Deum medio iudicio, quo intellectus iudicat, ſummum illud bonum habere neceſſariam connexionem cum bono in communi, ad quod naturaliter determinatur voluntas, ac per conſequens eſſe neceſſariò amandum. vnde voluntas videntis Deum per eſſentiam, ex neceſſitate diligit illum, & non liberè. Hæc autem ratio non procedit de actibus, quos voluntas producit in via, quamuis ſint neceſſarij ex ſuppoſitione diuinæ voluntatis. Etenim decretum Dei non prædeterminat, nec mouet voluntatem creatam ad illos, medio iudicio, naturaliter ad vnum determinato, ſed medio iudicio rationis indifferenti, quo videlicet intellectus iudicat bonum illud proſequendum non habere neceſſariam connexionem cum bono, ad quod amandum eſt naturaliter determinata voluntas. licèt enim libertas ſit formaliter in voluntate, radicaliter tamen originatur & fundatur in indifferentia obiecti, & iudicij rationis, quo proponitur voluntati, vt amandum, ſicut in diſputatione 18. numero 25. explicatum eſt.

Actus liber quomodo dicatur neceſſarius ex ſuppoſitione.

Et per hæc reſpondetur ad tertiam confirmationem, quòd motus primò primi, & quæ fiunt in ſomno, procedunt ab homine naturaliter abſque iudicio rationis: & ideo non ſunt actus liberi, eò quòd inaduertentia naturalis, & ſomnus, qui ſupponitur, priuant hominem vſu rationis in ordine ad tales actus. Cæterùm decretum efficax diuinæ voluntatis, & prædeterminans noſtrum liberum arbitrium ad conſenſum, non priuat hominem rationis iudicio, ſed potiùs applicat eius voluntatem ad operandum medio rationis iudicio, in quo radicatur formalis libertas voluntatis, vt dictum eſt; vnde non eſt ſimile.

XLIV. Ad decimum reſpondetur, quòd vt voluntas ſit libera, debet quidem habere dominium ſui actus, non tamen oportet, quòd habeat primum & abſolutum illius dominium, vt diſput. 117. manifeſtum fiet: hoc enim dominiũ retidet ſolùm apud Deum, qui eſt primum liberum à quo intrinſecè omnis libertas creata dependet. Vnde S. Thom. in 2. ſent. diſtinct. 25. quæſtione 1. articulo 1. ad tertium argumentum, loquens de libero arbitrio creato ſic ait: *Determinatio actionis, & finis in poteſtate liberi arbitrij conſtituitur, vnde remanet ſibi dominium ſui actus, licèt non ita, ſicut primo agenti.* Quibus verbis docet, dominium, quod habet liberum arbitrium creatum ſupra ſuos actus, eſſe ſubiectum, & ſubordinatum primo & abſoluto Dei dominio, quod etiam docet 3. cont. Gent. capite 169. cuius verba adducemus diſput. 117. numero 7. Sicut ergo voluntas creata ſe mouet ad ſuas operationes, ſed non eſt primum ſe mouens ſimpliciter, ita ſimiliter habet dominium ſui actus, ſed non primum dominium. Et ad auctoritatem S. Thom. ex ſolutione ad primum reſpondetur, quòd, cùm inquit, in Deo eſſe liberum arbitrium, quia determinatio ſui actus non eſt ſibi ab alio, ſed a ſeipſo, per iſtam cauſalem non ſolùm probat, quòd in Deo ſit liberũ arbitrium, ſed etiam quod ſit in eo liberum arbitrium perfectiſſimum, & abſolutum, & omnino independens ab alio, quia non habet aliam cauſſam ſuperiorem, à qua determinetur ad ſuos actus: liberum autem hominis arbitrium, quia creatum eſt, licet determinet ſibi ſuum actum, illum tamen determinat prædeterminatum à Deo, iuxta modum ſuæ naturæ, ſicut ſe mouet, motum tamen à Deo: ſed de hoc in diſput. 117. agendum erit.

Volũtas libera habet dominium ſui actus, ſed nõ primum.

Secundò reſpondetur, ex illa ratione ſolùm concludi, quòd, vt homo ſit liberi arbitrij, neceſſariò requiritur, quòd determinatio ſui actus non inſit ſibi ab alio tanquam a cauſa proxima efficiente, ipſo libero arbitrio merè paſſiue ſe habente, ſed à ſeipſo, tanquam à principio proximo, actiuo, ſe mouente: cum hoc tamen ſtat, quòd primum principium, & prima radix huius determinationis ſit a Deo. Hæc ſolutio habet magnum fundamentum in S. Thom. 1. p. q. 105. ar. 4. ad 2. vbi ait: *Moueri voluntariè ejus mouere ex ſe, id eſt, à principio intrinſeco, ſed illud principium intrinſecum poteſt eſſe ab alio principio extrinſeco, & ſic moueri ex ſe non repugnat ei, quod mouetur ab alio.* Et in ſolutione ad 3. ſubdit: *Si voluntas ita moueretur ab alio, quòd ex ſe nullatenus moueretur, opera voluntatis, non imputarentur ad meritum, vel demeritum: ſed quia per hoc, quod mouetur ab alio, non excluditur, quin moueatur ex ſe, vt dictum eſt, ideo per conſequens non tollitur ratio meriti, vel demeriti.* Eandem ſolutionem tradit quæſt. 83. eiuſdem 1. p. art. 1. ad 3. & quæſt. 3. de malo, art. 2. ad 4. vbi ait: *Cùm liberum arbitrium mouet ſeipſum, non excluditur, quin ab alio moueatur, a quo habet hoc ipſum, quod ſeipſum mouet.*

Moueri ex ſe dupliciter contingit.

DISPVTATIO XXIII.

Vtrùm Deus præuia motione voluntati creatæ inhærente, eam ad modum cauſæ phyſicæ moueat, applicet, ſeu prædeterminet ad omnes ſuos actus bonos in particulari ſalua ipſius libertate.

VÆSTIO hæc, vt initio præcedentis diſputationis notaui, non eſt de nomine prædeterminationis phyſicæ, quamuis & ipſum nomen quoad vtramque partem valde antiquum ſit, & a Patribus, & Doctoribus Scholaſticis, vt ſuprà oſtenſum eſt, vſurpatum) ſed de re ipſa quæ hoc nomine ſignificatur. Vt ergo diſtinctè, & ſine vocis ambiguitate, vel æquiuocatione procedamus tam in noſtræ ſententiæ confirmatione, quam in confutatione contrariæ, oportet ſupponere prius quid nomine phyſicæ prædeterminantis liberum arbitrium, vt velit, intelligatur. I.

Quidam Theologi ex his, qui eiuſmodi prædeterminationem impugnant, ſtatum quæſtionis verbis ambiguis referunt, & ſententiæ Thomiſtarum aliqua ſuperaddũt, quæ ſi prætermitterẽtur, facilior eſſet, & planior ſenſus, & difficilius poſſent phyſicã prædeterminationem impugnare. Cùm enim explicant, quid prædeterminationis phyſicæ nomine ſignificetur, ſic loquuntur. Hæc igitur determinatio phyſica dicitur eſſe forma quædam voluntati impreſſa, quæ cum illa cõplet principium proximum actus volantatis. Dicitur autem hæc forma eſſe determinatio voluntatis, non ſolùm quia ad vnum inclinat, quoad ſpecificationem, ſed quia *omnino determinat illam* ad exercitium actus. Et paucis interiectis. Hæc autem motio, ſeu forma, de qua nunc diſputamus, quæ ſupra omnem habitum, & facultatem

Digitized by Google

tatem permanentem voluntatis additur, dicitur esse determinatio eius, quia illa posita, statim infallibiliter prodit volũtas in actum ad quẽ ipsa mouet, vel inclinat. Denique dicitur determinatio physica primò quidem, vt significetur, & declaretur illud genus determinationis & infallibilis emanationis actus secundi à voluntate sic affecta, & determinata, *non quidem prouenire ex aliqua causa morali*, sed ex intrinseco, & connaturali modo operandi talis formæ, quæ sicut in suo genere est causa physica sui actus, ita *ex natura sua est omnino determinata ad affectionem actualem eius*: & ideo, dum voluntati inhæret, illam simul determinat, & est quasi intrinsecum pondus eius à quo *omnino determinatur ad agendum eundem actum*, & ideo etiam dicitur hæc determinatio physica, vt distinguatur à determinatione morali, quæ non prouenit ex physico *& naturali modo agendi*, sed ex morali aliqua persuasione vel effectione; & ideo non est simpliciter determinatio nec infallibilis, sed secundum quid. In quibus verbis aduertimus primò, illud aduerbium, *omnino* in nullo Thomistarum, quem ego viderim, reperiri. Neque enim asserunt, Deum, motione præuia physicè prædeterminare, *omnino*, liberum arbitrium ad determinatam operationem, & multò minùs dicunt, quòd forma, qua mouetur voluntas, sit *ex natura sua omnino determinata* ad affectionem actualem huius actus: sed sine illo additamento affirmant, Deum actuali motione physicè, id est, verè efficienter præmouere, applicare, & prædeterminare efficaciter voluntatem ad talem operationem, salua eius libertate. Sed quantum detrimenti illud additamentum afferat, ex eo colliget pius lector nã cùm dicitur, Deum actuali motione præuia physicè prædeterminare, *omnino*, voluntatem ad consensum; significari videtur Deum eadem motione ita voluntatem prędeterminare ad consensum, vt ipsa voluntas non se determinet, nec possit dissentire, si velit; quod alienum est à sensu, & sententia, nedũ Thomistarum, sed etiam omnium Catholicorum. Secundò, aduertimus, auxilium præuium, de quo loquimur, non appellari à nobis formam voluntati impressam; quoniam hoc nomen significare videtur qualitatem constituentem potentiam in actu primo: sed proprio vocabulo dicitur motio actualis, qua Deus verè efficienter facit, vt liberum arbitriũ operetur actum liberũ determinatum cum vera, & expedita facultate, qua potest illum non operari, si velit, vt disput. 18. num. 23. dictum est. Item etiam, cùm Thomistæ dicunt, Deum suo auxilio efficaci physicè prędeterminare volũtatem ad actum bonum, non excludunt motionem moralem, sed eam præsupponunt.

Reiectis ergo vocabulis, quæ obscuritatem, & æquiuocationem ingenerant, & sententiam Thomistarum duram reddere videntur, ac difficilem, sensus planus huius disputationis est: vtrùm Deus, non solùm decreto absoluto, & efficaci suæ voluntatis, de quo in præcedenti disputatione egimus; sed etiam præuia motione actuali, causis secundis præsertim liberis inhærente, illas applicet ad operandum ac verè efficienter, & efficaciter faciat easdem causas concurrere, & operari talem actum in particulari, quod est eas physicè determinare, seu prædeterminare ad operandum non quidem prioritate temporis, sed prioritate rationis dumtaxat, & causalitatis, ita videlicet, vt Deus sit, qui priùs verè efficaciter incipiat operari, quàm nos illi cooperemur: & consequenter causalis ista sit vera: Quia Deus operatur, liberum nostrum arbitrium cooperatur illi. Hoc enim, & nihil aliud significatur nomine motionis Dei physicè prædeterminantis liberum arbitrium ad operandum talem actum in particulari. Quam motionem aliqui Theologi physicam in abstracto prædeterminationem appellant: quæstio tamen est de motione physicè prædeterminante in concreto. Si ergo sit inter nos consensus, Deum actuali motione præmouere, & applicare modo prædicto liberum arbitrium ad operandum, ac verè efficienter & efficaciter, *absque præiudicio libertatis facere, nos velle hoc, vel illud*, vt loquitur S. Thom. parum de nomine physicæ prædeterminationis curabimus. Nam cum de re constat, non est de nomine litigandum. S. Tho. 1. cont. Gẽt. cap. 89. in princ.

Illi ergo Doctores Theologi, qui sentiunt Deum antecedenter ad prescientiam mediam cooperationis liberi arbitrij futuræ ex hypothesi, non prædeterminasse in particulari absoluto, & efficaci decreto, actus nostros liberos, nec prædeterminare potuisse, salua eorundem actuum libertate, vt disputatione præcedenti visum est, consequenter docent, Deum actuali motione non præmouere, vel applicare, aut physicè prędeterminare liberum arbitrium ad actus bonos in particulari: & insuper addunt, cum tali motione prædeterminante cohærere non posse actualem vsum eiusdem arbitrij in suis operationibus. Eandem sententiam defendunt alij nonnulli Doctores, etiam ex his, qui fatentur Deum absoluto, & efficaci decreto prædeterminare hominis voluntatem ad suos actus in particulari, salua eorum libertate.

Argumenta, quibus conuincuntur, partim fundantur in illo principio, quod sibi persuaserunt esse notissimum in Philosophia, cùm tamen reuerà illi aduersetur, videlicet, cõcursum Dei generalem non esse influxum immediatum in causam secundam; sed cum causa secunda in illius effectum; quorum argumenta disput. 18. proposita sunt à nobis, & soluta; partim verò desumuntur ex eisdem principiis quibus disputatione præcedenti contendebant probare, prædeterminationem extrinsecam per absolutam, & efficacem Dei voluntatem, de medio tollere creati arbitrij libertatem, quantum ad actualem vsum illius.

Præterea id probant. Voluntas nostra ex sola generali ratione causę secũdæ, & subordinatione essẽtiali ad primam causam, non indiget ad operandum hac prædeterminante præmotione: nam, vt patet in aliis causis secundis naturaliter ad vnum determinatis, sufficienter saluatur subordinatio cuiuscunque causæ secundæ, ad Deum, vt primam causam per dependentiam essentialem, quam ab illo habent, non solùm in esse, sed etiam in operari ratione concursus simultanei, siue concomitantis, qui necessarius est, vt operentur: ergo ex vi huius subordinationis, non est necessaria alia motio diuina prędeterminans: ergo superfluè ponitur vel oportebit assignare aliam rationem specialem, propter quam voluntas indigeat ad operandum huiusmodi prædeterminatione.

Confirmatur, quia non est minùs potens voluntas ad exercendos actus sibi connaturales, quàm sint aliæ causæ naturales ad actiones suas, nec potest singularis aliqua ratio in voluntate inueniri, ob quam hæc determinatio ad voluntatis actus necessaria sit potiùs, quàm ad actus reliquarum causarum: ratio enim potissima, quam assignant aduersarij est hæc. A causa indifferente, & indeterminata, inquantùm huiusmodi, nõ potest definitus prodire effectus; sed voluntas positis omnibus requisitis ex parte obiecti, & intellectus, ac suarum virium, est indifferens ad hunc, vel ad illum actum eliciendum: ergo priùs saltem natura, quam aliquem actum definitè eliciat, oportet, vt ab aliquo determinetur:

terminetur: ergo à Deo, quia nec ab alia causa potest determinari, cùm nulla habeat efficaciam in ipsam voluntatem, neque à se, quia sæpe ante determinationem ab alio receptam, inuenitur indifferens, ac proinde insufficiens ad determinationem faciendam. Hæc autem ratio supponit vnum falsum, videlicet totam nostræ voluntatis indifferentiam passiuam esse, & non actiuam, & negatiuam potius, quàm positiuam; quod sic ostenditur. Nam si voluntas, vt est prior suo actu, ita est indifferès, vt nõ possit seipsam determinare, etia positis omnibus prærequisitis ad volendum, nisi ab alio extrinseco agente, præuia motione in eadem voluntate recepta, determinetur: ergo illa indifferentia tantùm est passiua, ad recipiendum nimirum hanc, vel illam determinationem pro alterius voluntate & arbitrio; ac per consequens non esset libera, non solùm quoad vsum, sed neque quantùm ad facultatem ipsam operandi. Probatur consequentia: nam respectu talis determinationis voluntas ipsiusmet passiue se habet, & nõ actiue, cum ordine causalitatis & naturæ omnem actum eiusdem voluntatis præcedat, item quia si determinatio illa esset effectiuè à voluntate: ergo esset ab illa, vt indifferente: nam ante illam determinationem est omnino indifferens: ergo eadem ratione ipsum velle, licet esset determinatum, posset procedere à voluntate, vt indifferente.

II. Secundò arguitur. Potentia, quæ de se est actiuè & passiue indifferens, tanquam domina sui actus, potens est sua intrinseca virtute cum generali concursu primæ causæ seipsam ad suum actum determinare: ergo non indiget, quòd prædeterminetur à Deo præuia motione, vt operetur. Antecedens probatur. nam talis potentia, licèt secundùm se formaliter sit indifferens, tamen propter suam perfectionem, & eminentem virtutem, per quam habet verum, & proprium dominium sui actus, est virtualiter in actu: ergo potest seipsam per actum secundum formaliter determinare, sicut voluntas diuina, quamuis secundùm se sit indifferens in ordine ad istum, vel illum effectum producendum: seipsam tamen determinat; quia propter eminentem virtutem actiuam, quam habet, est virtualiter in actu.

Confirmatur. Voluntatem esse indifferentem secundùm se in actu primo, & determinari per actum secundũ, non inuoluit repugnantiam, quia vnus actus non includit necessariò negationem alterius, sicut materiam primam esse indifferentem in potentia passiua: & actuari, seu determinari per vnum actum formalem, non est repugnans; sed potiùs consequens & consentaneum: ergo similiter est consentaneum, quod voluntas sit actiue & perfecte indifferens, & seipsam explicet sua sponte, & intrinseca vi in vnum actum, & per illum determinetur formaliter, tam agendo, quàm recipiendo illum.

III. Tertiò arguitur. Voluntatem formaliter, ac physicè determinari, nihil aliud est, quàm velle: ergo nec potest esse ab extrinseco agente sine ipsa, nec potest esse aliquid præuium ad ipsum velle, quod sit causa efficiens eius. Antecedens patet, quia determinatio illa voluntatis intrinseca homini, illique inhærens, non est nisi in ipsa voluntate, vt in subiecto: ergo, vel est aliquid per modum actus primi, vel est actus secundus voluntatis: sed non potest esse aliquid per modum actus primi; quia non est habitus, hic enim non determinat voluntatem, sed ipsa potiùs eo vtitur, cùm vult, neque voluntas per se loquendo indiget alio actu primo, præsertim ad eliciendos actus sibi proportionatos, & naturales: quia ex se est sufficiẽter cõstituta in actu primo: ergo talis determinatio nihil aliud esse potest præter actum secundum, qui est velle, vel actio volendi, non enim excogitari potest medium inter actum primum, & secundum, neque ab Aristot. vnquam traditum est.

Confirmatur. Licèt voluntas ad actus supernaturales indigeret aliquo alio principio actiuo per modum actus primi, illud tamen subderetur libertati eius, quoad vsum: nam esset eadem ratio de illo, quæ est de habitu: ergo per talẽ actũ primum, nõ prædeterminatur voluntas ad volendum hoc, vel illud.

Quartò arguitur. Determinatio voluntatis esse debet voluntaria, alioquin non determinaretur voluntas liberè, & spontaneo modo, sed potius, vt quoddam inanimè: sed nihil potest esse voluntarium, nisi vel supponat actum volendi, per quem sit voluntarium, vel sit ipsemet actus volendi, qui per seipsum, & intrinsecè voluntarius est: ergo talis determinatio vel supponit actum volendi, vel est ipsemet actus volendi, ac per consequens non prædeterminat eundem voluntatem ad volendi actum.

Quintò arguitur. Prædeterminatio per motionem præuiam, in voluntate receptam antecedenter ad eius liberum influxum, repugnat libertati eiusdem voluntatis: ergo non est admittenda. Antecedens probatur: nam, si determinatio illa est ad operandum necessaria per modum necessarij influxus primæ causæ: ergo sine illo influxu non potest moueri voluntas, tanquam potentia proxima, & expedita ad opus, sicut non potest calefacere ignis sine concursu Dei, nec manus potest mouere calamum, nisi à voluntate, vel appetitu moueatur: nam intimiùs & essentialius dictum pendere voluntatem ab hac motione, & determinatione Dei in operatione sua, quàm dependeat motio manus à voluntate: ergo quamdiu Deus nõ dat hanc determinationem, etsi omnia necessaria ad volendum adsint, adhuc non est in voluntatis potestate positiuum velle vel operari. Probatur consequentia; quia neque est in potestate voluntatis velle sine tali determinatione, neque est in potestate eius, habere talem determinationem, vt velit: ergo nunquam ipsum velle est in potestate eius, nisi prius Deus huiusmodi determinationem tribuat; quod solum est in eius potestate, & arbitrio. Vnde ipsi Deo libera esse potest hominis motio, & determinatio, non autem ipsi homini, sicut motio manus libera est voluntati, nõ autem manui.

Confirmatur. Respectu illius determinationis voluntas nostra non est libera: nam ad illam recipiendam merè passiue se habet: posita autem illam necessariò prodit in opus, ita vt iam omnino non possit non operari: ergo nunquam habet vsum liberum suæ operationis, sed neque habere potest; ac per consequens perit ipsa etiam radicalis creatæ voluntatis libertas.

IV. Sextò arguitur. Posito in voluntate quocunque auxilio, vel motione Dei præuia, potest voluntas dissentire, & tali motioni resistere, si velit: ergo non prædeterminat illam efficaciter ad consensum. Patet consequentia: nam si prædeterminaret eam, posito illo auxilio, non posset voluntas dissentire: cùm hæc duo non possint esse simul vera; quòd motio illa prædeterminans ad consensum sit in voluntate, & voluntas dissentiat. Antecedens autem videtur expressè traditum in Conc. Trident. sess. 6. de iustificat. c. 5. & can. 4. vbi loquens de motione præuia, qua liberum arbitrium excitatur & mouetur à Deo, ad iustificationem determinat, quòd possit illam abnuere, & illi dissentire, si velit. & Conc. Senonen. in decreto fidei 15. *Nec tale*, inquit, *est Dei trahentis auxilium, cui resisti non possit, alioquin libero*

præiudicaret arbitrio. Vbi verbum resistendi, inuoluit sensum compositũ; non enim resistit voluntas motioni, qua non tangitur.

Confirmatur hoc argumentũ: nam aliàs Concil. Trid. nihil definiuisset contra hæreticos huius temporis, negantes arbitrij libertatem; illi enim facillime concederent, quòd, antequam motio Dei efficax, prædeterminans ad consensum, sit in homine, liberum eius arbitrium possit dissentire, & non operari, dummodo id concederetur illis, quòd posita illa motione in volũtate, non possit non operari actũ, ad quẽ efficaciter prædeterminatur per talẽ motionẽ.

Septimò arguitur. Sententia constituens, tanquã necessarium, auxilium prædeterminans, vt voluntas operetur, facit præcepta Dei impossibilia, contra Conc. Trident. sess. 6. cap. 11. de iustificat. & can. 18. & contra omnem sententiam Sanctorum, quorum testimonia infrà allegabimus: ergo non est admittenda. Antecedens probatur: nam, vt fatentur auctores oppositæ sententiæ, Deus ante omnium operum præuisionem denegat pro sua tantùm voluntate hoc auxilium prædeterminans omnibus his, qui non conuertuntur, aut operantur; sed sine principio actiuo necessariò nullus potest agere, aut operari: ergo omnes illi, qui non conuertuntur, aut operantur, reuerà conuerti non possunt, neque operari, aut præcepta Dei implere, præsertim cùm tale auxilium prædeterminans non sit in potestate hominis, sed solùm in potestate Dei, qui illud, quibus vult, & quando vult, confert: ac per consequens Deus præciperet homini impossibilia.

Octauò arguitur. Si, præter auxilium sufficiens, esset necessariùm ad operandum aliud auxilium efficax prædeterminans, sequeretur, nullum relinqui auxilium reuera sufficiens; consequens nullatenus est admittendum; ergo. Sequela probatur. Illud dicitur simpliciter sufficiens ad aliquem effectum, vltra quod non est simpliciter necessariũ aliud. Qui enim haberet quatuor suffragia, quibus eligeretur in Prælatum, non diceretur habere suffragia sufficientia, si præter illa essent necessaria simpliciter alia quatuor suffragia: ergo si ad hoc, vt homo actu operetur præter auxilium sufficiens, est necessarium aliud auxilium prædeterminãs, auxilium illud, quod dicitur sufficiens, non est reuerà sufficiens ad operandum, sed solo titulo erit sufficiens. Falsitas cõsequẽtis probatur ex illo 1. ad Timo. 2. *Deus vult omnes homines saluos fieri.* Ecclesiast. 15. *Ne dixeris per Deum abest, &c.* Oseæ 13. *Perditio tua Israël: tantummodo in me auxilium tuum.* Isa. 5. *Quid amplius debui facere vineæ meæ, & non feci?* Psal. 129. *Apud Dominum misericordia & copiosa apud eum redemptio.* & ex aliis locis Scripturæ, Concil. & SS. Patrum, ex quibus disput. 112. ostendemus, Deum pro loco, & tempore nulli adulto, præsertim fideli, in hac vita denegare auxiliũ sufficiens ad rectè operandum.

Nonò arguitur. Sequeretur ex opposita sententia, quòd nullus relinqueretur locus exhortationibus diuinis, & admonitionibus: hoc autem est cõtra expressa loca Scripturæ, quibus sæpius admonentur homines, vt à malo declinent, & faciant bonum. Sequela probatur: nam ideò Deus in Scriptura non hortatur omnes, vt prophetent, vel reuocent ad vitam mortuos, aut sanent insanabiles ægritudines: quia non est in hominum potestate, & arbitrio constitutum habere, vel obtinere dona, quibus hæc efficere possint; sed illa pro sua tantùm volũtate Deus, quibus vult, & quando vult, distribuit: ergo si præter auxilium sufficiens requiritur ad rectè operandum aliud efficax prædeterminans, quod habere non est in nostra potestate constitutum, sed solùm in potestate Dei, qui pro sua tantùm voluntate, quibus vult, & quando vult, illud tribuit; pari ratione non essent homines ad pœnitentiam, & ad alias rectas, aut pias operationes adhortandi.

Decimò arguitur. Qua ratione dicitur, esse necessarium auxilium prædeterminans, vt voluntas operetur actus bonos, etiam esset necessarium, vt operaretur actus peccaminosos, & intrinsecè malos; ac per consequens Deus prædeterminaret hominis voluntatem ad malum, & esset primus auctor, & causa peccati; quod tamen est contra expressa loca Scripturæ, & contra definitionem Conc. Arausic. can. 25. & Trid. sess. 6. can. 6. quæ ex professo expendẽtur disp. sequenti; ergo, &c.

VI. Oppositam sententiam docet S. Aug. & S. Thom. locis allegatis disput. præcedenti, & quæ adducentur inferiùs. Quam vnanimi consensu defendunt omnes Thomistæ, & cæteri Theologi, qui veram intelligentiam doctrinæ S. Aug. & S. Thom. sunt assequuti. Omnes enim fatentur, Deum Opt. Max. non solùm æterno, & efficaci decreto suo prædeterminasse omnes causas secundas, etiam contingentes, & liberas ad suos effectus, & operationes in particulari secundùm omnes circumstantias; sed etiam in tempore per motionem præuiam determinationi causarum secundarum, siue per auxilium efficax prædeterminare vnamquamque, iuxta conditionem propriæ naturæ, præsertim quando causæ sunt liberę, & contingentes.

VII. Pro cuius explicatione expendenda sunt imprimis, & recolẽda, quę diximus disp. 18. vbi ex professo ostendimus, concursum Dei generalem esse influxum immediatum in causas secundas, siue naturales sint, siue liberæ, & contingentes: quo Deus, tanquam primum agens simpliciter, eadem causas ad operandum mouet efficaciter, & applicat iuxta conditionem propriæ naturæ: quæ quidem motio est in ipsis causis secundis aliquid incompletum, à solo Deo efficienter productum, & distinctum realiter ab ipsa operatione causæ secundæ, vt in disp. 19. explicatum reliquimus.

Scientia media ad quid fuerit inuenta.

Secundò supponendum est, scientiam mediam à quibusdam inuentam ad concordandam libertatem arbitrij cum infallibilitate diuinæ prouidentiæ, & prædestinationis, non dari etiam in Deo, vt probauimus latissimè disp. 7. vbi ostendimus, esse impossibile, quòd Deus antecedenter, ad omne decretum suæ voluntatis, sciat certò, & infallibiliter, quid in particulari esset factura creata volũtas ex hypothesi, nimirum si constitueretur in tali ordine rerum, & in talibus circumstantiis.

VIII. Tertiò supponendum est id, quod in præcedenti disput. demonstrauimus, Deum, ab æterno, absoluto & efficaci suæ voluntatis decreto, priùs in signo rationis, quàm cognosceret, in quam partem se flecteret, vel flectet ex sua innata libertate creata voluntas, etiam ex hypothesi, quod in talibus circumstantiis constitueretur, determinasse omnes bonos actus illius futuros in tempore, & cuiuscunque causæ secundæ, integra manente, & illæsa eiusdem causæ natura, & libertate. Ex his enim tribus principiis huius controuersiæ resolutio, & vera sancti Aug. & Thom. intelligentia dependet. sit ergo

IX. PRima Conclusio. Deus motione illa præuia efficaciter applicat voluntatem creatam, vt liberè, & infallibiliter operetur, sicut etiam applicat alias causas secundas, vt naturaliter operentur. Concl. est S. Thom. quæst. 3. de potentia, articulo 7. in fin. corp. vbi ait: *Deus est causa actionis cuiuslibet, inquãtum dat virtutem agendi, & inquantum conseruat eam, & inquãtum applicat actioni, & inquantum eius virtute omnis alia virtus agit.* & 1. p. q. 105. art. 5. ad 3 ait: *Deus non solum dat formas rebus, sed etiã conseruat eas in esse,*

Motione præuia applicat Deus causas ad operandũ.

&

Digitized by Google

*& applicat eas ad agẽdũ.*Et idem docet 3.cont.Gent. c.67.in 4.ratione,& c.70.ratione 3. & videtur ſanct. Aug.lib.1.ad Sim.qu.2. poſt medium, vbi ait: *Quis audeat dicere, defuiſſe Deo modum vocandi, quo etiam Eſau ad eam fidem mentem applicaret, voluntátémque coniungeret, in qua Iacob iuſtificatus eſt?* Quibus ſanè verbis ſatis aperte indicat, Deum per auxilium efficax ſuæ gratiæ applicare voluntatem hominis ad credendũ,&pie operandũ,eamque ſibi coniungere.

Præterea probatur: Virtus, quæ reſpicit finem, mouet, & applicat cæteras potentias ad ſuas operationes.hac enim ratione volũtas mouet,& applicat alias potẽtias,quantum ad exercitium:quia reſpicit ipſum finem,& idem contingit in charitate reſpectu aliarum virtutum:quia enim charitas habet pro obiecto Deum,vt eſt finis ſupernaturalis, ordinat, & applicat actus aliarum virtutum, & coniungit eos cum tali fine;ſed virtus Dei reſpicit finem omnium cauſarum ſecundarum, & ipſius voluntatis: ergo mouet,& applicat voluntatem creatam ad ſuas operationes.

Secundò,Deus eſt cauſa finalis applicationis cauſarum ſecundarum:ergo eſt cauſa efficiens eiuſdem applicationis. Probatur conſequentia: nam Deus eſt prima cauſa efficiens reſpectu omnium,quorum eſt vltimus finis:quod non obſcure colligitur ex illo Apoc. 1.*Ego ſum α,& ω principium, & finis*, quibus verbis ſignificatur,Deum eſſe primam cauſam efficientem earum rerum,quarum eſt vltimus finis. Et confirmari poteſt hæc ratio.nam aliàs Deus eſſet vltimus finis omnium habentium eſſe per participationem:& aliquid aliud præter Deum eſſet primum principium efficiens alicuius entis per participationem. Etenim applicatio illa,qua ſecundæ cauſæ applicantur efficaciter ad operandum, non eſt ens rationis;ſed aliquid reale in rerum natura exiſtens:ergo ſi Deus eſt vltimus finis illius applicationis, & non primum principium efficiens illius,ſequitur, quòd non ſit idem primum principium, & vltimus finis omnium rerum.

Tertiò, Deus eſt verus Dominus omnium cauſarum ſecundarum:ergo vtitur illis, quando vult, & quomodo vult. Probatur conſequentia: nam dominium eſt facultas vtendi re:ergo, ſi Deus habet dominium omnium cauſarum ſecundarum, vtitur illis, & applicat ad ſuas operationes.

Confirmatur. Vt docet S.Thom.p.2.qu.16. art. 1. *Vſus alicuius rei nihil aliud eſt,quam applicatio illius ad aliquam operationem. Vnde & operatio, ad quam applicamus rem aliquam,dicitur vſus eius, ſicut equitare eſt vſus equi,& percutere eſt vſus baculi.* Propter quod dominium definitur, quòd ſit propria cuiuſcunque facultas vtendi re in omnes vſus lege permiſſos. Cùm ergo Deus habeat abſolutum, & ſupremũ dominium voluntatis creatæ,ſequitur,quòd vtatur illa & conſequenter eam applicet ad proprias operationes.

Vſus quid ſit.

X. Reſpondent quidam Theologi, Deum vt ſupremum Dominum, poſſe omnibus cauſis ſecundis, prout vult,vti; negant tamen hunc vſum conſiſtere in illa applicatione præuia,vel determinatione. Ad cuius explicationem aduertũt,quòd aliud eſt, actionem ipſam cauſæ ſecundæ eſſe ſub dominio Dei, quod ſemper eſt verum, & eſſentiale omni actioni creatæ,vt res politiua eſt,aliud verò,causã ſecundã, vt operantem illam actionem, operari ex dominio Dei,ſeu actionem illius, vt illius eſt, eſſe vſum dominij diuini, quo ſcilicet Deus, vt ſupremus dominus vult illa vti. Hoc enim licet ſæpe contingat, non tamen eſt neceſſarium,nam Deus permittit interdũ ſuæ creaturæ operari aliter, quàm ipſe vellet, vt patet,cùm homo peccat exercendo ſuam malam voluntatem: tunc enim non propriè exercet munus ſeruiendi Deo,vt ſupremo Domino,nec Deus tunc vtitur illa voluntate ad illam actionem,quia ſimpliciter non vult illam actionem, ſed permittit. Et ſi quis interroget, in quo eſſentialiter conſiſtat vſus dominij Dei,reſpectu voluntatis creatæ,& cuiuſcũque alterius cauſæ ſecundæ, reſpondent, conſiſtere in duobus.Primò,in eo,quòd Deus aliquid faciat ex aliqua re creata tali modo, vt ſcilicet vnam creaturam conuertat in aliam, ſicut conuertit aquam in vinum in Cana Galilææ,aut etiam illam annihilando:& hoc,inquunt,fit per actionem Dei,vel poſitiuam,vel negatiuam,id eſt, per ſuſpenſionem influxus, quo eſſe illis conferuabat, & non per aliquam prædeterminationem Secundo aliquid per eandem cauſam ſecundam operando,& hic vſus dominij fit per imperium Dei, & actionem ipſius creaturæ ex voluntate Dei,& imperio procedentem.

Hæc tamen ſolutio non ſatisfacit,ſic enim arguitur contra illam:quia non ſolum actio voluntatis,& cuiuſcunque alterius cauſæ ſecundæ eſt ſub dominio Dei, ſed etiam ipſa determinatio,qua voluntas ſe determinat,& applicat ad operandum,eſt ſub eius dominio.ergo Deus vtitur eadem applicatione voluntatis: ergo applicat voluntatem, vt ſe determinet. Patet conſequentia: nam, vt dictum eſt ex S. Thoma,vſus alicuius rei nihil aliud importat,quàm applicationem illius ad aliquam operationem. Confirmatur:nam proprius vſus potentiæ operatiuæ,inquantùm huiuſmodi, eſt operari: ergo ſi Deus vtitur potentia operatiua creata,applicat illam ad operandum.Præterea,iuxta ſolutionem datam,ſæpe cõtingit,cauſam ſecundam, vt operantem ſuam actionem,operari ex dominio Dei,ſeu actionem illius,vt illius eſt,eſſe vſum dominij Dei. ergo iam habemus intentum, quòd videlicet Deus ſæpius applicet voluntatem ad operandum,ſalua illius libertate:ac per conſequens huiuſmodi applicatio non præiudicat humanæ libertati Quòd autem hoc ſit neceſſarium probatur:nam hæc applicatio prouenit ex ſupremo Dei dominio, ſed omnes cauſæ ſecũdæ in omnibus ſuis operationibus,ſaltem ſecundum omnem actualitatem, quam habent, ſubduntur ſupremo Dei dominio: ergo nedum ſæpius Deus, ſed ſemper applicat cauſas ſecundas ad ſuas operationes.quotieſcunque operantur: ergo talis applicatiõ eſt neceſſariò prærequiſita. Et ad inſtãtiam adductam de homine, qui exercet ſuam malam voluntatem, reſpondetur, quod licet Deus non velit illam actionem, inquantum mala eſt,ſed ſolum permittat; nihilominus, inquantùm actio,& ens politiuum eſt,ſimpliciter vult illam voluntate abſoluta,& efficaci;quomam,vt ſic, bona eſt, & conſequenter a Deo, tanquam a prima cauſa, & ſub hac ratione Deus vtitur voluntate creata,& illam applicat ad eandem actionem producendam,vt actio eſt:& voluntas ipſa, exercendo illam actionem, vt actio eſt, propriè exercet munus ſeruiendi Deo,vt diſput.ſequenti patebit, quamuis conſiderando illam actionem,vt eſt mala moraliter, non ſeruiat Deo creata voluntas illam producendo, ſed illi diſplicet, vt fatentur auctores ſolutionis, quam impugnamus. Deinde vſus dominij Dei eſt, quòd ſuo imperio aliquid per cauſam ſecũdam, etiã liberam operetur: ergo nulla cauſa ſecunda aliquid operatur ſine præuia Dei motione,applicante illam ad operandum hoc, vel illud in particulari: ergo ex ſupremo dominio, quod Deus habet ſuper omnes cauſas ſecundas, euidenter colligitur, quòd eas applicet ad operandum.

XI. Determinatio creaturæ vt voluntatis eſt ſub dominio Dei.

Applicat Deus voluntatem ad actionem peccati, in quantum actio eſt

Quartò probatur concluſio. Applicatio actualis voluntatis ad operandum eſt aliquid creatum,volitum, & cognitum à Deo ſcientia practica, & eſt

XII.

distinctum à virtute operatiua ipsius volũtatis, cùm contingat voluntatem habere vim operadi, & quòd non applicetur ad operationem, neque operetur. ergo Deus elicit illam applicationem, alias non esset simpliciter prima rerum omnium causa: ergo applicat voluntatem ad operandum.

Respondent, Deum quidem applicare voluntatem ad operandum, non tamen tali applicatione, quæ prior sit illa determinatione, & applicatione, qua voluntas se determinat, & applicat, sed simultanea cum illa; contendunt enim, applicationem voluntatis, nihil aliud esse, quàm ipsum actum liberũ volũtatis: voluntas enim creata, volẽdo se applicat, & se applicando, vult. Cùm ergo Deus nõ producat ipsum velle creatũ antecedenter ad consensum, & influxum voluntatis, relinquitur, quòd non applicet illam ad operandum aliqua applicatione præuia ad consensum, & influxum eiusdem voluntatis.

Hæc tamen solutio facile impugnatur: nam, licèt determinatio, qua voluntas se formaliter determinat, sit realiter ipse actus liber volũtatis; determinatio tamen præuia, per quam Deus efficit, quòd voluntas se determinet, distinguitur realiter ab actu libero ipsius voluntatis, vt disp. 19. nu. 8. dictum est. Deus autem præuia applicatione, applicat voluntatem, sicut præuia motione eam mouet iuxta ea, quæ disp. 18. dicta sunt.

XIII. Secunda conclusio. Per hanc motionem, & applicationem Deus transmutat realiter voluntatem de vno in aliud, & facit illam ex nolente volentem. Conclusio est S. Thom. in 2. d. 25. q. 1. art. 2. ad 1. vbi ait: *Quòd Deus operatur in voluntate, & in libero arbitrio, secundum eius exigentiam: vnde etiam si voluntatem hominis in aliud mutet; nihilominùs tamen hoc sua omnipotentia facit, vt illud, in quod mutatur, voluntariè velit.* Et q. 22. de verit. art. 8. in corp. ait: *Deum posse immutare voluntatem de necessitate.* Vbi nomen, *ex necessitate*, non importat necessitatem absolutam operandi: hæc enim libertati voluntatis repugnat, sed necessitatem conditionatam, seu infallibilitatis, vt patet ex his, quæ docet prima secundæ, q. 112. art. 3. cum qua necessitate optimè cohæret arbitrij libertas in operando, vt disp. 25. patebit. Et explicans, qualiter hæc immutatio possit fieri à Deo, absque eo quòd vim inferat voluntati, aut cogat illam, subdit: *Cùm Deus voluntatem immutat, facit, vt præcedenti inclinationi succedat alia inclinatio, & ita quòd prima auferatur, & secunda manet. Vnde illud, ad quod inducit voluntatem, non est contrarium inclinationi iam existenti sed inclinationi, quæ prius inerat. Vnde non est violentia, nec coactio: sicut lapidi ratione suæ grauitatis inest inclinatio ad locum deorsum hac autẽ inclinatione manẽte, si sursum proiciatur erit violentia. Si autem Deus auferat à lapide inclinationẽ grauitatis, & det ei declinationem lenitatis tunc ferri sursum non erit ei violentum, & ita immutatio motus potest esse sine violentia. Et per hunc modum intelligendum est, quòd Deus voluntatem immutat, sine eo quod voluntatem cogat.* Et infrà, *Sicut volũtas potest immutare actũ suum in aliud, ita & multo amplius Deus.* Et ar. 9 eiusdem quæstionis in corp. ait: *Ex parte voluntatis mutare actum voluntatis non potest, nisi quòd operatur intra voluntatem, & hoc est ipsa voluntas, & id, quod est causa esse voluntatis, quod secundùm fidem, solus Deus est. Vnde solus Deus potest inclinationem voluntatis, quam ei dedit, transferre de vno in aliud secundum quod vult.* Idem docet aliis in locis pro quarta conclusione adducendis. Nec potest explicari S. Thom. dumtaxat de immutatione voluntatis per actum liberum, quem Deus vnà cum ipsa voluntate producit, per quem actum etiam facit ex nolente volentem: nam, vt disputat. 18. ostensum est, Deus suo actuali auxilio, seu motione efficaci, qua immutat voluntatem, influit immediate in volutatem, tanquam in causam, vt ex multis locis S. Thom. ibidem allegatis constat.

Præterea, per influxum simultaneum non immutat Deus volutatem, vt operetur, nec facit, vt velimus, vel faciamus, sed simul cooperatur. si volumus: ergo constituendum est aliquod auxilium, per quod Deus ita immutet voluntatẽ, vt faciat illa influere, & contentire, atque cooperari eo mouenti. Dei influxus simultaneus non efficit volũtatem concurrere.

XIV. In eadem sententia est perpetuus S. August. qui lib. de gra. & lib. arb. capite 19. ait: *Satis me disputasse arbitror aduersus illos, qui gratiam Dei vehementer oppugnant, qua voluntas humana non tollitur, sed ex mala mutatur in bonam, & cùm bona fuerit, adiuuatur.* & libro primo contra duas epistolas Pelagianorum, capite 20. ait: *Deus cor regis occultissima & efficacissima potestate conuertit, & transtulit ab indignatione ad lenitatem, hoc est, de voluntate ladendi ad voluntatem faciendi, secundùm illud Apostoli: Deus est enim, qui operatur in vobis & velle.* Philip. 2. Idem dicit lib. de gratia Christi contra Pelagianos, & Cælestium, c. 24. quem locum expendimus in nostris Commentariis supra Isaiam num. 11. & 12. Item etiam lib. de gratia, & lib. arb. cap. 16. inquit: *Certum est nos velle, cùm volumus, sed ille facit, vt velimus bonum: certum est nos facere, cùm facimus, sed ille facit vt faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati, qui dixit. Faciam, vt in iustificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obseruetis, & faciatis. Cùm dicit: Faciam, vt faciatis; quid aliud dicit, nisi. Auferam à vobis cor lapideum, vnde non faciebatis: & dabo cor carneum, vnde faciatis,* & lib. 1. contra duas epist. Pelagian. c. 19. *Trahitur,* inquit, *miris modis ab illo, qui nouit intus in ipsis hominũ cordibus operari, non vt homines (quod fieri non potest) nolentes credant, sed vt volentes ex nolentibus fiant.* Et alia similia dicit aliis pluribus in locis. Hæc conclusio patebit ex rationibus quæ adducentur inferiùs pro concluſ. 4. Ezech. 18. & 36.

XV. Tertia conclusio. Hac motione, applicatione, & mutatione Deus determinat voluntatem ad determinatum actum, salua ipsius libertate. Cõclusio ista colligitur manifestè ex S. Tho. locis adductis disp. præced. n. 11. sed præsertim 1. p. q. 19. a. 3. ad 3. & q. 9. de potentia, art. 7. ad 7. Motione efficaci determinat Deus volũtatem ad operandum.

Hæc, & plura alia similia loca explicantur dupliciter ab auctoribus contrariæ sententiæ. Primò, vt intelligantur de motione cooperante, & simultanea, non de præuia, & operante sed hæc explicatio expressè contradicit literæ S. Thom. qui in q. 3. citata de potentia, art. 7. ad 3. ait, *In operatione, qua Deus operatur, mouendo naturam, non operatur natura*; sed quando Deus mouet motione simultanea, operatur simul ipsa natura: ergo non intelligitur de motione cooperante Et in solutione ad 7. eiusdem artic. docet manifestè, quòd per operationem, qua Deus operatur mouendo naturam, tribuit illi aliquid incompletum, quo actualiter agat per modum, quo virtus artis est in instrumẽto artificis: ergo loquitur de motione ordine causalitatis, antecedente operationem causæ secundæ, & 3. con Gent. c. 149. ratione 1. loquens de auxilio diuino mouente nostrum liberum arbitrium, sic ait: *Homo igitur non mouet seipsũ ad hoc quòd adipiscatur diuinum auxilium, quod supra ipsum est, sed potius ad hac adipiscendum à Deo mouetur; motio autem mouentis præcedit motum mobilis ratione, & causa: non igitur propter hoc datur nobis auxilium diuinũ, quia nos ad illud per bona opera promouemur, sed potius nos ideo per bona opera proficimus, quia diuino auxilio præuenimur.* Vbi apertè loquitur de motione præueniẽte. Et certè cõtra rationẽ prædictę applicationis est, quòd sit actio tantùm simultanea. Nã priùs ordine rationis, & causalitatis intelligitur applica

applicatio, qua Deus applicat causam secundam ad agendum, quam intelligatur ipsa actio causæ secundæ, quæ applicatur; etenim, vt agat, applicatur. Ex quibus manifestè constat, quam conformiter S. Thomæ loquantur, qui dicunt Deum præmouere, & prædeterminare voluntatem ad suas operationes salua ipsius libertate. Nam si priùs natura, seu priùs causalitate mouet, applicat & determinat illam, certè præmouet, & prædeterminat.

XVI. Motio Dei efficax non solùm moraliter, sed & physicè determinat voluntatem ad operandum.

Quarta conclusio. Hæc motio, de qua in præcedentibus conclusionibus loquuti sumus, non est tantùm moralis, sed etiam physica, id non se tenet dumtaxat ex parte obiecti, nec est motio solùm per modum suadentis, consiliantis, allixiétis, seu quomodolibet etiam interiùs moraliter attrahentis, sed tenet ex parte potentiæ in ipsa recepta, & est motio per modum causæ, verè, & propriè agentis; qua videlicet verè efficaciter Deus facit, quòd voluntas cooperetur, & consentiat. Ad euidentiam huius conclusionis notandum est, quòd, vt docet S. Th. q. 3. de malo, art. 3. in corpore, dupliciter potest aliquid esse causa humanorum actuum. Primò, *per modum dispontentis, vel persuadentis interiùs, aut exteriùs: aut etiam per modum præcipientis, &c.* Voluntas enim mouetur *ab exteriori, sicut ab obiecto apprehenso: nam bonum apprehensum mouere dicitur voluntatem: & per hunc modum dicitur mouere consilians, vel suadens, inquantum scilicet facit apparere aliquod esse bonum: obiectum autem propositum voluntati non ex necessitate mouet voluntatem*, quia videlicet non facit efficaciter eam velle. Ex hoc concludit S. Doctor, quòd *nulla persuasio ex necessitate*, id est efficaciter, & infallibiliter, *mouet hominem ad agendum.* Infert etiam, *quòd Diabolus non est propriè causa peccati, sed per modum persuadentis tantùm.* Vnde ille, qui mouet solùm voluntatem alterius ad aliquem actum, alliciendo, inuitando, aut suadendo etiam interiùs, non est propriè causa; quòd homo operetur illum actum, sed solùm metaphoricè. Secundo modo potest aliquid esse causa actus humani per modum perficientis: *Causa autem perficiens est, ex cuius actione agens directè inclinatur ad agendum.* & ad quam sequitur effectus. & hoc modo, inquit S. Thom. quòd *causa perficiens, & propria voluntatis actus sit solum id, quod operatur interius: hoc autem nihil aliud esse potest quàm ipsa voluntas, sicut causa secunda, & Deus, sicut causa prima; cuius ratio est, quia actus voluntatis nihil est aliud, quam inclinatio quædam inclinatio quædam voluntatis in volitum: sicut & appetitus naturalis nihil est aliud, quam inclinatio naturæ ad aliquid. Inclinatio autem naturæ est, & à forma naturali, & ab eo, qui dedit formam.* Ex quo infert, quòd *motus voluntatis directè procedit à voluntate, & à Deo, qui est voluntatis causa, qui solus in voluntate operatur, & voluntatem inclinare potest in quodcunque voluerit.*

XVII. Quod ergo asserimus in conclusione est, Deum motione præuia, qua determinat voluntatem ad operandum, esse causam non solùm moralem per modum allicientis, consiliantis, suadentis, seu quomodolibet etiam interiùs moraliter mouentis, sed etiam per modum perficientis, seu per modum causæ verè, & propriè efficientis, voluntatem velle hoc, vel illud bonum in particulari. Hæc conclusio sic explicata, est expressa Sancti Thomæ quæstione 3. de malo, articulo 3. allegata, quam etiam docet aliis pluribus in locis. Nam prima parte quæst. 106. artic. 2. in corp. ait, quòd *ex parte ipsius potentiæ voluntas nullo modo potest moueri, nisi à Deo: operatio enim voluntatis est inclinatio quædam voluntatis in volitum. Hanc autem inclinationem solus ille immutare potest, qui virtutem volendi creaturæ contulit: sicut & naturalem inclinationem solum illud agens potest mutare, quod potest dare virtutem, quam consequitur inclinatio naturalis. Solus autem Deus est, qui potentiam volendi tribuit creaturæ, quia ipse solus Deus est auctor intellectualis naturæ.* Et quæst. 111. art. 2. in corpore, ait: *Quòd voluntas potest immutari dupliciter. Vno modo, ab interiori, & sic, cùm motus voluntatis non sit aliud, quàm inclinatio voluntatis in rem volitam, solius Dei est sic immutare voluntatem, qui dat naturæ intellectuali virtutem talis inclinationis. Sicut enim inclinatio naturalis non est, nisi à Deo, qui dat naturam; ita inclinatio voluntaria non est, nisi à Deo, qui causat voluntatem.* Et 3. contra Gent. cap. 88. ratione 3. ait: *Deus solus voluntatem nostram in aliquid inclinare potest*, id est, determinare, seu prædeterminare. Et in ratione quinta subdit: *Solus Deus potest mouere voluntatem per modũ agentis, absque violentia.* Mouere autem voluntatem per modum agentis est verè efficienter facere, vt ipsa se moueat, & liberè operetur, vt ex præmissis constat. Etenim, qui solùm mouet voluntatem per modum allicientis, inuitantis, aut suadentis, non mouet eam verè efficienter, & efficaciter ex parte potentiæ, sed solùm obiectiuè, & inefficaciter, vt in locis prælegatis docet S. Thom. Item cap. 89. eiusdem libri, multis rationibus probat contra Origenem, Deum in nobis causare nostrum velle, & perficere, non solùm inquantùm dat nobis virtutem volendi, sed etiam, quia *facit nos velle hoc vel illud.* & quæst. 22 de veritate, art. 9. in corpore, ait: *Ex parte voluntatis mutare actum voluntatis non potest, nisi quod operatur intra voluntatem, & hoc est ipsa voluntas & id quod est causa esse voluntatis; quod secundùm fidem solus Deus est. Vnde solus Deus potest inclinationem voluntatis, quam ei dedit, transferre de vno in aliud, secundùm quod vult.* Idem docet secunda secundæ, q. 6. art. 1. in corpore, & quodl. 1. art. 1.

XVIII. Præterea probatur conclusio. Si Deus sua motione actuali solùm moueret voluntatem suadendo, alliciendo, inuitando, aut quolibet alio modo, etiam interiùs moraliter suadendo; sequitur, quòd non sit proprium solius Dei immutare voluntatem creatam, & eam efficaciter mouere ad actus bonos: nam etiam vnus homo, vel Angelus potest voluntatem alterius suadendo, alliciendo, & inuitãdo mouere; imò & diabolus potest hoc modo præmouere hominem ad peccandum, vt quæst. 3. de malo, art. 3. ostendit Sanctus Thomas. Si dicatur esse differentiam: nam Deus non solùm ex parte obiecti suadet bonum, sed etiam ex parte potentiæ verè efficienter causat in intellectu pias illustrationes, seu cogitationes, & excitationem voluntatis per motus indeliberatos, quæ tamen non potest efficere directè vnus homo, vel Angelus in intellectu, aut voluntate alterius; Contrà hoc est nam S. Thom. quæst. 3. de malo, art. 4. in corpore, ait, quòd Angelus etiam inuisibiliter potest esse homini causa operandi. *Quod*, inquit, *fit per modum persuasionis, & per modum dispositionis. Per modum quidem persuasionis, sicut, cùm proponitur aliquid virtuti cognoscitiuæ, vt bonum, hoc autem potest fieri tripliciter. Quia proponitur, vel quantùm ad intellectum; vel quantùm ad sensum interiorem, vel etiam quantùm ad sensum exteriorem. Quantùm ad intellectum quidem, quia intellectus humanus potest adiuuari ab intellectu Angelico ad aliquid cognoscendum per modum illuminationis cuiusdam, vt Dionysius dicit. Quamuis enim Angelus non possit directè causare actum voluntatis, eò quòd actus voluntatis nihil est aliud, quàm inclinatio quædam ab interiori procedens; potest tamen imprimere in intellectu, cuius actus consistit in recipiendo ab exteriori, vnde dicitur, quòd intelligere est pati quoddam.*

Præterea impugnatur eadem solutio, quia non solùm debet tribui Deo, vt primæ causæ, vera efficientia, cõparatione illustrationis intellectus, & excitationis voluntatis per actus indeliberatos: sed etiam comparatione concursus eiusdem voluntatis ad quemcunque bonum actum liberum: ergo necesse est dicere, Deum, mouendo voluntatem, verè efficienter facere, vt volutas operetur. Sed de hoc disp. 86. & 91. agendum erit latiùs, inter disputandum de auxilio efficaci præoperantis gratiæ.

XIX. Quinta Conclusio. Deus actuali motione efficaci ad modum causæ physicæ, id est, verè efficienter, prædeterminat hominis voluntaté ad liberos actus bonos, vt voluntas mota à Deo per huiusmodi auxilium, se liberè, & infallibiliter determinet ad actum secundum liberè producendum.

Pro explicatione huius conclusionis notandum est, quòd cùm ad diuinam prouidentiam pertineat causarum secundarum, quas ad operandum mouet, vel prædeterminat, naturas conseruare, si causæ secundæ sint naturales, sic eas prædeterminat ad operandum, vt ipsas faciat naturaliter, siue ex necessitate absoluta, & non liberè operari. Si autem causæ secundæ fuerint liberæ, sic eas ad operandum prædeterminat, vt ipsas faciat infallibiliter operari, non quidem naturaliter, siue ex necessitate absoluta, sed libere, & contingenter iuxta propriam naturã. Quãdo ergo asserimus, Deum sua motione efficaci physicè prædeterminare voluntatem creatam, vt ipsa libere operetur actus bonos; verbum, *physicè*, vt suprà dicebamus, non accipitur, vt significat idem quod naturaliter, sed vt significat veram, & realem prædeterminationem condistinctam contra illam, quæ est solùm moralis, aut metaphoricа: in quo sensu Conc. Ephesinum anathematismo 3. disp. 22. nu. 2. allegato, vnionem hypostaticam duarum naturarũ, diuinæ scilicet, & humanæ, in eodem Verbi supposito physicam appellauit, id est, veram, & realem, vt distinguitur contra vnionem metaphoricam. Eodem modo nos asserimus, Deum sua motione efficaci physicè prædeterminare voluntatem creatam, vt ipsa voluntas liberè, & indeclinabiliter se determinet, operationem bonam producendo, non quidem ex necessitate, sed secundùm modum voluntatis, qui in facultate actiua ad vtrumlibet consistit: quam quidem facultatem semper retinet liberũ arbitrium, etiam quando actualiter prædeterminatur, & operatur, vt disp. 18. num. 23. dicimus, & disp. 115. & 116. patebit.

Deum sua motione efficaci physicè prædeterminare voluntatem, ad liberos actus bonos ostenditur.

XX. Probatur conclusio: primò, auctoritate S. Tho. q. 22. de verit. art. 8. quo in loco, vt fatentur aliqui ex auctoribus contrariæ sententiæ, apertè docet, Deum inclinare voluntatem ad aliquid appetendum, eam efficaciter, & physicè determinando non solùm immediatè, sed etiam mediante aliqua entitate recepta in voluntate: & addunt, quòd ex mente S. Thomæ, Deus mouet omnes causas secundas, & eas applicat ad suas operationes, ita vt etiam quando mouet voluntatem, aliquid imprimat in illa, per modum transeuntis, quo posito, non potest, in sensu cõposito, non sequi libera operatiõ voluntatis, ad quã Deus eam mouet: quod probant multis testimoniis S. Thom. & quæ adduximus pro conclusionibus præcedentibus, eam efficaciter probant.

Secundò probatur: Sicut est de essentia liberi arbitrij, quòd se determinet, ita est de eius essentia, quòd se moueat; sed liberum arb. creatum, quia non est simpliciter primum se mouens, non mouet se, nisi prius moueatur à Deo, vt docet S. Tho. pluribus in locis: Ergo similiter quia liberum arbitrium creatum non est simpliciter primum liberum, nec primum se determinans; determinat se formaliter per

S. Tho. 1. p. q. 83. art. 1. ad 3. & q. 104. ar. 4. ad 2. & p. 2. q. 9. ar. 4. ad

A actum secundum, sed priùs natura determinatur à Deo per auxilium, præuium, quo virtus operatiua completur in actu.

1. S. Th. 1. p. q. 105. in 5. g. & eius solutione

Tertiò probatur ratione S. Thomæ. Ab eo, quòd se habeat indifferenter ad vtrumlibet non sequitur determinata operatio, nisi priùs natura determinetur ab alio, quod sit in actu; quia non esset maior ratio, quare sequatur potiùs vnus actus, quàm oppositus, sed voluntas creata etiam mota auxilio sufficiẽti, se habet indifferenter ad vtrũlibet: ergo nisi priùs natura à Deo, qui est purus actus, determinetur ad alteram partem in particulari, non producet actum determinatũ. ergo constituendum est auxiliũ efficax physicè prædeterminãs voluntatẽ ad liberũ cõsensũ.

A causa indifferenti inquantum indifferens, nõ exit de determinato actum.

Quartò. Vt auctores oppositæ sententiæ ingenuè fatentur, auxilium physicè prædeterminans, seu B prædeterminatio physica, aut quasi physica, & auxilium efficax independenter à cooperatione nostri arbitrij, idem significant; sed auxilium adiuuantis gratiæ est efficax indepẽdenter à libera cooperatione nostri arbitrij: ergo admittendum est auxilium efficax physicè prædeterminans voluntatem, vt cõsentiat. Minor patebit disp. 72. 73. & 90. & probatur: nam efficacia causæ non dependet à suo effectu, sed è conuerso effectus potiùs dependet ab efficãcia causæ; sed quòd liberum arbitrium concurrat, & consentiat Deo vocanti, est effectus auxilij efficacis, vt sæpe dicit S. Thom. ergo efficacia eiusdem auxilij non dependet ex libera cooperatione nostri arbitrij, sed eam habet auxilium gratiæ, vt venit à Deo, atque ex absoluto decreto voluntatis eius, volentis C efficaciter hominem conuertere, nulla præsuppositа scientia media futuræ cooperationis arbitrij.

XXI.

S. Th. 1 p. q. 23. art 5. in corp. & 1. 2. q. 111 ar 2. ad 2. & ad Rom 9. lect. 3. in illa verba. *Miserebor cui misertus fum*

Quintò. Vt concedunt Auctores contrariæ sententiæ, Deus per gratiam efficacem condeterminat, id est, simul in eodem instanti temporis determinat liberum arbitrium: Deus enim, & volũtas sunt duæ causæ concurrentes ad consensum, sed vna illarum determinat alteram ad concurrendum secum, & facit illam secum cooperari; aliàs à casu coniungerentur in productione illius effectus, ergo vel voluntas humana suo concursu determinat diuinã, vt per auxilium gratiæ secum concurrat ad actus bonos, aut è cõuerso voluntas diuina sua gratia efficaci determinat voluntatem humanam ad consentiendum, & facit eam secum concurrere: Sed non potest dici, D quòd voluntas humana suo cõsensu determinet voluntatem diuinam, & auxilium gratiæ adiuuantis, vt secum concurrat ad liberos actus bonos; aliàs enim ista causalis esset vera: Quia voluntas creata operatur, Deus cooperatur, ista autem esset falsa: Quia Deus operatur, homo cooperatur: quod tamẽ dici non potest, vt disp. 99. manifestum fiet: igitur dicẽdum est, Deum sua motione efficaci physicè prædeterminare voluntatem creatam, vt secum ad actus bonos in particulari concurrat.

Sextò. Deus sua motione efficaci applicat voluntatem creatam, vt liberè consentiat, ad modum, quo artifex applicat instrumentum ad faciendam rem artificiatam, vt conclusione 1. ostẽsum est: ergo phy- E sicè illam prædeterminat ad eundem consensum. hęc enim applicatio sine physica prædeterminatione esse non potest, nec intelligi. Vnde auctores, qui hanc physicam prædeterminationem impugnant, consequenter dicunt, Deum præuia motione voluntatem creatam ad operandum non applicare.

Confirmatur hoc omnibus argumentis, quibus disp. 18. ostendimus, concursum Dei generalem esse influxum immediatum in causas secundas, quo mouentur, & applicantur ad suas operationes iuxta propriam naturam: hæc enim motio præuia, & applicatio cùm sit efficax, & faciat causas secundas operari,

Digitized by Google

rari, esse non potest absque prædeterminatione eisdem causis inhærente.

XXII. Septimò. Inter potentiam constitutam in actu primo, per virtutem actiuam in ea permanentem, vel per habitum superadditum, & actualem operationem eiusdem potentiæ liberæ, datur motio quædam prævia, per quam ipsa voluntas completur in sua virtute actiua, sed hæc motio physice prædeterminat voluntatem, vt libere, & infallibiliter operetur: ergo dicendum est, Deum per eandem motionem physice prædeterminare voluntatem ad operàdum. Maior probata est a nobis supra disput. 18. & 19. nu. 10. Minor autem est manifesta: nam cùm illa motio prævia, sit transiens cum actu ad quem mouet, impossibile est, quòd in voluntate ponatur, & voluntas non operetur actum illum, ad quem Deus mouet efficaciter eandem voluntatem.

Octauò. Deus per motionem efficacem efficit infallibiliter, secluſa scientia media, quòd voluntas creata operetur talem actum in particulari; ergo per idem auxilium physicè eam ad operandum prædeterminat. Patet consequentia: nam si infallibilitas futuri actus liberi, non innititur scientiæ mediæ, necessariò debet fundari in auxilio physicè prædeterminante, vt auctores contrariæ sententiæ ingenuè fatentur. Antecedens probatur: nam, vt disput. 7. ex professo ostendimus, illa scientia media, quam aliqui ante actuale decretum voluntatis diuinæ, determinantis consensum voluntatis creatæ ex hypothesi futurum, in Deo constituunt; reuerà non est etiam in Deo: ergo infallibilitas futuri consensus in hac scientia media fundari non potest, necesse est ergo, quòd fundetur in auxilio Dei actuali physicè prædeterminante.

XXIII. Nonò. Deus suo æterno, atque absoluto decreto, quo efficaciter voluit vt voluntas creata produceret talem actum, extrinseca prædeterminatione eandem voluntatem prædeterminat ad illum actum libere producendum, vt disput præced. ostensum est. Sed ex physica prædeterminatione Dei extrinseca, per euidentem consequentiam infertur physica prædeterminatio intrinseca, voluntati creatæ inhærens: per quam Deus in tempore efficit, vt voluntas libere, & infallibiliter operetur actum a Deo prædeterminatum, vt fatentur auctores contrariæ sententiæ: quod etiam in disp. 21. n. 14 notauimus: ergo.

Decimo. Idipsum probari potest omnibus argumentis, quibus disput. 91. specialiter ostendimus, Deum per auxilium efficax præoperatis gratiæ physicè prædeterminare voluntatem creatam vt ipsa per actum secundum se libere determinet.

Sexta Conclusio. Hæc duo simul sunt incompossibilia, quòd scilicet huiusmodi auxilium prædeterminans sit in libero arbitrio, & liberum arbitrium non operetur actum illum, ad quem mouet, quamuis semper possit eundem actum non operari, si velit. Prima pars huius conclusionis probatur testimoniis apertissimis S. Prosperi, & S. Thomæ adductis disp. 18. num. 23. quæ iterum repetenda sunt disp. 115. num. 4. & disp. 122. num. 19.

Præterea probatur. Alias voluntas absoluta Dei esset inefficax, & impediretur per voluntatem humanam, ne fieret id, quod omnipotens per eam voluit fieri. quod tamen repugnat verbis illis Scripturæ: Psalm. 134. *Omnia, quæcunque voluit Dominus, fecit in cœlo, & in terra.* vt ostendit S. Aug. in Enchir. ad Laurentium, cap. 95. & 96. & lib. de corrept. & gratia, cap. 14.

Præterea probatur alio insigni testimonio S. Augustini, qui expressè docet hanc nostram conclusionem lib. de correptione & gratia, cap. 12. vbi loquens de gratia efficaci, ait: *Subuenitur ergo infirmitati voluntatis humanæ, vt diuina gratia indeclinabiliter & inseparabiliter ageretur, & ideo quamuis infirma nõ deficeret, nec aduersitate aliqua frangeretur*, ergo secundùm S. Augustinum hæc duo sunt incompossibilia, quòd scilicet Deus auxilio efficaci moueat liberum arbitrium ad consensum, & nihilominùs liberum arbitrium dissentiat: alias enim non ageretur à gratia efficaci indeclinabiliter, & inseparabiliter.

XXIV. Secunda pars conclusionis habetur ex Conc. Trid. sessione 6. de Iustificatione, can. 4 *Si quis auxerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari, assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo, ad obtinendam iustificationis gratiam se disponat, ac præparet, neque posse dissentire, si velit, anathema sit.* Ecce Concilium aperte definit liberum arbitrium, gratia efficaci motum, ita consentire, vt semper possit dissentire, si velit. idem docet S. Prosper, & S. Thomas locis in disp. 18. num. 23. allegatis.

Præterea probatur ratione desumpta ex eodem Concilio Tridentino. Nam quantumuis voluntas moueatur auxilio efficaci ad consentiendum Deo excitanti, & vocanti, verè consentit liberè, non solùm pro priori naturæ, sed etiam pro ipsomet instãti temporis, in quo elicit consensum, vt disputationibus infra citatis manifestum fiet, ergo in eodem instanti, in quo consentit, reuera potest dissentire, si velit. Probatur consequentia: nam, vt patebit disput. 115. & 116. de ratione potentiæ liberæ est facultas ad opposita: ergo impossibile est, quòd voluntas libere consentiat, quin simul retineat veram facultatem, qua possit dissentire, si velit. In quo autem sensu liberum arbitrium, dum consentit, possit dissentire, si velit; an in sensu composito, vel solum in sensu diuiso id possit, & quomodo sit intelligendus eiusmodi sensus compositus, & diuisus, ex parte attingemus disp. 25. & 32. & de eadem re agendum erit ex professo disp 93. & 94.

XXV. AD primum argumentum respondetur, negando antecedens. Iam enim disput. 18. num. 3. ostendimus, etiam causas secundas naturales indigere prædeterminante Dei motione, vt actualiter operentur, propter essentialem subordinationem & dependentiam, quam habent in operando ab influxu primæ, & vniuersalissimæ causæ, & propter alias rationes ibi inductas.

Voluntas duplici ratione indiget, quod prædeterminetur ad operãdum.

Ad confirmationem respondetur, voluntatem generali ratione indigere ad operandum motione Dei prædeterminante, sicut aliæ causæ naturales; & etiam ratione speciali, quia videlicet voluntas secundùm se est indifferens ad oppositа; & per consequens, vt producat vnum actum determinatum, oportet, quòd prædeterminetur à Deo, qui est purus actus. Et ad argumentũ, quo hæc specialis ratio impugnatur, facilè respondetur, quòd, vt disputatione præced. num. 35. & seqq. ostensum est, & patebit amplius disp. 115. & 116. indifferentia voluntatis in ordine ad auxilium prævium est indifferentia passiua, vt probat argumentum. Cæterùm in ordine ad actum liberum, quem producit, prædeterminata tali motione prævia, indifferentia voluntatis est actiua, & libera. Vnde non sequitur, quòd determinatio, quam producit voluntas, videlicet actus liber, procedat à voluntate non prædeterminata à Deo per motionem prævium operationi eiusdem voluntatis, neque quòd voluntas ipsa non sit libera, quoad facultatem ipsam operandi, vel quantum ad vsum illius.

Indifferentia voluntatis est passiua in ordine ad auxilium, & actiua in ordine ad cõsensum.

XXVI. Ad secundum argumentum respondetur, quod, vt dictum est disput. 18. concursus Dei generalis est influxus immediatus in causam; vnde ex hoc quòd potentia, quæ est domina sui actus, possit, sua intrinseca virtute cum generali concursu, primæ causæ seipsam ad suum actum determinare; sequi-

tur,quòd indigeat prædeterminatione primæ causæ. Nec est eadem ratio, quantùm ad hoc de voluntate humana,& diuina; etenim Deus habet absolutum,& primum dominium sui actus;& ideo non habet aliam causam priorem suæ determinationis, sed ipsa voluntas diuina primò seipsam liberè determinat ad obiectum,ad quod habet habitudinem non necessariam. Voluntas autem creata,vt disp.117. patebit,quia non habet simpliciter primum, & absolutum dominium sui actus,non est primum se determinans:vnde suæ determinationis habet aliam causam priorem,scilicet Deum. Solutio est S.Tho.1. p.quæst.19.art 3.ad 5.Et cùm arguitur: nam voluntas creata secundùm se est virtualiter in actu; respondetur,quòd,licèt secundùm se sit in actu primo, respectu operationis sibi proportionatæ; non tamen est in actu primo completo omnino,vnde, vt exeat in actum secundum oportet, quod compleatur,& prædeterminetur per auxilium efficax,propter rationes disput.18.à nobis assignatas.

Voluntas diuina non prædeterminatur ab alio, sicut humana.

XXVII. Ad confirmationem respondetur,quòd quamuis hæc duo non repugnent, videlicet voluntatem esse indifferentem secundùm se, & determinari per actum secundum:hæc tamen duo manifestam inuoluunt repugnantiam; quòd scilicet voluntas sit indifferens secudùm se,& causa contingens,& sit simpliciter primum se determinans per actum secundum,quoniam causa,quæ primò se determinat, non potest secundùm se esse contingens, & indifferens in actu primo in differentia,quæ includit potentialem ex parte ipsius potentiæ,vt disp.præcedenti nu. 36.ostensum est,& colligitur ex S.Tho.1.p.q.19.a.3. ad 5.

Determinatio volũtatis in actu secũdo nihil aliud est, quàm operatio eiusdẽ voluntatis.

Ad tertium respondetur, quòd si loquamur de determinatione voluntatis in actu secundo, nihil aliud est,voluntatem determinari,nisi ipsam velle, & hæc determinatio non potest esse aliquid præuiũ ad ipsum velle,nec produci ab extrinseco agẽte sine influxu libero ipsius voluntatis. si autẽ sermo sit de determinatione voluntatis in vltimo complemento actus primi,id,per quod determinatur voluntas ad operandum, est quid realiter distinctum ab operatione ipsius voluntatis,vt disp.19.ostensum est. Et ad impugnationem respondetur, quòd id, per quod prædeterminatur voluntas,neque est formaliter actus secundus,nec simpliciter actus primus,sed medium quoddam,videlicet vltimum complementum actus primi, vt ex S. Thoma superius dictum est. Et ad id, quòd obijcitur ex Arist. respondetur primò, quòd quamuis non tradidisset medium istud inter actum primum, & secundum, non tamen illud negauit;argumentum autem ab auctoritate negatiua est inefficax. Secundò respondetur: quòd Arist. non obscurè tradidit complementum illud actus primi,cùm docuit,causas secundas indigere præuia motione vniuersalissimæ causæ, vt in illam reducantur tanquam in primum agens simpliciter omnes effectus earundem causarum,vt patet ex verbis illius in 18.disput.a nobis adductis, & explicatis.

Inter potẽtiã & actũ secũdũ datur mediũ.

XXVIII. Ad confirmationẽ respondetur,quòd habitus supernaturalis,quo voluntas fit potens ad producendum supernaturales operationes, subditur vtui ipsius voluntatis, sicut alij habitus;quia non prædeterminat illam ad operandum,quantùm ad exercitium actus. Cæterùm auxilium efficax supernaturale, quo voluntas perfecta per habitum supernaturalem mouetur,& applicatur ad consentiũm, non subditur vtui eiusdem voluntatis, sicut habitus, sed potius voluntas subditur Deo sic mouenti: Deus enim per illam motionem subijcit sibi humanam voluntatem, & efficit,quòd voluntas creata adhibeat suum liberum influxum, vt disp. 86. & 87. patebit. vnde per eandem motionem voluntatem prædeterminat ad volendum.

Habitus & auxilium actuale in quo differant.

Determinatio volũtatis qualiter sit libera.

Ad quartum argumentum respondetur,quòd determinatio voluntatis, per quam formaliter determinatur in actu secundo,debet esse libera,& voluntaria:quoniam nihil aliud est,nisi ipsa libera operatio,vt procedit à voluntate. Cæterum determinatio voluntatis in vltimo complemento actus primi non est formaliter libera, respectu voluntatis creatæ; quia non est ab illa effectiue,sed à solo Deo,nec præsupponit necessariò alium actum liberum eiusdem voluntatis,sed solùm est libera causaliter, quatenus efficit,quòd voluntas mota à Deo,liberè, & infallibiliter seipsam determinet. Potest etiam dici libera ex parte termini ad quem vltimatè ordinatur; quia scilicet prædeterminat eandem voluntatem ad producendum actum liberum,& quia potest motionem Dei abijcere,si velit. Ad id autem, quod obijcitur, quia post receptam motionem efficacem voluntas necessariò prodit in opus,ita vt non possit non operari;respondetur,quòd simpliciter loquendo, non exit voluntas in opus necessariò, sed liberè,etiam post receptam motionem & simpliciter potest non operari toto tempore,quo habet illam motionem, vt disp.115.& 116. patebit,de facto tamen infallibiliter operabitur. nam motio prædeterminans non aufert a voluntate proximam potẽtiam ad actum oppositum,sed solum efficit,quòd homo liberè, & infallibiliter se determinet ad vnum actum in particulari,vt disput 18.num.23.explicatum est.

XXIX. Ad quintum negatur antecedens. Ad probationem iam ex professo responsum est disput. 18.n. 20. & disput.23.nu.31.33.& 34.vbi consimile prorsus argumentum propositum est, & solutum, & summa solutionis consistit in hoc, quòd auxilium efficax non est necessarium,vt homo absolutè, & simpliciter possit operari,sed solùm requiritur,vt actu operetur. Vnde,ex eo, quòd homo non recipiat huiusmodi auxilium,non infertur,quòd non possit operari,sed solùm,quòd non operabitur: nec sequitur, quòd homo non sit liber,sed tantùm sequitur,quòd homo non sit simpliciter primum liberum. Nec exemplum adductum de manu mota à voluntate est ad propositum:nam manus a voluntate ita mouetur ad actum liberum,quòd non se mouet per actuum principium liberum sibi intrinsecum. Cæterùm voluntas creata ita mouetur,& prædeterminatur à Deo præuia motione ad actum liberum,quòd in eodem instanti temporis seipsam liberè mouet per actuum principium sibi intrinsecum,quoniam, vt ex Sancto Augustino dictum est; homines aguntur, vt agant, non,vt ipsi nihil agant.

Liberũ arbitriũ motum se mouet.

XXX. Ad sextum respondetur, quòd, vt dictum est. cum auxilio efficaci prædeterminante voluntatem, ad operandum talem actum,stat simul in eadem voluntate facultas,qua possit operari oppositum,si velit,& hoc tantùm definitur in Concil. Trid. vt inferiùs patebit;non tamen stat simul cum illo auxilio efficaci actus oppositus illi,ad quem prædeterminat, nec Concilia citat. loquuntur in sensu composito, sed absolutè,& in sensu diuiso,vt disp.92.& 94 manifestum fiet,vbi veram intelligentiam sensus compositi, & diuisi subijciemus.

Disput 18. num.23.

Ad confirmationem negatur antecedens. Ad probationem dicitur,nos non asserere,quòd,quãdo illa motio est in homine,volũtas nõ possit illi dissẽtire, sicut impiè asseruerũt Lutherus,& Caluinus;sed solùm dicimus,quòd nũquã dissentiet:quoniam Deus per illam motionem efficit fortiter, & suauiter, vt, cum voluntas tunc possit dissentire, non tamen dissentiat, sed libere consentiat Deo vocanti, & excitanti.

excitanti. Concilium autem Tridentinum definit, quod, etiam quando motio efficax eſt in homine, poſſit illi diſſentire abſolute loquendo, & in ſenſu diuiſo non tamen dehinc, quòd poſſit illi diſſentire in ſenſu compoſito, vt diſput. 93. & 94. manifeſtum fiet. In quo autem erranerint hæretici noſtri temporis libertatem arbitrij abnegantes, iam diſput. 3. num. 7 & ſeqq. diſp 22. num. 30. & 31 explicatum eſt, de quo latiùs agẽdum erit diſ. 97. n. 11. & diſ. 98 n. 10.

Ad ſeptimum reſpondetur, ſimile argumentum obiectum fuiſſe S. Auguſtino a Pelagianis, vt patet ex eodem Auguſt. lib. 2. contra duas epiſtolas Pelag. c. 5. & lib. 4. contra Iulianum, cap. 8. in quibus locis illud diſſoluit. Eodem argumento conuicti Semipelagiani, negauerunt præoperantem gratiam, vt refert S. Hilar. in epiſt. ad S. Auguſtinum, ſtatim à principio, & S. Aug. lib de corrept. & gratia, c. 3. & 4. Ad argumentum ergo negatur antecedens. Ad probationem reſpondetur auxilium efficax non eſſe principium neceſſarium, vt homo poſſit agere, aut operari, ſed vt actu operetur, vt ſupra dictum eſt. Quia ergo per auxilium ſufficiens, quod omnibus confertur, vel offertur, poteſt homo reuerà operari; ideo cùm Deus imponit homini præceptum de aliquo actu virtutis, non præcipit ei aliquid impoſſibile.

XXXI. Secundò reſpondetur, quòd quamuis peccator, qui non implet præcepta diuina, non habeat auxilium efficax, quod neceſſarium eſt, vt actu operetur; poteſt tamen, abſolutè loquendo, illud habere, & ſua culpa illud non habet. Et hæc poſſibilitas fundatur in miſericordia Dei, qui *vult omnes homines ſalnos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*. qui & omnes vocat, & allicit ad bonum, & in conditione ſtatus viatoris, in quo liberum arbitrium eſt flexibile ad bonum, & malum: quod expreſsè docet S. Thom. 3. p. quæſt. 8. ar. 3. ad 1. vbi ait: *quòd illi, qui ſunt infideles, etſi actu non ſunt de Eccleſia, ſunt tamen de Eccleſia, in potentia, quæ quidem potentia in duobus fundatur: primò quidem, & principaliter in virtute Chriſti, quæ eſt ſufficiens ad ſalutem totius generis humani: ſecundariò in arbitrij libertate.* Vnde illa conſequentia eſt nulla: Vt homo actu operetur, requiritur neceſſariò auxilium efficax; ſed Petrus non habet auxilium efficax: ergo non poteſt operari: ſed ſolum infertur, ergo non operatur actu; & inſtantia eſt manifeſta in formis naturalibus; non enim ſequitur: Petrus vt ſit albus, neceſſe eſt, vt habeat albedinem: ſed Petrus non habet albedinem; ergo non poteſt eſſe albus. imm antecedens eſt verum, & conſequens falſum. ſed ſolum infertur, ergo Petrus non eſt albus

Auxiliũ efficax poteſt quilibet habere, dũ eſt in via.

1. Tim. 2.

XXXII. Ad octauum negatur antecedens, iuxta ea, quæ dicta ſunt ad argumentum præcedens, & diſput. 8. n. 20. & diſp. 22 n. 34. vbi idem argumentum propoſitum eſt, & ſolutum. Diximus enim pluries, & nunc dicimus, illud auxilium eſſe vere ſufficiens, comparatione alicuius effectus, vltra quod non requiritur aliud principium tribuens poſſe operari; cum hoc tamen ſtat, quòd aliquod principium ſit vere ſufficiens, tribuens homini poſſe operari, ſi velit; & nihilominùs ſit neceſſarium aliud auxilium actuale, vt potentia illa ad actum ſecundum reducatur, quod Ferrarien. 3. contr. Gent, cap. 155. optimè explicat. Eſt exemplum in potentia viſiua, qua quidem eſt ſufficiens ad videndum in ratione actus primi; quia in illo genere non requiritur alia potentia, per quam homo habeat virtutem habitualem, qua poſſit videre. Nihilominùs, vt hæc potentia reducatur ad actum, vltra illam neceſſarium eſt lumen & applicatio obiecti, & motio potentiæ. Cùm ergo motio, qua Deus efficienter prædeterminat liberum arbitrium ad operandum talem actum bonum in particulari, non ſit neceſſaria, vt homo poſſit operari actum illum, ſi velit, ſed ſolum, vt reipſa operetur illũ, & velit: relinquitur ſaluari in homine verum auxilium ſufficiens, quo vere poſſit piè operari, ſi velit: etiã ſi non recipiat in ſe auxilium efficax, quo Deus efficienter prædeterminat illum, vt velit. Et ad exemplum allatum de habente quatuor ſuffragia, &c. reſpondetur, quòd, vt homo poſſit eligi in Prælatum ſufficit, quòd nullum habeat impedimẽtum, & electores poſſint illum eligere; vt autem de facto eligatur in caſu poſito, requiritur, quòd de facto ferat ſuffragia in fauorem illius maior pars eligentium. vnde exemplum illud nihil contra noſtram ſententiam concludit. Videatur circa ſolutionem huius argumenti Caietanus 1. 2. q. 111. art. 10.

Ad nonum reſpondetur, quòd eodem argumento Pelagiani, & Semipelagiani impugnauerunt gratiæ neceſſitatem, quam prædicabat Auguſtinus, obtendentes inducere homines in quandam deſperationem, & neceſſitatem admonitionum de medio tollere; & illud ſoluit Proſp. lib. 2. de vocat. gent. cap. 36. Et aduertimus, quòd idem argumentum retorqueri poſſet contra actores oppoſitæ ſententiæ. Nã vt ipſi fatentur, gratia, ſeu motio congrua, id eſt, data à Deo in illis circunſtantiis, in quibus præſcit, hominem eſſe cooperaturum; eſt neceſſaria, vt actu conuertatur, & cooperetur cùm ergo non ſit in poteſtate hominis eiuſmodi motio congrua, ſed ſolùm in poteſtate Dei, qui pro ſua mera voluntate eã cõfert quibus vult, & quando vult; ſequitur, quòd fruſtra, & deluſoriæ ſint exhortationes, & admonitiones, comparatione eorum, quibus Deus ſtatuit prædictam gratiam congruam non conferre pro ſua voluntate. Et, ſi argumentum aliquid probaret, etiam concluderet, non eſſe neceſſariam diuinam prædeſtinationem ad hominum ſalutem, quia nõ eſt in poteſtate hominis conſtitutum, vt prædeſtinetur, vel non prædeſtinetur a Deo, cùm Deus pro mera ſua voluntate iſtum prædeſtinet, & non illum. Reſpondetur ergo ad argumentum, negando antecedens. Ad probationem dicendum, quòd ratio, propter quam Scriptura ſacra non omnes hortatur, vt prophetent, vel reuocent ad vitam mortuos, aut ſanent inſanabiles ægritudines, non eſt illa, quæ tangitur in argumento quia videlicet non eſt in hominum poteſtate, & arbitrio conſtitutum habere, vel obtinere dona, quibus hæc poſſint efficere; ſed ratio legitima eſt, quoniam hæc facere, pertinet ad gratias gratis datas, quæ per ſe primò donantur in vtilitatem aliorum, & non ad propriam, vt ex profeſſo docet S. Tho. p. 2. q. 111. articul. 1. Vnde & Apoſtolus ait; *Diuiſiones verò gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus: & diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus; & diuiſiones operationum ſunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus. Vnicuique autem datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem*, ſcilicet aliorum; *alij quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alij autẽ ſermo ſcientiæ ſecundum eundem ſpiritum, alteri fides in eodem ſpiritu, alij gratia ſanitatum in vno ſpiritu, alij operatio virtutum, alij Prophetia, alij diſcretio ſpirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio ſermonum: hæc autem operatur vnus, atque idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult.* Et poſt pauca: *Numquid omnes Apoſtoli? numquid omnes Prophetæ? numquid omnes Doctores? numquid omnes virtutes? numquid omnes gratiam habentes curationum? numquid omnes linguis loquuntur? numquid omnes interpretantur?* Cùm ergo gratia gratis data non competat omnibus, ideo Scriptura ſacra ad earum actus non omnes hortatur, ſed quoſdam. Cæterum declinare a malo, & bonum facere, pertinet ad vtilitatem vniuerſiuſque propriam, ideo ſacræ literæ hortatur omnes ad opera virtutum. Licèt enim ſint quidam virtutum actus,

XXXIII. Aug. lib. de bono perſeu cap 19.

Gratia gratis data in aliorũ vtilitatem datur.

1. Cor 12.

Digitized by Google

actus, quos non poteſt homo ex ſolis viribus naturæ facere; nullus tamen eſt aſſignabilis, quem non poſſit efficere, ſaltem ex auxilio gratiæ; *quod quidem auxilium quibuſcunque diuinitùs datur, miſericorditer datur, quibus autem non datur, in pœnam præcedentis peccati non datur ſaltem originalis*, vt ex S. Auguſtino libro de corrept. & gratia, c. 5. & 6. docet S. Thom. 2. 2. q. 2. art 5. ad 1.

X XXIV. Ad decimum argumentum reſpondetur, quòd etiam ad actum peccati, inquantùm actus eſt, requiritur motio prævia Dei, voluntatem creatam prædeterminans ad eundem actũ, inquantùm actus eſt. Etenim actio illa, quantumuis alias ſit intrinſecè mala, vt procedit à voluntate deficiente; tamen, vt ens eſt, & vt actio eſt, bona eſt, & conſequenter procedit à primo bono, tanquam à prima cauſa efficiente, vt diſput. ſeq. perſpicuum fiet.

DISPVTATIO XXIV.

Vtrùm Deus prævia motione liberum arbitrium verè efficienter, ſiue ad modum cauſæ phyſicæ præmoueat ad actum peccati inquantùm actus, & vt ens eſt.

I. EST prima ſententia cuiuſdam Doctoris ex recentioribus, qui non ſolùm negat Deum præmouere, vel prædeterminare voluntatem creatam ad actum peccati, inquantùm eſt ens, ſed etiam negat, materiale peccati, cui ſemper, vel hic, & nunc, & neceſſariò eſt annexa malitia cauſari ſimpliciter à Deo, ſed ſecundùm quid. Et aſſignat rationem, quia licèt Deus ſit eius cauſa per ſe, tamen eſt cauſa tantùm permiſſiua, ſeu per voluntatem permiſſiuam, à qua neceſſariò pendet talis actus: & addit, Deum ſimpliciter non eſſe cauſam motus mali, etiam vt motus quidam eſt, ſeu ratione poſitiui: & tribuit hanc ſententiam Auguſtino 2. de lib. arbitr. cap. 20. & lib. 3. c. 1. Et lib 5. de Ciuit. Dei, c 8. & lib. 1. retract. c. 9. Sed tamen S. Auguſtinus in eiſdem locis apertè docet contrariam, vt infrà patebit. Imò & alij auctores, qui motionem Dei phyſicè prædeterminantem voluntatem noſtram ad liberos actus etiam bonos non admittunt, fatentur Deum abſolutè, & ſimpliciter influxu ſimultaneo efficere cum voluntate creata quemcunque actum peccati, inquantùm ens eſt, abſque eo quòd ad illius malitiam concurrat. Vnde hæc prima ſententia tanquam improbabilis reiicienda eſt, idque rationibus pro 1. & 2. concluſione adducendis præſertim: nam ſequeretur ex illa, Deum non eſſe primam cauſam efficientem cuiuſcunque entis poſitiui, inquantùm eſt ens, & conſequenter eſſent admittenda duo prima rerum principia.

Secunda ſententia eſt aliorum Theologorum, qui cùm cenſeant, Deum abſque prævio iudicio noſtræ libertatis non poſſe voluntatem creatam phyſicè prædeterminare ad actus bonos etiam ſupernaturales; à fortiori id aſſerunt de actibus peccaminoſis, etiam inquantùm actus ſunt. Eandem ſententiam defendunt alij nonnulli Doctores etiam ex illis, qui in actibus bonis, præſertim ſupernaturalibus, præuiam Dei prædeterminationem efficacem admittunt: quam probant.

Primò auctoritatibus ſacræ Scripturæ: dicitur enim Iacob. 1. *Deus intentator malorum eſt, ipſe autem neminem tentat*; ſed tentatio non fit alio modo, quàm inclinando, & mouendo hominem ad actum; hac enim ratione dicitur diabolus hominem tentare: ergo Deus non inclinat voluntatem, nec eam mouet, aut prædeterminat ad actum malum, præſertim quando eſt intrinſecè peccatum ſicut odium Dei, aut blaſphemia.

Confirmatur. Si Deus moraliter moueret voluntatem hominis, ſuadendo, vt conſentiret in actum blaſphemiæ, vel odij Dei, diceretur illum tentare: ergo à fortiori dicetur tentare illum, ſi phyſicè mouet, & prædeterminat voluntatem eius ad conſenſum, ſiue ad actum odij Dei, vel blaſphemiæ. Patet conſequentia; nam efficacior cauſa malitiæ eſt, quæ mouet phyſicè voluntatem ad actum malum, quam, quæ ſolùm morali modo mouet.

Idem probatur ex illo Eccleſiaſt. 15. *Ne dixeris: Per Deum abeſt, quæ enim odit, ne feceris. non dicas: Ille me implanauit; non enim neceſſarij ſunt illi homines impij.* Si autem Deus efficaciter prædeterminat hominis voluntatem ad actum peccati, implanat illum: & quemadmodum de actibus bonis dicitur Ioan. 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit eum*, & ad Philip. 2. *Deus eſt enim, qui operatur in nobis & velle & perficere*. & Ezech. 36. *Faciam, vt faciatis*. & ſimilia; ita poſſet dici de actibus peccaminoſis, quòd nullus poſſit præbere conſenſum in actum peccati, niſi Pater cœleſtis traxerit eum ad talem cõſenſum, & quòd Deus operetur in nobis velle, & perficère actum peccati. & quòd faciat, vt faciamus; & operetur, vt operemur actus intrinſecè malos. hoc autem nihil aliud eſt, quàm hominem implanare ergo.

Et augetur difficultas huius argumenti, ſi conſtituamus hominem grauí quadam tentatione libidinis vexatum, qui antequam conſentiat per iudicium rationis conſideret, quid turpe, quidve delectabile ſit: ex vi cuius conſiderationis poteſt pro libertate ſua conſentire, vel cum diuina gratia diſſentire: tunc enim conſideremus etiam Deum, adiungentem efficaciam ſuam, & ea præuenientem conſenſum huius hominis, & determinantem voluntatem eius, vt conſentiat, & velit actum illum libidinoſum, vt ſibi delectabilem. Certe talis homo poterit iuſtè excuſari & conqueri dicens: Per Deum abfuit ipſe enim potuiſſet meam voluntatem ad diſſentiendum determinare, & noluit, non mea culpa, ſed ſua voluntate. nam, antequam ego quidquam peccarem, ipſe ita decreuit, & fecit. Verè etiam dicere poſſet: Ipſe me implanauit, nam ipſe voluntatem meam determinauit, & fecit me facere actum peccati: & niſi ipſe talem voluntatem in me inchoaſſet, ego non potuiſſem incipere, nec poſtquam ipſe me determinauit, vitare ego potui malitiam, quam cum tali actu coniunctam habui. Item Oſeæ 13. dicitur: *Perditio tua ex te tantummodo in me auxilium tuum*. Si ergo à Deo tantummodo eſt auxilium; ergo non eſt ab illo prædeterminatio ad actum peccati, alias magis eſſet perditio noſtra ex Deo, quàm ex nobis. Præterea ad Rom. 9. cùm de reprobis dixiſſet Apoſtolus: *Suſtinuit Deum in multa patientia vaſa iræ, apta in interitum*: poſtea de prædeſtinatis loquens, ait: *Vt oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparauit in gloriã*. de electis inquit, præparauit in gloriam de reprobis verò ſolùm, ſuſtinuit. Quomodo autem ſolùm ſuſtineret, & non præpararet, ſi efficaciter prædeterminaret ad medium condemnationis, ſcilicet ad actus, qui ſunt intrinſecè peccata?

II.

III. Secundò arguitur auctoritate Conciliorum. nam in Conc. Araus. II. can. 23 dicitur: *Suam voluntatem homines*

homines facinnt, non Dei, quando id agunt, quod Deo displicet. Et can. 25. *Aliquos verò ad malum diuina potestate prædestinatos esse, non solùm non credimus, sed etiam si sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione, in illos anathema dicimus.* Vbi clarè definitur, Deum non inchoare actum malum, nec potestate sua prædeterminare voluntatem hominis ad illum. Prædestinare enim, vt supra dictum est, idem significat, quod prædeterminare: & statim subdit Conc. differentiam inter mala opera, & bona: *Hoc*, inquiens, *salubriter profitemur, & credimus, quòd in omni opere bono nos non incipimus, & postea per Dei misericordiã adiuuamur, sed ipse nobis, nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem, & amorem sui priùs inspirat.* Sentit ergo, quòd in quocunque opere malo nos primò incipimus, & non Deus, aliàs, quantùm ad hoc, nulla prorsus esset differentia inter bona opera, & mala.

Disp. 21. num. 14.

Item in eodem Conc. Trident. sess. 6. de Iustificat. can. 10. sic definitur: *Si quis dixerit, non esse in potestate hominis, vias suas malas facere, sed mala opera ita, vt bona, Deum operari, non permissiue solum, sed etiam proprie, & per se, adeò vt sit proprium eius opus non minus proditio Iudæ, quam vocatio Pauli; anathema sit.* Et can. 17. anathematizatur, qui dixerit, *non prædestinatos vocari quidem, sed gratiam non accipere, vt pote diuina potestate prædestinatos ad malum.* In quo decreto expendenda sunt illa verba, *esse in potestate hominis vias suas malas facere.* quod vtique non esset verum, si ad actum peccati necessariò requireretur præuia motio, & efficax Dei humanam prædeterminans voluntatem, cùm hæc motio non sit in potestate hominis, sed in sola potestate Dei; ac per consequens opera mala ita, vt bona, essent in potestate Dei.

IV. Si dicatur, Concilium loqui de malitia peccati, non autem de actu peccati, inquantùm actus, & ens est, contrà: nam Concilium definit, Deum non operari mala opera propriè, & per se; ergo non tantùm loquitur de malitia operum, sed etiam de ipsis malis operibus, quæ propriè non dicuntur, nisi actus ipsi reales, qui à voluntate fiunt contra legem.

Confirmatur: nam aliàs Concilium nihil determinasset contra huius temporis hæreticos; illi enim non asserunt, Deum esse auctorem peccati, vel instigare ad peccatum, sed inquiunt, Deum esse auctorem illius voluntatis, qua homo consentit, dum peccat, & tentationi succumbit, & ad illam vel instigari à Deo vel determinari: ita loquitur Beza in responsione ad Sebastianum Castilionem in refutatione secundæ calumniæ, explicans sententiam Caluini in aphoris. 22. vbi ait, non tãtùm à Deo fini liberum arbitrium in opere peccati, sed etiã ad illud impelli, excitari, moueri, regi. Neq; verò dicit, Deum esse auctorem peccati, quatenus malum, & deforme est: nam hac ratione in solam voluntatem creatam peccatum refert, in aphoris. 31. sed dicit, ad opus ipsum peccati voluntatem nostram à Deo impelli, excitari, moueri, & regi. Eodem modo loquuntur Caluinus lib. 3. instit. cap. 22. §. 9. & lib. 3. capit. 23. §. 2. & 4. Zuinglius in serm. de prouid. capit. 6. quorum verba disp. 3. num. 14. retulimus. Nec potuerunt hæretici dicere, quòd Deus causet, aut velit peccatum, vt peccatum est, cùm etiam voluntas creata illud sub hac ratione velle non possit: quia, vt dicit Dionys. *Nemo intendens ad malum operatur.*

Dion. c. 4 de diuino.

V. Tertiò probatur auctoritate SS. Patrum, præsertim August. de spiritu, & litera, cap. 31. vbi ait: *Nusquam legimus in sanctis Scripturis, non est voluntas, nisi à Deo, & velle non scriptum est, quia verum non est, alioquin etiam peccatorum (quod absit) auctor est Deus, si non est voluntas, nisi ab illo: quoniam mala voluntas iam sola peccatum est etiamsi desit effectus.* Item lib. de articulis falsò sibi inpositis articulo decimo. *Detestanda, & abominanda*, inquit, *opinio est, quæ Deum cuiusque malæ voluntatis, aut malæ actionis credit auctorem, cuius prædestinatio nunquam extra bonitatem, nunquam extra iustitiam est: uniuersa enim viæ Domini misericordia, & veritas. Adulteria enim matronarum, & corruptelas virginum non instituere nouit sancta Diuinitas, sed damnare; nec disponere, sed punire.* Et in eodem art. paucis interiectis, sic loquitur: *Non ergo casus euentium, nec malignitatem iniquorum, nec cupiditates peccantium prædestinatio Dei aut excitauit, aut suasit, aut impulit.* Ecce non sola entia rationis, formaliaue peccatorum negat Augustinus esse à Deo, sed etiam volitiones ipsas, & actiones, quibus transgressio fit mandatorum, nempe adulteria matronarum, corruptelas virginum, &c. & articulo sexto inquit. *Sicut præuaricatoribus Angelis Deus non intendit illam, qua in veritate non steterunt voluntatem, nec etiam hominibus pari ratione hunc affectum, quo diabolum imitantur, inseruit.* Et art. 11. loquens de quibusdam actibus criminosis, inquit: *Si diabolo obyceretur, quod talium facinorum ipse auctor, ipse esset inuentor, hac se posset exonerare inuidia, & talium scelerum patratorem de ipsorum voluntate vinceres; quia, etsi delectatus sit de furore peccantium, probaret tamen non intulisse vim criminum. Qua ergo insipientia, quæue dementia definiatur, ad Dei referendum esse cõsilium, quod nec diabolo in toto adscribi potest?* Item lib. 5. de Ciuit. Dei, cap. 9. inquit: *Voluntates malæ ab illo non sunt, quia contra naturam sunt.* Et lib. 2 de peccatorum meritis & remissione, cap. 18. tractans illud Pauli: *Quid habes, quod non accepisti?* refert expositionem afferentium id dictum esse, quia Deus dedit nobis liberum arbitrium, & bene operandi facultatem. Ipse autem hoc impugnat, dicens, non ideo dictum esse, sed quia non tantùm facultatem, verùm etiam ipsum velle bonum nobis donat Deus; quia aliàs, inquit, *etiam illud dici posset, malam quoque voluntatem Deo auctori esse tribuendam, quia neque ipsa esse posset in homine, nisi homo esset, in quo esset: vt autem homo sit, Deus auctor est, ita & quidquid est malæ voluntatis, quæ nisi hominem haberet, in quo esset, esse omnino non posset, ad auctorem Deum esset referendum, quod nefas est dicere.* Et inferiùs eodem modo tractat illud ad Philippen. 2. *Deus operatur in nobis velle, & perficere:* quod negat vllo modo dici posse de malo velle. ait enim: *Quocirca, quoniam, quod à Deo nos iuuemur, nostrum est, & hæc est voluntas mala.* vbi clarè loquitur de ipsa reali actione peccati. Leo I X. in epist. ad Petrum Antiochenum, in sua fidei professione ait, Deum prædestinasse solummodo bona, præsciuisse autem bona, malaque. S. Prosper ad obiecta Vincent in 4. & 11. obiectione sæpius repetit, detestandam, & abominandam esse opinionem quæ Deum cuiusque malæ voluntatis, aut malæ actionis credit auctorem. Damasc. lib. 2. fid. orthod. cap. 30. dicit, Deum non prædefinire omnia, quia non prædefinit peccata. Fulgent. lib. 2. de præd. ex professo ostendit, impossibile esse, Deum prædeterminare mala opera: & sanctus Thomas prima secundæ, qu. 9. art. 6. ad tertium, idipsum videtur docere, & alij quamplurimi Patres, quorum testimonia penè innumera pro eadem sententia referuntur ab Auctoribus eiusdem sententiæ. Sed quoniam nullã habent nouam difficultatem, præter illam, quæ in verbis Sanctorum suprà allegatis tangitur, consultò omittuntur.

1. Cor. 4.

VI. Leo IX.

S. Prosp.

S. Damasc.

Fulgent.

S. Thom.

Quartò. Si Deus prædeterminaret voluntatem ad actum peccati, sequeretur, eum esse auctorẽ peccati. Probatur: nam esset prima radix, & causa, quòd homo

S. August.

homo hîc, & nunc, cum tali aduertentia rationis, velit hoc obiectum contrarium rationi; sed homo non peccat, nisi hoc volendo: ergo Deus est illi causa, vt peccet, ac per consequens erit auctor peccati.

Confirmatur. Quia, vt fatentur auctores oppositæ sententiæ, Deus non solùm voluit permittere, vt Iudas venderet Christũ, sed etiam id definitè voluit; imò præuoluit, & præordinauit priusquam præsciret, Iudam id voliturum, ideo enim id voluit Iudas, quia Deus voluit, vt id vellet, & fecit etiam, vt vellet: ergo illa sententia verè facit Deum auctorem peccati.

VII. Quintò. Sequeretur ex eadem sententia, quòd, vt Deus cognoscat peccatum hominis futurum, & vt peccatum illud fiat, nulla requiratur necessariò permissio diuina: consequens est contra Conc. Trid. loco cit. vbi habetur, Deum permittere solùm mala opera operari: ergo. Sequela probatur: nam quidquid necessaria consequutione, & concomitantia sequitur ad actum prædeterminatum, potest præsciri in prædeterminatione eiusdem actus, secluſa alia permissione, sed deformitas necessariò concomitatur actum intrinsecè malum à Deo prædeterminatum, prout determinatus est. nam iuxta oppositam sententiam Deus efficaci motione prædeterminat voluntatem, & facit illam consentire liberè in actum blasphemiæ cum omnibus suis circumstantiis: quod sine peccato à creata voluntate fieri non potest: ergo in sola illa prædeterminatione, secluſa quacunque permissione, potest Deus infallibiliter cognoscere peccatum futurum.

Sextò Si Deus prædeterminat voluntatẽ ad actum mentiendi, sequitur, quòd, vt quis mentiatur, indigeat auxilio efficaci præuio; ac per consequens, qui mentitur, habeat maius auxilium Dei, quàm qui non mentitur, & ita per illud auxilium Deus discerneret mentientem à non mentiente, sicut per auxilium efficax supernaturale discernit illum, qui conuertitur, ab eo, qui perstitit in peccato.

Septimò. Deus ab æterno voluit, & sua lege præcepit, vt nullus committeret opus malum contra rationem; sed cum hac voluntate non stat simul voluntas efficax, prædeterminans liberum arbitrium ad actum, quem necesse est esse peccatum, & malum contra rationem: ergo.

VIII. Octauò. Motio, vel prædeterminatio physica voluntatis ad aliquem actum, fieri non potest absque motione morali, se tenente ex parte obiecti; sed eam necessariò præsupponit, cùm nihil sit volitum, quin præcognitum, alias enim voluntas non operaretur libero, & humano modo. Sed Deus non potest mouere moraliter voluntatem, suadendo, aut consulendo actum peccati, aut etiam præcipiendo, cùm potiùs suadeat, & præcipiat, vt ille actus non fiat: ergo non potest ad illum actum voluntatem creatam efficienter prædeterminare.

Nonò. Quidquid Deus operatur, pertinet ad iustitiam, vel misericordiam, iuxta illud Psal. 24. *Vniuersæ viæ Domini misericordia, & veritas.* Sed inclinare, & prædeterminare voluntatem hominis ad actum peccati, non pertinet ad iustitiam, saltem in primo peccato, quia nullum præcessit aliud peccatum, in cuius pœnam Deus inclinet, & prædeterminet voluntatem ad alium actum peccati: nec etiam id pertinet ad misericordiam, cùm homo operando actum peccati, in maximam potiùs incidat miseriam, quàm subleuetur ab illa: ergo Deus ad talem actum non prædeterminat voluntatem creatam.

Decimò. Deus, quia est summa bonitas, & prima veritas, non potest infundere habitum per se inclinantem voluntatem ad actum intrinsecè malum, vel ad falsum: ergo nec potest infundere auxilium prædeterminans voluntatem ad actum malum.

Vndecimò. Sequeretur ex opposita sententia, indurationem peccatoris, vel eius excæcationem consistere in collatione alicuius auxilij positiui prædeterminantis efficaciter voluntatem ad actus malos: consequens est contra communem sententiam Sanctorum, qui docent, Deum indurare, & excæcare peccatores non positiuè, sed negatiuè: quia videlicet eos non emollit, neque illuminat, sed suum ab eis subtrahit auxilium. Ita enim docet S. August. lib. de præd. & gratia, c. 34. & lib. 1. ad Simplicianum q. 2. & lib. 20. de Ciuit. Dei, cap. 19. Eutym. super Psal 78. & super cap. 15. Ioannis, Chrysostom. homil. 6. in Ioan. Hieron. quæst. 10. ad Edibiam, & Damasc. lib. 4. de fid. orthod. cap. 20. ergo, &c.

Duodecimò arguitur argumento communi: Qui est causa efficax alicuius actus, est consequenter causa eius, quod per se, & intrinsecè sequitur ad talem actum: ergo, si Deus est prima causa præmouens, & prædeterminans voluntatem creatam ad actum intrinsecè malum, scilicet ad actum blasphemiæ, erit consequenter causa malitiæ moralis, quæ per se consequitur ad talem actum, & sic erit causa peccati pro formali, & in quantum est peccatum; quod tamen concedere impium est, & blasphemum.

Confirmatur. Peccatum pro formali est quid positiuum, vt fatentur auctores oppositæ sententiæ: ergo, si Deus prædeterminat voluntatem ad actum peccati, secundùm omnem rationem entis positiui, quam habet: sequitur, quòd prædeterminet ad actum peccati, vt peccatum est.

X. Oppositam sententiam tenent omnes Doctores, qui defendunt, ad omne opus bonum esse necessarium auxilium efficax, liberum arbitrium prædeterminans, quantùm ad exercitium actus. Hi enim consequenter dicunt, Deum ad modum causæ physicæ præmouere, & prædeterminare voluntatem ad actum peccati, inquantùm actus, & vt ens est: & nostro iudicio hæc est expressa sententia S. Augustini, & S. Thomæ, vt inferius ostendemus.

Igitur pro resolutione huius difficultatis supponendum est, actus peccaminosos esse in duplici differentia; quidam sunt boni ex obiecto, vel saltem ex obiecto non sunt moraliter mali, habent tamen malitiam adiunctam ex aliqua circumstantia, vt, si quis det eleemosynam propter vanam gloriam, vel exeat in agrum, vt occidat inimicum. Alij verò ita sunt intrinsecè mali, vt à creata voluntate sine peccato fieri non possint, si liberè producantur: huiusmodi sunt actus blasphemiæ, vel odij Dei, mendacium, & alij consimiles actus, qui habent intrinsecè annexam malitiam moralem.

XI. Peccati causa Deus non est.

Notandum secundò, quòd, vt docet S. Thom. in 2. sent. d. 37. q. 2. ar. 2. in fin. corp. omnes loquutiones, in quibus significatur, Deum esse causam peccati, vel mali moralis, absolutè loquendo, cauendæ sunt, & negandæ. Et ideo ait: *Quodcunque nomen deformitatem simul cum actu significat, siue in generali, siue in speciali, non potest dici, quòd hoc à Deo sit simpliciter: vnde non potest dici absolutè, quòd peccatum sit à Deo, vt homicidium, aut aliquid huiusmodi, nisi cum hac additione, inquantùm est actus, & inquantùm est ens.* Illæ igitur loquutiones, in quibus significatur, quòd Deus sit primus auctor, & prima causa cuiuscunque entitatis, inquantùm est actus, & ens, etiamsi talis actus alias habeat moralẽ malitiã adiũctã ex creata voluntate deficiẽte, sunt concedendæ: nã omne ens per participationẽ, inquantùm huiusmodi, reduci debet, tanquam in primam causam, in ens per essentiam, quod est Deus.

Tertiò

XII. Tertiò ſupponenda ſunt, quæ diximus diſputatione 18. de concurſu Dei generali, & diſputatione 7. de ſcientia media, & quæ in duabus præcedentibus diſputationibus adnotauimus, circa prædeterminationem tã extrinſecam per abſolutum, & efficax Dei decretum, quam intrinſecam per motionẽ voluntati creatæ inhærentem, qua Deus eandem voluntatem efficienter prædeterminat ad omnes actus bonos in particulari, ſecundum omnes ſuas circumſtantias. Ex his enim, quæ ibi dicta ſunt, perſpicuum fiet, quid circa actum peccati, inquantum actus eſt, ſit dicendum. Sed pro maiori explicatione, & breui ſolutione huius diſputat. vt a clarioribus incipiamus, ſit

XIII. Prædeterminat Deus efficienti motione voluntatem ad actus bonos ex obiecto, etiamſi ex malitia operantis ſint mali.

PRima Concluſio. Deus efficaci volutate prædeterminauit omnes actus bonos ex obiecto, qui ſunt in tempore, & eos, qui ex obiecto nõ ſunt mali; inquantum actus ſunt quamuis alias in individuo ſint peccata ex mala circumſtantia. Hanc concluſionem probat efficaciter locus ille Iſa. 10. *Aſſur virga furoris mei & baculus ipſe eſt, ad gentem fallacem mittam eum, & contra populum furoris mei mandabo illi.* Et poſt pauca: *Numquid gloriabitur ſecuris contra eũ, qui ſecat in eadem exaltabitur ſerra contra eum, a quo trahitur? quomodo ſi eleuetur virga contra eleuantem ſe, & exaltetur baculus, qui vtique lignum eſt?* Ex quo teſtimonio deſumitur argumentum. Aſſur peccauit ex mala circumſtantia finis, gẽtes debellando, & tamen Deus prædeterminauit, quod gentes deuaſtaret, & id ad eum finit, & mouit propter quod, vt notauit S. Thomas Opuſc. de regim. principum, lib. 3. cap. 8. virga aſſumitur, baculo, & ſerra; quia ex motione Dei victorias obtinuit, quas tamen ſibi ſuperbe arrogauit, vt ex diſcurſu eiuſdem capitis conſtat: ergo, &c. Item etiam Iſai. 14. dicitur: *Hoc conſilium, quod cogitauit ſuper omnem terram, & hæc eſt manus extenta ſuper omnes gentes: Dominus enim exercituum decreuit, & quis poterit infirmare? & manus eius extenta, & quis auertet eam?* ex quo teſtimonio habetur, æterno decreto prædeterminatam eſſe pœnam, quam iuſto iudicio infert Deus peccatoribus in hoc ſæculo, ſiue per ſe immediatè, ſiue miniſterio Angelorum, vel hominum eam inferat, & tamen multoties homines, quorum miniſterio vtitur, peccant, ex mala circumſtantia ergo, &c.

S. Thomas Opuſc. de regim. principum, lib. 3. cap. 8.

Confirmatur ex illo Matth. 10. *Nonne duo paſſeres aſſe vendunt, & vnus ex illis non cadet ſuper terram ſine Patre veſtro?* hoc eſt, ſine prouidentia, & voluntate Patris veſtri, vt explicant communiter Sancti Patres ſuper eundem locum. Sed contingit multoties, quod homo, cuius miniſterio, & induſtria vnus ex duobus paſſeribus cadit ſuper terram, peccet venialiter, paſſerem occidendo, vt ſi ex vana gloria id faciat, & aliquando mortaliter, vt ſi occidat paſſerem intendens inimicum interficere: ergo.

XIV. Præterea probatur. Confectatio ſacerdotis exiſtentis in peccato mortali, & ſimiliter abſolutio cõfeſſarij qui exiſtens in affectu peccati mortalis, pœnitentem abſoluit, eſt mala actio, & peccatum mortale in individuo propter malam circumſtantiam, quamuis ex obiecto ſit bona, & tamen Deus efficaci decreto ſuæ voluntatis mouet, & applicat ſacerdotem, & confeſſarium ad illam actionem, inquantum eſt confectatio, vel abſolutio: nam ſacerdos conſecrans, & confeſſarius abſoluens habent ſe, tanquam cauſæ inſtrumentales Dei, non enim id efficiunt, vt cauſa principalis, de ratione autem inſtrumenti eſt præmoueri, & applicari à principali agente: ergo Deus præmouet, & prædeterminat voluntatem ad actionem bonam ex obiecto, inquantum eſt actio, quamuis alias ex mala circumſtantia ſit peccatum.

Sacerdos conſecrat ex motione diuina.

XV. Peccatum. Secunda Concluſio. Quidquid entitatis reperitur in quocumque actu peccati, etiamſi alias ſit intrinſecè malus, debet reduci in Deum tanquam in primam cauſam præmouentem, & prædeterminantem actualì motione voluntatem creatam ad talem actum, inquantùm actus eſt, ſecundùm quòd eſt ens. Hæc concluſio eſt contra auctores primæ ſententiæ, defenditur tamen ab auctoribus ſecundæ, & illam docet Capreolus in ſecundo ſententiarũ diſtinctione 37. articulo 3. ad ſecundũ principale, vbi loquens de monitione, qua Deus determinat voluntatem creatam ad actum peccati, inquantùm actus eſt, inquit: *Quamuis ad omne poſitiuum, quod eſt in actu voluntatis, actio voluntatis creatæ eſt poſterior actione Dei in producendo quodlibet tale, quia nulla creatura agit, niſi mota à Deo.* & ſubdit: *Abſolutè Dei non determinat voluntatem creatam ad aliquid, quod ſit ſecundùm ſe malum, ſed ad illud, quod eſt ſecundùm ſe bonum ex natura ſua, licèt ſit malum, quoad deformitatem, quam habet relatum ad cauſam ſecundam.* Neque eſt ad mentem Capreoli explicatio, quam illi tribuunt nonnulli, quòd ſcilicet loquatur non de præuia determinatione, ſed de determinatione, quæ fit per ipſummet actum: hæc enim explicatio ſimilis eſt illi, quam tribuunt verbis ſancti Thomæ dicentis, quòd voluntas creata debet determinari à Deo, vt producat actum determinatum: quia ex ſe indifferenter ſe habet ad multas operationes, dicunt enim ſanctum Thomam eſſe intelligendum non de præuia motione, ſed de illa quæ fit per ipſummet actum. Quam explicationem, tanquam menti ſancti Thomæ contrariam, ſuperiùs reiecimus, & inferiùs etiam impugnabimus. Eodem modo reiicienda eſt hæc explicatio Capreoli; nam ex argumento ſecundo, ad quod reſpondet, euidenter conſtat, illum loqui de præuia determinatione, & motione; nam ſecundum argumentum illius erat eiuſmodi: *Si Deus cogit actui voluntatis, aut hoc eſt, quia ſequitur determinationem voluntatis in illo actu ſic, quod voluntas prius natura determinet ſe ad actum illum; & ex hoc cogit Deus voluntati determinare; aut e contra, prius Deus determinat ſe ad agendum, & voluntas noſtra ſequitur determinationem eius, aut veniunt ad illam actionem ex æquo. Sed nullo iſtorum modo: non primo, quia tunc Deus voluntariè coageret ad peccatum, & etiam haberetur propoſitum eius in illo determinare non cogat ſibi Deus, & ſic non eſt cauſa omnis actus poſitiui. Nec poteſt dari ſecundus modus, quia tunc voluntas determinaretur à Deo ad peccatum, ideo non ageret à ſe, ſed ab alio: & ita voluntas non peccaret: quia de ſe non haberet, vnde eſſet cauſa peccati, quia non liberè: determinaretur enim ab extrinſeca. Nec eſt impoſſibilis tertius modus, tum quia iſte modus eſſet caſualis, tum quia Deus voluntariè coageret ad peccatum.* Et ad hoc argumentum reſpondet per verba ſuperiùs allegata, & ſtatim ſubdit: *Item negatur alia conſequentia ibi facta, ſcilicet voluntas non agit à ſe, ſed ab alio, igitur non à ſe, ſed ab alio habet, quòd ſit cauſa mali, & per conſequens non peccat: cuius ratio eſt, quia voluntas creata non ideo peccat, quia illum actum agit, ſed quia illum taliter agit. Primum habet à Deo, non autem ſecundum.* Loquitur ergo Capreolus de præuia determinatione, & non de illa dumtaxàt, quæ fit per ipſum actum, ſeu operationem creatæ voluntatis.

Actus ſecundum omne id quod entitatem poſitiuam, eſt efficiẽter à Deo, vt à primo mouente.

Capreoli ſententia circa cauſalitatem Dei reſpectu actus peccati expenditur.

Diſp. 22. n. 11. & diſp. 23. n. 15.

XVI. Eandem ſententiam defendit Ferra. 3 contra Gen. c. 71. circa finem, vbi docet, quòd ex mente ſancti Thomæ agens primum vere mouet cauſam ſecundam ad agendum entitatem actionis peccati, inquãtum actio eſt, abſque eo, quòd agat ad eius deformitatem. Eius verba adduximus diſp. 18. num. 22. Idem docet M. Soto lib. 1. de natura, & gratia, ca. 18. circa finem, vbi dicit: *Theologos confiteri, entitatis,*

Digitized by Google

qua eſt peccatum, Deum eſſe cauſam, eo efficientiæ genere, quo cuncta, & animantia, & inanima ad ſuas naturales actiones præmouet. Idem ſentiunt M. Cano, lib. 2. de locis, c. 4. ad 7. M. Medin. p. 2. q. 79. art. 2. & qu. 109. artic. 2. M Bañes 1. p. q. 19. art. 10 dub. 1. poſt tertium fundam. & q. 49 artic. 2. Fauet eidem ſententiæ Caiet. in commentar. ſuper lib. 2. Regum, c. vlt. & ſentaculo 6. q. 2. Denique omnes fere Thomiſtæ, vno, aut altero excepto, docent hanc concluſionem, quæ plane eſt de mente S. Auguſtini, & S. Thom. & probatur

Primò: nam S. Auguſtinus libro 2. de libero arb. cap. 19. proponit hanc noſtram quæſtionem ſub his verbis: *Sed tu fortaſſis quæſiturus es, quoniam mouetur voluntas, cum ſe auertit ab incorruptibili bono ad mutabile bonum, vnde ei iſte motus exiſtat à quo profectò malus eſt.* Et ſtatim c. 20. ad quæſtionem reſpondens, inquit: *Omne bonum ex Deo: nulla ergo natura eſt, quæ non ſit ex Deo: motus ergo ille auerſionis, quem fatemur eſſe peccatum; quoniam defectiuus motus eſt: omnis autem defectus ex nihilo eſt, vide quò pertineat: & ad Deum pertinere non dubites, qui tamen defectus quoniam eſt voluntarius, in noſtra poſitus eſt poteſtate.* Vbi S. Auguſt. diſtinguit manifeſte, in actu peccati motum realem, & phyſicum voluntatis, inquantum motus eſt, & illum docet ex Deo eſſe, & ad Deum pertinere. Alterum eſt defectus à recta ratione, quem ad ſolam voluntatem creatam deficientem reducit, quæ quidem ex eo habet, quòd ſit defectibilis, quia proceſſit ex nihilo. Et lib. 5. contra Iulian. c. 3. inquit: *Ita eſſe in Dei poteſtate non ſolum bonas hominum voluntates quas ipſe facit ex malis, ſed etiam illas quæ conſeruans ſe ubi creaturam, vt eas, quo voluerit, & quando voluerit, faciat inclinari.* Et iterum: *Operatur*, inquit, *Deus in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocumque voluerit; ſiue ad bona pro ſua miſericordia, ſiue ad mala pro meritis eorum.* vbi intelligendus eſt de actu malo, vt actus eſt. Et contra Iulianum diſputans, multa adducit teſtimonia ſacræ Scripturæ ad probandum, quòd Deus mouet, vel inclinat voluntates ad actus malos, quatenus videlicet actus ſunt, præterum illud Iſai 19. *Dominus miſcuit illis ſpiritum erroris.* Et Iſai. 63. *Quid errare feciſti nos Domine à via tua? induraſti corda noſtra, vt non timeremus te.* Et ad Rom. 1. *Propterea tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, &c.*

XVII. Reſpondent quidam ſpiritum conſiectam Scripturæ ſacræ eſſe quæ Deus permittit, maximè ſi in pœnam vel eiuſdem, vel alterius peccati, ea permittat, aut in aliquem peculiarem finem, ac bonum Deo, quaſi effectori tribui, non quidem poſitiuè, & propriè, quaſi in effectum influat, ſed negatiuè, quia id non impedit, cùm poſſit, ſed permittit & ſic dicunt, eſſe intelligenda verba Auguſtini. Sed hæc explicatio manifeſtè pugnat cum contextu S. Auguſt. nam eodem cap 3. impugnans Iulianum, qui hanc eamdem explicationem verbis adductis ſacræ Scripturæ tribuerat, ſic ait: *Quid eſt autem, quod dicis, cum deſiderius ſua tradita dicuntur, retenti per diuinam patientiam intelligendi ſunt, non per potentiã in peccata compulſi? quaſi non ſimul poſuerit hæc duo idem Apoſtolus, & patientiam, & potentiam, vbi ait: Sic autem volens Deus oſtendere iram, & demonſtrare potentiam ſuam.*

Rom. 9.

Deum præmouere ſecundò ſimultatè efficienter ad actum peccati, oſtenditur ex S. Thom.

Secundò probatur manifeſtiſſimis teſtimoniis S. Thom. & præſertim in ſecundo ſentent. diſtinct. 37. quæſtion 1. art. 2 vbi clariſsimè docet noſtram ſententiam, quod, vt appareat verba ſancti Doctoris retineamus. In titulo articuli quærit: Vtrùm actio peccati, inquantum actio, ſit a Deo; & reſpondens, ait. *Circa hanc quæſtionem tanguntur a magiſtro duæ opiniones, quarum vna docebat, omnes actus, inquantum actus ſunt, ex Deo eſſe ſed, inquantum deformitatem habent, à Deo non ſunt; ſed ab homine, vel a diabolo: & horum rationes ſupra 1. diſtinctione proſequutus eſt. Alia opinio dicebat, actus peccatorum nullo modo, nec etiam inquantum actus ſunt, a Deo eſſe, & hæc opinio tangitur in præſenti diſtinctione, quam ad præſens nulli, vel pauci tenent, quia propinquiſſima eſt errori duplici. Primo, quia ex ea videtur ſequi, quod ſint plura prima principia: hoc enim eſt de ratione primi principij, vt agere poſſit, ſine auxilio prioris agentis, & influentia eius. Vnde, ſi voluntas humana actionem aliquam poſſet producere, cuius auctor Deus non eſſet, voluntas humana rationem primi principij haberet. Quamuis hoc ſoluere nitantur aſſerentes, quod voluntas, eſti per ſe poſſit actionem producere ſine influentia prioris agentis; non tamen habet à ſe ſe, ſed ab alio, quod etiam exigeretur ad rationem primi principij. Sed hoc videtur inconueniens, vt, quod à ſe eſſe non habet, à ſe agere poſſit, cùm etiam per ſe durare non poſſit, quod à ſe non eſt. Omnis etiam virtus ab eſſentia procedit, & operatio a virtute. Vnde cuius eſſentia ab alio eſt, oportet, quòd virtus, & operatio ab alio ſit. Et præterea quamuis per hanc reſponſionem euitaretur, quòd non eſſet primum ſimpliciter, non tamen poſſet vitari, quin eſſet primum agens, ſi eius actio in aliquod prius agens non reduceretur, ſicut in cauſam. Secundò, quia, cùm actio* Vide 1. 2. q. 79. ar. 1. & 2.

etiam peccati ſit ens quoddam, non ſecundum quod priuationes, & negationes entia dicuntur: ſed etiam, ſecundum quod res in genere exiſtentes entia ſunt, eo quod & ipſæ actiones in genere ordinantur: ſequeretur, quod ſi actiones peccati a Deo non ſunt, aliquod ens, eſſentiam habens, a Deo non eſſet, & ita Deus non eſſet vniuerſalis cauſa omnium entium: quod eſt contra perfectionem primi entis. Primum enim in quolibet genere eſt cauſa eorum, quæ ſunt poſt, vt in ſecundo Metaph. dicitur. Et Text 4.

ideo cum prima opinione dicendum eſt, quod actus, inquãtum actus, a Deo eſt, & vt ſic, non habet aliquid, quod deformitatem habeat: quod qualiter ſit, ita conſiderari poteſt. In omnibus enim, in quibus incidit defectus ex cauſa ſecunda, & non ex cauſa prima oportet, quod quidquid eſt in effectu deficiente eſſentia & ordinatio, totum a prima procedat: quod autem defectus reducatur in cauſam ſecundam deficientem, vt patet in claudicatione, quæ eſt à virtute greſſiua mediante tibia: per cuius ſcilicet tibiæ curuitatem obliquitas in greſſu claudicantis relinquitur. Vnde quidquid eſt ibi de greſſu, totum eſt a virtute greſſiua: ſed defectus, vel obliquitas greſſus nõ eſt a virtute greſſiua, ſed à tibia tantùm. Similiter etiam eſt ordo Dei ad voluntatem cauſatam, ſicut cauſa prima ad cauſam ſecundam: ideo ex parte Dei nullus defectus incidere poteſt. Voluntas autem cauſata ad effectum poſſibilis eſt, & ideo quidquid eſt in actu deficiente ſcilicet peccato de ratione actus, & entis, & boni, totum hoc a primo agente, ſcilicet, Deo procedit, mediante voluntate: ſed ipſe defectus, qui eſt in actu hoc modo eſt a voluntate: quòd a Deo non procedit. Et ideo quodcunque nomen deformitatem ſimul cum actu ſignificat ſiue in generali, ſiue in ſpeciali, non poteſt dici, quod hoc a Deo ſit ſimpliciter. Vnde non poteſt dici abſolutè, quod peccatum ſit a Deo, vt homicidium, aut aliquid huiuſmodi, niſi cum hac additione, inquantum eſt actus, & inquantum eſt ens. Quibus verbis clariſſimè XVIII. docet, quòd actus peccati, inquantùm actus, à Deo eſt, tanquam à cauſa prima efficiente. Nec poteſt ſanctus Thomas explicari de ſolo concurſu ſimultaneo, quo Deus cum voluntate ſe determinante ſimul concurrit ad actum peccati, vt actus eſt. Nam per huiuſmodi concurſum non producit Deus actum peccati, mediantè voluntate, ideſt, influendo in ipſam voluntatem, vt in cauſam, ſed immediatè cum voluntate. At ſanctus Thomas dicit, quòd quidquid eſt in actu peccati de ratione entis, & boni; totum hoc à primo agente, ſcilicet à Deo procedit, *mediante voluntate.* Sentit ergo, quòd præmouet eandem voluntatem

tem ad productionem actus peccati, inquantùm actus est. Id ipsum constat apertius ex solutione ad 2. Vbi soluens argumentum, quod est potissimum fundamentum oppositæ sententiæ (nam si Deus esset causa actionis, in qua malum, seu peccatum inseparabiliter consistit, esset reuera causa peccati, vel cooperaretur ad peccatum) respondet, *quòd illud dicitur ad malum cooperari, quod inclinat ad actionem, secundùm quod actio deformitati subsistat; vnde mala est: hoc autem Deo non conuenit, & ideo non oportet, vt ad malum cooperari dicatur, quamuis actionis illius causa sit, in qua malum consistit. secundùm quod influit agenti esse, posse, & agere, & quidquid perfectionis in agente est.* Ergo loquitur de influxu prævio. Etenim per concursum simultaneum, Deus non influit agenti ipsum agere, sed immediatè influit in actionem cum libero arbitrio se determinante. At S. Thomas aperte dicit, Deum esse causam illius actionis, in qua malum consistit, secundùm *quòd influit agenti esse, posse, & agere.* Et obiicientibus: nam sequeretur, quòd Deus eodem modo dicendus esset auctor malarum actionum, sicut est auctor bonarum, respondet in solutione ad tertium eiusdem articuli, quod *Deus dicitur causa bonarum operationum, non illum quantum ad essentiam actus, sed etiam quantum ad perfectionem, secundum quam bonæ dicuntur, earumque enim agenti influit, & vt agat, & vt bene agat, sed in malis actionibus, quamuis sit causa earum, quantum ad essentiam, non tamen est causa quantum ad defectum, & ideo absolutè dicendus est causa bonorum operum, non autem peccatorum.* Placuit hæc omnia verba S. Thomæ referre, vt constet, sententiam, quam defendimus, esse reuera expressam illius, præsertim cùm omnia ferè argumenta, quæ contra nostram à modernis Theologis obiiciuntur, priùs sibi obiecerit S. Thomas, & ea dissoluerit eisdem prorsus solutionibus, quas nos ex eodem S. Doctore acceptas eisdem argumentis adhibemus. Eandem doctrinam confirmat 1.2. quæstion. 79. articulo 2. & quæst. 3. de malo, art. 2. præsertim in 2. ratione, vbi expressè loquitur de causalitate actus peccati per influxum prævium, in libero arbitrio immediatè receptum: & idem colligitur ex solutione ad quartum. Præterea quæst. 3. de potentia, articulo 7. in corp. & ad 6 & 3. cont. Gent. cap 70. & 1. p quæst. 105. art. 4. præsertim in solutione ad tertium, & alibi sæpe docet, quòd Deus mouet, & applicat omnes causas secundas ad operandum suas operationes, sicut artifex mouet, & applicat instrumenta ad opus artis: sentit ergo, quòd Deus, tanquam prima causa efficienter moueat, applicet, ac prædeterminet voluntatem creatam ad actum peccati, inquantùm actus est: nam respectu illius, inquantùm est actus, voluntas creata est vere causa secunda efficiens, nō prima; aliàs essent admittenda duo prima principia; quod esset in errorem Manichæorum incidere. Præterea quodlib. 12. q. 4. art. 4. inquit, quòd à prouidentia Dei *omnia sunt prædeterminata*, & ordinata, quod etiam asserit aliis pluribus in locis in duabus præced. disp. ad iactus ergo actus peccati, inquantùm est actus, vere procedit ex prouidentia, & prædeterminatione diuinæ voluntatis. Nec potest explicari S. Thom. de motione, vel determinatione simultanea: nam verbum, *prædeterminat*, præcedentem prædeterminationem significat.

A nia, quæ producit in tempore, vt supra diximus ex sancto Augustino, & sanct. Thom. prima parte quæstione 25. articulo 5. ad 1. ergo Deus, absoluto, & efficaci decreto determinauit, quòd voluntas creata produceret actum peccati, inquantùm actus est.

Confirmatur: nam sequeretur ex opposita sententia, esse plura prima principia: hoc enim est de ratione primi principij, vt agere possit sine auxilio prioris agentis, & influentia eius: ergo, si voluntas creata actionem aliquam posset producere, cuius auctor Deus non esset, voluntas creata respectu talis actionis haberet rationem primi principij, & ita essent plura principia prima.

Si dicatur, quòd voluntas creata non habet rationem primi principij simpliciter, quia non habet B à se esse, sed ab alio: vnde, quamuis per se possit actionem peccati producere sine influentia prioris agentis, non sequitur quòd sint plura prima principia: contra hanc solutionem insurgit S. Thom. articulo secundo citato, eam impugnans duplici ratione, vt patet ex verbis sancti Doctoris supra inductis. Vnde in 2. sentent. ad Annib. d. 37. quæstione vnic. articulo 1. in corp. disputans quæstionem: Vtrum oporteat ponere omne ens esse a Deo, his verbis respondet: *Hæreticum est dicere aliquod ens, inquantum ens, non esse a Deo, nec solum fidei contrarium est, sed etiam rationi.* Et loquitur etiam de entitate actus peccati, vt patet ex solutione ad tertium eiusdem articuli.

Voluntatē creatā non esse primū principiū suæ determinationis qualiter intelligēdum

Quarto probatur, destruendo fundamentum potissimum contrariæ sententiæ: ex eo enim probat, C Deum præuia motione non prædeterminare ad modum causæ physicæ voluntatem creatam ad actum peccati, inquantùm actus est, quia sequeretur, Deum esse causam peccati: sed hoc non sequitur: ergo. Minor probatur: nam, vt disputat. 18. numero 21. dicebamus, & fatentur auctores oppositæ sententiæ, Deus auxilio simultaneo concurrit effectiuè ad entitatem cuiuscunque actus peccati, vt actus est in particulari, absque eo, quod concurrat ad eius deformitatem: ergo etiam influxu prævio prædeterminante voluntatem ad eundem actum, vt actus est. Probatur consequentia: nam malitia moralis, & deformitas peccati non est minùs annexa actui odij Dei in exercitio, quam applicationi, & determinationi voluntatis ad talem actum ergo si Deus simul D cum voluntate immediatè producit effectiuè actum odij Dei, inquantùm actus est, absque eo quòd concurrat ad eius deformitatem, etiam poterit præmouere, & prædeterminare voluntatem efficienter ad eundem actum, inquantum actus est, absque eo quòd illam moueat, ac prædeterminet ad peccatum, vel concurrat ad malitiam moralem, quæ consequitur ad talem actum, vt est à voluntate deficiente.

XX. Deus concurrit ad entitatem actus peccati, nō autē ad eius deformitatem.

Confirmatur. Per concursum simultaneum magis immediatè attingit Deus actum peccati, vt actus est, quàm per motionem prævium: ergo, si per influxum simultaneum attingit actum peccati, absque eo quòd operetur ad eius deformitatem, à fortiori poterit id efficere per concursum prævium.

Respondent, negando consequentiam, & assignāt E rationem discriminis: nam concursus Dei generalis, quo immediatè influit cum voluntate creata in actum peccati, est secundùm se indifferens; homo verò, dum peccat, abutitur sua malitia eodem influxu ad actum peccati: & propterea malitia moralis, quæ reperitur in tali actu, solùm debet refundi in voluntatē creatam: nam Deus, quantùm est ex parte sua, non præbet homini influxum determinatū ad actum malum. Cæterùm illo auxilio prævio prædeterminaret voluntatem creatam ad actum peccati, inquātùm actus est in particulari: nā, quantùm est ex

XXI

XIX. Tertiò, probatur ratione S. Th. in 2. sententia. suprà cit. Omne ens per participationē debet reduci in ens per essentiam, tanquàm in primum agēs simpliciter; sed actus peccati, inquantùm actus, est ens per participationem: ergo sub hac ratione debet reduci in ens, per essentiam, scilicet in Deum, tanquam in primum agens simpliciter: sed Deus per decretum suæ voluntatis absolutum, & efficax, operatur om-

parte sua, tribueret homini suum concursum ad actum illum determinatum cum omnibus suis circumstantiis, ac per consequens malitia moralis, quæ est vna circumstantia consequens talem actum, secundùm quòd sit in indiuiduo, tribueretur Deo: & consequenter verè Deus esset causa peccati. Sed hæc solutio falso innititur fundamento: nam concursus Dei generalis non est indifferens secundùm se, vt disputat. 21. ostensum est, aliàs concursus Dei determinaretur à voluntate creata, & esset ea posterior: ac per consequens voluntas creata in ordine ad aliquē actum realem, vt actus est, esset simpliciter primum agens, & consequenter ista causalis esset concedenda: quia voluntas creata operatur talem actum, vt est ens, Deus cooperatur: hanc autem nullatenus esse concedendam probat efficaciter S. Thom. in 2. sent. citato: nam sequeretur, quòd essent constituenda duo prima principia, & quòd Deus non esset simpliciter prima causa omnium, quæ quodcunque habent esse.

Præterea impugnatur eadem solutio. Licèt Deus prædeterminet voluntatem ad actum peccati in indiuiduo, vt actus est, & ad omnes circumstantias, secundùm quòd tales circumstantiæ habent rationem entis; non tamen prædeterminat voluntatem ad actum peccati, vel ad illas circunstantias, quatenus habent rationem peccati, vel malitiæ moralis: etenim in ordine ad Deum, hæc duo possunt separari, vt ex dictis tum in hac, tum in disput. 18. num. 21. constat.

XXII. Quintò probatur: Deus habet perfectam prouidentiam actus peccati, inquantùm actus est, cùm prouidentia diuina se extendat ad omnia, quæ quomodocunque habent rationem entitatis: ergo æterno decreto suæ voluntatis prædeterminauit, & præordinauit in finem talem actum, inquantùm actus est. consequentia patet: nam prouidentia est ratio ordinis mediorum in finem, vt 1. p. quæst. 22. docet S. Thom.

Denique probatur omnibus argumentis, quibus disput. 18. ostendimus, concursum Dei generalem esse influxum immediatam in causam secundam, quo eam mouet, & prædeterminat, iuxtà propriam naturam ad singulas operationes, sed Deus concursu generali est prima causa cuiuscumque actionis, etiam peccaminosæ, inquantùm actio est, vt fatentur auctores oppositæ sententiæ: ergo per eundem concursum efficienter mouet, & prædeterminat voluntatem creatam ad talem actum, inquantùm actus est. Idipsum confirmant omnia argumenta facta in duabus præcedentibus disput. ad probandum, Deum prædeterminasse omnes actus bonos creatæ voluntatis: omnia enim procedunt etiam de actibus peccatorum, inquantùm actus sunt: nam sub hac consideratione habent rationem boni.

XXIII. Tertia conclusio. Absolutè loquendo, non est concedendum, quòd Deus sit causa peccati, aut mali moralis, nec etiam est concedendum absolutè, quòd Deus sit causa blasphemiæ, aut mendacij, vel odij Dei, vel quòd homo indigeat Dei auxilio ad mentiendum. Hanc conclusionem probant efficaciter argumenta facta à principio, & illam tradit S. Thomas in 2. sent. d. 37. superius allegata. Vtrum autem hæc propositio sit concedenda: Deus est causa peccati pro materiali, non conuenit inter Theologos: quidam eam concedunt, quidam negant, etiam ex his, qui sequuntur nostram sententiam, sed melius est eam distinguere. Si enim illud verbum, *pro materiali* accipiatur formaliter, & vt dicit respectum ad formale peccati, neganda est illa propositio: nam actus non habet ex causalitate Dei, quòd dicat ordinem ad formale peccati, vel fundet malitiam moralem, aut subiiciatur illi, sed ex defectu creatæ voluntatis. & in hoc sensu explicari possunt illi Theologi, qui, licèt nobiscum fateantur, Deum physicè prædeterminare voluntatem creatam ad actus bonos: negant tamen eam præmouere, vel prædeterminare ad actū peccati, & mali moralis, etiam pro materiali. Si autem materiale peccati sumatur absolutè pro entitate actus peccati, vt actus est, cui tamen accidit malitia ex defectu creatæ voluntatis, sic concedi potest, Deum esse causam eius, quod est materiale in peccato, scilicet entitatis actus, inquantùm ens est, vt patet ex S. Thoma locis citatis: & in eodem sensu concedi etiam potest, Deum præmouere, & prædeterminare voluntatem ad actum peccati pro materiali.

Deum esse causā peccati pro materiali, in quo sensu concedi possit.

XXIV. AD primum argumentum ex auctoritatibus Scripturæ respondetur, solùm probare tertiam conclusionem, quòd scilicet Deus non prædeterminet voluntatem creatam ad peccatum, absolutè loquendo, neque eam necessitet ad illud, sicut dicebāt hæretici, non tamen probant, quòd non moueat, aut prædeterminet illam ad entitatem actus peccati inquantùm entitas est, & quædam perfectio positiua. Diabolus autem dicitur hominem tentare, quia moraliter inclinat illum ad peccandum, suadendo videlicet ipsum peccatum: suadet enim actum, vt est contra Deum, & vt habet rationem culpæ, quia quidquid operatur, vt Caiet. ait, refert virtualiter ad malum finem: quod quidem Deus non facit, sed mouet efficienter voluntatem ad actum positiuum peccati, inquantùm ens est, quia, vt sic, bonum quoddam est. Caiet. 1. p. q. 64. art 2. in fine.

Ad alium locum ex Eccles. 15. respondetur, quòd Deus non implanat hominem; quia non necessitat eius voluntatem, nec eam mouet ad malum, vt dictum est. Et ad locum inductum ex Ioan. 6. & Philipp. 2. respondetur, quòd Deus speciali quadam ratione dicitur trahere homines ad Christum, & operari in nobis velle, & perficere actus supernaturales, quia videlicet auxilio supernaturali speciali, non solùm efficienter ex parte potentiæ, sed etiam moraliter ex parte obiecti eos mouet, suadendo, vt ad Christum veniant, & bene operentur. Cæterùm solùm concursu generali mouet voluntatem ad entitatem actus peccati, vt actus est. Præterea per auxilium speciale efficax, non solùm influit voluntati ipsum agere, sed etiam bene agere, & supernaturaliter agere: per concursum autem generalem influit voluntati agere actum peccati, non autem tribuit ei male agere, seu deficienter agere, vt dicit S. Th. 2. sen. d. trigesimaseptima quæst. 2. art. 2. ad 3. vnde non est similę. Deus non implanat hominem.

XXV. Ad illud verò, quod in eodem argumento tangitur de homine in graui libidinis tentatione constituto, respondetur, quòd nullo modo potest excusari, aut de Deo iustè conqueri, si in delectationem carnalem consentiat: nam etiam in ipso instanti, in quo à Deo prędeterminatur eius voluntas ad actum peccati, inquantùm actus est, hoc non obstante ipse potest, absolutè loquendo, non consentire, & liberè consentit. Vnde sibi, & non Deo imputare debet peccatum, siue malitiam moralem, quæ ad illum actum, secundùm quòd est à voluntate deficiente, consequitur.

Ad alium locum ex capite decimotertio Oseæ, respondetur, quòd motio illa Dei, qua voluntas creata prædeterminatur ad actum peccati, inquantùm est actio, verè est auxilium actuale ipsius, sine quo creatura nil faciet, iuxta illud, quod veritas ait: *Quia sine me nihil potestis facere.* Ioan 15. Vnde sicut à Deo est omne auxilium nostrum, ita etiam ab illo procedit, & ab illo est,

quòd

quòd voluntas se determinet ad quamcumque actionem, etiam peccati, inquantum actio est; quia, vt sic, bona est.

XXVI. Ad locum ex cap. 9. ad Rom. respondetur, quòd de reprobis, seu de vasis iræ solum dicit Apostolus, quòd sustinuerit, non autem quòd præparauerit eas, quoniam non præparauit, nec prædeterminauit ad malum, siue ad peccatum, absolutè loquendo: cum hoc tamen stat, quòd prædeterminauerit ad actum peccati, inquantùm actus est.

Concilia quæ docét Deum nõ prædeterminare homines ad actus malos, expenduntur.

Ad secundum argumentum ex auctoritate Conciliorum respondetur ex dictis, Concilia loqui de actibus malis formaliter, siue de peccatis, vt peccata sunt. Etenim secundum hanc rationem Deo displicent, non autem, inquantum entia sunt: nam omne ens, inquantùm ens, bonum est, & consequenter sub hac ratione Deo displicere non potest, aut odio haberi. Vnde in qualibet actione, inquantùm actio est, qui primò inchoat mouendo potentiam, est Deus: alias enim voluntas creata esset simpliciter prima causa suæ actionis, si eius causalitas non reduceretur in aliud prius agés. Si autem loquamur de ipso peccato, aut malo morali absolutè, referendum est in solam voluntatem creatam, quæ ex natura sua defectibilis est, quia ex nihilo est. Differentia autem, quam Concil. Trident. inter opera bona, & mala constituit, respectu operationis diuinæ, constitit in hoc, quòd Deus in nobis, atque nobiscum operatur, vt operemur bona opera, nõ solum inquantum actus sunt, sed etiam in quantum bona sunt. Mala autem opera operatur Deus in nobis, atque nobiscum, inquantùm actus sunt, non autem, inquantùm mala sunt. Quam differentiam priùs constituit S. Tho. in 2. sent. d. 27. cit. q. 2. art. 2. vbi cùm in 3. argumento obiecisset, quòd, *si Deus ipsarum actionum malarum, inquantum actiones sunt, a potentia egredientes, causa esset; eodem modo dicendus esset auctor malarum actionũ, sicut est auctor bonarum.* Respondet ad tertium, *quòd Deus dicitur auctor, & causa bonarum operationem, non solum quantum ad essentiam actus, sed etiam quantum ad perfectionem, secundum quam bona dicuntur. Vtrumque enim agentis influit, & vt agat, & vt bene agat: sed in malis actionibus, quamuis sit causa earum, quantum ad essentiam non tamen est causa, quantum ad defectum, & ideo absolutè dicendus est causa bonorum operum, non autem peccatorum.*

XXVII. Ad confirmationem in qua obiicitur: nam hæretici huius temporis, contra quos loquitur Cõc. Tri. nunquam dixerunt, Deum esse auctorem, aut causam peccati, inquantùm peccatum est: quin potiùs expressis verbis sub hac ratione inuolimtatem creatam duntaxat illud referunt; respondetur, quòd nonnunquam Lutherani, & Caluinani verbis quidem concedebant, Deum non esse auctorem peccati, sed solum voluntatem creatam, cum tamen reuera sentirent, quòd aliquando verbis ambiguis obtegebant, sicut Pelagius verbis quidem negabat, gratiam secundum merita nostra dari, vt disput. num. 5. euidentissimis testimonijs S. Aug. ostensum est, & tamen in rei veritate id semper tenuit, & sensit, sed tamen gratiæ vocabulo sæpe vsus est, *frangens*; hoc verbo, *inuidiã, offensionemque declinans*, vt dicit idem Aug. li. de gratia Christi. Vnde S. Hier. de quibusdam hæreticis loquens: *Sic*, inquit, *verba temperant, sic ordinem vertunt, & ambigua quæque concinnant, vt & nostram, & aduersariorum confessionem teneant: vt aliter hæreticus, aliter Catholicus audiat.* Et post pauca: *Credimus, inquiunt, resurrectionem futuram corporum. Hoc si bene dicatur, pura confessio est, sed quia corpora sunt cælestia, & terrestria, & aër iste, & aura tenuis iuxta naturam suam corpora nominantur, corpus ponunt non carnem; vt orthodoxus corpus audiens, carnem putet, hæresim*

Hæretici in quo sensu asseruerũt, Deum esse auctorẽ peccati.

Hæretici verbis ambiguis vsi sunt hæreles pal liare conatur Aug. lib. de gratia Christi cõt Pelag. & Cœlest. ca. 37. tom. 7 S. Hier. ep. ad Pãmachiũ, to. 2.

cus spiritum recognoscat. Non dissimiliter Lutherani verbis asserebant, peccata non referri in Deum, sed in voluntatem creatam, vt offensionem verbi euitarent, sed in rei veritate sentiebant, Deum esse auctorem peccati, & causam, vt homo peccaret. Ad cuius euidentiam considerandum est, quòd, vt ex dictis in 3 disp. constat, in duobus potissimùm errauerũt Lutherani, & Caluiniani. Primus error eorũ fuit, Deum producere in nobis opera mala, sicut & bona, voluntate creata merè passiue se habente, ita enim asseruit Lutherus: Caluinus autem & alij nonnulli dixerunt, hominem ad peccandum necessitari à Deo, vel à Diuina prouidentia, & prædeterminatione, quamuis sponte peccaret, eò quòd voluntate sua concurrebat actiuè ad peccatum, non tamen liberè. Ita dicit lib. 3. inst. §. 9. vbi ait: *Excusabiles peccando haberi volunt reprobi; quia euadere nequeunt peccandi necessitatem, præsertim cum ex Dei ordinatione sibi inijciatur huiusmodi necessitas.* Et idem dicit alijs in locis. & Zuinglius capite sexto cit. inquit: *Coactus est homo ad peccandum.* Contra illum errorem definit Concil. Trident. sess. 6. de iustif. can. 10. vbi anathematizatur, qui *dixerit non esse in potestate hominis, vias suas malas facere*: clare ostendens, non solùm sponte, sed etiam liberè hõines peccare: nam vere sunt liberi respectu eorum, quæ habent in sua potestate. Secundus error eorum fuit, Deum esse veram causam non solùm efficientem, sed etiam moralem, quòd homo, vel Angelus peccet: in quo sensu concedebant, Deum esse auctorem peccati, eò quod faceret homines peccare; addebant autem, Deum hoc efficiendo, non peccare, neque denominari peccantem, eò quòd legi non sit subiectus. Ita dixit Zuinglius sermone de prouidentia, capite quinto vbi ait: *Cum Deus Angelum, vel hominem transgressorem facit, ipse tamen non transgreditur, vt qui contra legem non veniat.* Et capite sexto, *Vnum igitur atque idem facimus, puta adulterium, aut homicidium, quamum Dei auctoris, motoris, ac impulsoris opus est, crimen non est, quantum autem hominis est, crimen, ac scelus est: ille enim lege non tenetur.* Et in eodem cap. inquit: *Quod Deus facit, libere facit, alienus ab omni affectu noxio; igitur & absque peccato.* Eodem modo loquitur Caluinus libro tertio institut. capite vigesimotertio §. octauo, *Cadit*, inquiens, *homo Dei prouidentia sic ordinante.* & §. 9. subdit: *Deus hoc faciendo non peccat, quis id fecit sibi cognita æquitate.* & idem dicit libro de æter. Dei prædest. pag. 946. Beza in aphoris. decimonono, & trigesimo primo, & in respons. ad Sebastianum Castilionem in refutat. secundæ calumniæ, & alij hæretici disputatione tertia, numero decimo quarto, allegati. Contra istum errorem definitur in Concilio Tridentino, cùm damnatur, qui dixerit: *Non esse in potestate hominis, vias suas malas facere, sed mala opera ita, vt bona Deum operari, non permissiue solum, sed etiam propriè, & per se; adeò vt sit proprium eius opus non minus proditio Iudæ, quam vocatio Pauli.* Non definit Concil. quòd actus peccati, seu consensus voluntatis creatæ in actum malum, quatenus actus est, non sit à Deo, tanquam à primo auctore, imò oppositum non obscurè supponit. Si enim magis est à Deo actus bonus, quam malus; sequitur, quòd actus malus secundùm aliquam rationem sit à Deo, videlicet, vt actus est: nam comparatiuum supponit positiuum. Nec satis est dicere, quòd actus peccati, inquantùm actus, procedit à Deo per concursum simultaneum, non autem per motionem præuiam: nam, vt disputatione decimaoctaua ostensum est, ad saluandam causalitatem primæ causæ, respectu omnium, ac singularum actionum,

Caluini error asserentis, Deum esse causã peccati, expenditur. Conc. Tri. sess. 6. cã. 6.

non sufficit ponere concursum istum simultaneum cum causis secundis, sed necesse est præuium etiam admittere. Cùm autem ait Conc. Deum permisiuè solùm operari opera mala, non autem propriè, & per se, loquitur de illis absolutè, vel quantùm ad malitiam moralem, & deformitatem, quam habent, hæc enim in solâ voluntatem creatam deficientem refunditur, non solùm denominatiuè, quia videlicet sola voluntas creata denominatur peccans, sed etiâ effectiuè. Deus enim, prædeterminando voluntatem ad actum peccati, in quantùm actus est, nec denominatur peccans, nec facit, nos peccare. In actibus verò bonis, & meritoriis, quamuis Deus non denominetur merens, verè tamen facit nos mereri, & bene operari, tum moraliter, tum etiam efficienter ad bene operandum, & merendum, nos mouendo.

XXVIII. Et cùm obiicitur, nam hæretici non potuerunt dicere, quòd Deus causet, aut velit malum, vt malum est, cùm etiam voluntas creata illud sub hac ratione appetere non possit; respondetur, quòd, vt docet S. Thom. p. 2. q. 78. artic. 1. ad 2. quamuis malum non possit esse secundùm se intentum ab aliquo, potest tamen esse intentum ad vitandum aliud malum, vel ad consequendum aliquod bonum, sicut lasciuus magis vult peccando incurrere offensam Dei, quàm delectatione priuari, quamuis vellet, si posset fieri, frui delectatione sine Dei offensa. Voluntas ergo creata, quando peccat, vult secundariò, & consequêter malum peccati, quia liberè eligit actionem, ad quam consequitur malitia peccati, secundùm quòd talis actio procedit ab eadem voluntate deficiente. Deus autem nec per se primò vult, nec causat malum culpæ, nec secundariò, & indirectè, vt probat S. Thom. p. 2. quæst. 79. art. 2. quia malitia moralis non sequitur ad actum peccati, vt actus est, nec vt procedit à Deo, sed quatenus est à voluntate deficiente, vt disp. 18. numero 21. & 22. dictum est.

Voluntas creata quomodo possit velle malû, seu peccatum.

XXIX. Ad tertium argumentum ex auctoritatibus S. Augustini respondetur, ipsum in locis superiùs allegatis satis apertè docere, omnem actionem etiam peccaminosam, inquantùm actio est, in Deum, tanquam in primum auctorem esse referendam, neque alicubi S. Doctor oppositum dicit. Vnde cùm inquit, voluntatem malam non esse à Deo, & consimilia verba, loquitur de mala voluntate absolutè, eo sensu, quo supra explicuimus verba Conciliorum. Et præsertim in libro 5. de Ciuit. Dei, cùm ait: *Malæ voluntates ab illo non sunt, quia contra naturam sunt, quæ ab illo est*: luce clarius ostendit, se non loqui de voluntate, seu actione mala, inquantùm actio est, sed, vt mala est: nam, inquantum actio, siue inquantùm ens est, non est contra naturam, quæ ab illo est, sed solùm inquantum mala moraliter est contra naturam hominis, quæ ab illo est.

Ad locum autem ex libro secundo de peccatorum meritis, & remiss. respondetur, S. Augustinû ibi contra Pelagianos velle concludere, Deum esse causam rectæ operationis, non solum inquantùm actio est, sed etiam inquantùm recta, & bona est, quod quidem non habet locum in operationibus malis: licèt enim eas in nobis, atque nobiscum operetur, inquantùm actiones sunt, non tamen est earum causa, inquantùm malæ sunt. Ex positione autem Pelagianorum asserentium; Deum ea sola ratione dici causam bonorum operum, quatenus contulit nobis liberum arbitrium, per quod possumus bene operari, euidenter concludit S. August. quòd etiam dicendus esset Deus auctor malorum operum, absolutè, & formaliter loquendo: nam etiam dedit nobis liberum arbitrium, per quod possumus malè operari, & sine quo nullus potest peccare.

XXX. Ad locum Leonis Papæ respondetur, quòd solum negat, Deum prædestinasse mala opera, absolutè loquendo, siue inquantum mala sunt. Et eodem modo respondetur ad auctoritatem Damasceni, circà quam plura diximus disputatione 22. nu. 20. & 21. & idem dicendum est ad auctoritatem Fulgentij, & Prosperi.

Quod attinet ad S. Tho. euidenter constat ex locis eius pro nostra conclusione adductis, ipsum eandem, quam nos defendimus, tenuisse sententiam, neque in p. 2 q. cit. docet oppositam, verba enim illius sunt hæc: *Ad tertium dicendum, quòd Deus mouet voluntatem hominis, sicut vniuersalis motor ad vniuersale obiectum voluntatis, quod est bonum, & sine hac vniuersali motione homo non potest aliquid velle, sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc, vel illud, quod est verè bonum; vel apparens bonum. Sed tamen interdum specialiter Deus mouet aliquos ad aliquid determinatè volendum, quod est bonum, sicut in his, quos mouet per gratiam, vt infrà dicetur.* Et refert se ad q. 109. & 111. In quibus verbis dumtaxat intendit docere tria. Primum est, quòd in ordine ad vniuersale obiectum voluntatis, quod est bonum, voluntas creata non se mouet per deliberationem, sed mouetur à solo Deo; qui naturalem inclinationem ad bonum illi contulit. Secundum est, quòd homo per rationem determinat se ad volendum hoc, vel illud, quod est verè bonum, vel apparens bonum, ac per consequens ex determinatione libera creatæ voluntatis contingit, quòd in aliquibus actionibus moueatur ad malum, & peccet, cum videlicet appetit illud, quod non est verè, sed apparens donum. Ex hoc tamen non sequitur, quòd voluntas creata non determinetur à Deo ad actum peccati, in quantum actus est: sicut ex hoc quòd determinet vel moueat se ad determinatum bonum, non sequitur, quòd non moueatur, nec prædeterminetur à Deo: vt ex dictis in disp. 22. & 23. cõstat. Quin potiùs ex primo dicto S. Thomæ colligitur oppositum: cùm enim Deus volũtatem hominis moueat, sicut vniuersalis motor ad vniuersale obiectum voluntatis, quod est bonum, sequitur euidẽter quòd Deus, sicut motor vniuersalis moueat voluntatem hominis ad actionem peccati, inquantùm est ens, quia, vt sic, bona est. Tertium dictum S. Tho. est quòd Deus specialiter mouet quosdam per gratiam ad aliquid determinatè volendum; ex quo tamen non infertur, quòd voluntatem non moueat cõcursu generali ad determinate volendum quamcunque aliam actionem, sed solum sequitur, quòd non moueat eam specialiter, sicut quando mouet suos per gratiam. Itaque iuxta mentem S. Thom. in ordine ad bonum vniuersale, voluntas non se mouet moraliter per deliberationẽ, sed mouetur à Deo, quia deliberatio non est respectu finis, sed respectu mediorum, sicut & electio, vt docet S. Thom. part. 1. quæstione 13. articulo 3. In ordine autem ad bonum particulare & se mouet, & mouetur à Deo, nam est mouens motum, sed tamen respectu boni supernaturalis mouetur specialiter à Deo per auxilia diuinæ gratiæ, vt suprà dictum est.

Deus mouet voluntatem hominis ad bonum, sicut vniuersalis motor

XXXI. Ad quartum argumentum negamus ex nostra sententia sequi, quòd Deus sit auctor peccati: nam licèt sit prima radix, & causa quòd homo hîc, & nunc cum tali aduertentia rationis, habeat volitionem circa hoc obiectum contrarium rationi, inquantùm volitio est actio; non tamen est causa, quòd homo deficienter velit illud obiectum, sed huiusmodi deficientia in creatam dumtaxat voluntatem referenda est. Homo autem non peccat, quia præcisè vult illud obiectum, sed quia deficienter vult, vnde, vt dicit sanctus Thomas secunda secundæ distinctione trigesimaseptima, quæstione secunda, art. secundo ad tertium.

Deus

Deus est quidem causa voluntati, vt agat, sed non est causa, vt deficienter agat, & peccet; quia non est causa actus peccati, vt auersiuus est a regula rationis, neque vt est fundamentum auersionis ab ipso Deo; ac per consequens non est auctor peccati. Sed circa hoc argumentum plura diximus disputatione decimaoctaua, numero vigesimoprimo & vigesimo secundo.

Ad confirmationem respondetur, Deum non voluisse, aut præuoluisse, vel præordinasse, vt Iudas venderet Christum, absolute loquendo, sed solum cum addito, considerando videlicet illam actionem, inquantùm erat actio, & sub ratione entitatis, quam habuit, & sub hac ratione hæc causalis est concedenda. Ideo Iudas voluit illam actionem, inquantum actio, quia Deus voluit, vt illam vellet, B inquantùm ens est: nec tamen propter hoc efficitur Deus auctor peccati, quia malitia moralis non sequitur ad illam actionem, vt actio est, sed vt est deficiens à regula rationis, vt disput. 18 numer. 21. dictum est.

Ad quintum argumentum negatur sequela. Ad probationem respondetur, quòd Deus prædeterminauit quidem creatam voluntatem ad actionem peccati inquantum actio est, & ad omnes eius circumstantias, secundùm quòd tales circumstantiæ habent rationem entis, non autem secundum quod habent adiunctam malitiam moralem. Vnde, vt aliquod peccatum sit futurum, & vt Deus cognoscat certò & infallibiliter esse futurum, vltra prædeterminationem actus peccati, necessariò requiritur, C quòd Deus permittat eius malitiam, vt disp. 11. n. 3. dictum est.

XXXII. Ad sextum respondetur, quòd mentiri significat actum cum deformitate, sicut homicidium; vnde ad mentiendum non indiget homo auxilio præuio, nec per illum discernitur mentiens à non mentiente, sed ex sua malitia; fatemur tamen, quòd producens actum mentiendi, inquantùm actus est, habet aliquod auxilium præuium actuale Dei seu concursum præuium (non enim sit vis in verbo) quod non habet alter, qui non producit talem actum, inquantùm actus est, sicut auctores oppositæ sententiæ tenentur id concedere in concursu Dei simultaneo. Nec est inconueniens concedere, quod producens actum mentiendi, inquantùm actus est, discernatur à Deo per auxilium actuale a non producente talem actum, inquantùm actus est: nam inquantum peccatum est, sua culpa, vel malitia se discernit peccans ab eo, qui stat.

Ad septimum respondetur, Deum voluntate antecedente, quæ est voluntas signi, voluisse ab æterno, quòd nullus peccaret; cum hac tamen voluntate stat simul in Deo voluntas efficax, qua prædeterminauit, vt quidam producerent actum peccati, inquantùm actus est; etenim istæ duæ voluntates non sunt repugnantes, sed potius consonant inter se: sicut hæc duo non repugnant, quòd scilicet iudex velit hominem viuere, inquantùm homo est, & eum occidere inquantum malefactor.

XXXIII. Motio physica & moralis non oportet, quod sint ab eodem agente. Ad octauum respondetur, quòd motio physica E voluntatis præsupponit motionem moralem, sed non oportet, quòd semper motio moralis sit ab eodem agente: diabolus enim mouet moraliter voluntatem ad actum peccati inducendo, & consulendo illum actum, & tamen non potest eam efficienter mouere, vt docet S. Thom. quæstione tertia, de malo, articul. 3. in corp. Vnde non sequitur, quòd Deus moueat moraliter ad actum peccati, vt actus est.

Secundò respondetur, quòd, vt docet S. Thom. in 2. sentent. ad Annibald. distinct. 37. quæstione vnica, artic. 1. ad 3. non solùm actus peccati, sed etiam ipsa cogitatio, qua homo cogitat actum peccati exequendum, inquantùm actus est, a Deo est: quod probat ex illo secundo ad Corinth. 3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis.*

Ad nonum argumentum respondetur, quòd, vt dicit S. Thom. 1. part. quæst. 21 art 4 in corp. *necesse est, quod in quolibet opere Dei misericordia, & veritas, seu iustitia inueniantur; si tamen misericordia pro remotione cuiuscunque defectus accipiatur: quamuis non omnis defectus proprie possit dici miseria, sed solum defectus rationalis naturæ, quam contingit esse felicem.* Iustitia vero reperitur quatenus *quicquid in rebus creatis facit, secundum conuenientem ordinem, & proportionem facit, in quo consistit ratio iustitiæ: & sic oportet in omni opere Dei esse iustitiam.* Quo supposito, dicendum est, quòd mouere, & prædeterminare voluntatem hominis ad actum peccati, inquantum actus est, pertinet ad Dei misericordiam, quatenus per illam motionem reducit potentiam ad actum secundum, & eam liberat a quodam defectu, qui est carere actu secundo, & esse in potentia ad illum: omne enim, quod est in potentia, inquantùm huiusmodi, quandam imperfectionem importat, cùm ex hoc recedat à perfectione Dei, qui est purus actus. Similiter etiam talis motio, & prædeterminatio ad actum peccati, inquantùm actus est, pertinet ad iustitiam, inquantum eam operatur secundùm modum conuenientem sapientiæ suæ, & bonitati, & C secundum modum creaturæ rationalis, qui in libertate consistit. Præterea etiam in actibus peccati, qui præsupponunt aliud peccatum, apparet speciali quadam ratione diuina iustitia, quatenus in pœnam præcedentis peccati prædeterminatur voluntas creata ad talem actum peccati, inquantùm actus est, & permittitur cadere in nouum peccatum.

Misericordia & iustitia in quolibet Dei opere inueniuntur.

Ad decimum argumentum negatur consequentia: & ratio discriminis est: nam habitus vitiosus inclinat ad male operandum, vt docet S. Thom. 1. part. quæst. 58. artic. 2. in corp. & Aristot. 2. ethicor. cap. 6. & 5. Metaph. text. 25. Deus autem non potest immediatè causare in nobis aliquid inclinans ad malum: nam eo ipso malum illud, & defectus D esset a Deo. Cæterum auxilium actuale Dei necessarium est etiam ad ipsam entitatem actionis, vt actio est, iuxta illud Ioan. 15. *Quia sine me nihil potestis facere.* Vnde bene potest Deus immediatè præbere auxilium actuale ad producendam entitatem actus peccati, inquantùm actus est absque eo, quòd cooperetur ad eius deformitatem.

XXXIV. Habitum prauum nõ potest Deus in nobis immediatè causare.

Ad vndecimum argumentum respondetur, quòd Deus multipliciter dicitur peccatores indurare, & excæcare, vt in nostris commentariis super capit. 6. Isaiæ numero 48. & duobus seqq. annotauimus: primò negatiuè, & permissiuè, quia videlicet in pœnam præcedentium delictorum non eos emolliat, neque illuminet, vt explicant Doctores in argumento allegati. Secundo modo dicitur aliquos indurare & excæcare non solùm negatiuè, quia non emollit, neque illuminat, sed etiam positiuè, indirectè tamen, vt explicat S. Thom. super cap. 9 ad Rom. in illa verba: *Quia in hoc ipsum excitaui te, &c.* quia videlicet tanquam iudex iustus, vtitur ministerio diaboli ad puniendum excæcationis pœna ipsos reprobos, iuxta illud Psalm. 77. *Immissiones per Angelos malos.* ita Augustin. 20. de Ciuitat. Dei, capit. 19. Chrysostom. homil. 67. in Ioan. & hom. 8. super secundam epistolam ad Corinth. Origen. homil. 2. in lib. Iudic. Gregor. libr. 25. Moral. capit. 12. & 13. in illa verba Iob 34. *Inducet noctem, & conterentur.* & hom.

XXXV. Indurare peccatores quomodo dicatur Deus.

11.in Ezechiel. & Damascen. libr. 4. fidei orthod. cap.20. Tertiò dicitur peccatores indurare, & excæcare positiuè; quia videlicet eorum voluntates ad malum inclinat occasionaliter, proponendo aliqua ipsis peccatoribus interius,& exteriùs, quæ secundùm se sunt inductiua ad bonum, peccatores tamen sua malitia in malum proprium ea conuertunt: iuxta quem modum ipse Dominus loquens ad filios Israël,ait: *Ego ad æmulationem vos adducã in non gentem,in gentem insipientem; in iram vos mittam.* Quod occasionaliter accipiendum est: nam ex misericordia gentibus collata, quæ secundùm se erat inductiua ad bonum, occasionem ludæi ceperunt inuidiæ. In eodem sensu intelligendum est illud Sapient.14. *Quoniam creaturæ Dei odium factæ sunt, & in tentationem animabus hominum, & in muscipulam pedibus insipientium,* quia videlicet ex ipsis creaturis, quæ sapientiam, omnipotentiam,& bonitatem creatoris ostendunt, occasionem peccandi sua malitia insipientes desumunt. Hoc ergo eodem modo Deus excæcare dicitur, & indurare peccatores,vt Augustinus docet quæst.10.in Exod.& lib.de grat.& lib.arbitr. cap.20. & 21. & super Psalm.104. in illa verba: *Conuertit cor eorum, vt odirent populum eius, & dolos facerent in seruos eius.* Nec tamen propterea existimandum est, peccatores,qui indurantur à Deo,non indurare seipsos, aut non libere in peccatis persistere: vtrumque enim verissimum est, & quòd Deus indurat quosdam peccatores,& quòd ipsi liberè indurant seipsos. Quod S.August.libr.de grat & lib.arbitr c.23. his verbis notauit: *Nec ideo auferatis à Pharaone liberum arbitrium, quia multis locis dicit Deus: Ego indurauí Pharaonem, vel induraui, vel indurabo cor Pharaonis. Non enim propterea ipse Pharao non induravit cor suum. nam & hoc de illo legitur: quando ablata est ab Ægyptiis cynomya, dicente Scriptura sacra: Et ingrauauit Pharao cor suum, & in isto tempore noluit dimittere populum. Ac per hoc & Deus induravit per iustum iudicium, & ipse Pharao per liberum arbitrium.* Igitur quotiescunque Deus in pœnam præcedentium peccatorum indurat aliquos,siue negatiuè, siue positiuè; modis explicatis id facit,& permittit eos peccare, & actuali motione eos mouet ad actum peccati, inquantum actus est,quoniam,vt testatur S.Thom.part.2. quæst.109. artic 9. in corp. *nulla res creata potest in quemcunque actum prodire, nisi virtute motionis diuinæ.* quod & ipsa Veritas non obscurè testatur,cùm ait: *Quia sine me nihil potestis facere.*

Rom.11. Deut.32. Ioan.15.

Peccatum originale nõ tribuitur Deo, etiamsi traducatur cũ natura.

XXXVI. Ad duodecimum respondetur, quòd hoc idem argumentum propositum fuit,& solutum disputat. 18.num.21. 22. sed quia sæpius illud auctores oppositæ sententiæ inculcant, oportet etiam illud sæpe dissoluere:nam,vt dicit Prosp. *Necessarium, & vtile est etiam, quæ scripta sunt, scribere, ne leue existimetur, quod non frequenter agitur.* Simile argumentum obiecit Iulianus contr.S.Augustin. ad probandum, quòd in paruulis non sit peccatum originale, sic enim arguebat: Deus est causa generalis hominis, ergo si peccatum originale consequitur ad talem generationem, Deus erit causa peccati originalis, qui enim est causa alicuius, est etiam causa eius, quod consequitur ad illud. Vnde ad articulos sibi falsò impositos respondens. *Hæc*, inquit, *obiectionis vanitas de illa procedit schola, in qua natura humana immunis à peccato Adæ, & illæsa defenditur, vt quia omnes homines prænaricationis reos, & damnationi obnoxios nasci, periturósque, nisi in Christo renascantur, asserimus, eundem videamur auctorem dicere culpæ, quem profitemur esse conditorem naturæ. quod nos à sensu nostro penitus abdicamus, qui Deum iustum, bonum, sic humanæ substantiæ, & interiorum, exteriorumque sensuum nouimus creatorem; vt prorsus ab illo sit, quidquid pertinet ad naturam: & prorsus ab illo non sit, quidquid est contra naturam; peccatum autem contra naturam est, de quo mœrs, & omnia, quæ sunt mortis, erimitur.* Ad argumentum ergo respondet S.August. libr.3. cont.Iulian. cap.9. quòd peccatum originale non sequitur ad generationem hominis secundùm suam naturam, vt generatio hominis est, sed vt dicit ordinem ad primum parentem, qui voluntariè peccauit. Etenim si perseuerasset Adam in statu innocentiæ, esset vera generatio hominis absque eo quòd consequeretur peccatum originale,& ita peccatum originale non est à Deo concurrente ad generationem hominis, & mouente ad illam, sed à primo parente, qui totam naturam humanam sua inobedientia maculauit, de quo disputatione 44. agendum erit. Proportionaliter nos dicimus de peccato actuali,quòd deformitas peccati, seu malitia moralis non sequitur intrinsecè,& ex natura rei ad actum blasphemiæ,vel odij Dei,vt actus est, neque, vt est ens in genere naturæ, etiam in individuo, sed vt procedit à voluntate creata deficiente. Vnde in voluntatem deficientem, & non in Deum debet refundi malitia moralis, & defectus peccati. Solutio est S.Thom. quæst.3. de malo,art.2.ad 2. & in 2. sentent.distinct. 37.quæst 2. artic.2.ad 2.quam latiùs prosequitur Capr. in 2. sentent. distinct. 37. art. 3. in princ. Cuius verba sunt hæc: *Considerandum est, quod aliqua priuatio vel conditio potest consequi aliquem actum dupliciter. Primo modo ex ipsa essentia, & natura actus in se, & absolutè considerata: sicut hunc actum,qui est fornicari, ex natura sua sequitur & concomitatur priuatio integritatis,& experientia voluptatis venereæ. Alio modo potest aliquem actum consequi, & concomitari aliqua priuatio non ex propria natura, & essentia actus in se considerata, scilicet prout accipit obiectum: a quo speciem habet in esse naturæ: sed concomitatur actum,prout à tali agente egreditur: sicut actum illum, qui est fornicari, concomitatur priuatio ordinis, & rectitudinis, prout fit à tali agente, quod agendo talem actum, discrepat à sua regula, & lege, & non prout actus ille consideretur in esse naturæ, sed in esse moris. Tunc dicitur,quòd quidquid producit aliquem actum, producit, vel causat omnem priuationem, vel proprietatem consequentem actum primo modo: sed non oportet, quòd sit causa priuationis consequentis actum secundo modo: illo modo autem deformitas consequitur actum peccati, & non primo modo. Et ideo Deus potest causare quidquid absolutum, & positiuum est in actu peccati,non causando deformitatem consequẽtem actum.* Et hanc solutionem asserit esse S.Thom. quæstio.3. cit.de malo,quam etiam prosequuti sumus disp.18. num.21.& 22.

Prosp. epi. ad Aug. in fine.

Per hæc manet solutum vltimum argumentum factum disp. præcedenti: dicimus enim etiam ad actus malos, inquantùm actus sunt, prærequiri auxilium actuale prædeterminans voluntatem creatam ad tales actus,secundùm omnem rationem entitatis,quam habent.

Sed quoniam aliqui ex Thomistis quamuis pau- XXXVII.
cì tenent,Deum actuali motione non præmouere, vel prædeterminare voluntatem creatam ad actum peccati, etiam inquantùm actus est; respondetur secundò ad illud argumentum, quòd dato, & non concesso, Deum non præmouere, nec prædeterminare voluntatem nostram ad actus malos, inquantùm actus sunt, non licet ex hoc inferre, sicut quidam inferunt, quòd eam non prædeterminet ad actus bonos supernaturales, & præsertim ad illos, per quos prædestinati perueniunt ad vitam æternam.Et ratio discriminis est: quia, vt docet S. Th. part.2.quæst.109.art.9. in corp. etiam ille, qui iam

Aug. ad ar. sibi falsò impos. Vide Prosper.ad obiect. Vinc. obiect 10. 11.& 12.

conse

consequutus est gratiam, indiget auxilio diuino, quo à Deo moueatur ad recte agendum propter duas rationes. *Primo quidem ratione generali, quia videlicet nulla res creata potest in quemcunque actum prodire, nisi virtute motionis diuinæ. Secundo ratione speciali, propter conditionem status humanæ naturæ, quæ licet per gratiam sanetur quantum ad mentem, remanet tamen in ea corruptio, & infectio, quantùm ad carnem, per quam seruit legi peccati, vt dicitur ad Rom.7. Remanet etiam quædam ignorantiæ obscuritas in intellectu, secundùm quam, quid oremus, sicut oportet, nescimus.* Et ita non perfectè participat pro isto statu ipsam gratiam, vt explicat in solutione ad secundum: * *Manifestum est autem, quòd vnumquodque, quod perfectè habet naturam, vel formam aliquam, aut virtutem, potest per se secundùm illam operari, non tamen exclusa operatione Dei, qui in omni natura, interius operatur: sed id, quod imperfectè habet naturam aliquam, vel formam, aut virtutem, non potest per se operari, nisi ab altero moueatur, sicut Sol, quia est perfectè lucidus, per seipsum potest illuminare: Luna autem, in qua est imperfectè natura lucis, non illuminat, nisi illuminata. Medicus etiam, qui perfectè nouit artem medicinæ, potest per se operari, sed discipulus eius, qui non est plenè instructus, non potest per se operari, nisi ab eo instruatur.* Quia ergo natura intellectualis pro isto statu imperfectè participat formas supernaturales, eò quòd non habet plenam earum possessionem, secundùm illud Apostoli. *Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus*: ideo speciali ratione indiget motione diuina, vt secundum tales formas operetur. Vnde, quamuis admitteretur ad actum peccati, inquantùm actus est; non esse necessariam motionem Dei præuiam propter primam causam, ratione videlicet subordinationis essentialis primum agens, adhuc asserendum esset propter secundam rationem, quòd sit necessaria ad actus bonos, præsertim supernaturales, de quibus potissimè nostra disputatio procedit.

Etiamsi admittatur, Deum non prædeterminare lib. arb ad actus malos, vt actus sunt, non inde colligitur, quod non eà prædeterminet ad actus bonos. Rom 8.

* S.Thom. 1.2.qu.68. art.2.c.

1. Cor.13.

DISPVTATIO XXV.

Vtrùm omnes actus contingentes, & liberi à Deo prædeterminati necessariò fiant necessitate infallibilitatis, siue ex suppositione prædeterminationis diuinæ voluntatis.

I. VIDAM Theologi admittunt in actibus liberis necessitatem ex suppositione præscientiæ diuinæ, qua præsciuit, vt aiunt, ante prædeterminationem suę voluntatis, quòd si voluntas creata constitueretur in tali ordine rerum, ipsa pro sua innata libertate esset operatura hoc in particulari. Non tamen admittunt in eisdem actibus necessitatem ex suppositione diuini decreti, vel auxilij efficacis prædeterminantis voluntatem ad suos actus bonos in particulari cum omnibus suis circumstantiis; existimant enim hanc necessitatem ex suppositione repugnare creatæ libertati; quantùm ad vsum illius, & conuincuntur argumentis, in tribus præcedentibus disput. factis, præsertim auctoritate Anselmi inducta disputat. 22. argument. 9. Et cum illis obiicitur, quia necessitas ex suppositione præscientiæ diuinæ non tollit à nostris actibus libertatem: stat enim, actum voluntatis esse liberum simpliciter, & secundùm quid necessarium, ex suppositione videlicet præscientiæ diuinæ: ergo similiter necessitas ex suppositione voluntatis, & prædeterminationis diuinæ non erit aduersa, vel repugnans voluntati creatæ, quantùm ad actualem vsum illius. Respondetur negando consequentiam, & assignant rationem discriminis, quoniam necessitas ex suppositione voluntatis diuinæ, vel auxilij præuenientis gratiæ desumitur ex aliquo antecedente, & præueniente determinationem creatæ voluntatis, & ita huiusmodi necessitas est antecedens, ac subinde, iuxta sententiam Anselmi superiùs allegatam, nostram euertit libertatem. Necessitas autem ex suppositione præscientiæ diuinæ non desumitur ex aliquo antecedente, sed potiùs consequente liberam determinationem nostræ voluntatis. Arbitrantur enim non propterea aliquid esse futurum per causam liberam, & contingentem, quia Deus præsciuit illud esse futurum, sed potius e conuerso, quia est futurum, ideo præsciri à Deo antequam fiat: de quo ex professo egimus supra disput. 16. Et ideo hæc necessitas appellatur consequens, ac propterea, iuxta doctrinam Anselmi, non tollit libertatem, quia est necessitas ex suppositione ipsius actus liberi: omne enim, quod est, dum est, necesse est esse, vt dicit Arist. 1. periherm. cap. 6.

II. Contrariam sententiam docet expressè S. Thomas, qui cum libertate arbitrij creati nulla præsupposita præscientia media seu conditionata (quam, vt ex dictis disput. 7. constat, non admisit) admittit necessitatem ex suppositione absoluti, & efficacis decreti, voluntatis diuinæ, prouidentiæ & prædestinationis eius, atque auxilij efficacis præoperantis gratiæ, quam quidem necessitatem nunc appellat necessitatem in sensu composito, nunc necessitatem modalis de dicto, nunc necessitatem infallibilitatis, nunc necessitatem immutabilitatis, nunc necessitatem conditionatam, nunc denique necessitatem consequentiæ, quæ est necessitas secundùm quid, non obstans libertati. Et idem docet, de necessitate ex suppositione præscientiæ futurorum contingentium, quæ sequitur huiusmodi decretum diuinæ voluntatis: & per hanc distinctionem soluit quamplurima argumenta, quæ contra doctrinam Catholicam in materia de gratia & libero arbitrio obiiciuntur, necnon in materia de scientia Dei, de voluntate Dei, de prouidentia, & prædestinatione eius: & eadem distinctione vtuntur S. Augustinus, & alij Doctores & Theologi infrà allegandi.

Necessitatem actus ex suppositione decreti voluntatis diuinæ simul stare cum libertate ostenditur ex Doctorib.

III. Et quidem sub voce necessitatis ex suppositione, & necessitatis absolutæ prædictam distinctionem tradidit quæst 23. de verit. art. 4. vbi ad probandum, quòd Deus ex necessitate velit, quæcunque vult, sic arguit in primo argumento: *Omne æternum est necessarium, sed Deus ab æterno vult: ergo de necessitate vult, quidquid vult.* Ad quod tamen ita respondet: *Aliquid dicitur necessarium dupliciter: vno modo absolutè, alio modo ex suppositione; absolutè quidem dicitur aliquid esse necessarium propter necessariam habitudinem ad inuicem terminorum, qui in aliqua propositione ponuntur, sicut hominem esse animal, vel omne totum esse maius sua parte, aut alia huiusmodi. Necessarium verò ex suppositione est, quòd non est necessarium ex se, sed solummodo posito alio, sicut Socratem cucurrisse: Socrates enim, quantùm est de se, non se habet magis ad hoc, quam ad eius oppositum: sed facta suppositione, quòd cucurreris, impossibile est eum non cucurrisse. Sic igitur dico, quod Deum velle aliquid in creaturis, vtpote Petrum saluari, non est necessarium absolutè, eò quòd voluntas diuina non habet ad hoc necessarium ordinem, vt ex dictis patet: sed facta suppositione, quòd Deus illud velit, vel voluerit, impossibile est, eum illud non voluisse, eò quòd volun*

S.Thom.

Necessitas ex suppositione, & necessitas absoluta quæ dicatur.

voluntas eius immutabilis est. Vnde huiusmodi necessitas apud Theologos vocatur necessitas immutabilitatis. Eandem distinctionem & solutionem tradit in solutione ad 4. & 8. ad 9. 12. & 14. eiusdem art. & p. 1. quæstione decimanona, artic. tertio in corp. & ad primum.

Et ne quis dicat, S. Thomam in his locis solùm admittere in actu libero diuinæ voluntatis necessitatem ex suppositione ipsius actus liberi, quæ ab auctoribus oppositæ sententiæ dicitur necessitas consequens, profero alium locum S. Th. 1. p. q. 23. art. 6. vbi in secundo argumento ad probandum, quòd prædestinatio nõ sit certa, sic arguit: *Posito possibili, nullum sequitur impossibile, possibile est autem, aliquem prædestinatum vt Petrum, peccare, & tunc occidi, hoc autem posito, sequitur prædestinationis effectum frustrari, igitur, &c.* Ad quod tamen argumentum ita respondet: *Licet sit possibile, eum, qui est prædestinatus, mori in peccato mortali secundùm se consideratum, tamen hoc est impossibile, posito, prout scilicet ponitur, eum esse prædestinatum. Vnde non sequitur, quòd prædestinatio fallat possit.* Ecce S. Thomas admittit necessitatem ex suppositione decreti voluntatis diuinæ prædestinantis, cum libertate arbitrij creati, quantum ad actualem vsum illius. Eandem necessitatem admittit expressiùs prima parte quæstione decimanona articulo octauo ad primum & tertium, cuius verba adducenda sunt, & expendenda numero sexto. Nec satis est respondere, hoc decretum prædestinandi non esse in Deo, nisi supposita scientia media, qua cognouit, quid in particulari ex causis contingentibus, & liberis futuro esset ex hypothesi, quòd constituerentur in tali ordine rerum, & in talibus circumstantiis. Iam enim disput. 7. ostensum est, obiectum hoc iuxta sententiam S. Thomæ, ante omne decretum diuinæ voluntatis non esse scibile, ac per consequens non esse in Deo, ante decretum actuale diuinæ voluntatis, certam & infallibilem cognitionem illius.

IV. Necessitas in sẽsu cõposito, & diuiso quæ dicatur.

Sub voce necessitatis in sensu composito, & diuiso, tradit eandem distinctionem quæstione 6. de verit. artic. 4. ad octauum, vbi dicit, eam esse communem: loquens enim de hac propositione: Deus potest non prædestinatum prædestinare, sic ait: *Quamuis de quolibet absolutè concedi possit, quòd Deus posset eum prædestinare vel non prædestinare, tamen supposito, quòd prædestinauerit, non potest non prædestinare, vel è conuerso, quia non potest esse mutabilis. Et ideo dicitur communiter, quòd hæc: Deus potest non prædestinatum prædestinare, vel non prædestinare prædestinatum, in sensu composito est falsa; in diuiso, vera: & ideo omnes locutiones illæ, quæ sensum compositum implicant, sunt falsæ simpliciter. Vnde non est concedendum, quòd numero prædestinatorum possit fieri additio, vel detractio; quia additio præsupponit illud, cui fit additio, & subtractio, à quo subtrahitur; & eadem ratione non potest concedi, quòd Deus possit plures prædestinare quàm prædestinet, vel pauciores.* & prima parte quæstione 23. art. 6. ad 3. inquit, *Non oportet dicere, quod Deus possit non prædestinare, quem prædestinauit, in sensu composito accipiendo: licet absolutè considerando, Deus possit prædestinare vel non prædestinare.* Et primo cont. Gent cap. 67. in fine, explicans, qualiter necessarium sit esse, quod Deus cognoscit, & argumenta in contrarium dissoluens ait: *In his, & in omnibus similibus, quæ Dei scientiam circa contingentia oppugnantes argumentantur, secundum compositionem & diuisionem falluntur.* Manifestum est autem in doctrina S. Thomæ, quòd decretum diuinæ voluntatis, determinantis futura, præsupponitur ad ea, & ad eorum cognitionem: ideo namque aliquid est futurum, quia Deus voluit esse futurum, si est bonum; vt ex præmissis in disp. 16. constat. ergo secundum S. Thom. necessitas in sensu composito, quæ desumitur ex decreto diuinæ voluntatis, stat simul cum libertate, & contingentia futurorum. Denique eandem distinctionem innuit, cum ait: *Charitas ex parte Spiritus sancti mouentis animam ad diligendum Deum, impeccabilitatem habet ex virtute Spiritus sancti, qui infallibiliter operatur, quodcunque voluerit: vnde impossibile est hæc duo esse simul vera; quòd Spiritus sanctus velit aliquem mouere ad actum charitatis, & quòd ipse charitatem amittat peccando.* Et idem dicit 2. 2. quæst. 112. artic. 3. citat. Ecce manifestè docet, esse necessarium in sensu composito, quòd creatura rationalis cooperetur, & non peccet, si Spiritus sanctus efficaciter eam moueat ad actum charitatis; quia videlicet hæc duo simul esse vera non possunt, quòd scilicet Spiritus sanctus efficaciter eam moueat ad actum charitatis, & quod ista creatura in actum charitatis non prorumpat, sed charitatem amittat, peccando.

S. Th. 2. 2. q. 24. art. 11. c.

Sub voce necessitatis modalis de re; & de dicto eamdem distinctionem statuit 1. p. quæst. 14. art. 13. ad 3. vbi cùm proposuisset contra scientiam Dei hoc argumentum: *Omne scitum à Deo necesse est esse, quia etiam omne scitum à nobis, necesse est esse; cùm tamen scientia Dei certior sit, quàm scientia nostra: sed nullum contingens futurum necesse est esse: ergo nullum contingens futurum, est scitum à Deo:* respondet, *quòd ea, quæ sunt scita à Deo, oportet esse necessaria secundum modum, quo subsunt diuinæ scientiæ, non autem absolutè, secundum quod in propriis causis considerantur. Vnde & hæc propositio: Omne scitum à Deo necessarium est esse: consueuit distingui; quia potest esse de re, vel de dicto: si intelligatur de re, est diuisa, & falsa, & est sensus: Omnis res, quam Deus scit, est necessaria; vel potest intelligi de dicto & sic est composita, & vera, & sensus est: Hoc dictum scitum à Deo esse, est necessarium.* Et 1. contra Gent. cap. 67. cit. loquens de hac propositione: Quod videtur scire re, necesse est scire: *Patet*, inquit, *eam de dicto intellectam, & compositam esse veram: de re verò intellectam, & diuisam, esse falsam*: & ex hoc deducit, hanc propositionem de dicto intellectam esse veram: Quod Deus scit esse futurum, necesse est esse. Scientia autem Dei comparatione futurorum, præsupponit absolutum, & est ex decretum diuinæ voluntatis, vt suprà dictum est. Præterea in 1. sent. distinct. 38. quæst. vnic. art. 5. ad 5. inquit, quòd *ista propositio: Omne scitum à Deo necesse est esse; potest esse de dicto, vel de re; & si sit de dicto vera est, & si sit de re falsa est.*

V. Propositio modalis de re & de dicto quæ dicatur.

VI. Necessitas infallibilitatis simul stat cum libertate.

Sub voce necessitatis infallibilitatis constituit eamdem distinctionem p. 2. quæst. 112. art. 3. in corp vbi ita ait: *Si præparatio ad gratiam consideretur secundum quòd est à Deo mouente, tunc habet necessitatem ad id ad quod ordinatur a Deo, non quidem coactionis, sed infallibilitatis, quia immutio Dei deficere non potest, secundùm quòd Augustinus dicit in lib. de prædestinatione Sanctorum, quod per beneficia Dei certissimè liberantur, quicunque liberantur. Vnde ex intentione Dei mouentis est quòd homo, cuius cor mouet, gratiam consequatur, infallibiliter illam consequitur. secundum illud Ioann. 6. Omnis qui audit à Patre & didicit, venit ad me.*

Sub voce necessitatis absolutæ, & conditionatæ eam assignat prima parte quæst. 19 articul. 8. ad primum, vbi explicans dictum illud Augustini: *Nullus fit saluus, nisi quem Deus voluerit saluari, &* [illegible] *quit, quòd per illud verbum Augustini, nulla est necessitas in rebus volitis à Deo, non absoluta, sed conditionalis: necesse est enim hanc conditionalem veram esse: Si Deus hoc vult, est hoc esse.* In 1. sent. ad 3. cùm ad [illegible]

Aug. in Enchir. ad Laurent. c. 103.

Digitized by Google

Necessitas conditionata libertatem non tollit.

probandum, quòd voluntas Dei necessitatem rebus volitis imponat, proponuisset argumentum: *Illud, quod habet necessitatem, ex priori, est necessarium absolute; sicut necessarium est, animal mori, quia est ex contrariis compositum, sed res creata a Deo comparantur ad voluntatem diuinam, sicut ad aliquid prius, a quo habent necessitatem, cum hæc conditionalis sit vera: Si aliquid Deus vult, illud est: omnis autem conditionalis vera est necessaria, sequitur ergo, quod omne, quod Deus vult, sit necessarium absolute.* Respondet, *quod posteriora habent necessitatem a prioribus secundum modum priorum. Vnde & ea, quæ sunt a voluntate diuina, talem necessitatem habent, qualem Deus vult ea habere, scilicet vel absolutam, vel conditionatam tantùm, & sic non omnia sunt necessaria absolutè.* Hic locus est valde notandus pro nostra sententia: fatetur enim expressè S. Thomas, quòd necessitas, quæ sumitur ex causa antecedente cooperationem nostræ voluntatis, non semper obstat libertati arbitrij & virtualiter soluit argumentum fundatum in auctoritate Anselmi, quo auctores oppositæ sententiæ conuincuntur. Et quæst. 24. artic. 3. ad tertium, eadem vtitur distinctione: & in primo sent. distinct. 47. art. 1. ad 2. ait. *Quamuis voluntas Dei sit immutabilis & inuincibilis, non tamen sequitur, quòd omnis effectus eius sit necessarius necessitate absoluta, quam habet res a causa sua proxima, sed solum necessitate conditionata, sicut & de præscientia dictum est.* Ecce S. Thom. expressis verbis docet necessitatem conditionatam fine ex suppositione, nedum præscientiæ, sed etiam voluntatis Dei immutabilis, non tollere libertatem, aut contingentiam rerum, quæ in tempore fiunt.

A *uidentia præsens videt, id necesse est esse: tamen si nullam natura habeat necessitatem. Atqui Deus ea futura, quæ ex libertate arbitrij prouenturi præsentia conuertet. Hæc igitur ad intuitum relata diuinum, necessaria fiunt per dispositionem diuinæ motionis: per se verò considerata, absolutam natura suæ libertate non deserunt. Fient igitur procul dubio cuncta, quæ futura Deus esse præscit; sed eorum quædam de libero proficiscuntur arbitrio, quæ quamuis eueniant, existendo tamen, naturam propriam non amittunt: qua prius quam fierent, etiam non euenire potuissent.* Quo in loco S. Augustinus non solum respectu præscientiæ, sed etiam respectu prouidentiæ diuinæ, & consequenter respectu prædestinationis quæ in eius sententia præsupponit absolutum, & efficax decretum diuinæ voluntatis, admittit necessitatem ex suppositione cum libertate arbitrij creati, quantum ad vlum actualem illius. Idem docet in Enchirid. ad Laurent. cap. 103. cuius verba ex glossa ordinaria infernis adducentur.

B

VII. Necessitas consequentiæ & consequentis.

Denique sub voce necessitatis consequentiæ, & consequentis eandem distinctionem assignat quæst. 24. de veritate. 1. vlti. ad approbandum, quòd homo non sit liber arbitrij, hoc constituit 13. argumentum: *Quidquid Deus præscit, necesse est euenire, cum præscientia Dei falli non possit; sed omnes actus humanos Deus præscit: ergo de necessitate eueniunt, & ita homo non est liberi arbitrij ad agendum.* Ad quod tamen ita respondet: *Ex præscientia Dei non potest concludi, quod actus nostri sint necessarij necessitate absoluta, qua dicitur necessitas consequentis. sed necessitate conditionata, quæ dicitur necessitas consequentiæ, vt patet per Boetium in fine de consolatione philosophiæ.* Et 1. contr. Gent. cap. 67. citat inquit: *Sic omnia nobis quæ à Deo cognoscitur sicut præsentialiter videntur: ita necessarium erit, quòd Deus cognouerit: sicut necessarium est Socratem sedere, ex hoc, quòd sedere videtur. Hoc autem non necessarium est absolute, vel vt a nonnullis dicitur, necessitate consequentis; sed sub conditione, vel necessitate consequentiæ: hæc enim conditionalis est vera: si videtur sedere, sedet.*

C

Boetius 5. de consolat. philosophiæ 2. metro.

D

Nec sanctus Thomas solus est in hac doctrina, eam quippe omnes Doctores, qui illum præcesserunt, & post illum sequuti sunt, vnanimi consensu tradiderunt. Auctores etiam, cum quibus disputamus, eam libertatissimæ admitterent, si illis admitteretur præscientia media, seu conditionata, omne decretum diuinæ voluntatis præueniens. Et quidem ante sanct. Thomam eandem distinctionem docuit S. Augustinus libr. de prædestin. Dei, & refertur in capit. vltra ira, 24. quæst. 4. vbi: *Duæ sunt*, inquit, *necessitates, simplex vna, qua necesse est omnes homines esse mortales; altera conditionis, vt: Si aliquem ambulare quis scit: eum ambulare necesse est. Quod enim quisque esse nouit, id esse liquet, quam notum est, negari: sed hæc minime secundum illam simplicem trahit: hanc enim necessitatem non propria facit natura, sed conditionis adictio: nulla enim necessitas cogit inuidere voluntatem gradientem: quamuis eum tunc, cum graditur, inuidere necessarium sit. Quicquid igitur modo, vel quid prætéritum habuit voluntas a Deo, non absolute, sed conditionalis;*

E

S. Aug. cap. vltra ira 23. q. 4.

F

VIII. Gratianus.

S. Augustini doctrinæ subscribit Gratianus eodem cap. paulò ante verba Augustini allegata, dum ait: *Non ergo necessitatem facit correctionis, vel obdurationis diuinæ prædestinatio, seu præscientia, cum boni per gratiam corrigantur, & libero arbitrio mali pereant. Neque enim, quia prædestinatio, seu præscientia Dei falli non potest, necessario eueniunt, quæ prædestinantur, vel præsciuntur: sicut nec necessario prædestinantur, nec præsciuntur, quæ futura sunt: sed quia bona absque eius gratia, nulla præter eius scientiam euenire non possunt. Quamuis ergo conuenienter audiatur, si hæc prædestinata sunt, vel præscita necessario eueniunt: non tamen tale absolute verum est, necessario eueniunt, quæ prædestinata sunt, vel præscita: quia hic necessitas refertur ad rerum euentum, vbi ad intuitum diuinæ præscientiæ.* Consentit Glossa decreti eodem cap. Explicans enim verba illa, *Quamuis ergo conuenienter*, &c. inquit: *Nota, quòd omnes tales locutiones sunt duplices: Si Deus prænidit aliquid necessario illud euenire: quia si hac dictio, necessario, determinat totalem consequentiam: loquitur vt vera & tunc talis est sensus: si ea sequentia: Si Deus prænidit aliquid, illud euenire est necessarium. Si autem hæc dictio, necessario, determinat vltimum consequens, est falsa. Similiter hæc est duplex: Necessarium est Socratem ambulare cum ambulat: quia si intelligatur composita, & de dicto vera est: si de re, falsa est. Similiter hæc est duplex: Necessarium est hoc euenire, quod Deus prænidit: de dicto est vera, de re est falsa. Illud enim, quod Deus prænidet, non est necessarium euenire. Et nota, quòd talis argumentatio non valet: Si Deus prænidit aliquid, necessario illud euenit. ergo si Deus prænidit aliquid, necessarium est, illud euenire. quia modo hac dictio, necessarium, non potest determinare ipsam consequentiam, sed tantùm consequens.* Idem docuit S. Anselm. libr. de concordia prædestinationis, & lib. arbitrij, cap. 2. paulò post princ. dicens: *Quando Deus vult effectum sequi voluntatem, tunc necesse est voluntatem esse liberam & esse, quod vult.* Et libr. 2. cur Deus homo. cap. 17. inquit, quòd fuit necesse Christum pati, quia scriptum id erat, non tamen fuit necessarium simpliciter. clarè innuens, quòd necessitas ex suppositione scripturarum stat cum libertate, qua Christus se obtulit morti: & tamen illa necessitas desumebatur ex aliquo antecedenti liberam determinationem voluntatis humanæ ipsius Christi. ergo. Verba Anselmi expendimus disputat. 22. numer. 40. & 41. Item Glossa in illud 1. ad Tim. 2. *Qui vult omnes homines saluos fieri*, ait: *Rogandus est, vt velit: quod si vult, necesse est fieri.* Et eft glossa illa D. Augustini in Enchirid. capit. 103. quam explicans D. Thom. prima parte quæstio. 19. artic. 8. ad 1. inquit: *Hoc glossam Augustini intelligenda est: necessitas in rebus volitis a Deo, non absolute, sed conditionalis;*

Glossa decreti.

S. Anselm.

IX. Glossa. Si Deus vult aliquid, necesse est illud esse.

nalis; necesse est enim, hanc conditionalem veram esse: Si Deus hoc vult, necesse est hoc esse. Quibus verbis tam S. Augustinum quam glossam & S. Thomas admittunt etiam respectu voluntatis Dei efficacis necessitatem consequentiæ in actibus liberis cum libertate consequentis. In eadem sententia est Vgo de S. Vict. quæst. 18. super ep. ad Rom. Docet enim hanc conditionalem esse veram: Si Deus hoc prouidit, necesse est euenire. Et si obiiciatur: nam per hanc necessitatem tollitur libertas, respondet: *solutionem communem esse per illam distinctionem de coniunctione & disiunctione.* Per coniunctionem autem, & disiunctionem intelligit distinctionem de necessario in sensu composito, & diuiso, quam ait esse communem, & per illam argumentum factum communiter dissolui.

Vgo de S. Vict.

X. Magister sent.

Item Magister sent. in 1. distinct. 38. circa fin. loquens de præscientia: *Impossibile est, inquit, illud non euenire, quod Deus præscit.* & ibi tradit distinctionem de sensu composito, & diuiso sub nomine coniunctionis, & disiunctionis: & distinct. 40. loquens de prædestinatione idipsum docet, quod de præscientia, inquit enim: *impossibile est hæc duo simul esse vera, quòd aliquis sit prædestinatus: & damnetur.* & dist. 47. in prin. ait: *Voluntas Dei semper efficax est, vt fiat omne quod velit, & nihil fiat quod nolit; qua de homine semper implebit, quocunque se vertat.* quo nihil clarius pro nostra sententia dici potuit. Albert. Magn cuius discipulus fuit S. Thomas, in 1. distin. 38. art. 4. & 1. p. suæ summæ, q. 61. membro 5. docet eandem distinctionem, & vtrobique asserit, haberi apud Boetium, & apud S. Ansel. Alexander Alens. 1 p. q. 24. memb. 4. & 5. vtitur eadem distinctione de necessario in sensu composito, & diuiso sub eisdem vocibus, & verbis, quibus eam docet S. Thom. locis sup. citat. & affirmat, cum necessitate ex suppositione simul stare nostri arbitrij libertatem. S. Bonauent. Doctor Ecclesiæ eandem prorsus doctrinam docuit in 1. sent. dist. 47. in quodam art. vbi quærit: Vtrùm voluntas Dei beneplaciti possit impediri. In corpore enim illius art. ait: *Dei voluntatem absolutam necesse est impleri, conditionalem verò minimè. Sed aduertendum quòd est necessitas consequentiæ, sicut supra dictum est de præscientia: ipsa enim non habet necessitatem consequentis, sed consequentiæ; quia necessario infertur, & sequitur: Deus præscijt hoc; ergo hoc erit. sed tamen non necessario præscit: quia in actu præscendi frequenter notatur effectus contingens. Sic intelligendum est, quod voluntas Dei absoluta connotat euentum rei; & ideo est ibi necessitas consequentiæ sed non consequentis, quia non mutat euentum rei, imò vult Deus, quòd eueniat consequens contingens. Vnde sicut præscientia, quia necessariò infert effectum, non potest falli: sic voluntas absoluta, quia necessariò infert, non potest impediri; imò eam necessarium est impleri.* Et post pauca. *Vnde bene sequitur: vult istum saluari voluntate absoluta: ergo saluabitur.* Et in solutione ad secundum argumentum, sic ait: *Ad secundum, quod obijcitur, dicendum est, quòd sicut diuina voluntas, siue diuinum velle connotat effectum, ita connotat efficientiam causæ particularis. Cum enim dicitur: Deus vult istum saluari, vult etiam istum velle. Vnde sicut diuina voluntas connotat istum effectum euenire, & ideo necessariò sequitur effectus ad ipsam: ita connotat causam creatam concurrere; & ideo necessariò sequitur: Si Deus vult, istum saluari quod iste etiam velit; & ita nunquam deficit, sicut nec effectus; & ita nunquam impeditur.* idem docet 1. dist. 38. ar. 2. quæst. 2. & dist 40. artic. 2 quæst. 1.

Magister sent.

Albertus Magnus.

Alex. Alés.

S. Bonau.

XI. Post S. Thomam, sequuti sunt eandem doctrinam eius omnes discipuli tam antiqui; quàm moderni. Inter antiquos est Capreol. in primo sent. distin. 45. quæstione 1. articulo 2. per totum, præsertim in solutione ad tertiam rationem articuli, vbi approbat distinctionem de necessitate consequentiæ, & consequentis, & inquit: *Bene stat, quod votum a Deo necessario eueniet, respectu Dei necessitate immutabilitatis: & contingenter eueniet absolute. Necessariò quidem respectu Dei quia verum est quod eueniet à Deo, & non potest transire de vero ad falsum, nec desinere esse verum, & hæc est necessitas immutabilitatis, contingenter eueniet absolutè loquendo, quia non implicat contradictionem illud non euenire: imo Deus posset facere illud non euenire: & ideo necessitas immutabilitatis stat cum libertate arbitrij.* Durandus in primo, dist. 47. art. 10. in calce corp. idem confirmat, cum ait, *Ex quo patet, quòd non bene dicunt illi, qui dicunt, quòd omnia de necessitate eueniunt per comparationem ad voluntatem diuinam: quia, vt dictum est, omnia respectu diuinæ voluntatis eueniunt libere, & ideo, absolutè loquendo, possunt non euenire. quamuis stante suppositione, quòd sint volita, non possint non euenire sed hæc est necessitas suppositionis tantum.* Ægidius Columna sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis in primo sent. dist. 38. quæst. vlt. ad secundum, eadem vtitur distinctione, & pro illa allegat S. Anselmum, & Boëtium Ferrariens. 1. contra Gentes, cap. 85 inter explicandam quartam rationem S. Thom vers. ad euidentiam, inquit, *Ex eo quòd ponitur aliquid necessarium ex suppositione, non oportet ab eo remoueri contingentiam: & ita, cum ex eo, quod Deus aliquid velit, necesse sit ex suppositione tantum, quod illud sit, quia non stant simul, quod Deus velit euenire, & non eueniat, non autem absolutè, non oportet ex voluntate Dei aliquem contingentiam tollere.* Et in discursu totius capituli probat esse impossibile in sensu composito, quòd Deus velit voluntate efficaci aliquem effectum sequi ex causa contingenti: & quod talis effectus non sequatur. Conradus 1. 2. quæst. 10 art. 4. maximè super solutione ad tertium sancti Tho & quæst. 11 1. art 3. expressè asserit, quòd in sensu composito implicat, quòd Deus moueat efficaciter hominem, vt operetur aliquid, & quòd homo illud non operetur; quamuis absolutè possibile sit non operari illud. Caiet 1. p. quæst. 23. art. 4. super solutione ad primum D. Thomæ dicit, omnes Doctores affirmare, quod futuri actus contingentes sunt euitabiles absolutè, & possunt non esse, tamen in ordine ad diuinam prouidentiam, & efficaciam diuinæ voluntatis sunt ineuitabiles, & ait, distinctionem *de sensu composito, & diuiso, de necessitate consequentiæ, & consequentis*, communiter assignari à Doctoribus, ad concordandam libertatem arbitrij, & contingentiam rerum cum infallibilitate prouidentiæ diuinæ: & ipse Caietanus ibi approbat istam doctrinam, quamuis asserat, non quietare intellectum nostrum, & ideo ipse captiuat suum in obsequium fidei, in quo nimirum doctissimè loquitur, & piissimè.

Durandus.

Ægidius.

XII. Ferrar.

Conrad.

Caiet.

XIII. Ex recentioribus etiam Themistis eandem doctrinam vnanimiter docent, & defendunt M. Soto libro primo de natura & gratia, cap 16. vbi ait, quod *concursus Dei, quo mouet voluntatem ad actum operationem: quamuis sit in eodem instanti temporis, in quo est concursus creatæ voluntatis, nihilominùs est prius naturâ illo* Et post pauca subdit: *In illo temporis momento, quo Deus mecum concurrit, sum liber, vt tunc agere velim: etenim dum liberè moueor, possum in sensu diuiso non agere, & tunc cessabit concursus Dei: tametsi in sensu composito contra se inuicem pugnent: Deum agere erga me actione illa, & me non agere.* Magister Medina prima secundæ, quæstione decima, articulo 4. dubio 1. ante solutionem ad primum, vbi ait: *Posito Dei concursu, non est possibile, quod homo non moueatur, stante diuino concursu: cæterùm absolutè, & simpliciter potest non moueri. Quod perinde est, atque si diceretur, non esse possibile hanc copulatiuam esse*

Mag. Soto.

M. Medina.

Capreolus.

esse verum: Deus concurrit mecum, & inquet meam voluntatem, & mea voluntas non mouetur. Caterum hæc copulatiua est vera, Deus concurrit mecum ad volendum, vel loquendum, & ego possum non velle, vel non loqui. Et in solutione ad primum sic ait: *Adhuc posito Dei concursu, libere agit, & potest non agere, licet non fiat. quod Deus concurrat, & quod non agat in sensu compasito; sicut non fiat, quod Deus sciuerit, Petrum ab æterno peccaturum, & Petrus non peccet; tamen adhuc potest non peccare.* M.Bañes 1. parte, quæst.19. art.8. dub.1. concl. secunda, vbi ait: *Effectus contingentes, aut liberi, si comparentur ad scientiam, vel prouidentiam, vel voluntatē Dei, sunt necessarij secundum quid scilicet ex suppositione: quæ necessitas est conditionalis, seu potius consequentiæ, non consequentis,* & id probat, quia hæ consequentiæ sunt bonæ, & necessariæ: Deus vult aliquid fieri: ergo fiet, eo modo, & quando vult fieri: Deus prouidit hoc futurum: ergo erit, & quæst. 23. art.3. dub. vlt. post concl.10. inquit; *Tandem aduertendum est, quomodo cum doctrina Catholica consistat, quod definitum est in Concilio Tridentino sessione 6. can.4. vbi dicitur: Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum, & excitatum mere passiuè se habere, velut inanime quoddam, nihilque cooperari, quo ad recipiendam gratiam se disponat, nec posse dissentire, si velit, anathema sit. In quo canone duo obserua. Primum est, quod illa cooperatio liberi arbitrij est effectus diuinæ misericordiæ. Secundum est, quod hæc propositio Liberum arbitrium potest dissentire, si velit; debet intelligi, simpliciter loquendo: non autem in sensu composito, ita vt possint stare simul hæc duo, scilicet hoc auxilium efficax existit in homine, & homo resistit dissentiendo: ratio autem est euidens: Voluntati enim eius quis resistet? scilicet voluntati efficaci, & absolutæ ipsius.* M.Zumel.1.p. quæst.19.artic.8.disp.2.conclus.2. vbi habet eadem fere verba, quæ ex M.Bañes eod.artic. 8. retulimus.

XIV. M.Bañes. Effectus omnes cōtingentes sunt necessarij secundum quid.

Cōc. Trid. expenditur.

XV. Astuticen.

M. Fr. Ioannes Vincentius Asturicensis, quondam Vicarius generalis Ord.Prædic. & in Academ. Salmaticen. sacræ Theologiæ Professor eximius, in relect. de gratia Christi, quæstione 5. artic.3. conclusione 3. pag.430. vbi ait, quòd *humana Christi voluntas fuit simpliciter, & in sensu diuiso libera ad obediendum, vel non obediendum præcepto sibi imposito. At in sensu composito, & necessitate consequentiæ non potuit non adimplere omnia sibi iniuncta præcepta, omnibusque sibi impositis obtemperare mandatis. Itaque non potuit stare, quòd Christo imponeretur præceptum moriendi, & quòd eius voluntas non acceptaret, & suo tempore non adimpleret.* Et ibi affirmat, hanc esse communem doctrinam Thomistarum, & explicat, qualiter cum illa stet libertas arbitrij.

Christi voluntas libere impleuit præcepta.

XVI. Scotus.

In schola etiam Scoti hæc eadem distinctio est communiter recepta, illam tradit Scotus in primo distinct. 39. quæst. vn. asserens, fuisse Boëtij, & distinct.40. quæst. vnica; quem sequuntur omnes eius discipuli. Eandem distinctionem admittit Fr. Petrus Trigosius Capuccinus in commentariis super summam Theologiæ S. Bonauenturæ, 1.p.q.25 art.3. dub. 1. concl.2. p.459. vbi sic ait: *Effectus contingentes, & liberi si comparentur ad scientiam, prouidentiam, & voluntatem Dei, dicuntur necessarij secundum quid, siue ex suppositione, quæ necessitas vocatur conditionalis, & consequentiæ, non tamen absoluta, seu consequentis.* Et assignat rationem; *quoniam istæ consequentiæ sunt optimæ: Deus præscijt hoc futurum: ergo erit; Deus prænidit hoc futurum: ergo erit, Deus vult aliquid fieri: ergo fiet, eo modo, quo voluerit, & quando voluerit, quia non stat dari antecedens verum, & consequens falsum*; & ibi proponit contra hanc doctrinam argumentum aduersariorum; affirmans, nihil concludere, & idem docet latius eodem art. dubio tertio, notab. 1. & in solutione ad primum.

Denique ex sacris literis, & Conciliis euidenter colligitur huius distinctionis necessitas, multa enim in illis habentur, quæ ad concordiam, nisi per hanc distinctionem, redigi non possunt. Nam in concilio Tridet. sess.6. can.4. de Iustificatione definitur, quòd liberum arbitrium motum, & excitatum à Deo potest illi dissentire, si velit, & cap.5. dicitur, quòd homo potest abijcere inspirationem diuinam, &c. similiter sacra Scriptura clamat, quòd nullus potest resistere voluntati Dei, vt patet ex illo Esther 13. *Nec est qui tuæ possit resistere voluntati, si decreueris saluare Israel.* & Psal.75. *Tu terribilis es, & quis resistet tibi?* Isai. 14. *Dominus Deus decreuit, & quis potest infirmare;* & cap.46. *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet.* & cap.47. *Non resistes mihi homo,* & ad Rom.9. *Voluntati enim eius quis resistet?* Hæc autem loca, quæ primo aspectu videntur esse contraria, per distinctionem prædictam, & non aliter concordantur. Præterea 1.Ioan.2. dicitur: *Omnis qui natus est ex Deo, non peccat, sed nec peccare potest, quoniam semen Dei manet in illo.* In aliis autem locis Scripturæ habetur, quòd multi homines iusti peccauerunt. Peccauit Dauid occidens Vriam, & ad vxorem illius, ipso viuente, accedens: peccauit Petrus Apostolus, Christum Dominum in nocte passionis abnegando; peccauerunt quam plurimi, quos constat priùs per gratiam ex Deo natos fuisse. Hæc autem loca, quæ videntur contraria, etiam per distinctionem supra positam, in concordiam rediguntur. Quod enim dicit sanctus Ioannes: *Qui natus est ex Deo, peccare non potest*, intelligitur in sensu composito; quia videlicet implicat, hæc duo simul esse vera, quòd scilicet aliquis sit natus ex Deo, & existat in gratia, & peccet mortaliter: nam gratia & peccatum mortale non possunt esse simul in eodem. Quod verò in aliis Scripturis habetur, videlicet multos iustos peccasse, & consequenter peccare potuisse, intelligitur absolutè, & in sensu diuiso; ergo necessariò admittenda est ista discretio.

XVII. Libertate actus simul stare cum actus necessitate in sensu composito, colligitur ex sacris literis.

2. Reg 12. Lucæ 22.

Ad hæc omnia respondent auctores contrariæ sententiæ, se libenter admittere distinctionem illam de necessario in sensu composito, & diuiso, per quam SS. Doctores, & Scholastici communiter dissoluunt argumenta hæreticorum cōtra diuinam prouidentiam, prædestinationem, & libertatem arbitrij creati. Dicunt tamen, Deum non habere decretum absolutum, & efficax aliquid efficiendi per causam liberam priùs in signo rationis, quam per scientiam mediam, vel conditionatam exploratum habeat, ac certò, & infallibiliter cognoscat, quid in particulari voluntas creata pro sua innata libertate esset operatura ex hypothesi, quòd constitueretur in tali ordine rerum, & in talibus circumstantiis. Sed hoc effugium supponit vnum falsum, non enim est scibile etiam à Deo ante decretum actuale suæ voluntatis, quid determinatè sit acturum liberum arbitrium creatum, si poneretur in talibus circumstantiis, vt disp.7. ostensum est.

XVIII.

Ad argumentum autem factum à principio iam abunde satisfecimus disp.22. nu.40. & 41. vbi auctoritatem Anselmi explicatam dedimus.

XIX. Dubium.

PRo complemento huius disputationis esset disputandum, quid sit, actum liberi arbitrij creati esse necessarium in sensu composito vel diuiso, & qualiter explicari debeat, & intelligi necessitas in sensu composito: sed de hoc agendum erit disputatione 94. Interim aduertimus, quosdam Theologos in Dialecticis principijs deficere, dum arbitrantur, hanc propositionem: Homo motus à Deo auxilio efficaci, non potest dissentire vocationi diuinæ in sensu composito, nihil aliud significare, quàm quòd tempore, quo illa motio est in homine, ille

Digitized by Google

non poteſt diſſentire, ſed neceſſariò conuertitur; ablata verò motione efficaci tunc poſſit diſſentire, & non conuerti; ſed illi auctores non attingunt verum ſenſum compoſitum, ſed ſolum faciunt compoſitionem auxilij efficacis cum voluntate creata: non autem componunt auxilium efficax, & actualem reſiſtentiam in eodem ſubiecto pro eodem tempore; quam compoſitionem ſignificat iſta propoſitio: Liberum arbitrium motum à Deo auxilio efficaci ad conſenſum, poteſt diſſentire in ſenſu compoſito. Sicut enim iſta propoſitio, Album non poteſt eſſe nigrum in ſenſu compoſito, non ſignificat, quòd quando albedo eſt in homine, non poſſit eſſe niger, ablata verò albedine, poſſit eſſe niger, ſed ſignificat albedinem, & nigredinem eſſe formas ſimul incompoſſibiles in eodem ſubiecto; ita vt impoſſibile ſit aliquid ſimul eſſe album, & nigrum: & propterea iſta propoſitio: ita hæc: Liberum arbitrium motum à Deo auxilio efficaci, non poteſt diſſentire in ſenſu compoſito; non ſignificat, quòd quando motio efficax eſt in homine, non poſſit diſſentire, ſi velit; ablata verò motione efficaci, tunc poſſit diſſentire ſed ſignificat, hæc duo eſſe incompoſſibilia ſimul, quòd ſcilicet auxilium efficax ſit in libero arbitrio, & liberum arbitrium diſſentiat: & propterea illa propoſitio eſt vera quomá auxilium efficax, & actualis reſiſtentia nec ſunt, nec eſſe poſſunt ſimul in eodem; quamuis efficax auxilium ſimul compatiatur ſecum in eodem arbitrio potentiam ad diſſentiẽdum ſi velit quod ſufficit, & requiritur ad libertatem, vt diſp. 18. & 22. cepimus adnotare, & infrà diſp. 52. 92. & 93. 115. & 116. latiùs explicabimus.

Neceſſitas actus in ſenſu compoſito male à quibuſdam explicatur.

A tùm mota, ſi neceſſariò mouetur, neceſſariò mouet; ſed omnes cauſæ ſecundæ mouent, inquantùm motæ, & applicatæ à Deo: ergo, ſi ex neceſſitate naturæ mouerentur à Deo, neceſſariò mouerent, atque operarentur, & non liberè ergo, vt ſaluetur contingentia in rebus, requiritur, quod cauſa prima libere moueat ſecundas, ac per conſequens prima radix contingentiæ eſt libertas diuinæ voluntatis.

Secundò. Cauſa prima prius natura attingit effectum, quam ſecunda: ergo, ſi cauſa prima ageret neceſſariò, ex neceſſitate produceret effectũ cauſæ ſecundæ: ergo cauſa ſecunda non produceret illum liberè; implicat enim, quòd idem effectus ſimul ſit liber, & neceſſarius limpliciter, etiam reſpectu diuerſarum cauſarum: ergo requiritur libertas in prima II.

B cauſa, vt effectus liber ſit, & contingens.

Tertiò. Idem numero effectus, qui producitur à cauſis ſecundis, poteſt immediatè produci à ſolo Deo; ſed ſi producatur à ſolo Deo, non poteſt talis effectus eſſe contingens, niſi cauſa prima producat illum liberè; ſi enim operaretur ex neceſſitate naturæ, effectus produceretur neceſſariò: ergo nec erit effectus cõtingẽs, quando producitur à Deo media cauſa ſecunda, niſi prima cauſa illũ liberè operetur.

Quartò. Omne ens per participationẽ reducitur, tanquam in primam radicem, in primum ens per eſſentiam: ergo omne liberum per participationem debet reduci in primum liberum, quod eſt liberum per eſſentiam: ergo, ſi in voluntate diuina nulla eſſet libertas, non poſſet ſaluari libertas in cauſis ſecun-

C dis, quæ ſunt per participationem liberæ, neque in earum effectibus: ergo neque contingentia.

Confirmatur. Si Deus operaretur ex neceſsitate naturæ, liberum hominis arbitrium, vel Angeli, non poſſet liberè moueri à ſeipſo, abſque eo, quòd moueretur ab alio priori agente; alias eſſet ſimpliciter primum mouens, & ita eſſet Deus: nec etiam a Deo, quia tunc Deus moueret neceſſariò, & non liberè: ergo nihil tunc operaretur liberè.

Secunda ſententia eſt quorundam ex recentioribus Thomiſtis, qui aſſerunt efficaciam diuinæ voluntatis eſſe primam radicem contingentiæ, dicunt tamen, quòd libertas diuinæ voluntatis eſt conditio neceſſariò requiſita ad contingentiam rerum, & actualem libertatem noſtrorum actuum. Ex quo in-

D ferunt, quòd, etiamſi de facto Deus moueret cauſas ſecundas, & concurreret cum illis ſicut modo concurrit excepta libertate primæ cauſæ, nullus eſſet in rerum natura effectus contingens & liber. Conuincuntur argumentis factis pro ſententia Scoti. III.

Tertia ſententia eſt aliorum Theologorum, qui, reiecta opinione Scoti, docent, quòd prima radix, remota tamen, contingentiæ, eſt voluntas Dei creãs arbitrium hominum liberum, & Angelorum, & appetitum ſentientem beſtiarum. Proxima verò, & immediata eſt liberum arbitrium hominis, & Angeli, & appetitus ſentiẽs beſtiarũ, quoad eos actus, in quibus veſtigiũ libertatis habere videtur; quibus ſublatis, exiſtimãt, nullã eſſe cõtingẽtiã in rebus. Et quidẽ, quòd radix remota cõtingentiæ ſit voluntas diuina

E creans liberũ arbitrium, ex eo probãt: nã quidquid eſt radix contingẽtiæ, oportet tandẽ, quòd habeat eſſe a diuina voluntate, cum diuina voluntas ſit prima cauſa omnium, quæ quomodocunque habent eſſe. Quod autem ſola libertas creata ſit immediata, & proxima radix contingentiæ, probant duobus argumentis ſequentibus, vnde in ordine ſit

Quintum argumentum. Omnes aliæ cauſæ ſecundæ, præter cauſas liberas, vel habentes veſtigium aliquod libertatis, agunt ex neceſſitate naturæ: ergo ex illis non poteſt deſumi immediata, & proxima cauſa contingentiæ, ſed ſolum ex voluntate creata, quæ in ſua

DISPVTATIO XXVI.

Vtrùm prima radix contingentiæ ſit efficacia, ſiue omnipotentia diuinæ voluntatis.

I. PRAESENS quæſtio maximè deſeruit ad explicandum, qualiter cũ abſoluto, & efficaci decreto diuinę voluntatis prædeterminantis omnia futura contingentia, & libera, ſtet ſimul libertas arbitrij creati, quantùm ad actualem vſum illius. Ideo congruẽter, poſtquam oſtendimus Deum efficaciter prædeterminaſſe omnes actus futuros contingentes, & liberos; explicandum reſtat, quæ ſit prima radix, ex qua eorundem actuum contingentia deſumenda eſt.

Eſt ergo prima ſententia Scoti in primo ſententiarum, diſtinctione ſecunda, quæſtione quarta, diſtinctione octaua, quęſtione quarta, & quinta, diſtinctione trigeſimaoctaua, & trigeſimanona, & in ſecundo, diſtinctione prima, quæſtione tertia, in quibus locis aſſerit, quòd prima radix contingentiæ nõ eſt efficacia, ſed libertas diuinæ voluntatis; ita quòd ſublata Dei libertate, nulla in rebus maneret contingentia. Ex quo infert, Philoſophos, qui dixerunt, mundum à Deo ex neceſſitate naturæ proceſſiſſe; & nihilominùs rerum contingentiam admiſerũt, duas contradictorias latenter conceſſiſſe. Eandem ſententiam defendit Corduba in ſuo quæſtionario, lib. primo, quæſt. 55. quam ſequuntur omnes Scotiſtæ, & probatur

Primò. Nam, ſi Deus operaretur ex neceſſitate naturæ, neceſſariò moueret, & applicaret cauſas ſecundas ad operandum: ergo omnes cauſæ ſecundæ operantur ex neceſſitate abſoluta, & non contingenter. Patet conſequentia: nam cauſa, quæ mouet, inquan-

in ſua poteſtate habet operari hoc, aut illud, vel omnino ab operatione ceſſare.

Sextò. Cauſæ naturales producunt ſuos effectus contingenter: quia libere applicantur, & mouentur a cauſis ſecundis liberis, ſicut, v. g. lux lucernæ illuminat illam aulam contingenter, quia libere ab homine accenſa eſt, & in aulam introducta: cùm tamen potuerit pro nutu hominis libertate non accendi, nec in aulam introduci: ergo formalis, & proxima radix contingentiæ eſt libertas creata, vel potentia, habens veſtigium aliquod libertatis.

Septimò idipſum probatur. Effectus cauſæ ſecundæ dicitur contingens, quia eſt impedibilis, ſed non habet, quòd ſit impedibilis per habitudinem ad diuinam voluntatem: dicitur enim Eſther 13. *Nec eſt, qui voluntati tuæ poſſit reſiſtere* nec etiam per habitudinem ad cauſas naturales, quia ſunt naturaliter determinatæ ad vnum, & ex neceſſitate producunt ſuos effectus, ergo dicitur contingens per habitudinem ad cauſam liberam creatam, ac per conſequens in illam reducenda eſt omnis contingentia; & illa ſublata, nullus poteſt eſſe effectus contingens.

Confirmatur ex Ariſt. lib. 1. Periherm. vbi definit, contingens eſſe illud, quod non eſt ad vnam partem determinatum & S. Thom. 1. p. qu. 14. art. 13. in corp. inquit, quòd *ſi conſideretur contingens, vt actu exiſtens in ſeipſo, iam non conſideratur, vt ad vtrumlibet contingens, ſed determinatum ad vnum.*

IV. Quarta ſententia eſt Caiet. 1. p. qu. 19. ar. 8. & qu. 14. art. 13. qui ita reducit contingentiam rerum ad efficaciam diuinæ voluntatis, tanquam ad primam radicem, & cauſam, vt exiſtimet, libertatem ciuſdem voluntatis non eſſe conditionem neceſſariò præ-requiſitam, vt à cauſis ſecundis cõtingentibus effectus contingentes proueniant; ac per conſequens, etiamſi Deus operaretur ad extra ex neceſſitate naturæ, adhuc eſſent effectus contingentes, & liberi. Eandem ſententiam ſequitur Ferrar. 1 con. Gent. cap. 67. & illam defendunt multi Thomiſtæ, præſertim M. Bañes 1. p. qu. 19. art. 8. cap. 7. & M. Zumel q. 14. art. 13. diſput. 8. Sed non conueniunt omnes iſti Doctores in aſſignãda ratione, propter quam, ſuppoſito quòd Deus operaretur ex neceſſitate naturæ, adhuc eſſent effectus contingentes, ſicut modò ſunt. Quidam enim, vt Caiet. Ferrar. & M. Zumel dicunt, rationem eſſe deſumendam ex cauſa ſecunda libera, vel impedibili quæ participat influxum indifferentem primæ cauſæ, & modificat illum iuxta ſuam naturam; alij verò, vt M. Bañes, nolunt admittere, quòd influxus cauſæ primæ modificetur à cauſa ſecunda, & ita rationem contingentiæ aſſignant ex parte contrariũ ſecundarum contingentium, quæ per ſe ſunt impedibiles, ac per conſequens contingit, quòd concurſus vnius impediat concurſum alterius: alij denique alias diuerſas aſſignant rationes.

V. Contingẽs diuiſur dupliciter.

Pro ſolutione tamen huius difficultatis ſuppo-nendum eſt, quòd contingens accipitur dupliciter. Primò, in ampla quadam ſignificatione pro eo, quod ſimpliciter loquendo, poteſt eſſe, & poteſt non eſſe, ſaltem de potentia Dei abſoluta; & in hac acceptione non ſolum corruptibilia dicuntur entia contingentia, ſed etiam corpora cœleſtia, & Angeli: nam, eſſe exiſtentiæ non competit illis neceſſario neceſſitate abſoluta, ſed ex libera Dei voluntate. Etenim omnes creaturæ non ex neceſſitate naturæ, ſed libere proceſſerunt à Deo: & ſicut Deus liberè illas produxit; ſita etiam de ſua potentia abſoluta poteſt illas in nihilum redigere. Secundo modo accipitur contingens proprie pro eo, quod poteſt eſſe, & poteſt non eſſe, quantum eſt ex parte cauſæ ſecundæ, quia videlicet talis cauſa, ſecundum ſe, indifferens eſt ad producendum, vel non producendum effectum, qui

A dicitur contingens: vel ſi eſt determinata, poteſt impediri per concurſum aliarum cauſarum ſecundarum. Inter effectus autem contingentes, actus liberi ſunt maximè contingentes, vt docet S. Thom. in 1. ſent. diſt. 39. quæſt. 1. art. 5. nam cauſa libera ſe habet indifferenter ad oppoſita, & in hac ſecunda acceptione agimus de futuris cõtingentibus in præſenti.

VI. Notandum ſecundò, quòd ad contingentiam proprie ſumptam, requiritur, quòd virtus actiua cauſæ non ſit determinata ad vnum: nam quod eſt determinatum ad vnum quantùm ad exercitium, ita vt effectus ſit in rerum natura, iam ex tali ſuppoſitione non dicitur effectus contingens: vel ſi cauſa eſt determinata ad vnum, neceſſe eſt, vt effectus ſit contingens, quòd poſſit impediri per concurſum alterius cauſæ, ne producat ſuum effectum. Itaque non eſt de neceſſitate cauſæ contingentis, quòd ſe habeat indifferenter ad vtrumlibet, ſed ſufficit, quod poſſit impediri per aliam cauſam ſecundam. Docet hoc expreſsè S. Thom. & id probat exemplo ignis, qui naturaliter eſt determinatus ad comburendum lignum ſibi applicatum; & tamen illa combuſtio eſt contingens, quia per effuſionem aquæ poteſt impediri; vnde S. Doct. triplex genus contingentium diſtinguit. Primum eſt eorum, quę eueniunt, vt in paucioribus, vt illa, quæ accidunt à caſu, vel fortuito. Secundum eſt eorum, quæ eueniunt, vt in pluribus, ſicut hominem caneſcere in ſenectute, quod cauſatur ex natura. Tertium eſt eorum, quæ ſe habent ad vtrumlibet; quia ſcilicet ſecundùm ſe non magis ſe C habent ad vnam partem, quàm ad aliam: & iſta procedunt ex electione. Sentit ergo S. Thom. præter cõtingentia, quæ procedunt ex cauſis liberis, eſſe alia, quæ procedũt ex cauſis neceſſariis, ſed impedibilib.

Contingẽs proprie, quot requirat conditiones.

S. Thom. 1. periherm. lect. 14. circa med. Eodem lib. lect. 13 & 6. Metaph. lect. 2. & 1. Phy lect. 8. in princ.

VII. Notandum tertiò, quòd voluntas Dei poteſt dupliciter conſiderari. Primò, quatenus creare voluit, & creauit liberum arbitrium hominum, & Angelorum, & alias cauſas ſecundas: & ratione huius voluntatis tribuitur Deo, vt primæ cauſæ per ſe efficiẽti, omnis virtus actiua cauſarũ ſecundarum, per quã conſtituuntur habitualiter in actu primo: ſecundo modo, quatenus efficaciter voluit, & præconſtituit, atque ordinauit, quòd ex talibus cauſis contingentibus producerentur tales effectus contingentes cum talibus circumſtantiis, medio influxu cauſarum ſe-D cundarum: & ratione huius voluntatis tribuitur Deo, tanquam primo principio efficienti ipſe actualis influxus, & operatio cauſæ ſecundæ ſecundùm omnem entitatem, quam habet. Item aduertendum, quòd in præſenti poſſumus loqui de cauſa prima efficiente contingentiæ, & effectus contingentis, vel de cauſa formali proxima. Sit ergo

VIII. PRima Concluſio. Summa efficacia, & omnipotentia diuinæ voluntatis eſt prima radix, & prima cauſa efficiens cõtingentiæ, quæ reperitur in rebus. Hanc concluſionem docet expreſsè S. Thom. in 1. p. q. 19. art. 8. vbi explicans, vnde proueniat, quòd quidam effectus ſint contingentes, & liberi, & non omnia ex neceſſitate abſoluta eueniant, ait, *quòd hoc contingit propter efficaciam diuinæ voluntatis. Cum enim aliqua cauſa efficax fuerit ad agendum: effectus conſequitur cauſam: non tantùm ſecundum id, quod ſit, ſed etiam ſecundum modum fiendi, vel eſſendi. Ex debilitate enim virtutis actiuæ in ſemine contingit, quòd filius naſcitur diſſimilis patri in accidentibus, quæ pertinent ad modum eſſendi. Cum igitur voluntas diuina ſit efficaciſſima: non ſolùm ſequitur, quòd fiant ea, quæ Deus vult fieri; ſed quòd eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult. Vult autem quædam fieri Deus neceſſariò: quædam contingenter: vt ſit ordo in rebus ad complementum vniuerſi. Et ideo quibuſdam effectibus aptauit cauſas neceſſarias, quæ deficere non poſſunt: ex quibus effectus de neceſ-*

Contingẽtiæ prima cauſa efficiẽs eſt ſumma efficacia diuinæ voluntatis.

situate prouenium: quibusdam autem aptauit causas contingentes defectibiles: ex quibus effectus contingentes eueniant. Non igitur propterea effectus voliti a Deo eueniunt contingenter: quia causa proxima sunt contingentes: sed propterea, quia Deus voluit eos contingenter euenire, contingentes causas ad eos præparauit. eandem conc. sequitur Caiet. & alij Doctores allegati pro quarta sententia.

Probatur primò: nam summa efficacia diuinæ voluntatis est, quantùm ad exercitium, causa rerum omnium tùm naturalium, siue contingentium, vt suprà dictum est; & similiter præparat causas contingentes, & defectibiles, vt ex illis prouenient tales effectus contingentes: ergo est prima radix, & causa efficiens omnium contingentium.

Probatur secundò. Illa est prima radix, & causa B contingentiæ, quæ primò continet formaliter, vel eminenter omnem modum causalitatis, quæ reperitur de facto in omnibus causis secundis; & efficit, quòd tales causæ producant effectus suæ naturæ proportionatos: sed, iuxta doctrinam S. Thomæ superius inductam, summa efficacia diuinæ voluntatis continet formaliter, vel eminenter omnem modum causalitatis causarum secundarum, cùm sit causa vniuersalissima, & efficiat, quod causæ secundæ influant in effectus suæ naturæ proportionatos: ergo.

S. Tho. 1. p. q. 19. ar. 8.

IX. Secunda Conclusio. Summa efficacia diuinæ voluntatis non ea tantùm ratione est prima radix, & causa contingentiæ, quæ reperitur in rebus; quia videlicet creauit liberum arbitrium hominum, & Angelorum, sed etiam quia absolutè, & efficaci voluntate præconstituit, quòd ex talibus causis contingentibus sequerentur tales effectus contingentes cum talibus circumstantiis. C Conclusio est contra aliquos modernos Theologos, qui negant voluntatem diuinam efficienter prædeterminare omnes causas secundas, & eas applicare ad operandum. Contra quos egimus disp. 22. 23. & 24. Nostra tamen conclusio est expressè S. Thomæ locis allegatis in eisdem disputationibus.

Probatur primò: nam aliàs sequeretur, quòd effectus contingentes, & liberi, & actualis causalitas, siue influxus causarum secundarum, non alia ratione tribuerentur Deo, tanquam primæ causæ efficienti, D nisi quia ipse est, qui creauit liberum arbitrium, & ita homo, vel Angelus solum haberet efficienter a Deo posse operari per liberum arbitrium contingenter, & libere; sed actualiter operari libere & contingenter haberet à seipso, & id descenderet ex arbitrij fonte, siue ex innata libertate: quod tamen est expressè contra S. Aug. lib. de gratia Christi contra Pelag & Cœlestium, cap. 3. & sequentibus, cuius verba adducta sunt disp. 1.

Secundò probatur ratione S. Thomæ in art. 8. cit. nam, si voluntas Dei solùm est prima causa, & radix contingétium, quia creauit liberum arbitrium, non autem quia præparauit, & prædeterminauit causas contingentes, vt ex illis tales effectus contingenter E procederent, sequeretur, quòd huiusmodi effectus euenirent in particulari præter intentionem, & determinationem voluntatis diuinæ: & ita essent fortuiti, & casuales respectu Dei, quod est impossibile.

X. Contingentiæ ratio formalis & proxima non est liberum arbitrium hominum vel Angelorum, vel appetitus bestiarum

Tertiò probatur: nam, vt statim patebit, etiamsi nullum existeret liberum arbitrium creatum, adhuc possent esse plures effectus contingentes, qui tanquam in primam causam efficientem, reducerentur in Deum: ergo ratio adæquata, propter quam rerum contingentia reducitur in Deum, vt in primam causam, non est, quia creauit liberum arbitrium hominum, vel Angelorum.

Tertia conclusio. Proxima, & formalis ratio contingentiæ, quæ reperitur in rebus, non est liberum arbitrium hominum, & Angelorum, nec appetitus sentiens bestiarum, ac per consequens, etiamsi excludamus omnem libertatem arbitrij creati, adhuc possunt dari effectus formaliter contingentes, qui procedant à causis naturalibus, quarum altera est defectibilis, & impedibilis. Conclusio est contra Auicenn. lib. 10. sua Metaph. cap. 1. quem refert, & impugnat S. Thom. 3. cont. Gent. cap 86. & contra aliquos Theologos: est tamen expressa eiusdem S. Thom. eodem cap. 86. & 1. p. quæst. 115. artic. 6. & 6. Metaph. text. 5. & asserit, illam esse sententiam Arist. in eodem text & in lib. de diuinat. per somnium, c. 1.

Probatur primò: nam, vt docet S. Thom. Angeli virtute suæ naturæ non cognoscunt certò, & infallibiliter futura naturalia, quæ dependent a causis secundis defectibilibus, licet deficiant, vt in paucioribus, cognoscunt autem omnia, quæ eueniunt necessariò: ergo a causis naturalibus possunt prouenire effectus contingentes. Patet consequétia: nam alias Angeli cognoscerent per suam naturam omnes effectus futuros a causis naturalibus dependentes.

Probatur secundò. Pluuias esse in hyeme, & tonitrua in æstate, sunt effectus formaliter contingentes, licet regulariter eueniant, quia aliquando deficiunt: sed eorum contingentia non reducitur, tanquam in causam proximam, in libertatem alicuius agentis creati, quia non reducitur in libertatem hominum, vt de se patet: nam illi non possunt impedire pluuiam cœlestem, nec illam causare: nec etiam reducitur in libertatem Angelorum, qui mouent cœlum. Etenim Angeli quamuis per intellectum, & voluntatem cœlos moueant, sunt tamen ad talem motum determinati ad modum naturæ, & per motum cœli causant effectus corporum inferiorum: alias non esset miraculum, neque contra ordinem naturæ, quòd Angeli nunc desinerent mouere corpora cœlestia, non enim est miraculum, quòd Angelus cesset ab actione libera: ergo proxima, & formalis ratio contingentiæ, non est liberum arbitrium hominum, vel Angelorum.

S. Tho. 1. p. q. 115. ar. 3. & de ver. q. 8. ar. 5. & q. 10. de malo ar. 7.

Tertiò probatur. Defectibilitas causarum secundarum naturalium sufficit ad contingentiam, vt in primo fundamento dictum est, sed hæc defectibilitas non conuenit rebus corporalibus ex aliqua libertate creata, sed ex natura sua, cum competat illis ex conditione materiæ, quæ potest deficere ab esse, & consequenter ab operatione, vt ostendit S. Th. 3. contr. Gent. cap. 86. ratione 5. Ergo ad contingentiam non requiritur libertas hominis vel Angelorum.

Quartò. Effectus casuales, & fortuiti sunt contingentes, vt suprà dictum est; sed secluſa quacunque libertate creata, dantur in rebus inferioribus multi effectus casuales, & fortuiti: contingit enim à casu, quòd tubum cadens de cœlo consumat arborem, quam sua sponte terra produxit in tali loco. Etenim, vt ostendit S. Th. 3. cont. Gent. allegato, & Arist. vbi supra cõtra Auicenn. concursus duarum causarum concurrentium simul ad effectum fortuitum, & casualem, non est effectus per se intentus ab aliquo agente creato, sed per accidens consequutus: ergo.

Denique probatur aliis rationibus, & auctoritatibus Damasceni, & Proloinæi, quas adducit S. Th. 3. cont. Gentes, vbi etiam refert, & soluit ex doctrina Aristotelis argumentum, quo Auicenn. conuictus est, de quo videndus est Ferrar. eodem loco.

XI. Proxima, & formalis ratio contingentiæ, est defectibilitas causæ secundæ.

Quarta conclusio. Proxima, & formalis ratio contingentiæ in istis rebus inferioribus sumitur ex causa proxima defectibili, seu impedibili per concursum alterius causæ. Hæc conclusio est Caiet. qu. 14. cit. & videtur expressa S. Thom. eodem quæst. ar. 13. ad primum, & 3. cont. Gent. cit. ratione 2. vbi docet.

cet, quòd licèt causa suprema sit necessaria: effectus tamen potest esse contingens propter causam proximam contingentem, sicut germinatio plantæ est contingens propter causam proximam contingentem, licet motus Solis, qui est causa prima, sit necessarius.

Probatur primò: Contingentia, formaliter loquendo, sonat imperfectionem, & defectibilitatem: ergo proxima, & formalis ratio illius assignanda est ex parte causæ secundæ defectibilis, & impedibilis.

Secundò probatur: nam S. Thom. 3. contr. Gent. citato, ex eo probat, quòd à causis naturalibus possint euenire effectus contingentes; quia deficere possunt propter conditionem materiæ: ergo defectibilitas causæ secundæ est proxima, & formalis ratio contingentiæ. Notandum tamen, quòd vt optimè aduertit M. Bañes, concursus Dei generalis non est indifferens secundùm se, neque modificatur, aut determinatur à causis secundis, aliàs penderet ab illis: sed ipse Deus determinat suum concursum, & modificat illum in causis secundis, & etiam determinat causas secundas ad operandum conformiter ad conditionem suæ naturæ, quoniam de ratione primæ causæ simpliciter est, quòd ab illa procedat omne ens per participationem, & omnis particularis modus entis creati contingentia autē est modus entis creati sicut libertas; & necessitas: debet ergo procedere ex determinatione diuinæ voluntatis, de quo plura diximus ex professo disp. 20. & tribus sequentibus.

Si Deus operaretur ex necessitate naturæ, adhuc fieret contingentia in rebus.

Quinta conclusio, Etiamsi Deus ageret ad extra ex necessitate naturæ, si tamen concurreret eodem concursu, quo nunc concurrit mouendo, & adiuuando causas secundas, & solùm esset differentia ex parte Dei in modo operandi per actum voluntatis naturalem, siue vt natura est, & non per actum voluntatis liberum, sicut modò operatur, adhuc saluaretur in rebus contingentia. Hæc conclusio in hoc sensu intenditur à Caietano, & ab aliis auctoribus allegatis pro quarta sententia.

Probatur primò: In tali casu multæ causæ secundæ essent defectibiles per concursum aliarum causarum, sicut modò sunt, & solùm esset differentia ex parte actus immanentis diuinæ voluntatis, quia tūc esset necessarius actus: ergo esset contingentia in rebus. Patet consequentia: nam, vt dictum est ex S. Th. ratio formalis, & proxima contingentiæ desumitur ex causis secundis defectibilibus, & impedibilibus per alias causas.

Secundò probatur. Vt docet S. Thom. 1. par. q. 19. art. 8. prima causa contingentiæ, quæ reperitur in rebus, est summa efficacia diuinæ voluntatis, sed etiamsi actus diuinæ voluntatis, per quem operatur, esset in Deo necessarius, & non liber, adhuc diuina voluntas haberet summam efficaciam: ergo si per actum naturalem vellet, quòd ex causis secundis defectibilibus sequeretur effectus contingens, esset in rebus contingentia.

Confirmatur. Si Deus moueret voluntatem ad volendum aliquod bonum particulare, medio iudicio rationis indifferenti, quo iudicaret, illud bonum non esse ex necessitate diligendum, talis volitio hominis esset formaliter libera, etiamsi Deus per actū naturalem suæ voluntatis moueret hominem ad volendum illud bonum: ergo volitio illa hominis esset contingens. Patet consequentia: nam omnis actus liber creatus est contingens, cùm possit esse, & possit non esse: & antecedens probatur: nam libertas, quamuis formaliter sit in voluntate, radicatur tamen, & fundatur in indifferentia iudicij rationis, vt docet S. Thom. 1. p. q. 83. art. 3. ad 1. & 3. cont. Gen. cap. 85. ratione 4. ergo, si iudicium rationis est indifferens, actus voluntatis, qui sequitur ad illud, erit liber, etiamsi Deus operaretur ex necessitate naturæ.

Quartò probatur ratione desumpta ex S. Thom. 3. cont Gent cap. 86. art. 1. A causa prima non sequitur effectus de necessitate, nisi etiam causa media sit necessaria: sicut in syllogismis ex maiori necessaria, & minori contingenti non sequitur conclusio necessaria, sed contingens. Deus autem est causa prima inferiorum effectuum, proximæ autem causæ sunt virtutes actiuæ, & passiuæ in illis inferioribus, quæ non sunt causæ necessariæ, sed contingentes: possunt enim deficere, vt in paucioribus: ergo, etiamsi Deus ageret ex necessitate naturæ, essent effectus contingentes propter causam proximam contingentem.

XIII. Propositio illa: Causa, quæ operatur, inquātum mota, si necessariò mouetur, necessariò operatur, vt sit intelligenda.

Per hæc patet responsio ad primum argumentum factum pro sententia Scoti, & ad propositionem illam assumptam: Causa, quæ operatur, inquantùm mota, si necessariò mouetur, necessariò mouet. Respondetur enim, quòd solum habet verum in causis mere instrumentalibus, quæ virtute propriæ formæ nihil conferunt ad productionem effectus, non autem in causis principalibus, quæ ex se, hoc est, ex principio actiuo intrinseco, aliquid conferunt ad productionem effectus, vt patet in exemplo adducto de planta, quæ germinat mota à Sole: quamuis enim necessariò moueatur a Sole per suum motum, germinat tamen contingenter, propter conditionem propriæ naturæ: de quo videndus est S. Th. q. 6. de potentia, art. vnic. ad 3.

Ad secundum respondetur, quòd, cùm concursus causæ primæ non attingat effectum causæ secundæ, nisi priùs natura recipiatur in ipsa causa secunda, & modificetur in illa, in nullo priori, causa prima attingit effectum illum, in quo non attingatur à causa secunda. Vnde non sequitur, quòd omnes effectus essent necessarij simpliciter, si Deus ageret ex necessitate naturæ, vt ex supra dictis constat.

Ad tertium respondetur primò, quòd eodem argumento probaretur, Deum modo de facto nullum producere effectum contingentem per causam secundam: quoniam si talis effectus produceretur immediatè à solo Deo, non esset formaliter contingens: quia non penderet ab aliqua causa defectibili. Secundò dicitur, quòd quando effectus non dicit formalem ordinem ad causam secundam; vt actus vitales, tunc bene potest Deus per seipsum producere immediatè eundem effectum numero, quantùm ad substantiam, qui producitur à causis secundis, esset tamen differentia, quantùm ad modum causandi. Etenim si produceretur à solo Deo, nulla interueniret causa defectibilis, aut impedibilis, & ita effectus non esset formaliter contingens. Cæterùm, quando producitur media causa secunda, iam potest habere aliquam causam impedibilem, & per consequens potest esse effectus simpliciter contingens.

XIV. M. Bañes 1. p q. 19 art. 8. concl. vlt.

Ad quartum argumentum M. Bañes respondet, quòd, si Deus ad extra operaretur ex necessitate naturæ, nullum esset liberum arbitrium creatum, neque actus liber, & conuincitur argumento facto cum sua confirmatione: & iuxta sententiam illius respondetur ad quartum argumentum, quòd etiamsi nulla esset libertas in causis secundis, adhuc saluaretur contingentia in aliis causis naturalibus defectibilibus, vt in 3. conclusione dictum est. Mihi autem videtur multò probabilius, quòd in tali casu saluaretur libertas in causis secundis, sicut saluaretur contingentia in rebus naturalibus. & ratio huius est, nam si Deus seruaret ordinem vniuersi, & naturam causarum secundarum, & præberet illis concursum ad extra, sicut nunc tribuit, & solùm esset

Libertas esset in rebus creatis, etiamsi Deus operaretur ex necessitate naturæ, dum tamen moueret medio iudicio rationis indifferenti.

differentia in actu immanenti diuinæ voluntatis, quantùm ad hoc, quòd ex necessitate naturæ vellet creaturas, tunc, sicut causæ naturales essent defectibiles, ita liberum arbitrium producês vnum actum, haberet potentiam actiuam, qua posset producere oppositum, si vellet, propter conditionem propriæ naturæ: ergo sicut in tali casu esset contingentia in causis secundis naturalibus, ita esset libertas in secundis causis liberis.

Confirmatur auctoritate S. Tho. quæst. 6. de potentia, supra cit. ad 3. vbi ait, quòd *Deus mouet voluntatem immobiliter propter efficaciam virtutis mouentis, quæ deficere non potest: sed propter naturam voluntatis mota quæ indifferenter se habet ad diuersa, non inducitur necessitas, sed manet libertas: sicut etiam in omnibus prouidentia diuina infallibiliter operatur, & tamen à causis contingentibus proueniunt effectus contingentes, inquantum Deus omnia mouet proportionabiliter, vnumquodque secundum suum modum.* sed seruato ordine huius vniuersi, Deus moueret omnia proportionabiliter, vnumquodque secundùm suum modum: ergo, etiamsi ex necessitate naturæ operaretur, adhuc essent effectus liberi. Dixi, seruato ordine huius vniuersi, quoniam, si Deus operaretur secundum vltimum potentiæ, & ab æterno produxisset simul omnia, quæ potest producere, & non conseruaret naturas causarum secundarum, quæ modò sunt: in tali casu, nullus esset effectus contingens, nec liber. Respondetur ergo ad quartum argumentum, quòd, si Deus ageret ex necessitate naturæ, & seruaret ordinem vniuersi, libertas creata reduceretur in Deum, tanquam in primum liberum eminenter; non autem, tanquam in primum liberum formaliter: nam in tali casu Deus non esset causa libera formaliter, sed solùm eminenter, sicut est eminenter æquus, quia est prima causa illius: & similiter eminenter est modò causa contingês, non autem formaliter: sicut ergo de facto, effectus contingentes referuntur in Deum, vt in primam causam efficientem, licèt Deus non sit formaliter causa contingens: ita in casu posito, actus liberi reducerentur in Deum, tanquam in primam causam efficientem, licet Deus non esset formaliter liber, sed solum eminenter.

Ad confirmationem respondetur, quod in casu posito voluntas creata operetur libere, mota a Deo motione inhærente, & proportionata naturæ voluntatis motæ, sicut de causis contingentibus dictum est, & ita posset producere actum liberum, sicut modò illum producunt.

XV. Ad quintum argumentum respondetur, quòd omnes causæ naturales agunt ex necessitate naturæ: nisi impediantur per concursum aliarum causarum: & quia causæ secundæ naturales possunt impediri, ideo ex illis sequuntur effectus contingentes. Et, si fiat argumentum: nam causa naturalis impediens operatur ex necessitate naturæ: ergo ex necessitate naturæ impedit effectum alterius causæ: ac per consequens ab illa nunquam procedet effectus contingens, ad hoc argumentum respondet ex professo sanctus Thomas 3. contr. Gent. capit. 85. citato, quòd, quamuis causa naturalis per se producat proprium effectum; non tamen habet per se, quòd impediat effectum alterius causæ: & ratio est, quoniam illæ duæ causæ non coniunguntur per se, sed per accidens, sicut per accidens coniungitur albedo homini musico; vnde, quòd album sit musicum, non habet causam per se.

Ad sextum negatur antecedens, vt patet ex dictis in tertia conclusione.

XVI. Ad septimum respondetur, quòd effectus dicuntur formaliter, & proximè contingentes per habitudinem ad causam secundam defectibilem, siue illa sit causa libera, siue naturalis. Ad confirmationem ex Arist. respondetur, quòd contingens dicitur illud, quod non est ita ad vnum determinatum, vt impediri non possit: si enim ita sit determinatum, vt impediri non possit, agens reduceret in actum ex necessitate absoluta potentiam passiuam materiæ, circa quam operatur: si autem impediri possit, iam non reduceret ex necessitate in actum potentiam passiuam materiæ, & ita effectus esset simpliciter contingens. Et iuxta hanc doctrinam intelligendus est Arist. vt explicat S. Thom. lib. 1. periherm. lect. 14. §. est autem considerandum. Contingês quid sit.

Ad aliam auctoritatem ex S. Thom. respondetur, solùm concludere, quòd effectus contingentes sint necessarij ex suppositione, quòd habent esse; quia omne, quod est, dum est, necesse est esse, vt dicitur in 1. periherm. c. 6. hæc tamen necessitas non destruit rerum contingentiam, vt inquit S. Thom. 1. p. q. 14. art. 13. ad 2. & in aliis locis disput. præcedenti allegatis.

DISPVTATIO XXVII.

Vtrùm aliquis effectus possit dici formaliter contingens in ordine ad causalitatem Dei, præsertim quando immediatè producitur ab illo.

PARTEM affirmatiuam defendunt Scotus in 1. sent. loco cit. disp. præcedenti, Gab. & alij nonnulli Theologi. Et probari potest eorum sententia: nam effectus immediatè producti à Deo non sunt necessarij; alias Deus ex necessitate naturæ produxisset mundum: ergo sunt contingentes; inter necessarium enim, & contingens non datur medium: ergo Deus est causa eorum contingens. Confirmatur. Non necessarium, & contingens idem omnino sunt, sed effectus producti à Deo sunt non necessarij, respectu causalitatis illius: ergo sunt contingentes, & ita Deus erit eorum causa contingens. I.

Secundò. Illud dicitur contingens, quod ex natura sua non est determinatum ad esse, sed indifferenter potest esse, & non esse; sed effectus producti immediatè à Deo indifferenter possunt esse, & non esse: ergo sunt contingentes, ac per consequens causa eorum erit contingens.

Deus nec est causa formaliter necessaria, nec cõtingens, sed libera.

Partem negatiuam tenent Caiet. 1. p. q. 14. art. 13. §. quo ad secundum igitur, Ferrar. 3. cont. Gent. c. 67. & 70. & est expressa sententia S. Th. in 1. sent. distin. 43. q. 2. art. 1. ad 4. & q. 16. de malo, art. 7. ad 15. & q. 23. de verit. art. 1. ad 2. in quibus locis docet, Deum non esse causam rerum necessariam, neque contingentem, sed liberam, & huius rei duplicem assignat rationem.

II. Prima est, quia necessarium, & contingens sunt conditiones propriæ causæ creatæ, & limitatæ, sed voluntas diuina, cùm sit causa vniuersalissima omnium, est super omnem conditionem, & modum causæ creatæ: ergo non est formaliter causa contingens. Hanc rationem assignat q. 16. citata, de malo.

Secunda ratio est: nam de essentia causæ contingentis est, quòd sit mutabilis, & impedibilis, sed voluntas diuina nec est mutabilis, nec impedibilis per aliam causam: ergo non est causa formaliter contingens. Hanc assignat in 1. sent. & q. 23. de verit. citata.

Confirmatur. Causa contingens, vt contingens, includit intrinsecè imperfectionem: ergo nõ potest Deo

Deo formaliter competere, in quo nulla potest esse imperfectio.

Quidam Theologi existimant, quæstionem esse de nomine, & dicunt, quòd, si contingentia solùm significet indifferentiam quandam, quam habet effectus in ordine ad suam causam, inquantùm ex vi illius potest esse, & potest non esse: sic effectus sunt contingentes in ordine ad Deum, quia hoc nihil aliud est, quàm non esse simpliciter necessarium: si autem contingentia, præter indifferentiam prædictam, includat aliquam imperfectionem, secundùm hoc Deus non est causa contingens, sed libera.

Nihilominùs dicendum est, quæstionem non esse de nomine, sed de re; nisi quis velit terminos, & nomina confundere, & causam liberam pro contingenti sermone improprio vsurpare; à quo tamen omnis Metaphysicus debet, & Theologus abstinere. Vnde Caiet. loco citato, postquam dixit, quòd contingentia imperfectionem in libertate importet, quia ponit mutabilitatem, subdit: *Et idcirco D. Thomas in 1. sent. dist. 38. præueniens inepta modernorum vocabula, negat, Deum causare contingenter*, & rationes adductæ ex sancto Thoma hoc ipsum efficaciter probant.

111. AD primum argumentum negatur consequentia, quia necessarium, & contingens non opponuntur immediatè, nisi in ordine ad causas creatas; in ordine autem ad causam increatam, inter necessarium & contingens, datur medium, scilicet liberum.

Nõ necessarium & causis competit contingẽtibus, & liberis.

Ad confirmationem respondetur eodem modo: dicimus enim, non necessarium competere non solùm causis contingentibus, sed etiam liberis: causa autem libera non habet, quòd sit formaliter contingens, nisi sit mutabilis, vel impedibilis, sicut est causa libera creata, vt ex dictis patet.

Cõtingens aliquid addat supra liberum.

Ad secundum respondetur, quòd, vt aliquid sit contingens respectu alicuius causæ, non sufficit, vt ex natura sua non sit determinatum ad vnum, sed vltra hoc, requiritur, quòd causa, quæ dicitur contingens, sit defectibilis, vel impedibilis: nam effectus contingens, vt sic, dicit formalem ordinem ad causam defectibilem, sicut motus deficiens dicit intrinsecum ordinem ad causam secundam deficientem. Vnde, sicut Deus non potest immediatè per seipsum producere motum, aut alium effectum deficientem, nisi interueniat causa secunda deficiens, cui tribuatur defectus, ita non potest immediatè per seipsum producere effectum formaliter contingentem, sed solùm media causa secunda defectibili: nisi contingens in ampla significatione accipiatur pro eo, quod potest esse, & potest non esse, saltem per potentiam Dei absolutam, iuxta acceptionem disp. præcedenti num. 3. explicatam. In hac enim acceptione, quælibet res creata potest dici contingens, seu contingenter esse, quia ipsum esse existentiæ non competit creaturæ ab intrinseco, & ex natura sua, sed per gratuitam Dei communicationem; cùm, habere esse per essentiam, sit proprium, & quidditatiuum prædicatum solius Dei. Vnde & Moysi interroganti: *Si dixerint mihi: Quod est nomen eius; quid dicam eis?* Respondit Dominus, *Ego sum, qui sum. Sic dices filiis Israël: Qui est, misit me ad vos.* Etsi quis interroget: An actus diuinæ voluntatis, quo statuit res producere ad extra, possit dici contingens in ampla illa significatione, qua contingens appellatur illud, quod potest esse, & potest non esse; respondetur, quòd in Deo volitio efficax producendi creaturas duo includit, scilicet absolutum, quod est ipsa essentia diuina, & quantùm ad hoc volitio prædicta nullo modo potest dici contingens, sed omnino necessaria; quia, quantùm ad absolutum, non potuit non esse in Deo. Alterum est respectiuum, scilicet habitudo rationis ad creaturas producendas, & quantùm ad huiusmodi respectum illa volitio potuit non esse in Deo, quia, vt dicit S. Thom voluntas diuina, licet ex se necessitatem habeat, in ordine tamen ad creaturas producendas, *dicit habitudinem non necessariam*. Quia tamen voluntas diuina est omnino immutabilis, vtpote nullam dicens potentialitatem ad esse, & non esse, quam tamen importat, saltem in ordine ad potentiam Dei absolutam, quælibet res creata; ideo actus diuinæ voluntatis nullo modo debet dici contingens, sed liber, comparatione creaturarum, vt ex supradictis constat.

Exod. 3.

S. Tho. 1 p. q. 19. art. 3. ad 5.

FINIS LIBRI TERTII.

Digitized by Google

DE AVXILIIS DIVINÆ GRATIÆ, ET HVMANI ARBITRII VIRIBVS, ET LIBERTATE, AC LEGITIMA EIVS CVM EFFICACIA eorundem Auxiliorum concordia,

Liber Quartus.

IN QVO AGITVR DE PROVIDENTIA Dei, & eius infallibilitate.

I. CVM prædestinatio sit pars subiectiua prouidentiæ, vt 1 part. q. 22. art. 1. docet S. Thomas; antequam ad peculiares difficultates, quæ his temporibus circa prædestinationem, & reprobationem agitantur, peruenamus; oportet quædam dubia circa diuinam prouidentiam dissoluere, ex quorum resolutione sternitur via ad ea, quæ de prædestinatione dicenda erunt: ignorata enim prouidentia, necesse est etiam prædestinationem ignorare. Et quamuis multa soleant circa prouidentiam à Doctoribus in dubium verti, quæ S. Thom. 1. par. quæ. 22. profundè, & breuiter in quatuor articulis attingit; quinque dumtaxat in præsenti examinabimus.

A

I. Vtrùm Deus habeat prouidentiam omnium indiuiduorum in particulari, secundùm omnes circumstantias.

II. Vtrùm mala pœnæ, absoluta, & efficaci voluntate sint à Deo volita, & vt euenirent, prædeterminata, an solùm permissa.

III. Vtrùm sit de ratione diuinæ prouidentiæ, non solùm ordo mediorum in finem, sed etiam infallibilis assequutio ipsius finis.

IV. Vtrùm causæ secundæ contingentes, & liberæ possint se subtrahere, vel exire ab ordine, qui per diuinam prouidentiam est eis præfixus.

V. Vtrùm liberum arbitrium creatum omnipotenti Deo valeat resistere, vel contra ordinem diuinæ prouidentiæ reniti.

B

C

DISPVTATIO XXVIII.

Vtrùm Deus habeat prouidentiam non solùm omnium generum, & specierum, sed etiam omnium indiuiduorum in particulari, secundùm omnes circumstantias loci, temporis, &c.

II. PRO huius difficultatis explicatione notandum est, quòd habere prouidentiã omnium rerum secundùm genera, & species, est determinare quotnam sint genera, & species futuræ, siue in genere substantiæ, siue in genere accidentis, ita vt nec plures, nec pauciores dentur, quàm Deus decreuerit: & ordinare illis media, quibus infallibiliter in proprium finem perueniant. Habere autem prouidentiam omnium indiuiduorum in particulari secundùm omnes circumstantias, est ordinare omnia huiusmodi indiuidua in eorum finem, & prædefinire, quot indiuidua sint futura, ita vt nec plura sint, nec pauciora, quàm Deus præordinauerit. Hæc enim prædefinitio, & præordinatio includitur in ratione prouidentiæ diuinæ, vt inferiùs patebit. Hoc supposito, est nobis in hac parte duplex concertatio, altera cum Philosophis antiquis, altera cum modernis Theologis. II.

Est enim prima sententia quorundam Philosophorum, qui omnino Dei prouidentiam negabant, vt Epicurus; & alij nonnulli, quos refert Lactantius lib. 1 de Ira Dei, cap. 9. & 10. Sed istum errorem excludit S. Tho. 1. p. q. 22. art. 1. Præterea Cicero lib. 1. de diuinatione, negauit, in Deo esse præscientiam futurorum, asserit enim, omnia, quæcunque fiunt in tẽpore, fato fieri: si semel admittatur in Deo scientia infallibilis, & prouidentia futurorum; & consequenter prouidentiam humanorum actuum à Deo absoluit, existimans, eam cum humana libertate cohærere non posse. Istum errorem Ciceronis refert, & impugnat S. Aug. lib. 5. de Ciu. Dei, c. 9. & 10. Alij denique dixerunt, quòd, quamuis Deus habeat prouidentiam omnium rerum in communi, tã secundùm genera, quam secundùm species, non tamen habet prouidentiã omnium indiuiduorum, & singularium, præsertim quantùm ad indiuidua quædam minutissima: istam sententiam refert S. Thom. in 1. & 2. argumento quæst. 22. primæ partis.

Pro qua arguitur primò. Indiuidua corruptibilia non sunt per se intenta à natura, sed solùm ad cõseruationẽ speciei, quę per se intenditur, & per se pertinet ad perfectionem vniuersi: vnde, quãdo indiuidua sunt

sunt incorruptibilia, vt Angeli, aut corpora cœlestia, auctor naturæ solùm produxit vnum sub vna specie: ergo non sunt per se intenta à Deo, eadem est enim intentio naturæ, & Dei, vt est auctor naturæ: ergo aliqua individua multiplicari possent, saltem in speciebus imperfectis, præter intentionem, & ordinem particularem diuinæ prouidentiæ.

Arguitur secundò. A causis secundis producuntur per accidens, & præter intentionem naturæ aliqua individua imperfectissima, & minutissima, quæ otiosa videntur, & ad nihilum deseruire in vniuerso cuiusmodi sunt muscæ, & pulices: hæc enim animalia non ordinantur ad aliquem finem, sed consequuntur per accidens ratione materiæ: ergo Deus nó habet eorũ prouidentiã in particulari. Patet cõsequentia, nam prouidẽtia est ordinatio mediorum in finẽ. B

Confirmatur: nam videtur indecens, quòd Deus habeat curam illorum animalium imperfectorum, quod etiam videtur innuere Apostolus, cùm ait: *Numquid de bobus curæ est Deo?* ergo. 1. Cor. 9. 111.

Secunda sententia est quorundam Theologorum qui, etsi fateantur, Deum habere prouidentiam, & quidem perfectissimam omnium individuorum, etiam corruptibilium in particulari, & secundum omnes circumstantias; dicunt tamen, per talem prouidentiam non prædeterminari, nec prædeterminari in particulari, & secundùm omnes circumstantias omnia individua, præsertim imperfectissima, & minutissima: nec talem prædeterminationem esse necessariam ad perfectam prouidentiam, præsertim in actibus liberis, & solum admittunt in diuina prouidentia prædefinitionẽ actus liberi, supposita illa scientia media, disput. 7. explicata, & a nobis impugnata. Alij explicantes modum diuinæ prouidentiæ, dicunt, per diuinam prouidentiam non prædeterminari à Deo causas liberas, seu contingentes, ante omnem respectum ad eatum concursum. Et quidem si intelligant, quòd diuina prouidentia, & prædeterminatio dicat, & includat respectum ad liberum causarum secundarum concursum, tanquam ad effectum eiusdem prouidentiæ & prædefinitionis diuinæ in genere causæ, propriè efficientis; verissimum est, in diuina prouidentia includi talem respectum. Si autem intelligant (vt videntur intelligere) quòd diuina prouidentia dicat respectum ad liberum influxum causarum secũdarum, tanquam ad aliquid, à quo dependeat efficacia diuinæ prouidentiæ, & prædefinitionis, vel tanquam ad aliquid, quod præsupponatur præcognitum per scientiam mediam, seu conditionatam; coincidunt cum secunda sententia. C D

Pro quo arguitur tertiò auctoritate sancti Thomæ 1 p quæst. 23 art. 7. in corp. vbi docet, Deum determinasse numerum partium essentialium, vt cœlorum, elementorum, & omnium specierum, non tamen determinasse numerum individuorum corruptibilium, vt culicum, muscarum, &c. neque, vt hæc musca hodie naicatur eras illa, sed tantùm in genere prouidisse, quòd non deficiat species vlla animalium in vniuerso mundo. Pro eadem sententia adducitur sanctus Thomas quæst. 6. de veritat. art. 3. in corpore, & 2. contra Gent. cap. 9 & Orig. homilia tertia in Genesim, vbi ait: *Mementote, quia nihil sine Deo prouidentia gerimus, non sine voluntate, multa enim sine eius voluntate geruntur, nihil sine prouidentia.* Sentit ergo, quòd ad perfectam Dei prouidentiam non requiratur voluntas prædefiniens omnes actus proprios. E

Arguitur quarto. Non ad perfectionem prouidentiæ erga tantùm sunt necessaria, scilicet scientia, voluntas, & potentia, vt videtur docere sanctus Thomas prima parte quæstione 19. articulo quarto, ad 4. & quæstione 22. articulo primo & secundo, & quæstione 23. articulo 5. ad 1. Sed ex nullo capite illorum est prædefinitio illa necessaria ad perfectionem prouidentiæ diuinæ: ergo. Minor probatur, quia non est necessaria ex parte scientiæ, etenim scientia simplicis intelligentiæ, quæ præsupponitur ad prouidentiam, nullam includit prædefinitionem diuinæ voluntatis, cùm sit scientia naturalis, antecedens omnem actum liberum. Item etiam, scientia media, seu conditionata, quæ antecedit prouidentiam in ligno rationis, non includit prædefinitionem diuinæ voluntatis, cùm antecedat omnem liberum actum illius; sed ad prouidentiam, quantùm est ex parte scientiæ, sufficit huiusmodi scientia conditionata, suppositâ scientia simplicis intelligentiæ: ergo ex parte scientiæ nulla requiritur prædefinitio ad perfectam prouidentiam. Quòd autem non requiratur ex parte potentiæ diuinæ, est certissimum, non enim ideo Deus potest rem producere quia decernit producere; alias omnipotentia non competeret Deo naturaliter. Quòd verò non requiratur prædefinitio ex parte voluntatis, probatur: nam suppositò, quòd Deus voluit, & sua prouidentia ordinauit, quòd causæ secundæ operarentur contingenter, & libere, satis est; quantum est ex parte voluntatis; quòd Deus velit potentiam suam applicare ad cõcurrendum cum causa secunda libera ita pia pro sua libertate concurrere voluerit, ergo ex nullo capite necessariæ sunt ad perfectionẽ diuinæ prouidentiæ prædefinitiones huiusmodi.

Confirmatur hoc: nam ad prouidentiam, quam Deus habet de actibus peccatorum, inquantùm actus sunt, non requiritur prædefinitio diuinæ voluntatis: & tamen Deus habet perfectam prouidentiam illorum actuum in particulari: ergo perfectio diuinæ prouidentiæ nec includit, neque exigit prædefinitionem obiecti prouisi.

Tertia sententia est sancti Thomæ, & cõmunius inter Thomistas, pro cuius explicatione statuuntur sequentes conclusiones.

I V. Prouidentiam perfectissimam omnium rerum in particulari Deus habet.

PRima conclusio. Deus habet perfectissimam prouidentiam omnium rerum etiam contingẽtium, & quæ dependent ab humana libertate, non solum in communi, sed etiam in particulari, & secundùm omnes circumstantias. Conclusio est contra omnes Philosophos antiquos supra allegatos, eam tamen admittunt auctores secundæ, & tertiæ sententiæ, quam probant efficaciter loca Scripturæ, quæ 1. par. quæst. 22. art. 1. & 2. adducit sanctus Thomas, & M. Bañesius illam demonstrat. sanctus Augustinus contra Ciceronem, lib. 5. de Ciuit. Dei supra allegato.

Præterea probatur ex sancto Dionysio, cap. 4. de cœlesti hierarchia, vbi ait: *Omnia, quæ sub sunt, prouidentia Dei reguntur*: ergo secundum Dionysium, omnia singularia, quæ quomodocumque habent esse, subduntur diuinæ prouidentiæ.

Probatur secundò ratione S. Tho. 1. p. q. 22. citata, quæ consistit in hoc. Diuina prouidentia ad omnia illa se extendit, ad quæ se extendit eius omnipotentia & causalitas: cum enim Deus agat per intellectum, & voluntatem, oportet, quòd omnia, quæ producit, ordinet in finem, ac per consequens habeat eorum prouidentiam, sed omnipotentia Dei, & eius causalitas se extendit in particulari secundum omnes circumstantias ad omnia individua in particulari, quantumuis minutissima, secundum omnem rationem entitatis, quam habent, quia, cùm sint entia per participationem, oportet, quòd procedant effectiue ab ente per essentiam, quod est Deus: ergo habet omnium prouidentiam.

V.

Secunda conclusio. Deus prouidentia sua antecedenter ad præscientiam cooperationis cuiuslibet causæ

Prouidétia sua Deus omnia singularia prædefiniuit secundum omnes circumstãtias

causæ secundæ, futuræ etiam ex hypothesi, quòd in talibus circumstantiis cõstituatur, prædefiniuit omnia singularia in particulari secundùm omnes circũstantias, quantùm ad omnem rationem entis, quam habent, siue talia entia procedant à causis proximis naturalibus, siue liberis, & contingentibus. Itaque Deus sua prouidentia prædefiniuit in particulari, quòd hæc musca nascatur hodie, & illa cras, quòd Petrus producat talem actionem tali tempore, & cum tanta intensione, & aliis circumstantiis secundùm omnem rationem entis, quam habent. Hæc conclusio est contra auctores secundæ sententiæ, est tamen expressa doctrina S. Thomæ, vt constat ex diuersis locis illius, quæ adduximus disputat. 22. 23. & 24. sed præsertim eam probat ex professo, 3. contra Gen. cap. 76. vbi in confirmatione illius adducit illud Iudith 9. *Tu fecisti priora, & illa post illa excogitasti, & hoc factum est quod ipse voluisti.* Eidem sententiæ fauent SS. Doctores allegati eisdem disputationibus, dum asserunt, omnia bona opera esse à Deo prædefinita, vel prædeterminata, sed præsertim Dionysius Areopagita cap. 5. de diuinis nominibus, titulo de exemplaribus, lect. 3. apud sanctum Thomam, vbi docet omnes res existentes habere in Deo rationes prædeterminatiuas, & effectiuas earundem rerum: & subdit, quòd *huiusmodi rationes Theologia prædefinitiones vocat, & diuinas, & bonas voluntates existentium prædeterminatiuas, & effectiuas, secundùm quas substantialis essentia omnia prædefiniuit, & produxit.* Ex quibus verbis desumitur argumentum. Diuina prouidentia includit causalitatem voluntatis, & omnipotentiæ ipsius, sed causalitas diuinę voluntatis, & omnipotentiæ includit prædeterminationem omnium eorum, quæ in tempore producit: etenim, vt suprà ostensum est, diuina voluntas ab æterno prædeterminauit facere in tempore, quæcumque facit: ergo.

Probatur secundò auctoritate Irenæi lib. 2. c. 45. vbi ait: omnia esse prædefinita à Deo ordinata, & dispositа, quantumcũque minima, & secũdùm numerum, & modum, & quantitatem. Et eos acriter reprehendit, qui circa prouidentiam diuinam sunt nimis curiosi volentes plus sapere quàm oportet. Verba Irenæi sunt, *Quid autem, si quis interroget nos, si omnis numerus omnium, quæ sunt facta, & quæ sunt fiant à Deo, & si, secundùm illius prouidentiam vnusquisque eorum eam, quæ secundùm se est, accepit quantitatem: nobisque consentientibus, & consitentibus, quia nihil omnino horum, quæ facta sunt, & quæ fiunt, & fient, Deum fugit. sed per illius prouidentiam vnumquodque eorum & habitum, & ordinem, & numerum, & quantitatem accipere, & accepisse propriam, & nihil omnino, neque vanè, nec vt prouenit factum, aut fieri, sed cum magnæ aptatione, & consonantia sublimi, & esse admirabilem rationem, & verè diuinam, quæ possit huiusmodi & discernere, & causas proprias enunciare: accipiens à nobis huiusmodi testimonium, & consensum, pergat adhuc, vt arenam enumeret, & calculos terræ, sed etiam fluctus maris, & stellas cæli, & causas excogitare numeri, qui putatur inuentus; nónne in vanum laborans, & delirus hic talis, & irrationalibilis ab omnibus, qui sensum habent, iustè dicetur?* quibus verbis apertè docet, Deum minima quæque sua prouidentia determinasse.

VI. Probatur tertiò: nam aliàs illa minima indiuidua, quæ Deus non prædeterminauit in particulari, essẽt à casu, respectu diuinæ voluntatis: hoc autem non est dicendum, ergo. Sequela probatur: nam illud contingit à casu; quod euenit præter intentionem operantis: ergo, si aliqua indiuidua in particulari fiunt in rerum natura à causis secundis præter intentionem, & determinationem diuinæ voluntatis, erunt à casu respectu Dei.

Respondent ad hoc, quod, vt futura contingentia, quæ Deus non prædeterminauit in particulari, non eueniant à casu respectu Dei, sufficit, quod Deus certo, & infalibiliter ab æterno præcognouerit, quod talis effectus esset sequuturus ex tali causa. Sed contra est argumentum: nam casuale dicitur illud, quod euenit præter intentionem operantis: ergo, si aliquod ens in particulari sub ratione talis entitatis euenit præter intentionem, & prædeterminationem diuinæ voluntatis, erit à casu respectu Dei. Confirmatur, nam sequeretur ex hac solutione, quòd respectu talium effectuum prouidentia Dei nõ esset perfectè prouidentia, sed præuidentia. Probatur, nam perfecta prouidentia non solum importat præscientiam futuri euentus, sed etiam rationem ordinis mediorum in finem: ergo, vt Deus habere dicatur, perfectam prouidentiam, respectu alicuius obiecti, non sufficit, quod præsciat illud esse futurum. Nam, vt iã dictum est ex sancto Thoma, prouidentia, quam Deus habet, respectu omnium entium in particulari, præsupponit diuinam voluntatem, qua Deus vult illa producere secundùm omnem rationem entitatis: sed voluntas diuina efficax includit prædeterminationem actuum futurorum in particulari, vt ostensum est: ergo.

VII. Respondent, quòd ad omnes actus bonos ordinis naturalis, & ad perfectam prouidentiam, quam Deus habet de illis, necesse est, quod voluntas diuina ex æternitate prædefinierit producere illud vniuersum, & omnes causas antecedentes voluntatem Petri, verbi gratia, ex quibus dependet, quod Petrus existat in rerum natura. Similiter etiam requiritur prædefinitio, qua Deus decreuit producere Petrum cum talibus potentijs, & virtutibus operatiuis, & illum constituere in talibus circumstantijs, in quibus præsciebat, quod ipse pro sua innata libertate erat consensurus in talem actum: ac denique, etiam prærequiritur prædefinitio, qua prædefinijt conferre illi suum concursum generalem ad loquẽdum, verbi gratia, si pro sua libertate ita loqui vellet. Si autem actiones sunt supernaturales, ad illas requiritur, victa omnia prædicta, prædefinitio vocandi, & excitandi voluntatem Petri, præueniente auxilio supernaturali, & prædefinitio concurrendi cum illo ad actum supernaturalem, si ipse voluerit consentire. Addunt tamen, non esse necessarium ad perfectam prouidentiam, quam Deus habet, actuum humanorum, quod prædefinat absoluto, & efficaci decreto ipsum liberum influxum arbitrij creati, vt, quod Petrus, verbi gratia, cooperetur in talibus circumstantijs, & velit tale obiectum sibi propositum. Arbitrantur enim, hanc prædefinitionem repugnare creatæ libertati. Addunt aliqui quòd si per impossibile admitteremus, aliquam voluntatem futuram esse tam prauam, vt omnibus tẽporibus, & momentis repugnatura esset cuicumque vocationi quantumuis potentissimæ: data illa hypothesi; Deus non posset talem voluntatem efficaciter, & libere conuertere; posset tamen illam conuertere, quò vellet, impediendo libertatis vsum; neque hoc, inquiunt, repugnat diuinæ omnipotentiæ, sed potiùs consonat suauí dispositioni illius; quoniam, nisi præsupponatur præscientia illa conditionata futuri contentus ex hypothesi, quòd voluntas constituatur in talibus circunitantijs, impossibile est, quòd conuertatur, aut operetur, tollitur vis libertatis.

Deum cõuertere nõ posse voluntatem creatã, seruata eius libertate in aliquo casu, tenuerunt quidam.

Sed contrà: nam ex hac doctrina sequeretur, quòd ipsum influere, & consentire voluntati creatæ subtraheretur a causalitate diuina, vt patet ex rationibus factis disp. 18. 21. & 22. & ex his, quæ disputatione 36. 38. & 39. adducendæ sunt: & consequenter

etiam

etiam ſubtraheretur à prouidentia diuina, quod tamen nullatenus eſt concedendum.

Confirmatur: nam Deus non ſolùm eſt omnipotens reſpectu eorum, quæ facit, quantum ad ſubſtantiam actus, ſed etiam quantùm ad modum producendi: non enim ſolùm eſt cauſa efficaciſſima reſpectu actus, ſed etiam attingit, & poteſt attingere omnem modum illius: ergo, ſi, data illa hypotheſi, Deus ſua omnipotentia nõ poſſet liberè conuertere ad ſeipſum voluntatem, non eſſet ſimpliciter omnipotẽs.

Ex his ſequitur, hæc duo non poſſe ad inuicem cohærere, quòd videlicet Deus habeat perfectiſſimam prouidentiam cuiuſcunque actionis liberæ in particulari, & tamen non prædefiniat talem actionem ſecundum omnem rationem entitatis, quam habet.

VIII. Indiuidua corruptibilia ſũt per ſe ſecundò intenta. Prou. 16.

AD primum argumentum reſpondetur, quòd indiuidua corruptibilia, quamuis non ſint per ſe primò intenta à natura, ſunt tamen à natura intenta per ſe ſecundò ad conſeruationem ſpeciei, ad quam ordinantur, & ſimiliter producta ſunt propter gloriam Dei, & pulchritudinem vniuerſi, vnde & ſcriptum eſt: *Omnia propter ſemetipſum operatus eſt Dominus*, ac per conſequens etiam in particulari cadunt ſub diuina prouidentia.

Ad ſecundum argumentum reſpondetur, quòd tãgit difficultatẽm, quam tractat ſanctus Auguſtinus lib. 3. ſuper Geneſ. ad literam, cap. 14. Vtrùm videlicet minuta animalia, & alia, quæ nocent homini, ſicut ſunt ſpinæ, & vepres, & ſimilia, producta fuerint à Deo ante peccatum, & ad quem finem fuerint producta: & ad illam reſpondet S. Doctor, quòd à principio fuerunt producta etiam ante peccatum, quod probat in cap. 16. ex verbis illis Geneſ. 3. *Spinas, & tribulos germinabit tibi*: quæ verba dicta ſunt homini poſt peccatum: & ex illis colligit, quòd ante peccatum erant ſpinæ, ſed nondum deſeruiebant Deo ad vltionem peccati; quia nondum fuerat commiſſum, ſed poſt peccatum dictum eſt homini: *Germinabit tibi*, id eſt, vt ſint in pœnam peccati commiſſi, & puniant illud, tanquam inſtrumentum diuinæ iuſtitiæ. Ad argumentum ergo dicendum, quòd, vt docet S. Thom. 1. p. q. 22. art. 2. ad primum, licet caſualia, & quæ producuntur per accidens, ſint præter intentionem cauſæ particularis; non tamen poſſunt euenire præter intentionem, & ordinem cauſæ vniuerſalis: nam omnis effectus intrinſecè dependet ab vniuerſali agente, quod per intellectum, & voluntatem operatur quæcunque operatur.

Spinæ, vepres, muſcę &c. fuerunt producta à Deo ante peccatum.

Ad confirmationem reſpondetur, quòd gubernator particularis, qui habet curam huius ciuitatis, vel regni, non debet in particulari deſcendere ad minima, quæ geruntur in regno, eò quòd eſt limitatæ virtutis: ac per conſequens ſi in particulari prouideret de minimis, impediretur eius cura, & prouidentia circa maiora. Vnde Iſaiæ 32. dicitur: *Princeps quæ digna ſunt Principe, cogitabit, & ipſe ſuper Duces ſtabit*: & Exod. 18. Iethro dedit conſilium Moyſi, vt conſtitueret tribunos, & Centuriones, qui attenderent in particulari ad cauſas minores populi Iſraëlitici, vt ipſe poſſet maioribus intendere. Cæterùm vniuerſaliſſimus omnium gubernator Deus, quia eius prouidentia eſt infinitæ, & illimitatæ virtutis, non impeditur, ne perfectiſſimè maioribus prouideat, dum minutiſſimis in particulari attendit, & de omnibus illis prouidet. Colligitur hæc ſolutio ex ſancto Thoma 3. contra Gent. cap. 94. vbi agens de perfectione diuinæ prouidentiæ, & explicans, qualiter ad minutiſſima quæque in ſingulari ſe extẽdat, quod agens particulare facere non poteſt, inquit: *Quod in præmeditando ordinem, tanto eſt prouidentia perfectior, quanto magis vſque ad minima ordo prouidentiæ poteſt*

A *produci. Quòd enim nos omnium particularium ordinem præmeditari non poſſumus circa ea, quæ ſunt diſponenda à nobis, ex defectu noſtræ cognitionis prouenit, quia cũcta ſingularia complecti non poteſt. Tanto autem vnuſquiſque in prouidendo ſolertior habetur, quanto plura ſingularia præmeditari poteſt: eius autem prouiſio in ſolis vniuerſalibus conſiſteret, parum de prudentia participaret.* Et infrà: *Oportet autem, quod diuina prouidentia, in ſummo perfectionis conſiſtat: quia ipſe eſt ſimpliciter, & vniuerſaliter perfectus, vt in primo libro oſtenſum eſt. In prouidendo igitur, ſua ſapientiæ præmeditatione ſempiterna, omnia ordinat, quantumcunque minima videantur.*

Reſpondetur ſecundò, tantùm concludere argumentum; eſſe conueniens prouidentiæ diuinæ, quòd inferiora per ſuperiora gubernet: quod quidem, ſe-
B cundum ordinem diuinæ prouidẽtiæ, ita ſtabilitum eſt, vt 1. part. quæſt. 22. art. 3. & alibi ſæpe docet S. Thomas.

IX. Ad tertium argumentum factum pro ſecunda ſententia reſpondetur, quòd in illo art. 7. citato, non dicit abſolutè ſanctus Thomas, quòd Deus non prædefiniat omnia indiuidua corruptibilia in particulari, vt numerum boum, & culicum, ſed ſolùm docet quòd non prædefiniuit illa, quaſi principaliter, ſed quaſi ſecundariò; quia non ſunt propter ſe volita à Deo, ſed propter bonum vniuerſi, & ad conſeruationem ſpecierum, quæ principaliter pertinent ad bonum illius. Verba quippe ſancti Thomæ ſunt hęc: *Indiuidua corruptibilia non ordinantur ad bonum vniuerſi, quaſi principaliter, ſed quaſi ſecundariò, inquantum in eis ſaluatur bonum ſpeciei. Vnde licet Deus ſciat numerum omnium indiuiduorum; non tamen numerus vel boum, vel culicum, vel aliquorum huiuſmodi, eſt per ſe præordinatus à Deo, ſed tot ex huiuſmodi, diuina prouidentia produxit, quot ſufficiunt ad ſpecierum conſeruationem.* Vbi S. Thom. non dicit abſolutè, quòd numerus boum, vel culicum, &c. non ſit abſolutè præordinatus à Deo, ſed quòd non eſt *per ſe præordinatus*: neque in aliis locis adductis docet contrarium, quin potiùs in his, quæ nos adduximus diſp. 12. & 23. expreſsè docet, omnia eſſe à Deo prædefinita. Et
C cùm Scriptura ſacra dicat, Deum feciſſe omnia *in numero pondere, & menſura*, certiſſimum eſt, Deum, abſolutè loquendo, determinaſſe numerum omnium indiuiduorum in particulari, quæ futura ſunt ſub quacunque ſpecie, ita vt nec plura ſint, nec pauciora, quàm Deus decreuerit.

Numerus culicum, & muſcarũ eſt à Deo prædefinitus.

Sap. 11.

Ad auctoritatem Origenis reſpondetur, quòd loquitur de peccato, quod quidem cadit ſub diuina prouidentia, inquantùm illud permittit, vt inferius patebit, non autem ſub diuina voluntate, quia Deus non vult peccata abſolutè loquendo, ſed ſolùm vult ea permittere. Vnde S. Auguſtinus in Enchirid. cap. 95. inquit: *Non ergo fit aliquid, niſi Omnipotens fieri velit, vel ſinendo, vt fiat, vel ipſe faciendo: nec dubitandum eſt, Deum facere bene, etiam ſinendo fieri, quæcunque fiunt malè.* Et licèt Deus non velit peccata fieri, vult actum peccati, inquantùm actus eſt, quia vt ſic, bonus eſt, & ſimul vult permittere eius malitiam, vt diſputatione 11. & 24. dictum eſt.

Peccatum cadit ſub diuina prouidẽtia, nõ autem ſub diuina voluntate.

X. Ad quartum reſpondetur, quòd ex parte ſcientiæ liberæ, per quam Deus eſt in actu ſecundo cauſa rerum, & ex parte voluntatis, per quam producta ſunt omnia; requiritur ad perfectam Dei prouidentiam prædeterminatio omnium indiuiduorum in particulari, quæ futura ſunt, iuxta illud: *Quomodo aliquid permaneret, niſi tu voluiſſes?* Ad illud autem, quod obiicitur de ſcientia conditionata, quam alij mediam appellant, reſpondetur, quòd, vt diſp. 7. oſtenſum eſt, ante decretum diuinæ voluntatis non eſt ſcibile, etiã à Deo, quid in particulari faceret creata volũtas ex hypotheſi, quòd cõſtitueretur in talibus

Sap. 11.

circumſtan

circumstantiis, sed ad id est necessarium, quòd præcedat decretum diuinum prædeterminans voluntatem creatam ad talem actum particularem in illis circumstantiis, siue decretum illud sit absolutum, siue conditionatum ex parte obiecti voliti, vt in eadem disputatione 7. explicatum est.

Ad confirmationem respondetur, quòd, vt ostensum est disput. 14. & 24. Deus prædefiniuit actum peccati secundùm omnem rationem entitatis, quam habet, & similiter decreuit permittere malitiam illius ad ostentionem suæ iustitiæ in reprobis: in prædestinatis autem permittit peccata ad maiorem ostentionem suæ misericordiæ, vt humilientur, & magis cauti deinceps efficiantur. Vnde S. Augustinus lib. de natura & gratia, contra Pelagianos, capite 78. inquit: *Deserit aliquando Deus, vnde superbis, vt sciat, non tuum, sed eius esse, & discas superbus non esse*, & hæc prædefinitio sufficit, vt Deus habeat perfectissimam prouidentiam, quæ potest haberi respectu peccatorum.

Prædestinatos peccare permittit Deus, vt humiles & cautiores fiant.

DVBIVM PRIMVM.

Appendix,

Quid sit necessarium vt Deus habere dicatur rerum omnium prouidentiam perfectissimam.

XI. HINC autem oritur difficultas, quidnam sit necessarium, vt Deus habere dicatur perfectissimam omnium prouidentiam.

Quidam auctor existimat, quòd perfectissima prouidentia non requirit, vt singulæ actiones in particulari cũ omnibus circumstantiis absolutè præordinentur, & subditis perscribantur. Habet igitur Deus, inquit, perfectissimam omnium prouidentiam, non quia perfectissimo modo vult omnia, aut procurat, vt existant, sed primò, quia omnibus rebus conuenientissima media ad suos fines, & sufficientes vires ad suas functiones prouidit: & insuper creaturæ rationali vim prouidentiæ inseruit, qua ipsa sibi prouidere, suique, & rerum inferiorum curam gerere, & ex infinitis actionibus eligere, & facere posset, quas vellet. Hoc enim pulchrius est, quàm si Deus certas tantùm quasdam actiones illi præordinasset, & perscripsisset, vt illas solas faceret, ad illas solas mouendo, vel concursum offerendo. Secundò, quia vnumquemque pro suo captu, & prout conditio rerum fert, ad bonum excitat, & à malo auertit. Tertiò, quia nihil fit in mundo ab vlla creatura, quin Deus circa illud habeat hos actus. Primò præscit illud per scientiam conditionatam, nempe ex ipsa dispositione causarum illud futurum, si permittatur, &c. Secundò decernit, vel desiderat vt fiat, vel certè decernit permittere fieri. Tertiò, vult præbere concursum. Quartò, præuidet illud scientia absoluta. Quintò, habet circa illud actum complacentiæ, vel displicentiæ. Sextò ordinat illud ad suam gloriam. Si enim est actus bonus, statuit remunerare, si malus, punire.

Læs. lib. de grat. efficaci. cap. 4. nu. 8. pag. 33.

Prouidentia Dei perfecta, qualiter à quibusdam explicetur.

XII. Probat autem non esse necessarium ad perfectissimam prouidentiam, vt singulæ actiones in particulari cum omnibus circumstantiis absolutè præordinentur, & subditis perscribantur.

Primò, quia nimis angusta, nimisque circa res pleraſque indifferentes, nulliusque momenti ad Dei gloriam, vel bonum creaturarum sollicita esset talis prouidentia.

Secundò, nam si Deus perfectissima prouidentia, omnia ex solo suo ingenio, & naturali bonitate absolutè prædefinire voluisset, non nisi optima in suo quoque ordine, & perfectissima præordinasset, sicut fecit in prima creatione, vbi omnia ab ipso præordinata fuere in suis ordinibus perfectissima.

Tertiò, ea, quæ Deus non intendit, nec cupit fieri, nec media dedit eo fine, vt ista, vel istis similia fierent, non fiunt per eius prouidentiam: quia Deus per media, quæ contulit, talia fieri non cupit, qualia sunt opera prauа interna, vel externa; & tamen Deus habet perfectissimam omnium rerum prouidentiam: ergo ad perfectissimam prouidentiam non requiritur, vt singulæ actiones in particulari cum omnibus circumstantiis absolutè præordinentur, & subditis perscribantur.

XIII. Nihilominùs dicendum est ad saluandam perfectissimam Dei prouidentiam, circa ea, quæ fiunt in tempore, esse necessarium fateri, quòd singulæ actiones in particulari secundùm omnem rationem entitatis, & bonitatis, quam habent, sint à Deo prædefinitæ, & prœordinatæ, ita vt nec plures sint, nec pauciores, neque aliter, neque alio modo fiant, quam Deus voluntate absoluta decreuerit. Concl. est expressa S. Thomæ 3. cont. Gent. cap. 94. Probari potest hæc sententia ex dictis superius disput. 22. & 24. vbi ostensum est, omnia individua in particulari, & omnes actiones præsertim humanas in particulari secundùm omnes circumstantias esse à Deo absoluta, & efficaci voluntate prædefinitas secundùm omnem rationem entitatis, & bonitatis, quam habent.

Ad perfectissimam Dei prouidentiam.

S. Tho.

Præterea probatur. Ad perfectissimam Dei prouidentiam est necessarium, vt ea omnia ordinet in finem, quorum ipse est causa, nam prouidentia est ordinatio mediorum in finem, vt suprà ostensum est. Vnde Apoc. 1. ait. *Ego sum alpha, & omega, principium, & finis.* Vt innueret, Deum esse vltimum finem, ad quem sua prouidentia ordinat omnia, quorum ipse est primum principium efficiens. Sed Deus est prima causa efficiens omnium rerum in particulari, & omnium individuorum cuiuscunque speciei secundùm omnem rationem entitatis, & bonitatis, quam habent; aliàs essent admittenda duo rerum prima principia. Ergo ad perfectissimam Dei prouidentiam saluandam, necessarium est fateri, omnia hæc esse à Deo prædefinita, & præordinata in finem.

Apoc. 1.

XIV. Secundò probatur. Prouidentia cuiuslibet agentis particularis continetur sub prouidentia Dei, tanquam sub vniuersali, sicut ratio particularis entis continetur sub ratione communi entis, sed est impossibile, quòd aliquod ens particulare subterfugiat communem rationẽ entis, aliàs esset nihil, eò quòd ratio entis imbibitur intrinsecè in conceptu cuiuscumque entis, etiam in vltimis differentiis; ergo impossibile est, quòd prouidentia agentis particularis subterfugiat rationem vniuersalem prouidentiæ diuinæ: ergo per eandem prouidentiam, sunt prædefinita, & præordinata omnia, & singula, in quibus reperitur ratio entis; ergo non erit perfecta Dei prouidentia, & præordinatio, nisi ad hæc omnia se extendat.

XV. Ad primum argumentum respondetur ex doctrina S. Thomæ 3. contr. gent. capit. 94. esse quidem inconueniens, quòd prouidentia particularis agentis ad minima quæque se extendat, eò quòd creatura rationalis omnium particularem ordinem præmeditari non potest, circa ea, quæ sunt ab ipso disponenda, id quod ex defectu humanæ cognitionis prouenit, quæ cuncta singularia complecti non potest. Vnde eo ipso quòd prouidentia eius intendit minimis, impeditur ne possit præmeditari, & præordinare maiora. Vnde & Iethro Moysi sedenti à mane vsque ad vesperam, vt iudicaret populum;

S. Thom. Prouidẽtia Dei se extendit ad minima, non autem prouidẽtia hominis.

Non

Digitized by Google

Non bonam, inquit, *rem facis, ſtulto labore conſumeris, & tu, & populus iſte, qui tecum eſt: vltra vires tuas eſt negotium. ſolus illud non poteris ſuſtinere, &c. Prouide autem de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint auaritiam, & conſtitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos, qui iudicent populum omni tempore. Quidquid autem maius fuerit, referant ad te, & ipſi minora tantummodo iudicent.* Cui conſonat illud Iſaiæ. 32. *Princeps vero ea, quæ digna ſunt principe cogitabit, & ipſe ſuper duces ibit.* Cognitio autẽ & præmeditatio agentis vniuerſalis nullo modo impeditur à præmeditatione, & prouidentia minorum, ex eo, quòd minimis rebus intendat. Vnde in prouidendo rebus creatis ſuæ ſapientiæ præmeditatione ſempiterna omnia præordinat, quantumuis minima videantur, atque a Deo non eſſet perfecta eius prouidentia, & præor-

XVI. dinatio, niſi ad minima quæque ſe extenderet. Et quamuis multæ ſint actiones indifferentes ſecundum ſe comparatione voluntatis creatæ, quia ex obiecto nullam important bonitatem, aut malitiam moralem, comparatione tamen voluntatis, & cauſalitatis diuinæ omnia entia in particulari, ſecundum omnem rationem entitatis, quam habent, ſunt determinate bona, & ad bonum finem ordinata, iuxta illud Prouerb. 16. *Omnia propter ſemetipſum operatus eſt Dominus.* Licet ergo intellectus humanus

Prou. 16. comprehendere non poſſit ordinem à diuina prouidentia præſtitutum rebus minimis, quæ nobis otioſæ videntur in vniuerſo, & ad nihilum deſeruire, qualia ſunt muſcæ, aranеæ, &c. omnia tamen ſunt inter ſe miro ordine per diuinam prouidentiam diſpoſita, & ſuis finibus coaptata. Vnde ſanctus Auguſtinus ſuper Pſalm. 184. in illa verba

Auguſt. *Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius*, inquit *Hæc omnia quæ vobis videntur in rerum natura temere fieri, non faciunt niſi verbum eius, quia non ſunt, niſi iuſſu eius, &c. Quidquid ergo hic accidit contra voluntatem noſtram, noueris, non accidere, niſi de voluntate Dei, de prouidentia ipſius, de ordine ipſius: & ſi nos non intelligimus hoc quare fiat, dicimus hoc prouidentiæ ipſius, quia non ſit ſine cauſa: & non*

S. Thom. *blaſphemabimus.* Vide Sanct. Thom. quæſt. 5. de veritate, in articulo vltimo ad 7. vbi eſſe ineffabiliter probat, diuinam prouidentiam ſe extendere ad omnia, & ſingula, quantumuis minima.

XVII. Ad ſecundum reſpondetur, negari non poſſe Deum perfectiſſimam prouidentiam omnia opera ex ſolo ſuo ingenio, & naturali bonitate, abſoluta voluntate præordinaſſe. Neque enim opus erat, vt diſpoſitionem rerum, quas producere decreuit, huc per ſe immediate, ſiue mediis cauſis ſecundis, cum aliquo extra ſe conferret, & conſequenter, etia alterẽdum eſt non ſolum in prima creatione optima in ſuo ordine, & perfectiſſima præordinaſſe, ſed etia in actis rebus, quas mediis cauſis ſecundis produxit. Optima, inquã, ſecundum ordinem à diuina prouidentia ſtatutum. Nam ſi abſolute loquamur, & de potentia abſoluta, certiſſimum eſt, Deum poſſe meliora facere, quam ea quæ facit, vt 1. p. quæſt. 25. art. 6. oſtendit Sanct. Thomas, alias potentia Dei eſſet

Obiectio. exhauſta, & conſequenter non eſſet infinita. Neque obſtat, quod multa peccata, & monſtra ſint in rerum natura mediis cauſis ſecundis, quæ tamen non ſint bona, & multo minus ſint optima, quia, vt in Enchiridione ad Laurentium, capit. 95. &

S. Auguſt. 96. dicit Auguſtin. *Quamuis ea quæ mala ſunt inuentum mala ſint, non ſint bona, tamen non ſolum bona ſint, ſed etiam ſint & mala bonum eſt nam niſi eſſet hoc bonũ vt eſſent & mala nullo modo eſſe inuenirentur ab omnipotenti bono. Cui procul dubio quam facile eſt, quod vult facere, tam facile eſt, quod non vult eſſe, non fieri.*

Did. Aluarez de auxiliis diu. g.

Permiſſio ergo malorum, ſeu peccatorum eſt bona, & ad optimum finem à Deo ordinata, quoniam licèt peccata, quæ fiunt à reprobis, non cedant in bonum ipſorum: cedunt tamen in bonum electorum ſecundùm illud ad Roman. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt Sancti.* Cedunt etiam in bonum diuinæ iuſtitiæ, quæ in punitione reproborum ſplendet, de quo videndus eſt S. Thom. q. 5. de veritate, art. 7. Rom. 8.

Ad tertium reſpondetur, quòd Deus non intendit **XVIII.** tãquam finem actus peccatorum, etiam in quantùm actus ſunt, vult nihilominùs abſoluta voluntate tales actus, non quidem, vt ſunt radix, & fundamentum malitiq moralis, quę conſequitur, vt procedũt à voluntate creata deficiente: ſed ſecundum quòd habẽt rationem entis, & boni. Et etiam vult permittere malitiam, idque iuſto ſuo iudicio, ſed nobis occulto, & ordinat coſdem actus inquantùm actus ſunt, & permiſſionem malitiæ ad oſtenſionem ſuæ miſericordiæ, vel iuſtitiæ, tanquam in vltimum finem, vt dictum eſt. Nec ſunt hæc duo inter ſe contraria, ſed potiùs conſona, quòd ſcilicet Deus voluntate ſigni velit actum peccati non fieri ab homine, & quòd voluntate abſoluta velit eundem actum fieri inquantum actus, & ens eſt. Sicut optime coniungerent hæc duo, quòd Deus voluntate antecedenti velit omnes homines ſaluos fieri; voluntate autem conſequente non velit omnes in vniuerſum homines ſaluos fieri, ſed ſolùm prædeſtinatos, vt infra diſputat. 33. & 34. manifeſtum erit.

Ex eis facilè colligi poteſt, non ſatis explicari ab **XIX.** auctore prioris ſententiæ rationem prouidentiæ diuinæ; non enim Deus ita prouidet omnibus rebus conuenientiſſima media ad ſuos fines, & ſufficientes vires ad ſuas functiones, neque ita creaturæ rationali vim prouidentiæ inſeruit, vt ſupremi gubernatoris prouidentia eius præmotione, & præordinatione non indigeant: quin potiùs arbitrantur, omnes actiones quantumuis minimas cuiuſcumque agentis particularis, quæ in tempore fiunt, ſiue ab irrationalibus, ſiue à ratione vtẽtibus creaturis peccatis dumtaxat exceptis, eſſe prouiſas, prædiſpoſitas, & præordinatas ab vniuerſali Dei prouidentia, ſub qua continetur, & à qua intrinſecè dependent omnis prouidentia creata. Itaque non erunt à Deo plura individua, nec pauciora, nec fient patres actiones à cauſis ſecundis, etiam liberis, niſi ille dumtaxat, quæ à Deo præordinatæ ſunt, & ad quas ſua prævia motione efficaci impulerit. Et hoc exiſtimamus pulchrius eſſe, & diuinæ maieſtati, atque eius prouidentiæ magis congruum, quam ſi non omnia, & ſingula individua abſoluta voluntate præordinaſſet; Quoniam iuxta iſtum modum magis ſplendet, magiſque extenditur, & oſtenditur perfectio prouidentiæ diuinæ.

Prouidentia particularis agentis continetur ſub prouidentia Dei vniuerſali.

Actus autem illi, quos aſſerit prima ſententia, **XX.** Deum habere circa ea omnia, quæ in tempore fiunt a creatura, nõ videntur ſufficere ad perfectiſſimam Dei prouidentiam. Etenim primus actus ſcientiæ conditionatæ, qui ante omne liberum decretum voluntatis eius ſtatuitur, in Deo eſt omnino fictitius, & impoſſibilis, vt in diſputat 7. oſtenſum eſt. Quod verò attinet ad ſecundum actum, aduertimus, in Deo non eſſe propriè deſiderium, quo deſideret, vt actus boni fiant ab homine. Cum enim ſit in Dei poteſtate omnis voluntas creata, & facilè poſſit, ſi vult, efficere, vt exeat in actum bonum, non poteſt affirmari propriè, quòd Deus deſideret actus illos bonos fieri. Acceditque S.

Thom. 1.p.qu.20.art. 1. ad 2. expresse docet in Deo non esse proprie desiderium, quia imperfectionem importat. Vnde circa omnes actus bonos, qui fiũt in tempore, antequam intelligantur futuri, præintelligitur in Deo voluntas absoluta, & efficax, qua decreuit, & præordinauit, vt illi actus fiant, & liberè fiant à voluntate creata. Circa alios verò actus bonos, qui non fiunt in tempore, sed poterant fieri ab homine, habuit Deus, voluntatem antecedentem, quæ est voluntas signi, de qua disp. 33. & 34. de auxiliis plura dicenda sunt. Circa actus peccaminosos, qui fiunt ab intellectuali creatura, habuit diuina voluntas actum positiuum, quo voluit entitatem illius actus inquantùm actus, & ens est, quia vt sic bonus est, & consequenter à primo bono: & actum quo statuit permittere illius malitiam, quam quidem permissionem ordinauit ad ostentionem suæ misericordiæ & iustitiæ, vt disp. III. patebit.

disp. 33. & 34.

XXI. Circa tertium actum, quo asseritur, Deum voluisse præbere suum concursum, aduertimus, quòd si intelligatur de concursu, siue influxu immediato in causam secundam, qua præmouetur, & applicatur ad operandum, & cum illa attingit effectum, id libenter admittimus. Si autem intelligatur de concursu ex se indifferenti, vel de concursu duntaxat simultaneo, quo Deus concurrit cum voluntate ad liberam operationem, si ipsa voluerit se determinare, existimo, talem modum concurrendi, cùm sit imperfectus, & dependens à creatura, siue à determinatione illius, attribui nõ posse primæ, & vniuersalissimæ causæ, vt disp. 20. & duabus sequentibus ostensum est. Circa alios actus, nihil speciale occurrit obseruandum, nisi quòd actus complacentiæ, qui ponitur in Deo circa actum bonum, postquam præuidit illum absolutè futurum: ita debet constitui, vt non negetur prædiffinitio absoluta voluntatis diuinæ circa eundem actum, antecedens in signo rationis præscientiam visionis, quia Deus cognouit illum in tali tẽpore esse absolutè futurum, de quo in disp. 22. plura dicta sunt.

DVBIVM SECVNDVM.

Vtrùm ad illa omnia se extendat æterna Dei prædiffinitio, ad quæ se extendit eius causalitas.

XXII. Leonardus Læsius lib. de gra. efficaci, cap. 4. num. 7.

Vidam Auctor partem negatiuam defendit, si loquamur de præordinatione, qua rẽ illam voluerit, & decreuerit fieri, falsumque esse putat, omnia illa esse præordinata, & prædiffinita, vt fiãt ad quæ quoquomodo se causalitas Dei extendit, quod probat.

Psalm. 5. Primò ex illis verbis Psalmi quinti: *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.* & Apoc. 2. dicitur Angelo Ephesi Ecclesiæ, *Odisti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi.* Si ergo Deus non vult iniquitatem, si odit actus peccaminosos Nicolaitarum; ergo non voluit, nec prædiffinuit, vt actus illi sint, aut fiant: non ergo ad omnia se extendit prædiffinitio voluntatis diuinæ, ad quæ eius causalitas.

XXIII. Secundò arguitur. Causalitas, & efficientia Dei, quam habet vt causa vniuersalis omnibus creaturis cooperans, se extendit ad actum odij Dei, & ad alios omnes actus peccatorum; qui tamen non fuerunt à Deo præordinati, vt fierẽt, alioquin Deum faciemus auctorem peccatorum: Ergo.

Confirmat hoc primò: nam sequeretur mala opera, ita vt bona, Deum operari, non permissiuè tãtùm, sed etiam propriè, & per se, adeò vt sit proprium eius opus, non minùs proditio Iudæ, quàm vocatio Pauli; quod qui dixerit, Anathemate damnatur à Concilio Trid. Quomodo enim permissiuè tantùm operatur, qui opus illud decreuit, & potentiam ad illud mouet, & determinatè aut qua ratione potest magis propriè, & efficaciter ad bonum impellere, aut etiam ipsam vocationem in nobis operari? Vocatio enim nihil est aliud, quàm illuminatio intellectus, & pia affectio ad bonum, quam Deus operatur, dum voluntatem ad eam determinat; atqui non minùs determinat eam ad opus malum, iuxta illam sententiam, ergo non minùs operatur opus malum, quàm ipsam vocationem ad bonum.

Con. Trid. sess. 6. can. 6.

Confirmat secundò, quia sequeretur, verum esse aliquos diuina potestate ad malum prædestinatos esse, quod in Concilio Arausicano can. vlt. cum Anathemate reiicitur. Qua enim ratione potest quis efficaciùs, & verius ad malum prædestinari, quam huiusmodi prædiffinitione, & prædeterminatione, qua Deus ab æterno statuat, & tale malum, verbi gratia, actus odij in me tali momento temporis extet, & ad eum finem statuat voluntatem meam efficaciter ad illud determinare, & in tempore determinet? Hæc enim omnia directè ad illud malum in me ponendum tendunt, neque ego illis decretis, & prædeterminationibus possum resistere: sed magis proprium, & efficaciorem modum prædestinandi ad malum imaginari non potest. ergo.

Conc. Ara. can. vlt.

Tertiò id probat. Si Deus prædiffiniuit, vt fierent ea omnia, ad quæ se extendit quoquomodo eius causalitas; sequeretur veras esse obiectiones omnes Vincentianas, *vt quòd adulteria, & corruptelæ virginum sacrarum ideo contingunt, quia illas Deus, ad hoc prædestinauit, vt caderent*, quod quando incestant patres filios, & matres filios, vel quando serui dominos occidunt, ideò fiat, quia Deus prædestinauit, vt fieret. Probatur hoc, nam causalitas diuina aliquo modo se extendit ad istos actus: ergo si prædiffinitio diuina ad ea omnia se extendit, ad quæ eius causalitas, sequitur omnes prædictos actus esse prædestinatos à Deo, vt fierent: nam prædiffinire, & prædestinare idem sunt; consequens autem est expresse contra S. Prosperum ad obiectiones Vincentianas resp. 10. vbi ait, *Detestanda & abominanda opinio, qua Deum cuiusquam malæ voluntatis, aut malæ actionis credit auctorem, cuius prædestinatio nunquam extra bonitatem, nunquam extra iustitiam est. Adulteria enim maritatarum, & corruptelas virginum non instituere nouit sancta diuinitas, sed damnare; nec disponere, sed punire.* Et resp. 11. ostendit, si Deus ista prædiffiniuisset, magis foret auctor peccati, quàm diabolus, qui solum potest suadere non vim voluntati inferre. *Qua inquit, insipientia, quæue dementia diffinitur ad Dei referendum esse consilium, quod nec diabolo in totum adscribi potest, qui in peccantium flagitiis illecebrarum adiutor, non voluntatum credendus est esse generator?* nihil ergo talium negotiorum Deus prædestinauit vt fieret.

XXIV. Prosp. ad obiection. Vinc. resp. 10.

Quartò arguit. Quia sequi videtur, Deum sibi esse contrarium, vt qui decreuerit, & velit fieri ea opera & ad ea moueat, determinetque voluntates nostras, quæ sub grauissimis pœnis prohibuit: item esse iniustum, vel certè crudelem, quòd puniat ea quæ ipse absolutè fieri voluit, & curauit. Quis enim tyrannus hoc vnquam fecit, qui occultè fieri decreuit, & curauit, quod fieri vetuit, & factum puniuit? Notum est illud Fulgentij: *Deus non est auctor eius, cuius est vltor.*

XXV. Prædiffinitio Dei se extendit ad omnia illa, ad quæ eius causalitas.

Contraria sententia est expressa S. Augustini & S. Thomæ, quam defendunt communiter eorum discipuli, hanc statuentes regulam generalem. Ad illa omnia se extendit diuina præordinatio, & æterna prædiffinitio,

prædiffinitio, ad quæ ſe extendit cauſalitas, & efficientia Dei. Et hæc regula admittenda eſt ab omnibus Catholicis, id quod ſic oſtenditur.

Primò ex ſacris litteris etenim Sap. 11. dicitur: *Diligis enim omnia, quæ ſunt, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti, nec enim odiens aliquid conſtituiſti, aut feciſti. Quomodo autem poteſt aliquid permanere, niſi tu voluiſſes?* In quo teſtimonio clare videtur oſtẽdi, Deum diligere, & non odio habere, ſed amare ea omnia, quæ ipſe fecit, vel facit, & aſſignat rationem, quia Deus volendo, & amando res quas producit, communicat illis eſſe, quod habent, & ex eius voluntate procedit, quòd res ab eo productæ conſeruentur in eſſe, eò quòd voluntas diuina non præſupponit bonitatem in rebus creatis, quas diligit, ſed potiùs diligendo res creatas eſſe, quod habent, illis communicat, vt ſæpe docet S. Thomas; ergo neceſſe eſt, quòd voluntas diuina ad omnia illa ſe extendat, ad quæ ſe extendit eius cauſalitas. Cùm ergo cauſalitas Dei ſe extendat ad entitatem actus peccati inquantùm actus eſt, ſequitur, quòd voluntas diuina, ſeu prædiffinitio eiuſdem voluntatis ſe extendat ad entitatem eiuſdem actus, vt ens eſt.

S. Tho. 1. p. q. 20. a. 2. c.

XXVI. Auguſt.

Secundò probatur auctoritate Sanctorum, & præſertim S. Auguſt. libro 83. quæſtionum, q. 3. *Hoc eſt*, inquit, *aliquid fieri, Deo agente, quod Deo volente.* Et ſuper illud Pſalm. 144. *Iuſtus Dominus in omnibus viis ſuis*: *Apud Deum*, inquit, *hoc eſt velle, quod facere, quia ex eius voluntate res habent eſſe.* Ergo ſecundùm S. Auguſt. Deus ſua æterna voluntate decreuit, & præordinauit facere entitatem actus peccati inquantùm actus, & ens eſt, eo modo, quo in tempore illum efficit.

S. Proſper.

Idem docet S. Proſper libro 2. de voc. gent. capite 34. vbi ait: *Nec aliter quidquam procedere poteſt, quàm omnipotentis voluntate diſpoſitum eſt.*

S. Thom.

Quæ omnia expreſſiùs S. Thomas confirmat 1. p. quæſtione 25. articulo 5. ad prim. *Non poteſt*, inquit, *eſſe quod* (Deus) *aliqua faciat, quæ non præſciuerit, & præordinauerit ſe facturum, quia ipſum facere ſubiacet præſcientiæ, & præordinationi, &c.* Ideo enim Deus aliquid facit, quia vult, ergo ſecundum S. Thomam omnia, quæ Deus facit vult facere, ergo decreuit, & præordinauit ſe facturum ea quæ facit in tempore; ſed vt fatetur Auctor primæ ſententiæ, & conſtat ex dictis in hac diſp. Deus eſt auctor, & cauſa efficiens actus peccati in quantùm actus, & ens eſt, ergo ab æterno decreuit, & præordinauit ſe facturum in tempore talem actum, vt ens eſt: ergo ad omnia ſe extendit Dei præordinatio, ad quæ eius cauſalitas.

XXVII.

Tertiò probatur ratione. Deus per intellectum, & voluntatem cauſat res ad extra, non ſolum quas in prima creatione produxit: ſed etiam quas efficit mediis aliis cauſis ſecundis, vt diſp. 17. oſtenſum eſt: Ergo ab æterno decreuit, & præordinauit ſe facturum in tempore quæcunque facit; ergo præordinauit ſe facturum entitatem actus peccati, inquantum actus eſt, nam talis actus ſub ratione entitatis, & actualitatis, verè eſt effectus cauſalitatis diuinæ, vt dubio ſequenti manifeſtum fiet.

Quartò probatur. Voluntas diuina comparatione actus peccati, qui fit in tempore, non habuit ſe negatiuè, ergo habuit aliquem actum poſitiuum circa illam entitatem, vt entitas eſt, ſed huiuſmodi actus non potuit eſſe actus odij, quoniam, vt dictum eſt, Deus nihil odit eorum, quæ ipſe facit, nec poteſt ens in quantum ens odio haberi à Deo, eo quod omne ens in quantum ens bonum eſt, bonum autem in quantum bonum non poteſt odio haberi. Ergo habuit actum volitionis, ſeu dilectionis; ergo præuoluit, & præordinauit ſe facturum in tempore talem actum ſub omni ratione entitatis, & bonitatis quam habet.

XXVIII. Pſalm. 5.

Ad primum argumentum ex Pſal. 5. reſpondetur, quòd iniquitas ſignificat deformitatem ſimul cum actu, & ideò nec eſt præordinata à Deo ſimpliciter loquendo, aut ab eo volita, vel cauſata, ſed ſolum cum hac additione in quantum eſt actus, & in quantum eſt ens, vt in 2. ſent. diſtinct. 37. quæſtione 2. articulo 2. in corp. docet S. Thomas. Et ſimiliter dicendum ad auctoritatem ex capite 2. Apocal. quod Deus odit facta mala, ſeu peccata Nicolaitarum in quantum mala, & peccata ſunt, & vt procedunt à voluntate creata deficiente, non autem odit ea in quantum entia ſunt, & vt procedunt ab eo tanquam à prima cauſa efficiente ſecundum omnem rationem entitatis, quia vt dictum eſt, Deus nihil odit eorum, quæ ipſe facit.

S. Thom.

Apoc. 2.

Ad ſecundum reſpondetur, quod ſicut efficientia Dei ſe extendit ad actum cuiuſlibet peccati in quantum actus, & ens eſt, ita, & præordinatio, ſeu prædiffinitio diuina ſe extendit ad entitatem, & actualitatem eiuſdem actus, vt ex præmiſſis patet, neque ex hoc infertur Deum eſſe auctorem peccati, vt diſp. 18 & 24. oſtenſum eſt.

Dub. præc.

XXIX.

Ad primam confirmationem reſpondetur, Deum non operari opera mala, ita vt bona, neque id ſequitur ex noſtra ſententia, quia opera bona operatur Deus inquantum actus & entia ſunt, & inquantùm ſunt bona, moraliter, quia vtrumq; influit agenti, & vt agat, & vt bene agat. Cæterùm opera mala operatur Deus, inquantùm actus, & entia ſunt, non autem inquantùm mala, neque inquantùm fundamentum malitiæ moralis ſunt; quia licet influat agenti agere, non tamen influit illi malè agere, nec deficienter agere à regula rationis. Sed hoc procedit à ſola voluntate creata deficiente. Solutio eſt S. Thomæ 2. ſent. d. 37. quæſtione 2. articulo 2. ad 3. Ad locum inductum ex Concilio Trid. reſpondetur, Deum comparatione malitiæ moralis, ſe habere ſolùm permiſſiuè, & comparatione peccati, quia importat actum cum difformitate. Comparatione autem ipſius actus peccati inquantùm actus, & ens eſt, non ſe habet ſolùm permiſſiuè; ſed verè efficienter, vt ſupra oſtenſum eſt. Neque admittimus, neque vllus vnquam Thomiſtarum admiſit, Deum determinare voluntatem creatam ad opus malum; quia opus malum importat actum cum difformitate, vnde non poteſt ſimpliciter Deo attribui, aut præordinationi illius: ſed ſolùm cum addito, & ſecundùm quid, videlicet inquantùm actus, & ens eſt. Et per hæc patet ſolutio ad ſecundam confirmationem: nec enim Deus prædiffiniuit, vt malum fiat, vt homicidium, adulterium, & ſimilia: ſed ſolùm prædiffiniuit eiuſmodi actus inquantùm actus, & entia ſunt; & ſimiliter dicendum ad ea omnia, quæ in tertio argumento afferuntur.

S. Thom

Deus permittit malitiam cauſat autem entitatẽ actus peccati.

Diſp. 24.

Ad 2. conf.

XXX.

Ad quartum argumentum reſpondetur, nullo modo ſequi ex noſtra ſententia, Deum ſibi eſſe contrarium. Quia non decreuit, vt fiant ea opera, quæ ipſe punit. Punit enim homicidium, adulterium, & alia ſimilia, quæ important actum cum malitia morali. Hæc autem opera non prædiffiniuit Deus, vt fierent abſolutè loquendo, ſed ſolùm ſecundùm quid, videlicet inquantùm actus, & entia ſunt. Sub hac autem ratione non puniuntur hæc opera à Deo, quia ens, vt ens, bonum eſt. Bonum autem inquantùm bonum non eſt dignum aliqua

pœna. Multò minùs ſequitur, Deum eſſe iniuſtum, aut crudelem non enim punit peccatorem propter actum peccati inquantum actus, & ens eſt, neque inquantùm procedit à cauſa efficiente, ſed ſolùm, vt procedit à voluntate creata deficiente. Sub hac autem ratione actus peccati non eſt à Deo prædiffinitus, ſed prohibitus, & permiſſus, & iuxta hanc doctrinam debet intelligi dictum illud Fulgentij, *Deus non eſt auctor eius, cuius eſt vltor.*

Fulgẽtius.

A Eandem concluſionem docet ex profeſſo S. Auguſtinus ſuper Pſalm. 148. in illa verba: *Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius.* vbi ait, Ex voluntate & prouidentia Dei procedere, quòd animalia minutiſſima, & nociua homini, & ſimiliter monſtra naſcantur propter pulchritudinem vniuerſi; & quòd fulmen cadens de cœlo percutiat montem, & non latronem, vel iſtum hominem, & non illum. Verba Auguſtini ſunt: *Multi ſtulti non valentes contemplari & diſcernere creaturam locis ſuis, & ordine ſuo, ſub nutu, & iuſſu Dei agentem motus ſuos; viſum eſt illis, quia ſuperiora omnia Deus gubernat, inferiora verò deſpicit, abijcit, deſerit, vt nec curet iſta, nec regat, ſed caſibus regantur.* Et poſt pauca: *Non tibi ergo videamur caſibus moueri, quæ verbo* B *Dei in omni motu ſuo deſeruiunt. Quo vult Deus, illuc lucet ignis, illuc fertur nubes, ſiue pluuiam ſiue niuem, ſiue grandinem portet. Et quare aliquando percutiunt montem fulmina, & non percutiunt latronem?* Et infrà: *Hæc omnia, quæ vanis videntur in rerum natura temerè fieri; non faciunt, niſi verbum eius; quia non fiunt, niſi iuſſu eius.* Et poſt pauca: *Quidquid ergo hic accidit contra voluntatem noſtram noueris non accidere, niſi de voluntate Dei, de prouidentia ipſius, de ordine ipſius: & ſi nos non intelligimus hoc, quare fiat; demus hoc prouidentiæ ipſius quia non fit ſine cauſa, & non blaſphemabimus.* Eandem ſententiam ſequuntur omnes Thomiſtæ.

Pſalm. 148.

DISPVTATIO XXIX.

Vtrùm mala pœnæ ſint per diuinam prouidentiam abſoluta, & efficaci voluntate volita, & prædeterminatâ in particulari, an ſolùm permiſſa.

I. EST quorundam Theologorum ſententia, aſſerentium, nulla ratione admittendum eſſe, effectus omnes, qui in hoc mundo eueniunt, prouiſos eſſe à Deo, vt ita euenirent, præparaſſeque illis cauſas, vt ita fierent. Affirmant etiam, interfectiones, quibus aliqui interdum præter ipſorum ſpem à graſſatoribus interficiuntur; ſuffocationeſq; aliorum in fluminibus & alios ſimiles effectus à diuina prouidentia non fuiſſe intentos, vt ita euenirent, neque Deum præparaſſe nexum cauſarum, ex quibus proficiſcuntur: & ſolùm admittunt, ciuſmodi effectus præuiſos eſſe à Deo, & permiſſos. Probant ſuam ſententiam

Primò, quia non conſonat cum diuina bonitate, & clementia, vt eo fine liberum arbitrium natantium condiderit, vel ordinauerit, vt mare tranſmeantes ſuffocarentur in aquis, vel vt tranſeuntes iter, interficerentur à latronibus: ergo tales effectus non ſunt voliti à Deo, ſed ſolum permiſſi.

Secundò, Suffocationes hominum in fluminibus, & ſimiles effectus pendent à peccato primorum parentum, ex quo ſubſequuti ſunt, & conſequenter non eſſent in rerum natura, ſi peccatum illud non præceſſiſſet: ergo non ſunt voliti à Deo, alias peccatum ipſum primi parentis fuiſſet volitum: nam qui vult aliquem effectum, vult etiam cauſam illius.

Confirmatur. Vindicatio, quæ fit à Deo, inferendo mala pœnæ, exerceri nó poteſt ab illo, niſi præceſſerit malum culpæ: ergo, ſi Deus voluntate efficaci voluit inferre mala pœnæ, & nexum cauſarum ſecundarum præparauit, vt huiuſmodi mala pœnæ eſſent in rerum natura; ſequitur, quòd voluntate efficaci voluerit eſſe malum culpæ, quod committunt eadem mala inferentes.

II. Nihilominùs certiſſimè tenendum eſt, omnes effectus etiam fortuitos, & caſuales, qui accidunt hominibus præter eorum intentionem, eſſe à Deo volitos voluntate abſoluta, & efficaci, quantùm ad omnem rationem entitatis, quam habent, & non ſolùm permiſſos; & conſequenter præparaſſe nexum cauſarum ſecundarum, vt ex illis euenirent. Concluſio eſt S. Thom. 1. p. quæſtione 19. articulo 8. in corpore, cuius verba diſputatione 26. numero 8. retulimus. Idem docet quæſtione 22. articulo 2. præſertim in ſolutione ad 1. vbi ait, eſſe impoſſibile, aliquem effectum ab ordine cauſæ vniuerſalis exire.

Effectus omnes cõtingentes, qui nõ habent rationẽ peccati, voliti ſunt à Deo, & prædefiniti.

Mala pœnæ ſunt à Deo volita, & cauſata ac prædefinita ſuppoſito peccato, & nó tãtum permiſſa.

Et probatur manifeſtiſſimis locis Scripturæ, dicit enim Iſaiæ 45. *Ego Dominus, & non eſt alter, formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem & creans malum: ego Dominus faciens omnia hæc.* Vbi per malum intelligunt Sancti Doctores malum pœnæ, præſertim Sanctus Auguſtinus libro primo contra Adimantum Manichæi diſcipulum capite 27. vbi verbum illud, *creans malum*, refert ad ſeruitutem, & pœnas, quas Deus infert. Idem ſentit Irenæus lib. 4. capite 77. Chryſoſt. hom. 23. ſuper caput 6. Matth. vbi ſic ait: *Malum non intelligit Propheta auaritiam, aut rapinam, aut quidquid huius notæ, ſed plagas, quæ diuinitus inferuntur.* & idem docet S. Baſilius in quadam hom. cuius titulus eſt: *Quòd Deus non eſt cauſa malorum.* & S. Gregor. lib 3. Mor. capite 7. Coniunxit autem Propheta illa duo, videlicet, *faciens pacem & creans malum*, vt innueret, quòd hæc mala pœnæ non ſunt contra pacem, pulchritudinem, & ordinem vniuerſi, ſed potiùs conducunt ad maiorem pulchritudinem, & ordinem illius. Item etiam Ieremiæ 32. dicitur in perſona Dei: *Adduxi ſuper populum omne malum hoc grande.* Et Amos 3. *Si eſt malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit.* quaſi dicat, nullum, & loquitur de malo pœnæ, iuxta communem interpretationem Sanctorum.

Præterea eſt ad idem probandum alius inſignis locus, qui habetur 3. Regum capite vlt. vbi dicitur *Vir autem quidam tetendit arcum, in incertum ſagittam dirigens, & percuſſit Regem Iſraël inter pulmonem, & ſtomachum*, & tamen conſtat ex cõtextu illius cap. & ex capite 22. quòd ille effectus caſualis reſpectu emittentis ſagittam, volitus fuit à Deo, & ordinatus, vt puniretur Achab propter vineam, quam per iniquitatem tulerat à Naboth, *iuxta verbum Domini, quod locutus fuerat*, vt ibidem dicitur: ergo idem erit dicendum de aliis effectibus caſualibus reſpectu cauſarum ſecundarum: ergo omnes illi ſunt voliti, & ordinati à Deo ad aliquem finem.

III. Præterea Matthæi 10. dixit Chriſtus: *Nónne duo paſſeres aſſe veneunt? & vnus ex illis non cadet ſuper terram ſine Patre veſtro.* hoc eſt, ſine prouidentia Patris veſtri, vt ibi explicat S. Hieron. & gloſſ. interlinealis: ergo à fortiori, quòd ex duobus hominibus, qui nauigant mare, vel natant ſuper flumen, vnus cadat,

cadat, & submergatur in aquis præter eius intentionem, & non alius, non fit sine voluntate, & prouidentia Dei.

Non solùm sine præscientia, sed etiam sine prouidentia, & voluntate Dei, passer non cadit in terram.

Nec valet solutio quorundam asserentium quòd vnus passer dicitur non cadere in terram sine Patre cœlesti, quia non fit sine eius præscientia. Hæc namque solutio non videtur congruere verbis Christi Domini: voluit enim ostendere a fortiori, quòd Deus habeat prouidentiam omnium hominum in particulari, ex prouidentia quam habet circa passeres, & alia parua animalia: imò & circa flores campi; ait enim: *Considerate lilia agri, quomodo crescunt, non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est, sicut vnum ex illis*: ergo intellexit Christus, quòd vnus passer non cadit super terram sine voluntate, & decreto Dei, & non solum sine præscientia eius.

Præterea nam Eccles. 11. dicitur: *Bona, & mala; vita, & mors, paupertas, & honestas à Deo sunt.* Et Iob 1. postquam nuncij retulerunt, quòd irruerint latrones, & abstulerint boues, & alinas illius, & pueros peremerint gladio, quòd ignis ceciderit, & tectas oues, puerosque consumpserit, & alios huiusmodi effectus, subintulit: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est.* vbi in diuinam voluntatem, & prouidentiam, tanquam in primam causam, refert prædictos effectus. Nec inquit, sicut Dominus permisit, vel præscisuit; sed *sicut Domino placuit*: cui consonat illud 1. Regum 2. *Dominus mortificat, & vinificat, deducit ad inferos, & reducit; Dominus pauperem facit & ditat, humiliat, & sublevat*: ergo mala pœnæ sunt à Deo volita.

Nec obstat, quòd dicitur in lib. Sapientiæ *Deus mortē non fecit.* Sensus enim huius loci est, quòd Deus non intendit per se primò mortem alicuius, sed ratione alterius maioris boni coniuncti. Secundò explicatur iste locus de morte, quantùm ad eius causam, scilicet peccatum, de quo dicitur ad Romanos, *Et per peccatum mors.* Vtraque explicatio est conformis cōtextui subditur enim: *Nec lætatur in perditione viuorū: creauit enim, vt esset omnia.* & post pauca: *Impij autē manibus & verbis accersierunt illam*, scilicet mortem.

IV. Probatur secundò ratione: Deus voluntate sua positiua vult facere omnia illa, ad quæ se extendit causalitas eius; nam, vt dictum est supra, quidquid Deus causat, vult causare, cùm operetur per intellectum, & voluntatem, sed Deus est verè causa politica, infligens quodcunque malum pœnæ, etiamsi respectu causæ proximæ sit casuale: ergo per eandem voluntatem decreuit, & voluit esse omnia mala pœnæ. Hanc rationem tangit S. Thomas 1. p. quæst. 22. articulo 2. ad 1. & quæstione 103. articulo 5. & 7. quæ loca sunt videnda.

Probatur tertiò. Deus præparauit media efficacia, & nexum causarum, vt prædestinatus moriatur ineffabiliter in gratia, & saluetur: sed multoties mors casualis, vel suffocatio inspera in flumine est medium secundùm ordinem diuinæ prouidentiæ necessarium, vt prædestinatus moriatur in gratia, iuxta illud Sapientiæ 4. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius*: ergo Deus efficaci voluntate præparauit nexum causarum secundarum, vt prædestinatus tali tempore suffocaretur in flumine, vel immatura morte raperetur.

Probatur denique alia ratione S. Thom. in solut. 1. ad primum. Nam licet effectus possit exire ab ordine causæ particularis, impossibile tamen est, quòd subterfugiat ordinem vniuersalissimæ causæ, quod etiam disput. 31. patebit: ergo impossibile est, quòd aliquis effectus habeat in rerum natura, qui per diuinam prouidentiam non sit volitus, & ordinatus ad aliquem finem.

Lud. Aluarez de auxiliis diu gr.

A AD primum argumentum respondetur; quòd, V. vt docet Sanct. Thom. 1. par. quæst. 19. articul. 9 malum pœnæ, formaliter loquendo, non est volitum à Deo; quia sub ratione mali non est appetibile; sed quatenus est coniunctum cum bono, quod directe Deus vult, & isto modo volendo bonum suæ iustitiæ, & misericordiæ, vult malum pœnæ inferre peccatori: neque hoc repugnat diuinæ misericordiæ, & clementiæ. Non ergo Deus hoc fine principaliter creauit hominem, vt suffocaretur in flumine, sed prædestinatum creauit principaliter, vt in illo suam misericordiam ostenderet, & consequeretur efficaciter vitam æternam: vt autem peruenire ad illam, decreuit natantem in flumine suffocari, dum esset in gratia. Si autem erat reprobus existens in peccato mortali, etiam præparauit nexum causarum secundarum, vt suffocaretur in quis, iuxta secundùm rectum ordinem suæ prouidentiæ facit; primò, ne superueniens maiora committeret delicta, in quo etiam splendet eius misericordia: secundò, vt ostenderet suam iustitiam in eius punitione: tertiò, ad maiorem cautelam iustorum, vt discant Deum timere: quartò, vt magis splendeat eius misericordia in electis.

Reprobū, dum est in peccato, mori Deus vult, quatuor de causis.

Ad secundum argumentum respondetur, Deum nostro modo intelligendi dupliciter velle aliquid fieri. Primò, quando vult illud, non suppositio alio, & isto modo voluit volutate beneplaciti mundū creare; quia creatio mundi non dependet ex parte voliti ab alio. Secundo modo vult aliquid esse, suppositio tamen alio cuius ipse non est causa, nisi permissiua, & sic voluit voluntate beneplaciti, vt Verbum diuinum assumeret carnem humanam, suppositio peccato primi parentis, in cuius remedium venit; Deus enim non fuit causa positiua illius peccati, sed solùm permisit illud. Dico ergo, mala pœnæ esse volita à Deo vt coniuncta bono diuinæ iustitiæ, & misericordiæ, suppositio malo culpæ, quod Deus permittit: sicut iudex vult suspendere malefactorem, suppositio crimine illius, cuius iudex non est causa.

Ad confirmationem respondetur. Ex eo, quòd Deus velit mala pœnæ, modo explicato, non sequi, velle etiam malum culpæ, quod præsupponitur, sed solùm quòd velit illud permittere: alias eodem argumento probaretur, quòd Deus voluerit peccatum Adæ: nam efficaci voluntate voluit, vt Verbum assumeret carnem humanam in remedium illius; ita vt non existente peccato, Verbum diuinum, vt 3. p. q. 1. art. 3. ostendit S. Thomas, non fuisset incarnatum; quod tamen nullatenus est dicendum.

DISPVTATIO XXX.

Vtrùm sit de ratione prouidentiæ Diuinæ non solùm ordinatio mediorum in finem, sed etiam assequutio finis à Deo intenti.

VIc quæstioni est alia valde consimilis annexa, quæ solet sub his terminis proponi. Vtrùm videlicet ordo diuinæ prouidentiæ sit certus, immobilis, indissolubilis, & inenitabilis, quantum ad effectus assequutionem: vnde simul de vtraque disputandum est. I.

Prima igitur sententia est asserentium, ad prouidentiam non esse necessarium, vt id, quod ad finem ordinatur, cum consequatur. Defendunt hanc sententiam quidam ex recentioribus Theologis,

Digitized by Google

qui arbitrantur esse expressam S. Thomæ, & addunt, quòd, secluſa præſcientia media, qua Deus nouit conſenſum liberi arbitrij futurum ex hypotheſi, quòd cóſtituatur in talibus circuſtantiis, ordo diuinæ prouidentiæ, reſpectu actuum, qui pendent ab humana libertate, non eſt certus, immobilis, & indiſſolubilis, quantùm ad aſſequutionem effectus prouiſi; quod probant.

Primò, auctoritate S. Thomæ quæſt. 6. de verit. artic. 1. & in primo ſent. diſt. 40. quæſt. 1. artic. 2. vbi conſtituit differentiam inter diuinam prouidẽtiam, & prædeſtinationem in hoc, quòd prædeſtinatio ſemper aſſequitur finem, ad quem ordinatur prædeſtinatus: prouidentia autem ordinat media ad finem, ſed non ſemper conſequitur finem.

Secundò. Omnes homines per diuinam prouidentiam ordinantur ad beatitudinem, tanquam ad vltimum finem, vt docet S. Thomas, vbi ſuprà, & cóſtat ex illo primæ ad Timotheum 2. *Deus vult omnes homines ſaluos fieri*; & tamen non omnes aſſequuntur beatitudinem ſupernaturalem, vt fides Catholica docet ergo, &c.

Confirmatur: nam aliàs Deus non haberet prouidentiam ſupernaturalem reſpectu reproborum; hoc autem non eſt dicendum: ergo. Sequela probatur: nam prouidentia ſupernaturalis debet eſſe reſpectu finis ſupernaturalis, vel in ordine ad finem ſupernaturalem; ſed reprobi non aſſequuntur finem ſupernaturalem: ergo ſi in diuina prouidentia includitur aſſequutio finis, Deus non habet prouidentiam ſupernaturalem reproborum. Falſitas cõſequentis probatur: nam Deus omnibus reprobis confert auxilia ſufficientia ſupernaturalia, & aliquando eis concedit auxilia efficacia, & gratiam habitualem, à qua tamen poſtea decidunt. Hæc autem dona, cùm ſint ſupernaturalia, ſunt effectus prouidentiæ diuinæ ſupernaturalis: nam à ſola prouidentia naturali procedere non poſſunt: ergo Deus habet ſupernaturalem prouidentiam reproborum.

Tertiò. Ad prouidentiam prudentis Ducis, medici, & diligentis agricolæ ſatis eſt, ſi adhibeat accommodata media ad finem, quem intendit, ſiue ſequatur, ſiue impediatur aliunde. ergo idem erit dicendum de prouidentia diuina. Patet conſequentia nam per prouidentiam humanam, quam experimur, deuenimus ad cognitionem prouidentiæ diuinæ.

Quartò arguitur ex definitione prouidentiæ: eſt enim prouidentia ratio ordinis mediorum in finem, vt 1. p. quæſt. 22. artic. 1. in c. docet S. Thomas: ſed in hac definitione nõ includitur aſſequutio finis: ergo.

Quintò. Per diuinam prouidentiam quælibet pars terræ ordinatur ad centrum, tanquam ad finem proprium, in quo naturaliter quieſcit, & tamen non quælibet pars terræ conſequitur illum finem: ergo.

Sextò probatur, quòd ſecluſa præſcientia, non ſit certus ordo diuinæ prouidentiæ neque indiſſolubilis; etenim multi ſunt actus prouiſi à Deo, qui pendent neceſſariò ab arbitrio voluntatis humanæ; ſed liberum arbitrium, nihil impediente diuina prouidentia, poteſt facere, & non facere actum liberum prouiſum à Deo. ergo poteſt diſſoluere ordinem diuinæ prouidentiæ: ergo, ſecluſa præſcientia futuri conſenſus, non eſt indiſſolubilis talis ordo quantùm ad aſſequutionem effectus. Minor probatur: nam aliàs tolleretur humani libertas arbitrij, ſi voluntas non poſſet facere oppoſitum eius, quod Deus prouidit, vt faceret.

Septimò. Omnia, quæ ab arbitrio creato pendent, etiamſi includatur ipſa beatitudo, & meritum tam hominis, quàm Angeli ſolùm voluit Deus voluntate conditionata, videlicet, ſi homines, & Angeli id quoque vellent: præuidens verò, quænam futura erant pro arbitrij creati libertate, complacet in illis, vultque voluntate abſoluta, vt hanc: ergo, ſecluſa præſcientia futuri conſenſus liberi arbitrij creati, ex vi ſolius prouidentiæ diuinæ, & decreti voluntatis eius, non eſt certus, & indiſſolubilis ſemper ordo diuinæ prouidentiæ.

Confirmatur. nam certitudo, formaliter loquendo, eſt firma adhæſio intellectus: ergo dicit intrinſecum ordinem ad intellectum; ergo neceſſariò debet præſupponi præſcientia diuina, reſpectu futuri conſenſus, vt aſſeramus, ordinem prouidentiæ diuinæ eſſe certum, & indiſſolubilem.

Secunda ſententia eſt Caietani 1. p. q. 22. artic. 4. quam modò defendunt communiter Thomiſtæ, & meo iudicio eſt expreſſa S. Thomæ, locis inferius alegandis. Pro cuius explicatione **II.** Caiet. 1. p. q. 22.

Notandum eſt primò, de prouidentia Dei poſſe nos loqui dupliciter: primò, in genere, ſecundùm cõmunem rationem prouidentiæ, abſtrahendo à prouidentia diuina, vel humana: ſecundo modo de prouidentia, vt diuina, quæ perfectiſſima eſt.

Notandum eſt ſecundò, quòd, cùm prouidentia ſit ratio ordinis mediorum in finem, neceſſariò præſupponit volitionem, ſeu intentionem finis: nullus enim ordinat media ad finem, niſi priùs velit ipſum finem, ſicut medicus priùs intendit ſanitatem infirmi, quàm applicet congruentes medicinas, & illas ordinet ad conſequendum illum finem. Eſt autem duplex volitio finis: altera abſoluta, quæ appellatur voluntas beneplaciti, ſeu voluntas conſequens: altera conditionata, quæ dicitur antecedens, ſeu voluntas ſigni. Prouidentia ergo ſupponit abſolutam volitionem, ſeu intentionem finis: imprudens enim eſſet agricola, ſi mitteret ſemina in agrum, niſi abſolutè vellet fructus colligere, quamuis per accidens impediatur aliquando per concurſum aliarum cauſarum ſecundarum ab aſſequutione huius finis. Hoc fundamentum, quod eſt potiſſimum huius ſententiæ, eſt de mente S. Thomæ 1. p. q. 22. artic. 1. ad 3 vbi ſic ait: *prouidentia præſupponit volitionem finis, nullus enim præcipit de agendis, niſi velit finem.* Voluntas autem finis apud S. Thomam ſignificat abſolutam voluntatem ipſius finis: nam conditionata voluntas nõ eſt ſimpliciter voluntas, ſed eſt velleitas. Et confirmatur: nam efficax volitio mediorum non poteſt oriri niſi ex abſoluta volitione finis, cum medium, vt medium, non ſit appetibile, niſi propter finem: ergo voluntas abſoluta ordinandi media apta ad finem conſequendum, naſcitur ex abſoluta intentione finis. Prouidẽtia præſupponit intentionem finis. Volitio finis duplex.

Supponendum eſt tertiò, hanc eſſe differentiam inter prouidentiam humanam, & diuinam, quòd prouidentia humana, quamuis abſolutè, & efficaciter velit finem intentum, & applicet congrua media ad conſequutionem illius, contingit tamen multoties, vt non conſequatur talem finem, quoniam poteſt impediri ex concurſu aliarum cauſarum: vnde omnis prouidentia humana eſt imperfecta, & incerta, quantum ad aſſequutionem finis, ſiue effectus prouiſi, iuxta illud Sapientiæ: *Cogitationes mortalium timidæ & incertæ prouidentiæ noſtræ.* Prouidentia autem diuina eſt perfectiſſima, & efficaciſſima, ſicut & voluntas ipſius, ac perinde impediri non poteſt, aut ſuperari ab aliqua cauſa creata, etiam libera, ne aſſequatur finem intentum. quod pluribus rationibus oſtendit S. Tho. 3. contr. Gent capit. 94. & nos diſputat. ſeq. idipſum probabimus. Vnde S. Auguſtinus in Enchirid ad Lau. cap. 95. illud Pſalm explicans, *Omnia, quæcunque voluit Dominus, fecit*, & adducens hæc verba in confirmationem huius ſententiæ, inquit: *Quod vtique non eſſet verum, ſi aliqua Deus voluit facere, & non fecit, (quod eſt ineptius) ideo non fecit:* **III.** Prouidẽtiæ diuinæ & humanæ diſcrimen. Sap. 9. Pſalm. 134.

fecit,quia ne fieret, quod volebat Omnipotens, voluntas hominis impediuit. Et cap.96.subdit: *Neque enim veraciter ob aliud Deus vocatur Omnipotens, nisi quia quidquid vult,potest, neque voluntate cuiuspiam creaturæ,voluntatis impediuntur Omnipotentis effectus.* Et lib. de correp.& gratia, cap.14.inquit: *Sic velle, & nolle, in volentis,aut nolentis est potestate, vt diuinam voluntatem non impediat,nec superet potestatem:de his enim, quæ faciunt, quæ non vult,facit ipse, quæ vult.*& infra: *Non est itaque dubitandum,voluntati Dei, qui in cœlo, & in terra omnia,quæcunque voluit,fecit, & qui etiam illa,quæ futura sunt,fecit,humanas voluntates non posse resistere,quo minus faciat ipse,quod vult,quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus quod vult, facit, &c.sine dubio habens humanorum cordium,quo placeret inclinandorum,omnipotentissimam potestatem.* Et in fine eiusdem capitis subdit: *Deus magis habet in potestate voluntates hominum,quam ipsi suas.* Et cap.7.eiusdem libri,loquens de vocatis secundùm propositum,inquit: *Horum si quisquam perit fallitur Deus, sed nemo eorum perit,quia non fallitur Deus:horum si quisquam perit,victo humano vincitur Deus,sed nemo eorum perit, quia nulla re vincitur Deus.*

PRima Conclusio. Ad prouidentiam secundùm communem rationem prouidentiæ non requiritur necessariò assequutio finis intenti. In hac conclusione conueniunt auctores vtriusque sententiæ, & eam probant efficaciter argumenta facta à principio.

Probatur præterea: nam in prouidentia humana saluatur communis ratio prouidentiæ, sed hæc non semper assequitur finem, ad quem ordinat media,vt patet ratione facta in tertio fundamento: ergo.

IV.

Prouidẽtia vt diuina est,includit assequutionem finis intenti.

Secunda Conclusio.De intrinseca ratione prouidentiæ diuinæ,quatenus diuina,non solum est ordo mediorum in finem, sed etiam assequutio finis intenti.Conclusio est Caietani 1.p.q.22.art. 1. §. circa difficultatẽ,& M.Bañes eodem art.dubio 1.& ait,illam sequi vniuersos Doctores graues nostri temporis.Probatur ex S.Thom.1.p.q.22.art.2.ad 1. vbi ait, quòd *cum omnes causæ particulares contineantur sub vniuersali causa;impossibile est, aliquem effectum ordinem causæ vniuersalis effugere.*& in art.4.ad 2. inquit, quòd *in hoc est immobilis, & certus diuinæ prouidentiæ ordo, quòd ea,quæ ab ipso prouidentur, cuncta eueniunt eo modo quo ipse prouidet,siue necessariò,siue contingenter.* Et in sol.ad 3.subdit,quòd *diuina prouidentia non deficit à suo effectu:neque à modo eueniendi quem prouidit.*& 3.cõtra Gent.cap.94.citato,aperte docet,quòd diuina prouidentia est certa & quantùm ad ordinem mediorum, & quantùm ad euentum, sed præsertim in §. præterea, inquit, quòd *ordo diuinæ prouidentiæ immutari omnino non potest.* & §. si autem. ait,*quòd diuina prouisio omnino cassari non potest.*

Probatur,secundò,ratione desumpta ex S.Thom. eod. cap. Nam diuina prouidentia in summo perfectionis consistit, & hoc habet ex sua intrinseca ratione, quatenus diuina, quòd sit perfectissima, sed ad perfectissimam prouidentiam non solum requiritur ordo mediorum in finem,sed etiam assequutio finis,vt etiam fatentur nonnulli ex auctoribus contrariæ sententiæ: ergo,&c.

Probatur tertiò: nam quamuis prouidentia non sit de fine,sed de mediis propter finem,præsupponit tamen absolutam volitionem finis intenti, vt constat ex dictis in secundo fundamento: sed impossibile est, quòd voluntate absoluta velit Deus per media consequi finem. & non assequatur illum, aliàs voluntas diuina esset inefficax,& impediretur, ac superaretur à voluntate creata, vel ab aliis causis secundis, quod tamen est impossibile, & contra S. Augustt. vt ostensum est in tertio fundamento:ergo.

V.

Prouidẽtiæ diuinæ ordo est certus, immobilis, & indissolubilis.

Tertia Conclusio.In vniuersum ordo diuinæ prodentiæ est certus,immobilis,& indissolubilis,quantùm ad effectus assequutionem, ita videlicèt, vt huiusmodi certitudo, & indissolubilitas fundetur in ipso ordine, & causalitate mediorum, atque in efficacia diuinæ voluntatis, & prouidentiæ independenter omnino à futuro consensu, vel visu creatæ voluntatis, præcognito per scientiam mediam. Hæc conclusio est S.Thomæ locis allegatis,& 1.p.q. 116.art.1.2.& 3.præsertim cùm S. Thom. nunquam admiserit scientiam illam mediam,vt dixp. 3. ostensum est.

Præterea probatur auctoritate Boëtij lib. 4. de consol prosa 6.vbi ait, quòd *fatum est immobilis dispositio,rebus mobilibus inhærens.*& iterum ait:*Ab immobilibus prouidentia proficiscens actus futuráque hominum,suis,solubili causarum annexione astringit.* vbi in ipso nexu causarum & mediorum fundat indissolubilitatem diuinæ prouidentiæ.

Respondent,quod S. Thomas,& Boëtius intelligendi sunt,quantum est ex parte Dei,qui habet propositum exequendi talem ordinem,nihilominùs ex parte causæ secundæ contingentis,& libere contingere potest,quòd talis ordo dissoluatur: & addunt, quod,nisi isto modo intelligantur,defendi non possunt. Arbitrantur enim tolli libertatem arbitrij, si antecedenter ad præscientiam mediam ordo diuinæ prouidentiæ sit certus,& immobilis ex ipsa causalitate mediorum.

Sed hæc explicatio pugnat manifestè cum mente Sancti Thomæ,& Boëtij, qui ex nexu causarum, & mediorum volunt, diuinam prouidentiam esse certam,quantùm ad assequutionem finis.Confirmatur: nam, vt patebit disputatione 41. prædestinatio est certa,certitudine causalitatis mediorũ,& tamẽ hæc certitudo non destruit libertatem arbitrij,vt eadem disputatione manifestum fiet: ergo certitudo ordinis,& causalitatis mediorũ non repugnat libertati,

VI.

AD primu argumẽtũ est prima solutio M.Bañes: quòd S.Thomas in illa quæstione sexta de verit. loquitur de humana prouidentia. Hæc tamen solutio non videtur conformis textui,in quo expresse loquitur de prouidentia diuina:sic enim ait: *Per Dei providentiam omnes homines ad beatitudinem ordinantur; sed prædestinatio respicit etiam exitum, vel euentum ordinis, vnde non est nisi eorum, qui gloriam consequuntur.* Sentit ergo S.Thomas, quòd diuina prouidentia non semper respicit euentum ordinis, nisi sit talis prouidentia,scilicet prædestinatio.

Secunda solutio eiusdem M. Bañes, quam priùs adhibuit Caietanus,est,S.Thomam mutasse sententiam in prima par.qu.22.& 3.cont. Gent. loco citat. Sed melùs fortassè respondetur, quòd sicut in Deo distinguitur duplex voluntas; altera voluntas signi, quæ est voluntas secundùm quid, & non semper impletur: altera voluntas beneplaciti, quæ est voluntas simpliciter,& semper impletur;ita potest distingui duplex prouidentia,altera,qua voluntate beneplaciti res ordinantur ad talem finem principaliter intentũ,&hæc semper assequitur talem finem,vt statim patebit altera,qua,volũtate antecedente, res ordinantur ad talẽ finẽ,non autem voluntate beneplaciti;ita videlicet,vt ille finis sit principaliter, vel per se intentus:& talis prouidẽtia nõ sẽper assequitur finem illum, nihilominùs infallibiliter assequitur alium finem,ad quem res principaliter ordinantur,vt statim explicabimus in prouidentia supernaturali,quam Deus habet respectu reproborũ.Et iuxta hanc doctrinam dicendum est,quòd S. Th.in q.6. de verit.loquitur de prouidentia Dei respectu finis, ad quem res non ordinãtur principaliter,sed propter

Prouidẽtia diuina semper assequitur finem principaliter intentum.

alium finem magis principaliter intentum. At in 1. parte loquitur de prouidentia diuina respectu illius finis, ad quem res principaliter ordinantur, & per hæc concordantur diuersa loca S. Thomæque oportet dicere, Thomam mutasse sententiam.

VII. Reprobi, voluntate Dei antecedente ordinati ad beatitudinem supernaturalem, non autem voluntate consequente.

Ad secundum argumentum respondetur, quòd omnes homines ordinantur ad beatitudinem supernaturalem voluntate antecedente: voluntate autem consequente, seu beneplaciti, solum prædestinati ordinantur ad illam. Voluntate enim consequente, Deus nó vult reprobis beatitudinem supernaturalé, nec principaliter ordinantur ad consequutionem illius, sed ad bonum iustitiæ diuinæ, & ad bonum electorum. Vnde S. Thom. 1 p. qu. 23. a. 3. ad 1. inquit, quod *Deus omnibus vult bonum, sed non omnibus vult hoc bonum, quod est vita æterna.* Dona autem gratiæ, quæ Deus reprobis multoties cõfert, sunt effectus prouidentiæ supernaturalis, quæ illi primeis paliter ordinantur ad bonum electorum, & vt magis splendeat in illis diuina misericordia: nó autem sunt effectus prædestinationis reproborum: quia nó sunt prædestinati, neque sunt effectus prouidentiæ supernaturalis, quia principaliter ordinantur reprobi ad beatitudinem propriam, quia, vt dictum est, non ordinantur principaliter ad beatitudinem propriam. Ad cuius euidentiam considerandum est, quod, vt docet S. Th. q. 1. de verit. art. 7. in corp. cum homines per peccatum comparentur iumentis insipientibus, & similes fiant illis, vt dicitur in Psal. 48. Deus habet prouidentiam reproborum secundùm modum brutorum animalium, & de illis ordinat secundùm ordinem, qui brutis competit, vt videlicet ea quæ in eis bona, vel mala fiunt, non ordinentur in eorum bonum proprium, sed in bonum aliorum, scilicet electorum, quibus *omnia cooperantur in bonum*, vt dicitur ad Rom. 8. Et istum finem consequitur infallibiliter diuina prouidentia, cùm permittit peccata reproborum, vel dona gratiæ illis cõcedit, quibus tamen sua malitia abutantur. Et propterea inquit S. Tho. quod, quando reprobi excant ab vno ordine diuinæ prouidentiæ, incidit in alium, qui a Deo est principaliter intentus, modo supra explicato. Videantur, quæ docet circa prouidentiam reproborum 1. p. q. 22. a. 2. ad 4. Ad confirmationem iam patet per ea quæ dicta sunt ad secundum argumentum.

Prouidentia reproborum est secundùm modum brutorum.

Ad tertium negatur consequentia, & ratio differentiæ est, vt dicebamus in 3. fundamento, prouidentia humana est imperfecta, & impediri potest, ne assequatur finem principaliter intentum, ad quē ordinat media prouidentia autē diuina impediri nō potest, ne finē, quē pariē paliter infallibiliter cōsequatur.

Ad quartum respondetur, quòd in absoluta volitione finis principaliter intenti, quā supponit prouidentia, includitur virtualiter assecutio illius, si loquamur de prouidentia diuina, vt constat ex dictis in 3. fundamento.

VIII. Ad quintum argumentū respondetur, quòd quælibet pars terræ principaliter ordinatur per diuinam prouidentiam ad bonum vniuersi, & pulchritudinem illius; & ille finis semper consequitur: & quantùm ad istum finē expedit, quòd non quælibet pars terræ assequatur finem particularem, qui est in centro omnes res; ideo non oportet, quòd quælibet pars terræ per diuinam prouidentiam assequatur istum finem; & idem dicendum est proportionabiliter de igne, & de aliis huiusmodi creaturis, quod S. Thom. 3. contra Gent. cap. 94. his verbis explicuit: *Considerandum est, quòd omne agens intendit ad bonum, & melius, quod potest, vt supra ostensum est. Bonum autem, & melius non eodem modo considerantur in toto, & in partibus. In toto enim bonum est integritas, quæ ex partium ordine, & compositione resultat. Vnde melius est toti, quod ex inæqualibus partibus eius disparitas sine qua ordo, & perfectio totius esse non potest, quam quod omnes partes eius sint æquales, vnaquæque earum perueniens ad gradum nobilissimæ partis. Qualibet autem pars inferioris gradus in se considerata, melior esset, si esset in gradu superioris partis, sicut patet in corpore humano: deterior enim pars esset pes hominis, si oculi pulchritudinem & virtutem haberet; corpus autem totum esset imperfectius, si ea pedis officium accesset. Ad istud ergo, quod totalis intentio particularis agentis, & vniuersalis: nam particulare agens tendit ad bonum partis absolutè, & facit quantò melioremposset. Vniuersale autem agens tendit ad bonum totius. Vnde aliquis defectus est præter intentionem particularis agentis, qui est secundum intentionem agentis vniuersalis.*

Prouidentiæ diuinæ indissolubilitas stat cum libertate eam non lædit.

Ad textum respondetur ex doctrina S. Thomæ 3. contra Gent. cap. 94. allegato, non obstante certitudine, & indissolubilitate diuinæ prouidentiæ, libertatem hominis arbitrium posse absolutè, & in sensu diuiso non facere actum illum, quem Deus prouidit, vt faceret; tamen in sensu cõpósito impossibile est, quòd non faciat illum actum, vel faciat oppositum. Etenim ex suppositione prouidentiæ, & voluntatis diuinæ, necesse est necessitate infallibilitatis, quòd faciat illum actum, non autē necessitate absoluta, vnde per talem necessitatē conditionatam non tollitur libertas arbitrij, vt disp. 23. explicatum est.

Ad septimum negatur, quòd Deus solum voluntate conditionata voluerit actus liberos quia creata voluntate fiunt in tempore: iam enim supra disp. 22. & 23. ostensum est, quòd voluntate absoluta, & efficaci eos voluerit & prædeterminauerit, quatum ad omnem eorum entitatem.

Ad confirmationem respondetur cum S. Tho. q. 6. de verit. art. 3. in corp. duplicem esse certitudinem: altera enim est certitudo cognitionis, & hæc semitur per habitudinē obiecti cogniti ad intellectum: altera verò est certitudo ordinis, & causalitatis, & hæc desumitur ex habitudine infallibili causæ ad effectum, sicut est certum, & infallibile, quòd si Sol oriatur, dies est; & si ignis debitè applicetur, calefaciet. Et isto secundo modo est etiā certa diuina prouidentia, vt in eodem articulo loquens de prædestinatione docet S. Th. Hæc autem omnia ex his, quæ disp. 41. dicemus, dilucidiora fient, vbi operosius eadē difficultas de certitudine prædestinationis, quantùm ad assequutionem effectus pertractanda est.

DISPVTATIO XXXI.

Vtrùm causæ secundæ, & liberæ possint se subtrahere, vel exire ab ordine, qui per Diuinam Prouidentiam est eis præfixus.

I. Aduersarii.

AVctores, qui negant actiones cõtingentes, & liberas esse a Deo in particulari prædeterminatas, antecedenter ad præscientiam cooperationis voluntatis creatæ, docent consequenter, causas secundas contingentes, & liberas posse exire ab ordine, & prædeterminatione diuinæ prouidentiæ: & hanc sententiam aptissimam esse asserunt ad resistendum erroribus, quos hæretici nostræ tempestatis, Lutherus præsertim, & Caluinus introducere conati sunt. Argumenta, quibus probant suam sententiam, eadem fere sunt cum illis, quæ disput. 22. & duabus sequentibus contendebant

debant probare,Deũ, neque decreto extrinſeco ſuæ voluntatis,neque motione aliqua inhærente voluntati creatæ, eam poſſe ad alteram partem prædeterminare,ſalua eius libertate. Quæ tamen argumẽta iam in eiſdem diſputationibus ſufficienter diſſoluta eſſe arbitramur.in præſenti autem ea duntaxat adducenda ſunt,& ſoluenda,quæ ſpecialiter ſuadere videntur ſententiam propoſitam.

PRimum argumentum eſt:nam Lutherus, quem adducit Roſſenſis art.36 contra Lutherum, aſſeruit, reſpectu diuinæ prouidentiæ omnia ex neceſſitate euenire, quia voluntas creata,& omnes aliæ cauſæ ſecundæ,quæ diuina prouidentia reguntur,nõ poſſunt ab eius ordine,aut prædeterminatione ſeipſas ſubtrahere,vel aliud facere,niſi illud, quod diuina prouidentia ſtabilitum eſt, & ordinatum. Verba Lutheri ſunt: *Nobis ad inferna ſpectantibus res apparent arbitrariæ:ſed ad ſuperna ſpectantibus omnia ſunt neceſſaria,quia non ſicut nos, ſed ſicut ille vult,ita videmus,facimus,patimur omnes, & omnia:* & Caluinus li. 2.de li.arbi.contra Pighium, pag. 236. ſic loquitur: *Proinde,quæ fortuita maxime videntur,ea dicimus fieri neceſſario,non ſuapte natura,ſed quoniam æternũ,& ſtabile Dei conſilium in illis gubernandis regnat.*ergo non eſt concedendum , voluntatem creatam exire non poſſe ab ordine per diuinã prouidentiã eis præfixo.

Secundò arguitur. Voluntas creata poteſt reſiſtere, & de facto reſiſtit multoties ordini prouidentiæ diuinæ;aliàs enim non oraret Pſalmiſta: *A reſiſtentibus dexteræ tuæ cuſtodi me,vt pupillam oculi*; nec S. Stephanus Iudæos increpaſſet,dicens : *Vos Spiritui ſancto ſemper reſiſtitis.*ergo voluntas creata poteſt ſeipſam ſubtrahere ab ordine gubernationis diuinæ, & ab eius prædeterminatione exire.

Pſal.16.

Act.7.

Tertiò.Voluntas creata liberè exequitur ordinem prouidentiæ,& gubernationis diuinæ, quantùm ad eos effectus , quos diuina prouidentia cauſat in rebus,mediis cauſis liberis,&contingentibus,aliàs periret omnino arbitrij libertas:ergo eadem voluntas creata,quantùm ad huiuſmodi effectus , poteſt exequi,& non exequi ordinem gubernationis diuinæ, ac per conſequens poterit ſe ab eodem ordine ſubtrahere.Probatur conſequentia:nam aliàs ex neceſſitate,& non liberè exequeretur ordinem prouidentiæ,& gubernationis diuinæ.

Quartò. Si liberum arbitrium faceret oppoſitum eius , quod per diuinam prouidentiam ordinatum eſt,& definitum,ſubtraheret ſe de facto ab eius ordine , & prædeterminatione : ergo , ſi poteſt facere oppoſitum eius , quod per diuinam prouidentiam ſtatutum eſt,poterit ſeipſum ab ordine eiuſdẽ prouidentiæ ſubtrahere.Sed vt docet Conc. Trid. liberum arbitrium poteſt reuera facere oppoſitũ eius, quod Deus ordinauit,&voluit,vt fieret per idem arbitrium ergo poteſt ſe ſubtrahere ab ordine diuinæ prouidentiæ.

Cõc. Trid. ſeſ.6.decreto de Iuſtificatione,c. 5. & can. 4.

Quintò.Nullus Rex iuſtè punit eos , qui ab eius ordinatione non receduntergo ſi liberum arb.creatum non recedit.aut recedere non poteſt ab ordine diuinæ prouidentiæ,nullus iuſtè puniretur à Deo.

II. Oppoſitam ſententiam docent multi grauiſſimi Thomiſtæ,inter quos eſt M.Bañes 1.p.q.14.a.13.dub. vlt.vbi loquens de neceſſitate infallibilitatis,quæ reperitur in actis liberis , & contingentibus , à Deo promiſis , & volitis,ait : *Iſta neceſſitas ſumitur ex efficaciſſima prima cauſæ virtute,quæ ita determinat omnes cauſas ſecundas ad ſuos effectus producendos quòd nulla cauſa ſecunda poteſt exire ab eius determinatione* Quæ ſententia, ſi recte intelligatur,eſt ſine dubio S. Auguſtini, & S. Thomæ, ac ſacris literis valde conformis. Ad cuius euidentiam ſupponendum eſt cum S.Thoma,quòd ordo diuinæ prouidentiæ dupliciter poteſt conſiderari:vno modo in generali.ſecundùm videlicet,quòd progreditur à cauſa gubernatiua totius ſcilicet à Deo:alio modo in ſpeciali, ſecundùm quòd progreditur à cauſa particulari , quæ eſt exequutiua prouidentiæ,& gubernationis diuinæ.

S.Tho.1.p. q.103.art.7. ad primum argumẽtũ

PRima ergo Concluſio ſit , Liberum arbitrium creatũ poteſt ſeipſum ſubtrahere ab ordine prouidentiæ,& gubernationis diuinæ, ſecundum quòd procedit per aliquam cauſam particularem.Concluſio eſt expreſſa S. Thom.1.p.q 103 ar.7.in corp.vbi inquirens : Vtrum aliquid præter ordinem diuinæ gubernationis contingere poſſit ; reſpondet , *quòd præter ordinem alicuius particularis cauſæ, aliquis effectus euenire poteſt,non autem præter ordinem cauſæ vniuerſalis.* Et idem dicit in ſolut.ad 1.& 2.eiuſdem a. & in a.8.& ſeq.Hanc Cõcluſionem probant 2.3.& 5. argumentum ex factis a principio.

III. Lib.arbit. creatũ poteſt ſe ſubtrahere à quilibet ordine particulari prouidentiæ diuinæ.

Præterea probatur. In rebus reperiuntur multa mala,præſertim in libero arbitrio creato,quod multoties incurrit malum peccati;ſed,vt docet S. Thomas, res aliqua dicitur mala per hoc , quòd exit ab ordine alicuius particularis boni:ergo liberum arbitrium creatum poteſt exire ab ordine alicuius particularis boni,ac per conſequens,poterit etiam exire ab aliquo ordine particulari diuinæ prouidentiæ.

Secundò probatur:nam in rebus multa fiunt à caſu,vt omnes fatentur.ſed non fit aliquid a caſu. niſi eueniat præter ordinem alicuius cauſæ particularis: nam,vt docet S. Thom. *aliqua dicuntur eſſe caſualia in rebus per ordinem ad cauſas particulares, extra quarum ordinem ſunt:*ergo cum in actibus liberis reperiantur contingentia caſualia,relinquitur liberu arbitrium poſſe exire ab ordine alicuius cauſæ particularis.

Eod. art. 7. ad 2.

Tertiò probatur:in rebus naturalibus hoc reperitur , quòd , licet vna forma particularis non poſſit effugere formam vniuerſalem entis,aut totaliter ab ea recedere,quia redigeretur in nihilum ; poteſt tamen recedere ab alia forma particulari ſicut albedo recedit à nigredine:ergo ſimiliter,quamuis liberum arbitrium creatum non poſſit totaliter recedere ab ordine cauſæ vniuerſalis,aut illum effugere; poterit nihilominùs recedere ab ordine diuinæ prouidentiæ , qui conſideratur ſecundum aliquam particularem cauſam.

Secunda Concluſio. Liberum arbitrium creatum non poteſt totaliter effugere ordinem diuinæ prouidentiæ in generali,ſecũdum ſcilicet quod progreditur à cauſa gubernatiua totius. Hæc concluſio eſt S.Aug lib.de ſpiritu & litera,c.32.vbi ait:*Infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt cùm eius Euangelio non credunt : nec ideo tamen eam vincunt, verùm ſe ipſos fraudant magno,& ſummo bono,maliſque pœnalibus implicant, experturi in ſupplicijs poteſtatem eius, cuius in donis miſericordiam contempſerunt.Ita voluntas Dei ſemper inuicta eſt:vinceretur autem,ſi non inueniret , quid de contemptoribus faceret , aut illo modo poſſent euadere,quod de talibus ille conſtituit.Cùm enim dicit,verbi gratia,Volo,vt hi omnes ſerui mei operentur in vinea, & poſt laborem requieſcentes epulentur ; ita vt quiſquis eorum hoc noluerit in piſtrino ſemper molat;videtur quidem quicunq; contempſerit. contra voluntatem domini ſui facere : ſed tunc eam vincet , ſi & piſtrinum contemnens effugerit : quod nullo modo fieri poteſt ſub Dei poteſtate.* Eadem concluſio eſt etiam expreſſa S. Th.locis ſuperiùs allegatis,quam probat S.Doctor.

IV. Lib. arbitr. creatum nõ poteſt vniuerſaliter effugere ordinẽ prouidentiæ diuinæ.

Primò: *nam præter ordinem particularis cauſæ nihil prouenit,niſi ex aliqua alia cauſa impediẽte.quam quidem cauſam neceſſe eſt reducere in primam cauſam vniuerſalem: ſicut indigeſtio contingit præter ordinem virtutis nutritiuæ ex aliquo impedimento ; putà ex groſſitie cibi,quam neceſſe eſt reducere in aliam cauſam : & ſic vſque*

Prima ratio S.Th art.7. cit.in corp.

5 Tho.1.p q.103 a.8

vsque ad causam primã vniuersalem. Cùm igitur Deus sit prima causa vniuersalis, non vnius generis tantùm, sed vniuersaliter totius entis; impossibile est, quòd aliquid contingat præter ordinem diuinæ gubernationis. Sed ex hoc ipso, quòd aliquid ex vna parte videtur exire ab ordine diuinæ prouidentiæ, qui consideratur secundùm aliquam particularem causam, necesse est, quod in eundem ordinem reuocetur secundùm aliam causam.

Secũda ratio S. Tho. eod. art. 8.

Secundò probatur: *nam ordo diuinæ prouidentiæ totaliter in bonum tendit. Sed vnaquæque res in sua operatione, & conatu non tendit nisi ad bonum; nullus enim respiciens ad malum, operatur, vt Dion. dicit*: Ergo nulla res potest totaliter exire ab ordine Diuinæ prouidentiæ.

Confirmat hoc S. Thom. *nam omnis inclinatio alicuius rei, vel naturalis, vel voluntaria, nihil est aliud, quàm quædam impressio à primo mouente, sicut inclinatio sagittæ ad signum determinatũ nihil aliud est, quàm quædam impressio à sagittante. Vnde omnia, quæ aguntur vel naturaliter, vel voluntariè, quasi propria sponte perueniunt in id, ad quod diuinitus ordinantur. Et ideo dicitur Deus omnia disponere suauiter* ergo.

Tertia ratio ex sancto Thoma eod. art. 7. ad 1.

Tertiò. Nihil inuenitur in mundo, quod sit totaliter malum, quia malum semper fundatur in bono, vt 1. p. qu. 44. art. 3. & quæst. 49. art. 3. ostendit sanctus Thomas: ergo in omnibus rebus reperitur aliquod bonum. Sed omne bonum, qualecumque illud sit, ex ea parte, qua bonum est, procedit à summo bono, scilicet à Deo: cùm ergo Deus sua prouidentia omnia bona particularia, quorum ipse est causa, ordinet in seipsum, tanquam in vltimum finem, relinquitur, nihil esse in mundo, quod totaliter exeat ab ordine diuinæ prouidentiæ.

Quarta ratio ex S. Th. eod. a. 7. ad 2. & 3.

Quartò. Quod fit præter ordinem alicuius agentis, est à casu, respectu illius: casus enim est causa agens præter intentionem, vt 2. Phys. text. 49. & 50. docet Aristoteles, & S. Thomas 2. 2. q. 64. art. 8 in corp & lib. 3. cont. Gent. cap. 5. sed respectu Dei nihil fit à casu, vt docet S. Thom. 1. p. q. 103 art. 7. ad 1. vbi ait, *quòd aliqua dicuntur esse casualia in rebus per ordinem ad causas particulares, extra quarum ordinem fiunt. Sed quantum ad diuinam prouidentiam pertinet, nihil fit casu in mundo, vt Augustinus dicit in lib. 83. quæst.* ergo nihil exit totaliter ab ordine prouidentiæ diuinæ.

Quinta ratio S. Tho. 1. p. q. 19. a. 6. in corp.

Quintò: nam, cùm effectus conformetur agenti secundùm suam formam, eadem ratio debet esse in causis agentibus. quæ est in causis formalibus. Sed in causis formalibus nihil reperitur, quod possit effugere formam vniuersalem entis. quamuis possit recedere ab ista forma, vel illa particulari; potest enim esse aliquid, quod non sit homo, aut viuum; non autem potest esse aliquid, quod non sit ens, aliàs enim esset nihil: ergo similiter in causis agentibus; quamuis possit aliquid fieri extra ordinem alicuius causæ particularis agentis, non tamen poterit fieri extra ordinẽ causæ vniuersalissimæ, sub qua omnes causæ particulares cõprehenduntur; sed prouidẽtia diuina est causa vniuersalissima omnium rerum, & omnium causarũ: ergo nulla causa, vel effectus etiã liber potest exire ab ordine prouidentiæ diuinæ.

Et S. Tho. eod. art.

Confirmatur: nam quod recedere videtur à diuina voluntate, & prouidentia secũdùm vnum ordinem, relabitur in ipsam secundùm alium. Sicut peccator, qui, quantùm est in se, recedit à diuina voluntate, peccando, incidit in ordinem diuinæ voluntatis, dũ per eius iustitiam punitur: ergo non potest volũtas creata totaliter effugere ordinem prouidentiæ diuinæ.

V. Lib. arbitrium creatum non potest aliquid operari, quod non fuerit priùs à Deo prædefinitum, & per eius prouidentiam in aliquem finem dispositum, & ordinatum. Hæc conclusio est contra auctores primæ sententiæ, asseritur tamen à recentioribus Thomistis ad cuius euidentiam supponendum est prædictam propositionem duplicem sensum habere posse: primus est diuisus; & tunc significat liberum arbitrium creatum non habere potentiam ad faciendum oppositum eius, quod Deus sua voluntate & prouidentia ordinauit, vt per liberum arbitrium creatum fieret, & in hoc sensu non intelligitur prædicta propositio à Catholicis, qui eam docent: nam ad veram libertatem, quam secundum fidem Catholicam defendere tenemur, necessariò requiritur, quòd in voluntate creata sit potentia ad operandum, & non operandum, cùm libertas arbitrij in facultate voluntatis, & rationis ad vtrumliber constituat, vt disp. 115. & 116. patebit. Secũdus sensus illius propositionis est compositus, quem explicuimus disp. 25. in fine, & significat, hæc duo simul esse incõpossibilia, quòd scilicet aliquid fiat per liberum arbitrium, & non sit priùs per diuinam prouidentiam prædefinitum & ordinatum: & in hoc sensu asserimus, liberum arbitrium creatum non posse aliquid operari, nisi quod fuerit priùs à Deo prædefinitum, & per eius prouidentiam ordinatum. In sensu contrario explicuimus disp. 22. numer. 33. cum S. Thoma illam propositionẽ: Deus non potest facere, nisi quæ præsciuit se esse facturum. Cuius sensus & verus, iuxta interpretationem S. Thom q. 1. de potentia, art. 5. ad 1. est. Fieri non potest, quòd aliquid producatur à Deo, & non sit à Deo præcitum. Probatur nam liberum arbitrium creatum respectu Dei habet se, tanquam instrumentum, quod non potest operari, nisi moueatur à principali agente. Dicit enim S. Thomas super caput 10. Isaiæ in illa verba: *Numquid gloriabitur securis, &c. Hic ponitur gloriantis increpatio, quia etiã est sicut instrumentum, quod non potest operari nisi motu artificis.* & opusculo 20. de regimine Principum, lib. 3. cap. 8. eundem locum Isaiæ explicans, hæc inquit: *Se habet virtus dominantis ad Deum, sicut virtus baculi ad percutientem, & sicut virtus serræ ad artificem. Constat autem, quòd virtus serræ, vel securis in artificio nulla est, nisi per artificem mouentem, & dirigentem: sic etiam de virtute dominantis contingit, quòd nulla est sine Deo mouente, & gubernante.* Et 1. p. qu. 2. art. 3. in corp. inquit: *Mouentia secunda non mouent, nisi per hoc, quod sunt mota a primo mouente, sicut baculus non mouet, nisi per hoc, quòd est motus a manu.* Et idẽ dicit 8. Phys. litera 8, vbi ait, *quòd secundum mouens non potest mouere sine primo, sicut baculus non potest mouere lapidem, nisi moueatur ab homine.* Denique 1. 2. q. 109. in corp. art: *Quantumcunque natura aliqua corporalis, vel spiritualis ponatur perfecta, non potest in suum actum procedere, nisi moueatur a Deo.*

Et idem repetit a. 9. eiusdem quæstionis. Sed omnis motio Dei est secundùm ordinem suæ diuinæ prouidentiæ: ergo nunquam contingit, quòd liberũ arbitrium creatum aliquid operetur, nisi priùs fuerit à Deo promotum, & ordinatum.

Secundò probatur omnibus argumentis, quibus disp. 18. & 23. ostensum est, causas secundas nihil operari, nisi priùs Deus in eas influat præuiam motionem, per quam ad operandum prædeterminet.

Sed contra hanc doctrinam quidam obiiciunt nostri hæretici nostri temporis, qui liberũ impugnant arbitriũ, & præsertim alumnus, sæpe dictus, humanam voluntatem respectu eius se habere, vt baculum, aut securis, vel serra, quæ non potest operationem artificis moueatur, flectatur, & dirigatur; & ex hoc intulerunt liberum arbitrium esse rem de solo titulo, aut titulum sine re. Verba Caluini sunt: *Impios velut*

tem non potest in tenuc̃ opposito operationis quod est diuina prouidẽtia prædefinitum.

Lib. arb. in [illegible] se [illegible], vt [illegible] vel [illegible], re[illegible] motionem diuinam.

Calu. lib. 2 de lib. arb. cont. Pigh.

VI.

pag.141. §. ſed videte. Iſai 10. Lib.2. inſt. cap.3.§.9. fol.95.

veluti ſerras,eſſe in manu Dei, quæ moueat,vertat,dirigat eos quorſum vult, non ex Luthero eſt, ſed ex Spiritu ſancto,ſi tamen eum per Prophetas loquutum eſſe cõfiteatur Pighius; dicit enim Iſaias de Sennacherib: Numquid gloriabitur ſerra contra eum,à quo trahitur? Et in alio loco explicans illud: *Sicut palmes non poteſt à ſe ferre fructum,&c.* ait: *Nec enim aliud vult Chriſtus, quàm nos aridum,& nihilum eſſe lignum, vbi ſumus ab eo ſeparati; quia ſeorſum nulla ſit illa in nobis bene agendi facultas.*

Caluini error.

Reſpondetur,Caluinum non erraſſe,quia aſſeruit voluntatem moueri à Deo ad operandum, & ſe habere aliquo modo, reſpectu illius, ſicut ſe habet ſerra vel ſecuris,aut baculus, reſpectu eius, à quo trahitur,vel mouetur. Etenim cum Scriptura ſacra pluries huiuſmodi ſimilitudine vtatur, negari non poteſt,illam,quantùm ad aliquid,tenere, & eſſe aptam ad explicandam dependentiam à Deo, quam in ſua operatione habet liberum arbitrium creatum, alias enim dicendum eſſet, Spiritum ſanctum inepta ſimilitudine vſum fuiſſe, quod tamen abſque ingenti blaſphemia nõ poteſt dici. Errauit ergo Caluinus, quia ex antecedenti Catholico per malam conſequentiam intulit contra fidem, liberum arbitrium eſſe titulum ſine re,aut rem de ſolo titulo, vt diſp.22.n.30.oſtenſum eſt, & patebit amplius diſp. 115 & 116.

Et per hæc patet ſolutio ad primum argumentum.

Ad ſecundum reſpondetur,quòd, vt patebit diſputatione ſequenti, voluntas creata poteſt reſiſtere, & de facto reſiſtit ordini prouidentiæ diuinæ, qui conſideratur ſecundùm aliquam particularem cauſam;non tamen poteſt reſiſtere;nec reſiſtet vnquam ordini, qui attenditur ex parte voluntatis Dei efficacis,& prouidentiæ vniuerſalis,vt dictum eſt.

Ad tertium reſpondetur,quòd diuina prouidentia diſpoſuit,& ordinauit, vt arbitrium libere exequeretur ordinem,per eandem prouidentiam ſtatutum,iuxta conditionem,& naturam creatæ voluntatis. Vnde magis repugnaret diuinæ prouidentiæ, & gubernationi illius, ſi voluntas ex neceſſitate moueretur,vel exequeretur ordinem diuinæ prouidentiæ,& ex neceſſitate operaretur,quod ſuæ naturæ non competit; quam ſi moueretur libere, prout competit ſuæ naturæ,vt 1.2.q.10.ar.4 ad 1. dicit S. Thomas.

Ad quartum negatur conſequentia, & ratio diſcriminis:nam Deus non ordinauit, nec potuit ordinare,vt liberum arbitrium faceret oppoſitum eius, quod per diuinam voluntatem,& prouidentiam eſt definitum,&prædeterminatum;ordinauit autem,vt poſſet facere oppoſitum eius,quod Deus voluit, vt fieret per ipſum arbitrium:nam ordinauit, vt liberè fieret & conſequenter diſpoſuit, vt ita fieret, quod poſſet non fieri,ſi homo vellet non facere,vnde non eſt ſimile.

Secundò reſpondetur, tantùm concludere argumentum, liberum arbitrium creatum poſſe aliquid facere præter ordinem diuinæ prouidentiæ, & gubernationis, qui attenditur ſecundùm aliquam particularem cauſam, non autem præter ordinem cauſæ vniuerſalis.

Ad quintum reſpondetur cum S. Thoma 1. p. q. 103. art. 8. ad 1. quòd impij iuſtè puniuntur à Deo; quia ſubtrahunt ſe ab ordine, qui attenditur ſecundùm determinatum bonum,quod eſt eis conueniens ſecundùm ſuam naturam,aut ſtatum: hæc autẽ omnia amplius patebunt diſput ſequenti.

DISPVTATIO XXXII.

Vtrùm liberum arbitrium creatum omnipotenti Deo valeat reſiſtere,vel contra ordinem diuinæ prouidentiæ reniti.

I.

QVM infallibilitas præſciẽtiæ, prouidentiæ, ac prædeſtinationis diuinæ, & efficacia auxiliorum gratiæ,quibus certiſſimè liberantur,quicumq;liberantur,in omnipotentia Dei atque in virtute infinita voluntatis eius, qua *omnia, quæcunq; voluit, fecit in cœlo, & in terra*, innitatur, non erit alienum à noſtro inſtituto, operoſius inquirere,& explicare, an contra voluntatem Dei liberum arbitrium creatum poſſit adniti, illique reſiſtere; atque contradicere. Eſt hæc difficultas valde affinis alteri,quam in 1.2.q 6 art. 4. tractat S Thomas. Vtrùm videlicet voluntati poſſit inferri violentia à Deo. Vbi etiam diſputatur à Thomiſtis: Num aliqua creatura poſſit immediatè moueri à Deo motu violento. Cùm autem motus violentus ſit à principio extrinſeco, paſſo non conferente vim id eſt, reſiſtente, reſolutio huius quæſtionis non modicam vtilitatem,& claritatem ad ea, quæ de reſiſtentia liberi arbitrij dicẽda ſunt,afferet. Et ideo in præſenti diſputatione quædam circa hanc vltimam difficultatem ſunt etiam breuiter attingenda. Pſal.134.

Probatur ergo primò, quòd liberum arbitrium creatum poſſit omnipotenti Deo, ac voluntati eius reſiſtere. Nam Iſaiæ 3. dicitur: *Lingua eorum, & adinuentiones eorum contra Dominum,vt irritarent oculos maieſtatis eius.* Et Pſal. 16. *A reſiſtentibus dexteræ tuæ cuſtodi me vt pupillam oculi.*& Act.7. *Vos ſpiritui ſancto ſemper reſiſtitis* Quibus verbis ſignificatur, voluntatem creatam non ſolùm poſſe, ſed etiam actu reſiſtere multoties voluntati diuinæ.

Secundò arguitur. Voluntas creata poteſt cogi, & violentiam pati à Deo,ſaltem per potentiam eius abſolutam: ergo poteſt ei reſiſtere. Probatur conſequentia:nam cum motus coactus, ſeu violentus ſit à principio extrinſeco, paſſo non conferente vim, id eſt,reſiſtente per propriam inclinationem, ſi Deus poteſt cogere voluntatem ad aliquem actum, ipſa poterit Deo reſiſtere. Antecedens autem probatur, nam intellectus poteſt cogi à Deo: ergo & voluntas.

Confirmatur primò:nam vt fatentur communiter Theologi in 2. ſententiarum d. 25. voluntas poteſt pati violentiam in actibus à ſe imperatis ergo & in actibus à ſe elicitis. Probatur conſequentia; quia non ſolùm actus aliarum potentiarum poſſunt eſſe imperati à voluntate, ſed etiam actus ab eadem voluntate eliciti: volutas enim poteſt reflecti ſupra ſe, & imperare ſibi actum dilectionis,vt docet S.Thom. 1.2.q.16.ar.4.ad 3.& colligitur ex illo Pſal.118. *Concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas in omni tempore.*

Confirmatur ſecundò: nam voluntas poteſt habere actum amoris contra inclinationem, & impetũ propri, imperij, vt ſi Petrus velit efficaciter odio habere Paulum, & Deus infundat Petro amorem Pauli vertendo cor eius:quod Deum efficere poſſe, imò & aliquando efficere, colligitur ex illo Proverb.21. *Cor Regis in manu Domini ſicut diuiſiones aquarum,quocunque voluerit, vertet illud.* Et Eſther 15. *Conuertitque Deus ſpiritum Regis in manſuetudinem.* Quod ex eiſdem locis colligit S. Auguſtinus: ergo poteſt cogi à Deo ad actum amoris, ac per conſequens poterit Deo reſiſtere. S.Aug. lib. 1 cõt. duas epiſt.Pelag. c.10.10.7.

Tertiò,

Digitized by Google

Tertiò, Dæmones, & animæ damnatorum detinentur à Deo violenter in inferno: ergo patiuntur violentiam reſpectu Dei: ergo reſiſtunt voluntati eius.

Confirmatur: nam triſtitia interior, qua damnati torquentur in inferno, infertur illis à Deo contra eorum inclinationem, & tamen huiuſmodi triſtitia eſt actus elicitus voluntatis: ergo in huiuſmodi actibus poteſt voluntas creata cogi à Deo contra propriam inclinationem, ac per conſequens poterit Deo reſiſtere: nam motus coactus ſine reſiſtentia mobilis eſſe non poteſt.

Quartò. Aliæ creaturæ poſſunt reſiſtere Deo mouenti: ergo & voluntas creata, quæ eſt ſuperior illis. Antecedens probatur: nam, ſi Deus immediatè per ſe ipſum moueret lapidem ſurſum, non ad ſupplendum vacuum, ſed, ſicut illum mouet aliquod agens particulare; tunc lapis per grauitatem, quam habet, inclinaretur deorſum: ergo tunc reſiſteret Deo mouenti ſurſum.

II. Quintò. In caſu, quòd Petro volente efficaciter per quadrantem horæ permanere in actu dilectionis alicuius obiecti, ſi Deus poſt incœpti in actum ſubtrahat à Petro ſuum concurſum generalem, cogeret eius voluntatem, eam impediendo ne exeat in actum, quem vult habere: ergo etiam poterit Deus eam cogere ad eliciendum aliquem actum, quem non vult habere: & ita poterit voluntas creata reſiſtere Deo mouenti. Antecedens probatur; nam qui impeditur, ne eliciat actum ad quem inclinatur, verè cogitur, lapis enim cùm detinetur ſurſum, violentiam patitur, & cogitur; quia impeditur, ne exeat in motum deorſum, ad quem per grauitatem inclinatur.

Sextò. Liberum arbitrium poteſt reſiſtere auxilio efficaci, quo Deus vult hominem conuertere: ergo poteſt reſiſtere Deo, ac voluntati eius. Antecedens probatur ex Conc. Senon. decreto fidei 15. vbi dicitur: *Nec tale eſt Dei trahentis auxilium, cui reſiſti non poſſit.* Et ſanctus Auguſtinus lib. 3. de lib. arb. cap. 18. inquit: *Quæcunque iſta cauſa eſt voluntatis ſi non poteſt ei reſiſti, ſine peccato ei cedit: ſi autem poteſt, non ei cedatur, & non peccabimus.* Conſequentia verò probatur: nam in auxilio efficaci eſt intentio Dei, & virtus voluntatis diuinæ, vt 1.2.q 112. art. 3. docet S. Thomas: ergo ſi liberum arbitrium poteſt reſiſtere auxilio efficaci, poterit etiam reſiſtere ipſi Deo, ac voluntati eius.

Rom. 13. Confirmatur: nam, vt dicit Apoſtolus. *Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit, non enim eſt poteſtas, niſi à Deo*: ergo, qui poteſt reſiſtere auxilio efficaci, poterit etiam ipſi Deo reſiſtere; quia omne auxilium efficax eſt à Deo, ſecundùm illud Pſalm. 120. *Auxilium meum à Domino.* & Oſeæ 13. *Perditio tua ex te, ô Iſraël; tantummodo in me auxilium tuum.*

III. In contrarium eſt, quod dicitur Eſther 13. *Domine Deus Rex omnipotens in ditione tua cuncta ſunt poſita, & non eſt, qui poſſit reſiſtere tuæ voluntati, ſi decreueris ſaluare Iſraël.* Et ad Rom. 9. *Voluntati eius quis reſiſtet?* Et S. Thom. 1. p. q. 103. a. 8. docet, nihil poſſe reniti contra ordinem gubernationis diuinæ in generali, ſecundùm ſcilicet quòd progreditur à cauſa gubernatiua totius.

Voluntatē neceſſitari & cogi ad aliquem actum, non ſunt idem.

Pro explicatione huius difficultatis notandum, aliud eſſe voluntatem neceſſitari, aliud verò cogi ad aliquem actum: ad hoc enim, quòd neceſſitetur, ſufficit, quòd determinetur ad vnum per modum naturæ, ita vt in facultate illius non ſit conſtitutum operari oppoſitum, ſi velit, aut non operari. & ſic neceſſitatur in Patria ad diligendum Deum, vt ſuprà dictum eſt. Cæterùm ad hoc quòd violentiam patiatur, aut cogatur, neceſſarium eſt, vt actus, ad quem cogitur, inſit ei a principio extrinſeco ipſa voluntate actualiter aut virtualiter reſiſtente, vt in parte 2. quæſtione 9. artic. 4. in corp. & ad 2. docet S. Thomas.

Nota ſecundò, cum eodem S. Thoma 1.2.q.6.ar.4. in c. *quod duplex eſt actus voluntatis: vnus quidem, qui eſt eius immediatè, velut ab ipſa elicitus, ſcilicet velle. Alius, qui eſt actus voluntatis, à voluntate imperatus, & mediante alia potentia exercitus, vt ambulare, & loqui, qui à voluntate imperatur mediante potentia motiua. Quantum igitur ad actus à voluntate imperatos, voluntas violentiam pati poteſt, inquantum per violentiam exteriora membra impediri poſſunt, ne imperium voluntatis exequantur: ſed quantum ad ipſum proprium actum voluntatis, non poteſt ei violentia inferri. Et huius ratio eſt, quia actus voluntatis nihil eſt aliud, quàm inclinatio quædam procedens ab interiori principio cognoſcente: ſicut appetitus naturalis eſt quædam inclinatio ab interiori principio, & ſine cognitione, quod autem eſt coactum, vel violentum, eſt ab exteriori principio. Vnde contra rationem ipſius actus voluntatis eſt, quòd ſit coactus, vel violentus; ſicut etiam eſt contra rationem naturalis inclinationis, vel motus lapidis, quòd feratur ſurſum. Poteſt enim lapis per violentiam ferri ſurſum, ſed quòd iſte motus violentus ſit, ex eius naturali inclinatione eſſe non poteſt. ſimiliter etiam poteſt homo per violentiam trahi; ſed quòd hoc ſit ex eius voluntate, repugnat rationi violentiæ.* Hæc doctrina ſancti Thomæ communis eſt apud Theologos in ſecundo ſententiarum, diſt. 25 & in 4. diſt. 29. quam ſequuntur omnes Thomiſtæ. Notandum tertio, quod voluntas Dei eſt duplex, altera eſt voluntas ſigni, ſeu voluntas antecedens, altera eſt volùtas beneplaciti, ſeu voluntas conſequens, quæ diſtinctio cum ſuis partibus ex profeſſo diſput. 34. explicanda eſt. Notandum quartò, quòd poſſe reſiſtere accipitur dupliciter. Primò communiter pro eo, quod eſt poſſe diſſentire, aut poſſe facere oppoſitum eius, quod Deus voluit, vt liberum arbitrium faceret, & in hoc ſenſu non procedit noſtra diſputatio: nam omnes Catholici fatentur liberum arbitriū poſſe diſſentire, ſi velit, & facere oppoſitum eius, quod Deus voluntate abſoluta voluit fieri per ipſum arbitrium. Nec hoc eſt repugnare Deo, aut illi reſiſtere, ſed potius implere eius voluntatē, quoniā Deus decreuit, & ordinauit, vt Petrus, verbi gratia, ita conſentiret Deo vocanti: vt poſſet diſſentire, ſi velit; nam decreuit, quòd liberè conſentiret: ad libertatem autem neceſſariò requiritur, quòd ſit in cauſa libera facultas ad vtrumlibet, vt diſp. 115. & 116. patebit. Secundo modo accipitur ſtrictè pro eo quòd eſt per contrariam inclinationem, aut motum proprium, vel impetum, contra niti, & repugnare Deo, aut eius voluntati abſolutæ, & efficaci; & in hoc ſenſu accipitur in præſenti. Denique ſupponenda eſt illa diſtinctio diſput. 25. tradita & explicata de ſenſu diuiſo, & compoſito, de qua etiam diſputatio. 93. & 95. plura dicenda erunt. Vbi hæc eadem difficultas de auxilio efficaci voluntati inhærente diſputabitur.

Voluntate actus eſt duplex, ſcilicet elicitus & imperatus.

IV. Reſiſtere accipitur dupliciter.

PRima ergo concluſio ſit, liberum arbitrium creatum non ſolum in ſenſu diuiſo, ſed etiam in ſenſu compoſito poteſt reſiſtere, & de facto reſiſtit voluntati Dei antecedenti, ſeu voluntati ſigni. In hac concluſione omnes conueniunt, & eam probant efficaciter loca Scripturæ in primo argumento adducta, conſtátque ex iis, quæ in diſputatione præcedenti, concluſione prima, dicta ſunt.

V. Voluntati.

Secunda concluſio. liberum arbitrium creatum nec reſiſtit vnquam, nec poteſt reſiſtere Deo, aut voluntati

Dei efficaci arbitriũ creatũ resistere non potest.

luntati eius efficaci, si propriè, & strictè de resistentia loquamur: & intelligitur hoc non solùm in sensu compositò, sed etiam in sensu diuiso. Itaque nulla reperitur, nec potest reperiri in arbitrio creato potentia, qua possit Deo resistere, aut efficaci eius voluntate repugnare.

Probatur primò hæc conclusio euidentissimis sacrarum literarum testimoniis: & præter superiùs adducta, quæ efficacissima sunt, quæ sequuntur conclusionem nostram conuincunt: nam Genesis 50. *Dixit Ioseph fratribus suis: Num Dei possumus resistere voluntati? vos cogitastis de me malum; sed Deus vertit illud in bonum, vt exaltaret me, sicut in præsentiarum cernitis, & salvos faceret multos populos.* Et Iob 9. *Deus, cuius iræ nemo resistere potest.* & cap. 41. *Quis resistere potest vultui meo?* Sapient. 11. *Virtuti brachij tui quis resistet?* Et Isai. 47. *Vltionem capiam, & non resistet mihi homo.*

Secundò probatur testimoniis sanctorum Patrum, & inprimis id docet S. Augustinus lib. de correptione, & gratia, cap. 14. vbi ait: *Cui velenti saluum facere, nullum hominum resistit arbitrium: sic enim velle, vel nolle in volentis, aut nolentis est potestate, vt diuinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem. De his enim, qui faciunt, quæ non vult, facit ipse, quod vult.* Respondent quidam, non dixisse Augustinum liberum arbitrium non posse Deo resistere, sed tantùm non resistere, quo pacto alibi dixit, gratiam efficacem à nullo duro corde respui, non verò respui non posse; quia absolutè potest. Hæc tamen explicatio nec est ad mentem sancti Augustini, sed potius repugnat expressè ipsius contextui: nam paulò inferiùs subdit: *Non est itaque dubitandum, voluntati Dei, qui in cælo, & in terra, omnia quæcumque voluit, fecit: & qui etiam illa, quæ futura sunt fecit, humanas voluntates non posse resistere, quo minùs faciat ipse quod vult, quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod vult, cũ vult, facit:* nec videtur eadem explicatio congruere locis Scripturæ superiùs adductis, in quibus vtrumque habetur expressum, & quòd liberum arbitrium creatum Deo non resistat, vel eius voluntati, & quòd nõ possit illi resistere. Subscribit S. Prosper in epist. ad Ruffin. de li. arb. cùm ait? *An dicendum, voluntati Dei humanas obsistere voluntates, & tam feros, támque intractabiles horum hominum mores, vt Euangelium ideo non audiant, quia prædicationi impia corda non pateant. Et quis istis corda mutauit, nisi qui finxit singillatim corda eorum? quis huius rigoris duritiem, ad obediendi mollitiem affectum, nisi qui potens est de lapidibus Abrahæ filios excitare?* Et S. Hier. super 1. epi. ad Ephes. c. 1. explicans illud, *Prædestinati secundùm propositum eius, qui vniuersa operatur secundùm consilium voluntatis suæ*, inquit, *Homines pleraque volumus facere consilio, sed nequaquam voluntatem sequitur effectus. Illi autem nullus resistere potest, quin omnia, quæ voluerit, faciat.* Nec ex hoc sequitur, quòd voluntas non possit resistere gratiæ efficaci, libero arbitrio inhærenti, vt disputa. 93. manifestum fiet. Præterea Boëtius lib. 3. de consolatione, prosa 12. *Non est*, inquit, *aliquid, quod summo huic bono vel velit, vel possit obsistere.* Et S. Thom. 1. par. quæst. 103. art. 8. id ipsum docet expressè, & quæst. 19. artic. 6. in corp. & ad 3. & 3. cont. Gent. cap. 94. vbi ait: *Impossibile est, quod aliquod agens diuinæ prouidentiæ exequutionem impediat sibi contrarium agendo.* Et paulò post subdit: *quòd diuina prouisio omnino cassari non potest.* Idem docet in aliis locis disputatione præcedenti adductis.

S. Hieron.

Boëtius.

Tertiò probatur ratione. Liberum arbitrium creatum seipsum mouere non potest, aut aliquid efficere, nisi moueatur à Deo. sed Deus non potest mouere liberũ arbitriũ creatum, vt resistat voluntati eius efficaci, aliàs Deus contra seipsum pugnaret, quòd est contra S. Dionysium, nec operaretur omnia propter semetipsum, quòd repugnat Scripturæ sacræ dicenti: *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus.* Ergo impossibile est, quòd arbitrium creatum Deo resistat, aut voluntati eius efficaci. Prou. 16.

Quartò probatur: nam simpliciter loquendo, implicat, quod aliqua creatura moueatur immediatè à Deo, & talis motus sit ei simpliciter violentus, vt docet S. Thom. quæ. 1. de potentia articulo 3. ad 1. & alij Doctores quamplurimi, & ratio id suadet: nam Deus non potest immediatè mouere aliquam creaturam, nisi ordinando talem motionem in suam bonitatem, vt 1. part. quæst. 44. articulo 4. docet sanctus Thomas, & colligitur ex locis Scripturæ suprà inductis. Sed omnis creatura magis inclinatur ad diuinam bonitatem, quàm lapis in centrum: ergo impossibile est, quòd aliquis motus creaturæ procedat immediatè à Deo, & talis motus sit ei violentus; ac per consequens nulla creatura poterit resistere Deo immediatè mouenti: ergo similiter creata voluntas non poterit Deo, aut voluntati eius efficaci resistere. Confirmatur: nam aliàs miracula, quæ Deus facit præter ordinem naturæ, causarent violentiam ipsis creaturis, contra communem sententiam Doctorum, & contra S. Thom. quæst. 6. de potentia, artic. 1. ad 17. vbi ait, *quòd in re qualibet naturali est naturalis ordo, & habitudo ad causas omnes superiores. Et inde est, quòd illa, quæ fiunt in corporibus inferioribus ex impressione cælestium corporum, non sunt violenta, licèt videantur esse contraria naturalibus motibus inferiorum corporum, vt patet in fluxu, & refluxu maris, qui sequitur motum Lunæ. Et multò minùs est violentum, quòd à Deo fit in istis inferioribus.* Et idem docet quæstione 3. de potentia, articulo 3. ad 1. cui consonat illud, quod dicitur Sap. 16. *Hic autem* scilicet ignis, *iterum vt nutrirentur iusti, etiam suæ virtutis oblitus est. Creatura enim tibi factori deseruiens exardescit in tormentum aduersùs iniustos, & lenior fit ad benefaciendum pro his, qui in te confidunt,* quasi diceret. Ignis non minùs refrigerat iustos, & ad recreandum eos inclinatur, quando ad id mouetur, & applicatur à Deo, ac si virtutem igniendi, & torquendi non haberet. Consonat etiam illud Iob 9. *Sapiens corde est, & fortis robore, quis restitit ei, & pacem habuit?* ac si apertius diceret: Creatura pacem habet cùm Deo non resistit, sed ei subiicitur, vt explicat S. Thom. in hæc verba: *Aliter homo obtinet pacem à potentiori, aliter à minùs potente, vel ab æquè potente: Manifestum est enim, quòd potentior à minùs potente pacẽ acquirit, contra eum pugnando, sicut cùm Rex potens contra aliquem rebellem in suo regno bellum mouet, & victoriam obtinens, pacem regni reformat. Similiter etiam ab æquè potente, cùm aliquis pacem obtinet pugnando: licèt enim eum superare non possit, tamen assiduitate pugnæ eum fatigat, vt ad pacem reducatur: sed à magis potente nunquam pacem obtinet resistendo, vel pugnando, sed se ei humiliter subdendo. Hoc est ergo euidens signum, quòd fortitudo Dei omnem humanam fortitudinem excedit quia nullus cum eo pacem habere potest resistendo, sed solùm humiliter ei obediendo. Vnde dicitur Isai. 26. Seruabis pacem, quia in te speranimus,* ergo, &c.

Quintò probatur: Vt aliquis resistat alteri oportet, quòd habeat æqualem, vel maiorem virtutem cum illo: nam à proportione minoris inæqualitatis non fit actio, ac per consequens nec efficax resistentia, quæ sine actione fieri non potest: sed nullum arbitrium creatum habet æqualem, aut maiorem virtutem, quàm Deus: nam virtus & efficacia diuina est infinita: omnis autem virtus, & efficacia creata est finita, & limitata; ergo impossibile est, liberum arbitrium creatum resistere Deo, aut voluntati eius efficaci.

S Bonau. in 2 d. 25. p. 2. ar. 1 q. 5. Caiet. 1. p. qu. 82. ar. 1. Cõrad. 12. qu. 6. art. 4.

Digitized by Google

VIII. S.Th.1.p. q.103.ar.8. ad 1.

AD primum argumentum respondetur, quòd tantùm probat primam conclusionem: quatenus verò contra secundam videtur militare, respondetur cum S.Thoma: *Quòd aliqui dicuntur vel cogitare, vel loqui, vel agere contra Deum*: aut etiam illi resistere, *non quia totaliter renitantur ordini diuinæ gubernationis (quia etiam peccantes intendunt aliquod bonum) sed quia contrà nituntur eiusdam determinato bono, quod est eis conueniens secundùm suam naturam, aut statum.*

Ad secundum respondetur, voluntatem creatam posse quidem necessitari à Deo ad aliquem actum eliciendum, sicut necessitatur in patria ad diligendum Deum clarè visum, sed non potest cogi ad volendum aliquid, nam alias ipsa voluntas simul vellet & nollet idem obiectum, quod est impossibile, vt 1. 2.q.9.ar.4.ad 2. ostendit S. Thomas.

Voluntas ad actus imperatos cogi potest

Ad primam confirmationem respondetur, quòd cùm docent Theologi, voluntatem posse ad actus imperatos cogi, & in illis violentiam pati; id intelligunt de actibus imperatis voluntatis, quando tales actus sunt eliciti ab aliis potentiis: non autè quando sunt eliciti ab ipsa voluntate, sicut sunt actus, supra quos reflectitur eadem voluntas: nam ratio S. Thomæ, qua probat, voluntatem non posse in actibus à se elicitis violentiam pati, etiam procedit de illis, qui immediatè causantur à voluntate, & non media alia potentia. Nec est sensus, quòd aliqua operatio actu imperata à voluntate sit ei violenta; hoc enim manifestam inuoluit contradictionem: nam, cùm voluntas, etiam quando est imperans, sit inclinatio totius; impossibile est actum violentum esse de facto imperatum à voluntate; sequeretur enim, illum actum esse contra inclinationem hominis, & secundùm eius inclinationem: sed sensus est, quòd actus aliarum potentiarum, qui solent esse à voluntate imperati, possunt esse violenti, vt si contra imperium voluntatis aliquis cogatur ad ambulandum, vel ad aliam consimilem actionem exercendam, sed de hoc agitur ex professo 1.2.q.6.ar.4.

IX. S.Th.q.22 de ver.ar.8. in corp.

Ad secundam confirmationem respondetur cum S.Thoma: *Quòd Deus potest immutare voluntatem: non tamen potest eam cogere. Quantumcumque enim voluntas immutetur in aliquid, nõ dicitur cogi in illud. Cuius ratio est, quia ipsum velle aliquid, est inclinari in illud: coactio autem, vel violentia est contraria inclinationi illius rei quæ cogitur. Cum igitur Deus voluntatem immutat, facit, vt præcedenti inclinationi succedat alia inclinatio, & ita prima aufertur, & secunda manet. Vnde illud, ad quod inducit voluntatem, non est contrarium inclinationi iam existenti, sed inclinationi, quæ prius inerat: vnde non est violentia, nec coactio. Sicut lapidi ratione suæ grauitatis inest inclinatio ad locum deorsum: hac autem inclinatione manente, si sursum proiiciatur, erit violentia: si autem Deus auferat à lapide inclinationem grauitatis, & det ei inclinationem leuitatis, tunc ferri sursum non erit ei violentia*: & ita immutatio motus potest esse sine violentia. Et per hunc modum intelligendum est, quod Deus voluntatem immutat sine eo, quod voluntatem cogat. Quia ergo in casu proposito in argumento: Deus immutando voluntatem Petri efficit, vt præcedenti inclinationi odij, quo voluntas Petri prosequebatur Paulum, succedat amor eiusdem Pauli; sicut de facto cor Assueri contraria affectione præoccupatum, in lenitatem cõuertit, vt suprà dictum est: ideo ille amor non est coactus, sed voluntarius, vtpote à principio intrinseco procedens secundùm eius inclinationem, vnde idem S. Thomas in secundo sententiarum distinct.25.quæ.1.art.2.ad primum argumentum, ait: *quod Deus operatur in voluntate, & in libero arbitrio, secundum eius exigentiam; vnde etiamsi voluntatem hominis in aliud mutet; nihilominùs tamen hoc sua omnipotentia facit vt illud in quod mutatur, voluntarie velit: & ita coactionis ratio tollitur, alias esset contradictionis implicatio, si diceretur nolle illud, in quod mutatur, & cogi ad illud, quia necessitas coactionis voluntati contraria est, vt in 5. Metaph. Philosophus dicit.* Idem dicit S. Tho. alijs in locis disp. 22. & 23. adductis.

Deus immutando voluntatẽ non eam cogit.

Ad tertium respondetur, quòd dæmones, & animæ damnatorum detinentur à Deo in inferno medio igne, cui alligantur, & per quem multis miris, sed veris modis, vt ait Aug. torquentur, vnde violentia, quam patiuntur, est respectu ignis, qui contra voluntatem eorum damnatos detinet, non autem respectu Dei. Sed contra hoc est argumentum: nam etiamsi Deus immediatè damnatos in inferno detineret, adhuc ibi detinerentur violenter: ergo potest aliqua creatura immediatè pati violentiam à Deo. Respondetur, quòd si illa alligatio fieret immediatè à Deo, non esset secundùm se, & simpliciter violenta: nam talis alligatio fit per intellectum, qui omnipotentiæ diuinæ subiicitur; esset tamen violenta secũdùm quid, & in genere moris, in ordine ad depraua-tam voluntatem damnatorum, quæ per se non est necessaria ad illam detentionem, vt patet: nam animæ detinentur modò in purgatorio voluntariè, & non violenter, vt docet M. Soto, & alij plures graues auctores.

X. Animæ damnatorũ detinentur violẽter in inferno.

M. Soto in 4.d.49.q.3. ar.5.

Ad confirmationem respondetur, quòd in actu doloris interni patiuntur damnati violẽtiam, & vim ab obiectis apprehensis: nam contra eorum voluntatem, & inclinationem cogitur intellectus, ea, quæ tristitiam causant, apprehendere; vnde violentia non est respectu Dei in voluntate dãnatorum, nisi secundùm quid, & in genere moris, vt suprà dictum est. Licet enim Deus necessitet voluntatem damnatorũ, media apprehensione obiecti nociui, & tristabilis, vt actũ doloris eliciat, & præ angustia spiritus gemẽtes, infructuosã pœnitentiam agãt, non tamen eos cogit ad prædictos actus volũtatis, vt ex supradictis patet.

Tristitia damnatorũ vnde causetur.

XI.

Ad quartum respondetur, quòd, vt dictum est, nulla creatura potest immediatè à Deo pati violentiam, esset enim imperfectio Dei, si aliqua creatura resisteret illi. Et præterea: nam violentia non potest alicui inferri, nisi a causa extrinsecùs operante, vt patet ex eius definitione: dicitur enim violentum, quod est à principio extrinseco, passo non cõferente vim: Deus autem intimè operatur in omnibus rebus cum pleno, & perfecto earum dominio. Vnde, sicut non potest esse violentus motus, cùm aliquid mouet seipsum, ita etiam cùm mouetur immediatè à Deo, non potest violenter moueri: nam omnis motus cuiusque rei magis dependet à Deo, quàm à quolibet principio intrinseco tam actiuo, quam passiuo ipsius mobilis. Sicut ergo ille motus, qui à principio intrinseco actiuo, vel passiuo ipsius mobilis procedit, esse non potest violentus, ita non erit violentus, si procedat à Deo immediatè.

Propositio. Quidquid potest Deus facere cum causa secunda, potest facere se solo, quomodo sit intelligenda.

Et si fiat argumentum: nam quidquid Deus potest facere cum causa secunda, potest etiam facere per seipsum immediatè; sed Deus potest causare in rebus motum violentum, mediis causis secundis: ergo per seipsum immediatè poterit illum causare. Respondetur, quòd, quando in effectu importatur habitudo ad talem causam, non solùm in genere causæ efficiẽtis, sed etiam in genere causæ formalis; non potest Deus facere se solo, quod potest operari per causam secundam, vt patet in actionibus vitalibus, & idem contingit, quando in ipso effectu, vel motione includitur intrinsecè aliqua imperfectio, quæ, cùm non possit reduci in primam causam, sed solùm in causam secundam, eò quòd primæ causæ omnis imperfectio repugnat, ideò talis effectus potest produci

Digitized by Google

duci à Deo media cauſa ſecunda, non autem per ſeipſum immediate. Vnde non poteſt Deus immediatè producere aliquod monſtrũ, aut motum defectiuum vel habitum vitioſum, quem tamen poteſt producere media cauſa ſecunda. Similiter etiam non poteſt producere immediatè per ſeipſum aliquem effectum qui ſit formaliter contingens, quia, vt diſp. 26. & 27. oſtenſum eſt, effectus contingens, inquãtum eſt formaliter contingens, dicit intrinſecum ordinem ad cauſam defectibilem, ſeu impedibilem per concurſum alterius cauſæ. Deus autem non eſt, ſed nec eſſe poteſt cauſa defectibilis, aut impedibilis: nam in hoc includitur intrinſece imperfectio. Et tamen certiſſimum eſt, Deum per cauſas ſecundas multos producere effectus contingentes. Proportionabiliter dicendum eſt in præſenti, Deum mediis cauſis ſecundis multos producere motus violentos, quos tamen immediate per ſeipſum cauſare non poteſt, non propter aliquam ipſius Dei impotentiam, ſed potius propter luminam, & infinitam eius perfectionem, & omnipotentiam, cui ſubinde nulla imperfectio, nullus defectus poteſt attribui.

XII. Ad quintum reſpondetur, quod tangit difficultatem, de qua ex profeſſo diſputari ſolet 1.2.q. 6. art. 4. allegato: Vtrum videlicet, quando voluntas, vel alia potentia ceſſat ab actu, quia Deus ſuum generalem ſubtrahit concurſum, vere dicatur cogi, aut violentiam pati. Almaynus tract 1. moralium, cap. 2. partem defendit affirmatiuam, cui ex parte adhæret M. Medina, art. 4. cit. conel. 4. Ait enim, quòd aliquo modo tunc cogitur potentia. Idem dicit Durandus, loquẽs de voluntate Reſpondetur tamen, quod in caſu poſito, proprie loquendo, non cogeretur voluntas, nec pateretur violentiam; & idem dicendum de quacũque alia potentia. Docet hoc Conrad. art. 4. cit. & M. Victoria, M. Soto, & Caiet. 1. p. quæ. 82. ar. 1. Et ratio huius eſt: nam ceſſante concurſu Dei generali, nullã habet voluntas actualem inclinationem ad actum, cùm omnis inclinatio cuiuslibet cauſæ ſecundæ, intrinſecè dependeat à Deo, tanquam à cauſa priori per ſe efficiente, vt diſp. 18. 22. & 23. oſtenſum eſt, & patebit ampliùs diſp. 76. & 97. ergo tunc voluntas non ceſſaret ab actu cõtra propriam inclinationem; ergo non cogeretur. Confirmatur hoc nam ſublato concurſu Dei generali, nulla eſſet reſiſtentia in voluntate: ergo non pateretur violentiam, aut coactionem. Probatur conſequentia: nam illud dicitur violentum, quod eſt a cauſa extrinſeca, paſſo, non conferente vim, id eſt, reſiſtente: ergo vbi nulla eſt reſiſtentia, nulla erit violentia. Præterea: nam ſi voluntas vellet ceſſare ab actu amoris alterius obiecti, & non poſſet, quia Deus illam neceſſitat ad illum actum, quantum ad exercitium, ſicut neceſſitatur in Patria ad diligendum Deum; non diceretur cogi, aut violentiam pati, ſed ſolùm neceſſitari: ergo ſimiliter non cogeretur, ſi ceſſaret ab actu, quia Deus ſubtrahit ſuum concurſum generalem.

Et, ſi fiat argumentum: nam quando potentia progreſſiua impeditur aliquo exteriori impedimento, ne proſequatur ſuum motum, verè cogeretur, ſicuti etiam cogitur lapis, cùm detinetur ſurſum, & impeditur, ne deſcendat deorſum: ergo ſimiliter cogeretur voluntas, ſi Deus, ſubtrahendo ſuum concurſum generalem, eam impediret, ne actum incœptum proſequatur, ſed ab eo deſiſtat. Reſpondetur, negando conſequentiam: nam in caſu antecedentis eſt actualis reſiſtentia ex parte paſſi; non autem in caſu conſequentis. Sed obiiciunt aliqui: nam Ariſt. 2. Ethic. appellat violentum, quod agens extrinſecum, præter internum impetum mouerit, aut ſedauerit. Reſpondetur, Ariſtotelem loqui de violento impropriè, & largo modo ſumpto. Vt autem ſit aliquid proprie violentum, non ſufficit, quòd res, vel eius potentia detineatur, vel impediatur ab operatione, ad quam habet inclinationem radicalem, ſeu habitualem, & in actu primo, ſed requiritur, quòd impediatur contra actualem inclinationem, vel contra virtualem: vel ſi Ariſtoteles loquatur propriè de violento, intelligendus eſt, quando mobile reniititur per actualem impetum, ſicut renititur lapis, cùm detinetur ſurſum, aut cùm impeditur, ne ea velocitate deorſum tendat, quæ proportionata eſt eius grauitati: nam, vt docet S. Tho. 2.2. q. 175. art. 1. in corp. dupliciter aliquis motus dicitur violentus, *vno quidem modo quantum ad finem inclinationis*, ſiue ſecundum ſubſtantiam motus, quæ attenditur ex parte termini, *puta ſi lapis, quia naturaliter inclinatur ad hoc, quòd feratur deorſum, pronciatur ſurſum. Alio modo, quantum ad modum tendendi, puta ſi lapis velocius promouetur deorſum, quam ſit motus eius naturalis.* Tunc enim ille motus eſt violentus, quantùm ad modum, quia velocius mouetur, quam eius naturæ congruat, & eadem ratione, ſi ab aliquo agẽte extrinſeco impediatur, ne ea velocitate feratur deorſum, qua deſcenderet ex natura ſua, ille motus eſſet violentus, quantùm ad modum.

XIII. Ad ſextum argumentum reſpondetur, quòd ſi auxilium efficax inhærens creatæ voluntati, conſideretur ſecundum ſuam phyſicam entitatem, præſcindẽdo, vel abſtrahendo a decreto Dei, volentis abſolutè per illud auxilium hominem ad ſe conuertere, liberum arbitrium poteſt eidem auxilio reſiſtere, quia tunc reſiſtentia accipitur comparatione cauſæ particularis. Si autem conſideretur, vt eſt inſtrumentum diuinæ voluntatis, intendentis hominem ad ſe conuertere, & quatenus intentionaliter in ſe continet virtutem eiuſdem voluntatis diuinæ; ſecundùm iſtam rationem non poteſt liberum arbitrium eidem auxilio reſiſtere, ſicut non poteſt reſiſtere voluntati Dei efficaci, cuius eſt inſtrumentum.

Ad confirmationem dicitur, quod ex verbis Apoſtoli ad Rom. 13. reſpondetur, quòd cum dicit, eos, qui reſiſtunt poteſtati Dei ordinationi reſiſtere, loquitur de reſiſtentia, quæ fit ordinationi diuinæ, quæ attenditur ſecundùm aliquam particularem cauſam, vel de ordinatione diuina, quæ eſt ſecundùm voluntatẽ ſigni, & ſecundem voluntatem Dei antecedentem. Huic namque ordinationi, & voluntati Dei ſæpe homines reſiſtunt, vt in prima concluſione dictum eſt, & conſtat ex locis Scripturæ in primo argumento huius diſputationis inductis. Si autem loquamur de ordinatione, quæ attenditur ſecundùm cauſam vniuerſalem, hoc eſt, ſecundum voluntatem Dei conſequentem, quæ eſt voluntas beneplaciti, & efficax, nullus vnquam reſtitit, vel reſiſtere poteſt ordinationi diuinæ. Nec loquitur Apoſtolus de hac ordinatione, ſed de ordinatione ſuperiùs explicata, vt colligitur ex S. Thoma dicente: *Si poteſtas principum, in quantum talis eſt, à Deo eſt, & nihil eſt à Deo ſine ordine, conſequens eſt, quòd etiam ordo, quo inferiores poteſtatibus ſuperioribus ſubiiciuntur, ſit à Deo. Itaque qui contra hunc ordinem reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit.* 1. Reg. 8. *Non te abiecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos.* Luc. 10. *Qui vos ſpernit, me ſpernit. Reſiſtere autem diuinæ ordinationi, contrariatur honeſtati virtutis. Vnde contra virtutem agit, quicunque poteſtati reſiſtit in eo, quod pertinet ad ordinationem ſuæ poteſtatis.* Quibus verbis non obſcurè docet, Apoſtolum loqui de illa reſiſtentia dumtaxat, quæ fit voluntati Dei antecedenti, ſeu voluntati ſigni, quæ, vt ait 1. p. q. 19. art. 6. non ſemper impletur. Vtrum autem auxilio efficaci, vt eſt inſtrumentum voluntatis diuinæ, poſſit liberum arbitrium reſiſtere, propriè loquendo de reſiſtentia, diſp. 93. & 94. explicabitur.

Durand. in ſent. d 25. q 4 & in 4. d 29. q 2.

Concurſus generalis ſubtractus violentiam inrebus nõ cauſat.

Auxilio efficaci eſt quædã entitas phyſica, poteſt liberum arbitrium reſiſtere.

S. Thom. Rom. 13. lect 1.

DVBIVM TERTIVM.

Appendix,

An liberum arbitrium arbitrium creatum voluntati Dei absolutæ resistere valeat.

XIV. Leonardus Læsius lib. de gratia efficaci, ca. 78. n. 13.

QVIDAM ex recentioribus Theologis vt explicet, qualiter liberum arbitrium creatum voluntati Dei absolutæ valeat resistere, aduertit tripliciter posse aliquid esse volitum à Deo absoluta voluntate. Primò ante omnem præscientiam determinationis causæ secundæ, siue nulla illius scientiæ habita ratione. Secundò, suppositâ præscientia conditionata. Tertiò, suppositâ præscientia absoluta illius determinationis.

Dictũ primum.

Quo supposito, dicit primò: Quando voluntas diuina primo modo est absoluta, ei resistere non possumus, & assignat duplicem rationem. Prima est, quia non possumus impedire, quin talis voluntas sit in Deo: concepta enim est independenter à nostra libertate, omnem eius motum præueniendo, & ea posita non possumus impedire eius efficacitatem.

Prima ratio.

Secunda ratio.

Secunda ratio illius est, quia ex vi talis voluntatis absolutę vel sequitur prædeterminatio extrinseca in voluntate hominis ad opus à Deo volitum, cui prædeterminationi non possumus resistere; vel saltem extrinseca per modum imperij, cui etiam resisti non potest: sicut potentiæ inferiores non possunt resistere imperio voluntatis.

Dictum secundum.

Dicit secundò. De hac voluntate Dei absoluta, quæ antecedit omnem scientiam determinationis causæ secundæ, intelligẽdum est illud Psal. 134. *Omnia quæcunque voluit, fecit in cælo, & in terra.* Esther 13. *Non est qui tuæ possit resistere voluntati.* Isaiæ 14. *Omne consilium meum stabit.* Sed negat hoc modo actus liberos hominum in particulari esse volitos, aut prædiffinitos à Deo. Ex quo infert, quòd neque conuersio singulorum in particulari sic prædiffinita est, si tamen per conuersionem accipiamus liberum hominis consensum, non autem auxilia præuenientia, quibus inducitur ad consensum: hæc enim possunt esse absolutè prædiffinita, & hanc Dei voluntatem, qua parte ista auxilia respicit, impedire non possumus.

Psal. 134. Esther 13. Esai. 14.

XV. Dictum 3.

Dicit tertiò. Si secundo modo voluntas diuina dicatur absoluta, nempe suppositâ præscientia conditionata, fatetur esse probabilius, nos huic voluntati Dei non posse resistere, innuens oppositum esse probabile. Addit tamen certum esse, nos posse resistere motioni præuenienti, qua mandatur executioni, seu per quam conuertimur, si nuda illius motionis efficacia spectetur. Quod idcirco (inquit) addo, quia si consideretur illa motio, vt subest præscientiæ diuinæ, qua præscitur euẽtus ex tali motione sequuturus, sic non potest ei resisti, quia iam supponitur euentus secuturus. Et ad argumentum, quod potest obiici, nam sequeretur ex hoc tolli arbitrij libertatẽ, respondet, negando consequentiam, quia istud non posse resistere motioni præuenienti, vt subest præscientiæ diuinæ, non est absolutè, & simpliciter non posse, neque prouenit ex nuda efficacia istius motionis, sed est non posse secundùm quid, & ex suppositione, quomodo etiam impossibile est resistere tentationi suppositæ præuisione lapsus, & impossibile est te non facere, quod supponitur præuisum à te faciendum. Itaque verissimè dicitur, stante motione Dei efficaci, & intentione absoluta conuertendi hominem potest nihilominùs spectata nuda efficacia illius motionis liberum arbitrium resistere, ita vt non sequatur conuersio.

XVI. Dictum 4.

Dicit 4. Si tertio modo volũtas diuina dicatur absoluta, nimirum suppositâ præuisione absoluta determinationis nostræ voluntatis, certum est neq; illi, neque motioni, quæ eam consequitur, resilli posse. Addit tamen, hoc libertati non repugnare, cuius rei duplicem assignat rationem. Prima, quia motio illa non est præueniens, sed concomitans determinationem liberam voluntatis: vnde non affert aliquam necessitatem antecedentem, sed solùm concomitantem, sola autem necessitas antecedens libertati repugnat, vt Anselmus docet. Secũda, quia hæc necessitas quam affert illa voluntas absoluta, & eius operatio, est solùm ex suppositione eius, quod est in nostra potestate, nimirum determinationis, & motus spontanei nostræ voluntatis. Necessitas autem ex suppositione non repugnat libertati, quando ipsa suppositio libertati subest. Hoc modo putat opera nostra prædilecta à Deo absoluta voluntate absque iniuria libertatis.

Anselmus.

Dicit quintò. Diuinæ voluntati, quatenus prior est determinatione liberi arbitrij præuisa resistere possumus, & rationem assignat, quia vt est prior, non habet rationem prædiffinitionis absolutæ respectu nostri operis liberi, propriè loquendo; sed solùm conditionatæ, quamuis respectu auxilij præuenientis, rationem absolutæ prædiffinitionis habeat.

Dictum 5.

XVII.

Hæc tamen sententia multa continet, quæ nõ videntur veritati consona. Ad cuius euidentiã aduertere oportet, quòd vt Dei voluntas dicatur absoluta comparatione alterius actus liberi, oportet, quòd velit & determiner non solùm concurrere cum voluntate creata ad talem actum, si ipsa voluerit in eũdem actum influere, sed requiritur quòd etiam prædiffiniat ipsum concursum, & influxum voluntatis in eundem actum: alias enim voluntas Dei erit conditionata, vtpote dependens ex conditione ab alio adimplenda: sicut si quis decerneret, quòd Petrus ieiunet, si ipse voluerit, decretum illud non esset absolutum, sed conditionatum, quia non fertur in ieiunium illud absolute, sed sub conditione, si videlicet Petrus voluerit seipsum saluare: ergo, si Deus suo æterno decreto solùm prædiffiniuit, & voluit quòd Petrus cõuertatur si ipse voluerit, & nõ decreuit quòd ipse velit, & influat cum Deo in eãdem conuersionem, voluntas Dei comparatione eiusdem conuersionis nõ erit absoluta, sed conditionata, quia non fertur in illum actum, nisi sub conditione dependente a voluntate Petri, si nimirum ipse voluerit conuerti. Eadem ratione probari potest quòd etiam volutas Dei, qua statuit cõcurrere cum Petro ad piam operationem, si ipse voluerit in eandem influere, non sit absoluta, sed conditionata; nam etiam hæc voluntas fertur in diuinum concursum sub conditione dependente à determinatione voluntatis creatæ, sicut voluntas dandi eleemosynam pauperi, si ipse petierit, non est aboluta, sed cõditionata, quia non fertur in eleemosynam, nisi sub conditione, quòd pauper eam petat.

Voluntas Dei, vt sit absoluta, quid requiratur.

XVIII.

Ex quo sequitur, quòd si Deus non prædiffiniuit actus pios, qui in tempore fiunt per liberum arbitrium, nisi præsuppositâ scientia media cooperationis arbitrij futuræ ex hypothesi, quòd in talibus circumstantiis tali gratia excitaretur, illa prædiffinitio, & voluntas Dei comparatione eorundem actuum, non est voluntas absoluta, sed solùm conditionata. Ex quo rursus sequeretur, quòd Deus nullum actum liberum, aut meritorium prædiffinierit ab æterno voluntate absoluta, quod tamen nulla ratione potest admitti, aliàs enim prædestinatio diuina non esset absoluta, sed solùm conditionata, nec opera meritoria, per quæ prædestinati ad

vitam

vitam perducuntur æternam essent volita, & præordinata a Deo absoluta voluntate, atque adeò non essent propria eius dona, quod diuinæ electioni, & prædestinationi gratuitæ videtur contrarium, vt disp. 37. n. 10. patebit.

XIX. Læsius de præd. & reprob. sect. 5. n. 55.

Respondit ad hoc, quòd sicut opera moralia ordinis naturę referuntur in Deum, vt auctorem naturę, & rectè dicuntur eius dona ratione principij ab eo accepti (quod est lumen rationis, & propensio voluntatis ad bonum honestum) & ratione concursus, vt auctoris naturæ: ita opera pietatis, seu supernaturalia sunt dona Dei ratione principij supernaturalis, ab eo accepti (quod est donum gratiæ, vel habitualis, vel actualis vel vtrumque in intellectu, & voluntate) & ratione cooperationis, quia cum illo principio concurrit. Fatetur tamen, quòd Deus ante præuisam determinationem voluntatis non prædiffiniuit absoluto decreto, vt opus istud bonum existat: sed solùm voluntate conditionata, si nimirum voluntas creata voluerit ad illud concurrere. Addit, quòd voluntas diuina ante positam conditionem (nempe determinationem nostræ voluntatis) non est absoluta, sed conditionalis: posita autem illa conditione transit in absolutam, & simul influit in opus, & vi illius, opus habet esse supernaturale & meritorium; sicut à voluntate per se primò habet esse liberum, & quod hic, & nunc fiat, &c. Itaque non opus est noua aliqua voluntate absoluta qua Deus rursus illud opus velit, quæque respectu illius operis habeat se per modum principij effectiuum. Hoc enim neque necessarium est, neque intelligibile: nam conditionata voluntas, quæ præcedit determinationem liberi arbitrij, abundè sufficit posita illa conditione. Explicat hoc exemplo humano. Cùm enim quis contrahit. cum altero verbis de præsenti sub conditione, voluntas se obligandi est conditionata, verùm posita conditione transit in absolutam, & habet vim voluntatis absolutæ, & parit suum effectum absque nouo actu. Idipsum explicat exemplo præscientiæ: nam præscientia conditionata transit in absolutam, eo ipso, quòd ponitur hypothesis. Addit tamen, quod posita conditione concipitur in Deo nouus actus complacentiæ, & approbationis, qui quidem in opus non influit, vt pote illud supponens. Denique non habet pro inconuenienti concedere, quod prædestinatio, vt antecedit omnem præuisionem operum, sit solùm conditionata, & æqualiter se habens ad omnes, quamuis, vt sequitur præuisionem meritorum ex gratia procedentium sit prædestinatio absoluta.

Voluntas conditionata qualiter transeat in absolutam.

Responsio.

XX. Impugnatio.

In hac tamen solutione multa inuoluuntur, quæ nobis displicent. Contendimus enim primo, opera pietatis, seu supernaturalia, non ea dumtaxat ratione esse dona Dei, quia gratis nobis dedit principium supernaturale, quo homo potest ea opera elicere, si velit; aut quia simul cum libero arbitrio operante influit immediatè in eiusmodi opera; sed etiam quia sua gratia efficaci donat homini ipsum velle, & vera efficienter facit, vt liberè se determinet ad concurrendum cum gratia in ipsum opus, id quod expresse docet S. Augustinus. August. *Ipsum* inquiens, est *non solum posse, quod volumus, sed etiam velle quod possumus.* Nec satis est respondere ipsum velle esse Dei: quia concurrit nobiscum si nos volumus operari, etenim non solum nobiscum operatur Deus ipsum velle si nos volumus, sed etiam efficit vt velimus, & cooperemur illi, vt disput. 86. de auxiliis num. 5. & sequentibus manifestum fiet. Displicet etiam quod in eadem solutione asseritur, quòd nimirum Deus ante præuisam determinationem voluntatis creatæ non prædiffiniuit absoluto decreto, vt opus pium fiat ab eadem voluntate, & existat in rerum natura, sed solùm conditionato. Id enim doctrinæ S. Augustini & S. Thomæ non videtur congruere, vt ex dictis disp. 22. constat, vbi ostensum est, Deum suo æterno, & absoluto decreto antecedenter ad omnem præscientiam cooperationis arbitrij futuræ etiam ex hypothesi, quod tali gratia excitaretur prædiffinisse omnes actus bonos præsertim supernaturales, qui in tempore fiunt; absque eo quòd lædatur, aut minuatur libertas arbitrij. Accedit quòd ante decretum absolutum diuinæ voluntatis non potest præuideri determinatio voluntatis creatæ, cùm scientia visionis non antecedat, sed subsequatur diuinum decretum liberum, à quo omnia, quæ quomodocumque habét esse dependent, vt disp. 7. 15. & 22. ostensum est. Præterea: nam si decretum voluntatis diuinæ, quantum est ex parte Dei, & vt præuenit determinationem voluntatis creatæ non est absolutum, sed conditionatum, ergo nullius prædestinatio, etiam animæ Christi, aut Beatæ virginis, quatenus antecedit præuisionem cooperationis eorum cum gratia esset absoluta, sed solùm conditionata. Ex quo rursus sequeretur, quod antecedenter ad eandem cooperationem præuisam eodem modo fuerint prædestinati omnes electi, & non aliter, quam reprobi, quod tamen nó potest admitti, vt disp. 37. & 110. videbitur. Disput. 37. 110.

Nec sufficit respondere, quòd posita in esse conditione prædestinatio, & voluntas Dei conditionata absque nouo actu transit in absolutá. Hoc enim non infirmat, sed potiùs confirmat argumentum factum, nam voluntas conditionata impleta conditione transit in absoluta virtute eiusdem conditionis. Ergo virtute influxus partialis liberi arb. vt aiunt, cum gratia excitante, prædestinatio, quæ ex parte Dei antecedenter ad præuisionem eiusdem influxus arbitrij erat solùm conditionata, efficeretur absoluta, ac per consequens prædestinatio absoluta non in Deum, sed in cooperationem arbitrij cum gratia excitante esset reuocanda. Et licèt auctor contrariæ sententiæ non reputet inconueniens concedere, quòd prædestinatio, vt antecedit omnem operum præuisionem, sit solùm conditionata, & æqualiter se habet ad omnes: nos tamen id concedere pro magno inconuenienti habemus, vt ex iis quæ dicenda sunt disp. 37. 107. & 110. constat.

His suppositis vt nostram sententiam, & sensum circa quinque dicta sententiæ contrariæ proferamus, sit

Prima conclusio. Verissimum est, voluntatem Dei, qua ante omnem præscientiam determinationis causæ secundæ, voluit aliquid fieri esse voluntatem absolutam, ac per consequens nos eidem voluntati resistere non posse. In hac conclusione conuenit auctor primæ sententiæ, & ratio prima, quam pro primo dicto adducit, eam probat efficaciter. Sed circa illam aduertimus quòd licèt liberum arbitrium non possit impedire efficacitatem Dei, vel eius influxum, vt emanat à Deo, potest tamen, si vellet, non operari opus illud, quod Deus ante omnem præscientiam determinationis nostrę voluntatis absoluta voluntate decreuit per illam fieri, cuius ratio est. Nam Deus voluit, quòd actus ille fiat liberè à voluntate creata, ergo voluit, vt voluntas ita illum producat, vt possit non producere, si velit, facultas enim ad vtrumlibet est de intrinseca ratione libertatis. Sed tamen ex suppositione eiusdem decreti voluntatis diuinæ necessarium est necessitate infallibilitatis actum illū fieri à volūtate creata, & liberfieri, vt disp. 5. ostensum est.

Circa secundam rationem adductam pro secundo dicto aduertimus, quòd ex vi prædeterminationis absolutæ voluntatis diuinæ sequitur quidem

quidem prædeterminatio intrinseca in voluntate hominis ad opus volitum à Deo, vt disp. 21. nu. 13. & disp. 23. visum est. Sed hac motione prædeterminante existente in homine potest liberum arbitrium dissentire si velit, & non operari actu ad quem mouet, quia motio illa non aufert à libero arbitrio facultatem, qua potest non operari si velit, sed solùm efficit, quòd cùm possit ex sua innata libertate non operari actum illum, ad quem mouet, infallibiliter tamen, & liberè operetur illum, vt disputatione 18. num. 23. dictum est. Neque similitudo adducta de potentiis sensitiuis inferioribus est ad propositũ: illæ enim capaces non sunt libertatis sibi inhærentis, quia ita mouentur à libertate, vt non se moueãt per deliberationem: liberum autem arbitrium motum à Deo se mouet per iudicium rationis à principio intrinseco habente facultatem ad vtrumlibet. Vnde non est simile.

XXIV. Secunda conclusio. Loca illa Scripturæ adducta in secundo dicto intellecta, sicut reuerà intelligi debent de volũtate Dei absoluta antecedente omnem scientiam determinationis arbitrij futuræ etiam ex hypothesi, non sunt coarctanda ad primam rerum conditionem, vel ad dona, siue auxilia, quæ præueniunt liberam cooperationem arbitrij, sed intelligenda sunt etiam de quacumque bona operatione. Itaque omnis bona operatio præsertim supernaturalis est à Deo absoluta voluntate volita, & prædiffinita ante præscientiam cooperationis arbitrij futuræ, etiã ex hypothesi. Hanc conclusionem probaui ex professo disputatione 22. numero 8. & sequentibus.

Psal. 134. Et quidem quòd locus ille Psalmi 134. *Omnia quæcunque voluit, Dominus fecit in cœlo, & in terra*, intelligatur etiam de actibus liberis, docet expresè sanctus Augustinus in Enchiridione ad Laurentium,

Aug. cap. 95. cuius verba disput. 9. num. 5. & disput. 22. numero 26. expendimus. Idem docet lib. de corrept. & grat. cap. 7. & 14. cuius verba adduximus disput. 30. num. 3. In eodem sensu explicantur communiter à sanctis Patribus verba illa Esther 13.

Esther 13. *Nec est qui tuæ possit resistere voluntati.* Hoc enim testimonio sæpissimè vtitur sanctus Augustinus ad probandum liberum arbitrium creatum resistere non posse voluntati Dei absolutæ, & efficaci. Quæ explicatio colligitur ex ipso contextu: subditur enim, *si decreueris saluare Israël.* Nam hæc salus absque liberi arbitrij cooperatione non fit. Ex quo infero, quòd non solum auxilia præuenientia, quibus singuli inducuntur ad cõsensum, prædiffinita sunt à Deo: sed etiam ipse consensus liber, & cooperatio arbitrij cum gratia in particulari est à Deo prædiffinita, & efficaci voluntate prædeterminata.

XXV. Tertia conclusio. Voluntas diuina si præsupponat præscientiam consensus arbitrij futuri ex hypothesi, quod tali gratia excitaretur in talibus circunstantiis, aut præuisionem cooperationis eiusdem arbitrij, reuerà talis Dei voluntas non est absoluta, sed conditionata, quantùm est ex parte Dei. Probatur hæc conclusio: nam Deus quantùm est ex parte sua, non decreuit producere liberum consensum hominis, nisi sub hac conditione, si nimirum liberum hominis arbitrium voluerit concurrere ad illum: ergo quantùm ex parte Dei, illa voluntas, seu prædiffinitio non est absoluta, sed conditionata. Confirmatur. Iuxta auctores oppositæ sententiæ, voluntas, seu prædiffinitio Dei non cadit absolutè supra determinationem, seu concursum arbitrij creati, sed solùm sub conditione prædicta, ergo iuxta eandem sententiam voluntas diuina comparatione ipsius consensus hominis non est absoluta, sed conditionata. Probatur consequentia: nam qui vult absolutè aliquem effectum, vel operationem, necesse est velit etiam absolutè, vt omnes causæ necessariæ concurrant ad eandem operationem; sed cooperatio arbitrij est necessaria ad liberam operationem. Ergo si Deus non decreuit absolutè, quòd liberum arbitrium concurrat ad liberam cooperationem, voluntas Dei comparatione actus liberi, non erit absoluta, sed conditionata: ex quo sequitur, quod huic voluntati Dei conditionatæ, seu antecedenti potest homo resistere, & de facto resistit, vt disputat. 32. ostensum est.

XXVI. Circa alia, quæ in tertio dicto asseruntur, aduertimus, quòd sicut suppositâ præscientia futuri consensus liberum arbitrium potest simpliciter dissentire si velit, quamuis secundùm quid non possit, scilicet in sensu composito, eò quòd ista duo simul sunt incompossibilia, Deus præscit, Petrum consensurum crastina die, & Petrus non consentiet, ita in nostra sententia suppositâ motione efficaci prædeterminante liberum arbitrium ad consensum, potest adhuc idem arbitrium absolutè, & simpliciter dissentire, si velit: quamuis secundùm quid, nempe in sensu composito, dissentire non possit, quia videlicet hæc duo sunt simul incompossibilia, liberum arbitrium mouetur efficaciter ad consensum, & nihilominùs dissentit: vnde sicut non posse dissentire secundum quid ex suppositione præscientiæ diuinæ, libertatem non tollit ab humanis actibus; ita similiter non posse dissentire ex suppositione voluntatis Dei absolutæ prædeterminantis consensum futurum, non præiudicat libertati, quia hoc non posse, non est simpliciter non posse dissentire, sed secundùm quid, vt disput. 28. visum est.

XXVII. Quarta conclusio. Voluntas diuina potest esse, & est absoluta comparatione bonorum actuum ante omnem præscientiam vel præuisionem cooperationis arbitrij futuræ etiam ex hypothesi. Conclusio est contra quartum dictum, & probari potest rationibus factis pro conclusionibus præcedentibus, & ex his, quæ in disput. 22. dicta sunt. Præterea probatur, priùs in signo rationis, quàm Deus præuideat concursum Petri futurum, decreuit, vt consensus ille fieret a Petro, nam scientia visionis cùm sit libera, præsupponit decretum voluntatis diuinæ, à quo omnia, quæ quomodocumque habent esse, dependent; ergo voluntas diuina, vt præcedit in signo rationis præuisionem consensus futuri, est voluntas absoluta, comparatione eiusdem consensus. Cum hac tamen Dei voluntate stat simul libertas arbitrij, non quidem propter rationes, quæ afferuntur in dicto quarto, sed propter alias, quæ in disput. 18. 22. & 23. adductæ sunt. Etenim prima illa ratio, in qua asseritur, quòd motio, quæ consequitur ad voluntatem diuinã non est præueniens, sed concomitans determinationem liberæ voluntatis, supponit falsum. Etenim vt disput. 23. visum, motio illa Dei efficax non est solum concomitans determinationem voluntatis creatæ, sed præuenit ordine rationis, & causalitatis, quatenus Deus per illam motionem efficit, vt voluntas se liberè determinet ad cooperandum cum gratia. Quid autem S. Anselmus per necessitatem antecedentem, quæ libertati repugnat, intelligat, iam diffusè lib. 2. de auxiliis disput. 22. num. 40. explicatum est. Secunda etiã ratiõ, quæ in eodem quarto dicto assignatur, falsò nititur fundamento, dum asserit, quòd sola necessitas ex suppositione subiacente potestati nostræ voluntatis cohæreat cum eius libertate: non autem si suppositio illa non subsit potestati eiusdem voluntatis: falsitas enim huius fundamenti disput. 22. nu. 39. detecta est.

Quinta conclusio. Liberum arbitrium resistere non

Digitized by Google

non potest diuinæ voluntati absolutæ, quatenus prior est determinatione liberi arbitrij prævisa. Conclusio est contra dictum quintum, sed probatur fundamento contrario: nam voluntas diuina comparatione cuiuscunque bonæ operationis futuræ est vere absoluta voluntas ante prævisam determinationem arbitrij creati, vt ex præmissis tam in hoc dubio, quàm in disp. 7. & 22. constat, sed voluntati Dei absolutæ non potest liberum arbitrium resistere, vt fatentur auctores contrariæ sententiæ, id quod etiam nos disp. 32. num. 5. ex professo ostendimus; ergo.

Argumenta, quæ contra hanc nostram doctrinam obiici solent, in disp. 7. 18. 22. & 23. adducta sunt, & soluta.

Ex his sequitur, quòd nempe in sensu composito, neque in sensu diuiso potest homo resistere voluntati Dei absolutæ, seu efficaci. Hoc dixerim contra quendam auctorem modernum, qui non metuit concedere, quòd voluntati Dei efficaci non potest resisti in sensu composito, bene tamen in sensu diuiso, sed eius sententia non est admittenda: nam Scriptura sacra locis superiùs allegatis absolutè, & simpliciter docet, quòd nullus potest resistere Dei voluntati, quod de voluntate Dei absoluta, & efficaci intelligunt communiter omnes Doctores, vt ex præmissis constat. Si autem posset aliquis resistere in sensu diuiso volũtati Dei absolutæ, & efficaci, simpliciter, & absolutè id posset. Etenim non posse in sensu composito resistere eidem voluntati, est non posse secundùm quid. Et confirmatur hæc ratio: nam liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum ad consentiendum Deo vocanti per gratiam prævenientem efficacem, potest simpliciter, & absolutè dissentire, si velit, quoniam in sensu diuiso id potest, quamuis in sensu composito non possit, eò, quòd implicat contradictionem hæc duo simul esse vera, quòd nimirum auxilium efficax prævenientis gratiæ constituatur in homine, & nihilominùs homo dissentiat, ergo similiter si liberum hominis arbitrium potest in sensu diuiso resistere voluntati Dei absolutæ, & efficaci, id poterit simpliciter, & absolutè, quamuis secundùm quid, & in sensu composito non possit.

Greg. Martinez 1. 2. q. 10. art. 4. dub. 1. ad 3.

Argumentum autem, quo Auctor ille conuincitur ad concedendam illam propositionem in sensu diuiso, non solùm non probat, quod intendit, sed nostram potiùs sententiam confirmat: est enim hoc eius argumentum. Homo potest in sensu diuiso dissentire auxilio efficaciter mouenti: ergo potest resistere in sensu diuiso voluntati Dei absolutæ, & efficaci. Ad hoc enim argumentum facilis est solutio ex iis quæ superiùs dicta sunt, & dicentur infrà disp. 93. & 94. & nunc breuiter dicimus, quod sicut diuinæ voluntati absolutæ, & efficaci resistere non potest liberum hominis arbitrium, sic etiam resistere non potest auxilio efficaciter mouenti ad consensum, si consideretur illud auxilium, in quantùm est instrumentum diuinæ voluntatis efficaciter volentis, quòd homo, cuius cor mouet ad cõsensum conuertatur, vt patebit in eadem disp. 93. n. 2. Secũdò respondetur ad argumentum, quòd Deus non solùm vult absolutè, quòd talis homo conuertatur, & consentiat Deo vocanti efficaciter, Petrus verbi gratia, vel Paulus; sed etiã vult quòd liberè conuertatur, & consentiat, quia vult actum illum fieri à voluntate cum modo libertatis suæ naturæ conuenienti, ac per consequens vult, quòd ita consentiat, vt possit dissentire si velit: hoc enim requiritur ad actum liberum, vt ex Tridentino constat. Cæterùm Deus nunquam voluit, nec vult, quòd aliquis possit resistere voluntati eius absolutæ, & efficaci, neque id potest velle: nam hoc esset contra eius omnipotentiam, vt patet ex rationibus adductis num. 5. disputationis præcedentis, præsertim ratione 4. vnde non est simile.

FINIS LIBRI QVARTI.

Digitized by Google

DE AVXILIIS

DIVINÆ GRATIÆ, ET HVMANI ARBITRII VIRIBVS, ET LIBERTATE, AC LEGITIMA EIVS CVM EFFICACIA eorundem Auxiliorum concordia,

Liber Quintus.

IN QVO AGITVR DE GRATVITA Prædestinatione Sanctorum.

I. QVONIAM prædestinatio, vt suprà diximus, pars est subiectiua prouidentiæ Diuinæ: postquam de his, quæ pertinent ad Dei prouidentiam egimus; ordo postulat doctrinæ, vt quæ his temporibus circa diuinam prædestinationem controuertuntur, operosiùs discutiamus. Circa quod se offerunt decem disputanda.

I. Vtrùm omnes explicationes, quas S. Augustinus tribuit verbis illis Apostoli 1. ad Timot. 2. *Deus vult omnes homines saluos fieri*, sint legitimæ.

II. Quid sit voluntas Dei antecedens, quid voluntas consequens: & vtrùm voluntas antecedens importet formaliter in Deo aliquem actum conditionatum, seu velleitatem.

III. Quid sit prædestinatio, & in quo actu formaliter consistat, in actu voluntatis, vel potiùs in actu intellectus.

IV. Vtrùm bonus vsus liberi arbitrij, quo prædestinatus consentit Deo vocanti, & excitanti, consideratus, inquantùm emanat à libero arbitrio, sit effectus prædestinationis, an verò præsupponatur ex parte nostra ad ipsam prædestinationem.

V. Vtrùm bonus vsus liberi arbitrij, procedens ex auxilio gratiæ, sit causa, ratio, vel conditio, sine qua non, prædestinationis in adultis. Vbi agitur de prædestinatione ad gratiam singillatim & de prædestinatione ad gloriam.

VI. Vtrùm prædestinatio paruulorum fuerit dependens ex præscientia boni vsus liberi arbitrij parentum, vel aliorum, per quos ad baptismi gratiam peruenerunt, & eam præsupponat.

VII. Vtrùm merita Christi Domini præuisa, sint causa prædestinationis nostræ, quantùm ad integrum effectum illius.

VIII. Vtrùm gratia status innocentiæ fuerit Adæ collata ex meritis Christi.

IX. Vtrùm prædestinatio, quantùm ad effectus assequutionem, sit in se certa, & infallibilis, non solùm certitudine præscientiæ; sed etiam certitudine ordinis, & causalitatis mediorum.

A X. Vtrùm possit aliquis, secluſa diuina reuelatione, certitudine infallibili cognoscere, se, vel aliũ esse in numero prædestinatorum. Vbi quædam signa prædestinatorum notantur.

DISPVTATIO XXXIII.

Vtrùm omnes explicationes, quas S. Augustinus tribuit verbis illis Apostoli: Deus vult omnes homines saluos fieri, *sint legitimæ.* 1. Tim. 2.

B

I. SANCTVS Augustin. quatuor adhibet explicationes verbis inductis Apostoli. Prima est secudùm quandam distributionem accommodamita, vt sensus sit, non quòd velit vniuersaliter omnes homines saluari, sed quia nullus sit saluus, quem Deus non velit saluum fieri, eo modo loquendi, quo dici consueuit: Hic Magister docet omnes pueros in ciuitate, non quòd vniuersaliter omnes doceat, sed quia nullus addiscit literas, nisi quem ipse docuerit. Sic explicat libr. 4. contr. Iulian. cap. 8 libr. de corrept. & C grat. cap. 14. lib. de prædest. SS. cap. 8. vbi adducit illud exemplum de Magistro: in Enchirid. ad Laur. c. 102. & lib. 6. Hypognost. ad finem, & epist. 107. ad Vitalem. Secunda explicatio est, iuxta quam illa distributio (*omnes*) accipitur incompletè pro generibus singulorum; non autem completè pro singulis generum: & sensus est, quòd Deus ex omnibus statibus hominum vult aliquos saluos fieri, videlicet ex diuitibus, pauperibus, Iudæis, & Gentilibus, masculis, & fœminis, regibus & subditis, &c sicut quando dicimus: *Omne animal fuisse in Arca Noë*, non est sensus, omne animal absolutè fuisse ibi, sed cuiuscunque speciei animalis aliquod animal fuisse in Arca

Prima explicatio. Deum velle omnes homines saluos fieri, in quadruplici sensu explicat August.

Secunda explicatio.

Distributio incomplet. quæ dicatur.

Digitized by Google

Arca Noë. Hanc expoſitionem tradit S. Auguſt. in Enchirid ad Laurent. cap. 103. quam etiam ſequitur Fulgent. lib. de Incarn. & grat. Chriſti, c. 31. Beda, & Anſel. ad illum locum S. Pauli. Tertia explicatio eſt, quòd Deus vult, id eſt, facit, vt homines velint; omnes ſaluos fieri, eo ſenſu, quo dicitur ad Rom. 8. *Spiritus poſtulat pro nobis*, id eſt, poſtulare nos facit, *gemitibus inenarrabilibus*: & Geneſ. 22. *Nunc cognoui*, id eſt, cognoſcere feci, *quòd timeas Dominum*. Sic explicat S. Auguſt. lib. de corrept. & grat. c. 13. vbi ait: *Poteſt etiam ſic intelligi, quòd omnes homines Deus vult ſaluos fieri, quoniam nos facit velle, ſicut miſit Spiritum filij ſui clamantem: Abba Pater, id eſt, nos eſſe facientem. Nos ergo clamamus, ſed ille clamare dictus eſt, qui efficit, vt clamemus. Si ergo clamantem ſpiritum velle dixit Scriptura, a quo efficitur, vt clamemus, velle etiam & volentem Deum, a quo efficitur, vt velimus.* Quarta explicatio docet, loqui Apoſtolum de voluntate Dei antecedente, quæ eſt voluntas ſigni, & voluntas ſecundùm quid; vt dicetur diſp. ſequenti. Hanc explicationem etiam tradit S. Auguſt. lib. ad art. ſibi falsò impoſitos, art. 2. & cap. 15. citat. de corrept. & grat. quam ſequitur Damaſc. lib. 2. de fide Orthod. cap. 29. Proſp. lib. 2. de vocat. gent. cap. 19. & cap. 15. & in reſponſione ſecunda ad obiectiones Vincent. Theophylactus, & Oecumenius ſuper eandem ep. & S. Thom. eodem loco, & in 1. part. quæſt. 23. art. 4. ad 3. & quæſt. 19. art. 6. in corp. vbi etiam admittit primam, & ſecundam explicationem S. Auguſtini. Denique S. Chryſoſt. hom. 1. in epiſt. ad Ephes. & S. Ambroſ. ad cap. 2. 1. ad Timoth. hanc vltimam explicationem tradunt, & eſt ſatis communis inter Doctores.

Tertia explicatio.

Quarta explicatio.

II. Sed tres priores explicationes S. Aug. diſplicent quibuſdam modernis Theologis, aſſerentibus, illas eſſe parum conſentaneas ſacris literis, ac per conſequens probandas non eſſe, neque admittendas. Conuincuntur ſequentibus argumentis.

Primò: nam Deus ordinauit omnes homines, & Angelos, nullo excepto, ad vitam æternam, & omnes poſuit in manu conſilij ſui, vt adiuti gratia diuina, ſaluari poſſent, ſi vellent; & de facto conſequerentur illam, niſi per eos ſtaret: ergo Deus vere, & propriè vult, omnes ſaluos fieri; niſi per eos ſtaret: ergo non debet reſtringi auctoritas Apoſtoli, ſicut eam reſtringit S. Auguſtinus.

Secundò. Altera diſtributio, qua Apoſtolus in eodem context. ait: *Obſecro fieri obſecrationes, orationes, &c. pro omnibus hominibus* nullam ſimilem reſtrictionem patitur: ergo neque illa diſtributio: *Vult omnes homines ſaluos fieri*. Antecedens ab omnibus conceditur; aliàs ſolum eſſet orandum pro prædeſtinatis, vel pro aliquibus ex ſingulis generibus hominum, quod eſt pluſquam falſum: & conſequentia probatur: nam S. Paulus manifeſtè vtramque diſtributionem æquiparat, & ex eo, quòd Deus vult omnes homines ſaluos fieri, infert, pro omnibus eſſe faciendas orationes, & obſecrationes. Sentit ergo, Deum velle omnes illos ſaluos fieri, pro quibus dicit orandum eſſe.

III. Tertiò arguitur. In Deo eſt verus actus voluntatis, quo vult vniuerſaliter, quòd omnes homines, nullo excepto, ſeruent præcepta, & conſilia, ſi velint: ergo etiam in illo eſt vera voluntas, qua vniuerſaliter vult, omnes homines ſaluos fieri, ſi ipſi velint, aut niſi per eos ſtet. Antecedens patet ex illo Mat. 6. *Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, & in terra*: quæ oratio eſſet deriſoria, niſi in Deo conſtitueretur prædictus actus voluntatis circa obſeruantiam præceptorum.

Quartò arguitur. Duæ priores explicationes S. Auguſtini non bene conſonant cum locis Scripturæ, in quibus habetur, quòd Deus non vult mortem peccatoris, ſed vt omnes conuertantur, & viuant. Dicitur enim Ezech. 18. *Nunquid voluntatis meæ eſt mors impij, & non vt conuertatur & viuat*? & capit. 33. *Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem impij*. & Matth. 24. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alis, & noluiſti*: ergo.

Quintò probatur: nam aliàs inuitationes ad pœnitentiam, & obſeruantiam mandatorum, quæ ex parte Dei fiunt omnibus hominibus, eſſent fictitiæ, & irriſiones potiùs, quam veri animi inſinuationes; etenim, ſi Deus non habeat verum voluntatem, vt omnes ſalui fiant indifferenter, ſi velint, vt quid eos vocat, & inuitat, vt ad cœnam veniant, & ſalui fiant.

Sextò arguitur: nam ſi conſideretur ſalus, & gloria æterna omnium hominum ſecundùm ſe, & abſolutè, eſt bona: ergo non poteſt Deo non placere; ergo circa ſalutem omnium hominum non eſt ſolùm in Deo voluntas ſigni, ſed etiam voluntas beneplaciti: ergo voluntate beneplaciti vult, vt omnes ſalui fiant, niſi per eos ſteterit. Confirmatur: nam Apoſtolus, cùm ait, orationes eſſe faciendas pro omnibus, aſſignat rationem ſubdens: *Hoc enim beneplacitum eſt coram Deo, qui vult omnes homines ſaluos fieri*: ergo loquitur de voluntate beneplaciti. 1. Tim. 2.

Septimò arguitur contra tertiam explicationem: Deus non facit, vt ſinguli velint ſaluari, & rectam vitam agere, vt compertum eſt: ergo recurrendum eſt ad aliquam ex prioribus explicationibus, ac per conſequens tertia explicatio per ſe ſubſiſtere non poteſt.

Hæ tamen argumenta nedum non conuincunt, ſed nec probabiliter ſuadent, tres haſce S. Auguſtini explicationes non eſſe admittendas: nam S. Thom. & alij plures Doctores eas admittunt locis ſuprà citat. & in materia de gratia, & prædeſtinatione, circa quam ſummi Pontifices hanc huius viri ſanctiſſimi doctrinam receperunt: vt diſp. 5. oſtenſum eſt, nullus debet ab ea diſcedere. Sed quoniam ſententia, quam præallegati Theologi circa modum prædeſtinationis defendunt, cum duabus illis primis explicationibus S. Auguſtini cohærere non poteſt; ideo tot argumentis eas conãtur excludere. Sed ex eorum ſolutione non obſcurè patebit, quàm ſine cauſa S. Auguſtinũ impugnent. Et præterea id conſtare poteſt: nam voluntas beneplaciti Dei ſemper impletur, vt communiter docent Theologi, præſertim S. Thom. 1. p. quæſt. 19. art. 6. Caiet. ſup. 1. ep. ad Timoth. cap. 4. Scot. in 1. diſtinct. 46. quæſt. vnic. ad 1. S. Bonauent. ead diſt. art. 1. quæſt. 1. ſed non omnes ſaluantur: ergo Deus non vult voluntate beneplaciti, vt omnes ſaluentur, ac per conſequens explicationes illæ S. Auguſtini, & S. Thomæ neceſſariò ſunt admittendæ. Tota ergo difficultas in ſolutionibus argumentorum conſiſtit.

IV. AD primum argumentum reſpondetur, omnes electos, voluntate conſequente, quæ eſt voluntas ſimpliciter, ordinatos, ſeu prædeſtinatos eſſe ad vitam æternam conſequendam: quia, cùm prædeſtinatio ſit ratio ordinis mediorum in finem ſupernaturalem, qui eſt vita æterna; impoſſibile eſt, aliquem ſimpliciter præordinatum eſſe ad vitam æternam; quin etiam ſit prædeſtinatus: reprobi autem voluntate Dei antecedente, quæ, vt dicit S. Th. 1. par. quæſt. 19. artic. 6. in cap. eſt voluntas ſecundùm quid; ſunt ordinati per diuinam prouidentiam ad vitam æternam, vt diſput. 30. num. 7. explicatum eſt. Vnde Deus non ſimpliciter, ſed ſecundùm quid, vult, quòd reprobi ſalui fiant. Et cùm obiicitur: nam omnes ſunt poſiti in manu conſilij ſui, reſponde-

Reprobi ſecundum quid, ſeu voluntate

tur,

antecedẽti sunt ordinati ad vitam æternam.

tur, omnes homines non ideo dici positos esse in manu consilij sui; quia Deus velit vniuersaliter omnes saluari, sed quia saltem per auxilium gratiæ, quod omnibus, quamdiu sunt in via, est possibile ex misericordia diuina, possunt operari bonum, & saluari, vel ex sua malitia à bono discedere; sunt enim flexibiles in bonum, & in malum, vt suprà dictum est.

Sed contrà: nam quilibet, dum est in via, potest per auxilium gratiæ saluari: ergo Deus vult voluntate beneplaciti, vt omnes salui fiant, nisi per eos steterit. Respondetur, negando consequentiam, solùm enim infertur, Deum velle, vt omnes saluari possint; quod quidem verissimum est, quia, quantùm est ex parte sua, paratus est omnibus gratiam dare, vt disputatione centesimaduodecima & centesimadecimatertia manifestum fiet.

Ad secundum respondetur cum S. Augustin. lib. de corrept. & gratia, c. 14. quòd, cùm nesciamus, quis pertineat ad prædestinatorum numerum, quis non pertineat; sic etiam affici debemus charitatis affectu, vt omnes velimus saluos fieri, & oremus pro omnibus, vt salui fiant.

Orationes quare pro omnibus fundẽdæ.

Secundò respondetur, orationes esse pro omnibus fundendas, etiamsi Deus voluntate beneplaciti non velit omnes saluos fieri; sed solùm voluntate antecedente, seu voluntate signi: nam Christus Dominus orauit ad Patrem: *Si possibile est transeat à me calix iste*, etiamsi cognouerit certò, Patrem decreuisse, vt Christus mortem pateretur.

Matth. 26.

Respondetur tertiò, quòd cùm Deus habeat vniuersalem omnium prouidentiam, ad ipsum pertinet aliquos ordinare simpliciter ad vitam æternam cõsequendam, & alios relinquere, & permittere, vt ab ea deficiant, & damnẽtur per peccatum; vt seruetur maior pulchritudo in rebus, & diuina misericordia magis splendeat in electis, & ideo non vult, vniuersaliter omnes saluos fieri. Cæterùm quilibet homo particularis solùm habet particularem prouidentiam; vnde ad ipsum pertinet pro omnibus indifferenter orare, & omnibus velle bonum illud vitæ æternæ, quamdiu sunt capaces illius.

V.

Ad tertium respondetur, Deum voluntate antecedente, seu voluntate signi, quæ est voluntas secundùm quid, velle, vt omnes vniuersaliter obseruent eius præcepta; non autem id vult voluntate consequente; alias omnes adimplerent Dei præcepta: nam voluntas Dei absoluta, seu consequens semper impletur, vt 1. p. quæst. 19. art. 6. docet S. Th. sed propter maius bonum vult permittere, quòd aliqui præcepta transgrediantur: & idem dicendum est proportionabiliter de voluntate, qua vult omnes saluos fieri.

Voluntate signi vult Deus vt omnes seruent eius præcepta.

Ad quartum argumentum negatur antecedens, & ad loca Scripturæ adducta respondetur, illa intelligi de morte spirituali, quæ est per peccatum. Hanc enim non vult Deus, sed solùm permittit. Colligitur hæc explicatio ex contextu: ait enim: *Sed vt magis conuertatur, & viuat.* Si autem explicentur de morte secunda, scilicet de damnatione æterna, dicendum est, quòd Deus non vult hanc mortem alicui inferre, nisi supposito peccato, vt disp. 109. & 110. patebit.

Ad quintum iam ex professo respõsum est disp. 23. num. 33. vbi testimoniis S. Hilarij, & S. Augustini ostendimus, similem obiectionem contra illas explicationes, & doctrinam eiusdem S. Augustini olim propositam fuisse, quam tamen idem S. Doctor dissoluit, vt ibi dictum est, & dicetur ampliùs disp. 109. num. 9.

Ad sextum argumentum respondetur, quòd, quamuis Deus velit vniuersaliter salutem omnium secundùm se, & absolutè consideratam; si tamen consideretur secundùm omnes circumstantias, quatenus videlicet si omnes saluarentur, non esset in vniuerso tanta pulchritudo, neque ita splenderet misericordia Dei in electis; secundùm hanc rationem non vult omnes saluos fieri, vt dictum est, & patebit ampliùs disput. seq. Et quoniam voluntas fertur in res, vt sunt ad extra secundùm omnes circumstantias; hinc fit, quòd voluntas, qua Deus vult aliquem saluum fieri, pensatis omnibus circumstantiis, sit voluntas simpliciter, voluntas autem, qua vult salutem æternam alicuius absolutè consideratis omnibus circumstantiis; sit voluntas secundùm quid: vt ait expresse S. Thom. 1. part. quæst. 19. artic. sexto ad 1. Et per hæc respondetur ad confirmationem.

Ad septimum respondetur, quòd Deus facit, vt velint saluari omnes, qui saluantur, & similiter facit, quòd velint aliorum omnium salutem, quotquot illam volunt: neque ex hoc sequitur, quòd tertia explicatio non sit admittenda, aut quòd per se subsistere non possit: nam, licet ex parte conueniat cum prima, & secunda explicatione aliquid tamen super vtramque addit, quod quidem argumento facto non impugnatur.

DISPVTATIO XXXIV.

Quid sit voluntas Dei antecedens, quid voluntas consequens, & vtrùm voluntas antecedens importet formaliter in Deo aliquem actum conditionatum, seu velleitatem.

EST prima sententia asserentium, quòd voluntas antecedens sit voluntas, quæ ita à solo Deo procedit, vt nullam ex nostris malis operibus occasionem capiat, aut illa præsupponat. Consequens verò voluntas est, quæ à nostro vitio ortum habet, & illud præsupponit, pro qua sententia I.

Arguitur auctoritate S. Thomæ 1 p. q. 19. art. 6. ad 1. vbi ait, quòd voluntate antecedente iudex iustus vult, omnem hominem viuere, sed cõsequente vult homicidam suspendi, scilicet supposito peccato, & hoc modo, inquit, *Deus antecedenter vult omnem hominem saluari, sed consequenter vult quosdam damnari secundùm ordinem suæ iustitiæ.* Iustitia autem Dei vindicatiua supponit peccatum: ergo secundùm S. Th. voluntas Dei consequens supponit mala nostra opera.

Confirmatur ex S. Auguſt. lib. 3. contra Iulian. ca. 18. dicente: *Potest Deus aliquos sine bonis meritis liberare quia bonus est; non potest aliquos sine malis meritis damnare, quia iustus est.* Et si quis interroget, quem actum importet voluntas Dei antecedens respectu salutis omnium, respondent, quòd importat actum conditionatum, ex parte obiecti voliti, quo vult omnes saluari, si ipsi voluerint, aut per eos non steterit. Ex quo inferunt, quòd Deus semper voluntate antecedente vult oppositum eius, quod vult voluntate consequente. Dicunt enim, quòd voluntas consequens est, quia, ex adiunctione aliquarum circumstantiarum est aliquid absolutè volitum, manente velleitate de opposito.

Hæc tamen sententia non rectè, neque adæquatè explicat, quid sit voluntas Dei antecedens, quid conse II.

conſequens, neque eſt ad mentem S. Thom. 1. p. q. 19. a. 6. citato, vbi de hac re agit ex profeſſo. Pro cuius explicatione ſupponendum eſt primò, quòd, vt docet S. Thom. art. 6. citato, vnumquodque ſecundùm quòd eſt bonum, eſt volitum à Deo, nec ſub hac ratione poteſt odio haberi, cùm bonum ſit, quod omnia appetunt. Notandum ſecundò, quòd aliquid abſolutè, & ſecundùm ſe conſideratum, poteſt eſſe bonum, & amabile, quod tamen in indiuiduo conſideratum ſecundùm omnes circumſtantias adiunctas, quas habet, non ſit bonum; ſed induat rationem mali, quia videlicet priuat alio maiori bono, quod eſt magis appetibile: nam minus bonum comparatione maioris boni induit quandam rationem mali, ſicut diligere & conſeruare merces, eſt bonum ſecundum ſe, non tamen eſt bonum conſeruare merces cum detrimento vitæ. Supponendum eſt tertiò, voluntatem, quæ reſpicit aliquod obiectum ſecundùm ſe conſideratum, eſſe voluntatem antecedentem, voluntatem autem, quæ reſpicit obiectum cum omnibus adiunctis, & circumſtantiis, dici conſequentem, vt docet expreſsè ſanctus Thomas art. cit. ad 1. Et ratio, quam aſſignat S. Doctor eſt: nam conſideratio obiecti ſecundùm ſe, antecedit conſiderationem eiuſdem obiecti, prout habet tales circumſtantias adiunctas. Sit ergo

III. Voluntas Dei antecedens, & conſequés quæ dicatur.

PRima Concluſio. Voluntas Dei antecedens eſt, quæ fertur in obiectum aliquod abſolutè conſideratum, & ſecundùm ſe: dicitur autem hæc voluntas antecedens, non quia antecedat bonum, vel malum vſum noſtri arbitrij, vt arbitrantur auctores primæ ſententiæ; ſed quia antecedit voluntatem, qua Deus fertur in obiectum conſideratum cum aliquo adiuncto, quæ eſt conſequens, & poſterior conſideratio eius. Hanc concluſionem non obſcurè docet S. Thom. art. 6. citat. & non aliter probatur, quàm ex fundamentis poſitis, & ex ipſa verborum ſignificatione.

S. Th. 1. p. q. 19. art. 6.

Salus reproborum ſecundùm ſe eſt volita à Deo, non tamen veſtita omnibus circumſtantiis.

Secunda Concluſio. Si conſideretur ſalus reproborum ſecundùm ſe, & abſolute, ſic eſt à Deo volita: ſi autem conſideretur, ſecundùm quòd habet adiunctam priuationem, aut carentiam maioris boni, videlicet boni vniuerſi manifeſtationis iuſtitiæ diuinæ in reprobis, & maioris ſplendoris miſericordiæ eius in electis, ſic non eſt volita à Deo. Et ſecundùm hoc aſſerimus, quod voluntate conſequente, Deus non velit omnes ſaluos fieri, ſed ſolum prædeſtinatos. Prima pars huius concluſionis ab omnibus conceditur; ſecunda autem negatur ab aſſertoribus primæ ſententiæ; eſt tamen de mente S. Thomæ 1. part. quæſt. 23. artic. 5. ad 1. vbi ait, *quòd Deus omnes homines diligit, & etiam omnes creaturas, inquantum omnibus vult aliquod bonum: non tamen quodcumque bonum vult omnibus. Inquantum igitur quibuſdam non vult hoc bonum, quod eſt vita æterna, dicitur eos habere odio, vel reprobare.* Et artic. 5. eiuſdem q. ad 3. idipſum confirmat. Probatur ex fundamentis poſitis: nam bonum particulare cum detrimento maioris boni, non eſt appetibile, cùm ex adiunctis induat rationem mali; ſed, ſi omnes vniuerſaliter ſaluarentur, impediretur bonum vniuerſale prouidentiæ diuinæ, ac perfectio vniuerſi, ad quam requiruntur diuerſi gradus in rebus, & quòd ex illis quædam ſupremum, quædam infimum locum teneant; impediretur etiam manifeſtatio iuſtitiæ diuinæ, & maior ſplendor miſericordiæ eius erga electos: quæ bona ſunt multò maiora, quam ſalus aliquorum: ergo

IV. Deus non ſempervult voluntate cõſequente oppoſitum eius, quod vult voluntate antecedente.

Tertia Concluſio. Non eſt neceſſe, quòd Deus voluntate antecedente velit oppoſitum eius, quod vult voluntate conſequente. Concluſio eſt contra auctores primæ ſententiæ, ſed probatur manifeſtiſſimis rationibus. Primò: nam Deus voluntate conſequente voluit S. Petrum ſaluari; ſiquidem ſaluus factus eſt, & etiam voluit ſalutem illius voluntate antecedente: nam hac voluntate vult omnes ſaluos fieri: ergo non ſemper vult Deus voluntate conſequente oppoſitum eius, quod vult voluntate antecedente, nec è conuerſo. Secundò probatur S. Petrum ſaluari, eſt bonum ſecundùm ſe conſideratum: ergo volitum à Deo voluntate antecedente. Conſequentia patet: nam voluntas antecedens eſt, quæ fertur in obiectum abſolutè conſideratum, & ſecundùm ſe, ſimiliter etiam S. Petrum ſaluari, ſi conſideretur cum omnibus adiunctis, & circumſtantiis, eſt bonum, ſiquidem fuit iuſtus, & ſanctus, & in illo maximè ſplenduit miſericordia Dei, & pulchritudo vniuerſi: ergo eſt volitum à Deo voluntate conſequente; & idem argumentum procedit de omnibus prædeſtinatis. ergo idem, quod prius. Probatur denique. nam prædeſtinatio includit voluntatem antecedentem, & conſequentem de alicuius ſalute, vt docet expreſsè S. Thom. in primo ſept. ad Annibaldum, diſtinct. 46. quæſt. vnic. art. 1. ad 1. ergo Deus voluntate antecedente, & conſequente vult æternam ſalutem omnium prædeſtinatorum. Non ergo Deus ſemper vult voluntate conſequente oppoſitum eius, quod vult voluntate antecedente.

tum eius, quod vult voluntate antecedéte

V. Voluntas antecedés importat actum conditionatũ

Quarta Concluſio. Voluntas antecedens importat formaliter in Deo actum conditionatum, quo vellet ſalutem omnium, niſi ex hoc impediretur pulchritudo vniuerſi, & bonum vniuerſale diuinæ iuſtitiæ, & miſericordiæ. Prima pars concluſionis defenditur, tanquam probabilis, à M. Bañes, & Zumel art. 6. citato; quamuis illi aſſerant, probabiliorem eſſe oppoſitam ſententiam. Dicunt enim, quòd actus conditionatus, ſeu velleitas ſolùm eminenter reperitur in Deo. Noſtram tamen ſententiam defendunt alij plures Thomiſtæ, & probatur auctoritate ſancti Thomæ artic. 6. citato, vbi docet; quòd, ſicut iudex habet illam voluntatem antecedentem: Vellem omnes homines viuere, ita Deus vult, omnes homines ſaluos fieri: & idem dicit quæſtione 23. de verit. art. 1. ſed in iudice reperitur formaliter voluntas antecedens & velleitas, reſpectu conſeruationis vitæ omnium: ergo etiam in Deo. Probatur ſecundò: Deus amore actuali amicitiæ amat reprobum, dum exiſtit in gratia: ergo volitione formali vult illi beatitudinem. Patet cõſequentia: nam beatitudo eſt bonum, quod Deus vult amicis ſuis, ſed illa volitio beatitudinis non eſt abſoluta, quia non impletur: ergo eſt formaliter volitio cõditionalis ex parte obiecti voliti, videlicet, ſi perſeuerauerit vſque in finem. Iſta conſequentia probatur: nam omnis volitio formalis debet eſſe abſoluta, vel non abſoluta, & conſequenter conditionalis. Secunda pars concluſionis patet ex dictis tum in ſecunda concluſione, tum in diſp. præcedenti, & præterea probari poteſt auctoritate S. Auguſtini dicentis, quod *multi ſalui non fiunt, non quia ipſi nolunt ſed quia Deus non vult, quod abſque vlla controuerſia, manifeſtatur in paruulis*: ergo conditio, quæ includitur in voluntate antecedente, qua Deus vult omnes homines ſaluos fieri, non eſt iſta, ſi ipſi voluerint, aut per eos non ſteterit.

S. Aug. l. 4. cont. Iulianum. c. 8. & in Enchir. c. 25 & 107

VI.

Sed contra primam partem huius concluſionis eſt argumentum. Velleitas dicit intrinſecam imperfectionem: ergo non reperitur formaliter in Deo; ſed ſolùm eminenter.

Secundò arguitur. In Deo non eſt formaliter deſiderium: ergo nec voluntas conditionalis, aut velleitas. Probatur conſequentia; nam velleitas quoddam deſiderium videtur importare.

Tertiò arguitur auctoritate Agathonis Papæ in quadam epiſtol. decretali, quæ refertur in ſexta Synodo

Digitized by Google

Christi voluntas diuina & humana in quo differant.

nodo generali, actione 4. vbi dicitur, Christum Dominum habuisse duas voluntates, diuinam scilicet, & humanam, inter quas hæc assignatur differentia, quòd voluntas diuina Christi semper impletur, non autem humana, vt patet, quando Marc. 7. *voluit latere, & non potuit.* Ex quo desumitur argumentum, si in Deo esset formaliter velleitas, differentia assignata inter voluntatem diuinam, & humanam Christi Domini esset nulla; etenim voluntas humana Christi absoluta semper fuit impleta, non autem voluntas conditionalis, vt quando dixit: *Pater,* Matth. 26. *si possibile est, transeat à me calix iste.* Si autem in voluntate diuina reperitur formaliter velleitas, eodem modo voluntas diuina Christi, quando est absoluta, semper impletur; non autem conditionalis: ergo.

AD primum argumentum respondetur, quòd velleitas non dicit intrinsecam imperfectionem ex parte actus voluntatis in ipso Deo, sed solùm ex parte obiecti; quia videlicet non est amabile à Deo, prout habet adiunctam priuationem maioris boni: sed solum est amabile absolutè, & secundum se consideratum. Est exemplum in voluntate diuina, quæ quidem necessariò amat suam bonitatem; non autem bonitatem creaturarum, sed liberè, non quidem propter imperfectionem actus diuinæ voluntatis, sed propter imperfectionem obiecti secundariò voliti; quia videlicet non habet necessariam connexionem cum bonitate diuina; ac per consequens non est diligibile a Deo ex necessitate, sed liberè.

VII. Ad secundum respondetur, in Deo non esse formaliter desiderium respectu boni proprij, quia semper habet illud præsens, non tamen repugnat, quòd habeat formaliter desiderium conditionale de aliquo bono creaturarum secundùm rationem eius antecedentem.

Desideriũ in Deo nõ est. Ad tertium respondetur, quòd voluntas diuina Christi Domini per se, & ex propria natura habet omnipotentiam, & est efficax ad perficiendum omnia, quæcunque voluit in cœlo, & in terra, siue per seipsam immediatè, siue ministerio creaturarũ operetur; voluntas autem humana Christi Domini etiam absoluta non erat efficax per se, & ex sua natura ad faciendum omnia, quæ volebat fieri, sed virtute ei communicata ex coniunctione ad Verbum, vt disputatur 3. part. q. 13 art. 4. Vnde non est eadem ratio de vtraque voluntate.

AD argumentum autem tactum à principio pro prima sententia respondetur, S. Tho. ibi constituisse exemplum in quodam obiecto particulari, quod Deus vult voluntate consequente, suppositio peccato; non tamen est necessarium, vt id, quod Deus vult voluntate consequente, semper præsupponat peccatum, vt dictum est in tertia conclusione. Et per hæc respondetur ad auctoritatem S. Augustini.

DISPVTATIO XXXV.

Quid sit prædestinatio, & in quo actu formaliter consistat, an in actu voluntatis, vel potùs in actu intellectus.

I. PRO introductione huius disputationis, explicandæ sunt in primis variæ acceptationes, quibus solent accipi hæc nomina Prædestinatio, seu Prædestinatus; Præscientia, seu Præscitus. Deinde statuendà est legitima Prædestinationis definitio: tandem inquirendum, num in actu intellectus, an voluntatis formaliter consistat Prædestinatio.

Prædestinare quid significet. Circa primum notandum, quòd prædestinare (quòd attinet ad etymologiam nominis) idem significat, quod antè destinare, vel præmittere, aut præordinare, destinando aliquid in finem, tanquam in scopum, sicut sagitta præmittitur à sagittante in signum destinatum. Et licèt in amplissima significatione accipiatur hoc nomen, pro Prædestinatione, qua quælibet res in suum finem etiam naturalem ordinatur; apud Theologos tamen sumitur magis strictè, & propriè, secundum quòd significat præordinationem creaturæ intellectualis in finem supernaturalem, cum proposito eam transmittendi efficaciter in talem finem, sicut sagitta transmittitur à sagittante. Ad hanc similitudinem alludere videtur Propheta, cùm loquens de prædestinatis, præsertim de Apostolis, ait: *Sicut sagittæ in manu potentis, ita filij excussorum.* In hac acceptione sumitur prædestinatio ad Rom. 1. *Qui prædestinatus est filius Dei in virtute,* & cap. 8. *Quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis filij sui.* Et ad Ephes. 1. *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christũ, in ipsum, secundùm propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificavit nos in dilecto filio suo.* Verum est, quòd aliquando SS. Doctores vtuntur nomine prædestinationis cum addito, ad significandam reprobationem. Sic S. Augu. lib. 5. de ciuit. Dei, c. 1. ait: *Ciuitates mysticæ duæ sunt, atque duæ hominum societates, quarum vna prædestinata est in æternum regnare cum Deo, altera in perpetuum subire supplicium cum diabolo.* Et in Conc. Trid. sess. 6. decreto de Iustif. can. 17. *Si quis dixerit iustificationis gratiam nonnisi prædestinatis ad vitam contingere; reliquos verò omnes, qui vocantur, vocari quidem sed gratiam non accipere, vtpote diuina potestate prædestinatos ad malum; anathema sit.* Sed tamen, cùm prædestinatio ponitur sine addito, semper accipitur in bonam partem. Similiter etiam nomen præscientiæ, seu præscitus solet accipi in ampla significatione, vt designat illud, quod cognoscitur, antequam fiat: sic dicitur Deus præscire omnia futura contingentia, quia certò, & infallibiliter ea cognoscit, antequam producantur in propria mensura: & ipsum obiectum præcognitum à Deo ab æterno dicitur præscitum. Vnde esse præscitum, seu præcognitum, in hac acceptione, est quædam denominatio rationis proueniens à reali cognitione cognoscentis, sicut esse visum, est denominatio rationis in obiecto, proueniens à reali visione, quæ est in vidente. Sed tamen ex accommodatione vsus apud Theologos hoc nomen, *præscitus*, communiter significat reprobos, qui suppositia præscientia peccati, prædestinati sunt ad æternum supplicium. Verum est, quòd aliquando in Scriptura sacra, & apud SS. Doctores prædestinatio significatur nomine præscientiæ, & Electi dicuntur præsciti, seu præcogniti à Deo, sicut ad Rom 8. *Quos præscivit, & prædestinavit*, & c. 11. *Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit*, id est, *quam elegit, & prædestinavit*, vt explicat S. Aug. lib. de dono pers. c. 18. cuius verba hæc sunt: *Aliquando eadem prædestinatio significatur etiam nomine præscientiæ, sicut ait Apostolus: Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit. Hoc, quod ait, præscivit, non rectè intelligitur, nisi prædestinavit, quòd circumstantia ipsius loquutionis ostendit: loquebatur enim de reliquiis Iudæorum, quæ salvæ factæ sunt pereuntibus cæteris.* Hinc etiam Apostolus ait: 2. ad Tim. 2. *Novit Dominus qui sunt eius* id est, approbauit, & dilexit. E contrario autem Deus dicitur nescire reprobos, quia neque eos approbat, nec eorum opera, vt patet

II. Præscientia quid significet.

vt patet ex illo Matth. 25. *Neſcio vos, diſcedite à me operarij iniquitatis.* A

III. Quod attinet ad definitionem prædeſtinationis, notandum, quòd quidam Theologi, vt prædeſtinationem, quæ fit à Deo, non ſine præſcientia meritorum defendant, ſic eam definiunt. Prædeſtinatio eſt ratio ordinis mediorum in Deo, quibus præuidet, creaturam rationalem perducendam in vitam æternam, cum propoſito ordinem exequendi. Quam definitionem magis explicant, aſſerentes, quòd ratio ordinis mediorum, quibus Deus per ſcientiam naturalem, & mediam inter liberam, & merè naturalem præuidet, creaturam aliquam mente præditam peruenturam in vitam æternam cum propoſito, determinationéve Diuinæ voluntatis ex parte ſua id exequutioni mandandi, eſt prædeſtinatio. Ex quo B inferunt, prædeſtinationem non eſſe certam, quantùm ad conſequutionem effectus, certitudine ordinis, ſeu cauſalitatis mediorum, ſed ſolius præſcientiæ, ita videlicet, vt, ſi ſecludamus illam ſcientiam mediam, certum non ſit, effectum prædeſtinationis talis adulti eſſe futurum. Hæc tamen definitio prædeſtinationis definitioni, quã SS. Auguſtinus, & Thomas tradiderunt, non eſt conſona, vt patebit infrà, nec gratuitæ prædeſtinationis proprietates ſatis explicat: nam præterquam quòd certitudinem prædeſtinationis reuocat ad fundamentum, quod à parte rei non eſt, videlicet ad ſcientiam mediam, quam impoſſibilem eſſe diſp. 7. oſtendimus, ſequeretur ex eadem definitione, quòd prædeſtinatio diuina, formaliter loquendo, in ratione prædeſtinationis, & C efficacia illius, ac omnium auxiliorum gratiæ, quæ Deus noſter in tempore confert prædeſtinatis, penderent, tanquam à conditione, ſine qua non, ex libera cooperatione noſtri arbitrij à Deo præcognita per ſcientiam mediam; quod tamen eſſe falſum, & contra doctrinam SS. Aug. & Thomæ oſtendam inferiùs.

Legitima ergo definitio prædeſtinationis eſt, quã tradit S. Auguſt. lib. de bono perſeu. cap. 14. & S. Tho. 1. p. q. 23. art. 1. videlicet, Prædeſtinatio eſt præſcientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur quicunque liberantur. Hac definitione ſæpiſſimè vtitur S. Thom. quamuis aliquãdo ſub his terminis eam tradat: *Prædeſtinatio eſt præſcientia, & præparatio gratiæ in præſenti, & gloriæ in futuro.* aliD quãdo verò ſub iſtis: *Prædeſtinatio eſt ratio tranſmiſſionis creaturæ rationalis in vitam æternam, in mente Dei exiſtens.* vt 1. p. q. 23. art. 2. in c. & 3. p. q. 24. art. 1. in c. & q. 6. de verit. art. 1. Pro cuius explicatione notandum, quòd præſcientia in definitione prædeſtinationis, non ſumitur pro ſcientia media, vt eius defenſores contendunt, ſed pro ſcientia ſimplicis intelligentiæ, ſeu naturali, qua Deus cognoſcit creaturas poſſibiles, hæc enim præſcientia præſupponitur in Deo in ſigno rationis ad prædeſtinationẽ; vel pro ſcientia libera, qua Deus præcognouit ſubiectum prædeſtinandum: nam etiam hæc præſcientia noſtro modo intelligendi prædeſtinationem antecedit. Vnde S. Th. 3. p. q. 1. art. 3. ad 4. *Prædeſtinatio*, inquit, *præſupponit præſcientiam futurorum*, quod quidẽ E communiter interpretantur Thomiſtæ, præſertim Caiet. non quidem de præſcientia omnium futurorum, ſed aliquorum, eorum videlicet, quæ non conſtituuntur, vel efficiuntur per ipſam prædeſtinationem, qualis fuit præſcientia futuri peccati primi parentis, in cuius remedium prædeſtinatus eſt Chriſtus. Poteſt etiam nomine præſcientiæ in definitione prædeſtinationis intelligi præſcientia beneficiorum, quibus certiſſime liberantur, quicunque liberantur. Sed in hac ſententia, quam pluribus in locis Auguſt. ſequitur, dicendum eſt, ciuſmodi præſcientiam non antecedere in ſigno rationis, ſed potiùs ſubſequi liberum decretum Dei prædeſtinãtis. Ideo quippe Deus hæc præſciuit, quia prædeſtinauit, vt apertiſſimis teſtimoniis S. Auguſt. diſp. 7. oſtenſum eſt. Ex quibus potiſſimùm eſt illud de prædeſtinatione SS. c. 10. *Prædeſtinatione quippe Deus ea præſciuit quæ fuerat ipſe facturus, vnde dictum eſt: Fecit, quæ futura ſunt.* Et c. 17. *Electi ſunt itaque ante mundi conſtitutionem ea prædeſtinatione, in qua Deus ſua futura facta præſciuit.* Et c. 19. *Cùm ergo nos prædeſtinauit opus ſuum præſciuit, qui nos ſanctos, & immaculatos facit.* & idem repetit lib. de dono perſeu. c. 14. 17. & 18. & de hac præſcientia loquitur Apoſt. ad Rom. 8. cùm ait: *Nam quos præſciuit, & prædeſtinauit.* Per hæc manet excluſa eorum ſententia, qui definitionem S. Auguſtini ſic explicant: Prædeſtinatio eſt præſcientia, quid facturum ſit liberũ arb. ex hypotheſi, quod tali gratia, in talibus circumſtantiis excitaretur; & beneficiorum præparatio, quibus certiſſimè liberãtur, quicunque liberantur. Nam, iuxta noſtrã vltimam explicationem definitionis S. Auguſtini, ad idem prorſus obiectum refertur præſcientia, & prædeſtinatio, ſcilicet ad beneficia Dei, quibus certiſſimè liberantur electi. At præſciẽtia media non habet pro immediato obiecto hæc Dei beneficia, ſed affectionem, & inclinationem humanæ voluntatis, in talib. circumſtantiis conſtitutæ. Ergo nomine præſcientiæ non intelligit S. Auguſtinus præſcientiam mediam, ſeu conditionatam, ſed abſolutam, quæ ſequitur prædeſtinationem.

Præterea eſt obſeruandum, quòd, vt 1. p. q. 23. art. 2. ad 3. docet S. Thomas, præparatio eſt duplex, altera, quæ eſt in præparato, & hæc reperitur in homine, vel Angelo prædeſtinato; altera eſt in præparãte, & hæc non reperitur in paſſo, ſcilicet in prædeſtinato, ſed in agente, id eſt, in Deo prædeſtinante. Præparatio ergo in definitione prædeſtinationis non accipitur formaliter pro ea, quæ reperitur in præparato; ſed pro illa, quæ eſt in Deo præparante, eo modo, quo aliquis dicitur ſe præparare ad aliquid agendum, cùm diſponit, ordinat, & ſe accingit ad illud exequendum. His ſuppoſitis reſtat explicandum: An prædeſtinatio formaliter, & eſſentialiter conſiſtat in actu intellectus Diuini, vel in actu voluntatis. IV.

Præparatio eſt duplex.

Præſciẽtia in def. Prædeſt. poſita qualis ſit.

Sunt circa hoc duæ ſententiæ. Prima eſt Scoti in 1. ſent. d. 40. q. vnic. in prin. S. Bonau. ead. d. art. 1. q. 2. Greg. Ariminenſis q. 1. art. 1. qui aſſerunt, prædeſtinationem eſſentialiter conſiſtere in actu voluntatis, quo Deus vult electis vitam æternam. Potiſſimum argumentum huius ſententiæ deſumitur ex illis verbis Apoſt. ad Epheſ. 1. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti*, &c. vbi prædeſtinatio vocatur electio: electio autem eſſentialiter eſt actus voluntatis, vt 1. 2. quæ. 13. art. 1. docet S. Thom. ergo.

Confirmatur ex illo ad Rom. 9. *Vt ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret non ex operibus, ſed ex vocante, dictum eſt; quia maior ſeruiet minori.* Quibus verbis prædeſtinatio dicitur propoſitum Dei; propoſitum autem eſt actus voluntatis: ergo.

Secundò, nam licèt prædeſtinatio includat actũ intellectus, & voluntatis diuinæ; principaliter tamen importat actum voluntatis, & ſolùm in obliquo connotat actum intellectus practici, quo Deus ordinat media in finem: ergo prædeſtinatio ſubſtantialiter, & eſſentialiter ſupponit pro actu voluntatis. Antecedens probatur: nam (vt 1. p. q. 23. ar. 1. notauit Caiet.) ordo mediorum in finem à diuino intellectu excogitatus, vt antecedit approbationem, & acceptationem voluntatis, ſolùm habet rationem excogitati, & non prædeſtinationis: ergo conſti

Digitized by Google

constituitur formaliter in ratione prædestinationis per approbationem, & acceptationem diuinæ voluntatis; ac per consequens in actu voluntatis consistit principaliter, & formaliter ipsa prædestinatio.

Tertiò: nam prædestinatio, & reprobatio sunt actus eiusdem potentiæ, cum vnus sit alteri oppositus; sicut velle, & nolle, ac per consequens procedunt ab eadem potentia; sed reprobatio non est essentialiter, & formaliter actus intellectus, sed voluntatis, ad quam pertinet approbare, & reprobare aliquid: ergo & prædestinatio.

V. Secunda sententia est S. Thom. 1 p. q 23. art. 1. & q. 6. de verit. art. 1. vbi docet, quòd prædestinatio est actus intellectus, quamuis connotet, & habeat adiunctum actum voluntatis. Defendunt eius sententiam Durand. in 1. sent. dist. 40. q. 1. Alex. Alens. 1. p. q. 28 memb. 2. artic. 1. & 2. Caiet. M. Bañes, & omnes Thomistæ. Ad cuius euidentiam notandum, quod, quàuis Deus sit simplicissimus, & non reperiatur in illo multiplicitas actuum, qui inter se realiter, aut formaliter sint diuersi; nihilominùs ratione ratiocinata distinguimus in eo plures actus, tam ex parte intellectus, quam ex parte voluntatis, qui ad prædestinationem concurrunt: & ex illis quidam se habet antecedenter ad ipsam prædestinationem, quidam verò consequéter. Primus est actus intellectus, quo Deus per scientiam simplicis intelligentiæ cognouit omnes homines, & Angelos possibiles. Secundus est actus voluntatis, quo ex omnibus creaturis intellectualibus possibilibus, liberè elegit, & dilexit quasdã, vt essent, tam secundùm esse naturale, quam supernaturale. Tertius est, dispositio actiua, qua Deus res productas in diuersis gradibus collocauit. Quartus est actus diuinæ voluntatis circa finem, quo Deus efficaciter voluit aliquibus vitam æternam conferre. Quintus est actus prouidentiæ supernaturalis, seu prædestinationis, quo res inter se dispositæ efficaciter ordinantur per talia media ad finem supernaturalem, qui in clara Dei visione consistit. Qualiter autem dispositio partium se habeat respectu ordinis earum in finem, explicat S. Thom. q. 5. de ver. art. 1. ad 9. & in 1. sent. dist. 39. q. 1. art. 1 in corp. & ad 4. Sextus, & vltimus actus est exequutio illius ordinis, quem Deus adimplet in tempore, vocando, iustificando prædestinatos, & glorificando, secundùm illud ad Rom. 8 *Quos autem prædestinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iustificauit, quos autem iustificauit, illos & magnificauit.*

Dicendum est ergo, prædestinationem essentialiter, & formaliter consistere in actu intellectus, quamuis antecedenter supponat actum voluntatis. Probatur ex definitione prædestinationis superius tradita: nam prædestinatio est ratio ordinis mediorum in finem supernaturalem in mente diuina existens, sed ratio ordinis essentialiter, & formaliter pertinet ad intellectum: nam ordinare est rationis, & intellectus; vnde ordinare pertinet ad sapientem, vt in principio lib. 1. con. Gen. docet S. Th. ergo, &c.

Confirmatur ex illo Actor. 13. *Crediderunt, quotquot præordinati erant ad vitam æternam*, vbi prædestinati, præordinati dicuntur, quia prædestinatio in præordinatione mediorum ad vitam æternam consistit. Vnde S. Aug. lib de dono pers. c. 17. *Præordinare* (inquit) *est in præscientia disponere futura, & ordinare.* & Auctor libri Hypognosticon, libr. 6. in princ. ait: *Prædestinatio a præuidendo, & ordinando id, quod futurum est dicitur.* Cùm ergo ordinatio mediorum in finem sit essentialiter actus intellectus, relinquitur, prædestinationem essentialiter, & formaliter in actu intellectus consistere.

Præterea probatur: nam prædestinatio est prima causa omnium beneficiorum, quæ Deus in tempore confert prædestinatis, vt patet ex verbis Apostoli suprà inductis: *Quos autem prædestinauit, hos & vocauit*, &c. sed Deus omnia causat per actum intellectus, quamuis præsupponat actum voluntatis: nam, vt disp. 16. & 17. oſtendimus est, Deus operatur omnia per intellectum, vt mouetur a voluntate: ergo prædestinatio essentialiter, & formaliter in actu Diuini intellectus consistit.

VI. AD primum argumentum pro sententia Scoti respondetur, quòd etiam in sacra Scriptura prædestinatio appellatur præordinatio, & prædestinati dicuntur præordinati ad vitam æternam, vt ex præmissis patet. Aliquando autem eadem prædestinatio significatur nomine electionis, vel propositi diuini, quod pertinet ad voluntatem, non quia prædestinatio sit formaliter, & substantialiter electio, seu actus voluntatis, sed quoniam est electio antecedenter, eo modo, quo S. Thom. 1. 2. q. 13. allegata, inquit, quod *electio est actus rationis, non quidem substantialiter*, sed antecedenter, quia videlicet actum rationis præsupponit. Et per hæc patet ad cõfirmat.

Ad secundum negatur antecedens. Ad probationem respondetur, totum concludere, prædestinationem, quæ in actu intellectus consistit, intrinsecè connotare actum diuinæ voluntatis, tum antecedenter, quatenus supponit dilectionem Dei, & electionem, tum etiam consequenter, secundùm quod approbat, & acceptat rationem ordinis transmittendorum in vitam æternam.

Ad tertium respondetur, quòd, vt docet S. Th. 1. p. q. 23. art. 3. in c. reprobatio est pars prouidentiæ, sicut prædestinatio, quamuis in hoc differant inter se: nam prædestinatio est causa & eius, quod expectatur in futura vita a prædestinatis, scil. gloriæ, & eius, quod percipitur in præsenti, scilicet gratiæ. Reprobatio verò non est causa eius, quod est in præsenti, scilicet culpæ, sed est causa derelictionis a Deo: est tamen causa eius, quod redditur in futuro, scil. pœnæ æternæ. Sed culpa prouenit ex libero arbitrio eius, qui reprobatur, & a gratia deseritur. Prouidentia autem est formaliter, & essentialiter actus intellectus, quamuis præsupponat actum voluntatis. Vnde, sicut prædestinatio est actus diuini intellectus, habens antecedenter, & consequenter adiunctum actum voluntatis, ita reprobatio est essentialiter, & principaliter actus intellectus, quo Deus ad ostentionem suæ iustitiæ in ipsis reprobis, & maioris misericordiæ in electis, quoldam permittit a fine supernaturali deficere, & supposito peccato, æternis ordinauit supplicijs punire, quamuis adiunctum habeat actum voluntatis, quo vult peccatum permittere, & pœnam propter illud inferre. Notãdum tamen, reprobationem formaliter non consistere in deordinatione positiua ab vltimo fine, hæc enim ex peccato ipsius reprobi procedit; sed in ordinatione permissionis peccati, & punitionis reproborum pro peccato, ad ostentionem diuinæ iustitiæ in reprobis, & misericordiæ in electis, vt dictum est. Ad illud autẽ, quod in eodem argumento obiicitur nam approbatio est formaliter actus voluntatis ergo & reprobatio. Respondetur, quòd approbatio est actus intellectus, cum sit quædam examinatio simul cum iudicio rationis, vt patet ex illo 2. Cor. 13. *Vos ipsos tentate si estis in fide, vos ipsos probate.* & 1. ad Cor. 11. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* Vnde S. Th. q. 5 de ver. art. 4. in Cor. & ad 1. duplicem distinguit Dei prouidentiam, approbationis alteram, alteram concessionis. Primam docet esse bonorum tantum; secundam verò malorum. Sed tamen etiam actus approbationis connotat actum voluntatis, sicut de reprobatione, & prædestinatione dictum est.

DISPV

DISPVTATIO XXXVI.

Vtrùm bonus vſus auxiliorum gratiæ, vt emanat à libero arbitrio, ſit effectus Prædeſtinationis.

I. HVius difficultatis reſolutio præambula eſt ad illam, quam diſputatione ſequenti diſcutiemus: An videlicet detur ex parte boni vſus liberi arbitrij, cauſa, ratio, vel conditio, ſine qua non, prædeſtinationis. Si enim bonus vſus liberi arbitrij eſt prædeſtinationis effectus, eſſe non poteſt cauſa, ratio, vel conditio ipſius prædeſtinationis: nam, vt docet S. Thom. impoſſibile eſt, vt id, quod ſub prædeſtinatione cadit, ſit cauſa, aut ratio ipſius: aliàs idem, reſpectu eiuſdem, eſſet cauſa, & effectus, prius, & poſterius in eodem genere cauſæ; quod eſt impoſſibile. Si autem bonus vſus auxiliorum gratiæ, vt emanat à libero arbitrio, non eſt prædeſtinationis effectus, poterit eſſe cauſa, ratio, vel conditio, ſine qua non, eiuſdem prædeſtinationis. Illi ergo auctores, qui docent, dari ex parte noſtri arbitrij cõditionem, ſine qua ratio ordinis mediorum in finem ſupernaturalem non ſortiretur rationem prædeſtinationis, comparatione talium hominum, ſed retineret rationem tantùm communis prouidentiæ ſupernaturalis; defendunt conſequenter, bonum vſum liberi arbitrij, quo Deus excitanti, & vocanti conſentit, quatenus præcisè emanat à libero arbitrio; computandum non eſſe inter effectus prędeſtinationis. Argumenta huius ſent. ſunt, quæ ſequuntur.

S. Tho. 1. p. q. 23. art. 5.

II. Primò: nam bonus vſus lib. arbit. eſt id, quod ſe tenet ex parte prædeſtinati, & Deus ab illo exigit, vt ipſo Deo cooperante, adultus quoque ipſe liberè conſentiat, & cooperetur, vt ea ratione opera prædeſtinati ſint libera, & meritoria vitæ æternæ: & quædam diſpoſitiones prædeſtinati, quibus ſua libertate ſeipſum diſponit ad gratiam: ergo talis bonus vſus ſub ea ratione præcisè, qua emanat à libero arbitrio, non eſt effectus prædeſtinationis.

Confirmatur, & explicatur magis vis huius argumenti. Nam quemadmodum in deſtinatione ſagittę in ſcopum, aliud eſt ſagitta, quæ deſtinatur, aliud vis, quæ illi à ſagittante imprimitur, qua in ſcopum ab eo deſtinari dicitur: ſic etiam in prædeſtinatione, aliud eſt id, quod ita deſtinatur, nempè adultus ipſe, ſua innata libertate præditus, in manúque conſilij ſui conſtitutus; aliud verò media, quibus à Deo deſtinatur, adiuuatque dicitur, vt, cooperando per ſuum liberum influxum, in vitam æternam perueniat. Ergo, ſicut ex parte Dei prædeſtinantis, ſe tenent omnia auxilia, quibus prædeſtinatum adiuuare, & in vitam æternam perducere conſtituit: ita ex parte prædeſtinati ſe tenet innata libertas arbitrij, ſeu bonus vſus auxiliorum gratiæ, quatenus eſt liber, ſiue vt à libero arbitrio, tanquam ab vna parte cauſæ integræ, emanat.

Secundò Quòd actus à gratia præueniente, & ab arbitrio elicitus liber ſit, eáque de cauſa capax rationis, virtutis, laudis, & honoris, quæ propter eum homini, liberè eo pacto influenti, tribuuntur; profectò non eſt effectus gratiæ pręuenientis, ſed arbitrij per eum influxum. Gratia namque præueniens determinata eſt ad vnum, cóque ipſo, quòd tunc in arbitrio prædeſtinati recipitur, ex neceſſitate naturæ mouet, ac ſollicitat: ipſum autem arbitrium eſt, quod ſua innata libertate per eum influxum ſibi proprium liberè agit, ex eóque ſolo influxu habet actus ille, quòd liberè ab homine prædeſtinato eliciatur, eáque ratione in laudem, & honorem ipſi cedit: ergo bonus vſus liber, quatenus emanat à libero arbitrio, non eſt effectus prædeſtinationis. Probatur conſequentia; quia bonus vſus liber non poteſt eſſe effectus prædeſtinationis, niſi etiam ſit effectus præuenientis gratiæ.

Confirmatur. Quòd è duobus, qui æquali motu gratiæ præueniuntur, ac mouentur, vnus cóſentiat, concurrat cum gratia, eliciat actum, & conuertatur; alter verò non; certe ſolùm prouenit ab innata, & propria, & intrinſeca libertate vtriuſque, bonis, & malis; reprobis, & prædeſtinatis communi. Gratia námque præueniens ex parte ſua æqualiter vtrumque mouet, naturæque neceſſitate ex parte ſua agit: ex eo autem, quòd vnus eorum libere adhibere vult influxum illum ſui arbitrij proprium, & alter non; vnus eorum cõuertitur, alter non item, ergo bonus vſus gratiæ, vt emanat à libero arbitrio, non eſt effectus ipſius gratiæ; ac per conſequens nec prædeſtinationis. Aliàs enim ille, qui conuertitur, ſemper haberet maius auxilium præuenientis gratiæ, quàm alter; quod tamen eſt contra hypotheſim factam.

Confirmatur ſecundò Quòd auxilia præuenientis gratiæ efficacia ſint, aut inefficacia ad conuerſionẽ, pẽdet ex influxu proprio liberi arbitrij: propter quod vnus cum æquali auxilio gratiæ præuenientis intẽſiùs, aut remiſſiùs operatur, dignúſque efficitur, cui plura peccata quoad pœnam remittantur, & cui tribuantur dona, quæ à ſegnibus auferuntur, quod ab influxu ipſi arbitrio proprio emanat, rationeque illius, dicitur vnus magis, aut minùs ſtrenuè vti gratia, quàm alius: ergo talis bonus vſus, vt emanat à lib. arb. eſſe non poteſt effectus prædeſt. aut gratiæ.

III. Tertiò. Nam ratione huius influxus ipſis prædeſtinatis proprij, dixit S. Bern. *Quod in nobis minus eſt, ipſe ſupplet* (Deus ſcilicet) *modicum tamen illud, quodcunque noſtrum, non patitur reſeruari*, & propter eundem influxum docet Conc. Trid. quod, *tangente Deo cor hominis per Spiritus ſancti illuminationem*, homo ipſe aliquid agit, *inſpirationem illam recipiens, quippe qui illam & abiicere poteſt*; ergo idem, quod prius.

Bern. ſerm. de eo quod legitur in Iob. in ſex tribulationibus. Cõc. Trid. ſeſſ. 6. c. 5.

Quartò. Gratia, & liberum arbitrium ſunt duæ cauſæ partiales ſupernaturalis conſenſus, ſicut duo trahentes nauim. Si enim Deus per auxilia præuenientis gratiæ, non influat in piam operationem, talis operatio non erit in rerum natura: & ſimiliter, ſi liberum arbitrium creatum pro innata ſibi libertate nolit in eandem operationem influere, illa operatio non erit: ergo pia operatio conſiderari poteſt, vt præcisè emanat à libero arbitrio, tanquam ab vna parte integræ cauſæ: ergo ſub hac conſideratione bonus vſus liberi arbitrij tribuendus eſt eidem arbitrio pro ſola, & innata eius libertate, & non gratiæ; ac per conſequens ſub eadem conſideratione, non erit effectus prædeſtinationis, ſed aliquid ad illam prærequiſitum ex parte noſtra.

IV. Contrariam ſententiam defendunt ex mente S. Auguſtini, & S. Thomæ, omnes Thomiſtæ, qui ſentiunt, nullam dari ex parte noſtra cauſam, rationem, vel conditionem, ſine qua non, prædeſtinationis diuinæ; quorum teſtimonia diſp. ſeq. adducẽda erunt. Ad cuius euidentiam, vt aperiamus id, in quo punctum difficultatis conſiſtit, ſupponenda ſunt ea, in quibus vtriuſque ſententiæ auctores conueniunt. Primò conueniunt, Deum per auxilia prævenientis gratiæ, & lib. arb. à Deo motum, & excitatum efficienter concurrere ad quemlibet ſupernaturalẽ bonum vſum liberi arbitrij; ac per conſequẽs, eundem bonũ vſum, & ſingulas illius partes effectũ eſſe prędeſtinationis, & gratiæ, abſolutè loquendo: eo quòd nihil omnino reale, aut formale in eo reperitur, quod non ſit totũ à Deo, & ab ipſa gratia, totalitate effectus,

Digitized by Google

effectus,& totum à lib.arb.à Deo moto,& excitato. Hoc enim auctores, cũ quibus disputamus expresse fatentur;quamuis asserant, non ex eo habere, quòd sit effectus prædestinationis, quia arbitrium, & libertas humana ad illum cooperatur; sed quia Deus per prædestinationem, & auxilia gratiæ eudem bonum vsum cooperatur. Conueniunt secundò, bonum vsum auxiliorum gratiæ, etiam vt emanat ab arbitrio creato,in Deum referri, tum vt in auctorem ipsius arbitrij,qui in similes bonos vsus vim illam hominibus contulit, tum vt in eum, ex cuius generali concursu quicunque arbitrij influxus pendet,tum etiam tanquam in eum,qui suis supernaturalibus donis, auxiliisve præuenientis gratiæ, arbitrium ipsum inuitat, & allicit, vt consensum præbeat in eiusmodi bonos vsus supernaturales.

V. Tota ergo differentia inter auctores vtriusque sententiæ in hoc consistit : An bonus vsus auxiliorum gratiæ,quatenus emanat à libero arbitrio,procedat efficienter à Deo prædestinante;ac per consequens, sub ea ratione, qua dependet à libero arbitrio,sit effectus prædestinationis. Sub hac enim ratione, qui defendunt primam sententiam, negant eundem bonum vsum esse prædestinationis effectũ.

NOs autem, qui cum S.Augustino, & S.Thoma defendimus, nullam dari causam ex parte nostra,rationem,vel conditionem,sine qua ratio ordinis mediorum in finem, in mente Diuina præexistens,non haberet rationem prædestinationis, consequenter affirmamus, bonum vsum auxiliorũ gratiæ,etiam vt emanat à libero arbitrio, & ab illo dependet,esse effectum prædestinationis,& gratiæ,atque in Deum ipsum esse referendum,non solùm,vt in auctorem ipsius arbitrij, qui vim illam hominibus contulit,nec solùm,vt in eum,ex cuius generali concursu quicunque arbitrij influxus dependet;aut tanquam in eum, qui suis supernaturalibus donis, auxiliisve præuenientis gratiæ arbitrium ipsum inuitat,& allicit,vt consensum præbeat; hæc enim etiam Pelagiani, vt suprà dictum est, non negarunt; sed etiam referendum esse in Deum, tanquam in causam verè efficientem,quæ per auxilium præoperantis gratiæ efficit, liberum arbitrium influere in ipsum bonum vsum auxiliorũ gratiæ, ita videlicet, vt actualis dependentia, & emanatio eiusdem boni vsus à libero arbitrio,seu consensus, quatenus procedit à libero arbitrio, referendus sit in diuinam prædestinationem,& gratiam, tanquam causam per se efficientem.

Disp.1.&2.

VI. Probari potest inprimis hæc doctrina omnibus argumentis, quibus disp.18. 22.& 23. ostensum est, concursum Dei generalem tam naturalis, quàm supernaturalis ordinis esse influxum immediatum in causas secundas,eásque præmouere, ac prædeterminare ad actualiter operandum,vnamquamque conformiter ad suam naturam. Ex hoc enim principio euidenter infertur,bonum vsum auxiliorum gratiæ, & quamcunque aliam piam operationem, etiam vt emanat à libero arbitrio, effectum esse prædestinationis, & gratiæ, non solùm in genere causæ moralis,sed etiam efficientis.Probari id etiam potest omnibus testimonijs Scripturæ,summorum Pontificũ, & sanctorum Patrum, ac rationibus Theologicis, ex eis desumptis, quibus inferiùs manifestum fiet, Deum, siue auxilium efficax esse causam adæquatam, quòd homo conuertatur; ac per consequens gratiam, & liberum arbitrium non esse causas partiales supernaturalis consensus,sicut duo trahentes nauim; sed Deum per auxilium efficax diuinæ gratiæ,non solùm moraliter,sed etiam ad modum causæ physicæ facere, vt faciamus,& operari, vt operemur.Ex his enim manifestè sequitur, bonum vsum auxiliorum gratiæ,etiam quatenus emanat à libero arbitrio,effectum esse prædestinationis diuinæ. Denique id ipsum probari potest argumentis, quibus sequenti disputatione ostendam, nullam dari causam, rationem vel conditionem, sine qua non, ex parte nostra, à qua prædestinatio in ratione prædestinationis dependeat.

disp 96.97 98. 100. & disp. 85 & 86.

VII. Secundò probatur auctoritate S.Thom.1.p.q.23. art.5.in corp.vbi eorum sententiam impugnans,qui dixerunt, merita sequentia prædestinationis effectum,esse rationem prædestinationis, inquit: *Isti videntur distinxisse inter id, quod est ex gratia,& id,quod est ex libero arbitrio,quasi non possit esse idem ex vtroque. Manifestum est autem quòd id quod est gratiæ,est prædestinationis effectus & hoc non potest poni,vt ratio prædestinationis, cum hoc sub prædestinatione concludatur. Si igitur aliquid aliud ex parte nostra sit ratio prædestinationis,hoc erit præter effectum prædestinationis. Non est autẽ distinctum,quod est ex libero arbitrio, & ex prædestinatione; sicut nec est distinctum, quod est ex causa secunda,& causa prima; Diuina enim prouidentia producit effectus per operationes causarum secundarum Vnde & id,quod est per liberum arbitrium, est ex prædestinatione.* Et prima 2.quæst.111.art.2.ad 2.inquit,*quòd Deus non sine nobis nos iustificat, quia per motum liberi arbitrij,dum iustificamur,Dei iustitiæ consentimus : ille tamen motus non est causa gratiæ, sed effectus, vnde tota operatio pertinet ad gratiam.* Quibus verbis manifestè docet, cooperationem liberi arbitrij esse effectum gratiæ,& prædestinationis diuinæ. Et quæst. 6. de verit.art.2.ad 21.ait: *Hoc ipsum,quod est velle accipere gratiam, est nobis ex prædestinatione diuina.*

Aug.lib.de bono pers. c.14.to.7.

Tertiò probatur ratione.Omne illud, quod conducit ad salutem,& vt prędestinatus vitam æternam consequatur, est effectus prædestinationis, vt patet ex definitione prædestinationis traditæ ab Augustino : *Prædestinatio est præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur:* sed bonus vsus auxiliorum gratiæ, etiam vt emanat à libero arbitrio, est aliquid conducens ad salutem, & vt prædestinatus vitam æternam consequatur:ergo sub eadem ratione, est effectus prædestinationis. Confirmatur, Deus per gratiam efficacem, quæ est prædestinationis effectus, non solùm concurrit ad bonum illum vsum liberi arbitrij, cooperando, & influendo in eum actum, vnà cum eodem arbitrio; sed etiam efficienter mouendo arbitrium,vt,ad eliciendum eum actum,concurrat;ergo actus ille, etiam vt est à libero arbitrio, est effectus gratiæ præuenientis,& per consequens prædestinationis.

VIII. Respondent ad hoc argumentum, distinguendo antecedens; si enim intelligatur ita, vt per solum motum gratiæ præuenientis, arbitrium influat, & concurrat, neque necessarius insuper sit proprius,& peculiaris influxus,seu concursus ipsius arbitrij, quem, nihil impediente tali motu gratiæ, possit suspendere, eúmque gratiæ motum reddere; negandum est, inquiunt,antecedens.Si verò intelligatur ita, vt non per solum gratiæ motum, arbitrium influat, & concurrat, sed necessarius insuper sit proprius, ac peculiaris ipsius arbitrij influxus, seu concursus, quem, nihil impediente motu gratiæ præuenientis, liberè insuper adhibeat; concedunt antecedens, sed tunc negant consequentiam, qua infertur: ergo actus ille etiam, vt est à libero arbitrio,est effectus gratiæ præuenientis, & per consequens prædestinationis, si consequens intelligatur de eo actu præcisè spectato, vt emanat à peculiari illo, & proprio influxu liberi arbitrij insuper necessario:nam eo modo spectatus, non est,inquiunt, effectus gratiæ præuenientis, sed solius arbitrij.

Hæc

Hæc tamen ſolutio non euacuat vim argumenti. Fatemur quidem, præter concurſum Dei, ſeu prę-
uenientis gratiæ, eſſe neceſſarium ad piam operationẽ liberum concurſũ noſtri arbitrij, quo ita conſentiat Deo vocanti, vt poſſit diſſentire, ſi velit, idque eſſe definitum in Conc. Trid. Contendimus tamen, eundem influxum arbitrij eſſe quidem illi proprium; quia procedit à principio intrinſeco, ſe mouente, & liberè mouẽte; non tamen ita eſſe proprium, vt ſub ea ratione, qua emanat à libero arbitrio, non dependeat à Deo, tanquam à cauſa efficiente, ipſum arbitrium concurrere, & liberè conſentire, ac per cõſequens, eundem influxum arbitrij ſpectari non poſſe, vt præcisè emanat à libero arbitrio. Sicut enim cõceptus vltimæ differentiæ conſiderari non poteſt, vt præſcindit ab ente; quia conceptus entis eſt vniuerſaliſſimus, ac per conſequens intrinſecè intimus cuicunq; rationi formali particularis entis propter quod, ſi ab vltima differentia præſcindatur ratio entis, nihil remanet: ſic operatio diuina, quia eſt operatio primæ, & vniuerſaliſſimæ cauſæ, ita eſt intima cuicunque rationi formali cooperationis, ſeu concurſus agentis particularis, vt actio creata conſiderari non poſſit, vt procedit à particulari agẽte, quin in eadẽ ratione formali intimè includatur operatio diuina, & dependentia à Deo, vt à cauſa vniuerſali. Vnde, ſi præſcindamus dependẽtiam ab operatione diuina, nullus poterit cõcurſus particularis cauſę remanere. Sed de hac rõe diſp. 97. plura ſunt dicenda.

Ensintimè includitur in conceptu vltimæ differẽtiæ.

Quidam Theologi etiam ex iis, qui ſcientiã mediam defendunt, fatentur quidem, veram eſſe ſententiam, quę docet, omnia opera ſupernaturalia electorum, quæ cum effectu aliquid conferunt ad conſequutionem vitæ æternæ, eſſe effectum prædeſtinationis, quò ad totum id, quod in eiuſmodi operibus inuenitur, & ſub omni habitudine ſiue ad Deũ, ſiue ad aliam priorem gratiam, ſiue ad liberum arbitrium. Addunt tamen, quòd, formaliter loquendo, non dicitur aliquis actus, prædeſtinationis effectus; quia procedit ex ſpeciali voluntate abſoluta: qua ille effectus, vel actus eſt in particulari prædefinitus cum omnibus circumſtantiis ſuis; ſed quia media, ſeu principia neceſſaria ad illum dantur ex intentione efficaci ſaluandi hominem: vel certè, quia ſunt ex tali prouidentia Dei erga hominem, qua tandem perducitur cum effectu ad vltimam ſalutem. Addũt etiam, hanc ipſam cooperationẽ eſſe effectum gratiæ efficacis, quæ ſine dubio eſt effectus prædeſtinationis: id quod explicant, & declarant tum de cauſalitate morali (nam Deus per vocationem, & auxilia excitantia trahit hominem moraliter, vt velit, & cooperetur, & hoc modo, inquiunt, facit, vt velimus, & faciamus) tum etiam de cauſalitate phyſica, quod probant; quia illa cooperatio aliquid reale eſt ad pietatem pertinẽs, & ad ſalutem valde neceſſarium: ergo non poteſt eſſe à nobis ſine Deo, & gratia eius iuxta illud: *Sine me nihil poteſtis facere.* &: *Quid habes, quod non accepiſti?* quæ vera ſunt etiam ſecundùm realem, & phyſicam efficientiam.

Ioan. 15. 1. Cor. 4.

Sed hic modus dicendi non ſatis explicat, an cooperatio noſtri arbitrij ita ſit effectus Dei, & prædeſtinationis ipſius ſecundùm phyſicam cauſalitatem, vt non ſolùm eſſe non poſſit ſine Dei influxu ſupernaturali, ſed etiam ſit effectus operationis diuinæ in genere cauſæ efficientis. Non enim admittunt, quòd actio Dei antecedat, ordine cauſalitatis, noſtram cooperationem, niſi accipiendo actionem Dei pro illa, qua in nobis producit vocationem, qua moraliter facit, vt velimus, & faciamus. Denique hic modus dicendi fundatur in illa ſententia diſp. 86 impugnanda, quòd ſcilicet Deus, per gratiam efficacem, ſolùm moraliter facit, nos facere, ſeu cooperari, non autem verè efficienter, ſiue ad modum cauſæ phyſicæ. Nos autem credimus, Deum per gratiam efficacem verè efficienter, ſiue ad modum cauſæ phyſicæ facere, nos cooperari, & liberè cooperari; ac per conſequens in eodem genere cauſæ fatemur, cooperationem noſtri arbitrij, etiam vt manat ab ipſo arbitrio, effectum eſſe prædeſtinationis; quamuis non fiat ſine nobis liberè conſentientibus.

IX. AD primum argumentum reſpondetur, bonum vſum liberi arbitrij tenere ſe ex parte prædeſtinati, non quidem, tanquam aliquid ad prædeſtinationem præſuppoſitum ex parte noſtra, ſed tanquam liber actus à prædeſtinato elicitus, vt à cauſa proxima, qui & in Deum, tanquam in primam cauſam efficientem, & in gratuitam eius prædeſtinationem, & gratiam eſt referendus; & hac ratione ille bonus vſus informatus gratia, eſt meritorius vitæ æternæ, & per illum ſeipſum diſponit adultus ad infuſionem gratiæ, vel ad augmentum illius.

Ad confirmationem reſpondetur; quòd illud exemplum potiùs noſtræ ſententiæ fauet, quàm illam impugnet. Sicut enim ad deſtinationem ſagittæ in ſcopum, ſupponitur ſagitta deſtinanda cum ſuis naturalibus proprietatibus; ſed omnis vis, & motus, quo tendit in ſcopum, eſt illi à ſagittante, ſeu deſtinante: ita homo cum ſua innata libertate, & reliquis potentiis, pertinentibus ad naturam, ſupponitur ad prædeſtinationem: ſed tamen actualis motus, & vſus eiuſdem libertatis, quo in vitam æternam tendit, eſt illi à prædeſtinante, vt à primo mouente, & dirigente propter quod S. Dionyſ. Areopagita dixit, quòd Deus eſt cauſa amoris, ſicut ſagittator, & ſicut emiſſor. Cùm ergo cooperatio, ſeu bonus vſus auxiliorum gratiæ, etiam ſecundùm quòd emanat à libero arbitrio, ſit aliquid, quo prædeſtinatus mouetur ad vitam æternam, relinquitur, quòd ſub eadem ratione ſit à prædeſtinante, vt à primo mouente, & conſequẽter ſit etiã effectus prædeſtinationis, & gratiæ. *S. Dionyſ.*

X. Ad ſecundum reſpondetur, quòd actus elicitus à gratia præueniente, & libero arbitrio, habet, vt ſit liber à gratia ipſa, & creato arbitrio, aliter tamen, & aliter: nã ab arbitrio id habet, vt à principio, quod; à gratia verò, vt à principio, quo: nam gratia non ſolùm facit, vt homo conſentiat, ſed etiam, vt liberè conſentiat, eò quòd Deus per gratiam non deſtruit, ſed perficit naturam, & attingit actum cum modo libertatis ſibi proprio, ſicut etiam vitalitas proxima, & formalis actus ſupernaturalis eſt, vt quo, à principio ſupernaturali, & vt quod, à potentia naturali eleuata per ſupernaturalem formam, vt diſp. 64. patebit. Nec eſt admittendum, gratiam determinare ad vnum ex neceſſitate, aut ex neceſſitate naturæ mouere ad actum; quia non efficit liberum arbitrium operari ex neceſſitate naturæ, ſed ſecũdùm modum ſuæ libertatis, niſi ſermo fiat de gratia præueniente excitante, qua ratione mouet voluntatem, vt natura eſt ad quoſdam actus imperfectos, & indeliberatos. Sed vltra iſtam præuenientem gratiam conſtituenda eſt gratia præueniens efficax, quæ non ex neceſſitate naturæ; ſed cum modo libertatis moueat, & prædeterminet liberum arbitriũ ad conſenſũ, vt diſp. 18. & 23. dictũ eſt, & inferiùs explicabitur.

Ad primam confirmationem reſpondetur, negando antecedens: ſemper enim ille, qui conuertitur, accipit à Deo aliquod maius auxilium præuenientis gratiæ, quàm ille, qui non cõuertitur maius, inquam, non ſolùm in ratione extrinſeca beneficij; quia videlicet datur in illis circumſtantiis, in quibus Deus præſcit, quòd, ſi liberum arbitrium per illud præmoueatur, ſit præſtiturum conſenſum: ſed etiam ſecundùm realem virtutem eiuſdem auxilij, vt procedit à Deo, vt diſp. 108. manifeſtum fiet.

Digitized by Google

XI. Ad ſecundam confirmationem reſpondetur, quòd, vt patebit diſp. 73. & 90. efficacia auxiliorum gratiæ non dependet ex cooperatione noſtri arbitrij cum illis, ſed eſt à ſolo Deo; ſimiliter etiã maior intenſio cooperationis arbitrij non eſt menſuranda ex ſola, & innata eius libertate, ſed reducenda eſt in Dei miſericordiam, & in auxilium magis intenſum, quod recipit ille, qui intenſiùs operatur, vt diſp. 62. & 78. manifeſtum fiet.

Ad tertium argumentum reſpondetur, quòd S. Bernard. appellauit influxum arbitrij, noſtrum proprium, non quia ſit in nobis, ex nobis, ſed quia eſt efficienter ex noſtro libero arbitrio, vt à cauſa ſecunda: ſed tamen quòd liberum arbitrium influat cooperando Deo vocanti, habet aliam cauſam priorem efficientem, videlicet ipſum Deum, qui per auxilium efficax præoperantis gratiæ efficit, vt liberum arbitrium influat, & libere conſentiat, vt ipſemet S. Bern. expreſsè docet in tract. de gratia, & libero arb. cum ait: *Quod à ſola gratia cœptum eſt, pariter ab utroque*, ſcilicet à gratia, & à voluntate, *perficitur, vt mixtim, non ſingillatim, ſimul, non vicißim per ſingulos profectus operentur. Non partim gratia, partim liberum arbitrium; ſed totum ſingula, opere individuo, peragunt. Totum quidem hoc, & totum ex illa, ſed vt totum in illo, ſic totum ex illa.* Et ſimiliter intelligendum eſt Conc. Trid. circa cuius explicationem plura dicenda erunt diſp. 115. n. 12. & diſp. 116. n. 10.

Ad quartum, quod eſt potiſſimum fundamentum ſententiæ contrariæ, reſpondendum erit latiùs diſp. 85. vbi oſtendemus, gratiam, & liberum arbitrium non eſſe duas cauſas partiales ſupernaturalis conſenſus, ſicut duo trahentes nauim, ſed vnamquamque eſſe totalem in ſuo genere, ex quibus liberum arbitrium ſubordinatur gratiæ, ſiue Deo mouenti per gratiam: à quo, vt à cauſa efficiente, habet, quòd actualiter influat, & cooperetur. Hæc autem omnia ex iis, quæ dicemus diſputatione ſequenti dilucidiora fient.

A boni vſus liberi arbitrij præuiſis; quod probat: nam aliter non poſſent ſaluari loca Scripturæ, quæ de prædeſtinatis loquuntur, licut eſt illud: *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti?* & illud. *Prædeſtinauit nos ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti.* & illud: *Non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos.* Secunda claſſis eſt aliorum omnium, qui ſalui fiunt de facto. De his enim, inquit, illos eſſe quidem prædeſtinatos a Deo, non abſoluto, immobili, & efficaci decreto ſuæ voluntatis, ſed ſub conditione quadam mutabili boni vſus liberi arbitrij, videlicet, ſi ipſi voluerint bene operari: quod probat multis argumentis, quæ fere ſunt eadem cum his, quæ adducemus pro ſecunda ſententia. Hanc doctrinam Ambroſij Catherini ſequutus eſt Sixtus Senenſis, vt ipſe refert, & eam, inquiens, *per decem annos prædicauit in multis, & præcipuis Italiæ vrbibus: ſed tamen poſtea, cum animadueriſſem huiuſmodi aſſertionem difficultatibus, & anguſtiis non paucis premi, & ob id pleriſque doctis, & piis Theologis non probari ſatius duxi ab eius prædicatione deſiſtere, quam pio erudit orum iudicio improbatam docere.* Hanc ſententiam ſufficienter impugnant recentiores Theologi, quam priùs in antiquis Pelagianis Aug. damnauit, cum dixit. *Prædeſtinationem igitur negare, quam apud Deum eſſe breuiter probauimus immanis blaſphemia eſt quam non tantùm, ſicut ſolitis dicere, in Apoſtolis debemus accipere, ſed in Patriarchis, & Prophetis, & Martyribus, & Confeſſoribus, & in omnibus Sanctis, & digne ſeruientibus Deo.*

Rom 8. 1. Pet. 1.

Tit. 3. Prædeſtinatorum duas claſſes ſtatuit Catherinus.

Loco citat.

Aug lib 6. impugnatur hic.

Secunda ſententia eſt quorundam Theologorum, quam vt explicent, & defendant, ſequentes ſtatuunt propoſitiones.

Dicunt primò, Deum ex æternitate voluiſſe omnes homines, & Angelos, nullo excepto, ſaluos fieri, ſub conditione tamen, ſi per ipſos, aut primum parentem non ſtaret. extendunt que hanc Dei volitionem ad omnes illos, qui poſita conſtitutione huius vniuerſi extitiſſent, ſi pro hominum arbitrio mundus hic, quoad generationes hominum alium curſum teneret, & alij homines diuerſi numero gignerentur. Hos autem inquiunt, voluit etiam Deus ſaluos fieri, ſub conditione, ſi (vt naturaliter eſſe potuit) gignerentur.

Dicunt ſecundò, quòd, quamuis Deus omnibus conferat auxilia ad ſalutem, & gratiam excitantem, ac prævenientem ſufficientem: nihilominùs, regulariter loquendo, niſi præcedant aliqui actus liberi arbitrij, conferre eam non ſolet. Addunt, quòd Chriſtus Dominus ſuis meritis nobis obtinuit, & hanc legem cum Patre conſtituit: vt quoties ex noſtris viribus naturalibus conaremur facere, quod in nobis eſt, præſtò nobis eſſent auxilia gratiæ, quibus id, vt oportet ad ſalutem, efficeremus.

Dicunt tertiò, quòd auxilia prævenientis gratiæ, per quæ prædeſtinati reipſa perueniunt ad vitam æternam, non ſunt efficacia ſecundum ſe, neque ex qualitate, & virtute intrinſeca, quam habent, vt veniunt a Deo, ſed dicuntur efficacia ab effectu, qui ſimul ab arbitrij libertate pendet. Ex quo inferunt, quòd vt auxilia prævenientis, atque adiuuantis gratiæ, quæ lege ordinaria viatoribus conferuntur, efficacia, aut inefficacia ad conuerſionem, & iuſtificationem ſint, pendet a libero conſenſu, & cooperatione arbitrij noſtri cum illis: atque adeò in hoc ſita noſtra poteſtate eſt poſitum, illa reddere efficacia, conſentiendo, aut inefficacia, continendo [illegible].

Dicunt quartò, Prædeſtinationem non fuiſſe certam certitudine cauſalitatis mediorum, ſed ſolius præſcientiæ, quod etiam extendunt ad [illegible] in gratia; ſed de hoc dicto agendum erit diſp. 41.

Dicunt quintò, prædeſtinationem non fuiſſe factam propter præſcientiam [illegible] liberi arbitrij,

B

C

D

E

DISPVTATIO XXXVII.

Vtrùm bonus vſus liberi arbitrij, procedens ex auxilio gratiæ, ſit cauſa, ratio, vel conditio, ſine qua non, prædeſtinationis in Adultis.

I. Missis Henrici, Iauelli, & aliorum Theologorum variis ſententiis, quas referunt, & impugnant M. Bañes, & Zumel 1. p. q. 23. ar 5. & alij expoſitores S. Th. ſolùm erunt adducendæ, & impugnandæ ſententiæ Ambroſij Catherini, & quorundam ex recentioribus Theologis: eſt ergo

Sixtus Senenſ lib. 6. Bibliot. c. 248.

Ambroſij Catherini ſententia circa prædeſtinationem.

Prima ſententia Ambroſij Catherini, qui (vt refert Sixtus Senenſis eius diſcipulus) aſſeruit, Deum ab æterno ſua gratuita bonitate, omnes homines nemine excluſo, nouiſſe, dilexiſſe, elegiſſe, deſtinaſſe, ita videlicet, vt ſalua arbitrij libertate, ordinarentur ad vitam æternam, non tamen eodem modo. Diſtinguit enim duas claſſes prædeſtinatorum, in quarum prima conſtituit Deus (vt ipſe arbitratur) quoſdam ſpecialiter prædeſtinatos, ſpecialiter prælectos, & prævocatos, vt B. Virginem, Apoſtolos, & alios, pauciſſimos tamen, quos Deus ab æterno abſoluto decreto, & efficaci voluntate prædeſtinauit, & tot auxilia gratiæ conferre decreuit, vt, ſalua arbitrij libertate, à ſalute æterna excidere nequeant. Et in his affirmat, non dari cauſam prædeſtinationis ex parte

trij ita videlicet, vt bonus vſus illius, præcognitus à Deo ſit cauſa, ratio, vel conditio, propter quam Deus ex æternitate decreuerit conferre prædeſtinatis ea media, per quæ præſciebat, illos pro ſua libertate peruenturos ad vitam æternam. Et ratio, quam eiuſdem ſcientiæ auctores aſſignant, eſt: nam Deus de multis præſciuit, quòd ſi conſtituerentur in tali ordine rerum, vel cum talibus auxiliis, ipſi pro ſua libertate bene vterentur libero arbitrio ſuo, & ſalui fierent: & tamen Deus neque conſtituit illos in tali ordine rerum, neque prædeſtinauit. Addunt tamen prædeſtinationem factam non fuiſſe ſine præſcientia boni vſus liberi arbitrij futuri ex hypotheſi, quod in talibus circumſtantiis conſtitueretur.

Dicunt ſextò, quòd præſcientia boni vſus liberi arbitrij futuri eſt conditio, ſine qua decretum conferendi adultis media ad ſalutem, non habuiſſet rationem prædeſtinationis: ſed retineret dumtaxat rationem communis prouidentiæ ſupernaturalis. Et nomine præſcientiæ intelligunt ſcientiam mediam, quam diſp. 7. impugnauimus.

III. Rom. 8. Probatur hæc ſententia primò auctoritatibus Scripturæ: dicitur enim ad Romanos 8. *Quos præſciuit, & prædeſtinauit, conformes fieri &c.* Quæ verba de nulla alia præſcientia cómodiùs intelligi poſſunt, quàm de illa, quæ præuia neceſſariò eſt ad prædeſtinationẽ: hæc autem eſt ſcientia media, qua Deus cognouit, quid liberum arbitrium cuiuſque hominis pro ſua libertate eſſet operaturum ex hypotheſi, quòd conſtitueretur in tali ordine rerum, & cum talibus auxiliis. Item etiam ad Roman. 11. *Non repulit Deus plebem ſuam, quam præſciuit.* Ergo præſcientia boni vſus liberi arbitrij ſupponitur ad prædeſtinationem. Præterea 1. Petri 1. dicitur: *Petrus Apoſtolus Ieſu Chriſti ſecundùm præſcientiam Dei Patris in ſanctificationem ſpiritus, &c.* Quibus verbis innuitur, quòd prædeſtinatio in ſanctificationem, & gloriam eſt ſecundùm præſcientiam boni vſus liberi arbitrij. Denique in 2. epiſt. c. 1. inquit: *Satagite, fratres, vt per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis.* Ergo certitudo electionis, & prædeſtinationis pendet ex præſcientia bonorum operum; ac per conſequens prædeſtinatio ſine illa eſſe non poteſt; prædeſtinario enim eſt certa, quantùm ad effectus aſſequutionem.

Secundò, Patres Græci, qui ante S. Aug. ſcripſerunt, vnanimi conſenſu docuerunt prædeſtinationem eſſe factam ſecundùm præſcientiam boni vſus liberi arbitrij, vt conſtat ex S. Proſp. epiſt. ad Auguſt. dicente: *Pene omnium* (ſcilicet antiquorum Patrum) *par inuenitur, & vna ſententia, qua propoſitum, & prædeſtinationem Dei ſecundùm præſcientiam receperunt, vt ob hoc Deus alios vaſa honoris, alios contumelia fecerit, quia finem vnuſcuiuſque præuiderit, & ſub ipſo gratiæ adiutorio, in qua futurus eſſet voluntate & actione præſcierit.* Et idem docet Orig. lib. 7. in epiſt. ad Rom. vbi explicans illud ad Rom. 9. *An non habet poteſtatem figulus, &c.* inquit, *Iacob electum fuiſſe vas in honorem, quia ſe emundauit; videns enim Deus puritatem eius ex eadem maſſa Adæ illum fecit vas in honorem.* Et idem ſentit Chryſ. hom. 16. in epiſt. ad Rom. Theod. & Oecumenius ſuper illud ad Rom. 8. *Nam quos præſciuit, & prædeſtinauit.* Omnes enim docent, electionem fuiſſe factam ex meritis præuiſis. Ex patribus Latinis S. Hier. epiſt. ad Ediuiam, q. 10. non obſcurè docet id ipſum: nam, poſtquam de reprobatione & prædeſtinatione multa dixit, ſubdit: *Ex quo oſtenditur, non gentes eligi, ſed hominum voluntates.* Et S. Aug. libro de prædeſt. SS. c. 10. inquit, quòd *prædeſtinatio ſine præſcientia eſſe non poteſt.* Denique S. Tho. 3. p. q. 1. ar. 4. ad 4. ait, quòd *prædeſtinatio præſupponit præſciẽtiam futurorum*, quod de præſcientia conditionata debet intelligi: ergo talis præſcientia præſupponitur ad prædeſtinationem.

Tertiò, Deus decreto æterno ſuæ voluntatis eo modo prædeſtinauit nos iuſtificandos, & ſaluandos, quo in tempore de facto iuſtificamur, & ſaluamur, vt docet S. Th. 1. p. quæſt 23. artic. 5. arg. ſed contra, ſed omnes adulti iuſtificantur, & ſaluantur dependenter à bono vſu liberi arbitrij: ergo, quòd ex æternitate fuerint prædeſtinati per illa media, per quæ iuſtificantur & ſaluantur, non pendet ſolùm ex diuina voluntate, qua Deus illa media ad ſalutem conferre prædeſtinatis decreuit, ſed etiam ex libera cooperatione, & influxu arbitrij, præcognito à Deo.

Quartò, Cum eiſdem auxiliis ex parte Dei, cum quibus vnus iuſtificatur, & ſaluatur, alius pro ſua libertate, neque iuſtificatur, neque ſaluatur ergo, quòd voluntas conferendi talia auxilia habeat formaliter rationem prædeſtinationis, pendet ex libero influxu arbitrij creati, ſiue ex præſcientia, qua Deus præcognouit, prædeſtinatum bene vſurum illis auxiliis. Antecedens probatur, nam poſitis quibuſcumque auxiliis præuenientis gratiæ, integrum eſt homini cooperari cum illis, & non cooperari; alias nó cooperaretur liberè: ergò ſi cooperetur, vt poteſt, ſaluabitur, ſi autẽ non cooperetur, nó ſaluabitur. Sed poteſt contingere, vt cum eiſdem auxiliis vnus cooperetur, alius non cooperetur: ergo poteſt contingere, quòd cum eiſdem auxiliis ex parte Dei vnus ſaluetur, & ſit prædeſtinatus, alius damnetur, & reprobus fiat; ac per conſequens prædeſtinatio non eſt ſine præſcientia boni vſus liberi arbitrij.

Confirmari poteſt hęc ſententia omnibus argumentis, quibus diſp. 22. contendebamus probare, Deum abſoluto, & efficaci decreto antecedenter ad præſcientiam mediam non prædeterminaſſe actus noſtros liberos, etiam ſupernaturales: eadem enim videntur probare, prædeſtinationem non eſſe factam antecedẽter ad præſcientiã boni vſus liberi arbitrij.

IV. Tertia ſententia eſt aliorum Theologorum, qui aſſerunt præſcientiã boni vſus liberi arbitrij non antecedere in ſigno rationis prædeſtinationem, ſeu decretum diuinæ voluntatis, quo homines prædeſtinauit: ſed eſſe ſimul cum ipſa prædeſtinatione, taliter quòd præſcientia neque antecedat prędeſtinationem, neque ſequatur illam Arbitrantur, hanc ſententiam eſſe expreſſam S. Aug & S. Thomæ: & loquuntur expreſsè de ſcientia viſionis, qua Deus præſcit merita futura ex auxilio gratiæ. Probant autem ſuam ſententiam multis auctoritatibus SS. Auguſtini, Thomæ, & Proſp qui vniuerſaliter videntur aſſerere, præſcientiam meritorum eſſe ſimul cum prædeſtinatione. Idem probant rationibus quàmplurimis, ex quibus præcipuæ ſunt, quæ ſequuntur.

Arguitur quintò: Si Deus omnino antecedenter ad præſcientiam boni vſus liberi arbitrij prædeſtinaſſet aliquos, ſequeretur vnum ex tribus maximis abſurdis. Sequeretur enim, tale decretum prædeſtinationis non eſſe penitus certum, aut poſſe in exequutione impleri ſine prædeſtinati cooperatione, aut imponere prædeſtinato neceſſitatem abſolutam: probatur: nam, vel poſito illo decreto, antecedente præſcientiam cooperationis, poteſt adhuc prædeſtinatus non cooperari; vel neceſſariò ex hypotheſi eiuſdem decreti cooperabitur: ſi poteſt adhuc non cooperari, ergo illud decretum poterit non impleri, atque adeò eſſet incertum; vel ſi eſt certum, & nihil obſtante implebitur, poterit impleri ſine cooperatione prædeſtinati. Si autem dicatur, quòd neceſſario cooperatur ex hypotheſi illius decreti: ergo illud decretum imponit abſolutam neceſſitatem cooperandi ipſi prædeſtinato: neceſſitas enim ex aliqua hypotheſi, quæ neque eſt ipſe actus, neque includit

in se respectum ad exercitium illius, est necessitas simpliciter.

Sextò: nam sequeretur, quòd omnes homines sint prædestinati à Deo, quantum est ex parte sua, vel quòd aliquibus existentibus in hac vita non sit possibilis salus æterna. Et consequenter etiam sequeretur, quòd Christus Dominus non esset mortuus pro omnibus, quantùm ad sufficientiam, quod tamen est contra expressa loca Scripturæ. Sequela probatur: nam, si prædestinatio facta est antecedenter in signo rationis ad præscientiam boni vsus liberi arbitrij: ergo, qui non sunt prædestinati ante illam præsciẽtiam, non poterunt saluari, prædestinatio enim Dei est necessaria ad salutem æternam consequendam, cùm soli prædestinati salui fiant: ergo vel omnes sunt prædestinati ante illam præscientiam, vel erunt aliqui existentes in via, qui saluari non possint.

Septimò: Deus non est acceptor personarum: dicit enim Petrus Apostolus Act. 10. *In veritate cõperi, quod non est acceptio personarum apud Deum.* Esset autem acceptio personarum, si ante præsciẽtiam boni, vel mali vsus liberi arbitrij quosdam prædestinaret, alios reprobaret: etenim quando duo sunt æquales omnino, & in causa æquali, acceptio personarum est vnum alteri præferre absque aliqua causa; omnes autem sunt secundùm se æquales tum in natura, tum in peccato originali: ergo.

V. Quarta sententia est aliorum Doctorum ex recentioribus, qui distinguunt inter prædestinationem ad gratiam, & prædestinationem ad gloriam, quo supposito,

Dicunt primò, prædestinationem ad gratiam factam fuisse à Deo antecedenter ad præscientiam boni vsus liberi arbitrij, & hoc tantùm voluisse probare S. Augustinum contra Pelagianos, & Semipelagianos, cùm docet, electionem Dei non esse ex meritis, sed solùm secundùm gratuitam Dei voluntatẽ. Nam ante primum auxilium gratiæ nullum potest intelligi meritum in natura, propter quod gratia donetur, alias gratia iam non esset gratia, sed merces.

Dicunt secundò, electionem efficacem ad gloriam factam fuisse ex meritis gratiæ præuisis: & hanc doctrinam S. Aug. tradidisse, & nullibi oppositum vel leuiter insinuasse. Pro illa adducunt, quæ sequuntur argumenta.

Arguitur octauò. Deus voluntate antecedenti, seu conditionata, vult omnibus vniuersaliter dare vitam æternam, non autem voluntatẽ consequente, quæ est voluntas efficax: sed voluntas antecedens constituitur in Deo ante præuisa merita, vel demerita, & ideo est æqualis respectu omnium: voluntas autem consequens non est in Deo ante præuisa merita, vel demerita, sed post illa, ideo enim dicitur voluntas consequens, & non est æqualis respectu omnium, quia est in Deo post præscientiam diuersorum meritorum: ergo electio efficax ad gloriam non est facta ante præuisa merita, procedentia ex gratia.

Arguitur nonò ex analogia ad ea, quæ contingunt in humanis. Nam, si Rex proponeret præmium certantibus, hac lege, vt nullus consequatur illud, nisi victor exiadar, certè nunquam decerneret voluntate absoluta, & efficaci dare alicui præmium propositum, quamuis eum amaret, antequam illum victorem videret sed Deus proponit omnibus, tanquam præmium, vitam æternam, hac lege conferendam, vt nullus consequatur hoc præmium, nisi legitimè certauerit, vt patet ex illo 2. ad Tim. 2. *Nullus coronabitur, nisi legitimè certauerit*: ergo ante præuisa merita procedentia ex gratia nõ decreuit alicui dare gloriã.

Decimò, Eundem ordinem, quem re ipsa habent obiecta inter se, assignare debemus secundùm diuersa signa rationis in diuino decreto. Cùm enim voluntas diuina sit simplicissima, & actus illius vnicus & simplicissimus, non debemus eũ distinguere etiam nostro modo intelligendi, nisi secundum diuersum ordinem, quem inter se habent obiecta, a Deo volita: sed hoc obiectum, quod est beatitudo æterna, non habet ordinem ad prædestinatos adultos, nisi præsuppositis meritis; nullus enim dignus est vita æterna, nisi præcesserint merita; ergo Deus suo absoluto, & efficaci decreto non vult alicui vitam æternam, nisi præsuppositis meritis gratiæ à Deo præcognitis; ac per consequens prædestinatio ad gloriam est ex præuisis meritis.

Confirmatur: nam licèt efficax intentio finis sit prior, quàm electio mediorum, quando media sunt, causa physica consequutionis finis, sicut medicina respectu sanitatis: tamen quando media sunt tantùm causa moralis, seu meritoria consequutionis finis, intentio efficax finis non præcedit electionem mediorum, sed eam præsupponit. Atqui merita procedentia ex gratia non sunt causa physica consequutionis gloriæ, sed solùm causa moralis: ergo in Deo voluntas efficax prædestinandi ad gloriam, quæ est finis intellectualis creaturæ, non præcedit electionem meritorum, vel eorum præscientiam, sed eam præsupponit. Alias rationes à posteriori adducunt in confirmationem suæ sententiæ, desumptas ex libertate arbitrij, & ab efficacia meritorum, quæ non habent nouã difficultatem præter eam, quæ in præcedentibus argumentis tangitur.

VI. Quinta sententia affirmat, electionem Dei efficacem tã ad gratiam, quàm ad gloriam, antecedere in signo rationis merita præuisa, ita videlicet, vt intentio efficax dandi prædestinatis gratiam & gloriam, procedat ex sola gratuita voluntate Dei, nullis præuisis meritis. Hæc sententia communis Thomistarum, & expressa SS. Augustini & Thomæ, atque aliorum Doctorum, vt patebit inferiùs.

VII. Pro resolutione huius difficultatis supponenda sunt omnia, quæ circa scientiam futurorum conditionatorum diximus disput. 7. vbi ostendimus, nullam dari scientiam mediam inter merè naturalem, & mere liberam, quia ante liberum decretum diuinæ voluntatis, non est scibile, quid faceret creata voluntas, si in talibus circunstantiis constitueretur. Supponenda sunt etiam, quæ circa efficaciam decreti diuinæ voluntatis, & auxiliorum gratiæ dicimus disput. 72. & 90. Et, vt veritas, quam ex animo inquirimus, manifestior appareat, notandum est primò, quòd, vt docet S. Thom. 1. p. q 23 ar. 2. 3. & 4. ex sancto Augustino lib. de dono perseu. cap. 14. & nos suprà disput. 35. notauimus, *Prædestinatio est præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicunque liberantur.* Quæ definitio solet tradi sub aliis verbis ab eisdem sanctis Doctoribus, videlicet, *Prædestinatio est præparatio gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro.* Vbi nomine gratiæ, & beneficiorum Dei comprehenditur non solùm gratia iustificans, & opera meritoria, quæ procedunt ex illa, sed etiam omnia dona, & auxilia supernaturalia, quibus homo disponitur, & perducitur ad vitam æternam. Hæc autem præparatio, vt notauit sanctus Thomas 1. par. quæst. 23 artic. 2. ad tertium, est duplex: alia in præparante, videlicet in Deo, quatenus per intellectum, & voluntatem præconcipit, & disponit rationem eorum, quæ facienda sunt in tempore, vt per eam electi perducantur ad vitam æternam: & talis præparatio est formaliter prædestinatio. Alia est præparatio, quæ reperitur in homine præparato, qua à Deo disponitur, vt efficaciter consequatur vitam æternam. & huiusmodi præparatio passiue sumpta, dicitur etiam prædestinatio communi vocabulo, accipiendo nomen causæ ad significandum effectum:

Prædestinationis definitio.

Præparatio est duplex, alia in præparãte, alia in præparato.

qui

qui loquendi modus frequens eſt in ſacra Scriptura, vt primæ ad Theſſal. 4. *Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra*; vbi ſanctificatio, quæ reperitur, & recipitur in nobis, dicitur voluntas Dei, quia eſt effectus illius.

Notandum ſecundò, influxum liberi arbitrij, quo prædeſtinatus libere conſentit Deo vocanti, & excitanti, etiamſi conſideretur formaliter, vt emanat à libero arbitrio, eſſe effectum prædeſtinationis, vt diputat. præcedenti oſtenſum eſt, & patebit ampliùs diſputatio. 96 & 97. ac per conſequens non præſupponitur ex parte noſtra ad ipſam prædeſtinationem.

VIII. Notandum tertiò, aliquid poſſe dici prius alio tripliciter. Primò prioritate temporis, ſicut Adam fuit prior Antichriſto. Secundò prioritate naturæ, quando videlicet eſt cauſa alterius: cauſa enim quamuis ſit in eodem inſtanti temporis cum ſuo effectu, eſt tamen prius naturæ, ſicut Sol eſt prius natura, quàm radij eius. Tertiò dicitur aliquid prius altero in ſigno rationis, quando videlicet noſtro modo intelligendi concipitur, & intelligitur prius, quàm aliud, licet nec tempore, nec natura præcedat illud. Sicut verbi gratia, ſcientia ſimplicis intelligentiæ, qua Deus cognoſcit res poſſibiles, eſt prius in ſigno rationis, quàm ſcientia viſionis; quia noſtro modo intelligendi priùs concipimus, Deum cognoſcere res poſſibiles, quàm actu exiſtentes, & tamen ſcientia ſimplicis intelligentiæ non eſt in Deo prius tempore, nec prius natura, quàm ſcientia viſionis, quia in Deo nihil poteſt eſſe cauſa alterius. Et idem dicendum proportionabiliter de eſſentia diuina, reſpectu perſonarum, vel proprietatum notionalium, aut etiam relationum. Prius enim in ſigno rationis intelligitur a nobis eſſentia, quàm perſonæ, aut earum proprietates, vel relationes diuinæ.

Prius alio dicitur aliquid tripliciter.

In Deo diuerſa ſigna rationis ſèd diſtinguenda.

Supponendum eſt quartò, quòd quamuis Deus non intelligat, aut velit prius vnum obiectum quàm aliud, ſed vnico & ſimpliciſſimo actu intellectus, & voluntas illius ſimul ab æterno intelligat, & velit quæcumque vult, & intelligit; nihilominùs noſtro modo intelligendi diuerſa inſtantia, & ſigna rationis diſtinguenda ſunt: in quibus ex parte obiecti dicitur prius intelligere, aut velle vnum, quam aliud. In primo ergo ſigno rationis cognoſcit Deus per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ omnes creaturas poſſibiles, in ſecundo verò ſigno ex omnibus creaturis poſſibilibus decreuit pro ſua mera, & gratuita voluntate ad oſtenſionem ſuæ bonitatis, creare, ſeu producere ordinem huius vniuerſi, cum omnibus creaturis, tam corporalibus, quam ſpiritualibus, quæ ad illum pertinent; & inter illas primos parentes cum gratia, & iuſtitia originali: quæ quidem gratia ſecundum quòd pertinebat ad ſtatum innocentiæ, non fuit effectus prædeſtinationis Adæ, neque illi collata ex meritis Chriſti Domini, vt diſput. 40. manifeſtum fiet: quia non fuit gratia hominis infirmi, aut redempti, ſed fuit effectus prouidentiæ ſupernaturalis Dei. In tertio ſigno decreuit permittere peccatum primi parentis propter maius bonum, videlicet, vt in remedium illius Verbum diuinum aſſumeret carnem humanam. In quarto ſigno voluit Verbi incarnationem in remedium peccati, & prædeſtinauit Chriſtum Dominum, ſecundùm quòd homo, tanquam omnium prædeſtinatorum caput, & exemplar Sanctorum. In quinto ſigno dilexit, elegit, & prædeſtinauit in Chriſto Domino, & per Chriſtum omnes prædeſtinatos, atque abſoluta, & efficaci voluntate voluit illis bonum vitæ æternæ: reliquos verò reprobauit volens abſoluta, & efficaci voluntate non dare illis hoc bonum, quod eſt vita æterna. In ſexto ſigno decreuit prædeſtinatis conferre auxilia gratiæ efficacia, & bona merita, per quæ reipſa eos perduceret ad vitam æternam; reprobis verò auxilia ſufficientia, per quæ poſſent ſaluari. Auxilia autem efficacia, per quæ re ipſa ſaluarentur, decreuit non dare; ita vt de facto reciperent illa: ſed voluit ad oſtenſionem ſuę iuſtitiæ & ſplendorem miſericordiæ ſuæ in electis peccata reproborum permittere, & perſeuerantiam in illis vſque in finem vitæ, ac demum propter eadem peccata etiam ſtatuit æternam pœnam illis inferre. His ergo ſuppoſitis, ſit

IX. PRima propoſitio. Prædeſtinatio, formaliter loquendo, in ratione prędeſtinationis non dependet, etiam tanquam à conditione ſine qua non, ex bono vſu liberi arbitrij prægnato à Deo, neque præſupponit in ſigno rationis præſcientiam illius. Et quidem, ſi loquamur de bono vſu procedente ex ſola facultate naturę, concluſio admittitur ab auctoribus primæ, & ſecundæ ſententiæ, quamuis nonnulli aſſerant, quòd aliqui actus liberi arbitrij ex ſola facultate naturæ præcedant, regulariter loquendo, primam gratiam præuenientem, vt ſuprà dictum eſt. Sed tamen ſanctus Auguſtinus, vt diſputatione 56. adnotabimus, ſæpiſſime oſtendit contra Semipelagianos, quòd gratia Dei, ſeu auxilium ipſius, à quo ſumitur primum noſtræ ſalutis exordium, debet antecedere, ita vt nihil ſupponatur ex principiis naturæ, quo poſito, detur infallibiliter auxilium gratiæ.

Prædeſtinatio in ratione prædeſtinationis nõ ſupponit præſcientiam boni vſus futuri liberi arbitrij.

Nihilominùs probatur. vniuerſaliter concluſio, etiam vt extenditur ad bonum vſum procedentem ex auxilio gratiæ. Primum argumentum deſumitur ex auctoritate Apoſtoli ad Roman. 9. *Cum nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali, vt ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt, quia maior ſeruiet minori, ſicut ſcriptum eſt: Iacob dilexi, Eſau autem odio habui.* Quibus verbis, vt patet ex toto contextu literæ, intendit excludere omnem cauſam prædeſtinationis, ſe tenentem ex parte noſtra, & omnem rationem & conditionem, ſine qua non, & reducere beneficium prædeſtinationis in meram, & gratuitam Dei voluntatem. Vnde ſanctus Auguſtinus quæſt. 2. ad Simplicianum, expendens prælegata verba Apoſtoli, notat primò, Apoſtolum conſultò dixiſſe. Iſaac ex vno concubitu vtrumque filium genuiſſe, Iacob, & Eſau, vt ſcilicet tolleretur ſuſpicio refundendi prædeſtinationem vnius ad merita parentum, quæ habuerunt, quando genuerunt illum, vt ſic eſſent in gratia in cõceptu vnius, & in peccato in conceptu alterius; & etiam, vt auferret ab Aſtrologis occaſionem referendi tam diuerſas ſortes ad varium aſtrorum aſpectum, in quo ipſi nati eſſent. Notat ſecundò, conſultò dixiſſe, cùm nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali, ne quis referret prædeſtinationem, vel reprobationem eorum ad merita propria, vel demerita præcedentia. Tertiò, aduertit propterea addidiſſe, *non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt*. &c. vt ſcilicet oſtenderet, prædeſtinationem vnius, & reprobationem alterius non eſſe referendam in diuerſitatem operum ſubſequentium ſeu ad merita propria, vel demerita præuiſa, ſed ſolùm ad diuinam voluntatem, cùm dicitur: *Miſerebor, cuius miſereor, & miſericordiam præſtabo, cui miſeebor.* Et iterum ait: *Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* Et rurſus: *Ergo, cuius vult miſeretur, & quem vult indurat.* & iterum: *O homo, tu qui es, qui reſpondeas Deo, numquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit; quare me feciſti ſic?* quæ verba ſæpius repetit, & inculcat S. Aug. vt contra Pelagianos, & Semipelagianos, oſtendat

dat prædestinationem non fuisse factam ex meritis A
præuisis, etiam in gratia fundatis, sed ex Dei mera
voluntate,& gratia.

X. Respondent aliqui, ex hoc loco Apostoli solùm concludi prædestinationem non fuisse factam ex meritis præuisis, neque secundùm merita præuisa, etiam fundata in gratia, sed ex sola & libera Dei voluntate:non tamen intendit docere Apostolus, aut probare, quod prædestinatio fuerit facta sine præscientia meritorum procedentium ex gratia vel ante huiusmodi præscientiam, per quam Deus cognouit merita futura ex hypothesi,quòd liberum arbitrium constitueretur in talibus circumstantiis,& & cum talibus auxiliis.

Sed contra hanc solutionem vrget argumentum: nam Apostolus intendit excludere quidquid se te- B
net ex parte nostra, ne liberum arbitrium in seipso glorietur,& non in Deo,& sic aliquid sibi arroget, quod non acceperit: sentit ergo, nihil præsupponi ex parte nostra, quod sit etiam conditio, sine qua Deus non prædeterminasset suos electos. Præterea: nam aliàs omnia argumenta, quæ proponit Apostolus in eodem cap. possent facilè solui, & non oportuisset recurrere ad altitudinem diuitiarum sapientię & scientiæ Dei,neque ad profunditatem, & incomprehensibilitatem iudiciorum eius. Posset enim responderi,quod iam Deus præsciebat ante decretum suæ voluntatis prędestinantis,vel reprobantis,quidnam illi acturi essent pro innata libertate cum auxiliis gratiæ sibi datis,vel conferendis; & quid acturi non essent alij: &ita isti manserunt prædestinati cum C
istis auxiliis, quia præuisi sunt, quòd bene erant vsuri suo arbitrio,alij verò cum eisdem auxiliis manserunt reprobi, propterea quòd non erant bene vsuri suo arbitrio: & tamen Apostolus non recurrit ad hanc solutionem, sed ad meram,& gratuitam Dei voluntatem,& ad iudicia eius inscrutabilia.

Prędestinationis causam nô dari, qualiter à quibusdã explicetur.

Nec valet solutio quorundam Theologorum asserentium,quòd propterea Apostolus recurrit ad solam Dei voluntatem, & inscrutabilia iudicia eius, quia ex sola sua grauita voluntate voluit constituere prædestinatos in tali ordine rerum, & in talibus circumstantiis,in quibus præsciebat,ipsos bene vsuros auxiliis gratiæ,cùm tamen potuisset constituere in aliis circumstantiis, in quibus præsciebat, quòd D
essent malè vsuri eisdem auxiliis ex hypothesi,quòd in eisdem circumstantiis constituerentur.Reprobos etiam decreuit pro sua mera voluntate constituere in tali ordine rerum, & in talibus circumstantiis,in quibus præsciebat ipsos, pro sua innata libertate, malè vsuros suo arbitrio. cùm tamen potuisset eosdem constituere in aliis circumstantiis in quibus præsciebat,ipsos ita bene vsuros suo arbitrio,vt cum diuino auxilio salutem consequerentur æternam ex hypothesi,quòd in illis circumstantiis constituerentur. Neque quantùm ad hoc, præsupponitur aliqua conditio,sine qua non, ex parte nostrarnã de multis hominibus præsciuit Deus,quòd si crearentur in talibus circumstantiis,bene vterentur gratia excitante,& saluarentur:quos tamen nec creare statuit, nec E
in eisdem circumstantiis constituit. Hæc, inquam, solutio non valet:nam cùm Pelagius concesserit expresè liberum arbitrium gratis omnino à Deo creari absque vllis meritis,etiam ex hypothesi futuris,à fortiori Massilienses vel concesserunt, vel facillimè concessissent, assignari non posse ex parte boni vsus liberi arbitrij futuri ex hypothesi,rationem,propter quam ex infinitis hominibus possibilibus, qui (vt ipsi asserebant) bene vsi fuissent suo arbitrio,si crearentur à Deo in talibus circumstantiis, hos in particulari,vel illos statuerit creare,& in eisdem circumstantiis constituere, in quibus salui fierent, sed totum id referrent ad meram,& gratuitam Dei voluntatem. Nec est credibile oppositum,aliàs enim cogerentur fateri omnes homines, & Angelos possibiles qui bene vti fuissent suo arbitrio ex hypothesi,quòd tali gratia in talibus circumstantiis excitarentur, & mouerentur, esse reuerà à Deo absoluta, & efficaci voluntate prædestinatos: nam illa ratio æqualiter procedit de omnibus hominibus, & Angelis possibilibus, hoc autem illis in mentem venire non potuit: ergo cùm sanctus Augustinus ex locis Scripturæ vrget Pelagianos, & horum reliquias, quòd non detur ex parte boni vsus liberi arbitrij,præuisi à Deo,causa prædestinationis, non solùm contendit, quòd non detur causa, propter quam Deus statuerit creare hominem, & constituere in illis circumstantiis,in quibus præsciebat,illum ita bene vsurum suo arbitrio,vt salutem consequeretur æternam, sed etiã intendit quòd non detur ratio,vel conditio ex parte boni vsus liberi arbitrij futuri à qua dependeat, quòd ratio ordinis mediorum in finem præexistens in mente diuina sortiatur rationem formalem prædestinationis, vel solum retineat rationẽ communẽ prouidentiæ supernaturalis. Secundò idipsum ostẽditur:nam aliàs, tanquã ad primam radicem esset recurrendum ad solam præscientiam, & non ad gratuitam Dei voluntatem, vt constituamus differentiam inter prædestinatos,& non prædestinatos: & consequenter vltima differentia, quæ reperitur inter illos,esset referenda in naturalem libertatem, ex qua solùm procedit iuxta sententiam aduersam,quòd vnus adhibeat suum liberum influxum, consentiendo auxiliis excitantis gratiæ. Probatur manifestè: nam iuxta oppositam sententiam ille influxus, vt procedit à libero arbitrio, non est effectus gratiæ, neque prædestinationis, vt ex dictis in præcedenti disputatione constat: sed per illum influxum distinguitur prædestinatus à non prædestinato: ergo per aliquid,quod habet ex innata libertate, & non accepit ex gratia, distinguitur prædestinatus à non prædestinato. Tertiò, quia non solum est referẽdum in gratuitam Dei voluntatem, quòd constituerit electos in illis circumstantiis, in quibus præsciebat illos bene vsuros suo arbitrio, consentiendo auxiliis gratiæ præuenientis, sed etiam est referendum in candem voluntatem,quòd velint consentire,& consentiant Deo vocanti. Vnde S. Prosp.libro 1.de vocat. Gent. capite 25. ait: *Illa quæstio, quam secundum mentem Apostoli impenetrabilem confitemur, per liberi arbitrij velle, & nolle, non soluitur, quia licet insit homini bonum nolle,tamen nisi donatum,non haberet bonum velle.*

XI. Hanc rationem confirmat S. Thom. quæstione 6. de verit.articulo 3.in corp. vbi ait: *Non potest dici, quòd Prædestinatio supra certitudinem prouidentiæ,nihil aliud addat, nisi certitudinem præscientiæ: vt si dicatur quòd Deus ordinat prædestinatum ad salutem, sicut & quemlibet alium, sed cùm hoc de prædestinato scit, quòd non deficiet à salute. Sic enim dicendo, non diceretur prædestinatus differre à non prædestinato ex parte ordinis, sed tantùm ex parte præscientia euentus. & sic præscientia esset causa prædestinationis,nec prædestinatio esset per electionem prædestinantis, quod est contra auctoritatem Scripturæ,& dicta Sanctorum.* Vbi clarissimè S. Tho. excludit sententiam, quam impugnamus, & asserit, differentiam inter prędestinatos,& non prædestinatos non esse desumendam ex præscientia boni vsus liberi arbitrij consentientis Deo vocanti, sed ex electione prædestinantis. Vnde sanctus Augustinus tomo 3. libro de spiritu, & litera, capite 34. post multa, quæ docet in confirmationem huius doctrinæ,sic concludit: *Iam si ad illam profunditatem scrutandam quisquam nos arctet, cur illi ita suadeatur,*

Prędestinatio est ita certitudine ordinis, & causalitatis mediorum.

vt

vt persuadeatur, alteri autem non ita; duo sola occurrunt interim, quæ respondere mihi placeat. O altitudo diuitiarum, & nunquid iniquitas apud Deum? Cui autem responsio ista displicet, quærat sapientiorem, sed caueat, ne inueniat præsumptiores.

XIII. Quidam respondebant ad loca inducta ex ca. 9. ad Rom. Apostolum difficultati succubuisse, neque inuenisse, quid posset respondere quæstioni, & argumento proposito. Sed hanc solutionem reprobat etiam sanctus Augustinus tom. 4. lib. 83. qq. quæstione 68. in hæc verba: *Cum videatur Apostolus corripuisse curiosum, dicendo: O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? de hoc ipso illi quæstionem mouent, & in ea sententia non desinunt esse curiosi, qua obiurgata est ipsa curiositas, & impia quidem contumelia, vt aiunt, Apostolum in soluenda quæstione defecisse, & obiurgasse quærentes, quia non poterat quod quærebatur, exponere.* Et post pauca: *Quidam autem bona, & pia mente Scripturas legentes quærunt, quid possit hic vel male dicentibus, vel calumniantibus respondere. Sed nos auctoritati Apostolicæ salubriter inhærentes, sentiamus quod verum est, indignos, & infirmos nos esse ad intelligenda diuina secreta, quibus ista claudantur, & eis murmurantibus, & indignantibus, quod consilia Dei non discunt, cum dicere cœperint: Ergo cuius vult, miseretur, & quem vult, indurat: quid adhuc quæritur? Respondeamus fidentissime: ô homo, tu quis es, qui respondeas Deo?*

Apostolus in soluēda quæstione prædestinationis non defecit, vt quidam dixerunt.

XIV. Secundò probatur nostra conclusio ex illo ad Rom. 11. *Reliquiæ secundum electionem gratiæ saluæ factæ sunt.* Et ad Ephes. 1. *Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum secundum propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ.* Et post pauca: *In quo nos sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum eius.* Vbi notandum, quòd prædestinatio dicitur *sors*, quia non ex meritis etiam præuisis contingit electis, sed ex gratuita Dei voluntate, quam explicant illa verba, *secundum propositum voluntatis eius*, & ad Roman 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his, qui secundum propositum vocati sunt sancti.* Non aut, secundùm præscientiam boni vsus liberi arbitrij, non secundùm merita præuisa, sed *secundùm propositum voluntatis eius.* Nec est admittenda quorumdam modernorum explicatio, asserentium, Apostolum loqui de proposito hominis, ita vt sensus sit, quòd prædestinati sint secundum propositum voluntatis, seu liberi arbitrij nostri, consentientis Deo vocanti. Hanc enim explicationem reprobat expresse sanctus Augustinus libro secundo cont. duas epistolas Pelag. capite 9. & libro de corrept. & grat. capite 7. vbi ait, *Electi sunt autem, quia secundum propositum vocati sunt. Propositum non suum, sed Dei; de quo alibi dicit: Vt secundum electionem propositum Dei maneret, &: Non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia maior seruiet minori.* Est ad idem alius locus qui habetur Matth. 10. *Confiteor tibi Pater, Domine cœli, & terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea parvulis. Ita Pater, quia sic placitum fuit ante te.* Vbi ad merum beneplacitum diuinæ voluntatis electorum prædestinationem referendam esse docet. Vnde quidam graues auctores ex his, qui nostra ætate contra hæreticos scripserunt, affirmant, nullam rationem assignari posse nostræ prædestinationis, neque conditionem sine qua non; neque merita propriè dicta, nec etiam proprium vsum liberi arbitrij, aut gratiæ, aut vtriusque simul à Deo præuisum, etiamsi non dicatur esse meritum, nisi de congruo: & etiamsi non dicatur vera causa, sed tantùm conditio, sine qua non prædestinaretur is, qui prædestinatur. Vnde sanctus Augustinus in libro de bon. perseu. cap. 18. dicit: *Hoc vnum scio, neminem contra istam prædestinationem quam secundum Scrip. nrã sanctã defendimus, nisi errãdo disputare posse.*

Prædestinatio sors dicitur.

Prædestinatio secùdũ propositũ, de proposito Dei, non hominis intelligenda est. Rom. 9.

Augustini sententia de prædestinatione est certa.

A Tertiò probatur auctoritate S. Thomæ in 1. part. quæstione 23. articulo 5. & tertio cont. Gent. cap. 163. & quæstione 6. de veritate articulo secundo, & super capite 15. Ioann. lect. 5. & ad Rom. 9. lect. 2. & ad Ephes. 1. lect. 1. In quibus locis affirmat, præscientiam meritorum non esse causam prædestinationis, quantum ad integrum illius effectum. Et intendit etiam sanctus Thomas excludere conditionem, sine qua non, vt ex contextu ipso euidenter constat.

XV. Voluntas Dei constat bonitate in rebus, non ita ea præsupponit. 2. Corin. 5.

B Quarto probatur ratione desumpta ex eodem sancto Thoma prima parte quæstione 23. articulo quinto ad 3. Ad cuius euidentiam supponendum est, id quod in corp. eiusdem articuli & quæstione 20. articulo 2. docuit, videlicet hanc esse differentiam inter Dei voluntatem, & nostram, quòd voluntas Dei non præsupponit bonitatem in rebus, quas diligit, & eligit: sed diligendo, & eligendo illas, causat in eis bonitatem, & conuenientiam ad finem, in quem per diuinam prouidentiam ordinantur. Vnde Apostolus inquit: *Idoneos nos fecit ministros noui Testamenti.* vbi primò posuit idoneos, quàm ministros: nam priùs Deus confert idoneitatem hominibus ad aliquod ministerium, quàm ipsum ministerium: & eligendo facit ministros idòneos. Cæterum voluntas creata præsupponit in obiecto, quod diligit, veram, aut apparentem bonitatem causatam ab alio. Hoc supposito, sic arguitur. Nulla potest assignari causa, vel ratio, aut conditio, sine qua non, ex parte creaturæ, à qua sit dependens, quod ex omnibus Angelis possibilibus Deus potius creauerit istos, C quam illos; nec etiam potest assignari ratio ex parte elemẽtorum, à qua dependeat, quod hæc pars aquæ, vel aëris in prima conditione producta fuerit à Deo potius in hoc, quàm in illo loco: sed id solum refunditur in meram Dei voluntatem: ergo à fortiori nulla poterit assignari ratio, vel conditio, sine qua non ex parte nostra, a qua sit dependens, quod ratio ordinis mediorum in finẽ comparatione huius hominis sortiatur rationem prædestinationis. Probatur consequentia. Sicut voluntas Dei fuit causa creaturarum, quantùm ad earum esse naturale, ita etiam gratuita voluntas, & dilectio Dei est vera causa, & prima radix prædestinationis, & omnium bonorum spiritualium, quæ confert creaturis intellectualibus in ordine ad æternam salutem.

D Quintò probatur. Vt ostensum est disputatione præcedenti, bonus vsus liberi arbitrij, quo quis consentit Deo vocanti, & excitanti, etiam, vt emanat à libero arbitrio, est in prædestinatis effectus prædestinationis: ergo non præsupponitur ex parte nostra ad ipsam prædestinationem, etiam tanquam conditio, sine qua non. Patet consequentia: nam effectus non potest præsupponi ad suam causam, nec prærequiri etiam, vt conditio, sine qua non, ad causalitatem illius.

Sextò probatur. Ante prædestinationem non præintelligitur bonus vsus liberi arbitrij creati, præcognitus à Deo per scientiam visionis: nam talis scientia in signo rationis sequitur decretum diuinæ voluntatis, & prædestinationem illius. Ideo namque E Deus præuidit talem bonum vsum, quia prædestinauit illum, vt expresse docet sanctus Augustinus locis disputatione 7. numero 18. allegatis: neque etiam talis bonus vsus præsupponitur præcognitus per scientiam conditionatam, qua asseritur, Deum ante actuale decretum suæ voluntatis etiam conditionatum ex parte obiecti voliti, certò, & infallibiliter cognoscere, quid esset factura creata voluntas in particulari ex hypothesi, quòd constituerent à Deo in tali ordine rerum: hoc enim obiectum non est scibile etiam à Deo antecedenter ad decretum actuale voluntatis eius, vt eadem 7. disputatione ex-

profeſſo oſtendimus: ergo, &c.

XVI. Prescientia meritorum non eſt ſimul in eodem ſigno rationis cũ prædeſtinatione.

Secunda concluſio. Præſcientia meritorum non eſt ſimul in eodem ſigno rationis cum prædeſtinatione. Concluſio eſt contra tertiam ſententiam; eſt tamen communis Thomiſtarum, & de mente SS. Auguſtini, & Thomæ: nam ſanctus Auguſtinus ex eo docet, Deum certò ſcire futuram hominis ſalutem, quia prædeſtinauit illam: ſentit ergo, prædeſtinationem antecedere in ſigno rationis præſcientiam futuræ ſalutis, vel cooperationis liberi arbitrij. Antecedens probatur: nam cap. 10. de prædeſtinatione Sanctorum, inquit: *Prædeſtinatione quippe ea præſciuit, quæ fuerat ipſe facturus, vnde dictum eſt: Fecit, quæ futura ſunt.* Et cap. 17. *Electi ſunt itaque ante mundi conſtitutionem, ea prædeſtinatione, in qua Deus ſua futura facta præſciuit.* Et idem dicit capite 19. & lib. de don. perſeu. cap. 14. 18. 22. & 24.

Secundò: nam ſcientia viſionis ſequitur decretum diuinæ voluntatis: ergo priùs eſt in ſigno rationis idipſum decretum, quàm talis præſcientia; ergo prædeſtinatio non fit ex præuiſo bono vſu liberi arbitrij, præcognitio à Deo in eodem ſigno rationis, in quo intelligitur prædeſtinatio.

Tertiò. Vocatio eſt effectus prædeſtinationis, vt patet ex auctoritate Apoſtoli ad Rom. 8. *Quos autem prædeſtinauit, hos & vocauit, &c.* ergo prædeſtinatio antecedit in ſigno rationis bonum vſum liberi arbitrij, & præſcientiam illius. Patet iſta conſequentia: nam ille bonus vſus eſt poſterior ipſa vocatione; nullus enim vtitur bene ſuo arbitrio, niſi præcedat vocatio Dei mouentis: cùm ergo prædeſtinatio antecedat vocationem, relinquitur, quòd etiam antecedat in ſigno rationis futurum bonum vſum liberi arbitrij, & præſcientiam illius.

XVII. Nõ ſolùm prædeſtinationis ad gratiã, ſed nec prædeſtinationis ad gloriam datur cauſa ex parte noſtra.

Tertia concluſio. Non ſolùm prædeſtinationis ad gratiam, ſeu etiam prædeſtinationis ad gloriam nulla datur cauſa ex parte noſtra, neque conditio ſine qua non; ſed talis prædeſtinatio facta eſt antecedenter in ſigno rationis ad præuiſa merita. Itaque nullis præſuppoſitis meritis præuiſis, habuit Deus intentionem efficacem dandi gloriam omnibus electis. Hæc concluſio, quoad primam partem, ſatis manet probata ex dictis in prima concluſione; ſecunda verò pars eſt contra auctores quartæ ſententiæ, aſſeritur tamen communiter a Thomiſtis. Illam docet Caietanus 1 part quæſt. 23 art. 4. Sot. ſupra ca. 9. ad Rom. Durand. in primo d. 41. quæſtione 1. numero 8. Ægid Rom. eodem loco articulo 2. Scot. eadem diſtinctione, quæſtione 1. §. poteſt aliter. Cord. libro 1. quæſtione 56. opin. 5. Zumel 1. parte quæſtione 13. articulo 5. diſputatione 1. ad primum argumentum.

Probatur primò ex ſacris literis: dicitur enim Actor. 13. *Crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.* vbi non obſcurè inſinuatur, ordinationem electorum in vitam æternam antecedere in ſigno rationis dona gratiæ, ſeu voluntatem dandi illis auxilia efficacia, per quę mereantur vitam æternam. Item etiam Lucæ 12. dicitur: *Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum,* quibus verbis explicatur gratuita voluntas, qua Pater cœleſtis ante præuiſa merita gratiæ, habuit voluntatem, ſeu intentionem efficacem dandi illis gloriam. Confirmatur auctoritate Conc. Valentini, ſub Lothario Imperatore, cap. 3. dicentis: *Fatemur, prædeſtinationem electorum ad vitam, & prædeſtinationem impiorum ad mortem, in electione tamen ſaluandorum, miſericordiam Dei præcedere meritum bonum.*

Probatur ſecundò auctoritate S. Aug. lib. de corrept. & grat. cap. 7. vbi agens de gratuita Dei electione, inquit: *Profectò electi ſunt per electionem, vt dictum eſt gratiæ, non præcedentium meritorum*; & explicans, ad quid fuerint electi, ſubdit: *Electi autem ſunt ad regnandum cum Chriſto.* Et poſt pauca: *Illos,* inquit, *elegit ad obtinendum regnum ſuum.* & cap. 13. *De his,* inquit, *loquor, qui prædeſtinati ſunt in regnum Dei.* & lib. de dono perſeu. cap. 14. inquit: Multis non dari auxilium ad credendum, quia *Dei altiori iudicio, à perditionis maſſa non ſunt gratiæ prædeſtinatione diſcreti.* Vbi clarè ſupponit, quòd dona gratiæ, per quæ electi perueniunt infallibiliter ad vitam æternam, ſeu merentur illam, ſunt effectus prædeſtinationis ad gloriam, ac per conſequens, quòd prædeſtinatio ad gloriam præcedit in ſigno rationis voluntatem dandi merita gratiæ.

Idem docet S. Thom. 1. p. quæſt. 23. artic. 4. in cãp. Ait enim, *quòd prædeſtinatio aliquorum in ſalutem æternam præſupponit ſecundum rationem, quòd Deus illorum velit ſalutem, ad quod pertinet electio, & dilectio:* vbi loquitur aperte de volitione efficaci, qua Deus vult electis ſalutem æternam. Et nomine ſalutis æternæ non intelligit S. Thom. ſolam gratiam iuſtificantem, aut perſeuerantiam in gratia, ſeu voluntatem dandi congrua auxilia, vt interpretantur auctores oppoſitæ ſententiæ, ſed æternam gloriam, quia loquitur expreſsè de voluntate finis, quam ſupponit prudentia, vt præceptiua mediorum. Et artic. 3. ad 1. inquit, quòd *inquantum* (Deus) *quibuſdam non vult hoc bonum, quod eſt vita æterna, dicitur eos habere odio, vel reprobare.* Sentit ergo, quòd, ſecundùm quòd electis vult vitam æternam, dicitur eos eligere; electio autem ſecundum S. Thomam, eſt ex gratuita Dei voluntate ante præuiſa merita: ergo iuxta ſententiam illius, prædeſtinatio ad gloriam, cùm ſequatur electionem, eſt ante præuiſa merita.

Tertiò probatur ratione: nam communiter ſancti Patres, imò & Scripturæ ſacræ docent abſolutè, prædeſtinatos eſſe electos ante præuiſa merita, vt patet ex locis ſuprà inductis, ſed non dicuntur electi ſimpliciter, & abſolutè, niſi illi dumtaxat, qui electi ſunt ad gloriam, vt patet ex illo Matth. 24. *Propter electos breuiabuntur dies illi*, & 2. ad Tim. 2. *Omnia ſuſtineo propter electos, vt & ipſi ſalutem conſequantur, quæ eſt in Chriſto Ieſu cum gloria cœleſti.* alias enim reprobi, dum ſunt in gratia, dicerentur ſimpliciter electi. ergo electio ad gloriam facta eſt ante præuiſa merita.

Quartò probatur, quia intentio efficax finis prior eſt ordine cauſalitatis, & rationis, ſaltem ex parte obiecti voliti, quàm electio mediorum; cùm media in ratione mediorum non ſint appetibilia, niſi propter finem: ſed voluntas eligendi aliquos ad gloriam eſt intentio efficax finis: nam gloria eſt finis meritorum: ergo voluntas eligendi ad gloriam prior eſt in ſigno rationis in Deo, quàm voluntas dandi merita gratiæ; non ergo poteſt eſſe electio ad gloriam ex meritis gratiæ.

Intentio efficax finis præcedit naturâ electionẽ mediorum.

XVIII. Prædeſtinatio, aut electio ad gloriam, quãtum ad exequutionem, non eſt ſine meritis præcedentibus.

Quarta Concluſio. Electio ad gloriam, quantùm ad exequutionem, quę ſit in tempore, non eſt abſque præcedentibus meritis gratię, ſaltem abſque meritis Chriſti: quod dico propter paruulos baptizatos, qui abſque proprio merito gloriam conſequuntur propter merita Chriſti Domini ſibi applicata per baptiſmum in lege gratię, per circumciſionem in lege ſcripta, aut per aliud remedium in lege naturæ.

Pro intelligentia huius concluſionis ſupponendum eſt, quòd vt docet S. Aug tract. 68. in Ioan. duplex eſt electio: altera per modum intentionis, altera per modum exequutionis temporalis. illa facta eſt ab æterno, hęc autem fit in tempore, vel, vt proprius loquamur, exequutio eius fit in tempore ſecundùm illud Matth 13. *Elegerunt bonos in vaſa ſua.* de hac ſecunda electione ad gloriam aſſerimus, quòd præſupponat merita gratię. Hanc concluſionem dumtaxat intendit docere S. Auguſtinus, cùm ait: *Nemo eligitur niſi*

Electio duplex, ſcilicet per modũ intentionis, & exequutionis. Aug. lib. 1.

Digitized by Google

ad Simpli. qu 2. circa med to. 4.

niſi iam diſtans ab illo qui reiicitur. Vnde quod dictum eſt: Quia elegit nos Deus ante mundi conſtitutionem, non video, quomodo ſit dictum, niſi præſcientia, ſcilicet meritorum. Et loquens de Iacob, inquit: *Non electus eſt, vt fieret bonus, ſed bonus factus eligi potuit.* & ſerm. 7. de verbis Domini, ſecundùm Matth. ait. *Elegit autem Deus (ſicut inquit Apoſtolus) ſecundùm ſuam gratiam, & ſecundùm illorum iuſtitiam.* Vbi duplicem electionem ad gloriam inſinuat, alteram ſecundùm ordinẽ intẽtionis, quam dicit eſſe factam ſecundùm gratiam, alteram in exequutione: & hanc dicit eſſe factam ſecundùm illorum iuſtitiam; quia præſupponit merita gratiæ, quibus ex iuſtitia reſpondet gloria, iuxta illud 2. ad Tim. 4. *De reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ.* Et explicans illud ad Rom. 11. *Reliquiæ, ſecundùm electionem gratiæ, ſalua facte ſunt*, inquit: *Ego eos elegi, quia vidi mentes eorum de me præſumentes, & non de Baal.*

XIX. Sed obiiciunt: nam S. Aug. loco citato ad Simplician. expreſsè loquitur de electione Dei æterna. Nam adducit teſtimonium Apoſtoli ad Epheſ. 1. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem.* & ait, ſecundùm præſcientiam eſſe intelligendum: non ergo loquitur de exequutione electionis, quæ fit in tempore. Reſpondetur, quòd electio Dei æterna poteſt dupliciter conſiderari. Primò, vt eſt intentio dandi gloriam. Secundò, vt eſt diſpoſitio exequutionis, ſeu ipſa exequutio in mente Dei præconcepta: & in hoc ſecundo ſenſu loquitur S. Auguſtinus, non autem in primo. Et in eodem ſenſu explicant multi viri docti locum Ambroſij lib. 7. in Lucam, vbi ait: *Quos præſciuit ſibi deuotos futuros, ipſos elegit ad æterna præmia.* & ſimiliter explicandi ſunt Patres Græci, qui dicunt, electionem fuiſſe factam ſecundùm præſcientiam meritorum, & cum doctrina S. Auguſtini concordandi.

Secundò probatur ex illo Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei: poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi. Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare*, &c. Quibus verbis ſignificatur, bona opera ex charitate facta eſſe cauſam meritoriam cõſequutionis gloriæ, quod etiã expreſsè docet S. T. 1. p. q. 23. a. 5.

XX. AD primum argumentum ex factis à principio pro ſecunda ſententia reſpondetur, quòd, vt docet Caietanus, ſuper auctoritatem inductam S. Paul præſcientia, de qua ibi loquitur Apoſtolus, ſequitur ipſam prædeſtinationem, ſeu decretum diuinæ voluntatis. Ideo enim Deus præſciuit futuram ſalutem electorum, quia prædeſtinauit illam, vt inquit S. Aug. locis allegatis diſp. 7. n. 28. & in hac diſp. n. 16.

Præſcire aliquãdo idẽ eſt, quod prædeſtinare.

Reſpondetur ſecundò, quòd, vt ex locis Scripturæ, & S. Aug. diſput. præcedenti num. 2. adductis conſtat, præſcire in ſacris literis multoties idem ſignificat, quod prædeſtinare, approbare, vel diligere: ſicut neſcire ſignificat idem, quod reprobare. Et per hæc reſpondetur ad loca inducta ex cap. 11. ad Rom. & 1. Pet. 1. Ad aliam auctoritatem ex epiſt. 2. S. Petri reſpondetur, ſolùm concludere, quòd certitudo prædeſtinationis, quantùm ad conſequutionem vltimi effectus, ſcilicet gloriæ, pendeat ex præcedentibus meritis gratiæ, vt in 4. concluſione dictum eſt.

Ad ſecundum reſpondetur, Patres Græcos non fuiſſe contrarios ſententiæ S. Auguſtini, vt idem S. Auguſtinus inſinuat lib. de dono perſeu. c. 14. Intelligendi enim ſunt iuxta ea, quæ diximus in 4. concluſione. Et eodem modo explicanda eſt auctoritas S. Hieronymi & S. Aug. cap. 10. de præd. SS. Vel dicendum, ibi loqui S. Auguſtinum de præſcientia viſionis, vel approbationis, quæ ſequitur decretum diuinæ voluntatis prædeſtinantis, vt dictum eſt.

XXI. Ad auctoritatem S. Thomæ ex 3. p. reſpondetur ex doctrina Caiet. ſuper eundem locum, prædeſtinationem præſupponere præſcientiam futurorum, ſed non omnium. Non enim præſupponit præſcientiam eorum futurorum, quæ per ipſam prædeſtinationem conſtituuntur; ſed potiùs prædeſtinatio præſupponitur in ligno rationis ad horum futurorum præſcientiam. Solùm ergo præſupponit prædeſtinatio eorum futurorum præſcientiam, quæ per ipſam prædeſtinationem non conſtituuntur. Et hoc modo prædeſtinatiò Chriſti præſuppoſuit in ligno rationis in Deo præſcientiam futuri peccati Adæ, in cuius remedium, Verbum caro factum eſt.

Prædeſtinatio præſupponit præſciẽtiã futurorum, quæ per prædeſtinationẽ nõ conſtituũtur.

Ad tertium reſpondetur, quòd ordo exequutionis contrarius eſt ordini intentionis. Primò enim finis intenditur, & tamen vltimò exequutioni mandatur. Vnde quamuis in exequutione, prædeſtinatus adultus non conſequatur gratiam iuſtificantem, & gloriam ſine libero conſenſu arbitrij moti à Deo auxilio ſpeciali; in intentione tamen priùs in ligno rationis voluit Deus gloriam electis, quàm ſtatueret illis conferre media, per quæ illum finem aſſequerentur. Et ad auctoritatem S. Thomæ reſpondetur, ſenſum illius eſſe, quòd, ſicut Deus in tempore *non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit*: ita etiam ab æterno diſpoſuit, ſaluos nos facere ſecundùm ſuam miſericordiam, & non ex præcedentibus meritis, quatenus ſcilicet voluit omnino gratis conferre prædeſtinatis primum prædeſtinationis effectum. Et ſicut in exequutione tribuit electis gloriam propter merita gratiæ; ita etiam ab æterno ſuo decreto hanc exequutionem in mente ſua diſpoſuit, poſtquam abſoluta voluntate voluit illis gloriam, vt finem.

Tit. 3.

XXII. Ad quartum argumentum negatur antecedens; ſi ſermo ſit de omnibus auxiliis præuenientis gratiæ tam ſufficientis, quam efficacis: ſemper enim, vt diſp. 108. manifeſtum fiet, ille, qui conuertitur & ſaluatur, recipit in ſeipſo nouũ auxiliũ gratiæ efficacis, quod non recipit alter, qui in peccato perſiſtit. Hoc autem auxilium efficax eſt maius, & excellentius quibuſcumque auxiliis ſufficientibus. Ad probationem antecedentis reſpondetur, quòd, poſito auxilio efficaci præuenientis gratiæ, neceſſariò cooperatur homo neceſſitate dumtaxat infallibilitatis, & conſequentiæ, quæ non repugnant libertati, non autem neceſſitate abſoluta, vt diſputatione 25. explicatum eſt.

Et per hæc reſpondetur ad quintum argumentum pro tertia ſententia. Dicimus enim, nullum abſurdum ex illis tribus ſequi ex noſtra doctrina. Prædeſtinatio enim, ſeu decretum Dei prædeſtinantis eſt certiſſimum; quantùm ad aſſequutionem effectus, non ſolùm certitudine præſcientiæ, ſed etiam certitudine ordinis, & cauſalitatis mediorum, vt diſput. 41. patebit. Et ſimiliter, quantùm ad aliquos effectus prædeſtinationis, talis exequutio non fit ſine libero conſenſu noſtri arbitrij. Ex hoc autem non ſequitur, quòd tale decretum imponat libero arbitrio neceſſitatem abſolutam cooperandi; ſed ſolùm conditionatam, vt dictum eſt. Et, cùm obiicitur, quòd neceſſitas actus ex aliqua hypotheſi, quæ neque eſt ipſe actus, neque includit in ſe ordinem ad exequutionem illius, ſit neceſſitas ſimpliciter; reſpondetur, quòd decretum diuinum, ex cuius ſuppoſitione eſt neceſſarius conſenſus liberi arbitrij neceſſitate infallibilitatis, dicit ordinem ad exequutionem eiuſdem conſenſus liberi, tanquam ad effectum quem Deus efficit per liberum arbitrium. Vnde præſcientia huius conſenſus futuri non præcedit ipſum decretum, nec eſt ſimul cum illo in ligno rationis, ſed poſterius: nam effectus ſemper intelligitur poſterior ſua cauſa efficiente. Quomodo autem cum neceſſitate infallibilitatis ſtet libertas arbitrij diſp. 22. n. 40. & 41. explicatum eſt.

Prę deſtinãtis decretũ nõ imponit lib. arb. neceſſitatem abſolutam.

Digitized by Google

Ad sextum respondetur, quòd quilibet homo, quamdiu est in via, absolutè loquendo, potest saluari, quamuis non sit prædestinatus: prædestinatio enim non est necessaria, vt quis absolute possit saluari, sed vt infallibiliter saluetur. Videatur S. Tho. 1. p. q. 23. ar. 3. ad 3. vbi idem argumentum proponit, & dissoluit.

XXII. Acceptio personarũ non habet locum in gratuitis.

Ad septimum respondetur, quòd in his, quæ sunt omnino gratuita, non habet locum acceptio personarum, vt patet ex illo Matth. 20. *Nunquid non licet mihi, quod volo facere; an oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Amice, tolle quod tuum est, & vade in pace.* Cùm ergo beatitudo æterna, & gratia nulli puræ creaturæ debeatur, non est acceptio personarum, quòd Deus pro sua gratuita voluntate ante præuisa merita, vnum eligat ad vitam æternam, & alium non eligat, etiamsi quantùm ad naturalia sint omnes æquales.

Ad octauum respondetur, voluntatem consequentem reperiri in Deo antecedenter ad præscientiam meritorum, & demeritorum, vt disp. 34. dictum est.

Ad nonum respondetur, quòd Rex temporalis non potest efficaciter victorem efficere eum, quem diligit, & cui vult coronã tribuere. Vnde non potest absoluta voluntate illi velle coronam propositam prò victoria, nisi eadem victoria præsupposita: Deus autem potest efficaciter victorem efficere, quemcunque voluerit; vnde bene potest absoluta voluntate velle electis coronam gloriæ, per modum intentionis, antequam præuideat eorum victoriam. Vnde in festo B. Vincentij Martyris canit Ecclesia: *Ipse tibi coronã paratã seruat in cœlis, qui te fecit victorẽ in pœnis.*

In officio Ord. Præd.

Ad decimum respondetur, quòd beatitudo æterna secundùm intentionem diuinam, habet ordinem ad prædestinatos adultos ante præuisa merita, quamuis non in exequutione: nam beatitudo in exequutione præsupponit merita, vt dictum est in 4. conclusione.

Ad confirmationem respondetur, quòd intentio efficax finis semper præsupponitur in signo rationis ad electionem mediorum, siue media sint causa physica assequutionis finis, siue causa moralis: medium enim ex sua intrinseca ratione hoc habet, quòd præsupponat bonitatem, seu volitionem finis.

DISPVTATIO XXXVIII.

Vtrùm prædestinatio Paruulorum fuerit dependens ex præscientia boni vsus liberi arbitrij parentum, vel aliorum, per quos ad baptismi gratiam peruenerunt, & eam præsupponat.

I. IN hac difficultate est nobis duplex concertatio; altera cum hæreticis, altera cum Catholicis: hæretici namque Pelagiani negantes, peccatum originale esse in paruulis, & asserentes baptismum non esse necessarium ad remissionem peccati originalis; sed vt consequerentur regnum cœlorum, consequenter dixerunt, paruulos decedentes sine baptismate prædestinari, & reprobari propter bona, vel mala opera, quæ commisissent, si vixissent. Sed hanc sententiam, tanquam erroneam reprobat S. August. lib. de prædest. SS. capite 12. & 13. & lib. de don. perseu. capite 9. & 10. & epist. 107. ad Vitalem; quia nullus iudicatur secundùm ea, quæ fecisset, si vixisset: neque secundùm ea, quæ operatus fuisset, si talis, vel talis occasio illi sese obtulisset; sed secundùm ea, quæ gessit in corpore, hoc est tempore, quo anima vixit in corpore, vt patet ex illo 2. ad Corint. 5. *Omnes stabimus ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque secundum ea, quæ gessit in corpore, siue bonum, siue malum gessit*, inquit, non, *facturus esset.*

Paruuli nõ prædestinãtur, neq; reprobantur propter bona, vel mala opera, quæ fecissent.

Et si obiiciatur: nam paruuli nihil gesserunt in corpore dignum præmio, vel pœna: respondetur cum S. Augustino, quòd vel per se, vel per alios aliquid gesserunt dignum præmio, vel pœna: nam per alios baptizati sunt aliqui, aliqui non sunt baptizati, sed mortui in peccato, quod ex primo parente contraxerunt. Præterea probatur: nam alias adultus, qui discessit in gratia, puniendus esset æterno supplicio propter peccata mortalia, quæ fecisset si diutius vixisset. Similiter, qui in peccato mortali vitam finiuit, esset dignus gloria propter pœnitentiam, quam habuisset, si vita longior fuisset illi concessa, quod tamen asserere ineptissimum est.

Paruuli cõparebũt in iudicio vniuersali. Aug. lib. 6. contra Iulian. cap. 4.

II. Inter Catholicos verò est sententia quorundam Theologorum asserentium, quòd prædestinatio paruulorum, quamuis non fuerit facta propter bonum vsum liberi arbitrij parentum, aut eorum, qui paruulos baptizauerunt, nihilominus tanquam à conditione sine qua ratio prouidendi illis de mediis ad salutem non habuisset rationem prædestinationis; dependens fuit prædestinatio paruulorum ex præscientia, qua Deus præsciuit liberam voluntatem applicantis baptismum, & liberam voluntatem parentum, qui eosdem paruulos genuerunt. Ex quo inferunt, quòd certitudo, quòd paruuli consequantur vitam æternam, non est ex certitudine mediorum, effectúsve prædestinationis, sed ex certitudine diuinæ præscientiæ.

Probant hoc primò. Si paruuli non fuissent à parentibus geniti, aut baptizans non habuisset intentionem baptizandi, & moreretur sine baptismate, non essent prædestinati: ergo, quòd voluntas Dei, qua illis prouidit de mediis ad salutem, sortiatur in particulari rationem prædestinationis, respectu paruulorum, pendens fuit, tanquam à conditione, sine qua non, ex præscientia voluntatis parentum, & legitimæ intentionis baptizantis.

Secundò. Remedium contra peccatum originale prouisum à Deo, potuit non applicari paruulo, etiam prædestinato: nam liberè, & contingenter applicatur illi. Item, potuit mori in vtero matris, & etiam potuit peruenire ad vsum rationis, & multa postmodùm peccata committere, & damnari: ergo prædestinatio illius non erat certa, & infallibilis ex vi mediorũ, effectuumve prædestinationis, sed ex certitudine diuinæ præscientiæ. Quidam autem hanc sententiam moderantur, asserentes, huiusmodi præscientiam non præintelligi ante prædestinationem paruulorum, sed esse simul cum illa in eodem signo rationis, sicut suprà de prædestinatione adultorum dictum est.

III. Prædestinatio Paruulorũ nõ fiunt ex præuisis operibus parentum, &c.

REspondetur tamen iuxta ea, quæ diximus disputatione præcedenti, prædestinationem paruulorum, formaliter loquendo, in ratione prædestinationis non dependere, etiam tanquam à conditione, sine qua non, ex præscientia voluntatis parentum, vel applicantis baptismum, neque pendere ex concursu aliarum causarum naturalium, quæ concurrunt ad generationem, & conseruationem prolis, sed ex mera, & gratuita Dei voluntate, sicut de prædestinatione adultorum superiùs dictum est. Hæc conclusio defenditur ab omnibus Thomistis, estque S. Thom. & S. Augustini lib. de dono perseu. cap. 12. in fin. vbi hanc paruulorum pertractans quæstionem, ait: *Neque enim fato cogitur Deus illis infantibus subuenire, illis autem non subuenire, cùm sit vtriusque causa communis. Aut res humanas in paruulis non diuina prouidentia, sed fortuitis agi casibus, opinabimur, cum rationales*

Locis suprà citatis.

Digitized by Google

rationales vel damnanda, vel liberanda ſint animæ, quãdoquidem nec paſſer cadit in terram ſine voluntate Patris noſtri, qui in cœlis eſt: aut parentum negligentiæ ſic tribuendum eſt, quòd paruulus ſine baptiſmo moritur, vt nihil ibi agant ſuperna iudicia: tanquam ipſi, qui hoc modo malè moriuntur, parentes ſibi negligentes, voluntate propria, de quibus naſcerentur, elegerint. Quid dicam, quòd paruulus aliquando antequam illi per miniſterium baptizantis ſuccurri poſſit, expirat? Plerunque enim feſtinantibus parentibus, & paratis miniſtris, vt baptiſmus paruulo detur, Deo tamen nolente, non datur, qui eum paruulum in hac vita non tenuit, vt daretur.

Et probatur: nam, quòd paruulus conſequatur reipſa remedium contra peccatum originale, & moriatur, antequam perueniat ad vſum rationis, in quo poſſit peccare mortaliter; eſt effectus prædeſtinationis illius: ergo prædeſtinatio paruuli in ratione prædeſtinationis, non dependet ex futura applicatione baptiſmatis, aut ex futura morte immatura, nec præſupponit præſcientiam illius. Patet conſequentia: nam effectus non præſupponitur ad ſuam cauſam. Antecedens probatur: nam media, per quæ prædeſtinatus conſequitur vitam æternam efficaciter, ſunt effectus prędeſtinationis illius, vt patet ex definitione prædeſtinationis ſuperiùs explicata: quod etiam colligitur ex S. Thoma, locis diſput. ſeq. num. 1. allegandis; ſed per remedium applicatum contra peccatum originale, & per immaturam mortem, conſequitur paruulus efficaciter vitam æternam, ergo hæc ſunt prædeſtinationis paruulorum effectus.

Secundò: nam, ſuppoſito, quòd Deus prædeſtinauerit aliquem paruulum; ad prouidentiam illius pertinet, quòd ille naſcatur, & conſeruetur, quouſque poſſit remedium contra originale peccatum illi applicari: ergo, ſtante huiuſmodi ſuppoſitione, impoſſibile eſt in ſenſu compoſito, quòd paruulus ille nõ naſcatur, vel quòd decedat, antequam remedium contra peccatum originale applicetur illi: quamuis, abſolutè loquendo, & in ſenſu diuiſo, eidem poſſit non applicari.

Tertiò: quoniam aliàs concedendum eſſet, ex parte liberi arbitrij creati aliquid dari, à quo dependeat prædeſtinatio paruuli; & ita non eſſet merè gratuita.

Reſpondent prædeſtinationem paruulorum etiam fuiſſe merè gratuitam, quia ex mera Dei voluntate ortum habuit, quòd paruulus prædeſtinatus conſtitueretur in tali ordine rerum, & in talibus circumſtantiis, in quibus Deus præſciebat, per liberam voluntatem parentum eſſe concipiendum, & per cauſas naturales ducendum ad tempus, in quo poſſet illi applicari Sacramentum baptiſmi, & applicaretur de facto. Sed hæc ſolutio iam in præcedenti diſput. n. 10. & 11. impugnata eſt.

IV. AD primum argumentum reſpondetur, ſuppoſita prędeſtinatione paruuli, impoſſibile eſſe, in ſenſu compoſito non applicari illi remedium contra peccatum originale, vel eum non naſci; quamuis, abſolutè loquendo, potuerint parentes illum non generare, & ſimiliter potuerit illi non applicari baptiſmus. Vnde, licèt in ordine ad cauſam proximam fuerit illi baptiſmus contingenter applicatus, ac per conſequens potuerit non applicari; in ordine tamen ad voluntatem diuinam, quæ infallibiliter operatur, quæcunque vult, talis applicatio baptiſmi, & generatio pueri, & mors immatura induit quandam neceſſitatem immutabilitatis, ſeu conſequentiæ, vt diſputatione 25. dictum eſt: & per hæc patet ad ſecundum argumentum.

His ſuppoſitis inquirendum eſt: An, ex parte meritorum Chriſti aſſignari poſſit cauſa prædeſtinationis.

DISPVTATIO XXXIX.

Vtrùm merita Chriſti præuiſa ſint cauſa prædeſtinationis noſtræ, quantùm ad integrum effectum.

I. HANC quæſtionem ſatis diffuſè tractat M. Bañes 1. p. qu. 23. artic. 5. dub. 2. Zumel eodem artic. diſputat. 2. & de illa ſolet etiam diſputari 3. p. quæſtione 19. articulo 4. & quæſtione 24. articulo 4. Aſturicenſis eam luculenter pertractat quæſtione 7. de gratia Chriſti, dub. 3. pag. 974. circa quam eſt

Prima ſententia multorum Theologorum etiam ex Thomiſtis, aſſerentium, quòd gratia vocationis, & fides, & diſpoſitiones ſupernaturales, quæ gratiam iuſtificantem antecedunt, non conferuntur nobis ex meritis Chriſti; ſed ex mera, & gratuita Dei voluntate. Ita tenet Driedo libro de captiuitate, & redemptione generis humani, tract. 4. capite 2. par. 2. memb. 3. Ruar. articulo 6. contra Lutherum, Somnius libro 2. demonſtrationum fidei, tract. 3. capite 19. Eandem ſententiam docuit Capreol. in 3. diſtinct. 18. q. 1. & Ferrar. 4. cont. Gent. capite 55. circa ſolutionem ad ſeptimam rationem, quamuis reſtringat ſuam ſententiam ad diſpoſitiones remotas, & ex conſequenti tenentur iſti auctores concedere, quòd merita Chriſti præuiſa, nõ fuerint cauſa noſtræ prædeſtinationis, quantùm ad integrum effectum illius. Pro qua ſententia

Arguitur primò: Prædeſtinatio noſtra, & gratia eſt ex mera, & gratuita voluntate Dei, vt diſput. 37. dictum eſt: ergo non eſt merces correſpondens meritis Chriſti. Patet conſequentia: nam quod redditur meritis, tanquam merces, debetur ſecundùm iuſtitiam, & non donatur ſecundùm gratiam, iuxta illud ad Rom. 4. *Ei, qui operatur, merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum.* Et ca. 11. *Si autem ex operibus iam gratia non eſt gratia.*

Confirmatur: nam S. Thom. 3. p qu. 19. art. 4. cùm quoddam argumẽtum propoſuiſſet ad probandum, Chriſtum Dominum non meruiſſe gratiam, quæ nobis confertur, reſpondens ad illud in ſolutione ad tertium clariſſimè docet, quòd quamuis Chriſtus Dominus meruerit, quòd detur gratia regeneratis per baptiſmum, tamen *hoc ipſum eſt gratia, quòd homini concedatur regenerari per baptiſmum*: & ex hoc concludit, quod *ſalus hominis eſt ex gratia.* Idem docet quæſt. 29. de verit. articul. 7. ad vltimum. Sentit ergo, quòd applicatio baptiſmi non eſt ex meritis Chriſti, & ita merita Chriſti non erunt cauſa totius effectus prædeſtinationis; applicatio enim baptiſmi in prædeſtinatis eſt effectus prædeſtinationis eorum.

Secundò, Chriſtus non meruit, neque mereri potuit ſuam prædeſtinationem, ſicut non potuit mereri Verbi incarnationem: ergo nec meruit noſtram prædeſtinationem, quantùm ad omnes effectus, & beneficia, quæ Deus prædeſtinauit, & præparauit eis. Patet conſequentia: nam inter hæc beneficia connumeratur prædeſtinatio Chriſti, & incarnatio, quæ fons, & origo eſt omnium beneficiorum, & bonorum ſupernaturalium, quæ Deus ſuis electis præparauit.

Confirmatur: nam prædeſtinatio eſt præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicunq; liberãtur, vt diſp. 35 dictũ eſt: ſed Chriſtus Dominus nõ fuit cauſa meritoria omniũ beneficiorum,

quæ Deus nobis præparauit ; quia non fuit cauſa meritoria ſuæ incarnationis,vt dictum eſt:ergo non eſt cauſa noſtræ prædeſtinationis.

II. Tertiò. Noſtro modo intelligendi, priùs intelliguntur alij homines prædeſtinati,quam intelligatur prædeſtinatus Chriſtus Dominus:ergo prædeſtinatio noſtra non pendet ex meritis Chriſti,prius enim non pendet a poſteriori. Antecedens probatur. Prius in ſigno rationis decreuit Deus ſaluare genus humanum,quàm ſtatuerit mittere Saluatorem. Etenim ſalus hominum fuit finis incarnationis ; intentio autem finis præcedit ordine naturæ volitionem eorum,quæ ordinantur ad finem. Sed illud decretũ ſaluandi homines fuit prædeſtinatio:nam prædeſtinatio eſt præparatio gratiæ in præſenti,& gloriæ in futuro,vt docent S.Auguſt.& S.Thomas locis diſp. 35.allegatis:ergo priùs alij homines fuerunt prædeſtinati,quam Chriſtus Dominus.

Confirmatur.Priùs in ſigno rationis Adam intelligitur gratus , quàm Chriſtus prædeſtinatus : alias gratia,quam habuit Adam in ſtatu innocentiæ,fuiſſet illi collata ex meritis Chriſti,quod eſt falſum,vt patebit diſputatione ſequẽti Sed illa gratia Adæ fuit effectus prædeſtinationis illius:nam per illam conſequutus eſt aliquem gradum gloriæ , ſicut & per opera meritoria,quæ habuit in ſtatu innocentiæ:ergo merita Chriſti non fuerũt cauſa totius effectus prædeſtinationis Adæ,& eadem erit ratio de aliis prædeſtinatis.

Quartò. Si propter aliquam rationem merita Chriſti eſſent cauſa prædeſtinationis noſtræ , quantùm ad integrum effectum illius;maximè , quia ipſe eſt caput omnium hominum,& per conſequens debet in eos influere,tanquam in membra,omnem vitam,& motum ſpiritualem,quem habent,ſed hæc ratio eſt nulla:ergo Minor probatur:nam Chriſtus eſt etiam caput Angelorum,vt docet ſanctus Thom. 3. p.qu.8. art. 4. quod manifeſtè conſtat ex illo ad Coloſſ.2. *Qui eſt caput omnis principatus,& poteſtatis* , & tamen merita Chriſti præuiſa non fuerunt cauſa prædeſtinationis Angelorum,aut omnium effectuũ illius,tum quoniam alias,etiam Adamo non peccante,Verbum fuiſſet incarnatum ad complendam Angelorum prædeſtinationem:tum etiam: nam gratia, per quam ſunt Angeli prædeſtinati,& gloriam conſequuti:non fuit illis collata ex meritis Chriſti,ſicut neque gratia collata primis parentibus in ſtatu innocentiæ fuit ex meritis Chriſti:ergo merita Chriſti non fuerunt cauſa prædeſtinationis noſtræ.

III. Secunda ſententia eſt quorundam Thomiſtarum, qui,quamuis fateantur,merita Chriſti præuiſa fuiſſe cauſam prædeſtinationis noſtræ, quantùm ad integrum effectum illius,negant tamen fuiſſe cauſam meritoriam ipſius actus,ſeu præordinationis prædeſtinantis,quantùm ad terminationem ad tale obiectum. Pro qua ſententia

Arguitur quintò ex ſancto Thoma prima parte, qu.23.articulo octauo,in corp vbi ait,quòd *quantum ad ipſam præordinationem,nullo modo prædeſtinatio iuuatur precibus Sanctorum. Non enim precibus Sanctorum ſit quòd aliquis prædeſtinetur à Deo*,& art. 5. eiuſdem qu.in corp.inquit , quòd *nullus fuit ita inſanæ mentis,qui diceret , merita eſſe cauſam diuinæ prædeſtinationis ex parte actus prædeſtinantis*:ergo.

Sextò:nam propterea nullius merita poſſunt eſſe cauſa ipſius actus prædeſtinantis:quia prædeſtinatio, quantùm ad actum prædeſtinantis eſt æterna,& omne meritum eſt temporale,nullum autem temporale poteſt eſſe cauſa eius,quod eſt æternum:ſed etiam actus prædeſtinantis , quantùm ad terminationem ad tale obiectum ſecundarium eſt æternus:ergo nullius merita,etiam Chriſti Domini , potuerunt eſſe A cauſa prædeſtinationis,quantùm ad actum prædeſtinantis,vt terminatur ad tale obiectum. Pro reſolutione tamen ſit

PRima Concluſio.Merita Chriſti Domini præuiſa,ſunt cauſa omnium auxiliorum,& totius gratiæ,quæ in natura lapſa cõferuntur hominibus Et idẽ dicendu de omnibus diſpoſitionibus tam proximis, quàm remotis , iuſtificantem gratiam antecedentibus : & de augmento gratiæ , & omnibus meritis: omnia enim hæc a Deo nobis conferuntur ex meritis Chriſti. Hæc concluſio eſt de mente S. Thom. 3. p.qu.7 articulo nono,decimo,& vndecimo,& quæſtione octaua,articulo tertio,& expreſsè illam docet quæſtione vigeſimanona de verit.ar.1.præſertim in ſolutione ad octauum,vbi ait , quòd *meritum Chriſti* B *ſufficienter operatur,vt quædam cauſa vniuerſalis ſalutis humanæ,ſed oportet hanc cauſam applicari ſingulis per ſacramenta,& per fidem formatam,quæ per dilectionem operatur,& ideo requiritur aliquid aliud ad ſalutem noſtram præter meritum Chriſti ; cuius tamen meritum Chriſti eſt cauſa.* Sentit ergo , meritum Chriſti eſſe cauſam applicationis ſacramentorum , fidei noſtræ , & omnium meritorum,ac donorum , quæ requiruntur ad ſalutem.

Probatur Concluſio primò ex ſacris literis , & præſertim ex illo ad Ephelios 1. *Qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus in Chriſto Ieſu*,id eſt,ex meritis Chriſti,vt explicat Ambroſ. Et Ioann. 1. *De plenitudine eius omnes nos accepimus.* Et C iterum ait:*Lex per Moyſem data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.* Item Ioan. 15. dicitur: *Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo , niſi manſerit in vite,ita & vos,niſi in me manſeritis.* Ex quo teſtimonio Concil.Trident.ſeſſ. 6. capit. 16. probat, quòd Chriſtus influat virtutem in homines iuſtos, tanquam caput in membra,& ſicut vitis in palmites. Sic enim ait:*Ille ipſe Chriſtus Ieſus , tanquam caput in membra,& tanquam vitis in palmites,in ipſos iuſtificatos ingiter virtutem influit, quæ virtus bona eorum opera ſemper antecedit,& comitatur,& ſubſequitur, & ſine qua nullo pacto Deo grata,& meritoria eſſe poſſent.*

Præterea in Pſalm.67.dicitur ad literam de Chriſto Domino:*Aſcendiſti in altum,cepiſti captiuitatem, accepiſti dona in hominibus.* Quibus verbis ſignifica- D tur,omnia dona gratiæ hominibus collata præmiũ eſſe meritorum Chriſti,quod quidem præmium accepit in ſuis membris.

Probatur ſecundò ratione.Gratia quæ hominibus redemptis cõfertur,dicitur Chriſti,vt patet in Concilio Mileuitan.can.3.& 4.vbi gratiam qua iuſtificamur,appellat gratiam Dei per Ieſum Chriſtum.& in Concilio Tridentino ſeſſ.6.cap.5.dicitur,*Ipſius iuſtificationis exordium in adultis à Deo per Ieſum Chriſtum præueniente gratia ſumendum eſſe*;ſed ea ratione talis gratia dicitur gratia Chriſti , ſeu per Ieſum Chriſtum , quia per ipſius merita nobis confertur : ergo.

Tertiò probatur. Humanitas Chriſti eſt inſtrumentum coniunctum diuinitati,per quod operatur E Deus omnia bona,& dona ſupernaturalia , quæ hominibus redemptis confert:ergo , cùm integer effectus noſtræ prædeſtinationis referatur in voluntatem Dei,tanquam in cauſam , debet etiam referri in humanitatẽ Chriſti Domini,tanquam in inſtrumentum,atque in merita eius præuiſa.

IV. Chriſti merita fuerũt cauſa omniũ donorum , quæ hominibus conferuntur.

Secunda Concluſio. Prædeſtinatio Chriſti eſt cauſa noſtræ prædeſtinationis,quoad integrum effectum illius in triplici genere cauſæ,ſcilicet in genere cauſæ efficientis , inquantùm ipſe eſt mediator noſtræ ſalutis:& in genere cauſæ formalis , inquantùm in filios Dei ad imaginem eius prædeſtinamur: & in genere cauſæ finalis , inquantùm noſtra ſalus

V. Chriſti prædeſtinatio fuit cauſa prædeſtinationis noſtræ quoad omnes eius effectus.

Digitized by Google

in eius gloriam redundat. Conclusio est expressa Sanct. Thoan 3. dist. 10. q. 2. quæstiunc. 3. quam probat ex illo ad Ephes. 1. *Prædestinauit nos in adoptionem filiorum suorum per Iesum Christum*, sed dictio, *per*, denotat causam efficientem, vt 1. p. quæst. 36. art 3. in c. dicit S. Thom. sicut quando dicitur, Patrem operari omnia per filium, iuxta illud Ioan. 1. *Omnia per ipsum facta sunt*: ergo prædestinatio Christi est causa efficiens prædestinationis nostræ, quoad integrum effectum illius. Quòd autem sit causa exemplaris, quæ dicitur causa formalis extrinseca, probatur ex illo ad Romanos 8. *Quos prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui*. sed imago est exemplaris causa, quæ reducitur ad formam: ergo, Quòd verò sit causa finalis, probatur, quia nostra prædestinatio ordinatur, tanquam in finem ad perfectionem corporis Christi mystici, iuxta illud ad Ephesios 4. *Alios autem Pastores, & Doctores ad consummationem Sanctorũ in opus ministerij in ædificationem corporis Christi.* Et primæ Corinthiorum tertio: *Omnia enim vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive mundus, sive vita, sive mors, sive præsentia sive futura; omnia enim vestra sunt: vos autem Christi; Christus autem Dei.* Quasi diceret Omnia inferiora homini, ordinantur ad illum, tanquam ad finem, propter quem sunt creata: homines autem ordinantur ad gloriam Christi, humanitas autem Christi ordinatur, tanquam ad finem vltimum, ad gloriam Dei, iuxta illud:

Prou 16. *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus.*

Probatur præterea ratione S Thom. tertia parte, quæstione vigesimaquarta, artic. 4. Deus ab æterno prædestinauit ita electorum salutem, vt etiam prædestinauerit, quòd compleretur per Christum: in b prædestinatione enim æterna non solùm cadit id, quod est faciendum in tempore, sed etiam modus, & ordo, secundum quem est complendum: ergo prædestinatio Christi est causa finalis nostræ prædestinationis, eam complens, & perficiens.

VI. Christus meruit, quòd actus Dei prædestinantis ad tales personas terminaretur.

Tertia Conclusio. Christus meruit nobis prædestinationem & efficacem electionem ad gloriam, non quidem quantùm ad absolutum ipsius actus prædestinantis, sed quantum ad respectivum, quod connotat, seu quantum ad terminationem ad aliquas personas, & ad tale, vel tale obiectum secundarium. itaque ipsamet voluntas efficax Dei, qua prædestinatos ordinauit ad vitam æternam, habuit fundamentum aliquod in meritis Christi præuijs, & propter eadem merita talis dilectio, & prædestinatio libera terminata est ad tale obiectum secundarium, vt in conclusione sequenti explicabimus. Hæc conclusio sic intellecta est contra aliquos discipulos S. Thomæ, asserituri tamẽ ab alus i hominibus, & videtur expressa

1 Pet 1. sententia S. Thomæ super illud Apostoli: *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* Inquit enim ita: *Benedixit nos, non nostris meritis, sed ex gratia Christi, sicut elegit nos, & gratis a massa perditionis separãto. præordinauit nos in ipso, id est, per Christum* vbi illa præpositio, *per* causam denotat meritoriam eiusdem electionis. Et eadem videtur sententia S. Aug. lib. de prædest. Sanct c. 18. quã inter alios Thomistas defendit Asturicẽsis in select. cit de gratia Christi, pag 98 .. & seq.

Probatur auctoritate Apost. ad Ephes. 1. *Qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo*: sed potissima benedictio spiritualis, ex quo aliæ benedictiones emanant, est æterna Dei electio, & prædestinatio: ergo hæc est ex meritis Christi à Deo præuisis.

Confirmatur auctoritate sancti Chrysostomi homilia 1. super eandem epistolam, vbi ait: *Per quem nos benedixit, per eundem nos elegit.*

Probatur secundò. Christi merita fuerunt à Deo præuisa, antequam alios homines prædestinaret. ergo fuerunt causa nostræ prædestinationis. Antecedens probatur: nam Christus fuit primus prædestinatorũ: ergo prædestinatio illius, & meritã præcellerunt in signo rationis in mente diuina prædestinationem aliorum, qui per Christũ redempti sunt. Consequentia probatur: nã merita Christi non alia ratione præuisa sunt a Deo ante prædestinationem nostram, nisi vt causa illius meritoria, finalis, & exemplaris.

Probatur tertiò. Deus redemptos per Christum prædestinare potuit propter merita eius præuisa. etenim ex parte obiecti voliti assignari potest causa, vel ratio diuinæ voluntatis, vt omnes Thomistæ docent cum sancto Thoma prima parte, quæstione decimanona, articulo quinto, sed ad dignitatem, & excellentiam Christi Domini, & meritorum illius pertinet, quòd ita fuerint prædestinati: ergo.

Maior difficultas est: Vtrum electio cõparatiua, & efficax huius in particulari præ alio, fuerit facta ex meritis Christi. Aliqui enim Thomistæ, qui defẽdũt nostram tertiam conclusionem intellectam de electione absoluta, eam negant de electione comparatiua. Sit nihilominus

VII. Christus meruit electionẽ comparatiuam prædestinatorũ formaliter sumptam, non autem materialiter.

Quarta Conclusio: Christus Dominus meruit electionem comparatiuam prædestinatorum formaliter sumptam. Pro cuius explicatione, notandum est, Christum Dominum non meruisse, quòd aliqui in particulari, vel in communi non diligerentur, aut non eligerentur à Deo: neque hoc asserimus in nostra conclusione, sed dicimus meruisse, quòd, cùm omnes homines possint à seipsis a fine supernaturali, suppositâ diuina permissione, deficere; aliqui tamen in particulari designarentur à Deo, in quibus ipsa Christi merita suum consequerentur effectum. Designationem autem materialem eligendorum Christus Dominus reliquit Patri; sicut si aliquis offerret sua bona Reipublicæ in pauperes distribuenda, & relinqueret eiusdem Reipublicæ dispositioni, & electioni determinationem materialem illorum paupertum. Hanc conclusionem sic explicatam docet Asturicensis, vbi suprà, conclusione 3. & probatur rationibus factis pro præcedentibus. Nam in Scriptura habetur, quòd per Christum Dominum, & in ipso electi, sunt a Deo præordinati ad vitã æternam, vt patet ex verbis Apost. inductis: sed electio, formalissimè loquendo, importat assumptionem vnius, relicto alio: est enim electio inter plures. ergo Christus Dominus meruit electionem comparatiuam prædestinatorum formaliter sumptam.

Probatur secundo. Christus Dominus obtulit sua merita, vt in aliquibus efficaciter sortirentur effectum; vnde & Redemptor dicitur omnium, quãtum ad sufficientiam, & aliquorum, quantum ad efficaciam, vt disp. 81 patebit: ergo, quod ex multis aliqui eligerentur ad gloriam, fuit ex præuisis meritis Christi: ergo meruit electionem comparatiuam.

Confirmatur. In Scriptura sacra promissa est in præmium passionis, & mortis Christi Domini, multitudo magna filiorum, in quibus eadem merita sortirentur effectum: dicitur enim Isa. 53. *Si posueris pro peccato animam suam, videbit semen longæuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur*: id est, per merita, & opera illius suam Deus adimplebit voluntatem in electione prædestinatorum. & iterum ait: *Generationem eius quis enarrabit? quoniam abscissus est de terra viuentium*: ac si apertiùs diceret: Innumerabilis erit multitudo filiorum, quos per passionem suam, & mortem acquiret, vt in commentariis nostris super eundem locum notauimus ergo.

VIII. Sed contra hanc conclusionem arguunt auctores oppositæ sententiæ. Huius electionis comparatiuæ vnius præ alio nullum habere potest fundamentum in meritis Christi, nam aliàs ista causalis esset concedenda;

denda : Quia Christus Dominus voluit efficaciter applicare sua merita Petro in particulari, ideo Petrus est electus a Deo, & prædestinatus : & idem de aliis. Hoc autem est magnum inconueniens : nam aliàs totum negotium prædestinationis, & electionis hominum, primo, & radicaliter reducendum esset in humanam Christi voluntatem, & non in diuinam electionem.

Arguunt secundò : nam alias Christus meruisset, quòd aliqui non eligerentur à Deo. Probatur : nam mereri electionem comparatiuam est mereri, quòd vnus eligatur, alius relinquatur, & deseratur.

Ad primum respondetur ex doctrina tradita, quòd electio huius in particulari, materialiter loquendo, secundùm quòd est huius, non fuit ex meritis Christi, sed ex mera, & gratuita Dei voluntate. Quamuis enim Christus Dominus in præscientia Dei, antequam intelligatur prædestinatio nostra, applicauerit sua merita, & obtulerit Patri, vt aliqui in particulari, formaliter loquendo, eligerentur a Deo, in quibus eius passio suum consequeretur effectum; materialem tamen designationem eligendorum liberæ voluntati Dei reliquit, vt dictum est. Præterea etiam alia ratione reducitur primò in Dei gratuitam voluntatem nostra prædestinatio. Quoniam, licèt Christus meruerit, quòd aliqui non determinatè, sed vagè eligerentur à Deo, ex mera tamen & gratuita Dei voluntate nullis præuisis meritis, etiam ipsius Christi, processit incarnatio Verbi, & Christi Domini prædestinatio. Dicit enim Augustinus in libro de prædestinatione SS. capite decimo quinto. *Ille homo, vt à Verbo, Patri coæterno in vnitate personæ assumptus Filius Dei vnigenitus esset, vnde hoc meruit? quod eius bonum qualecumque præcessit? quid egit antè, quid credidit, quid petiit, vt ad hanc ineffabilem excellentiam perueniret?* Vnde, suppositio incarnationis mysterio, & prædestinationis Christi priùs in signo rationis, quàm Deus aliquid determinaret in particulari circa electionem, & prædestinationem nostram, præuidit merita Christi, & eius humanam voluntatem offerentem eadem merita, vt eorum intuitu aliqui in particulari, sed vagè eligerentur à Deo, & prædestinarentur in ipso. In secundo signo intelligitur libera, & gratuita voluntas Dei, qua, cum posset alios eligere, & diligere in particulari, & designare materialiter, vt eos daret Christo; istos tamen elegit determinatè. In tertio signo intelligitur applicatio, qua Christus Dominus sua merita applicauit. Sciens quippe tales homines in particulari esse à Deo gratis electos, applicauit pro illis sua merita, quantùm ad efficaciam : & preces fudit, vt eos Deus seruaret a malo iuxta illud, quod ipse ait Io 17. *Ego pro eis rogo, nõ pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi.* id est, rogo pro prædestinatis. vnde S. Thom. 3. p. quæst. 21. artic. 4. ad 2. explicans illud Lucæ 23. *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* inquit *quòd Christus non orauit pro omnibus crucifixoribus, neque etiam pro omnibus, qui erant crediturí in eo, sed pro his solùm qui erant prædestinati, vt per ipsum vitam consequerentur æternam.* Hæc igitur Christi oratio, & applicatio meritorum intelligitur in tertio illo signo rationis.

Christus suã prædestinationẽ nõ meruit.

Signa rationis circa Christiprę destinationem & nostram.

Ad secundum respondetur, quòd, vt Christus Dominus dicatur meruisse electionem comparatiuam aliquorum, non requiritur, quòd meruerit aliorum derelictionem, vel reprobationem, sed sufficit, quòd propter merita eius præuisa ex multis, qui poterant ex seipsis à fine æterna deficere, aliqui fuerint electi, vt ad eundem finem infallibiliter peruenirent.

IX. AD primum argumentum ex factis a principio respondetur, quòd prædestinatio nostra refunditur in Dei gratuitam voluntatem, quatenus facta est ante omnia merita nostra præuisa; non tamen incõuenit, quòd ante illam fuerint præuisa merita Christi, modo superius explicato. Prima enim vocatio simpliciter dicitur, & est gratuita, quia fit nullis præcedentibus meritis nostris; quamuis Christus eam meruerit nobis, vt dictum est. Item etiam eadem prædestinatio est merè gratuita, quatenus designatio prædestinatorum in particulari absque vllis meritis etiam ipsius Christi a Deo præuisis facta est, vt ex præmissis constat.

Ad confirmationem ex auctoritate S. Thomæ respondetur, quòd, cùm ait, regenerari in Christo esse donum gratuitum, intelligitur esse donum gratuitum respectu hominis, qui regeneratur, non autem respectu ipsius Christi.

Secundò respondetur, ex verbis S. Thom. solùm concludi, quod designatio personæ determinatæ, cui conceditur regenerari in Christo per baptismũ, & saluari, ex mera Dei voluntate absque præuisis meritis ipsius Christi, processerit.

Christiprę. destinatio nõ fuit effectus prædestinationis nostræ.

Ad secundum respondetur, prædestinationem Christi non fuisse effectum prædestinationis nostræ; aliàs enim priùs intelligeretur prædestinatio nostra, quàm prædestinatio Christi, sed fuisse quid præsuppositum ad illam secundum ordinem, quem Deus de facto seruauit in prædestinádis hominibus. Vnde ex eo, quòd Christus non meruerit suam incarnationem, aut prædestinationem, non sequitur, quod non meruerit prædestinationem nostram, quantùm ad integrum effectum illius, de quo videndus est Asturicen. vbi suprà concl. 4.

Ad confirmationem respondetur prædestinationem non esse præparationem quorumcumque beneficiorum Dei, sed eorum, quæ per ipsam prædestinationem constituuntur, & intrant ipsum ordinem prædestinationis. Christi autem prædestinatio, aut incarnatio non constituitur per prædestinationem nostram, nec intrat ordinem illius, sed extrinsecè præsupponitur ad illam, vt dictum est; & iuxta hanc doctrinam intelligenda est definitio prædestinationis tradita à S. Augustino.

X. Ad tertium negatur antecedens. Ad probationem dicendum, illam voluntatem saluandi genus humanum, quæ præintelligitur in Deo ante prædestinationem Christi, non fuisse actum prædestinationis ipsius generis humani, neque formaliter pertinere ad prædestinationem nostrã, sed antecedenter se habuisse ad illam, & præsuppositiuè. Cuius ratio est, nam voluntas Dei, quæ formaliter pertinet ad prædestinationem, attingit personas particulares cu suis circumstantiis, & mediis, quibus ad salutem æternã perueniunt : electio namque est de particularibus. Voluntas autem saluandi genus humanum, secundũ quòd præsupponitur in Deo ad prædestinationẽ Christi, solùm respiciebat generis humani salutem in communi, non autem attingebat in particulari salutem istius, vel illius, secundùm quòd discernitur ab alio. Vnde talis voluntas non pertinebat formaliter ad prædestinationem nostram.

XI. Ad confirmationem respondetur, quòd priùs in signo rationis intelligitur Adam gratus in statu innocentiæ, quàm Christus prædestinatur, sed tamen illa gratia, quatenus pertinebat ad statum innocentiæ, non erat effectus prædestinationis Adæ, sed cuiusdam supernaturalis prouidentiæ, vt in sequenti disputatione patebit.

Ad quartum respondetur, quòd non ex sola generali ratione capitis colligimus, totum effectum nostræ prædestinationis procedere ex meritis Christi, sed ex habitudine capitis ad talia membra, ad quorum reparationem venit principaliter Christus. Vnde S. Tho. q. 19. de verit. art. 4. citato ad 5. ex fine incarnatio

Digitized by Google

cărnationis, quia ſcilicet principaliter facta eſt propter liberationẽ hominum a peccato, colligit quod humanitas Chriſti ordinetur ad influentiam, quam facit in homines redemptos, ſicut ad finem intentum, non autem ad influendum in Angelos. Ait enim quòd *Chriſtus non ſolum ſecundùm diuinam naturam, ſed etiam ſecundùm humanam, eſt Angelorum caput; quia eos illuminat ſecundùm humanam naturam, vt Dionyſius dicit ſeptimo capite de Diuinis nominibus. Vnde & ad Coloſſen. 2. dicitur, quod ipſe eſt caput omnis principatus, & poteſtatis. Sed tamen humanitas Chriſti aliter ſe habet ad Angelos, quã ad homines, quantùm ad duo. Primò, quantùm ad naturæ conformitatem, per quam eſt in eadem ſpecie cum hominibus; non autem cum Angelis. Secundo, quantum ad finem incarnationis, quæ quidem principaliter facta eſt propter hominum liberationem a peccato. Et ſic humanitas Chriſti ordinatur ad influentiam, quam facit in homines ſicut ad finem intentum. Influxus autem in Angelos non eſt, vt finis incarnationis, ſed vt incarnationem conſequens.* Sed de hac difficultate agendum eſt latiùs diſputatione ſequenti.

Influxus in Angelos nõ fuit incarnationis finis, ſed incarnatione conſequẽs

DISPVTATIO XL.

Vtrùm gratia ſtatus innocentiæ fuerit Adæ collata ex meritis Chriſti.

I.

PRo explicatione huius difficultatis notandum eſt, gratiam ſtatus innocentiæ dupliciter conſiderari poſſe: primò, ſecundùm quod poſt peccatum fuit reparata per pœnitentiam Adæ; & ſecundùm iſtam rationem omnes Theologi fatentur, fuiſſe ex meritis Chriſti. Cuius ratio eſtimã illa gratia, quatenus reparata per pœnitentiam, fuit hominis redempti per Chriſtum, & per illam, vt ſic reparatam, fuit Adam efficaciter perductus ad vitam æternam: nam ratione illius habet aliquem gradum gloriæ: & idem dicendum eſt de actibus meritoriis, quos producit Adam in ſtatu innocentiæ: nam vt docet S. Thomas 3. parte quæſtion. 89. articulo quinto, opera meritoria, per ſequens peccatu mortificata, reuiuiſcunt per pœnitẽtiam. Quòd autem Adam egerit pœnitentiam, habetur Sap. 10 *Hanc illum, qui primus formatus eſt a Deo, patrem orbis terrarũ, caſtodiuit, & eduxit illum a delicto ſuo.* Secundo conſiderari poteſt illa gratia ſecundùm ſubſtantiam, & ſecundùm quod formaliter pertinebat ad ſtatum innocentiæ. Et ſecundùm hanc etiam rationem quidam dixerunt, iliam datam fuiſſe Adæ ex meritis Chriſti. Addunt, hanc ſententiam eſſe valde conſentaneam ordini prædeſtinationis Chriſti, pertinereque ad eius honorem, & excellentiam. Eandem ſo Trinam, tanquam probabilem defendit Aſſuricenſis in relectione de gratia Chriſti, q. 6. pag. 339.

Prima ratio huius ſententiæ eſt, nam Chriſtus eſt fons vniuerſalis, & origo totius gratiæ, quæ hominibus confertur ergo etiam gratia ſtatus innocẽtiæ fuit ex influxu meritorum Chriſti; alias non eſſet fons vniuerſalis gratiæ.

Secunda, quia, vt docet S. Thomas 1. 2. quæſt. 2. a. 7. & 3. p. q. 1. a. 3. ad 5. Adam ante peccatum habuit fidem explicitam incarnationis Chriſti, vt ordinabatur ad conſummationem gloriæ: ergo iuſtificatus eſt per fidem Chriſti, ac per conſequens ex meritis eius. Patet conſequentia: nam iuſtificatio, quæ fit per fidem Ieſu Chriſti, fit ex meritis eius, eo quòd per fidem applicantur merita Chriſti, vt patet ex illo ad Roma. 3. *Quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius.*

A

Tertiò gratia collata Adæ in ſtatu innocentiæ erat ſubiecti prædeſtinati: ergo erat effectus prædeſtinationis eius: ergo ex meritis Chriſti. Patet cõſequentia: nam cùm Chriſtus Dominus meruerit noſtram prædeſtinationem, vt ſupra dictum eſt; omnis gratia, quæ eſt effectus prædeſtinationis, eſt ex meritis eius.

Quartò, Chriſtus, inquantùm homo, eſt caput omnium hominum, vt docet S. Th. 3. p. q. 8. ar. 3. in corp. ergo fuit caput primorum parentum in ſtatu innocentiæ; ſed de ratione capitis eſt, quòd influat motum, & vitam in membra: ergo gratia ſtatus innocentiæ fuit ex influxu meritorum Chriſti.

B

Quintò, vt docet Caietanus, gratia collata eſt Angelis ex meritis Chriſti, quod etiam docere videtur S. Bern. ſer. 22. in Cant. vbi explicans illud 2 poſt. *Factus eſt nobis iuſtitia, ſanctificatio, & redemptio*, inquit: *Qui creauit hominem lapſum, dedit ſtanti Angelo ne laberetur, ſic illum de captiuitate eruens, ſicut hunc à captiuitate defendens, & hac ratione fuit æque vtrique redemptio, ſoluens illum, & ſeruans iſtum.* Vnde ad Epheſ. 1. dicitur, *Inſtaurare omnia in Chriſto, quæ in cœlis, & quæ in terra ſunt in ipſo*: ergo a fortiori gratia Adæ collata in ſtatu innocentiæ fuit ex meritis Chriſti.

Caiet. 3. p. q. 7. a. 11. ſ. nota.

C

II.

OPpoſitam ſententiam reputo probabiliorem, & magis ad mentem S. Thomæ, quam tenent M. Soto lib. 1 de natura, & gratia, c. 6. & eſt communis inter Thomiſtas, colligiturque manifeſte ex S. Tho. 3 p. quæſtione 1. articulo 3. vbi docet, quòd ſi Adam non peccaſſet, Verbum incarnatum non fuiſſet; ſed ſi gratia ſtatus innocentiæ, fuiſſet ex meritis Chriſti, ſecundùm quòd gratia illa pertinebat ad ſtatum innocentiæ, etiam non exiſtente peccato, Verbum Diuinum fuiſſet incarnatum ad conſummandam illam gratiam Adæ, & perducendum ipſum ad vitam æternam per merita ipſius Chriſti: ergo.

Gratia ſtatus innocẽtiæ nõ fuit ex meritis Chriſti.

D

Probatur præterea, quia, vt docet S. Thom. in 3. ſent. d. 13. q. 2. art. 2. q. 1. in corp. gratia collata Angelis non fuit ex meritis Chriſti, eo quòd illa gratia nõ fuit ſubiecti redempti, cùm nullum in Angelis boni fuerit peccatum: ſed etiam gratia ſtatus innocentiæ, formaliter loquendo, non erat hominis redempti, aut captiui; quia nullum præcellerat peccatum: ergo.

Angelis nõ fuit collata gratia & gloria ex meritis Chriſti.

Confirmatur: nam Chriſtus, inquantùm homo, fuit cauſa meritoria illius dumtaxat gratiæ, per quã liberantur homines a peccato, venit enim tanquam medicus, & vt redemptor ſaluare, & liberare, quod perierat, vt dicitur Matt. 9. & 18. & Luc 5. ſed gratia

E

ſtatus innocentiæ non erat hominis infirmi, ſed ſani: ergo.

III.

AD primum argumentum oppoſitæ ſententiæ reſpondetur, Chriſtum, inquantum Deus, ſortem eſſe vniuerſalem, & cauſam efficientem principalem totius gratiæ, ſed inquantum homo, id eſt, ſecundùm humanitatem, ſolum eſt fons, & cauſa meritoria, atque efficiens ſecundaria, & inſtrumentalis illius gratiæ, quæ hominibus lapſis, & redemptis confertur.

Ad ſecundum argumentum reſpondetur, quòd, vt quis iuſtificetur fide Chriſti, & meritis illius, requiritur,

Digitized by Google

quiritur, quòd priùs fuerit captiuus, & infirmus, vt paret in Angelis, qui iustificati non sunt ex meritis Christi, vt docet sanctus Thomas in 3. distin. 13. cit. & tamen à principio suæ creationis habuerunt fidem incarnationis Christi, quantum ad substantiam, vt docet idem S. Thom. 1. p. quæst. 64. artic. 1. ad 4. Vnde, licet Adam ante peccatum habuerit fidem incarnationis Christi; non sequitur, quòd habuerit gratiam in statu innocentiæ ex meritis Christi.

Gratia status innocentiæ nō fuit effect⁹ prædestinationis, nisi vt reparata per Christum.

Ad tertium respondetur, quòd vt gratia hominis prædestinati sit effectus prædestinationis eius, requiritur, quòd per illam gratiā efficaciter sit transmittendus ad vitam æternam. Per gratiam autem status innocentiæ, secundùm quòd erat status innocentiæ, non fuit Adam efficaciter transmissus ad vitam æternam, neq; ad illam efficaciter ordinatus; vnde non fuit effectus prædestinationis eius, sed cuiusdam supernaturalis prouidentiæ diuinæ, sicut gratia, quæ ad tēpus datur reprobis, nō est prædestinationis eorum effectus; quia per illam non transmittuntur efficaciter ad vitam æternam.

Respondetur secundò, solùm concludere argumentum, illam gratiam status innocentiæ secundùm aliquam rationem, fuisse effectum prædestinationis Adæ, & consequenter ex meritis Christi, quatenus scilicet reparata est per pœnitentiam Adæ, vt supra dictum est.

Christus est caput omniū fidelium & prædestinatorum.

Ad quartum respondetur primò, quòd Christus, inquantùm homo, fuit caput fidelium in statu innocentiæ; quia licèt non meruit gratiam illis collatam in eo statu, quantùm ad substantiam; habuit tamen influxum in eandem gratiam secundùm aliqua accidentia, vt dictum est. Ad rationem autem capitis præsertim mystici, non est necesse, quòd influat eodem modo in omnia mēbra. Respondetur secundò, quòd Christus, inquantùm homo, est vniuersale caput totius Ecclesiæ etiam triumphantis; supposito tamen mysterio Incarnationis: si enim Adam non peccasset, Verbum carnem humanā non assumpsisset, vt docet S. Th. & consequenter Christus, vt homo, non esset caput Ecclesiæ, sed solùm, inquantùm Deus, vt expresse docet S. Thom. q. 29. de ver. ar. 4 ad 3. & quia status innocentiæ præintelligitur priusquam intelligatur Verbi incarnatio, vel decretum diuinum circa incarnationem; ideo non oportet quòd Christus, inquantùm homo, fuerit caput status innocentiæ, nisi ex consequenti: sicut de Angelis dicit S. Thomas quæst. citata de veritate, art 4. ad 5.

S. Tho. 3. p. q. 1. ar. 3.

IV. Angelis meruit Christus multa præmia accidentalia.

Ad quintum respondetur, gratiam Angelorum secundùm substantiam consideratam non fuisse ex meritis Christi, vt in 3. d. 13. cit. dicit S. Thom. sed solùm quantùm ad aliqua accidentia, scilicet quantùm ad illuminationem: Christus enim, etiam inquantùm homo, illuminat Angelos, vt S. Dionysius c. 1. cæl. hierarc. colligit ex illo Esai. 63. vbi ascendente Christo introducitur Angelorum interrogatio dicentium: *Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosrha*: cui interrogationi Christus inquantùm homo, respondet *Ego, qui loquor iustitiam, & propugnator sum ad saluandum.* Item etiam, inquātùm homo, mittit Angelos ad nos, vt S. Thom. 3. p. q. 59. ar. 6. colligit ex illo Heb. 1. *Omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi: propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.* Præterea inquantùm homo habet iudicare Angelos, & conferre illis accidentalia præmia: vnde S. Thom. eod. a. 6. docet, quòd iudiciaria potestas, quæ est in Christo Domino, inquantùm homo, etiam se extendit ad Angelos. Addit tamen in eodem artic. quòd, inquantùm homo, non habuit influentiam in præmium essentiale bonorum Angelorum, sed solum inquantùm Deus. Ex quo manifestè colligitur, quòd gratia Angelorum, & merita, per quæ ad illud præmium essentiale peruenerunt, non fuerint ex influentia Christi, inquātùm homo, neque ex meritis eius. Et ad auctoritatem S. Bernardi inductam respondetur, esse intelligendam de Christo, inquantum Deus. Et sensus illius est, quòd per Christum, inquantum Deus, steterunt Angeli boni, sicut per eundem Christum, inquantùm Deus homo reparatus est, & redemptus homo lapsus. Ad locum Apostoli respondetur, quòd Christus, inquantùm homo, instaurauit, quæ in cœlis sunt, quatenus redimendo, & saluando homines lapsos, sedes vacuas Angelorum, qui ceciderunt, impleuit.

DISPVTATIO XLI.

Vtrùm prædestinatio, quantùm ad effectus assequutionem, sit certa, & infallibilis, certitudine ordinis, & causalitatis mediorum.

I. VIDAM dixerunt, prædestinationem solùm esse certam certitudine præscientiæ mediæ, seu cōditionatæ, quam putant necessariò præsupponi in signo rationis ad prædestinationem: quod probāt primò auctoritate Apost. 2. ad Tim. 2. vbi ad præscientiam diuinam reducit certitudinem prædestinationis, cùm inquit. *Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: Nouit Dominus qui sunt eius,* & statim subdit: *In magna autem domo nō solum sunt vasa aurea, & argentea, sed etiam fictilia, & quædam quidem in honorem, quædam in contumeliam*, & subiungit: *Si quis autem emūdauerit se erit vas in honorem, sanctificatum, & vtile, &c.* Ex quibus verbis desumitur argumentum. In potestate cuiuscunque adulti positum est mundare seipsum & fieri vas in honorem, aut seipsum peccatis coinquinare, & facere vas contumeliæ: ergo ex parte ordinis, & causalitatis mediorum non est certa prædestinatio, sed solùm ratione præscientiæ, qua Deus præuidit hominem in talibus circumstantiis positum, bene vsurum suo arbitrio, vt fiat vas in honorem, & sanctificatum.

Arguitur secundò, & est potissimum fundamentum huius sententiæ. Auxilia gratiæ, quòd efficacia sint ad salutem, aut inefficacia, pendet ex libera cooperatione nostri arbitrij cum illis: ergo ex vi auxiliorum diuinæ gratiæ, si secludamus præscientiam boni vsus liberi arbitrij futuri; non erit certa alicuius prædestinatio. Antecedens probatur nam homo liberè cooperatur, & assentitur quibuscunq; auxiliis præuenientis gratiæ: ergo potest illis cooperari, & non cooperari, nihil impedientibus illis auxiliis: ergo si cooperetur, reddet efficacia auxilia gratiæ, si autem non cooperetur, sicut potest, reddet illa inefficacia, & per consequens, quòd efficacia sint ad salutem, non habent ex se ipsis, nec ex sola virtute intrinseca, sed id habent dependenter ex futura cooperatione arbitrij.

Si dicatur, quòd in sensu diuiso, & absolutè loquendo, possit homo non cooperari auxiliis efficacibus præuenientis gratiæ, non autem in sensu composito,

Digitized by Google

poſito, contra hoc militant omnia argumenta, quibus ſupra diſp. 22. & 23. contendebant probare, præſertim ex Conc. Trid. & Senonenſ. hominem excitatum, & motum à Deo, etiam in ſenſu compoſito diſſentire poſſe cuicunque auxilio pręuenientis gratiæ, de quo etiam diſp. 92. & 93. redibit ſermo.

Tertiò arguitur: nam certitudo, formaliter loquendo, ſicut & veritas, ſumitur per ordinem ad intellectum. Dicit enim S. Thom. in 3. d. 26. q. 2. ar. 4. in corp. quòd *certitudo eſt firmitas adhæſionis virtutis cognoſcitiuæ ad ſuum obiectum*. & art. 1. eiuſdem quæſtionis, & diſt. 22. q. 2. artic. 3. quæſtiuncula tertia, in corp. ait, *quod certitudo eſt determinatio intellectus ad vnum*: ergo certitudo, quòd prædeſtinati per talia media ad vitam peruenient ſempiternam; ſolùm ſumitur ex præſcientia diuina, non autem ex cauſalitate mediorum.

Quartò: nam Caluini ſententia fuit, certitudinem prædeſtinationis pendere ex mera prædeſtinatione diuina, vt patet lib. 3. inſtitution. cap. 21. §. 5. & 9. ergo ſaltem, ne conueniamus cum hæreticis etiam in verbis, dicendum eſt, prædeſtinationem non eſſe certam ex mera præordinatione diuina, ſed fundari in præſcientia, qua Deus certò præſciuit, liberũ arbitriũ eſſe cõſenſurũ, ſi tali, vel tali modo excitaretur.

Alij verò Theologi, ita prædictam ſententiam moderantur, vt aſſerant, quòd, licèt præſcientia illa media, ſeu conditionata, ſit neceſſaria conditio præſuppoſita in Deo ad decretum prædeſtinationis; nõ tamen propterea dicendum eſt, prædeſtinationem habere totam ſuam certitudinem, vel infallibilitatẽ ab huiuſmodi præſcientia. Et aſſignant rationem: nã abſoluta certitudo futuri euentus, videlicet, quòd iſte ſaluabitur, vel conuerteretur; non oritur formaliter, & proximè ex præſcientia illa media, ſed ex abſoluto decreto voluntatis Dei, qui potens eſt facere quod vult, & immutabiliter facit quod abſolutè decernit. Scientia enim media non habet pro obiecto aliquid abſolutè futurum, ſed ſolùm ex hypotheſi, quòd voluntas in talibus circumſtantiis tali excitatione alliceretur, & moueretur. Addunt tamen, dici poſſe, infallibilitatem prædeſtinationis oriri radicaliter ex præſcientia illa conditionata, tãquam ex conditione neceſſaria, vt voluntas diuina poſſit in abſolutum illud decretum prorumpere. Sed hæc ſententia parum, aut nihil differt à præcedenti, de hoc enim eſt controuerſia: Vtrùm vltimate, & quaſi radicaliter ſit certitudo prædeſtinationis ad abſolutum decretum, & efficax Dei prædeſtinantis referenda; an verò ad præſcientiã futuræ cooperationis arbitrij cum gratia, ſiue præſcientia illa ſit conditionata, ſiue abſoluta.

Quidam extendunt hanc doctrinam ad numerũ prædeſtinatorum, & ad quantitatem gloriæ, ad quam ſunt electi. Dicunt enim, hæc non eſſe certa ex mera prædeſtinatione, ſed etiam ex præſcientia conditionata, in cuius certitudine certitudo prædeſtinationis fundatur. Pro quo aduertunt, tripliciter poſſe aliquid futurũ, eſſe certum Deo ab æterno. Primò ex mera prædeſtinatione, vt numerus ſtellarũ futurarum, aut aliarũ rerum, quas ipſe immediatè abſque interuentu cauſarum ſecundarum contingentium erat facturus; tot enim ſtellæ, & non plures nec pauciores erant futuræ, quot Deus ab æterno ſua mera præordinatione, nulla habita ratione, aut conſideratione influxus alicuius cauſæ ſecundæ, decreuit producere cum tali, vel tali perfectione. Secũdò ex mera præſcientia, vt peccata futura, quæ quidem Deus non præordinauit, nec prædeſtinauit, vt fierent, ſed ſolùm præſciuit ex malitia creatæ volũtatis eſſe futura. Tertiò ex præordinatione, ſeu prædeſtinatione præſupponente in Deo præſcientiam partim cõditionatã, ſeu mediã liberæ cooperationis arbitrij futuræ ex hypotheſi, quòd tali excitatione tangeretur; partim verò abſolutam, quæ ſequitur decretum dandi prædictam excitationem, cum qua Deus nouit, hominem eſſe cooperaturum cum tanta, vel tanta intenſione actus. Et hoc tertio modo ſentiunt, prædeſtinationem eſſe certam, & infallibilem, quantum ad aſſequutionem effectus; non autem primo modo. Conuincuntur quarto argumento ex factis à principio, & aliis diſputatione 7. 22. & 23. adductis ad probandum, Deum nullum actum liberum prædeterminaſſe, niſi præſuppoſita præſcientia liberæ cooperationis, & actionis arbitrij; aliàs enim exiſtimant certitudinem, & infallibilitatem prædeſtinationis cum libertate arbitrij cohærere non poſſe, vel concordari. Omnes iſti modi explicandi certitudinem prædeſtinationis conueniunt in eodem principio, de quo potiſſimè procedit noſtra controuerſia, quòd ſcilicet certitudo prædeſtinationis radicaliter fundetur in certitudine illius præſcientiæ conditionatæ; & ideo eiſdem rationibus veniunt impugnandæ. Et quæ de certitudine prædeſtinationis, quantùm ad aſſequutionem effectus ex mente S. Aug. & S. Thom. dicemus, intelligenda ſunt, & extendenda ad numerum prædeſtinatorum in particulari, & ad quantitatem gloriæ, ad quam ſunt prædeſtinati, nec non ad media, & ad actus meritorios, per quos ad huiuſmodi quantitatem gloriæ perueniunt.

Prædeſtinatio eſt certa, & infallibilis quoad aſſequutionem effectus.

PRima ergo Concluſio ſit: Secundum fidem Catholicam aſſerendum eſt, prædeſtinationem eſſe certam, & infallibilem, quantùm ad aſſequutionem effectus. In hac concluſione omnes Catholici conueniunt: illam quippe docuit Chriſtus Dominus Ioannis 10. vbi ad literam loquens de prædeſtinatis, inquit: *Oues meæ vocem meam audiunt, & ſequuntur me: & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & nemo rapiet eas de manu mea.* Ex quo teſtimonio clarè colligitur certitudo prædeſtinationis. Item etiam ad Rom. 8. *Scimus, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his, qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt ſancti.* Vbi loquitur de prædeſtinatis, de quibus ſtatim ſubdit: *Quos prædeſtinauit, hos & vocauit; & quos vocauit, hos iuſtificauit, quos autem iuſtificauit, illos magnificauit.* Et poſt pauca: *Certus ſum quòd neque mors, neq; vita, neq; Angeli, &c. poterunt nos ſeparare a charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu.* Expendatur verbum illud, *certus ſum*: ex illo namque colligit Sanctus Auguſtinus certitudinem prædeſtinationis libro de corrept. & gratia, capite ſeptimo. Et quamuis prædeſtinati poſſint per peccatum mortale ſeparari à Deo, ſecundùm præſentem iuſtitiam, tamen in ſenſu compoſito non poſſunt ſeparari ſecundùm æternam prædeſtinationem: nam tandem conuertentur, & ſalui fient. De confirmatis autẽ in gratia, an poſſint peccare mortaliter, diſp. 104. diſcutiendum erit.

Secundò probatur ex illo 1. Ioan. 2. *A nobis exierunt, ſed non erant ex nobis; ſi enim ex nobis fuiſſent, permanſiſſent vtique nobiſcum.* Quem locum S. Auguſt. libro de dono perſeu. cap. 8. intelligit de prædeſtinatis, & ex illo probat certitudinem infallibilem prædeſtinationis.

Tertiò probatur ex definitione prædeſtinationis à nobis explicata diſp. 35. *Prædeſtinatio eſt præſcientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicunque liberantur.* ergo, &c.

Quartò probatur. De fide eſt, quòd voluntas Dei efficax ſemper impleatur, vt probat S. Auguſtin. in Enchir. ad Lauren. cap. 95. & 96. ex illo Pſalm. *Omnia quæcunque voluit Dominus, fecit in cælo, & in terra:* ſed Deus vult abſoluta, & efficaci voluntate omnibus Pſalm. 134.

bus prædestinatis salutem æternam, vt suprà ostensum est: ergo.

Prædestinatio non est solùm certa ex præscientia, sed etiam causalitate medi orũ.

Secunda Conclusio Prædestinatio non solùm est certa certitudine præscientiæ, sed etiam certitudine prouidentiæ, ordinis, & causalitatis mediorum, quæ Deus prædestinatis præparauit. Et nomine præscientiæ non intelligimus scientiam mediam, hanc enim non dari ostendimus disp. 7. sed scientiam absolutã, & liberam, quæ decretũ prædestinationis supponit in Deo, vt in eadem disp. n. 27. & 24. ex doctrina S. Aug. explicuimus. Conclusio est contra auctores primæ sententiæ. illam tamen docet Caiet. 1. p. q. 23. a. 7. Bañes, & Zumel a. 8. & omnes Thomistæ. Illam tradit conceptis verbis S. Th. eod. a. 7. in corp. vbi ait, quòd *numerus prædestinatorum est certus Deo, non solùm ratione cognitionis, quia scilicet scit quot sint saluandi; sed etiam ratione electionis, & prædefinitionis eiusdam.* & clariùs in 1. sent. ad Annibal. dist. 40. q. 1. a. 3. ad 2. vbi ait, *quòd prædestinatio respectu gratiæ & gloriæ habet certitudinem præscientiæ, & causæ.* Et in hoc assignat ibi differentiam inter prædestinationẽ respectu gratiæ, & reprobationem respectu culpæ, quod reprobatio respectu culpæ solùm habet certitudinem præscientiæ, prædestinatio autem etiam respectu gratiæ habet vtramque certitudinem, præscientiæ scilicet, & causæ. Et q. 6. de ver. artic. 3. in corp. inquit, *quòd præter certitudinem præscientiæ, ipse ordo prædestinationis habet infallibilem certitudinem.* quod ibi probat S. Doct. excludens oppositam sententiam, *ex illa*, inquit, *sequeretur quod prædestinatio non esset secundũ electionem vocantis, quod tamen est contra auctoritatem Scripturæ, & dicta Sanctorum.*

Probatur præterea auctoritate Apostoli ad Rom. 4. vbi ad ipsam gratiam refert certitudinem prædestinationis cùm ait: *ideo ex fide, vt secundum gratiam firma sit promissio.* quem locum explicans S. August. lib. de prædest. Sanct. cap. 10. inquit: *Hæc non de nostra voluntatis potestate, sed de sua prædestinatione promisit. Promisit enim, quod ipse facturus fuerat, non quod homines: nam etsi faciant homines ea quæ pertinent ad colendum Deum, non ipsi faciunt, vt ipse faciat, quod promisit; alioquin vt Dei promissa impleantur, non in Dei, sed in hominum esset potestate: & quod à Domino promissum est Gentibus, ab ipsis redderetur Abrahæ. Non autem sic credidit Abraham, sed credidit dans gloriam Deo; quoniam, quæ promisit, potens est & facere. Non autem ait: Potens est prædicere, & præscire: nam & aliena facta potest prædicere, & præscire; sed ait: Potens est facere, ac per hoc facta non aliena, sed sua.* Quibus verbis docet, secundùm mentem Apostoli, bona opera & salutem prædestinatorum esse certam, non solum ex præscientia: nam hoc modo etiam peccata sunt certò futura; sed certitudine, ordinis, & causalitatis ipsius gratiæ, per quam Deus elicit, vt prædestinati infallibiliter, & liberè saluẽtur. Idem colligitur ex Apostolo ad Ephes. 1. *Prædestinati secundum propositum eius, qui vniuersa operatur secundum consilium voluntatis suæ.* Quæ verba exponens S. Hieronymus super eandem epistolam, inquit: *Prædestinatio, & propositum simul posita sunt, iuxta quæ operatur omnia Deus secundum consilium voluntatis suæ, quo vniuersa quæ facit, consilio facit, & voluntate, quod scilicet & ratione plena sint, & potestate facientis. Nam homines pleraque volumus facere consilio, sed nequaquam voluntatem sequitur effectus. Illi autem nullus resistere potest, quin omnia, quæ voluerit, faciat.* quibus verbis non obscurè docet, prædestinationem esse certam pro libera voluntate prædestinantis, qua Deus quæcunque decreuit, potens est & facere.

Item etiam ad Rom. 9. dicitur: *Vt secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante, &c.* ex quibus verbis colligit ibi S. Thom. prædestinationem esse certam, & firmam ex electione Dei, atque voluntate, ac per consequens ex causalitate mediorum: nam *omnia quæcunque voluit Dominus, fecit in cœlo, & in terra*, cui consonat illud Ezechiel. 36. *Faciam, vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis, & operemini*; iuxta quod & in Concil. Arausic. cap. 9. definitur: *Quoties bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum, vt operemur, operatur.* Item etiam probatur conclusio ex illo Ioan. 6. *Omne quod dat mihi Pater, ad me venit. Hæc est enim voluntas Patris mei, vt omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo.* vbi ad meram & liberam voluntatem Patris refert Christus Dominus infallibilitatem prædestinationis. Et Ioan. 10. loquens de ouibus suis, id est, electis, ait: *Et non peribunt in æternum: & nemo rapiet eas de manu mea*, id est, de potestate mea. Vbi eandem certitudinem prædestinationis ad omnipotentiam refert voluntatis Dei, qui quæcunque decreuit, vel promisit, potens est & facere.

Secundò probatur auctoritate S. Aug. lib. de corrept. & grat. cap. 7. vbi loquens de certitudine prædestinationis, inquit: *Horum (scilicet prædestinatorũ) si quisquam perit, vitio humano vincitur Deus, sed nemo eorum perit; quia nulla re vincitur Deus. Horum si quisquam perit, fallitur Deus; sed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus.* Vbi vtramque certitudinem constituit, scilicet certitudinem causalitatis mediorum, quam explicant verba illa *Nulla re vincitur Deus*: & præscientiæ subsequentis decretum prædestinantis, quam significant illa verba, *quia non fallitur Deus.* IV.

Tertiò probatur ratione desumpta ex S. Thoma q. 6. de verit. art. 3. citato: aliàs enim sequeretur, quòd prædestinatus non differret à non prædestinato ex parte ordinis, seu tantùm ex parte præscientiæ euentus: & ita præscientia esset causa prædestinationis, ac per cõsequens prædestinatio non esset ex electione prædestinantis, sed secundùm præscientiam boni vsus liberi arbitrij, & consequenter daretur ex parte nostra aliqua causa prædestinationis: quod est contra S. Aug. vt disp. 37. ostensum est.

Confirmantur hæc omnia ex his, quæ diximus disp. 30. de infallibilitate prouidentiæ diuinæ, vbi ostendimus, ex ipsa efficacia voluntatis diuinæ, prouidentiam Dei esse certam, quantùm ad assequutionem effectus: ergo à fortiori id erit dicendũ de prædestinatione quæ est prouidentia perfectissima.

Respondent, prædestinationem esse certam ex decreto absoluto prædestinantis, quod tamen decretũ præsupponat scientiam mediam futuræ cooperationis arbitrij, si in talibus circumstantiis excitetur. Similiter fatentur, prædestinationem esse certam certitudine præscientiæ absolutæ, quæ tamen præsupponat illam conditionatam. Sed hæc solutio eisdem argumentis impugnari potest, quibus disp. 7. ostensũ est, scientiam mediam non esse admittendam.

Tertia conclusio. Non solùm est certum certitudine ordinis, & causalitatis mediorum, quòd electi ad vitam æternam peruenient; sed etiam est certum eadem certitudine, quòd peruenient ad talem gradũ gloriæ, ita vt nec maiorem, nec minorem consequãtur: quæ quidem certitudo non in præscientia futuræ cooperationis arbitrij, sed in absoluto, & efficaci decreto gratuitæ voluntatis Dei, tanquam in prima radice fundatur. Hæc conclusio partim manet probata ex dictis tum in hac disp. tum in disp. 37. concl. tertia.

Præterea probatur: nam, vt supra dictum est, prædestinatio est pars prouidentiæ perfectissimæ. sed ad perfectissimam prouidentiam pertinet quod natura, præsertim intellectualis, non solùm ordinetur ad finem, sed etiam ad talem, vel talem gradum participatio

ticipationis eiuſdem finis: ergo quilibet prædeſtinatus ordinatus eſt à Deo, abſoluta & efficaci voluntate, non ſolùm ad gloriam, ſed etiam ad certum, & determinatum gradum gloriæ: ac per conſequens, ex libero decreto Dei prædeſtinantis eſt certum, & infallibile, quòd quilibet prædeſtinatus conſequetur illum gradum gloriæ, ad quem eſt prærordinatus à Deo. Probatur conſequentia: nam, vt diſp. 30. oſtenſum eſt, voluntas Dei efficax inducit infallibiliter effectum.

Secundò probatur: nam ſequeretur ex oppoſita ſententia, quòd Deus ſolùm prædeſtinaret hominem ad gloriam in cõmuni: homo verò ex ſua innata libertate intenſiùs cooperando auxiliis gratiæ, conſequeretur maiorem, atque intenſiorem gloriam, quam alij: & per conſequens poſſet in ſeipſo gloriari aduersùs alium, quòd cæteris paribus ex parte prædeſtinationis diuinæ, conſequutus ſit maiorem gloriam: quod tamen videtur contra illud Apoſtoli: 1. Cor. 4. *Quid habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?*

Tertiò probatur: nam, vt dicit Apoſtolus 1. ad Cor. 15. *Deus dat illi* ſcilicet tritico, *corpus ſicut vult, & vnicuique ſeminum proprium corpus*, maius nempe, vel minus, prout ſibi placuerit quod prius de corporibus humanis docuit Chriſtus Dominus, cùm dixit: Matth. 6. *Nemo poteſt adiicere ad ſtaturam ſuam cubitum vnum*, ſignificans nõ eſſe in poteſtate hominis corpus ſuum magnum facere, vel paruũ, ſed ex mera voluntate Dei ortum fuiſſe, quòd vnuſquiſque in tali, vel tali quantitate corpus accipiat. Multò ergo magis erit certum, ex gratuito decreto Dei prædeſtinantis procedere, quòd vnuſquiſque prædeſtinatus conſequatur talem, vel talem quantitatem gloriæ: nec cõſequetur quis maiorem, vel minorem, quàm ſit à Deo prærordinatum.

Quarta cõcluſio. Omnia opera meritoria, quibus electi perueniunt ad gradum illum gloriæ, ad quem ſunt prædeſtinati, prærordinata ſunt, & prædeterminata à Deo, ita, vt, nec plura, nec pauciora, nec magis aut minùs intenſa producenda ſint in tempore per liberum arbitrium prædeſtinatorum, quam prærordinatum ſit per liberum decretum prædeſtinantis; ac per conſequens, ex eodem decreto, tanquam ex prima radice, eſt certum, & infallibile, quòd prædeſtinati producent in tempore per liberum arbitrium omnia illa pia opera in particulari, cum omnibus ſuis circumſtantiis; per quæ Deus prærordinauit eos ad tantam gloriam perducere. Colligitur hęc concluſio ex Apoſtolo ad Epheſios 2 vbi loquẽs de prædeſtinatis, inquit: *Ipſius enim ſumus factura, creati in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus.* quæ verba exponens S. Athanaſius, ait: Athanaſius ſuperc. 2. ad Epheſios impreſſio. Lugdunẽſi, 1532. *Sciens autem hæc*, ſupple bona opera, *paranit Deus, quæ differri non potuerunt, neque prætermitti, quin peragantur tanquam diuinitus ſint præfinita, idque per multam erga nos prouidentiam* Ergo ex decreto prædeſtinantis certum eſt, quòd electi producẽt in tempore bona illa opera, per quæ Deus prærordinauit eos ad gloriam perducere. Idem docet Theodoretus, cuius verba diſp. 22. n. 10. retulimus.

Secundò probatur: nam qui efficaciter vult finem, præparat, ac prædeterminat media, per quæ vult finem illum conſequi, alias exponeret ſe periculo nõ aſſequendi finem, ſicut ille, de quo dicitur: Luc. 14. *Hic homo cœpit ædificare, & non potuit conſummare.* Sed Deus ante omnem præſcientiam futuræ cooperationis arbitrij, voluit prædeſtinatis beatitudinem æternam tanquã finem conſequendum in exercitio per opera meritoria: ergo præparauit, & prædeterminauit omnia, & ſingula bona opera, per quæ prædeſtinati re ipſa conſequuturi erant beatitudinem æternam. Cùm ergo Deus infallibiliter operetur, quæcunque decreuit facere: relinquitur, quòd ex virtute eiuſdem decreti, ſit certum & infallibile, quòd prædeſtinati elicient in tempore omnia illa pia opera.

Confirmatur: nam, vt diſp. 22. 25. & 28. oſtenſum eſt, Deus abſoluto, & efficaci decreto ſuę voluntatis, prædeterminauit in ſingulari omnia, quæ in tempore fiunt, ſecundum omnem rationem entitatis, & bonitatis, quam habent, atque adeò ex virtute eiuſdem decreti, eſt certum; quot muſcæ ſint futuræ, tali tẽpore; & ſic de aliis indiuiduis cuiuslibet ſpeciei: ergo multò magis id erit verum in actionibus meritoriis, per quæ prædeſtinati conſequuturi ſunt vitam æternam. Probatur conſequentia: nam prærordinatio Diuina perfectiſſimè ſplendet in prædeſtinatis, atque in diſpoſitione, & prædeterminatione actuum, quibus ad vitam æternam perueniunt.

Tertiò, vt diſp. 62. patebit, quantitas cooperationis arbitrij cũ gratia menſuratur ex quantitate auxilij efficacis, quo Deus præmouet idem arbitrium ad cooperandum. Itaque, ſi Deus mouet per auxilium intenſum, vt quatuor, liberum arbitrium cooperabitur, vt quatuor: & ſi moueat per auxilium intenſum, vt ſex; cooperabitur, vt ſex: ergo in decreto, quo Deus ſtatuit prædeſtinatis dare talia auxilia efficacia ad eos actus bonos cum tata intentione producendos, fundatur tanquam in prima radice infallibilitas, & certitudo, quòd prædeſtinati eoſdem actus elicient.

Nec ex hoc ſequitur, vt quidam arguunt, prædeſtinatos non poſſe aliud, vel aliter operari, quam ſit à Deo prærordinatum, ſi verbum, *poſſe*, accipiatur in ſenſu diuiſo, ſed ſolùm infertur, quòd de facto non operabuntur aliud, nec aliter, quam ſit à Deo prærordinatum; quamuis in ſenſu compoſito concedendũ ſit, eos non poſſe aliud, vel aliter operari, quàm ſit à Deo prærordinatum; quia videlicet hæc duo ſimul eſſe vera non poſſunt, quòd prædeſtinatus aliquod bonum operetur, & illud nõ ſit prærordinatu a Deo, ſicut etiam è conuerſo, illa duo ſimul vera eſſe non poſſunt, quòd Deus prædeterminauerit, vt prædeſtinatus operetur tale bonum; & tamen illud prædeſtinatus non exequatur. Vnde minùs ex doctrina licet inferre quòd prędeſtinati non operentur liberè, vt ex ſupradictis conſtat. Diſput. 18. n. 20 diſp. 22. n. 30. & ſeqq diſp. 23 & 25 per totam.

V.

AD primum argumentum reſpondetur, quòd ex auctoritate Apoſtoli inducta, ſolùm concluditur, prædeſtinationem eſſe certam certitudine præſcientiæ, non tamen quòd ſit certa ex ſola præſcientia. Etenim ex aliis Scripturæ locis pro 2. concluſ. adductis, conſtat, quòd etiam certitudine ordinis, & cauſalitatis mediorum ſit infallibilis ipſa prædeſtinatio. Quinimò ex eo Deus ſcit, eſſe certo futuram ſalutem prædeſtinatorum, quia eam efficaci decreto prædeterminauit, & prædeſtinauit, vt ex variis locis S. Aug. oſtendimus diſp 7. Neque obſtat, quòd, prædeſtinatus poſſit cooperari, & non cooperari, & cum auxiliis præuenientis gratiæ. Licèt enim, abſolute loquendo, & in ſenſu diuiſo, poſſit non cooperari. ex ſuppoſitione tamen, quòd ſit prædeſtinatus, neceſſario cooperabitur neceſſitate infallibilitatis, ſeu conſequentię, quæ eſt neceſſitas ſecundum quid, non obſtans libertati, vt diximus diſp. 25.

Ad ſecundum argumentum reſpondetur, efficaciam auxilij præuenientis gratiæ non dependere ex libero conſenſu noſtri arbitrij, etiam tanquam à cõditione ſine qua non, vt infra patebit. Diſp. 73. & 90.

Ad tertiu reſpondetur quòd vt docet S. Thomas, duplex eſt certitudo ſcilicet *cognitionis*, & *ordinis*. *Cognitionis quidem certitudo eſt, quando cognitio non declinat in aliquo ab eo, quod in re inuenitur: ſed hoc modo exiſtimat de re, ſicut eſt. Et quia certa exiſtimatio habetur* S. Th. q. 6. de ver. art. 3. c.

Digitized by Google

betur de re, præcipuè per causam rei, ideo tractum est nomen certitudinis ab ordine causæ ad effectum, vt dicatur ordo causæ ad effectum certus, quando causa infallibiliter effectum producit. Dicimus ergo, quòd certitudo cognitionis sumitur per comparationē obiecti ad intellectum; arcertitudo ordinis, seu causalitatis sumitur per habitudinem, & connexionem infallibilem effectus ad causam. Et vtroque modo est certa prædestinatio, quantùm ad assequutionem effectus, vt in eodem articulo docet sanctus Thomas.

Ad quartum respondetur, sensum Caluini hæreticū, & ab omnibus Catholicis execrandum, fuisse, prædestinationem ita esse certam ex mera Dei præordinatione, vt nullam prorsus certitudinem habeat ex præscientia liberæ cooperationis arbitrij, absolutè futuræ ex decreto prædestinantis; quia existimauit, prædestinationem Dei omnem liberam electionem arbitrij submouere, vt disp.3. ostensum est: & disp.97.n.11.disp.98.n.10.&disp.121.n.10 dicetur latiùs. Nos autem asserimus, ex vtroque capite prædestinationem esse certam, & infallibilem. Primò quidem,& principaliter ex libera electione, & præordinatione Dei prædestinantis, qui potens est, id quod prædestinauit, implere. Secundariò, & consequenter ex præscientia absoluta liberæ cooperationis arbitrij, futuræ ex auxilio efficaci præoperantis gratiæ. Quæ quidem ideo infallibiliter futura est, quoniam Deus, nulla præsupposita scientia media eiusdem cooperationis, illam prædestinauit,&, vt liberè fieret, præordinauit. Qualiter autem cum huiusmodi præordinatione,& prædestinatione stet simul libertas nostri arbitrij, ex parte dictum est suprà disputationibus 18. 22. & 23. & latiùs explicandum est infrà disputationibus 116.117.& 121. Alia argumenta, quæ contra nostram sententiam obiici solent, disp.30.à nobis adducta sunt,& soluta.

A Cant. de aliquibus viris sanctissimis, quòd, si voluerint gloriari de diuina amicitia, non erunt insipientes. Et secundæ ad Corint.13. dicit Apostolus: *Non cognoscitis, quòd Christus in vobis habitat, nisi forte reprobi estis*; ergo potest quis esse certus certitudine infallibili, se esse prædestinatum.

In contrarium est, quod dicitur Eccleſiastes 9. *Nemo scit, vtrùm odio, an amore dignus habeatur, sed omnia in futurum seruantur incerta*, quem locum de odio,&amore secundùm æternam reprobationem,& prædestinationem intelligunt S. Bern.serm. de Septuages.& S.August.lib.de spir.& litera c.59.Et Cōc. Trid. sess.6.cap.12.admonet omnes fideles, ne quisquam, dum in hac mortalitate viuitur, vsque adeò præsumat, vt certò statuat, se esse in numero prædestinatorum:& statim subdit: *Nam, nisi speciali reuelatione sciri non potest, quos Deus sibi elegerit.*

B

In hac controuersia notandi,& cauendi sunt duo errores hæreticorum. Primus est asserentium, prædestinatos semper esse in Dei gratia, nec posse aliquando ab ea excidere: reprobos verò esse in perpetuo odio Dei, nec posse ad illius gratiam pro aliquo tempore peruenire. Ita Vvicleph damnatus in Cōc. Constāt. qui etiam distinctionem illā de dilectione Dei secundùm æternam prædestinationem, & secūdùm præsentem iustitiam reiiciendam esse, & irridendam asseruit. Eandem hæresim, quod attinet ad prædestinatos, tenuit Caluinus lib.3.instit.c.2. §. 11. & 12. contra quam optime disputat Andreas de Vega lib.11.super Conc.Trid c.1.& seqq. II.

Secundus error fuit Martini Buzeri in colloquio C Ratisbonēsi, vbi affirmare ausus est, non esse verum Christianum, qui non credit ea certitudine fidei se habiturum vitam æternam, qua credit Christum hominem, vel Deum esse. Eandem hæresim sequutus est Caluinus li.3.inst.c.2.§.16.& Chemnitius in examine Conc.Trid. vbi verba, quæ ex cap. 12.sess.6. adduximus, acriter reprehendit. Sit tamen contra istos hæreticos

PRima conclusio. Secundùm fidem Catholicam asserēdum est, prædestinatos, qui nō sunt in gratia confirmati, posse peccare mortaliter, & gratiam ad tēpus amittere,& ita contingere de facto in aliquibus. Conclusio est contra primum errorem, sed probatur manifestè ex sacris literis: nam Petrus Apost.fuit prædestinatus,& tamen peccauit mortaliter, & gratiam ad tempus amisit, negando Christum in nocte Passionis, vt narrant Euangelistæ. Idem argumentum de Dauid, & Paulo Apost. fieri potest, qui de numero extiterunt prædestinatorum, & tamen Dauid peccauit mortaliter peccato adulterij,& homicidij, vt patet ex illo 2.Reg. c. 12. *Dominus quoque transtulit peccatum tuum.* Similiter Paulus peccauit mortaliter, Christum,& eius discipulos persequendo, vt ipse testatur 1. ad Tim. 2. *Quoniam blasphemus fui,& contumeliosus,& persecutor*; qui tamen prædestinatus à Deo erat: ergo. III.

Prædestinati, qui non sunt cōfirmati in gratia peccare possunt mortaliter.

D

Et, si fiat argumentum: nam Deus prædestinatis semper vult vitam æternam, cùm ab æterno eos prædestinauerit, & voluerit illis hoc bonum, aliàs mutaretur, ergo semper diligit illos, ac per consequens, nunquam poterunt ab eius gratia excidere. Respondetur, quòd Deus semper vult prædestinatis vitam beatam secundùm æternam prædestinationem, quia licèt aliquando peccent, tandem conuertet eos, & saluabit; non tamen vult illis semper vitam æternam secundùm præsentem iustitiā, nisi quando sunt in gratia.

Probatur præterea conclusio rātione. Prædestinati, quamdiu sunt in hac vita, habent liberum arbitrium flexibile in bonum,& malūm: quamuis prædestinatio efficiat infallibiliter, quòd prædestinatus moriatur

DISPVTATIO XLII.

Vtrùm possit aliquis, secluſa diuina reuelatione, certitudine infallibili cognoscere, se, vel alium, esse in numero Prædestinatorum, aut ex aliquibus signis id colligere.

I. PROBATVR, quòd certitudine infallibili id possit cognosci. Primò ex illo 1. Ioan. 5. *Hæc scribo vobis, vt sciatis, quia vitam habetis, qui creditis in nomine Filij Dei.* Scientia autem dicit cognitionē certam,& infallibilē: & ad Rom. 8. loquens Apostolus nomine omnium prædestinatorum, de quibus præmiserat: *Quos autem prædestinauit, hos & vocauit, &c.* inquit: *Quis nos separabit à charitate Christi, &c* & statim subdit: *Certus sum quòd neque mors, nec vita, &c poterunt nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu.* Vbi verbum, *certus sum*, certitudinem infallibilem designat.

E

Arguitur secundò ex illo ad Rom.7. *Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd filij Dei sumus, si autem filij, & hæredes*, sed testimonium Spiritus sancti est infallibile, cùm sit fidele, iuxta illud Psalm.18. *Testimonium Domini fidele, sapientiam præstans paruulis*: ergo, &c.

Arguitur tertiò. Sicut prædestinatio, & electio pendet ex sola voluntate diuina, ita & gratia; sed, secluſa speciali reuelatione, potest aliquis certitudine infallibili, absque formidine cognoscere, se esse in gratia: dicit enim S. Bernard. sermon.68. & 69. in

Digitized by Google

moriatur in gratia, cum donum perseuerantiæ sit effectus prædestinationis, non tamen efficit in omnibus prædestinatis, quòd nunquam peccent, aut peccare possint mortaliter: ergo possunt peccare, nisi in gratia sint confirmati, de quibus disput. 104. disc. iendum est, an peccare possint.

IV. Reprobi pro aliquo tempore sùt multoties verè iusti.

Secunda conclusio. Multi reprobi pro aliquo tempore sunt in gratia, & vere diliguntur a Deo secundùm præsentem iustitiam. Hæc conclusio etiam est de fide, & probatur ex sacris literis: nam Saul erat in gratia, quando fuit electus in Regem, vt patet ex lib. 1. Reg. c. 9. vbi dicitur: *Et erat eius filius vocabulo Saül electus, & bonus, & non erat de filiis Israël melior illo.* Et tamen ille fuit reprobus, & damnatus, vt docet sanctus Augustinus lib. 2. ad Simplic. quæst. 1. & colligitur ex illo 1. Paralipom. 10. *Mortuus est Saul* B *propter iniquitates suas, eo, quod prævaricatus sit mandatum Domini.* & 1. Reg. c. 28. dicitur, quòd Samuel dixit ad Saul: *Quid interrogas me, cum Dominus recesserit à te?* & ita tenent communiter Doctores Catholici, quamuis aliqui ex Hebræis existiment, illum saluum fuisse; vt videri potest in Gloss. ordinaria, p. 2. super 1. lib. Reg. c. 2. & in additionibus super 1. lib. Paralip. c. 10 in illa verba: *Mortuus est Saül*, vbi Gloss. ordin. tenet nostram sententiam. Item etiam Salomonem aliquando fuisse Dei amicum, & in eius gratia, constat ex lib. 2. Paralip. cap. 7. vbi habetur: *Cùmque complesset Salomon fundens preces, ignis descendit de cælo, & deuorauit holocausta, & victimas, & maiestas Domini implenit domum*, hoc autem erat manifestum signum, quòd ipse, & eius orationes, & sacrificia erant C Deo grata; & tamen reprobatus fuit, & damnatus secundùm magis communem Doctorum sententiam, quam tenet S. Aug. lib. 22. contra Faustum, c. 88. & in comment. super Psal. 126. expresse dicit, quòd Salomon reprobatus est à Deo: & idem tener lib. 17. de Ciuitat. ca. 20. & Cypr. lib. 1. epist. 5. & Glos. super 2. Salomó an damnatus fuerit. lib. Reg. c. 17. in illa verba: *Misericordiam autem meam non auferam ab eo.* & lib. 4. Reg. c. 23. in illa verba; *excelsa quoque, quæ erant in Ierusalem, non abstulit.* & super c. 1. Isai. in illa verba: *Et idola penitus conterentur*: & latiùs super cap. 30. Prouerbiorum, in principio, quamuis aliqui Doctores Catholici pie credant, Salomonem saluum factum fuisse: quam sententiam sequitur S. Hieron. super c. 1. Ecclesiast. & expressiùs D super c. 44. Ezechielis: vbi ait, quòd Salomon peccauit, & offendit Deum, licèt postea egerit pœnitentiam scribens Prouerbia: & id probat auctoritate Prouerb. c. 24. vbi, iuxta aliam translationem de seipso ait Salomon: *Nouissimè ego egi pœnitentiam, & respexi vt eligerem disciplinam.* Eandem sententiam defendit Genebrardus lib. 1. suę Cosmographiæ, pag. 112. & mouetur auctoritate Hieron. & Prouerbiorum inducta: & idem etiam sentiunt communiter Hebræi, vt notauit Lyranus super c. 30. Prouerb. sed tamen in editione vulgata non habentur verba illa adducta ex c. 24. Prouerb. neque consonant cum tex. Hebraico, vt notauit Fr. Ludouicus a Soto maiori in præfat. super Cant. in §. De Salomonis autem pœ- E nitentia. Sed quidquid sit de hoc, probatur aliis exẽplis, de quibus non est controuersia, nam Lucifer reprobus est, & damnatus, vt habetur ex ca. 28. Ezechiel. *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore in deliciis Paradisi Dei fuisti.* & infrà: *in multitudine negotiationis tuæ repleta sunt interiora tua iniquitate, & peccasti: & eieci te de monte Dei, & perdidi te, Cherub protegens, de medio lapidum ignitorũ.* Et Isai. 14. *Quomodo cecidisti, Lucifer, qui mane oriebaris*, quem locum de primo Angelo interpretatur S. Augustl. libro 3. de doctr. Christ. ca. 3. & tamen primus Angelus creatus fuit in gratia, sicut & cæteri, vt docet sanctus Thomas prima parte quæstione 61. arti-

culo 3. Item etiam Iudas fuit reprobus, & damnatus, vt habetur Psalm. 108. & colligitur ex verbis illis Euangelij: *Et abiens, laqueo se suspendit.* & tamen aliquando fuit in gratia, à principio scilicet sui Apostolatus: ergo. Matth. 27.

Probatur secundò conclusio ex definitione Cõc. Tridentini sessione 6. capite 17. vbi dicitur: *Si quis iustificationis gratiam non nisi prædestinatis ad vitam, contingere dixerit, reliquos verò omnes, qui vocantur, vocari quidem, sed gratiam non accipere, vtpote diuina potestate prædestinatos ad malum, anathema sit.*

Probatur tertiò ratione. Reprobus, quamdiu est in via, non habet animum obstinatum in malo: hoc enim est proprium existentium in inferno, vbi nulla est redemptio: ergo per Dei auxilium poterit gratiam consequi, quamuis deficiet tandem, vt patet ex illo 1. Ioan. 2. *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis: si enim ex nobis fuissent, permansissent vtique nobiscum:* ergo reprobus pro aliquo tempore potest ad Deum conuerti, & esse in gratia.

Tertia conclusio. Seclusa speciali reuelatione Dei, nemo potest certò, & infallibiliter cognoscere, se de prædestinatorum numero esse, & multò minùs tenetur certa fide id credere. Conclusio est contra secundam hæresim, sed probatur auctoritate Ecclesiastes supra inducta. *Nemo scit, vtrum odio an amore dignus habeatur.* & ex verbis illis Prouerb. 27. *Ne glorieris in crastinum, ignorans, quid superuentura pariat dies.* Cui consonat illud 3. Reg. 20. *Non glorietur accinctus, æquè vt discinctus.* Quem locum ad hoc propositum latè explicuimus in nostris Commentariis super Isai. c. 45. num. 3.

V. Cognoscere certo nullus potest, seclusa reuelatione diuina, se esse prædestinatum

Probatur secundò ex definitione Conc. Trident. sessione 6. citato canon. 15. vbi sic dicitur: *Si quis dixerit, hominem renatum, & iustificatum teneri ex fide ad credendum, se certò esse in numero prædestinatorum, anathema sit.* & Can. 16. subditur: *Si quis magnum illud, vsque in finem perseuerantiæ donum se certo habiturum infallibili, & absoluta certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali reuelatione didicerit, anathema sit.*

Probatur tertiò, auctoritate Sanctorum, qui vnanimiter docent nostram conclusionem, præsertim Cypriani lib. 1. epist. 5. S. Gregor. homil. 38. super Euang. Ambr. serm. super Psal. 118. in illa verba: *Statue seruo tuo eloquium tuum in timore tuo.* SS. Hieron. super c. 9. Eccles. Augustl. lib. de corrept. & grat. cap. 13. & de dono perseu. c. 28. Prosp. lib.... ad art. falsò Augustino impositos art. 13. & S. Bern. vbi supra.

Probatur denique ratione: nam prædestinatio pendet ex gratuita Dei voluntate, vt disp. 37. ostensum est. Sed ea, quæ pendent ex mera Dei voluntate, non possunt a nobis certò, & infallibiliter cognosci, nisi ex speciali Dei reuelatione, vt patet ex verbis illis Apost. *Quis cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit*: ergo. Rom. 11.

Ex hac conclusione sequitur, quòd non solùm certitudine infallibili fidei, sed neque etiam certitudine morali, cui non possit subesse falsum, seclusa speciali reuelatione, non potest aliquis esse certus, se esse prædestinatum. Itaque non potest de hoc ita esse certus moraliter, sicut est certus, se esse baptizatum, vel sacerdotem, qui consecrat, esse verè sacerdotem, vel habere debitam intentionem consecrandi. Probatur: nam certitudo moralis, qua credit se esse baptizatum, vel sacerdotem celebrantem habere intentionem consecrandi, excludit omnem formidinem, & dubitationem; sed nullus potest esse ita certus de sua prædestinatione, etiam moraliter, vt certitudo illa excludat omnem formidinem, & dubitationem, vt constat ex dictis: ergo.

VI. Quarta conclusio. De facto aliqui ex reuelatione speciali Dei fuerunt certi certitudine infallibili,

Prædeſtinationis ſuæ certus eſſe poteſt quis ex reuelatione diuina.

de ſua prædeſtinatione,& ſalute.Hæc cõcluſio colligitur ex ſacris literis:nam Geneſ.15.& 22. *dixit Dominus ad Abraham: Noli timere,ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis.* Et poſt pauca: *Tu autem ibis ad patres tuos in pace, ſepultus in ſenectute bona.* Quibus verbis ſignificauit illi prædeſtinationem propriam,vt communiter explicant Doctores.Idem reuelatum eſt Moyſi Exod.33.in illis verbis: *Ego oſtẽdam tibi omne bonum.* Apoſtolis etiam reuelata eſt propria prædeſtinatio,Lucæ 22.*Et ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum,vt edatis,& bibatis ſuper menſam meam in regno meo*: & præſertim Paulo Apoſt.vt patet ex illo 2.ad Tim.4. *De reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex.* & Latroni, cui Lucæ 23.dictum eſt,*Hodie mecum eris in Paradiſo.* Deniq; de aliquibus viris ſanctiſſimis narrant Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, fuiſſe illis in præmium ſuorum laborum reuelatam prædeſtinationem propriam; & ſalutem.

VII.

Prædeſtinatum ſe eſſe poteſt quis probabiliter cognoſcere ex quibuſdam ſignis.

Quintà concluſio. Etiam ſecluſa ſpeciali reuelatione, poteſt ex aliquibus ſignis certa eſſe fidelibus propria,vel alterius prædeſtinatio, certitudine quadam morali, cui, abſolutè loquendo, poſſit ſubeſſe falſum,& quæ non excludat omnem formidinem,& timorem de oppoſito.

Pro intelligentia huius concluſionis notandum eſt,quòd,vt docet S.Bern.ſerm. 1. in octaua Paſchæ, quamuis Dominus decreuerit beneficium hoc prædeſtinationis,durante vita mortali,eſſe nobis occultum, vt iuxta præceptum Apoſt.ad Philip. 2.*cum timore, & tremore ſalutem noſtram operaremur*; non tamen penitus,abſque conſolationis teſtimonio electos ſuos in hac parte dereliquit, ſed quibuſdam ſignis eos notauit,ex quibus probabiliter liceat colligere, eos prædeſtinatos eſſe ad vitam æternam: quod & innuere videtur Apoſtolus cùm dicit: *Ipſe Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quòd ſily Dei ſumus.*

Rom.8.

VIII.

Prædeſtinatorum ſigna.

A Doctoribus autem ſanctis enumerantur diuerſa ſigna prædeſtinationis,ex quibus tãtùm, quæ potiſſima ſunt,colligemus,& aliquibus ſacræ Scripturæ teſtimoniis comprobabimus.

Primum ſignum eſt, frequentes in hoc ſæculo aduerſitates,&tribulationes patienter toleratæ.Hoc ſignum conſtituit, & probat latiſſimè S. Chryſoſt. in illa verba Lucæ 16. *Fili, recordare, quia recepiſti bona in vita tua,& Lazarus ſimiliter mala.*& libr.1.de prouident.circa finem,& hom.66.ad populum Antiochenum. S. Gregor.libr 5.Mor.cap.1. & 2. in illa verba:*Quare miſero data eſt lux?*Ad cuius euidẽtiam ſupponenda ſunt duo fundamenta, quæ ſupponit Chryſoſtom.hom.8. citata.

Chryſoſt. hom. 8. ex variis in Lucã, quæ eſt 3.de Lazaro paulò poſt princ.

Primum fundamentum eſt, quòd nullus homo purus eſt ita iuſtus,& innocens (B. Virgine dumtaxat excepta) qui aliquod ſaltem peccatum veniale, propter quod pœnam mereatur, non commiſerit. Dicitur enim Iacob.2. *In multis offendimus omnes.* & 1.Ioan.1.*Si dixerimus quia peccatum non habemus,ipſi nos ſeducimus,& veritas in nobis non eſt.* & Prouerb. 14.*Septies in die cadit iuſtus.* Similiter etiam nullus reprobus eſt ita impius,qui vnum,aut alterum opus morale bonum non fecerit: quòd Sanct.Chryſoſto. probat ex illo Lucæ 18. vbi de quodam iudice iniquitatis dicitur,quod miſericordiam egerit cum vidua, eos cohibens,qui illam afficiebant iniuriis.

Iuſti non ſunt immunes ab omni peccato.

Secundum fundamentum eſt, quòd Deus, cùm ſit ſummè iuſtus,& miſericors,nullum opus prauum reliquit impunitum, neque opus bonum, etiam morale irremuneratũ.Sed tamen bona,quæ reprobi operantur, præmiat Deus bonis tẽporalibus in hoc ſæculo, ſicut Ezechiel. 29. dicitur de Rege Babylonis:*Et dedi ei terram Ægypti pro eo quòd laborauerit mihi* Et de quibuſdam,qui iuſtitiam faciebant coram hominibus,vt viderentur ab eis, dicitur Matth. 6. *Receperunt mercedem ſuam*; ſed pro peccatis commiſſis condignam pœnam recipient in futuro. Electorum autẽ peccata punit Deus tẽporalibus pœnis; bona autem eorum merita,æterna retributione coronat.

IX.

Tribulationũ patiens tolerãtia, ſignũ eſt prædeſtinationis. Luc.16.

Ex his fundamentis deducit hanc concluſionem S.Chryſoſt. *Quem igitur videris improbam agentem vitam,nec quidquam hic acerbi patientem ne reputeris illũ beatum,ſed deflere potius,& deplorare,velut illum omnia triſtia perpeſſurum, quemadmodum diues ille fecit. Iuſtus quem videris virtutis ſtudioſum,& cũdem tamen meritis affligi moleſtiis,beatum exiſtima,felicem iudica, vt pote qui & hic omnia ſua peccata deleuerit, & illic maiorem habeat mercedẽ paratã, quemadmodũ huic euenit Lazaro* Hactenus Chryſoſt.quod etiam innuunt illa verba,quæ reſpondit Abraham diuiti epulonti:*Fili recordare,quia recepiſti bona in vita tua,& Lazarus ſimiliter mala;nunc autem hic conſolatur, tu verò cruciaris.* Propter quod S.Aug. epiſt.5.ad Marcell. *Nihil*,inquit,*eſt infelicius felicitate peccantium* & in Pſ. 143. poſtquam Pſalmiſta de reprobis dixerat: *Promptuaria eorũ plena,eructantia ex hoc in illud*; vt excluderet hominum vanam æſtimationem,ſubdit:*Beatum dixerunt populum,cui hæc ſint:ſed,beatus populus,cuius Dominus Deus eius.* Hoc etiam ſignum Apoſt. ad Hebr. 12.inſinuaſſe videtur,cum dixit. *Quis enim filius,quem non corripit pater?quòd ſi extra diſciplinã eſtis, cuius participes facti ſunt omnes;ergo adulteri, & non filij eſtis.* Vnde S. Aug *Domine hic ure,hic ſeca vt in æternũ parcas.*Sciebat enim,quòd Dominus per Naum c.1.promiſerat. *Non conſurget duplex tribulatio*, vel, vt transferunt 70 *Non iudicabit bis in idipſum*,quaſi dixerit: Non continget, puniri cum reprobis in futuro ſæculo eos,qui in præſenti tanquam aurum in fornace probati fuerint.Denique S.Bern.ſerm.23.in Cant.explicans illud Pſal.72. *In labore hominum non ſunt,& cum hominibus non flagellabuntur*,inquit: *Qui in labore hominum non ſunt, in labore damnum profectò erunt, dicente Domino: Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo,& Angelis eius.* Videatur S.Aug tom.8. ſuper Pſ.91.in illa verba: *Nimis profundæ factæ ſunt cogitationes tuæ.*& ſuper Pſ. 91. in illa verba: *Vſquequò peccatores gloriabuntur*,&c.vſque ad illa verba: *Donec fodiatur peccatori foſſa.*

Matth 25.

Secundum ſignum eſt miſericordia,qua ex corde miſeris aliorum,vt propriis cõdolentes,eas affectu charitatis ſubleuare ſtudent.Hoc ſignum conſtituit S.Aug.tract 5.in primam epiſt. Ioann. vbi ait,dilectionem ſolam eſſe, quæ diſcernit inter filios regni, & filios perditionis:& tom. 10. ſermon. 44. ad fratres in eremo,in princ.ait:*Fratres mei chariſſimi,nunquam recordor, me legiſſe, malam morte periſſe illum, qui libenter in hac vita opera charitatis, vel peccatis voluit exercere. Habet enim multos interceſſores prius homo, & ille,qui opera charitatis exercet hilariter,&c.raro impoſſibile eſt, vt preces multorum non exaudiantur* Habetur etiã hoc ex ſacris literis:dicitur enim Ioan 13.*in hoc cognoſcent omnes, quòd diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis adinuicẽ* Et Matt.5. *Beati miſericordes,quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* I. cõtrario dicit de reprobis Scriptura: *Iudicium ſine miſericordia erit, qui non facit miſericordiam* & Tobiæ 4. *Eleemoſyna ab omni peccato, & morte liberat, & non patitur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit coram Domino Deo omnibus facientibus eam.* Vnde Apoſt. miſericordia, & eleemoſynam appellat rationem dati & accepti, ad Philipp.4.dum ait: *Nulla mihi eccleſia communicauit in ratione dati & accepti, niſi vos ſoli.* vbi, vt notauit Chryſoſt.hom.15.ſuper eandem epiſt.ſic dixit Nulla mihi eccleſia dedit; ſed *communicauit in ratione dati, & accepti:*

Miſericordia & eleemoſyna ſigna ſunt prædeſtinationis.

Misericordia dicitur ratio dati, & accepti.

& accepti: nam diues tribuit pauperi pecuniam, aut quid simile, & pro ea accipit regnum cœlorum, quia eleemosyna est quædam communicatio dati, & accepti. Videatur idem Chrys. in argumento eiusdem epi. col. 3 vbi in eodem sensu explicat illud Prouerb. 3. *Eleemosyna, & veritas, te non deserant*, aduertens, quòd non dixit: Ne destituas eleemosynas, sed *ne te eleemosyna deserant*, indicans nimirum, quòd nos eleemosynis, quas elargimur, indigemus potiùs, quàm illæ nobis indigeant.

XI. Mors sancta fine vitæ sanctitate regulariter non inuenitur.

Tertium signum desumitur ex ipso bono, ac sancto vitæ decursu. Sancta enim vita bonam mortem, peruersa autem mortem pessimam parit regulariter. Hoc signum constituit S. Augustlib. de don. perseu. c. 22. & S. Bern. serm. 22. in Cant. explicans illud Numer. 23. *Moriatur anima mea morte iustorum, & fiant similia horum nouissima mea.* vbi apertè docet, quòd ad mortẽ iustorum per iustorum vitam peruenitur. Vnde S. Aug. affirmat, quòd si quis peruerse viuens, veram pœnitentiam agat in hora mortis, remittentur ei absque dubio peccata, & saluabitur: quòd tamen aliquis inueteratam vitam habeat in peccatis, & postmodum in hora mortis, veram apud Deum agat pœnitentiam, dubitat Augustinus, quia rarò id contingit, iuxta illud Prouerb. 22. *Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non discedet ab ea.* videatur super Psalm 118. in illa verba: *In quo corrigit adolescentior viam suam?*

Verba Dei libenter audire, signũ est prædestinationis.

Quartum signum est, libenter audire verbum Dei, & quadam interiori dulcedine, & suauitate gustare illud: quod S. Gregorius colligit ex illo Ioann. 8. *Qui ex Deo est, verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Et Ioan. 10. dicitur: *Oues mea vocem meam audiunt, & sequuntur me.* In cuius signum cùm Ezechiel cap. 3. & Ioannes Euangelista Apocalyp. 10. librum oblatum à Deo in quo diuina continebantur eloquia, deuorassent; in ore eorum dulcis, in ventre amarus visus est: quia videlicet electis, qui per os Domini designantur, iuxta illud Ier. 15. *Si separaueris pretiosum a vili, quasi os meum eris*, verba Dei dulcia sunt, & suauia. peccatoribus autem, & reprobis, qui per ventrem significantur: quoniam, vt dicit Apostolus, eorum *Deus venter est*, amara, & insuauia fiunt. Vnde Aug. explicans illud Psal. 5. *Secundùm multitudinem impietatum eorum expelle eos: quoniam inamaricauerunt te Domine*, ait: *Peccatoribus autẽ panis veritatis amarus est. Vnde os vera dicẽtis oderunt. Ipsi ergo amaricauerunt Deum, qui peccando in eã ægritudinem deuenerunt, vt cibum veritatis, quo sanæ animæ gaudent, tanquam felleum sustinere non possint.* Electorum autem nomine ait Propheta: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua: super mel ori meo.* Ori meo, inquit, ideſt, iustis, non ventri meo, hoc est, reprobis.

Philip. 3.

Psalm 5. S. Aug. super eũdem Psalm.

XII. 2 Cor. 1. Ad Rom. 8

Quintum signum est testimonium bonæ conscientiæ: dicit enim Apost. *Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ.* & iterum: *Ipse spiritus testimonium reddit, quòd filij Dei sumus, si autem filij, & hæredes.* &

Ad Eph. 1.

rursus: *In quo & credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ.* vbi, vt notauit S. Thom lect. 5. Spiritus sanctus dicitur pignus, vel arrha hæreditatis nostræ, vt habet alia litera apud Glos. quia nũc aliquid datur electis de ipso pretio, quod non est auferendum, sed complendũ in patria. Hoc signũ constituit S. Bernar. serm. 1. & 2. in octaua Paschæ: vbi ad nostrum propositum explicat illud 1. Ioan. 5. *Tres sunt, qui testimonium dant in terra, Spiritus, aqua, & sanguis.* Qui ergo, regulariter loquẽdo, à peccatis mortalibus abstinent & pacatam habent, pacificam, & quietam conscientiam, ad illud pacis regnum verisimile est pertinere, de quo dicit Apost.

Bonæ conscientiæ testimonium signum est prædestinationis.

Rom. 14.

Nõ est regnũ Dei esca, & potus, sed iustitia, & pax, & gaudiũ in Spiritu sancto. De aliis signis videatur Andr. de

A Vega lib. 12. de iustif. cap. 19. Medin. lib. 3. de recta in Deum fide, cap. 3. M. Soto lib. 3. de natura, & gratia, cap. 11. 12. & 13.

XIII.

AD primum argumentum ex factis à principio respondetur, quòd auctoritas illa S. Ioann. intelligitur de certitudine fidei, qua tenemur credere, vitam æternam esse paratam credentibus in Filium Dei, & ipsum diligentibus; si tamen perseuerauerint vsque in finem, vt explicat S. Th. super eundẽ locum. Cognitione autem conditionata, nobis certissima est nostra salus, si videlicet seruauerimus Dei mandata, & perseuerauerimus vsque in finem. Vtrùm autẽ absolutè iste, vel ille in particulari sit perseueraturus vsque in finem, aut verè diligat Deum, secluſa speciali reuelatione, nisi ex coniecturis, quibus tamẽ possit subesse falsum, non potest nobis esse certum.

Ad alium locum ex epist. ad Rom. respondetur primò, quòd ibi loquitur Apostolus de seipso, & de aliis habentibus specialem reuelationem suæ prædestinationis, & salutis, vt S. Aug. explicat lib. de grat. & lib. arb. c. 17. Secundò respondetur, quòd si intelligatur auctoritas illa vniuersaliter de omnibus iustis, sensus est, quẽ adhibet S. Bern. serm. de duplici baptismo, quòd, qui sunt in charitate, à nulla causa extrinseca separari possunt ab illa, nisi ipsi velint. Propter quod Apost. inter ea, quæ numerauit, dicens: *Neque mors, neque vita, nec Angeli, nec Principatus neque Virtutes, neque instantia neque futura, neque fortitudo, nec altitudo, neque profundum, nec creatura alia poterit nos separare à charitate Dei*, non connumerauit ipsum hominem: non enim ait: *Neque nos*, vt indicaret, quòd proprio libero arb. potest iustus separari à charitate Dei, peccando mortaliter. Quod elegantissimè prosequitur S. Chrys. hom. 9. cuius titulus est: *Quod nemo læditur, nisi à semetipso*, vbi latissimè probat, quòd nulla causa extrinseca potest hominem lędere in spiritualibus, nisi ipse velit. Vnde Hieron. ait: *Debilis est hostis, qui non vincit nisi volentem.*

S. Bern.

Rom. 8.

S. Chrys. tom 5.

Ad secundum argumentum respondetur, quòd locus ille intelligitur de quadam fiduciali certitudine, cui potest subesse falsum, vt dictum est; vel potest explicari de ipsis Apostolis, qui specialem suæ salutis reuelationem habuerunt.

Ad tertium respondetur, quòd etiam, secluſa speciali reuelatione, nullus potest esse certus certitudine infallibili, se esse in gratia, vt docent communiter Theologi p. 2. q. 112. art. 5.

DISPVTATIO XLIII.

Vtrùm saltem ex fidelibus sint plures electi, quàm reprobi.

I.

VPPOSITO, quòd non potest quis absque diuina reuelatione, certò, & infallibiliter cognoscere, an ipse, vel alius in particulari sit prædestinatus, inquirendum est: Vtrùm in communi sit certum, ex hominibus, saltẽ fidelibus, plures esse prędestinatos, quã reprobos.

Sunt circa hoc diuersæ sententiæ Doctorum. Damasc. in quodam sermone de defunctis, tenet ferè omnes fideles saluari. Sylu. in rosa aurea, tract. 2. super Euang. Dominicæ in Septuagesima, dicit probabiliter defendi, quòd maior pars Christianorum habentium fidem rectam, & viuentium sub obedientia S. Romanæ Ecclesiæ saluetur. Idem sentit Franciscus à Christo in 1. sent. d. 41. q. vn. concluſ. 3. de reprobatione; & alij nonnulli Theologi, quorum sententia probari potest ex illo Matth. 22. vbi, cum intraret Rex, vt videret discumbentes, vnum dumtaxat inter plurimos inuitatos inuenit, qui sordida veste esset indutus; ergo ex vocatis ad fidem

Digitized by Google

plures ſaluantur, & pauciores damnantur.

Secundò. Ex Angelis plures prædeſtinati ſunt, quàm reprobati ; dicitur enim de dracone magno, per quem Lucifer deſignatur: *Cauda eius trahebat in terram tertiam partem ſtellarum cæli*, ſcilicet Angelorum, qui ceciderunt ad imitationem Luciferi: ergo ſimiliter ex hominibus ſaltem Chriſti fidelibus in lege gratiæ plures ſunt electi, quàm reprobi.

Apoc. 12.

Tertiò arguitur ex cap. 7. Apoc. vbi, poſtquam Propheta euangelicus retulit prædeſtinatorum multitudinem *ex omni tribu filiorum Iſraël*, ſubdit, *Poſt hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, tribubus, populis, & linguis ſtantes ante thronum*: ergo ex omnibus tribubus pauciores dãnantur, ſaltem ex fidelibus; aliàs non dixiſſet, turbam prædeſtinatorum ex omnibus gentibus eſſe magnã.

Quartò : nam ex paruulis, qui ante vſum rationis moriuntur, maxima multitudo decedit cum baptiſmo: ex adultis verò, licèt maior pars ſæpius mortaliter peccet, tamen ſæpius reſurgunt; & ita cadendo, & reſurgendo vitam tranſigunt. Denique ex his multò maior pars recipit Sacramenta Eccleſiæ in articulo mortis, quæ faciunt ex attrito contritum : ergo, penſatis omnibus, verifimile eſt plures ex iis Chriſtianis ſaluari.

Arguitur quintò. In aliis animalibus defectus à ſuo fine contingit in paucioribus: ergo idem erit in hominibus : alias eſſent peioris conditionis, quàm bruta animalia.

Oppoſitam ſententiam magis communiter defendunt Sancti, qui aſſerunt, plures perire etiam ex Chriſti fidelibus, quàm ſaluari. Sic docet S. Gregor. hom. 19. ſuper Euangelia, vbi ait : *Ad fidem multi veniunt, ſed ad cœleſte regnum pauci perducuntur*: & ſuper c. 6. Cant. explicans illud : *Et adoleſcentularum non eſt numerus*: & illud Pſ. 39. *Multiplicati ſunt ſuper numerum* ; expreſsè dicit, vagas animas, id eſt, reprobas, numerum electarum excedere. & ſanctus Auguſtinus lib. 3. contra Creſconium Grammaticum, cap. 66. explicans illud Matt. 8. *Multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham*, inquit, quòd *electi nunc multi dicuntur, nunc pauci, quia idem ipſi boni, verique Chriſtiani, qui per ſeipſos multi ſunt, in comparatione malorum falſorum, itidem pauci ſunt: ſicut multa grana, quibus horrea magna complẽtur, pauca dicimus in comparatione palearum.* Et epiſt. 48. ad Vincent. & lib. 13. contra Fauſt. c. 16. idipſum confirmat, & ad id probandum adducit locum illum Geneſ. *Sicut ſtella cœli, & ſicut arena maris, ſic erit ſemen tuum* : vbi per ſtellas cœli electos intelligit, & per arenam maris reprobos : ergo in quo numero arena maris excedit ſtellas cœli, in eodem numerus reproborum excedit numerum electorum. Idem inſinuat S. Chryſoſt. hom. 40. ad populum; ait enim: *Quot putatis eſſe in hac ciuitate, qui ſalui fiant? non poſſunt inueniri in tot millibus centum, qui ſaluentur, quin & de his dubito: quanta enim in iuuenibus malitia, quantus in ſenibus torpor?* Et quamuis hæc verba per hyperbolen dicta videantur, certiſſimum exiſtimat eſſe Chryſoſtomus, plures damnari, quàm ſaluari. Denique Caietanus explicans illud Matth. 25. *Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes* ; arbitratur, quòd ex Chriſtianis, qui apparent boni, & habent aliqualem curam ſuæ ſalutis, medietas perit: & iſtum putat eſſe legitimum ſenſum literalem illius parabolæ de decem Virginibus, quinque fatuis, & quinque prudentibus. Hæc ſecunda ſententia eſt valde conformis locis Scripturæ: vnde pro reſolutione ſit

Prædeſtinati pauci, reprobi multi ſunt.

Gen. 22.

III.
Reproborũ numerus incomparabiliter ex

PRima concluſio. Si loquamur abſolutè de omnibus hominibus, multò maior eſt, & incomparabiliter maior numerus reproborum, quàm electorum. Hanc concluſionem docent auctores allegati in ſecundo loco, & colligitur ex ſacris literis : primò ex lib. 4. Eſdræ c. 8. vbi dicitur : *Hoc ſæculum fecit Altiſſimus propter multos ; futurum autem propter paucos*, ſcilicet propter electos : & explicans ſtatim optimo exemplo multitudinem maximam reproborum, & electorum paucitatem, ſubdit : *Terra dabit multam terram, vnde fit fictile, paruum autem puluerem, vnde aurum fit, ſic multi quidem creati ſunt, pauci autem ſaluabuntur* : ac ſi apertiùs diceret: Qua proportione terra ſuperat puluiſculos auri, ea reprobi electos excedunt. Et quamuis ille liber non ſit canonicus, magnam tamen poſt Scripturam canonicam auctoritatem habet, vnde & à ſanctis Doctoribus, præſertim ab Ambroſio, & Auguſtino pluries allegatur ad confirmationem ſuæ doctrinæ.

cedit numerũ prædeſtinatorum.

Secundus locus habetur ad Epheſ. 1. vbi loquens Apoſtolus de electis, inquit : *Qui dignos nos fecit in partem ſortis Sanctorum* : & ad Coloſs. 1. *Sorte vocati eſtis.* vbi electos dicit eſſe ſorte vocatos, vt eorum paucitatem deſignet. Nam ſicut ſortes, cùm inter plura hominum millia mittantur, pauciſſimis tamen contingunt, & interdum inſipientibus, & pauperibus ; relictis ſapientibus, & diuitibus nobilibuſque: ita pauciſſimis inter multa hominũ millia ſors prædeſtinationis contingit, in qua non attenditur generis nobilitas, non humana ſapientia, non magnitudo diuitiarum, aut operum præcedentium merita, ſed pro ſua miſericordia, & gratuita voluntate, *cuius vult, miſeretur* Deus, *& quem vult indurat.* Vnde & Apoſtolus : *Videte*, inquit, *vocationem veſtram fratres, quia, non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, ſed quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus, vt confundat ſapientes ; & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia, & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea, quæ non ſunt, vt ea, quæ ſunt, deſtrueret: vt non gloretur omnis caro in conſpectu eius.*

Prædeſtinatio quare ſors dicatur.

Rom. 9. 1. Cor. 1.

Tertius locus habetur in Pſ. 39. vbi de reprobis dicitur : *Multiplicati ſunt ſuper numerum*, ſcilicet electorum, vt explicat S. Greg. vbi ſuprà. Vnde & Eccleſiaſtes 1. dicitur : *Stultorum infinitus eſt numerus.* Et Iſai. ca. 24. paucitatem electorum confert paucis oliuis, & racemis, qui remanſerunt, finita vindemia, dum ait : *Quomodo ſi pauca oliua, quæ remanſerunt, excutiantur ex olea, & racemi, cùm fuerit finita vindemia.* Et cap. 17. inquit : *Et relinquetur in eo, ſicut racemus duarum, vel trium oliuarum in ſummitate rami, ſiue quatuor, aut quinque, in cacuminibus eius, fructus eius.* Vnde reliquiæ dicuntur electi, quia pauci, vt ad Ro. 9. *Si fuerit numerus filiorum Iſraël, ſicut arena maris, reliquiæ ſaluæ fient.* & cap. 11. *Reliquiæ ſecundùm electionem ſaluæ factæ ſunt.*

IV.

Iſai. 24.

Secunda Concluſio. Etiam ex fidelibus, qui fuerunt ab initio naſcentis Eccleſiæ vſque ad finem mũdi, plures homines ſunt reprobi, quàm electi. Hãc concluſionem docent auctores ſecundæ ſententiæ, & colligitur ex locis Scripturæ adductis pro præcedenti concluſione. Præterea probatur ex illo Matth. 20. *Multi ſunt vocati, pauci verò electi* : vbi ſermo eſt de hominibus, qui vocati ſunt ad fidem. item etiam 1. ad Corinth. 10. loquens Apoſtolus de Iudæis, inquit : *Nolo vos ignorare fratres, quod patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, ſed non in pluribus beneplacitum eſt Deo: nam proſtrati ſunt in deſerto.* & poſtea ſubdit, hoc in figura contigiſſe illis. Præterea Cant. 2 dicitur : *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.* Non inquit inter extraneas, vt notauit Bernar. ſed *inter filias*, ſiue inter domeſticas fidei. nam ſicut ſpinæ excedunt lilia in numero, ita etiam ex fidelibus reprobi excedũt electos. Denique Matth. 7. ipſa Veritas clamat : *Arcta eſt via, quæ ducit ad vitã, & pauci ingrediuntur per eã, lata eſt via, quæ*

V.
Reprobi etiam ex fidelibus ſunt plures quàm electi.

Bern. ſerm. 48. in Cant.

ducit

ducit ad perditionem, & multi ingrediuntur per eam.

Tertia conclusio. Etiam ex fidelibus, qui in lege gratiæ nascuntur, plures sunt reprobi, quàm electi. Hæc conclusio non est ita certa, sicut præcedens: loca tamen Scripturæ adducta eam persuadere videntur. Illam docet Caiet. exponens parabolam illam Matth. 25. de decem virginibus: vbi affirmat, etiam ex illis, qui in Ecclesia peculiarem aliquam suæ salutis curam habent, qui subinde per virgines designantur, dimidiam partem damnari: ergo si numeremus prædictos fideles legis gratiæ, plures sunt reprobi, quàm electi. Experientia enim constat, quamplurimos fideles, eos præsertim, qui viuunt, vbi nulla viget disciplina, aut rarò prædicatur Verbum Dei, paruam, aut nullam suæ salutis curam habere. Præterea, etiam in statu legis Euangelicæ propter corruptionem naturæ, cuius sensus, & cogitatio in malum prona sunt ab adolescentia sua, multò plures sequuntur inclinationem sensus, quàm rationis, vt ex solutione ad 1. & ad 5. patebit. In particulari autem, quot sint prædestinati, soli Deo cognitum est, vt S. Thom. probat ex oratione illa Ecclesiæ: *Deus cui soli cognitus est numerus electorum in superna fœlicitate locandus, &c.*

S. Th. 1. p. q. 24. art. 7. in corp.

VI.

AD primum argumentum respondetur, quòd, vt Hieron. explicat, nomine *vnius* intelligitur in illo loco Matt. 22. omnium reproborum congregatio, quæ ad vnam ciuitatem pertinet Babylonis, & significatur nomine *vnius*, quoniam reprobi in vnum coniuncti, quasi spinæ se inuicem complectuntur, iuxta illud Nahum 1. cap. *Quia sicut spinæ se inuicem complectuntur, sic conuiuium eorum pariter potantium.* Aut verò quia omnes reprobi, seu damnati in vna pœna damni conueniunt, propter quam dicuntur congregati congregatione vnius fascis, iuxta illud Isaiæ vaticinium cap. 24. *Et congregabuntur congregatione vnius fasciis in laqueum, & detrudentur in carcerem*: vt in nostris commentariis super eundem locum obseruabimus.

Reprobi spinis conferuntur.

Ad secundum negatur consequentia, & ratio discriminis est; quia in homine est duplex natura, scilicet rationalis, & sensitiua, & quoniam per operationem sensus peruenit homo ad actum rationis, ideo plures sequuntur inclinationem naturæ sensitiuæ, quàm ordinem rationis, vt explicat S. Tho. p. 2. q. 71. art. 2. ad 3. Et præsertim hoc habet verum in natura corrupta; vnde Arist. 2. ethic. cap. 3. inquit: *Cunctis vnà cum hominibus, ab ipsis incunabulis, voluptas est enutrita: quapropter arduum est, hunc affectum insitum vitæ excludere.* Hæc autem ratio non procedit de Angelis, vnde non est simile.

Sensus inclinationé quare plures sequantur.

Ad tertium respondetur, quòd, sicut sanctus Augustinus ait locis superiùs allegatis, prædestinati, absolutè loquendo, sunt multi, sed respectu multitudinis reproborum pauciſſimi: quod & in eodem loco Apoc. innuitur: nam, vt ibi adnotauit S. Thom. cùm dicitur, *ex omni tribu, lingua, populo, & natione*; illa dictio, *ex*, delectum quemdam, & segregationem paucorum denotat ex multis.

Ad quartum argumentum respondetur, quòd etiam quamplurimi ante vsum rationis, absque lauacro regenerationis decedunt, vel quia moriuntur in vtero, aut quia etiam ex vtero nati, ad baptismum non peruenerunt. Et licèt plures ex his decedant ante vsum rationis cum baptismate, & saluentur; si tamen conferantur cum multitudine adultorum, qui pereunt, constabit, plures etiam in lege Euangelica esse reprobos, quàm electos. Ad id verò, quod obiicitur de suscipientibus Sacramenta Ecclesiæ in articulo mortis, respondetur, quòd si rectè consideretur, plurimi Christiani absque susceptione Sacramentorum decedunt, & dato quòd maior pars in articulo mortis sacramenta suscipiat, pauciores ad effectum sacramentorum suscipiendum se præparant.

Ad quintum negatur consequentia, & ratio discriminis est, quam assignat S. Thom. prima parte quæstione 23. articulo septimo ad 3. Nam finis aliorum animalium est proportionatus eorum naturæ, beatitudo autem æterna excedit communem statum naturæ creatæ, & præcipuè, secundùm quòd est gratia destituta per corruptionem originalis peccati. Bonum autem proportionatum communi statui naturæ accidit vt in pluribus, & deficit in paucioribus, sed bonum, quod excedit communem statum naturæ, inuenitur in paucioribus; & deficit in pluribus. Vnde, quamuis ex brutis animalibus multò plura consequantur suum finem, ex hominibus tamen plures ab eo deficiunt. Est & alia ratio, quam in eadem solutione assignat sanctus Thomas, quia videlicet in hoc maximè apparet Dei misericordia, eò quòd aliquos ad æternam salutem eligit, à qua plures deficiunt. Sed de hoc inferiùs agendum est inter disputandum. Verùm ostensio diuinæ iustitiæ in reprobis, & maioris misericordiæ in electis, sit ex parte Dei sufficiens reprobationis ratio. Nec ex hoc sequitur, homines esse peioris conditionis, quàm animalia bruta, imò quia sunt melioris conditionis plura requirunt, vt finem vltimum, ad quem sunt conditi, assequantur; ac propterea, vt in pluribus ab eo deficiunt. Et hæc de imperscrutabili Prædestinationis mysterio dicta sufficiant.

Disp. 111.

FINIS LIBRI QVINTI.

Digitized by Google

DE AVXILIIS

DIVINÆ GRATIÆ, ET HVMANI ARBITRII VIRIBVS, ET LIBERTATE,

AC LEGITIMA EIVS CVM EFFICACIA eorundem Auxiliorum concordia,

Liber Sextus.

IN QVO EXPLICATVR, QVAS VIRES NATVRALES ad bonum naturæ proportionatum cognoſcendum, vel exequendum, & ad malum reſpuendum, habeat Liberum Arbitrium, præſertim in natura lapſa.

CONSIDERATIS autem his, quę ad auxilia Dei extrinſeca pertinent, reſtat conſideratio de auxiliis intrinſecis, quibus prędeſtinati adiuuantur a Deo, vt declinent à malo, faciant bonum, vitam ęternam promereantur, & conſequantur. Sed, vt ex infirmitate liberi arbitrij euidenter appareat, adiutorium gratię eſſe ad hæc omnia ſimpliciter neceſſarium, oportet de viribus naturalibus eiuſdem arbitrij nonnulla diſcutere: hac enim ratione, vt obſeruauit S. Thom. non ſtatim poſt lapſum primi hominis Verbum caro factum eſt, propter conditionem humani peccati, quod ex ſuperbia prouenerat. Vnde eo modo erat homo liberandus, vt humiliatus, recognoſceret ſe liberatore indigere. In cuius confirmationem adduxit S. Doctor gloſſam ordinariam, quæ explicans illud ad Galat. 3. *Ordinata per Angelos in manu mediatoris*, ait: *Magno Dei conſilio factum eſt, vt poſt hominis caſum, non illico Dei filius mitteretur. Reliquit enim Deus prius hominem in libertate arbitrij in lege naturali, vt ſic vires naturæ ſuæ cognoſceret: vbi cùm deficeret, legem accepit, qua data, inualuit morbus, non legis, ſed naturæ vitio; vt vita cognita ſua infirmitate, clamaret ad medicum & gratiæ quæreret auxilium.* Et S. Auguſt. *Saluberrimè*, inquit, *confitemur, Deum ſic ordinaſſe Angelorum, & hominum vitam, vt in ea prius offenderet, quid poſſet ſua gratiæ beneficium, inſtitiæque iudicium.* Et inprimis conſiderandum eſt, quid poſſit liberum arbitrium in ordine ad actus ſupernaturales. Quia verò liberum arbitrium conſiderari poteſt in triplici ſtatu, ſcilicet ante receptionem gratiæ, & poſt receptionem gratiæ in ordine ad actus tam naturalis, quàm ſupernaturalis ordinis, primò inquirendum eſt, quid ex facultate naturæ poſſit liberum arbitrium ante receptionem gratiæ in ordine ad actus naturales. Secundò, quid poſſit in ordine ad actus ſupernaturales. Tertiò, quas vires habeat in ordine ad bonum ſupernaturale, poſtquam à Deo accepit priora auxilia diuinæ gratiæ. Sed ante hæc omnia, vt recto ordine procedamus, explicandus eſt ſtatus humanæ naturæ poſt primum Protoparentis peccatum, & quæ damna per illud incurrerit, vt ex hoc, ad quos actus neceſſaria ſit gratia, colligamus, circa quod erunt quatuor diſputanda.

S. Th. 3. p. q. 1. art. 5. c.

S. Aug. li. de corrept. & gratia. cap. 10. te. 7.

Liberũ hominis arbitrium cõſiderari poteſt in triplici ſtatu, ante receptionẽ, in receptione & poſt receptionem gratiæ.

I. Vtrùm omnes paruuli per ſeminalem propagationem deſcendentes ex Adam, contrahant peccatum originale.

II. Vtrùm per originale peccatum ſolùm fuerit homo ſpoliatus originali iuſtitia, & ſupernaturalibus donis, an etiam in naturalibus vulneratus.

III. Quæ ſint vulnera, quæ homo per originale, vel actuale peccatum incurrit.

IV. Vtrùm liberum arbitrium in natura lapſa, ſeclusis auxiliis gratiæ, habeat eaſdem vires naturales ad bonum, quas habiturum eſſet, ſi in puris naturalibus conditum fuiſſet.

DISPVTATIO XLV.

Vtrùm per ſeminalem propagationem filij Adæ contrahant peccatum originale, quod in illis verè, & propriè habeat rationem culpæ.

HAEC hanc difficultatem fuerunt quidam Iudæi ante aduentum Saluatoris noſtri, qui aſſeruerunt, circumciſionem non fuiſſe à Deo inſtitutam in remedium peccati originalis, ſed ad ſignandum populum ſuum, & diſtinguendum illum ab aliis nationibus: quod probabant ex illo Gen. 37. *Circumcidetis carnem præputij veſtri, &c. vt ſit ſignum fœderis*: atque adeò negabant peccatum originale. Poſt promulgatum autem Euangelium primus hæreticus, qui expreſsè negauit peccatum originale, fuit Pelagius, & ſocius eius Cæleſtius, vt refert S. Auguſtinus. Eundem errorem ſequutus eſt Iulianus Pelagianus in libris 4. quos ſcripſit

S. Aug. lib. de peccat.

Digitized by Google

meritis,& remiſſ. c.1. 2. 3.9.& 19 to 7. Aug. lib. 3. contra Iulian.cap.5. Guido de Arimenis.

ſcripſit aduersùs peccatum originale,vt refert idem S. Auguſt. Poſtmodum verò per annos quamplurimos ſiluit hæreſis; ſed circa annum Domini ſexcenteſimum eundem errorem ,per Auguſt.ſepultum,ſuſcitauerunt Armeni,vt refert Guido Carmelita.Quem etiam errorem S.Antoninus 4.p. tit. 11. cap.7.§ 5.tribuit Albigenſibus.Deinde circa annum Domini 1510. Iacobus Faber Stapulenſis ſuper c. 5. ad Rom.aſſeruit,nihil paruulos contrahere ex Adã. Alij verò hæretici nomine Sacramentarij, admittentes contagium peccati originalis à primo parente per ſeminalem propagationem contractum; aſſeruerunt, illud non eſſe propriè peccatum, nec promereri aliquam pœnam, etiam damni: ſed eſſe quendam morbum,& miſeriam;ſicut eſt miſeria, & nó culpa, quòd homo naſcatur leprolus, aut ſeruus.

Zuing tract.3 de Baptiſmo, fol.89. Oecolãp. in reſp. ad cõfeſſ. Lutheri.

Idem tenuit Zuinglius,& Ioannes Oecolampadius. Argumenta horum hæreticorum adducit, & ſoluit S.Aug.locis infrà allegandis. Sed nos ea in medium tantùm proferemus, quæ maiorem habent difficultatem.

PRimum argumentum eſt Iuliani cont.S.Auguſt. De ratione peccati eſt,quòd ſit voluntarium:ſed in paruulis ante vſum rationis nullum eſt voluntarium,nec eſſe poteſt:ergo nec peccatum.Si dicatur, peccatum originale eſſe paruulis voluntarium,non quidem volũtate propria actuali, ſed voluntate primi parentis, quæ quodammodo fuit omnium paruulorum voluntas, cùm Adam extiterit eorum caput;contra hoc eſt argumentum.Peccatum originale verè auertit a Deo ipſam voluntatem paruuli, & eam conuertit ad bonum commutabile: ergo non ſufficit voluntas primi parẽtis, nec peccatum illius, vt paruuli contrahant aliquod peccatum. Conſequentia probatur: nam illa voluntas, & peccatum primi parentis nihil põnit intrinſecum in voluntate paruuli, ſed omnino ſe habet extrinſece ad illam: ergo eſt impoſſibile, quòd ratione illius, voluntas paruuli dicatur intrinſecè auerſa.

Confirmatur,& oſtenditur vis huius argumenti. Potentiæ exequutiuæ exteriores, quia non habent in ſeipſis aliquam voluntatem, ſed ſolùm dicuntur voluntarij earum actus, denominatione extrinſeca à voluntate, quæ eſt in potentia interiori animæ; non ſunt capaces alicuius peccati, niſi extrinſeca duntaxat denominatione. ergo ſimiliter voluntas paruuli,quia non habet actualem libertatem,ſolùm extrinſeca denominatione dicetur contrahere, vel habere peccatum originale.

Secundò,Nemo dat,quod non habet: ſed Adam iam non habet peccatum originale; ſimiliter etiam & proximi parentes, ſi ſint baptizati, non habent peccatum originale: ergo non transferunt illud in poſteros.

Tertiò,Actus coniugalis eſt de ſe licitus,& quandoque meritorius: ergo non traducitur per illum peccatum originale.Pãtet conſequentia: nam ſi per illum traduceretur,iam talis actus eſſet cauſa peccati,& conſequenter peccatum. Hoc etiam argumentum eſt Iulfani,& Pelagij.

Quartò arguitur ratione Pelagij apud Aug. epiſt. 156. Anima rationalis non eſt ex traduce,cùm à Deo creetur: ergo non contrahit peccatum originale. Iniuſtum eſt enim, vt hodie producta anima, non ex maſſa Adæ, tam antiquum peccatum alienum portet:ergo nulla ratione debet cõcedi, quòd Deus, qui propria peccata dimittit, imputet aliena. Cùm ergo peccatum ſit per ſe primò in anima, & non in carne;relinquitur, filios Adæ nullum prorſus naturæ peccatum contrahere.

Quintò, Adam non tranſmittit peccatum originale in poſteros moraliter, ſeu per modum meriti, nec etiam efficienter, ſiue ad modum cauſæ phyſicæ:ergo nullo modo illud tranſmittit;ac per conſequens, filij Adæ non contrahunt ab eo peccatum originale.Conſequentia probatur,quia non eſt poſſibilis alius modus, quo Adam poſſit tranſmittere in ſuos filios originale peccatum. Antecedens autem,quoad primam partem probatur:nam,ſicut demeritum Adæ habuit ortum ex eius peccato; ita & meritum illius, ſi perſeueraſſet, ortum habuiſſet ex gratia, & iuſtitia originali, quæ erat donum collatum toti naturæ humanæ in Adam, ſed ſi Adam perſeueraſſet in iuſtitia originali, non tranſmiſiſſet illam in poſteros per modum meriti;aliàs gratia, & iuſtitia originalis non daretur paruulis mere gratis, ſed ex meritis ipſius Adæ, quod videtur repugnare ipſi gratiæ.Si enim ex gratia,iam nó ex operibus,alioquin gratia non eſt gratia,vt arguit Apoſtolus ad Rom.11.ergo Adam non tranſmittit peccatum originale in filios per modum demeriti, ſiue vt cauſa moralis. Quòd verò illud non tranſmittat, vt cauſa phyſica, probatur: nam id, quod non eſt actu, nec virtute;non operatur phyſicè; ſed Adam, & peccatum illius non eſt actu,vt de ſe patet:nec etiam manet in virtute;etenim ſi maneret,maximè in virtute ſeminis; ſed ibi non manet aliqua virtus cauſatiua peccati originalis:ergo.

Confirmatur.Peccatum originale non eſt formaliter aliquid poſitiuum, ſed priuatiuum: ergo non habet cauſam poſitiuam phyſicam: priuatio enim cùm non ſit ens, cauſam phyſicam habere non poteſt ergo Adam non poteſt eſſe cauſa phyſica tranſmiſſionis peccati originalis.

Sextò.Peccatum originale non tranſmittitur per ſeminalem propagationem, tanquam per inſtrumentum: ergo nullo modo tranſmittitur ab Adam. Probatur conſequentia:nam ſi tranſmitteretur, neceſſarium eſſet aſſignare aliquod medium, ſiue inſtrumentum,per quod tranſmitteretur:nullum autem poteſt aliud medium aſſignari, præter ſeminalem propagationem. Antecedens autem probatur: nam inſtrumentum operatur per aliquam virtutem ſibi communicatam a principali agente, ſed ipſum ſemen deciſum ab Adam, ſeu ſeminalis propagatio nullam habet realem virtutem ſibi communicatam ab ipſo Adam,vt inſtrumentaliter poſſit concurrere ad tranſmittendum cum natura humana peccatum originale in poſteros:ergo.

Septimò,Non eſt aſſignabile aliquod inſtans, in quo filij Adæ contrahant peccatum originale: ergo non contrahunt illud. Antecedens probatur: quia non contrahunt huiuſmodi peccatum in inſtanti,in quo anima rationalis creatur a Deo, alias enim ipſa anima haberet peccatum ex eius creatione, & ita idem peccatum tribueretur Deo. Propter hãc enim rationem S.Thomas docet,fuiſſe impoſſibile, quòd Angelus in primo inſtanti ſuæ creationis peccauerit per inordinatum actum liberi arbitrij:quoniam illud peccatum tribueretur Deo, eò quòd operatio, quę ſimul incipit cum eſſe rei,eſt ei ab agente,à quo habet eſſe, ſicut moueri ſurſum ineſt igni à generante. Nec etiam filij Adæ contrahunt peccatum originale in inſtanti, in quo anima vnitur corpori; quia peccatum non deriuatur à corpore in animam, cùm ſubiectum immediatum eiuſdem peccati non ſit corpus,ſed anima,vel potentia rationalis: ergo nullum eſt ſignabile inſtans,in quo filij Adæ contrahant peccatum originale: non ergo illud contrahunt.

III.

S. Thom. 1. p. q. 63. art. 5. in corp.

Inter Catholicos verò Hieron.Oſorius lib. 7. de Iuſtitia:& Ambroſ.Catherinus opuſt.de pecc.orig. cap.5.& 6.admittentes originale peccatum, dixerunt,extrinſeca denominatione conſtitui paruulos

Digitized by Google

peccatores per peccatum, quod præceſſit in Adam. Pro qua ſententia eſt

Septimum argumentum ex Apoſt. ad Rom. 5. dicente : *Vnius delicto peccatores conſtituti ſunt multi.* Quibus verbis ſignificare videtur, omnes homines conſtitui formaliter peccatores primi parentis delicto. Sed delictum Adæ non poteſt denominare peccatores filios illius, niſi extrinſeca denominatione, quia peccatum non denominat intrinſece, niſi ſubiectum, in quo eſt: ergo, &c.

Denique alij Catholici, quamuis admittant cum omnibus Theologis, peccatum originale ſingulis ineſſe proprium, atque intrinſecè denominare, & conſtituere peccatores filios Adæ; aſſerunt tamen, quòd paruuli abſque regenerationis lauacro decedentes poſt diem iudicij, cùm ipſorum animæ ſuis fuerint corporibus reſtitutæ, ab omnibus moleſtiis, & ærumnis, quibus in hac mortali vita ſubiacemus; ſupernaturaliter liberabuntur, meliorémque in naturalibus vitam, vitio omni mentis, & corporis immunem, in perpetuas æternitates ducent, quam vllus vnquam mortalium duxerit. Quam ſententiam videtur inſinuare Ambroſ. Catherinus ad cap. 3. epiſt. 1. S. Petri, de qua tamen diſp. 114. agendum erit ex profeſſo.

Rom. 5. In contrarium eſt, quod dicit Apoſtolus : *Omnes in Adam peccauerunt*, ex quo teſtimonio ſacra Concilia, ſummi Pontifices, & SS. Doctores inferiùs allegandi colligunt, omnes deſcendentes ex Adam per ſeminalem propagationem contrahere cum natura peccatum originale.

IV. Peccatum originale dicitur peccatum naturæ, ſeu peccatum mundi.

Pro explicatione huius difficultatis notandum primò, quod peccatum originale dicitur peccatum naturæ, ſecundum illud ad Eph. 2. *Eramus natura filij iræ*: eò quòd totam maſſam naturæ humanæ corrupit, & commaculauit in primo parente, qui fuit caput, & principium, à quo in alios natura humana deriuatur. Dicitur etiam peccatum mundi, Ioan. 1. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*; quoniã omnes homines, vno excepto, qui eſt Deus, & homo, per quem alij redimendi erant, inuaſit. Vnde S. Hieron. ſuper cap 47 Ezechiel. Hieronymus vocat illud peccatum humanæ conditionis. Explicans enim locum Pſalm. 50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea*, inquit. *Non in iniquitatibus matris meæ, vel certè meis, ſed in iniquitatibus humanæ conditionis.*

Chryſoſt. ho. 40. ſuper 1. epiſt. ad Corint. Et S. Chryſoſt. illud appellat *peccatum radicale*, quoniam ex originali peccato, ſublato fræno originalis iuſtitiæ, concupiſcentia inordinata ſubſequuta eſt, & cupiditas, quæ vt dicit Apoſtol. *radix eſt omnium malorum.* Vnde & peccatum originale radix fuit, & principium quodammodo omnium peccatorum: propter quod & peccatum radicale non inconuenienter appellatur. Vnde idem Chryſoſt. homil. de Adam, & Eua : *De ipſo*, inquit, *peccato tranſgreſſionis pullulant omnia peccata. Cum ergo dicitur tradi homo deſideriis ſuis, ex ipſa propagine fit reus, quia deſertus à Deo, cedit cupiditatibus, atque conſentit, vincitur, capitur, trahitur, poſſidetur.*

Peccatu actualis, & originalis differentia. Notandum ſecundò, hanc eſſe differentiam inter peccatũ originale, & actuale priuatæ perſonæ, quòd actuale peccatum committitur propria voluntate ipſius peccantis: vnde in alium transfundi non poteſt. Ezech. 18. Dicitur enim per Ezechielem : *Anima, quæ peccauerit ipſa morietur: filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filij: iuſtitia iuſti ſuper eum erit, & impietas impij erit ſuper eum.* Peccatum autem originale, cùm ſit peccatum naturæ, non requirit propriam, & particularem voluntatem eius, qui illud contrahit, ſed ſufficit voluntas primi parentis : nam voluntas capitis reputatur voluntas totius naturæ humanæ, & omnium, qui per originem ab illo participant humanam naturam, vt S. Thomas optimè notauit.

V. M. Soto lib. 1. de nat. & gra. cap. 9. Peccatum originale contrahitur quid ſit.

Tertiò notandum, quòd, vt aduertit M. Soto: quando paruulus concipitur in vtero, & infunditur illi anima, non dicitur propriè peccare in illo inſtanti, ſed concipi in peccato, vel contrahere peccatum cum natura vitiata. Etenim propriè loquendo, in illo inſtanti omnes filij Adæ peccauerunt originaliter, in quo ipſe Adam peccauit actualiter, edendo de ligno vetito, iuxta illud, quod Apoſtolus ait: *Omnes in Adam peccauerunt.* Peccatum quippe Adæ, Rom. 5. ca. non ſolùm fuit peccatum perſonæ, ſed etiam naturæ.

In Adam prius fuit infecta perſona, quàm natura, in paruulis è contra.

Quartò notandum, quòd aliter ſe habet natura humana infecta in ordine ad Adam, ſiue ad peccatum illius, & aliter ſe habet in ordine ad paruulos, & ad peccatum originale, quod contrahunt. Etenim in Adam priùs fuit infecta perſona peccato actuali, quàm inficeretur natura; quoniam à perſona redũdauit contagium in naturam. Vnde iſta cauſalis eſt vera: quoniam Adam infectus fuit peccato actuali, ideo maculata eſt in illo natura humana. Cæterùm reſpectu filiorum illius, res ſe habet è cõuerſo. Priùs enim intelligitur vitiata ipſa natura, quàm intelligatur peccato originali maculata perſona : eò quòd peccatum originale à natura vitiata redundat in perſonas ab Adam deſcendentes. His ſuppoſitis fundamentis ſit

VI. Peccatum originale cõtrahunt omnes filij Adæ.

PRima concluſio. Secundùm fidem Catholicam aſſerendum eſt, paruulos deſcendentes ex Adam per ſeminalem propagationem contrahere peccatum originale. Concluſio eſt contra omnes hæreticos ſuprà allegatos. Probatur tamen euidentiſſimis teſtimoniis ſacræ Scripturæ, tam ex veteri, quàm ex nouo Teſtamento deſumptis. Primum teſtimonium habetur Geneſ. 17. *Maſculus, cuius præputij caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illius de populo ſuo, quia pactum meum irritum fecit.* Vbi neceſſaria aſſeritur circumciſio paruulis ad remiſſionem peccati, ne propter illud pereant in æternum, quia irritum fecerunt pactum Dei. Ex quo teſtimonio ſic arguit S. Aug. contra Pelagianos. Paruuli Auguſt lib. 2. de pecc. orig. c 30. & 35. & lib. 2. de nuptiis & cõcupiſcẽtia, cap. 17. non fecerunt irritum pactum Dei per actuale peccatum : quia cùm non habeant vſum liberi arbitrij, peccatum actuale committere non poſſunt: ergo irritum fecerunt pactum Dei per originale peccatum: ergo contrahunt illud per originem. Vbi eſt obiter aduertendum, quòd ipſe paruulus dicitur irritum feciſſe pactum illud, quod Dominus pepigit cum Adam dicens: *In quacunque die comederis ex eo, morte morieris*: quoniam verè, & propriè in Adam peccauit, & in ipſo irritum fecit illud pactum Domini. Genes. 2.

Secundum teſtimonium habetur in Pſalm. 50. in quo Regius Propheta, nomine omnium deſcendentium ex Adam, inquit: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.* Ex quo loco omnes ferè Patres tam Græci, quàm Latini probant, noſtram concluſionem eſſe de fide. Et potiſſimùm inter Græcos Origenes homil. 8. in Leuit. Baſilius Magnus in Scholis ad Pſalmum 50. Chryſoſtomus hom. de Adam, & Eua: Hichius lib 1. in Leuit. c. 12. aduertens, quòd *non ſua matris peccatum aliquod his verbis accuſat, ſed matrem naturam appellat, immunditiam peccati Adæ, & Euæ in omne genus humanum deſcendiſſe ſignificans.* In eodem fere modo explicant eundem locum Euthymius ſuper eundem Pſal. Et inter Patres Latinos S. Hilarius ad Pſal. 118. in illa verba: *Viuet anima mea, & laudabit te.* Ambroſius lib. 1. de pœnit. c. 2. Hieronymus ſuper cap. 47. Ezechielis, cuius verba ſuperius retulimus: Ruffinus ſuper Pſalm. 50. Beda ſuper cap. 21. Leuit. Innocentius III. libro primo de contemptu mundi, capit.

Digitized by Google

capit.3 & Gregorius Magnus ſuper 4. Pſalm.pœnitentialem.

VII. Teſtimonium tertium habetur Eccleſiaſtici 40. *Iugum graue ſuper filios Adam a die exitus de ventre matris eorum, vſque in diem ſepultura, in matrem omnium*;quem locum explicans S.Auguſtinus: *Quod eſt hoc*,inquit,*graue iugum,niſi peccatum? Et quare dictum eſt iugum, niſi quia ex duobus Adam, & Eua, veniat? vel duorum premat & conterat collatio? id eſt, maſculi, & fœminæ,malorum videlicet, & impiorum, quia in vtroque ſexu iugum ſunt. Ideo ait generaliter: graue iugum ſuper filios Adam. Dicendo ergo ſuper filios, ætates non diſcreuit vel ſexus: & comparando iugum peccato propter Chriſtum,qui, vt cæteri, ex vſu coniugatorum natus non eſt, omnes cæteros eſſe peccatores aquauit. Hoc iugo, id eſt,originali peccato,reuinctli maiores, atque minores, vitio ex ipſo orti, tanquam aratrum trahimus, quamdiu ſumus in mortis corpore, cuius cupiditatis vomere proſcinditur hoc eſt, corrumpitur terra noſtra.* Ex eodem loco colligunt alij plures ſancti Doctores, peccatum originale contrahi à paruulis.

Aug. lib. ... cap.... Hypognoſtic. paulo poſt princ.

Peccatum originale dicitur iugum quia ex duobus eſt.

Quartum, & potiſſimum teſtimonium ex nouo Teſtamento deſumptum habetur Ioannis 3.vbi ipſa Veritas ait: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto,non poteſt introire in regnum Dei.* Quo teſtimonio S. Auguſtinus ſæpius aduersùs Pelagianos triumphat,oſtendens,paruulos ex Adam peccatum originale contrahere,à quo,niſi per lauacrum regenerationis liberentur,in perpetuum manebunt à regno cœlorum excluſi Id quod latiſſimè proſequitur pluribus in locis, ſed præſertim lib.6.de baptiſmo contra Donatiſtas, cap.12. & libr.1.de peccatorum meritis,& remiſſione, cap.17.20.29. & 30. & libr.2. capit.27. Ad hoc autem argumentum reſpondebat Pelagius,paruulos quidem baptizari;non tamen in remedium alicuius peccati originalis, ſed vt admitterentur cum Chriſto in regno Dei.

Paruuli baptizantur in remedio peccati.

Sed contra hanc euaſionem eſt argumentum S. Auguſtini, quo etiam vtitur contra Pelagianos. Infantes non baptizati excluſi manent à regno Dei, vt fatetur Pelagius: ergo propter aliquod peccatum; nullus enim de facto excluditur a regno Dei, niſi pro peccato,vt oſtendit S.Thom.4. cont. Gent. c.50.ſed non excluduntur propter peccatum actuale ergo propter originale.

VIII. Paruuli abſque remedio decedentes non damnanturpropter peccata, quæ cõmiſiſſent,ſi vixiſſent.

Aliqui ex Pelagianis reſpondebant,quòd paruuli decedentes abſque baptiſmate, manebunt excluſi à regno Dei, non quidem propter peccatum aliquod originale,quod cõtraxerint,vel actuale, quod commiſerint; ſed propter peccata mortalia, quæ commiſiſſent,ſi vixiſſent: quam ſolutionem videbantur ſibi colligere ex illo Sap.4. *Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum eius, & ne fictio deciperet animam illius.*Sed hanc ſolutionem impugnat S. Aug. libr.de prædeſt.SS. cap.14. oſtendens, auctoritatem inductam ex cap.4.Sapientiæ,non eſſe intelligendam ſecundùm præſcientiam,ſed ſecundùm pericula vitæ, vt diſp. 7. dictum eſt. Præterea impugnatur. Deus non condẽnat aliquem propter peccata, quæ commiſiſſet,ſed propter illa,quæ de facto committit,aut contrahit;aliàs enim, ſi paruuli non baptizati damnantur propter peccata,quæ commiſiſſent, ſi vixiſſent,etiam ſaluarentur multi ex illis propter merita,quæ ex Dei gratia habuiſſent,ſi vixiſſent,vel propter baptiſma, quod recepiſſent,ſi ex vtero matris nati fuiſſent.

Quintum teſtimonium habetur ad Rom.5. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors,& ſic in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccauerunt.* Ex quo loco probant noſtram concluſionem, tanquam de fide S.Chryſoſt. homil.de Adam, & Eua,Theodoretus ad Pſalm.50. S.Auguſt. libr. 1. de peccatorum meritis,& remiſſ. c.9.lib.4.contra duas epiſt.Pelagianorum, c.4 lib.1. contra Iulianum Pelagianum,cap.2. & lib.6.cap.12. S.Proſp.lib.3. de vita contempl. cap.12. & Magiſter ſent.lib.2.diſt.3.

Secundò probatur concluſio auctoritate ſummorum Pontificum, præſertim Cæleſtini epiſt. ad Neſtorium,vbi illum laudat, quòd de originis vitio rectè ſentiat, quodque naturam ipſam culpa obſtrictam non negat. Item etiam Leo Magnus epiſt. 86. ad Nicetam docet,baptiſmum omnibus prodeſſe in remedium peccati originalis:& Leo IX. in epiſt. ad Petrum Epiſcopum,ait: *Animam non eſſe partem Dei, ſed ex nihilo creatam, & abſque baptiſmate originali peccato obnoxiam & credo & prædico.*

IX. Cap.placuit.

Tertiò probatur ex definitione Conciliorum: nam in Conc. Mileuitano can.2. & refertur de conſecratione,diſt.4.ſic dicitur: *Item placuit,vt quicũque paruulos recentes ab vteris matrum baptizandos negat, aut dicit, in remiſſionem quidem peccatorum eos baptizari, ſed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lauacro expietur,vnde ſit conſequẽs, vt in eis forma baptiſmatis in remiſſionem peccatorum non vera, ſed falſa intelligatur,anathema ſit. Quoniam non aliter intelligendum eſt, quod ait Apoſtolus*: Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertranſiit,in quo omnes peccauerunt; *niſi quemadmodum Eccleſia Catholica,vbique diffuſa ſemper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei,etiam paruuli, qui nihil peccatorum in ſemetipſis adhuc committere potuerunt; ideo in peccatorum remiſſionem veraciter baptizantur,vt in eis regeneratione mundetur, quod ex generatione traxerunt.* Et Concilium Arauſicanum can.2. *Si quis ſoli Adæ prævaricationem ſuam,non & eius propagini aſſerit nociſſe,aut certe mortem tantùm corporis, quæ pœna peccati eſt,non autem & peccatum,quod mors eſt animæ,per vnum hominem in omne genus humanum tranſiiſſe teſtatur; iniuſtitiam Deo dabit, contradicens Apoſtolo dicenti*: Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors in omnes homines pertranſiit,in quo omnes peccauerunt.

Rom. 5.

Ex Aug.lib. 4 con duas epiſt. Pelag. c.4. to.7.

Rom 5.

Quartò probatur auctoritate antiquorum Patrum, qui ex Scripturis ſactis eandem veritatem colligunt,præſertim Origenes ſuper epiſt.ad Rom cap.6.vbi ſic loquitur: *In lege pro illo,qui natus fuerit, iubetur offerri hoſtia,par turturum aut duo pulli columbarum,ex quibus vnus pro peccato, & alius in holocauſtoma. Pro quo peccato offertur hic pullus vnus? Nunquid nuper peccare potuit? Et tunc habet peccatum, pro quo hoſtia iubetur offerri,à quo mundus negatur quis eſſe,& ſi vnius diei fuerit vita eius?* Et hom.8.in Leu.1. *Quacunque anima in carne naſcitur,iniquitatis,& peccati ſorde polluitur.* Eandem veritatem docet Iuſtinus Martyr.dialog.cum Tryphone,& Irenæus lib.5.c.17. & 19. Athanaſius de Incarnatione Verbi, Cyrillus Hieroſol.Cate.2. Baſilius Magnus ſuper Pſal.32. explicans illud, *Miſericordia Domini plena eſt terra*: & ſuper illud Pſ. 50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum*: Gregorius Nazianzenus orat. 42. in ſanctum Paſcha, & orat. 38 in Chriſti natiuitatem:Chryſoſtomus homil.de Adam,& Eua;vbi multis teſtimoniis Scripturæ id probat:Cyrillus Alexand.lib. 1. in Geneſ.Theodoretus ad Pſal.50.ſuper illa verba,*Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum*:Ioan.Damaſc. lib. 2.fidei orthod.cap.28.& alij plurimi Patres Græci.

X. Iniquitas calcanei, quæ dicatur.

Ex Latinis etiam eandem fidem vnanimi conſenſu docuerunt,Cyprianus epi 59.Hilarius Pictauienſis ad Pſal. 118.Ambroſius lib.de Tobia,cap. 9. & ad Pſal. 48.vbi explicans illud: *Iniquitas calcanei mei circumdabit me: Alia eſt*, inquit, *iniquitas noſtra,alia calcanei noſtri,in qua Adam dente ſerpentis eſt vulneratus,*

& obnoxiam hæreditatem ſucceſſionis humanæ ſuo vulnere dereliquit, vt omnes illo vulnere claudicemus. Idem dicit libr. 1. de pœnit. cap. 2. Hieronymus ad capit. 42. Ezechielis: Auguſt lib. 14. de Ciuit. Dei, cap. 1. & epi. 89. S. Proſper reſp. 1. ad capitula obiectionum Vincentia. & lib. 3. de vita contemplatiua, cap. 2. Fulgentius de gratia Ieſu Chriſti, cap. 31. & libr. de fide ad Petrum, c. 26. S. Gregorius ad Pſal. 4 pœnitent. Beda ſuper caput 21. Leuit. & ad caput 9. Marci: S. Bernardus feria 4. hebdomadæ pœnoſæ de paſſione Domini: Magiſter Sententiarum lib. 2. diſtin. 30. litera I, cum omnibus Scholaſticis, eadem diſt. Horum auctorum verba refert Theſaurus Catholicus Iodoci Cocci, tom. 2. lib. 2. art. 2. de peccato originali, & aliqua ex eiſdem teſtimoniis etiam refert ſumma Catholicæ fidei Fratris Petri Creſpetij Cæleſtini, verbo, Peccatum.

Quintò probatur ratione: nam in omni lege, etiam naturæ, ſemper fuit aliquod remedium inſtitutum ad delendum peccatum originale, vt cum S. Thom probant Theologi 3 p. q. 61. art. 3. & 4. ergo omnes filij Adæ verè contrahunt peccatum originale.

Confirmatur primò ratione Concilij Toletani, & Tridentini. Nam ſi in paruulis nullum eſt peccatum originale, quod per baptiſmum deleatur; ſequitur formam baptiſmi eſſe falſam: nam facit ſenſum, quòd baptizatus lauatur per baptiſmum à macula peccati: ergo ſi in paruulis nullum eſt peccatum originale, ſequitur formam baptiſmi eſſe falſam.

Confirmatur ſecundò. Qui baptizatur, moritur peccato per baptiſmum, vt probat eleganter S. Aug. lib. 6. cont. Iulianum, cap. 6. ex illo ad Rom. 6. *Quicunque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus; conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem, vt ſicut Chriſtus reſurrexit à mortuis, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* ergo, ſi paruuli baptizantur, moriuntur peccato, ergo ante baptiſmum erant in peccato originali.

XI. Sextò probatur. De fide eſt, Chriſtum Dominum eſſe redemptorem omnium, vt patet ex verbis illis Apoſtoli: *Qui eſt Redemptor omnium, maxime fidelium:* & Ioannes Euangeliſta ait: *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi,* ergo de fide eſt, Chriſtum verè redemiſſe omnes paruulos, quoſdam quidem, quantùm ad ſufficientiam: eos videlicet, quibus applicatum non eſt Sacramentum baptiſmi quoſdam verò, quantùm ad efficaciam, vt illi, qui de facto baptiſmum ſuſceperunt. Sed nullus verè poteſt dici redemptus, niſi, qui per peccatum fuit antea captiuus, vt Sozimus Papa his verbis determinat: *Nullus enim, niſi qui peccati ſeruus eſt, liber efficitur, nec redemptus dici poteſt, niſi, qui verè per peccatum fuerit antè captiuus ſicut ſcriptum eſt: Si vos filius liberauerit, verè liberi eritis.* Cùm ergo paruuli ante vſum rationis decedentes, non fuerint peccato actuali captiui; relinquitur, eos peccato originali obſtrictos eſſe.

1. Tim. 4. 1. Ioan. 2.

Sozimus epiſt. ad totius orbis Epiſcopos. Habetur apud Augu. epi 117. ad Oprat. Ioan. 8.

Confirmatur ratione S. Auguſt. lib. 6. contra Iulianum, cap. 2. & 4. vbi ſic arguit: Apoſtolus dicit 2. ad Corinth. 5. *Si vnus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt, & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus.* ergo omnes mortui ſunt; ſed Chriſtus mortuus eſt pro paruulis, cùm redemerit illos; ergo illi mortui ſunt peccato. ergo aliquando fuerunt in illo: non in actuali, ergo in originali.

Nec ſunt audiendi quidam inſipientiſſimi Pelagiani, qui negantes originale peccatum in paruulis, aſſeruerunt, eos committere neſcio quæ peccata actualia, cùm primùm naſcuntur ex vtero. Hos redarguit S. Aug. *Ecce,* inquiens, *infantes in ſuis vtique operibus innocentes ſunt, nihil ſecum, niſi, quod de primo homine traxerunt, habentes: quibus propterea eſt Chriſti gratia neceſſaria, vt in Chriſto viuificentur qui in Adam mortui ſunt; vt, quia iniquinati ſunt generatione, purgentur regeneratione. Ipſos ergo teſtes citabo: reſponde mihi, quare moriuntur; ſi omnes homines immortales naſcuntur? & quoniam peccant, ideo moriuntur? Quid putatis dici potuiſſe? Quæ aures ferant? Peccauerunt & ipſi? Vbi peccauerunt, rogo? quando peccauerunt? quomodo peccauerunt? Bonum, & malum quid ſit, neſciunt. Peccatum accipiunt, qui præceptum non capiunt? Proba mihi peccatores infantes. Quid dixiſti? Verè, quia oblitus es, quod fuiſti: proba mihi peccatum infantium. An quia plorant, peccant? Quia motibus quaſi mutorum animalium moleſtias repellunt, voluptates accipiunt, ideo peccant? Si motus ibi peccata ſunt, ampliores peccatores in baptiſmo fiunt: quia dum baptizantur, vehementiſſimè reluctantur. Quare illis in tanta reluctatione non imputatur peccatum, niſi quia nullum eſt adhuc voluntatis arbitrium? Sed aliud dico. Iſti, quia nati ſunt, vt arbitraris, peccauerunt: nam ſi non peccarent, inquis, non morerentur. Quid de illis dicis, qui in vtero moriuntur? O anguſtia. Et ipſi, inquit, peccarunt, ideo moriuntur. Mentiris, an falleris? Contrà dicit Apoſtolus: Nondum natis, nec aliquid agentibus boni, aut mali. Magis Apoſtolum audio, quam te. magis Apoſtolo credo, quam tibi, nondum natis, nec aliquid agentibus boni aut mali. Si autem hoc teſtimonium refellis, vade potius ad illas vagationes, & dic, quia in cœlo peccauerunt, & inde in corpora præcipitantur.*

Paruuli nõ committũt aliquod peccatum cum primũ naſcuntur ex vtero.

Alias rationes pro iſta concluſione adducit S. Thom. 4. cont. Gent. cap. 50. de quibus videndus eſt ibi Ferrarienſis, & M. Soto, libr. 1. de nat. & gratia, cap. 7.

Secunda concluſio. Peccatum originale non ſolùm eſt miſeria quædam, ſicut ſeruitus mancipij, ſed verè, & proprie eſt peccatum, & culpa. Hæc concluſio eſt contra Armentarios hæreticos ſuprà inductos: ſed probatur rationibus factis pro concluſione præcedenti.

XII. Peccatum originale non eſt ſolùm miſeria, ſed verum peccatum.

Prætereà: nam originale peccatum cauſat maculam in anima, & conſtituit homines filios iræ, iuxta illud ad Epheſ. 2. *Eramus natura filij iræ:* denique excludit hominem à regno Dei, vt conſtat ex auctoritate S. Ioannis c. 3. ſuprà inducta: ergo eſt verè peccatum, & non tantùm miſeria. Patet conſequentia: nam ſolùm propter peccatum excluditur homo à regno Dei, vt 4. cont. Gent. capit. 50. probat ſanctus Thomas.

Tertia concluſio. Peccatum originale non extrinſeca denominatione conſtituit paruulos peccatores, quaſi ipſum peccatum originale ſolum præceſſerit in Adam, & ab eo dicantur formaliter peccatores eius filij; ſed in ſingulis paruulis eſt proprium peccatum originale à primo parente contractum, atque in illis exiſtens, per quod formaliter ſunt peccatores, & Dei inimici. Concluſio eſt contra Hieronymum Oſorium, & Ambroſium Catherinum locis ſuperiùs allegatis. Eſt tamen adeò certa, vt poſt Concilium Tridentinum negari non poſſit: nam in ſeſſ. 5. in decreto de peccato originali, can. 3. ſic definitur: *Si quis hoc Adæ peccatum, quod origine vnum eſt, & propagatione, non imitatione tranſfuſum omnibus, ineſt vnicuique proprium, vel per humanæ naturæ vires, vel per aliud remedium aſſerit tolli, quàm per meritum vnius mediatoris Domini noſtri Ieſu Chriſti, anathema ſit.* Vbi verbum *ineſt*, denominationem intrinſecam deſignat.

XIII. Paruuli dicũtur peccatores à culpa originali in illis exiſtẽte.

Præterea probatur ratione: Paruuli per baptiſmũ verè mundantur à macula peccati, vt patet ex illo ad Epheſ 5. *Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ:* ergo in ſe habebant peccatum originale à primo parente contractum.

Aug. ſer. 7. de verbis Apoſt. circa finem.

Secun

Secundò probatur: nam ita ſe habet peccatum Adæ in ordine ad peccatores, ex Adam genitos generatione carnali, ſicut ſe habet iuſtitia Chriſti in ordine ad iuſtos, regeneratos ſpiritualiter, vt patet ex verbis illis Apoſtoli *Sicut in Adam omnes moriuntur: ita & in Chriſto omnes viuificabũtur*: & ad Rom. 5. *Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi: ita & per vnius obeditionem iuſti conſtituentur multi.* Sed regenerati ex Chriſto Domino non ſunt iuſti formaliter, extrinſeca dumtaxat denominatione per iuſtitiã, quæ eſt in Chriſto, ſed per gratiã, & iuſtitiam ſibi inhærentem, vt definitur in Conc. Trid. ſeſſ. 6 de iuſtificatione, can. 10. vbi anathematizatur, qui *dixerit, homines ſine Chriſti iuſtitia, per quam nobis meruit, iuſtificari, aut per eam ipſam formaliter iuſtos eſſe*: ergo ſimiliter paruuli ſunt peccatores formaliter per culpam originalem in illis exiſtentem: nec dicuntur filij iræ, ſola extrinſeca denominatione à peccato, quod præceſſit in primo parente.

2. Cor. 15. c. Rom. 5.

XIV. Paruuli decedẽtes in orig. peccato, erunt in morte perpetua. Aug. lib. 1 cont. duas epi. Pelag. ca. 22. 10. 7.

Quarta concluſio. Paruuli decedentes abſque regenerationis lauacro, cùm eorum animæ fuerint ſuis corporibus reſtituræ, non liberabuntur ſupernaturaliter ab omni miſeria, neque meliorem in naturalibus vitam, omni vitio mentis & corporis immunem, in perpetuas ducent æternitates, quàm vllus vnquam mortalium duxerit. Hanc concluſionem probat S. Auguſt. cuius verba adducenda ſunt, & expendenda diſp. 114. vbi de hac concluſione erit ex profeſſo diſputandum.

XV. AD primum argumentum ex factis à principio reſpondetur ex dictis in fundamentis poſitis, quòd peccatum originale eſt voluntarium paruulis voluntate primi parentis, ſecundùm quòd fuit caput totius naturæ, quæ in eo corrupta eſt: & hoc voluntarium ſufficit ad peccatum originale, cuius ratio eſt: nam peccatum originale, vt originale eſt, non eſt peccatum perſonæ, ſed naturæ. Vnde non requiritur, quòd propria voluntate perſonæ, quæ maculatur, contrahatur: ſed ſufficit voluntarium, quod præceſſit in capite totius naturæ. Et ad argumentum: nam illa voluntas eſt extrinſeca paruulis; reſpondetur, quòd fuit illis extrinſeca, ſi conſiderentur, vt perſonæ particulares ſecundum ſe, non autem ſi conſiderentur, vt membra Adæ, & vt partes naturæ vitiatæ: nã vt ſic, cõſtituũt vnũ cu Adã. Eſt exemplum in homine mouente ſua voluntate appetitum ſenſitiuum ad actu intemperatiæ, quæ quidem voluntas eſt extrinſeca appetitui ſenſitiuo hominis ſecundùm ſe conſiderato; non autem eſt extrinſeca illi, vt eſt appetitus ſenſitiuus hominis; quia voluntas eſt inclinatio totius ſuppoſiti humani, & conſequenter omnium partium illius, vt partes ſunt: atque adeò in appetitu ſenſitiuo reperitur intrinſecè vitium, & virtus, etiamſi in ipſo appetitu non reperiatur formaliter aliquod voluntarium propriũ ipſius appetitus, ſed ſolùm voluntariũ participatum à voluntate, quæ eſt inclinatio totius ſuppoſiti. Idem ergo proportionabiliter dicendũ eſt de paruulis, qui contrahunt per generationẽ peccatum ſibi propriũ, & intrinſecum; quamuis non repetiatur in illis aliud voluntarium, præter voluntariũ primi parentis, qui fuit caput totius naturæ; illud enim voluntarium cenſetur paruuli, vt dictum eſt.

Peccatum originale qualiter ſit paruulis volũtariũ.

Ad confirmationem reſpondetur, non eſſe omnino eandem rationem de paruulis, reſpectu peccati originalis, & de potentiis exequutiuis exterioribus in ordine ad peccatum actuale. Et ratio diſcriminis eſt nam potentiæ exteriores non ſunt capaces virtutis, aut vitij ſibi inhærentis, vt oſtendit S. Tho. 1.2. q. 50. art. 1. & ibi Caietanus, & M. Medina, eò quòd tales potentiæ ſunt determinatæ ad vnum, & non habent ex ſe aliquem proprium motum, quo repugnare poſſint motibus voluntatis, atque adeò non perficiuntur per habitus. Nam, vt inquit Ariſtot. 2. Ethi. c. 1. ea, quæ ſunt determinata ad vnũ, non afficiunt per habitus, & virtutes: paruuli autem ſunt ſubiectum capax vitij, & virtutis. Vnde licèt non poſſint habere ante vſum rationis peccatum actuale ſibi intrinſecum; poſſunt tamen contrahere peccatum originale ſibi proprium.

Potentiæ exteriores nõ ſũt ſubiectum virtutis, aut vitij.

Ad ſecundum reſpondetur, quòd illa propoſitio: *Nemo dat, quod non habet*, intelligitur ſic: Nemo dat, quod non habet actu, vel virtute. Sol enim producit calorem, quem tamen non habet actu formaliter, ſed virtute. Parentes ergo baptizati communicant filiis peccatum originale: quia licèt ipſi non habeant peccatum originale actu, habent tamen illud in virtute ſeminis, & concupiſcentiæ naturæ corruptæ.

Propoſitio *Nemo dat, quod nõ habet*, qualiter ſit intelligenda.

Secundò reſpondetur ſolutione S. Aug. lib. 1. de peccatorum meritis, & remiſ. cap. 9. & lib. 3. c. 8. & 9. parentes baptizatos, & ſanctos, non generare filios, quatenus ſancti ſunt, & baptizati, quia vt ſic, nõ ſunt filij Adæ, ſed Dei, eo quòd non habent ſanctificationem, quia nati ex Adam, ſed quia ex Deo renaſcuntur per gratiam, ſecundùm illud Ioan. 1. *Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.* Generant ergo filios, qui ſunt filij Adæ, à quo naturam vitiatam acceperunt, & ſic vitiatam eam transfundunt in poſteros: ſicut vas aureum, vel argẽteum, ſi ex fonte accipit aquam corruptam, & turbidam, corruptam etiam communicat aliis. Poteſt hoc etiam magis illuſtrari alio exemplo, quo vtitur idem S. Aug. Sicut enim triticum, humana diligentia purgatũ, generat aliud triticum non purgatũ, ſed paleis, & ariſtis inuolutũ; quia eodem modo natũ eſt triticum ſeminatum; ita proportionabiliter, quia parentes proximi nati ſunt ex Adam cum peccato originali; etiamſi per baptiſmũ, aut pœnitentiam fuerint ab illo purgati: nihilominùs poſtmodum generant filios ſuos infectos peccato originali, in quo & ipſi nati ſunt.

XVI. Aug. lib. 1. de nuptiis & concup. c. 1. & 23. & lib. 2 c. 5. & 7. & lib. 2. de peccat. orig. c. 33.

Ad tertium argumentum, quod multis in locis pertractat Auguſtinus, reſpondetur, quòd deformitas peccati originalis conſequitur ex generatione carnali, non quidem ſecundùm ſe, vt eſt generatio, vel quatenus eſt à proximis parentibus, ſed inquantùm reducitur ad primum parentem, qui voluntariè peccauit, & peccando totam naturam humanam infecit. Vnde defectus peccati originalis primo parenti, & non proximis parentibus, tribuendus eſt, ſicut dicebamus ſuprà diſputatione 18. & 24. quòd defectus, & malitia, quæ ſequitur ad actum peccati, tribuitur cauſæ deficienti, ſcilicet voluntati humanæ, & non Deo: quia talis defectus, licèt ſequatur ad actum peccati; non tamen ſequitur ad illum, vt eſt actus, nec vt eſt à Deo, ſed quatenus procedit à voluntate creata deficiente.

Sed contra hoc eſt argumentum. Sequitur ſaltem, quòd quotieſcunque paruulus aliquis contrahit peccatum originale, peccet Adam. Probatur: nam ille eſt cauſa principalis inducens in pueros peccatum originale: ergo peccat Adam, quoties aliquis per carnalem propagationem ab eo procedit.

Adam non peccat in eo inſtanti, in quo eius filij contrahunt pecc. orig.

Reſpondetur, quòd, quando paruuli contrahunt peccatum originale, non peccat Adam, ſed tota malitia talium peccatorum originalium præceſſit in peccato illo actuali, quo comedit de ligno vetito, quia, vt dicit S. Thom. 1.2. quæſtione 163. articulo 3. ad 2. illud peccatum Adæ fuit grauiſſimum ratione circumſtantiæ, ſeu ratione documenti peccati originalis, quod transfundit in poſteros. Explicatur hæc ſolutio à S. Thom. Certum eſt, quòd ſi aliquis infixit vulnus lethale Petro, ex quo poſtea moritur, pœnitet tamen illius peccati, antequam moriatur; in inſtanti,

Digitized by Google

inſtanti, in quo Petrus moritur, non peccat nouo peccato ille, qui occidit Petrum, ſed tota malitia illius homicidij exterioris præceſſit in illo actu, qui fuit cauſa mortis ſubſequutæ: ita in præſenti dicendum eſt proportionabiliter de peccato Adæ, reſpectu mortis paruulorum.

XVII. Peccatum non impediens, cùm poſſit, peccat, ſi impedire tenetur.

Et, ſi fiat argumentum: nam proximi parentes poſſunt impedire, ne paruuli contrahant peccatum originale, quia poſſunt illum non generare, & non impediunt: ergo peccant. Reſpondetur, negando conſequentiam, quia non tenentur tale peccatum impedire. Ad hoc autem, quòd non impediens aliquod malum peccet, non ſufficit, quòd poſſit illud impedire, & non impediat, ſed vltra hoc requiritur, quòd teneatur illud impedire; vt docet S. Thom. 1. 2. quæſt. 6. art. 3. in corp. & 2. 2. q. 79. art. 3. in corp. & ad 2.

Peccatũ originale nõ refunditur in Deum.

Ad quartum argumentum reſpondet S. Auguſt. epiſt. 156. citata, quòd potiùs aſſerendum eſſet à Pelagio, originem animæ ſibi latere, quàm negandum, filios Adæ originale peccatum contrahere.

Reſpondetur ſecundò, animam quidem à ſolo Deo per creationem produci, ſecundùm ſuum eſſe, quod habet independenter à corpore, & ex hac parte nullum contrahit, aut contrahere poteſt originale peccatum; aliàs enim illud peccatum tribueretur Deo. Si autem conſideretur anima rationalis, inquantùm eſt actu pars humanæ naturæ, & forma corporis, ſub hac ratione non eſt à ſolo Deo, ſed affectiuè etiam attingitur ab homine generante totum compoſitum, virtute ſeminis deciſi à primo parente, qui voluntariè peccauit, & ex hac parte contrahit peccatum originale, cum natura: & ideo huiuſmodi peccatum, & defectus non in Deum, ſed in cauſam ſecundam deficientem reducendus eſt.

Driedo lib. de captiu. & redemp. generis hu. mani. tract. 2. ca. 2. p. 4. circa 4. cõcluſ.

Ad quintum, varij ſunt modi dicendi. Primus eſt Ioannis Driedonis aſſerentis, Adam non per modum meriti, ſeu moraliter, ſed per modum naturæ cauſaſſe in filiis peccatum originale. Alij verò Theologi ſentiunt, & per modum meriti, & per modum cauſæ efficientis transfundi ab Adam peccatum originale in poſteros. Quorum ſententia eſt rationabilior, & magis ad mentem S. Thomæ. Et quidem, quòd ſit cauſa meritoria traductionis originalis peccati, aſſerit S. Thom. 3. p. q. 19. art. 4. in argument. ſed contrà: vbi ait, quòd demeritum Adæ deriuatur in poſteros, & eſt cauſa condemnationis eorum: & ex hoc probat meritum Chriſti prodeſſe iuſtificatis. Eandem ſententiam tenet Leo Papa ſerm. 5. de natali Domini, vbi ait, quòd Adam, obtemperans diabolo vſque ad præuaricationem, meruit, vt in illo omnes morerentur; meritum autem cauſalitatem moralem importat. Et ratio deſumpta ex S. Thoma, id ſuadet: nam ita ſe habet peccatum Adæ in ordine ad eius filios, ſicut iuſtitia Chriſti in ordine ad iuſtificatos, vt patet ex illo ad Rom. 5. *Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem; ſic & per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem.* Sed iuſtitia Chriſti fuit cauſa meritoria iuſtificationis noſtræ: ergo peccatum Adæ fuit cauſa meritoria peccati originalis, & condemnationis filiorum ſuorum.

XVIII. Adam fuit cauſa meritoria, & phyſica traductionis peccati originalis in poſteros.

Præterea: nam qui committit aliquam culpam, cui ſtatuta eſt talis, vel talis pœna, eſt cauſa moralis, & meritoria illius pœnæ; ſed Adam commiſit culpam, propter quam ipſe, & eius filij inciderunt in pœnam mortis æternæ: ergo eſt cauſa moralis tranſfuſionis peccati originalis in filios, ratione cuius incurrunt illam pœnam.

Confirmatur, quia non ſolùm mors animæ, ſed etiam peccatum originale, quod contrahunt filij Adæ, eſt pœna peccati actualis eiuſdem Adæ. Etenim hac lege data eſt illi iuſtitia originalis, quòd ſi ſeruaret præceptum Dei, illam transfunderet in ſuos filios per generationem carnalem; ſin minùs, priuaretur tali iuſtitia ipſe, & poſteri illius.

Denique probatur: nam, vt dicit S. Thom. 1. 2. quæſt. 6. art. 3. Qui poteſt, & tenetur aliquid vitare, & non vitat, eſt cauſa moralis illius, & cenſetur illud velle indirectè: ſed Adam poterat, & tenebatur vitare peccatum originale filiorum: nam poterat, & tenebatur non committere peccatum actuale, ex quo ſubſequutum eſt in poſteros peccatum originale, & non vitauit illud: ergo.

Quòd autem primus parens, ſeu peccatum illius fuerit etiam cauſa phyſica, & realis tranſfuſionis peccati originalis in poſteros, probatur: nam qui eſt cauſa phyſica, & realis alicuius qualitatis, ad quam ſequitur priuatio alterius, eſt ex conſequenti, & indirectè cauſa phyſica talis priuationis, eo modo, quo priuationes habent cauſam. Etenim, qui cauſat albedinem in ſubiecto, cauſat ex conſequenti priuationem nigredinis. Sed primus parens fuit cauſa realis conuerſionis ad obiectum contrarium rationi, edendo de ligno vetito; & ad illam conuerſionem inordinatam ſubſequuta eſt priuatio iuſtitiæ originalis tam in ipſo, quam in tota natura, atque in eius filiis; ergo.

Vnde ad obiectionem factam in contrarium in quarto argumento principali, reſpondetur, quòd ſicut homo iuſtus exiſtens in gratia, ſi peccet, meretur per peccatum amiſſionem illius; (cùm tamen nullo modo meruerit per aliquem actum eius infuſionem, quia prima gratia non cadit ſub merito) ita proportionabiliter in præſenti, licèt propter demeritum Adæ maneant priuati eius filij originali iuſtitia, ſicut & ipſe priuatus manſit; tamen, ſi perſeueraſſet Adam in eadem iuſtitia, non meruiſſet tranſfuſionem illius in poſteros, quoniam à principio, abſque vllis præcedentibus meritis, dono gratuito eam pro ſe, & pro ſuis filiis accepit à Deo. Vnde, ſi Adam perſeueraſſet in originali iuſtitia, eius perſeuerantia ſolùm eſſet conditio, ſine qua non tranſfunderetur iuſtitia originalis in poſteros: non autem eſſet propriè cauſa meritoria eiuſdem tranſfuſionis. Eſt & alia differentia: nam prima radix boni, & meriti eſt ex Deo, atque ex gratia illius; malum autem, & demeritum ſolum procedit ex nobis; ſecundum illud Oſeæ 13. *Malum tuum ex te Iſrael, tantummodo in me auxilium tuum.* Et ideo Adam potuit eſſe prima cauſa moralis, & demeritoria tranſfuſionis peccati originalis. non autem fuiſſet prima, vel principalis cauſa moralis, aut meritoria tranſfuſionis originalis iuſtitiæ, etiamſi perſeueraſſet in gratia.

Et, ſi contra hoc fiat argumentum: Quoniam Adam non fuit primum caput morale naturæ humanæ, ſed ſolùm caput naturale, vtpote influens, & transfundens naturam in poſteros phyſica generatione carnali: ergo non traducit moraliter, ſeu per modum demeriti peccatum originale in poſteros, ſed ſolùm per modum naturæ. Reſpondetur, quòd Adam habuit vtrumque, & quòd ſit caput naturale totius naturæ, quatenus humanam naturam communicauit realiter omnibus ſuis filiis per carnalem propagationem; & quòd ſit caput morale, quatenus per actum moralem, & liberum maculauit totam naturam, & meruit, quòd priuaretur iuſtitia originali. Vnde vtroque modo eſt cauſa originalis peccati, & moraliter, & efficienter, ſeu phyſicè, quod idem eſt.

Ad aliam obiectionem, qua probatur, Adam non eſſe cauſam phyſicam traductionis peccati originalis, reſpondetur, quòd Adam, & peccatum illius

manet

manet in ſuis poſteris virtute, in ſemine videlicet ab Adam deciſo, vt dicit ordinem ad fomitem naturæ corruptæ: & virtute relicta in ſemine traducit Adam efficienter cum natura in poſteros originale peccatum, vt patebit in ſolutione ad ſecundum argumentum.

XIX. Ad confirmationem reſpondetur, quod tangit difficultatem: Num peccatum originale pro formali ſit aliquid poſitiuum, an priuatiuum? Quidam dixerunt eſſe pro formali aliquid poſitiuum, ſcilicet qualitatem quandam vitioſam, & morbidam naturę corruptæ inhærentem, qua ad bonum commutabile, abſque ordine rationis, inclinatur. Tenet hoc Altiſiodorenſis, qui duplicem qualitatem morbidam in peccato originali diſtinguit: alteram, quæ immediate eſt in anima: in qua quidem qualitate docet originale peccatum eſſentialiter conſiſtere; alteram, quæ eſt in corpore, & pertinet conſequẽter ad peccatum originale, tanquam effectus illius. Eandem ſententiam defendunt Henricus, & Gregorius Ariminenſis, & eam aſſerit eſſe probabilem Gabriel in 2. diſt. 30. quæſt. 2. art. 2. concluſ. 2. & Driedo lib. 1. de gratia, & libero arbitrio, tract. 3. cap. 3. par. 4. Fundamenta potiſſima huius ſententiæ ſunt hæc. Primò: nam Conc. Trid. ſeſſ. 5. decret. de peccato orig. can. 3. definit, quòd peccatum originale omnibus ineſt; quod etiam docet S. Thom. 1. 2. quæſt. 82. artic. 3. ſed ineſſe eſt proprium entis poſitiui: ergo. Secundò: nam S. Thomas eodem ar. 3. ait, quòd peccatum originale eſt habitus, ſicut ægritudo; ſed ægritudo eſt pro formali aliquid poſitiuum: nam ponitur in prædicamento qualitatis, & opponitur contrariè ſanitati, vt eſt videre apud S. Thom. q. 17. de verit. art. 1. ad 4. ergo. Tertiò: nam S. Auguſt. lib. 5. contra Iulianum, cap. 3. ait, quòd anima in carne, ſicut aqua in vaſe vitiato, corrumpitur; ſed aqua corrumpitur per qualitatem vitioſam, quam contrahit ex vaſe: ergo. Quartò: peccatum actuale commiſſionis eſt pro formali aliquid poſitiuum; quia dicit eſſentialiter conuerſionem ad obiectum contrarium rationi, à quo ſpecificatur, vt cum S. Thom. & Caietano docent communiter Thomiſtæ. Sed ſimiliter peccatum originale dicit eſſentialiter conuerſionem ad obiectum contrarium rationi, & ab eo ſpecificatur: nam auerſio à bono incommutabili ſequitur ex conuerſione ad bonum commutabile. Cùm ergo in peccato originali ſit auerſio a bono incommutabili: neceſſe eſt, vt ſequatur ex conuerſione ad bonum commutabile contrarium rationi, & quòd ab eo ſpecificetur: & ita erit peccatum originale pro formali aliquid poſitiuum, ſicut eſt peccatum actuale. Quintò: peccatum originale eſt peccatum commiſſionis, & non omiſſionis; dicit enim S. Thom. q. 5. de malo, art. 1. ad 12. quòd originale peccatum in paruulis non eſt omiſſionis, ſed commiſſionis: ergo eſt pro formali aliquid poſitiuum. Probatur conſequentia: nam peccatum commiſſionis eſt cõtra præceptum negatiuum, quod non frangitur, niſi per actum poſitiuum contrarium rationi, vt 1. 2. q. 79. art. 1. 3. & 4. docet S. Thom. Confirmatur: nam idem S. Thom. q. 2. de malo, art. 1. ad 4. ait, quòd *in peccato omiſſionis per ſe loquendo verum eſt, quòd eſt ſola priuatio*: non autem peccatum tranſgreſſionis, ſeu commiſſionis: ergo, ſi peccatum originale eſt peccatum tranſgreſſionis, & commiſſionis: erit formaliter aliquid poſitiuum, & non priuatio pura. Sextò: peccatum originale non poteſt conſiſtere formaliter in priuatione iuſtitiæ originalis: ergo non conſiſtit in aliqua priuatione: ac per conſequens erit formaliter aliquid poſitiuum. Tenet conſequẽtia quia non poteſt aſſignari alia priuatio, in qua conſiſtat eſſentialiter peccatum originale. Antecedens probatur;

Altiſio. lib. 2. ſummæ Theologicę, tract. 27. c. 2. & 3.

Henric. quodl. 1. q. 21. Grego. 1. d. 31. q. 1. a. 1. Peccatum origin. pro formali, eſſe aliquid poſitiuum, quidã ſentiunt.

A nam S. Thom. 1. 2. q. 76. art. 1. ait, quòd priuatio gratiæ ſecundùm ſe non eſt peccatum, ſed pœna peccati: ergo neque priuatio iuſtitiæ originalis erit formaliter peccatum, ſed pœna peccati.

Quidam Thomiſtæ dicunt, peccatum originale eſſe in duplici genere, ſcilicet in genere mali ſimpliciter, & in hoc genere non eſſe pro formali aliquid poſitiuum, ſed priuatiuum, ſicut de peccato actuali fatentur cum S. Thoma omnes eius diſcipuli. Secundò, eſt in genere mali moralis, & in hoc genere dicunt, peccatum originale eſſe pro formali aliquid poſitiuum. Et, ſi inquiratur quid ſit hoc poſitiuum: reſpondent, quòd eſt habitualis quædam conuerſio ad bonum commutabile, quæ ortum habet ex conuerſione primi parentis, in quo omnes B conuerſi ſumus ad bonum commutabile per voluntatem ipſius Adæ, quatenus erat caput totius naturæ: etenim voluntas illius reputatur noſtra: vnde & Apoſtolus ait: *Omnes in Adam peccauerunt.* Rom. 5. Et tribuunt hanc ſententiam S. Thom. & pro ea referunt alios plures graues auctores. M. Medina 1. 2. quæſt. 82. art. 1. valde dubius eſt, & vi argumentorum, modò in vnam partem, modò in aliam videtur inclinare. M. Victoria (vt refert Soto lib. 1. de natura, & gratia, cap. 8. in fine) difficultatem hanc conabatur explicare, inquiens: quòd peccatum originale nihil aliud eſt, quàm quædam inimicitia, quam ſermone Hiſpano appellabat, *deſgratia*, qua omnes propagati a primo parente conſtituuntur filij iræ.

XX. Alia ſententia, quam ego reputo eſſe veram, & C de mente S. Thomæ, aſſerit, peccatum originale pro materiali eſſe aliquid poſitiuum: pro formali autem eſſe priuationem originalis iuſtitiæ, quantùm ad primarium illius effectum. Ad cuius euidentiam conſiderandum eſt, quòd, vt docet Caietanus, & M. Soto, dupliciter dicitur aliquid eſſe materiale, reſpectu alicuius. Vno modo propriè, ſicut corpus eſt materiale reſpectu albedinis; quia informatur albedine, & denominatur ab illa; & iſto modo in peccato actuali commiſſionis ipſa ſubſtantia actus interioris eſt materiale: quia eſt ſubiectum malitiæ moralis, per quam formaliter conſtituitur peccatum. Secundo modo dicitur eſſe materiale peccati magis communiter id, quod eſt effectus illius, & hoc modo actus exterior dicitur eſſe D materiale, reſpectu interioris, vt docet S. Thom. 1. ſecundæ, quæſtione decimaoctaua, articulo ſexto ad ſecundum. Et in iſto ſenſu dicimus nos, concupiſcentiam inordinatam, & alias vires inferiores inordinatas eſſe materiale in originali peccato, quia eſt effectus rationis formalis illius. Vnde ſanctus Auguſtinus multis in locis appellat huiuſmodi concupiſcentiam filiam peccati originalis, potiſſimè lib. 1. retractat. capite 15. & lib. 1. de nuptiis, & concupiſcentiis, cap. 24. & lib. 1. con. duas epiſtol. Pelag. cap. 13. Non autem poteſt dici materiale primo modo; quia cùm huiuſmodi inordinata concupiſcentia ſit in carne, ſeu in appetitu ſenſitiuo; peccatum autem originale pro formali ſit in eſſentia animæ: non poteſt talis concupiſcentia eſſe proprium ſubE iectum immediatum illius. In hoc ergo ſenſu aſſerimus, peccatum originale pro materiali eſſe aliquid poſitiuum, videlicet concupiſcentiam inordinatam, & peccati fomitem, vt probat S. Thom. quæſtio. 82. citat. art. 3. Vtrum autem huiuſmodi concupiſcentia, ſeu fomes ſit qualitas morbida ſuperaddita potentiis inferioribus, ab illis diſtincta, tanquam res à re, an verò ſit ipſe appetitus inordinatus, & inclinatus habitualiter ad bonum commutabile: parum refert ad præſentem quæſtionem. Videatur circa hoc S. Thom. quæſtione quarta de malo, articulo ſecundo, & tertia parte quæſtione 15. art. 2. & quæſt. 27. art. 3.

Peccatũ original. pro materiali eſt quid poſitiuũ, pro formali eſt priuatiuũ. Caiet. 1. 2. q. 82. ar. 2. & q. 83. art. 3. dub. vlt. Sot. li. 1 de nat. & grat. c. 9.

Peccati originalis materiale quid ſit.

XXI. 27.art.1. & ibi Caiet. & Med. Quòd autem peccatum originale pro formali ſit priuatiuum, probatur ex S. Thom. 1. 2. quæſt. 82. art. 4. dicente, quòd formale originalis peccati eſt priuatio iuſtitiæ originalis: ſic enim ait: *Peccatum originale materialiter quidem eſt concupiſcentia, formaliter verò eſt defectus originalis iuſtitiæ.* Et clarius quæſt. 4. de malo, art 2. ad 4 ex obiectis in contrarium id ipſum docet, cum ait, *quòd priuatio gratia non eſt in ipſo actu, ſed in ſubiecto actus, & ideo non pertinet ad peccatum actuale. Sed carentia originalis iuſtitia eſt in natura, & ideo poteſt pertinere ad originale peccatum, quod eſt peccatum naturæ.* Nec valet ſolutio aliorum Thomiſtarum aſſerentium, S. Thomam loqui ibi de peccato originali, non vt eſt malum morale, ſed vt eſt malum ſimpliciter: ſicut de peccato actuali ſæpiſſimè docet. Non, inquã, valet hæc explicatio: nam in illa ſolutione ad 4. conſtituit S. Thomas differentiam inter peccatum actuale, & originale, & ait, quòd priuatio gratiæ nó pertinet ad peccatum actuale: quia non eſt in ipſo actu, ſed in ſubiecto, ſcilicet in anima: carentia verò originalis iuſtitiæ eſt in natura, ſiue in eſſentia animæ, & ideo poteſt pertinere ad peccatum originale, quod eſt peccatum naturæ. Si autem S. Thomas loqueretur de peccato originali, vt eſt malum ſimpliciter, non autem de illo ſecundùm ſuam particularem rationem, quam habet in genere mali, differentia eſſet nulla: quia tam peccatum actuale, quam originale conueniunt in hoc, quòd vtrumque eſt priuatiuum, ſecundùm quod reponitur in genere mali ſimpliciter. Sentit ergo S. Thomas, peccatum originale in ratione mali moralis eſſe pro formali aliquid priuatiuum. Præterea nam peccatum originale non includit in ſua eſſentia conuerſionem ad bonum commutabile, ſed ſolùm auerſionem à bono incommutabili: ergo pro formali eſt priuatio. Patet conſequentia: nam auerſio eſt aliquid priuatiuum. Antecedens autem probatur ex S. Thom. q. 24. de verit. art. 12. ad 2. vbi ait, quòd peccatum originale, & mortale non differunt, quantum ad auerſionem: quia in vtroque eſt habitualis auerſio a bono incommutabili: ſed ex parte conuerſionis: quia in peccato mortali eſt habitualis conuerſio ad indebitum finem. Et quæſt. 5. de malo, artic. 2. in corp. ait, quòd in peccato originali non eſt conuerſio, ſed ſolùm auerſio. Confirmatur idem antecedens. Peccato originali nulla correſpondet pœna ſenſus, ſed tantùm pœna damni, vt docetur S. Thom. q. 1. citata, artic. 2. vbi probat, quòd in decedentibus cum ſolo peccato originali, nulla eſt pœna, neque dolor interior voluntatis, nec etiam poſt diem iudicij: ergo peccatum originale conſiſtit in auerſione, & non in conuerſione. Patet conſequentia: nam, ſecundum S. Th in eodem art. pœna damni correſpondet peccato ex parte auerſionis: pœna verò ſenſus ex parte conuerſionis. Denique probatur: nam concupiſcentia inordinata, & quælibet alia qualitas poſitiua, quæ in peccato originali reperitur, non pertinet ad formale illius, ſed ad materiale; vt 1. 2. ſuperiùs allegata docet S. Thomas: non ergo eſt pro formali aliquid poſitiuum.

Peccatũ originale nullam includit conuerſionem, ſed ſolam auerſionẽ.

Peccatũ originali nulla debetur pœna ſenſus, ſed tantùm pœna damni.

XXII. Vnde ad primam rationem factam pro oppoſita ſententia ex Concilio Trident. reſpondetur, quòd peccatum originale dicitur meſſe largo modo, ſicut dicitur cæcitas eſſe in oculis nam ibi eſſe debet priuatio viſus, vbi & viſus. Vel dicendum, quòd peccatum originale ineſt propriè, non quidem pro formali, quaſi ipſum formale originalis peccati inhæreat, ſed pro materiali; quia videlicet effectus ipſius peccati, nempe fomes, & inordinata concupiſcentia inhærent. Ad ſecundum reſpondetur, S. Thomam expreſsè tenuiſſe quam defendimus, ſententiam, vt

Peccatũ originale non eſt meſſe largo modo, ſicut dicitur cæcitas eſſe in oculis, ſed non pro formali, niſi largo modo.

Ad 2.

A patet ex locis à nobis inductis. Et ad locum adductum in contrarium reſpondetur, quòd illa ſimilitudo ægritudinis, qua vtitur S. Doctor ad explicandam naturam originalis peccati, non tenet in omnibus, ſed in hoc, quod, ſicut, ſublata ſanitate, ſequitur ægritudo corporalis; ſita ſublata iuſtitia originali, & ſubiectione animæ ad Deum, ſequitur languor & inordinatio potentiarum inferiorum, & rebellio contra ſpiritum, atque fomes peccati, qui eſt aliquid poſitiuum, ad modum ſuprà explicatum. Sed tamen hoc ens poſitiuum non pertinet formaliter ad conſtitutiuum peccati originalis, ſed materialiter, tanquam effectus ex eodem peccato ſubſequutus, vt ſuprà dictum eſt. Et per hæc reſpondetur ad tertium argumentum, deſumptum ex ſimilitudine aquæ in

Ad 3.

B vale corrupto exiſtentis, qua vtitur S. Auguſtinus ad explicandam naturam originalis peccati.

Ad quartum reſpondetur, quòd peccatum originale in paruulis non ſpecificatur ex conuerſione inordinata ad bonum commutabile, vt dictum eſt. Hæc enim conuerſio inordinata præceſſit in actuali peccato Adæ. Et ad impugnationem reſpondetur, quòd in peccato actuali auerſio ſequitur ex conuerſione ad bonum commutabile, vel ad obiectum, à quo ſpecificatur, quia tota eſſentia peccati actualis intelligitur, antequam intelligatur formalis auerſio: in peccato autem originali, quia non committitur per proprium actum, aut per propriam voluntatem perſonalem paruuli contrahentis, ſed traducitur per originem cum natura vitiata in primo parente; ideo eſſentia illius non poteſt conſiſtere in conuerſione, ſed in priuatione iuſtitiæ originalis, vt dictum eſt.

Peccatũ orig. in Adã fuit cum conuerſione ad bonum commutabile, non autem in paruulis

C

XXIII. **Ad quintum reſpondetur, quòd peccatum originale, vt eſt in paruulis, non eſt propriè peccatum omiſſionis, aut commiſſionis: illa enim diuiſio, qua diuiditur peccatum in peccatum commiſſionis, & omiſſionis, datur de peccato actuali. Vnde S. Thom. in illa ſolutione ad 12. non inquit, quòd peccatum originale paruuli ſit commiſſionis, ſed tantùm ait, quòd non eſt omiſſionis: ex quo tamen non licet inferre, eſſe commiſſionis. Quòd ſi aliquando dixiſſet S. Thomas, peccatum originale eſſe commiſſionis, intelligendus eſſet de peccato originali, prout præceſſit in primo parente, in quo idem peccatum**

Peccatũ orig. paruulorum non eſt propriè peccatum commiſſionis, vel omiſſionis.

D **ſub vna ratione fuit peccatum actuale perſonæ, & ſub alia fuit peccatum naturæ.** Et per hæc reſpondetur ad alia, quæ cõtra illam doctrinam obiici ſolẽt.

Ad ſextum reſpondetur, quòd priuatio gratiæ, quæ conſequitur ad peccatum actuale in adultis, nó eſt peccatum, ſed effectus ipſius in genere cauſæ demeritoriæ: in peccato autem originali ipſa priuatio conſtituit peccatum, vt dictum eſt. Et ratio diſcriminis inter vtrumque peccatum aſſignatur à S. Th. q. 4. de malo, art. 2. in corp. & ad 4. principale, & in ſolut ad 4. ex obiectis in contrarium: nam peccatum actuale, cùm conſiſtat in actu voluntario perſonæ: neceſſariò debet eſſe ſubiectiuè in potentia, quæ eſt principium actionis, atque adeò includit intrinſecè conuerſionem ad aliquod obiectum inordinatum,

Priuatio gratiæ eſt effectus actualis peccati, originalis autẽ eſt eſſentiale.

E per quam conſtituitur in ſua ſpecie. Vnde non poteſt conſiſtere per ſe primò in priuatione gratiæ; quia talis priuatio non eſt ſubiectiuè, per ſe primò in aliqua potentia, ſed in eſſentia ipſius animæ, in qua ſubiectabatur gratia habitualis. Cæterùm peccatum originale cum pertinet ad naturam, eſt in eſſentia animæ, ſicut & iuſtitia originalis, cui opponitur: vnde talis priuatio poteſt pertinere ad eſſentiam originalis peccati.

XXIV. Habemus ergo, peccatum originale pro formali eſſe priuationem originalis iuſtitiæ. Ad cuius maiorem explicationem aduertere oportet, quòd in originali

Digitized by Google

Iuſtitia originalis tripliciter conſiderari poteſt.

ginali iuſtitia tria poſſunt conſiderari: primò, ipſum donum iuſtitiæ originalis ſecundùm ſe: ſecundò, effectus eius primarius, qui eſt rectificatio animæ cũ Deo: tertiò, effectus illius ſecundarius, quo rectificabantur vires inferiores cum ratione. Quando ergo aſſerimus, peccatum originale pro formali eſſe priuationem originalis iuſtitiæ, non loquimur de priuatione originalis iuſtitiæ ſecundùm ſe. Ratio enim peccati originalis non poteſt conſiſtere in priuatione iuſtitiæ originalis ſecundùm ſe, vt quidam opinati ſunt: nam alias non remitteretur verè per baptiſmum peccatum originale, quantùm ad id, quod formaliter habet veram, & propriam rationem peccati; quod tamen decretis Concilij Mileuitani, & Tridentini repugnat. Sequela probatur: nam priuatio non poteſt tolli, niſi reſtituatur forma, qua priuat; ſicut cæcitas non tollitur, niſi reſtituatur viſus. Sed per baptiſmum non reſtituitur iuſtitia originalis, ſecundùm ſe: ergo non tollitur priuatio iuſtitiæ originalis ſecundùm ſe: ergo ſi peccatum originale pro formali conſiſtit in priuatione originalis iuſtitiæ, ſecundùm ſe conſiderata; ſequitur quòd non remittatur peccatum originale, quatum ad id, quod habet veram, & propriam rationem peccati. Neceſſe eſt ergo dicere, quòd conſiſtat in priuatione originalis iuſtitiæ, quantùm ad primarium illius effectũ, vt multi doctiſſimi Thomiſtæ ſentiunt: quod & S. Thom. 1.2.q.82.artic.3. non obſcure docet cùm ait, quòd priuatio iuſtitiæ originalis, per quam voluntas ſubdebatur Deo, eſt formale in originali peccato. Et ratio manifeſta id ſuadet; nam peccatum originale pro formali eſt illa priuatio, quæ per ſe primò tollitur per baptiſmum: ſed per baptiſmum tollitur per ſe primò priuatio rectitudinis animæ cum Deo: nam per gratiam baptiſmalem reconciliatur, & rectificatur anima cum Deo, à quo fuerat per originale peccatum auerſa: ergo peccatum originale pro formali eſt priuatio iuſtitiæ originalis, quantùm ad effectum illius primarium, qui erat rectificatio animæ cum Deo.

Hi Palen. in 2. d 20. ar. 3. not. 4. Conc. Mil.

Caiet 1.2. q.82. art. 2. dub. 1. Sot. li. 1. de nat. & grat. c. 9

XXV. Et, ſi contra hanc ſententiam retorqueatur argumentum ſuprà factum: nam priuatio effectus primarij, & formalis alicuius formæ non poteſt tolli, niſi reſtituatur ipſa forma, à qua procedit talis effectus; ſed per baptiſmum non reſtituitur ipſum donum iuſtitiæ originalis: ergo etiam non reſtituitur effectus primarius talis doni: ergo peccatum originale non poteſt conſiſtere in priuatione iuſtitiæ originalis, quantùm ad primum illius effectum; alias non tolleretur per baptiſmum. Reſpondetur, quòd animam rectificari in ordine ad Deum, non eſt effectus formalis adæquatus ipſius doni iuſtitiæ originalis; quoniam abſque iuſtitia originali poteſt anima rectificari in ordine ad Deum per gratiam habitualem, quæ diſtinguitur ad minus formaliter à iuſtitia originali. Vnde, vt tollatur priuatio iuſtitiæ originalis, quantùm ad primarium effectum per baptiſmum, & rectificetur anima in ordine ad Deum; non oportet, quòd reſtituatur ipſum donum iuſtitiæ originalis ſecundùm ſe, ſed ſufficit, quòd reſtituatur gratia habitualis, per quam etiam anima rectificatur in ordine ad Deum.

Rectificatio animæ in ordine ad Deũ, eſt effectus inadæquatus iuſtitiæ originalis.

Ex his facilè reſpondetur ad confirmationem quarti argumenti principalis, cuius occaſione hanc mouimus difficultatem; dicimus enim, quòd peccatum originale, quamuis pro formali ſit priuatio; pro materiali tamen eſt aliquid poſitiuum, vt dictum eſt: & ex hac parte poteſt habere cauſam efficientẽ realem, & ſimiliter eam habere poteſt pro formali eo modo, quo priuationes cauſam habent. Cæcitas enim habet cauſam realem, quæ per ſe primò terminatur ad qualitatem contrariam potentiæ viſiuę, ex qua ſcilicet qualitate contraria conſequitur priuatio viſus.

Ad quintum argumentum principale reſpondetur, quòd petit aliam difficultatem. Vtrum videlicet in ſemine ſit aliqua qualitas, ſaltem intentionalis, cuius virtute peccatum originale traducatur in poſteros; ſicut in aliis inſtrumentis ponitur motio quædam virtuoſa principalis agentis, ſuperaddita naturæ inſtrumenti, qua attingit effectum eiuſdem agentis principalis. Albertus Magnus tenuit, quòd ex illa maledictione Dei, quæ habetur Gen. 3. *Maledicta terra in opere tuo*, communicata fuit ſemini humano quædam virtus ad maculandam animam illius, qui ex Adam per propagationem carnalem deriuatur. Probat hoc ex illo Sap. 12. *Semen enim erat maledictum ab initio*. Capreolus etiam ponit in ſemine virtutem quandam intentionalem, cauſatiuam peccati originalis; cuius ſententia videtur habere fundamentum in S. Thom. q. 4. de malo, art. 1. ad 4. vbi ait, quòd peccatum originale eſt in ſemine viri, ſecundum quandam eius intentionem.

XXVI. Semen an habeat virtutem intentionalẽ ſuperaddita, qua pec. orig traducat.

Alb. Magn. lib. de mirabili ſcientia Dei, q. 17. art 3.

Capr. 2. d. 31. q. vnic. artic. 2. ad arg

Duran. cõt. 3. con.

Caiet. 1.2. q 81. art. 1. cir. fol. ad 3.

Ferrarié. 4. cont. Gent. cap. 50.

Scot. in 2. d 32. q. vn. in reſp. ad 3. quæſt.

Nihilominùs dicendum eſt, quòd nulla requiritur virtus realis in ipſo ſemine, vt per illud originale peccatum in filios Adæ traducatur. Ita ſentiunt Caietanus, Ferrarienſis, & Scotus. Et probatur ratione Ferrarienſis: nam peccatum originale pro formali eſt pura priuatio iuſtitiæ originalis, vt ſuprà dictum eſt: ergo non habet cauſam realem, quæ directè, & per ſe ad illud terminetur; ac per conſequens, non oportet ponere in ſemine aliquam virtutem realem, vel intentionalem productiuam peccati originalis, diſtinctam à fomite peccati, vt Adam virtute ſeminis dicatur transfundere in poſteros efficienter peccatum originale. Probatur conſequentia: nam in inſtrumentis tunc ponitur aliquid incompletum, & intentionale ad producendum effectum principalis agentis, quando actio inſtrumenti terminatur directe ad aliquid reale, cuius intentio debet præcedere in ipſo inſtrumento. Præterea probatur ratione deſumpta ex S. Thom. quæſt. 4. de malo, art. 3. ad 2. Nam cum peccatum originale ſit peccatum naturæ, non pertinet ad animam, neque ab illa contrahitur, niſi inquantùm eſt pars humanæ naturæ, quæ in Adam corrupta eſt: ergo eo ipſo, quòd anima efficitur pars humanæ naturæ corruptæ, incurrit peccatum originale: ergo non oportet ponere in ſemine aliquam virtutem realem cauſatiuam illius; ſed ſufficit virtus, quam habet vniendi animam cum corpore, vt fiat pars naturæ humanæ, & habitudo, quam dicit ſemen ad fomitem, & ad primum parentem, qui voluntariè peccauit. Ex quo ſequitur, quòd, ſi anima rationalis non vniretur corpori, tanquam forma materiæ, ſed tanquam motor mobili, vt Platonici poſuerunt, non inficeretur peccato originali; quia tunc non efficeretur pars totius naturæ: ita dicit S. Tho. q. 3. de pot. ar. 4 ad 3. & ad 4.

Vnde ad rationem Alberti reſpondetur, quòd in illo loco Sap. 12. ſemen non ſignificat ſemen virile, ſed homines impios, in qua acceptione multoties ſumitur in ſacris literis, ſicut Iſa. 1. *Væ genti peccatrici, ſemini nequam, filiis ſceleratis.* & Dan. 13. *Semen Canaam, & non Iuda.*

Ad auctoritatem S. Thomæ pro ſententia Capreoli adductam reſpondetur, quòd S. Th. appellat intentionem peccati originalis, non qualitatem aliquam ſuperadditam, ſed defectum, & priuationem rectitudinis, ex qua prouenit, quòd natura humana virtute ſeminis producta ſubiaceat culpæ originali. Ita reſpondent Ferrarienſis, & Caietanus. Dicitur autem huiuſmodi defectus intentio peccati originalis, quia eſt quædam ſimilitudo illius ſecundùm proportionem.

Secundò respondetur, quòd ipsum semen, secundùm quòd dicit habitudinem ad fomitem, & ad primum parentem, qui voluntariè peccauit, absque alia qualitate superaddita, dicitur quædam intentio peccati originalis.

EX his manet solutum quintum argumentum principale: dicimus enim quòd semen, seu actus generationis virtute seminis, secundùm quòd dicit ordinem ad fomitem, & ad primum parentem, qui voluntariè peccauit; concurrit, vt instrumentum, ad traducendum peccatum originale. vnde S. Thom. 1.2.q.81.art.1.ad 2.ait, quòd *per virtutem seminis traducitur humana natura à parente in prolem, & simul cum natura, natura infectio.* Et quæst.83.art.1.ad 2.ait, quòd *peccatum originale causatur ex semine, tanquam ex causa instrumentali.*

XXVII. Peccatum originale, in quo instanti contrahatur.

Ad sextum argumentum principale respondetur, quòd peccatum originale contrahitur in instanti, in quo anima virtute seminis vnitur corpori: nam in illo instanti fit anima actualiter pars naturæ corruptæ, quam concomitatur originalis culpa, vt 1.2.q.81.art.1.ad 3.dicit S.Thom. Et ad impugnationem respondetur, quòd anima non inficitur per carnem, sed per semen. Cuius ratio est, quam assignat S.Th. 1.2.q 81.art.1.ad 4. nam semen est principium generationis, quæ est proprius actus naturæ, eius propagationi deseruiens: & ideo magis inficitur anima per semen, quàm per carnem perfectam, quæ iam determinata est ad personam: in semine autem non est peccatum originale formaliter, sed causaliter, tanquam in instrumento, vt dictum est.

XXVIII. Ad septimum argumentum respondetur, quòd delicto Adæ constituuntur peccatores omnes eius filij causaliter, quoniam ex ipso, tanquam ex causa, corruptio naturæ ortum habuit; non autem constituuntur formaliter peccatores per delictum, quod fuit in Adam, sed per peccatum proprium, quod singuli contrahunt, vt dictum est de iustitia Christi in ordine ad regeneratos per gratiam.

DISPVTATIO XLV.

Vtrùm per originale peccatum solùm fuerit homo spoliatus originali iustitia, & supernaturalibus donis, an etiam in naturalibus vulneratus.

IN hac parte est nobis duplex controuersia: altera cum hæreticis, qui expressè originale peccatum abnegarunt: altera cum Catholicis, qui admittentes cũ Ecclesia Christi, peccatum originale contrahi à filiis Adæ, naturalia post peccatum integra dicunt permansisse. Etenim Pelagius, vt refert Aug. libr. de nat. & gratia, c.19. sicut negauit peccatum originale, ita etiam consequenter dixit, per peccatum Adæ debilitatam non fuisse, aut immutatam hominis naturam. Et ratio potissima illius fuit: nam peccatum aut est aliqua substantia, aut omnino substantia caret: si detur primum, sequitur, quòd peccatum sit à Deo; nam omnis substantia creata à Deo est. Si autem secundum concedatur, quomodo potuit peccatum humanam debilitare, vel mutare naturam; quod enim substantia caret, & non est res, non existentia, non corpus aliquod, corrumpere vtique, aut debilitare naturam non potest.

A Alij verò hæretici per oppositum extremum, dixerunt, naturalem hominis libertatem per peccatum non solum læsam, aut debilitatam fuisse, sed etiam penitus extinctam. Ita sensit Lutherus, & alij hæretici huius temporis, disp.3. allegati, sed præsertim Caluinus, libr.2, inst. cap.15.§.8. vbi dicit, corruptionem naturæ in hoc consistere, quòd homo per peccatum amisit liberum arbitrium, quod ante peccatum habuerat. Argumenta horum hæreticorum erunt adducenda, & dissoluenda inferiùs inter disputandum de concordia liberi arbitrij, cum efficacia auxiliorum diuinæ gratiæ.

Inter Catholicos autem, qui peccatum originale, & liberum hominis arbitrium etiam post lapsum admittunt, quidam dixerunt, peccatum primi parentis solùm in gratuitis nobis nocuisse, & ob id B naturalia in nobis post peccatum integra remansisse, qualia essent suapte natura, si nullo dono supernaturali fuissent affecta. Probatur hæc sententia.

Primò auctoritate S.Thom. 1.par.q.95.artic.1.in corp. vbi ait: *Manifestum est, quòd illa subiectio corporis ad animam, & inferiorum virium ad rationem non erat naturalis; alioquin post peccatum mansisset, cùm etiam in dæmonibus data naturalia post peccatum permanserint, vt Dionysius dicit cap.4. de diuin. nomin.* Quibus verbis aperte docet, in primo parente, sicut & in dæmonibus, naturalia post peccatum integra permansisse. Sentit ergo, hominem per peccatum solùm fuisse spoliatum supernaturalibus donis, & non vulneratum in naturalibus. Vnde M Medina 1. C 2.quæst.85. art.3.§. Secundò infertur, eandem sententiam ex mente S. Thomæ defendit: *Hæc est, inquiens, vera, diuinàque Theologia, quam docent vniuersi Theologi; nominatim Caietanus 1.2.q.85.art.3.& quæst.109.art.2. Marsil. in 2.q.18.art.1. doctissimus Pater Soto 1.lib.de nat.& grat.c.13.*

Confirmatur nam S.Thom. comparat hominem post peccatum dæmonibus, quantùm ad mala ex ipso peccato subsequuta; sed dæmones per peccatum solùm fuerunt spoliati supernaturalibus donis, non autem vulnerari in naturalibus: ergo & homines.

Secundò arguitur; quia hoc solum interest inter naturam humanam post peccatum ante dona gratiæ, & eandem naturam, si in puris naturalibus fuisD set condita, quòd exclusio à gloria, & carentia gratiæ, & iustitiæ originalis habent proprie rationem priuationis, & pœnæ, respectu eorum, qui in Adam peccauerunt, non autem respectu hominis in puris naturalibus constituti: ergo per peccatum non fuit homo in naturalibus vulneratus, sed solùm spoliatus donis gratuitis.

Tertiò Homo post peccatum originale, & in puris naturalibus differunt, sicut homo nudus, & eludatus: etenim in puris naturalibus esset homo nudus, quia non haberet gratiam, & charitatem, quæ est vestis nuptialis animæ; sed in statu peccati originalis dicitur nudatus; quia amisit supernaturalia dona, quibus erat ornatus, ergo quantùm ad naturalia, non est homo magis vulneratus in natura lapsa, E quá in puris naturalib. si in eo statu cõditus fuisset.

Quartò: Per peccatum originale non est diminuta in homine inclinatio naturalis ad bonũ: ergo per tale peccatum non fuit in naturalibus vulneratus. Patet consequentia, quia non potest intelligi vulnus naturæ rationalis, nisi per illud diminuatur inclinatio naturalis ad bonum rationis. Et antecedens probatur: nam inclinatio naturalis ad bonum rationis est proprietas, seu propria passio consequens ex principiis rationalis naturæ, quoniam nõ est aliud, nisi ipsa potentia rationalis ad bonum inclinans, sed proprietas naturæ, seu propria passio illius

minut

minui non poteſt: nam propria paſſio ſemper ſe habet eodem modo, cum prædicetur de ſubiecto, conuertibiliter, & intranſmutabiliter, vt dicit Porphyrius capite de Proprio. Vnde S. Thom. 1.2.q.85.ar.1. in corp. ait, donum naturæ, id eſt, principia, ex quibus conſtituitur ipſa natura, & proprietates ex eiſdem principiis cauſatas non tolli, nec diminui per peccatum: ergo.

Confirmatur primò idem antecedens. Inclinatio naturalis humanæ naturæ eſt finita, cùm natura ipſa humana finita ſit: ergo ſi per peccatum minuitur, per multiplicationem peccatorum poterit totaliter deſtrui. Omne enim finitum per ablationem conſumitur, ſi ablatio non fiat per partes proportionales: in præſenti autem ablatio non fiet per partes proportionales, vt 1.2.quæ.85.art.2. docet S. Thom. Sed eſt impoſſibile, quòd inclinatio naturalis ad bonum rationis, manente natura humana, totaliter deſtruatur, vt in eodem articulo ſecundo probat S. Thomas: ergo.

Cõfirmatur ſecundò idem antecedens. Per actus virtutum non augetur inclinatio naturalis ad bonum rationis: ergo nec minuitur per peccatum.

Quintò arguitur. Peccatum eatenus diminuit bonum naturæ, quatenus generat habitum vitioſum; ſed peccatum originale non generat habitum vitioſum, nec aliquam morbidam qualitatem, cùm pro formali ſit pura priuatio originalis iuſtitiæ, & conſiſtat in auerſione, & non in conuerſione inordinata, vt ſupra dictum eſt: ergo idem quod prius.

Contrariam ſententiam docet S. Thom. 1.2.q.85. art.1. & Thomiſtæ quam plurimi. Vnde ſit

PRima concluſio contra Pelagianos. Secundùm fidem Catholicam aſſerendum eſt, naturam humanam per peccatum immutatam, infirmatam, & debilitatam fuiſſe. In hac concluſione conueniunt omnes Catholici; colligitur enim ex ſacris literis, præſertim ex Pſal.40. *Ego dixi Domine miſerere mei, ſana animam meam, quia peccaui tibi.* Quæ verba explicans S. Aug. ait: *Quid ſanatur, ſi nihil eſt vulneratum, nihil ſauciatum, nihil debilitatum atque vitiatum?* & Iſai.1. *Omne caput languidum, & omne cor mœrens, a planta pedis, vſque ad verticem, non eſt in eo ſanitas: vulnus, & liuor, & plaga tumens. Non eſt circumligata, nec curata medicamine, nec fota oleo.* & Matth.9. *Non eſt opus valentibus medico, ſed male habentibus: non enim veni vocare iuſtos, ſed peccatores.* Secundò probatur, ex definitionibus Conciliorum, præſertim Arauſicani, & Tridentini, infrà adducendis, in quibus noſtra concluſio contra Pelagianos definitur. Tertiò probatur auctoritate Sanctorum, præſertim S. Chryſoſt. homil. 30. ad populum Antiochenum: vbi comparat peccatorem infirmo, febre correpto, qui non tantùm hanc paſſus eſt moleſtiam, quòd infirmatur; verùm & quod poſt morbum iam erit imbecillior, licet ad bonam valetudinem ex longa redeat ægritudine. S. Proſper lib.1.de vocat.gent. c.7. ait: *Inde (*ſcilicet ex peccato primi hominis*) tracta mortalitas; inde multiplex corporis animique corruptio.*

Secunda concluſio. Natura humana per peccatum originale non fuit ſolùm expoliata donis gratuitis, ſed etiam in naturalibus vulnerata. Concluſio eſt contra aliquos recentiores Theologos, ſed probatur. Primò: nam de homine illo deſcendente ab Hieruſalem in Hiericho, qui typum gerebat peccatoris, dicitur Luc.10. quòd incidit in latrones, qui eum expoliauerunt, *ac plagis impoſitis abierunt ſemiuino relicto*: vbi non ſolùm aſſeritur, hominem illum expoliatum eſſe gratuitis, ſed etiam vulneratum in naturalibus, vt exponit Beda in gloſſa ordinaria ſuper eundem locum: & Ambr. lib.7. in Lucam.

Peccato originali infirmata fuit, & debilitata humana natura. Ezech.18.

Secundò probatur ex definitione Conc. Arauſicani can.1. vbi ſic dicitur: *Si quis per offenſam prauaricationis Adæ non totum, id eſt, non ſecundum corpus, & animam in deterius dicit hominem commutatum, ſed anima libertate illæſa durante, corpus tantummodo corruptioni credit obnoxium, Pelagij errore deceptus, aduerſatur Scripturæ dicenti: Anima, quæ peccauerit, ipſa morietur. Et neſcitis, quoniam, cui exhibetis vos ſeruos ad obediendum, ſerui eſtis eius cui obeditis? Et à quo quis ſuperatur, eius & ſeruus efficitur.* Eandem definitionem ſacrum Conc. Trident. ſeſſ.5. decreto de peccato originali, ſub his verbis confirmat: *Si quis non confitetur, primum hominem Adam, cum mandatum Dei in Paradiſo fuiſſet tranſgreſſus, ſtatim ſanctitatem, & iuſtitiam, in qua conſtitutus fuerat, amiſiſſe incurriſſeque per offenſam prauaricationis huiuſmodi, iram, & indignationem Dei, atque adeò mortem, quam antea illi communicatus fuerat Deus, & cum morte captiuitatem ſub eius poteſtate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc eſt, diaboli, totumque Adam per illam prauaricationis offenſam ſecundum corpus, & animam in deterius commutatum fuiſſe, anathema ſit.* Vbi ea ratione per peccatum originale dicitur homo ſecundùm animam, & corpus in deterius commutatus: quia non ſolùm fuit expoliatus ſupernaturalibus donis, ſed etiam in naturalibus vulneratus. Idem conſtat, ex Concilio Valentino, cap.6. cuius verba diſp.54.n.10. referenda ſunt.

Reſpondent auctores oppoſitæ ſententiæ, quòd Concilia loquuntur comparatione virium, quas liberum arbitrium habebat in ſtatu innocentiæ ex præſentia iuſtitiæ originalis; non verò comparatione virium, quas habuiſſet, ſi homo in puris naturalibus eſſet conditus.

Hæc tamen ſolutio non videtur congruere verbis Conciliorum, & ſacræ Scripturæ ſuprà inductis. Nam ſi non loquantur de homine comparatione ſtatus in puris naturalibus, cùm dicunt, eum per peccatum ſecundum animam, & corpus fuiſſe in deterius commutatum; ſi quæretur, quòd nullam plagam in ſeipſo per peccatum acceperit homo, nec fuerit relictus ſeminiuus, vt Scriptura ſignificat; nam reuerà in puris naturalibus nullam haberet homo plagam, nec diceretur ſeminiuus; licèt in eo eſſet rebellio appetitus ſenſitiui, & pugna inter carnem & ſpiritum ex ipſa natura hominis conſequuta. Præterea: nam, vt infrà patebit, liberum arbitrium in natura lapſa non habet eaſdem vires naturales ad bonum, quas habiturum erat, ſi in puris naturalibus conditum fuiſſet: non enim poteſt in natura lapſa, abſque auxilio gratiæ, elicere vllum actum dilectionis Dei ſuper omnia, vt eſt auctor naturæ, quem tamen elicere poterat, ſi homo in puris naturalibus conditus fuiſſet, vt patebit infrà: ergo per peccatum non ſolùm fuit in deterius commutatum, reſpectu ſtatus quem habuit in natura integra; ſed etiam reſpectu ſtatus, quem habiturum eſſet, ſi in puris naturalibus conditum fuiſſet.

IV. Liberi arbitrij naturalis inclinatio ad bonum imminutafuit per peccatum.

Tertiò probatur concluſio: nam inclinatio naturalis ad bonum rationis humanæ naturæ proportionatum, minuitur per peccatum, vt 1.2.q 85.art.1. & 2. docet S. Thom. & ibi Caiet. & Conradus, Capreolus in 2.d.24.q vnic.art.1.cont 3.Ferrar.3. cont. Gen c.12. Alex. Halenſis 2.p q.94.memb.8.artic.4 in corp. & ad 2. Richard. in 2.d.25.circa ſecundum principale, q. 1. & 2. Greg. eadem d.q.vn.art 1.ad 6 contra primam concluſionem. Et rurſus id ſuadet: nam habilitas potentiæ naturalis ad bonum, ſiue ad exercitium bonorum actuum minuitur per peccatum, eo quòd ratione illius redditur potentia minus prompta ad operandum bonum, quàm ſi nullum peccatum habuiſſet; quod experientia ipſa nos docet:

Rom 6. 2. Petr. 2. Cæleſt. 1. epiſt. 1 6.4. Gen. 2.

Digitized by Google

docet: ergo per peccatum originale constituitur homo in deteriori statu, quantum ad huiusmodi inclinationem & propensionem naturalem ad bonum virtutis, quam esset in puris naturalibus, si in eo statu conditus fuisset, quo

Ad argumentum Pelagij factum à principio respondetur cum S. Augustino, lib. de natura, & gratia, cap. 20. quòd sicut abstinere a cibo non est substantia, & tamen substantia corporis, si omnino abstineat a cibo, languescit, valetudinis inæqualitate corrumpitur, exhauritur viribus, latitudine debilitatur, & frangitur: sic peccatum, quamuis non sit substantia, potuit humanam debilitare naturam, eius vires minuere, & infirmam reddere.

Secundo respondetur, quod licet peccatum originale non sit pro formali aliquid positiuum, sed priuatiuum, vt suprà dictum est, peccatum tamen actuale est pro formali aliquid positiuum, & causat in anima habitum vitij oppositum contrario habitui virtutis; & ex hac etiam parte potest vires naturales humanæ naturæ minuere, atque eam debilitare, ne possit per seipsam opera naturæ sanæ perficere, nisi diuinitùs adiuuetur, & sanetur per gratiam.

AD primum argumentum pro sententia Catholicorum inductum, respondetur, quòd S. Thomas expressè docet nostram sententiam, locis superiùs allegatis; neque in loco inducto ex prima parte dicit oppositum. Ibi enim non ait, quòd naturalia post peccatum manserint integra in hominibus, aut in dæmonibus, quantùm ad omnia: sed solùm inquit, quòd manserunt integra; si sermo sit de bono primo naturæ, quod est esse, viuere, & intelligere: sic enim explicat Dionysium in solut. ad 1. eiusdem articuli. Et per hæc respondetur ad confirmationem.

Naturalia post peccatum an integra remã serint.

Secundò respondetur, quòd in dæmonibus non est concupiscentia, vel deordinatio appetitus sensitiui, sicut est in homine lapso: nam in Angelis non est appetitus sensitiuus. Vnde ex hac parte potest homo per peccatum magis vulnerari in naturalibus, quàm diabolus.

Hominis in puris naturalibus in natura lapsa differentia.

Ad secundum argumentum negatur antecedens: quoniam in natura lapsa carentia gratiæ, & iustitiæ originalis non habet solum rationem pœnæ, sed verè habet rationem culpæ, ex qua vulnerata manet natura humana, & impotens ad bona opera perfecta, etiam naturalia, qualia sunt diligere Deum super omnia simpliciter, & resistere grauioribus tentationibus. Hæc enim, & similia non potest homo, etiam per breue tempus, in natura lapsa perficere, nisi sanetur per gratiam; cùm tamen in puris naturalibus potuerit vnum, aut alterum actum merè naturalem dilectionis Dei super omnia elicere ex viribus naturæ, & paruo tempore grauioribus tentationibus resistere, vt inferiùs patebit.

Ad tertium respondetur, quòd homo in natura lapsa, & in puris naturalibus, differunt quidem, sicut homo nudus, & nudatus; sed non tantùm differunt in hoc, sed etiam, quia in natura lapsa eo ipso, quòd est nudatus per peccatum, plurima in naturalibus passus est vulnera, quæ tamen in puris naturalibus non habuisset.

Potentia rationalis intrinsecè nõ minuitur sed per appositionem impedimenti.

Ad quartum negatur antecedens. Ad probationem respondetur, quòd potentia rationalis naturæ humanæ non potest minui intrinsecè, & entitatiuè per destructionem alicuius gradus eiusdem potentiæ: potest tamen minui per appositionem impedimenti, quale est peccatum, vel per inclinationem contrariam ad peccata, quæ inclinatio generatur per actus malos. Necesse est enim, quòd ex hoc, quòd aliquid inclinatur ad vnum contrariorum, diminuatur inclinatio eius ad aliud. Cùm ergo peccatum sit contrarium virtuti, ex hoc ipso, quòd homo peccat, diminuit bonum naturæ, quod est inclinatio ad virtutem, vt 1. 2. q. 85. art. 1. incorp. docet S. Thomas.

Ad primam confirmationem respondetur cum S. Thoma, quòd obiectio illa procedit, quando fit diminutio per subtractionem. Per peccatum autem non minuitur inclinatio naturalis ad bonum per subtractionem, sed per appositionem impedimenti, quod neque tollit, neque minuit radicem inclinationis. Cùm enim peccatum non diminuat ipsam naturam rationalem, minuere non potest radicem naturalis inclinationis ad bonum, quæ identificatur cum ipsa natura. Solùm ergo minuitur huiusmodi inclinatio ex parte termini; quatenus videlicet per peccatum ponitur impedimentum pertingendi ad terminum, vt in corpore eiusdem articuli explicat S. Thomas. Vnde, quantumuis in infinitum multiplicentur peccata, non potest totaliter destrui inclinatio naturalis illius ad bonum rationis. Eandem solutionem prosequitur S. Doctor 1. p. q. 48 artic. 4. ad 3.

VI. S. Tho 1 2. q. 85. art. 2. ad 1.

Sed contra hanc solutionem vrget argumentum, quia tot possunt impedimenta apponi, totque peccata multiplicari, vt inclinatio naturalis humanæ naturæ ad virtutem non solùm difficiliùs possit in actum virtutis, sed etiam omnino non possit: ergo poterit huiusmodi inclinatio naturalis per multiplicationem peccatorum totaliter destrui. Probatur consequentia: nam, qua ratione inclinatio naturalis ad bonum potest diminui per appositionem impedimenti, ita vt difficile possit actum bonum exercere, eadem ratione tot poterunt impedimenta multiplicari, vt omnino in actum bonum exire non possit. Respondetur, negando consequentiam, & ratio discriminis est: nam, vt inclinatio naturalis ad bonum minuatur, sufficit, quòd aliquo modo fiat minor, siue intrinsecè id fiat per subtractionem, siue extrinsecè per appositionem impedimenti; vt autem omnino destruatur, necesse est, quòd entitas tota eiusdem inclinationis pereat.

VII.

Ad secundam confirmationem respondetur, quòd actus virtutum, quatenus generant habitum, per quem perficitur potentia in ordine ad actus virtutum, quodammodo augent inclinationem illius.

Peccatum mortale quomodo vulneret naturã intellectualem

Ad quintum respondetur, quòd peccatum mortale actuale vulnerat naturam intellectualem, minuendo inclinationem eius ad bonum per appositionem contrariæ inclinationis, etiamsi sit peccatum omissionis; quoniam in exercitio nunquam reperitur absque omni actu. Originale autem peccatum vulnerat in naturalibus per remotionem originalis iustitiæ, & aliorum donorum, quibus vires inferiores sub fræno rationis continebantur, & quatenus per idem peccatum auertitur creatura intellectualis à suo vltimo fine, ac subinde redditur impotens ad perficiendos illimos actus eiusdem naturæ, qualis est dilectio Dei super omnia, vt est finis naturalis, exercendos. Vnde peccatum actuale vulnerat hominem in naturalibus, inducendo inclinationem positiuam vitij, inclinationi virtutis oppositam contrariè: peccatum autem originale vulnerat in naturalibus, subtrahendo à potentiis rationalibus ea dona, quibus in officio continebantur, & inducendo maculam in animam, & eam à suo vltimo fine, vt dictum est, auertendo. Videatur M. Soto lib. 1. de natura, & gratia, cap. 14.

DISPV

DISPVTATIO XLVI.

Quæ ſint vulnera, quæ homo per originale, vel actuale Peccatum incurrat.

I. Peccatum quatuor vulnera infert naturę

HAnc difficultatem tangit S. Thomas 1. 2. quæſtione 85. art. 3. in quo quærit: vtrùm conuenienter ponantur vulnera naturæ, ex peccato conſequentia, infirmitas, ignorantia, malitia, & concupiſcentia. Et reſpondet concluſione affirmatiua, quam probat auctoritate venerabilis Bedæ, quæ habetur in gloſſa ordinaria, in illa verba Lucæ 10. *Et plagis impoſitis, abierunt ſemiuino relicto.* Vbi prædicta quatuor vulnera, quæ homo per peccatum incurrit, enumerat. Et in corpore articuli, horum vulnerum ſufficientiam ſic colligit: Nam *per iuſtitiam originalem perfecta ratio continebat inferiores animæ vires, & ipſa ratio à Deo perficiebatur et ſubiecta. Hæc autem originalis iuſtitia ſubtracta eſt per peccatum primi parentis, ſicut iam dictum eſt; & ideò omnes vires animæ remanent quodammodo deſtitutæ proprio ordine, quo naturaliter ordinantur ad virtutem: & ipſa deſtitutio vulneratio dicitur naturæ. Sunt autẽ quatuor potentiæ animæ, quæ poſſunt eſſe ſubiecta virtutum; vt* 1. 2. q. 61. ar. 2. & q. 57. *dictum eſt, ſcilicet, Ratio, in qua eſt prudentia: Voluntas, in qua eſt iuſtitia: Irascibilis, in qua eſt fortitudo: Concupiſcibilis, in qua eſt temperantia. Inquantum ergo ratio deſtituitur ſuo ordine ad verum, eſt vulnus ignorantiæ: inquantum verò voluntas deſtituitur ordine ad bonum, eſt vulnus malitiæ: inquantum verò irascibilis deſtituitur ſuo ordine ad arduum, eſt vulnus infirmitatis: inquantum verò concupiſcentia deſtituitur ordine ad delectabile moderatum ratione, eſt vulnus concupiſcentiæ. Sic igitur iſta quatuor ſunt inflicta toti humanæ naturæ ex peccato primi parentis. Sed quia inclinatio virtutis ad bonum in vnoquoque diminuitur per peccatum actuale,* vt ex dictis patet, *etiam iſta ſunt quatuor vulnera ex aliis peccatis conſequentia, inquantum ſcilicet per peccatum & ratio hebetatur, præcipuè in agendis; & voluntas induratur ad bonum, & maior difficultas bene agendi accreſcit, & concupiſcentia magis exardeſcit.*

II. Voluntas magis corrupta eſt per peccatum, quàm intellectus.

Sed pro maiori explicatione, notandum eſt, quòd vt docet S. Thom. 1. 2. quæſtione 109. articulo ſecundo ad tertium, natura humana magis corrupta eſt per peccatum, quàtum ad appetitum boni, quàm ſecundum cognitionem veri, eò quòd voluntas eſt inclinatio totius hominis; vnde plura poteſt cognoſcere per ſe ipſum, abſque auxilio gratiæ, quàm poſſit viribus naturæ perficere; quamuis etiam in intellectu fuerit vulnerata. Igitur, quantùm ad intellectum vulneratus eſt homo per peccatum, ignorantiæ vulnere: quia, licet poſſit per vires naturæ aliquod verum cognoſcere, non ſolùm ſpeculatiuum; ſed etiàm practicum, ex his, quæ pertinent ad ordinem naturæ; non tamen poteſt omne verum, præſertim practicum, ex iis, quæ ad rectam inſtitutionem vitæ naturalem pertinent, ſine auxilio gratiæ cognoſcere. Vnde S. Proſp. Caſſianum acriter reprehendit, eò quòd ex verbis illis Geneſ. 3. *Ecce Adam factus eſt ſicut vnus ex nobis: ſciens bonum, & malum*; malè intulerit: *Concepit ergo Adam poſt prævaricationem, quam non habuerat, ſcientiam mali; boni verò, quam acceperat, ſcientiam non amiſit.* Quam doctrinam alibi impugnans idem S. Proſp. *Nunc autem*, inquit, *cùm ſine ſacramento regenerationis æternam mortem nemo poſſit euadere: nonne ex ipſius remedij ſingularitate apertiſſimè patet, in quàm profundum malum totius humani generis natura demerſa ſit, illius prævaricatione, in quo omnes peccauerunt, & quidquid ille perdidit, perdiderunt? Perdidit autem primùm fidem, perdidit Continentiam, perdidit Charitatem: ſpoliatus eſt Sapientia & Intellectu, carnit Conſilio, & Fortitudine: & impiè alterna ſectando à veritatis ſcientia, & obedientia pietate deſertus eſt.* Et infrà: *Inde, priuſquam edendo carnem filij hominis, & bibendo ſanguinem eius lethalem ingerat eruditatem; labitur memoria, errat iudicio, ruinæ incęſſu, neque vllo modo idoneus eſt ad illud bonum eligendum, & concupiſcendum quo ſe ſponte priuauit.* Et cap. 21. *Poſtquam autem Adam ſe hoc eſt imaginem & templum Dei deceptori ſuo ſubdidit, peraidit boni ſcientiã, quia perdidit bonam conſcientiam.* Vnde Sap. 9. ſcriptum eſt: *Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ noſtræ: corpus enim, quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem. Et difficile æſtimamus, quæ in terra ſunt: & quæ in proſpectu ſunt, inuenimus cũ labore. Quæ autem in cœlis ſunt, quis inueſtigabit?* Vbi ex corruptibilitate corporis, ex peccato proueniente, infert hominum prouidentiam eſſe incertam. Vnde paulò poſt principium eiuſdem capitis præmiſerat: *Homo infirmus, & exigui temporis, & minor ad intellectum iudicij, & legum. Nam & ſi quis erit conſummatus inter filios hominum, ſi ab illo abfuerit ſapientia tua, in nihilum computabitur.* quaſi diceret: Pauca poterit, & cum difficultate homo infirmus cognoſcere, vt recte iudicet, & leges condat; & miſi per ſapientiam tuam ſanatus fuerit. Vnde & ſtatim illam poſtulat à Deo: *Mitte illam*, inquiens, *de cœlis ſanctis tuis, & à ſede magnitudinis tuæ vt mecum ſit, & mecum laboret, & ſciam, quid acceptum ſit apud te.* Peccatum ergo oculos inprimis rationis obnubilat, vt miſerabilis homo poſtmodùm abſque fræno in barathrum perrabatur. In cuius ſignum prius Samſon oculos amiſit, & poſtmodum à Philiſtæis ad molam deputatus eſt. Vnde Gregorius: *Quia plerumque prius oculus contemplationis amittitur, & poſt per carnis deſideria, huius mundi laboribus animus ſubiugatur, reſtatur Sampſon ab Allophylis captus, qui poſtquam oculos perdidit, ad molam deputatus eſt: quia nimirùm malignus, poſtquam tentationum ſtimulis intus aciem contemplationis effodiunt, foras in circuitum laborum mittunt.* Greg. lib. 7. Mor. c. 13. Iud. 16. Samſon typus fuit peccatoris animæ.

III. Peccatum nocti comparatur.

Hinc etiam peccatum nocti comparatur, quia ſicut nocte inter album, & nigrum corporalis oculus non diſcernit, ita & peccator, quid ſit bonum, quid malum, per oculos rationis vix iudicat, quod his verbis notauit Chryſoſtom. *Sicut enim in tenebris, neque amicus, neque inimicus agnoſcitur, ſed omnia penitus ignorantur: itidem in peccato vſu venit. Quippe, qui lucro inhiat, nullam amici, inimicive intelligit differentiam, & inuidus familiariſſimum, non ſecus quam inimicum conſpicatur: & latrones ſimiliter in omnes bellum gerunt, omnibus inſidiantur: & omnino quicunque ſe vitiorum ſordibus coinquinant, nihil ad rerum differentias dignoſcendas ab ebriis, inſanientibuſque differunt. Et quemadmodum noctu, amoto lumine lignum, plumbum, ferrum, argentum, lapides pretioſos, & alia omnia eodem modo & videmus & diudicamus; ita qui ſordidè, & vitioſè vitam viuunt, neque modeſtiæ vim, neque ſapientiæ diſcernunt pulchritudinem. In tenebris enim, vt iam dixi, pretioſi etiam lapides nullam ſpeciem, nullum præ ſe ferunt fulgorem, non ſuæ. ſed caligantium oculorum culpa. Neque hoc dumtaxat nobis, dum ſub impia vitiorum tyrannide viuimus, moleſtum eſt; verùm etiam illud quod formidine propterea angimur. Et veluti, qui per obſcuram noctem iter faciunt, vt nihil metuendum ſit, metu tamen concutiuntur: ſic, qui ſcelus aliquod admittunt, etſi nemo id videat, nemo reprehendat; nihilo tamen melius ſibi fidunt, ſed omnia formidant, omnia ſuſpicantur; quippe qui perpetuis conſcientiæ ſtimulis agitantur, omnia formidoloſè circumſpiciunt.* Et homil. 12. ſuper 1. epiſt. ad Corinth. *Quemadmodum*, inquit, *latrones,*

Chry. ho. 4. in Ioan. col. 1. to 3.

latrones, cùm quid pretiosum rapere volunt extincto lumine id aggrediuntur; sic in peccatoribus corrupta ratio. Etenim in nobis rationis lumen est semper ardens, quod si spiritus iniquitatis vehementiori impetu aggressus extinxerit, quamprimùm animam obscurauit, expugnauitque, & quidquid in ea conditum est, cõpilat. Quippe quæ, cùm à lividinis cupiditate capta est, sicut nebula, & caligine corpores oculi, sic ab illo mentis prouidentia præoccupata, nihil intueri potest vlterius, non præcipitium, non gehennam non formidinem: & tanquam paries sine ostio oculis obiectus non sinit iustitiæ radium mentes nostras illustrare. Et quemadmodum cæci, licet in ipso meridie sub dio versentur, nullam tamen lucem accipiunt; itidem & hi quamuis innumera vndique dogmata eorum insonent auribus, animo hoc affectu præoccupato, omnibus rationibus obstruunt auditum. Hinc etiam Origenes, explicans illud Iob. 3. *Noctem illam tenebrosus turbo teneat*; sic ait: *Nisi primùm obscurauerit diabolus corda hominum, nisi primum infuscauerit animas eorum, nisi prius oblinionem detersit timoris Dei, atque terribilium iudiciorum eius; non vtique valebit vnquam peccatorum semen seminare in cordibus eorum. Postquam vero obscurauerit animam, & à Deo auerterit; tunc scilicet ad omnia mala, ad impudicitiam, ad infidelitatem, atque ad omnia carnis desiderio, tanquam eos, qui in tenebris sunt, facilè conuertit.*

Orig. li. 2. in Iob. to. 2

III. Voluntas quæ mala per peccatũ incurrat.

Rationis iudicio vulnerato, ad reliquas animi vires peccati venenum diffunditur, nihil intactum, nihil non læsum relinquens; & inprimis voluntas, quæ appetitus est totius hominis, eodem veneno infecta, quamplurima damna incurrit. Nam auersa à suo vltimo fine tam naturali, quam supernaturali, permansit; ac per consequens, absque sufficientibus viribus vt per se ipsam posset ad ipsum Deum, etiam inquãtùm est auctor naturæ, se conuertere. Hinc etiam impotẽs mansit ad seruandam totã legem naturalem, & resistendum grauioribus tentationibus occurrentibus. Hinc consuetudine peccandi magis, ac magis debilitatum manet liberum arbitrium, vtpote diaboli potestati vltrò traditum. Vnde sanctus Augustinus. *Suspirabam*, inquit, *ligatus, non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me. Quippe ex voluntate peruersa facta est libido: & dum seruitur libidini, facta est consuetudo: & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas: quibus, quasi anulis quibusdam sibimet innexis, vnde catenam appellani, tenebat me obstrictum dura seruitus.* Qualiter autem per diuersitatem peccatorum variis vulneribus afficiatur anima, iis verbis explicat Origenes: *Anima, quoties peccat, toties vulneratur, & ne dubites peccatis eam, velut telis, & gladiis vulnerari. Audi Apostolum monentem, vt sumamus scutum fidei, in quo possimus omnia tela nequissimi ignea extinguere. Vides ergo peccata maligni esse iacula, quæ in animam diriguntur. Patitur autem & anima non solum vulnera iaculorum, sed & fracturas pedum cum laquei parantur pedibus eius, & supplantantur gressus eius. O si possemus per vnumquodque peccatum videre, quomodo homo noster interior assiduè vulneratur. Vulneratur per linguam anima, vulneratur & per cogitationes, & concupiscentias malas: frangitur autem, & conteritur per opera peccati. Quæ si omnia videre possemus, & vulnerata anima sentire cicatrices, certum est, quòd vsque ad mortem resisteremus aduersùs peccatum.*

Aug. lib. 8. Conf. c. 5. tom. 1.

Orig. hom. 8. in ca. 15. Num.

IV. Potentiæ inferiores qualiter per peccatum fuerũt infectæ. Genes. 2.

Voluntate per peccatum fauciata, atque vulnerata reliquæ etiam potentiæ, & vires inferiores remanserunt infectæ, atque infirmæ, videlicet irascibilis, & concupiscibilis: quæ quidem potentiæ, cùm homini fuerint a Deo collatæ in adiutorium rationis, non secus ac mulier viro, dicente Domino: *Faciamus ei adiutorium simile sibi*; ipsam nihilominùs rationem, vt in peccatum consentiendo caderet, iuuerũt. Hinc homo miser variis passionibus agitatur, metuit, dolet, gaudet de eo, quod metuendum non erat, nec dolendum, aut gaudendum. Vnde Augustinus: *Omnes affectus istos vita recta rectos habet, peruersa peruersos. Electi enim metuunt pœnam æternam, cupiunt vitam æternam. Dolent in re, quia ipsi in semetipsis adhuc ingemiscunt adoptionem, expectantes redemptionem corporis sui. Gaudent in spe, quia fiet sermo, qui scriptus est*: Absorpta est mors in victoria. *Item metuunt peccare, cupiunt perseuerare, dolent in peccatis, gaudent in operibus bonis, &c. Peruersi autem his affectibus prauis, tanquam morbis & perturbationibus quatiũtur.* Hinc denique Apostolus in persona lapsi hominis loquens: *Video*, inquit, *aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in legem peccati: infelix ego homo; quis me liberabit de corpore mortis huius?* Et sibi ipsi respondens, ait: *Gratia Dei per Iesum Christum.* Vt intelligamus hæc vulnera, quæ natura humana per peccatum Protoparentis incurrit, non nisi per gratiam Iesu Christi posse sanari.

Aug. 14. de Ciuit. Dei, cap. 9.

1. Cor. 15.

Rom 7.

DISPVTATIO XLVII.

Vtrùm liberum arbitrium in natura lapsa, seclusis auxiliis gratiæ, habeat easdem vires naturales ad bonum, quas habiturum esset, si in puris naturalibus conditum fuisset.

I. Illi auctores, qui dicunt, hominem per peccatum solum fuisse spoliatum donis gratuitis, non autem in naturalibus vulneratum; cõsequenter docẽt, liberu hominis arbitrium in natura lapsa eisdem prorsus vires naturales ad bonum habere, quas habiturum esset, si in puris naturalibus conditum fuisset. Probant hoc eisdem argumentis, quibus disputatione præcedenti contendebant probare, hominem per peccatum non fuisse in naturalibus vulneratum. Si enim potẽtiæ naturales reuera per peccatũ vulneratæ non sunt, sed omnino integræ permanserunt; per euidentem consequentiam infertur, easdem prorsus vires naturales retinere post peccatum, quas habuissent, si homo in puris naturalibus fuisset conditus.

Præterea probatur eadem sententia: Homo in puris naturalibus conditus eandem prorsus pugnam appetitus contra rationem haberet, quam reuerà nunc habet in natura lapsa; & consequenter eadem difficultas ad operandum bonum naturæ proportionatum esset in vtroque statu; & similiter potentiæ naturales essent eiusdem rationis, sicut & ipsa hominis natura: ergo & vires naturales ad bonum rationis exequendum essent eædem prorsus in vtroque statu.

Secundò: Nullum est signabile opus bonum, quod posset homo viribus naturæ producere in puris naturalibus, & non in natura lapsa: ergo in vtroque statu haberet easdem vires naturales ad bonum. Probatur consequentia: nam tota perfectio virium naturalium attenditur, vel saltem à posteriori cognoscitur ex bonis operibus, quæ possunt producere. Et antecedens probatur: nam bona opera sunt in duplici differentia: quædam sunt supernaturalis ordinis, sicut Fides, Spes, & Charitas: & hæc non potuit homo solis viribus naturæ in puris naturalibus elicere, sicut neque in natura lapsa. Alia verò sunt

Digitized by Google

ſunt naturæ conſona, & proportionata, ſicut eſt actus temperantiæ miſericordiæ, aut liberalitatis: quę quidem opera indifferenter poſſunt produci ab homine poſt lapſum abſque auxilio gratiæ, & etiam in puris naturalibus, ſi in eo ſtatu conditus fuiſſet ergo, &c.

II. Tertiò: Homo per peccatum non amiſit liberum arbitrium, vt contra Lutherum, & Caluinum definit Concil. Trid. ergo per vires liberi arbitrij poteſt in natura lapſa quodcuque opus bonu operari, quod in puris naturalibus exercere potuiſſet: ac per conſequens in vtroque ſtatu haberet eaſdem vires naturales ad bonum. Probatur conſequentia: nam, vt diſp. 115. patebit, liberum arbitrium eſt facultas voluntatis & rationis ad vtrumlibet, ſcilicet ad operandū vel ad operandum & non operandum hoc & illud. Si ergo per peccatum non amiſit homo liberum arbitrium conſequens eſt, ipſum habere naturalem facultatem ad operandum omnia illa opera bona, quæ in puris naturalibus exercere potuiſſet: alias enim reſpectu eorundem operum, non haberet poſt peccatum liberum arbitrium.

Conc. Trid. ſeſſ. 6 can. 5.

Confirmatur. Nullus tenetur ad impoſſibile: cum nullus peccet in eo, quod vitare non poteſt: ſed homo in natura lapſa tenetur ex præcepto naturali operari bonum ſuæ naturæ proportionatum, & vitare malum illi oppoſitum, ſicut teneretur in puris naturalibus: ergo habet naturalem facultatem ad id præſtandum, ſicut eam haberet in puris naturalibus, & ita ſequitur idem, quod prius.

III. Quartò: In homine lapſo eſt lumen naturale ad cognoſcendum malum, & bonum fini naturali accommodatum, vt conſtat ex Pſal. 4. vbi cum Prophe ta præmiſiſſet: *Multi dicunt, quis oſtendit nobis bona?* mox ſubiungit: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine*: quo ſcilicet, quid bonum, & proſequendum: quid malum, & fugiendum ſit, cognoſcamus: ergo ſunt in illo vires naturales ad bonum ſibi proportionatum amplectendum, & ad malum fugiendum, ſicut eas habuiſſet in puris naturalibus. ergo in vtroque ſtatu haberet eaſdem vires.

Confirmatur primò ex illo ad Rom. 2. *Cum gentes, quæ legem non habent*: ſcriptam ſcilicet, *naturaliter, quæ legis ſunt, faciunt, eiuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex: qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis.* Ecce Paulus, naturaliter, hoc eſt, ex ſolis viribus naturæ, ait, gentes interdum efficere, quæ legis naturalis ſunt, quæ plane ſunt bona moralia fini naturali accommodata.

Confirmatur ſecundò auctoritate S. Auguſtini lib. 2. Hypogn. dicentis: *Eſſe fatemur liberum arbitrium in omnibus hominibus, habens quidem iudicium rationis ſuæ, per quod ſit idoneum, quæ ad Deum pertinent, ſine Deo, aut inchoare, aut certe peragere: ſed tantum in operibus vitæ præſentis tam bonis, quam etiam malis.* Vbi non obſcurè docet, liberum arbitrium ſine grátia poſſe velle quidquid bonum ad præſentem vitam pertinet, ſolumque excludit bonum, quod ad Deū, vt finis ſcilicet ſupernaturalis eſt, pertinet: ergo ſecundum Auguſtinum liberum arbitrium habet eaſdem vires naturales ad bonum, quas habiturum eſſet in puris naturalibus.

Denique poterunt adduci pro eadem ſententia omnia argumenta, diſputatione 54. referenda, quibus iidem auctores probare contendunt, hominem in natura lapſa, quandiu iudicium rationis non abſorbetur, habere abſque auxilio gratiæ naturalem facultatem reſiſtendi, pro ſingulis inſtantibus, quibuslibet etiam grauiſſimis tentationibus, quas pro ſeruanda lege naturali, neceſſe ſit vincere. Hoc enim ſemel admiſſo, eudenter ſequitur, in eo eſſe prorſus eaſdem vires naturales ad bonum ſibi proportionatum amplectendum, & malum fugiendum, quas in puris naturalibus habiturus eſſet.

Hæc tamen ſententia ſicut & illa, quam in præcedenti diſputatione confutauimus, viris doctiſſimis non probatur; nec eſt conſona doctrinæ ſanctorum Auguſtini, & Thomæ: ſed ab ea prorſus aliena. Vnde ſit

IV. PRima Concluſio. **Homo in natura lapſa abſque auxilio gratię non habet eaſdem vires ad bonum naturale amplectendum, & malum fugiendum, quas habuiſſet in puris naturalibus.** Hæc concluſio ſequitur manifeſte ex dictis: **nam homo per peccatum, non ſolum fuit expoliatus donis gratuitis ſed etiam in naturalibus potentiis vulneratus, debilitatus; atque in deterius commutatus. In puris autem naturalibus, reuera non eſſet vulneratus in naturalibus, aut debilitatus, vel plagis affectus, ſed homo vulneratus, plagis affectus, atque infirmitate debilitatus, non haberet eaſdem vires ad opera naturæ exercenda, quas haberet, ſi nullam infirmitatem, aut membrorum debilitatem incurriſſet: ergo**

Homo in natura lapſa eaſdem vires non habet quas habuiſſet in puris naturalibus.

Secundò: nam **homo per peccatum originale, vel mortale auerſus eſt a Deo; non ſolùm vt eſt finis ſupernaturalis; ſed etiam vt eſt finis naturalis: eſt enim impoſſibile, quòd homo ordinatus ad vitam æternam, auertatur per peccatum à fine ſupernaturali; quin etiam auertatur, ſaltem conſequenter a fine naturali; alias poſſet ſimul eſſe auerſus a Deo, vt eſt auctor gratiæ, & conuerſus in illum, vt eſt auctor naturæ: quod manifeſtam inuoluit repugnantiam. Sed in puris naturalibus nullo modo eſſet auerſus à Deo, etiam vt eſt auctor naturæ: nam ille ſtatus excludit gratiam, & peccatum: & conſideratur homo in eo ſtatu, ſecundum illa præcise, quæ ei competunt ex principiis naturæ, ſed homo auerſus a ſuo vltimo fine, etiam naturali, non habet eaſdem vires ad bonum eidem fini proportionatum quas habiturus eſſet, ſi ab eodem fine auerſus non fuiſſet: ergo, &c. Minor probatur: nam, vt dicit Ariſtoteles. vltimus finis in practicis habet ſe, vt prima principia in ſpeculatiuis, ſed intellectus auerſus à primis principijs ſpeculatiuis non habet eaſdem vires ad inferendas ſcientificas concluſiones, quas haberet, ſi de principijs eſſet bene inſtructus: ergo ſimiliter homo auerſus per peccatum ab vltimo fine naturali, non habet eaſdem vires ad bonum eidem fini proportionatum amplectendum, & malum fugiendum: quas haberet, ſi ab eodem fine per peccatum auerſus non eſſet.**

Tertiò probatur: **quia, vt diſputatione 51. patebit, homo in natura lapſa, non poteſt ſolis viribus naturæ diligere Deu ſuper omnia ſimpliciter, etiam vt eſt finis naturalis: at in puris naturalibus poſſet propriis viribus elicere vnum, aut alterum actum dilectionis Dei ſuper omnia, inquantùm eſt finis naturæ, vt in eadem diſputatione manifeſtùm fiet: ergo in natura lapſa non habet eaſdem vires, quas habiturus eſſet in puris naturalibus. Et per hæc reſpondetur ad obiecta.**

V. AD primum igitur argumentum reſpondetur, quòd homo in **natura lapſa eſt auerſus ab vltimo fine, etiam naturali: à quo tamen non eſſet auerſus, ſi in puris naturalibus conditus eſſet, & ex hac parte habet maiorem difficultatem ad operandum bonum ſuæ naturæ proportionatum, quàm haberet, in puris naturalibus. Si autem præter peccatum originale habeat actualia, appetitus ſenſitiuus fortior efficitur, vt contra rationem pugnet, & per habitum vitij, qui ex multiplicatis actibus generatur, voluntas magis, ac magis inclinatur ad malum, & ex hac parte minores vires habebit ad bonum exequēdum, quàm haberet in puris naturalibus.**

Hominis in natura lapſa, & in puris naturalibus differentia.

Ad

Ad ſecundum reſpondetur, quòd in puris naturalibus poſſet homo per ſolam facultatem naturæ, elicere vnum, aut alterum actum merè naturalem dilectionis Dei ſuper omnia ſimpliciter; quem tamen non poteſt elicere in natura lapſa, vt dictum eſt.

Ad tertium reſpondetur, quòd, quamuis liberum arbitrium hominis non fuerit per peccatum extinctum; fuit tamen ſauciatum, vulneratum, & læſum, vt ſuprà dictum eſt diſputatione 45. & 46. quæ tamen vulnera in puris naturalibus non habuiſſet: & propterea propriis viribus in natura lapſa non poteſt perficere omne illud opus bonum, etiã naturale, quod in puris naturalibus exercere potuiſſet. Nec ex hoc ſequitur, hominem per peccatum amiſiſſe liberum arbitrium, reſpectu eorum operum, quæ ſine auxilio gratiæ exercere non valet: poteſt enim quêcunque actum ſaltem ex auxilio ſpeciali, producere, quod ſufficit, vt cenſeatur habere liberum arbitrium reſpectu cuiuſcunque boni operis: nam quod per amicos poſſumus, per nos ipſos poſſe cenſemur, vt dicit Ariſt. 3. Eth. cap. 3.

VI. S. Tho. 1. 2. q. 2. ar 5. ad 1. & 1. 2. q. 109 art 4 ad 2. Homo ad multa tenetur, quæ facere nõ poteſt ſine auxilio gratiæ.

Ad confirmationem reſpondetur cum S. Thoma, quòdſi in poteſtate hominis eſſe dicatur aliquid, excluſo auxilio gratiæ: ſic ad multa tenetur homo, ad quæ non poteſt ſine gratia præparante, ſicut ad diligendum Deum, & proximum; & ſimiliter ad credendum articulos fidei. Sed tamen hoc poteſt cum auxilio gratiæ, quod quidem auxilium quibuſcunque diuinitùs datur, miſericorditer datur: quibus autem non datur, ex iuſtitia non datur in pœnam præcedentis peccati, & ſaltem originalis peccati, vt Auguſtinus dicit in libro de correptione & gratia.

S. Tho. 1. 2. q. 109. ar. 2. ad 3.

Ad quartum reſpondetur, quòd, vt docet S. Thomas, natura humana magis corrupta eſt per peccatum, quantùm ad appetitum boni, quam ſecundum cognitionem veri: vnde non ſequitur, quòd voluntas poſſit abſque auxilio gratiæ operari totum illud bonum, quod intellectus lumine naturæ poteſt cognoſcere.

Ad confirmationem reſpondetur, ſenſum Apoſt. non eſſe illum, qui in argumento tangitur; alias ex ſolis viribus naturę poſſet homo in natura lapſa implere omnia legis præcepta naturalia, & diligere Deum ſuper omnia ſimpliciter, vt eſt auctor naturę; quod tamen eſt falſum, vt diſput. 51. patebit. Addo, illam explicationem Apoſt. fuiſſe priùs traditam à Iuliano, vt Auguſt. refert, cùm ait: *Vnde, & illi, quos commemorare voluiſti, de quibus ait Apoſtolus: Gentes legem non habentes, ſibi ſunt lex, qui habent opus legis ſcriptum in cordibus ſuis: quid te adiuuent, omnino non video. Per hos enim probare conatus es, etiam alienos à fide Chriſti veram poſſe habere iuſtitiam, eò quòd iſti, teſte Apoſtol. naturaliter, quæ legis ſunt, faciunt.* Locus ergo Apoſtoli dupliciter in eodem cap. à S. Auguſt. explicatur. Prima explicatio eſt, quòd gentes dicuntur ſine lege, *naturaliter*, quæ legis ſunt, facere, ideſt, per naturam correctam per gratiam. Sic enim ait: *Gentes dicuntur ſine lege natura ſua, quæ legis ſunt facere: quia ex gentibus venerunt ad Euangelium, non ex circumciſione: cui lex data eſt: & propterea naturaliter, quia vt crederent, ipſa in eis eſt per Dei gratiam correcta natura: nec per eos potes probare, quod vis, etiam infideles veras poſſe habere virtutes: ſunt quippe iſti fideles.* Eandem explicationem tradit libro de ſpiritu, & litera, cap. 26. & 27. quam in multis locis ſequitur S. Thom. præſertim 1. 2. quæſtione 109. articulo 4. ad 1. Cùm enim ad probandum hominem ſine gratia per ſua naturalia poſſe præcepta legis implere, adduxiſſet locum præallegatum Apoſt. reſpondet, *quòd, ſicut Auguſt. dicit in libro de ſpiritu, & litera, non mouet, quòd naturaliter dixit eos, qua legis ſunt facere: hoc enim agit Spiritus gratiæ vt imaginem Dei, in qua naturaliter facti ſumus, inſtauret in nobis.* Secunda explicatio S. Auguſt. vbi ſuprà, eſt, quòd ſi locus inductus Apoſtoli, intelligatur de gentibus, quæ fidem Chriſti non habent, non debet extendi ad quæcumque legis præcepta: ſed ad aliqua facilia, & de impletione præcepti in aliqua particulari materia, quantum ad ſubſtantiam actus: non autem quantum ad rectitudinem, quæ ſumitur ex vltimo fine. Sic enim ait Auguſt. *Aut ſi fidem non habent Chriſti, profectò nec iuſti ſunt, nec Deo placent, cùm ſine fide placere impoſſibile ſit. Sed ad hoc eos in die iudicij cogitationes ſuæ defendent vt tolerabilius puniantur: quia naturaliter, qua legis ſunt, vicunque fecerunt, ſcriptum habentes in cordibus opus legis hactenus, vt aliis non facerent, quod perfecti nollent: hoc tamen peccantes, quod homines ſine fide, non ad eum finem iſta opera retulerunt, ad quem referre debuerunt. Minus enim Fabricius, quàm Catilina punietur: non quia iſte bonus, ſed quia ille magis malus: & minus impius, quam Catilina, Fabricius, non veras virtutes habendo, ſed à veris viribus non plurimum deviando.* quod diſp. 50. latiùs explicabitur.

Aug. lib. 4. contra Iulianum, ca. 3. poſt med. Rom. 2. Gẽtes quomodo dicãtur naturaliter quæ legis ſunt facere.

VII. Bona aliqua moralia poteſt homo facere ex ſolis viribus naturæ.

Ad ſecundam confirmationem reſpondetur, quòd S. Auguſt. in eodem loco explicat, quænam ſint illa bona opera moralia, quæ poteſt homo facere in natura lapſa abſque auxilio gratiæ: ſtatim enim ſubdit: *Bonis dico, qua de bono naturæ oriuntur, id eſt, velle laborare in agro, velle manducare, & bibere, velle habere amicum, velle habere indumenta, velle fabricare domum, vxorem velle ducere, pecora nutrire, artem diſcere diuerſarum rerum bonarum, velle quidquid bonum ad præſentem pertinet vitam: quæ omnia non ſine gubernaculo diuino ſubſiſtunt, imo ex ipſo, & per ipſum ſunt, vel eſſe cœperunt.*

HIs ſuppoſitis, quæ ad originale peccatum, & vulnera per illud toti naturæ humanæ inflicta pertinent, explicandum eſt conſequenter, quas vires naturales ad bonum naturæ proportionatum cognoſcendum, vel exequendum, & ad malum reſpuendum habeat liberum arbitrium, præſertim in natura lapſa. Circa quod ſe offerunt ſeptem diſputanda.

I. Vtrùm liberum hominis arbitrium poſſit ex ſolis ſuis viribus, abſque auxilio gratiæ cognoſcere omne verum pertinens ad ordinem naturæ.

II. Vtrùm per ſolas vires naturæ poſſit omnibus myſteriis ſupernaturalibus ſibi propoſitis, & explicatis aſſentiri, tanquam reuelatis à Deo, aſſenſu merè naturali, certo, & firmo ex parte credentis.

III. Vtrùm abſque auxilio gratiæ poſſit operari aliquod opus virtutis moralis bonum ex obiecto, & omnibus circunſtantiis, quod, comparatione vltimi finis naturalis, ſit verè bonum, ac veræ virtutis opus.

IV. Vtrùm in natura lapſa poſſit ex ſolis ſuis viribus, cum concurſu Dei generali, elicere actum abſolutum merè naturalem dilectionis Dei ſuper omnia, cum abſoluto proposito illi in omnibus placendi.

Vbi explicatur, Vtrùm homo, ſi conditus eſſet in puris naturalibus, poſſet proprijs viribus elicere aliquem actum naturalem dilectionis Dei ſuper omnia.

V. Vtrùm liberum arbitrium cum ſolo concurſu Dei generali attritionem vel contritionem, quoad ſolam actus ſubſtantiam, cum proposito abſoluto nunquam ampliùs peccandi mortaliter, elicere valeat.

VI. Vtrùm homo poſſit per vires naturales ſui arbitrij

Digitized by Google

arbitrij reparare bonum ſibi connaturale, quod per peccatum amiſit.

VII. Vtrùm homo lapſus poſſit, abſque auxilio gratiæ, ſeruare omnia mandata, & reſiſtere pro quolibet temporis momento omnibus tentationibus, etiam grauiſſimis ſibi occurrentibus, quas pro ſeruanda lege naturali neceſſe ſit vincere.

DISPVTATIO XLVIII.

Vtrùm homo poſsit ex ſolis viribus naturæ, abſque auxilio gratiæ, cognoſcere omne verum pertinens ad ordinem naturæ.

I. PRo explicatione huius difficultatis notandũ eſt, veritates naturales eſſe in duplici differentia. Aliæ ſunt meræ ſpeculatiuæ, vt quòd quantitas diſtinguatur, vel non diſtinguatur, a re quanta: quòd principia rerum naturalium ſint tria, & aliæ huiuſmodi, & de his certiſſimum eſt, atque experientia compertum, quòd ſine ſpeciali auxilio gratiæ poſſit homo cognoſcere aliquas veritates naturales. Et ratio eſt, quoniam per peccatum non fuit lumen naturale extinctum, ſed tantùm læſum. Aliæverò ſunt veritates morales, quę reſpiciũt morales operationes bonas, in genere moris, ſicut: Furtum eſt fugiendum: Honorandi ſunt parentes. Circa quas verſatur iudicium practicum in particularibus operabilibus, &c. Et loquendo de iſtis veritatibus, eſt ſententia Gregorij Ariminenſis in 2. diſtinct. 27. quæſtione 1. diſtinct. 1. & Capr. eodem lib. diſtinct. 28. quæſt. 1. concl. 1. quòd homo poſt lapſum non poſſit cognoſcere aliquam veritatem moralem ex ſolis naturæ viribus, abſque ſpeciali auxilio gratiæ. Argumenta eorum potiſſima adducuntur à M. Medina p. 2. q. 109. art. 1. dub. 1. Sed hæc ſententia communiter reiicitur à Theologis, vnde pro reſolutione ſit

II. Cognoſcere quę poſſit homo ſine auxilio gratiæ.

PRima Concluſio. Homo in natura lapſa poteſt ſine ſpeciali auxilio gratiæ aliquas virtutes morales cognoſcere. Probatur ratione facta: nam per peccatum non fuit extinctum dictamen, nec lumen rationis naturalis, ſed tantùm vulneratum, & læſum: ergo poteſt viribus propriis cum concurſu Dei generali aliquam veritatem naturalem cognoſcere. Præterea probatur: nam, vt diſputatione 50. patebit, homo lapſus poteſt ex viribus naturæ operari aliquod opus bonum moraliter, vt plantare vineas, date indigenti aliquam paruam eleemoſynam: ergo multò magis poterit cognoſcere ex ſolis viribus naturæ, opus illud eſſe faciendum. Patet conſequentia: nam, vt dicit S. Thom. p. 1. q. 109. ar. 1. ad tertium. *Magis eſt natura humana corrupta per peccatum, quantum ad appetitum boni, quàm quantum ad cognitionem veri.*

Secunda Concluſio. Homo poſt lapſum, non poteſt ex ſolis viribus naturæ cognoſcere omnes veritates morales, pertinentes ad ordinem naturæ, neque habere certum iudicium de eo, quod eſt faciendum, vel fugiendum in omni caſu. Iſta concluſio eſt communis, quam probat Medina vbi ſuprà concluſione 2. Et ratio potiſſima eſt: quia natura infirma, & vulnerata non poteſt in omnia illa, ad quæ ſe extendit natura ſana, & integra: ſed cognoſcere, quid ſit faciendum, quid fugiendum in omni caſu, eſt naturæ integræ, & ſanæ: ergo in natura lapſa non poteſt homo hæc omnia cognoſcere, niſi priùs ſanetur, & iuuetur auxilio medicinæ. Hinc ait Sapiens: *Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ noſtræ: corpus enim, quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem: & difficile æſtimamus, quæ in terra ſunt: & quæ in proſpectu ſunt, inuenimus cum labore.* Sap. 9. Videantur circa iſtam concluſionem, quæ in diſputatione 46. nu. 2. dicta ſunt.

Tertia Concluſio. Homo etiam in natura integra, ſeclusa gratia habituali, & omni auxilio, aut dono ſpeciali, non poterat, moraliter loquendo, cognoſcere collectiuè omne cognoſcibile, pertinens ad ordinem naturæ, ita vt omnia rerum naturalium haberet ſimul ſcientiam. Ad euidentiam huius concluſionis notandum eſt, quòd, vt docet ſanct. Thomas prima parte quæſtione 101. articulo 1. ſi in ſtatu innocentiæ aliqui pueri nati fuiſſent; illi non ſtatim fuiſſent in ſcientia perfecti, ſed miniſterio ſenſuum eam acquiſiſſent ſucceſſiuè per inuentionem, aut per magiſtrum; abſque vlla tamen difficultate. Cuius ratio eſt: nam, vt docet Ariſtot. 3. de anim. text. 14. anima noſtra, ſecundùm ſuam naturam, eſt tanquam tabula raſa, in qua nihil eſt depictum: ergo, ſeclusò dono gratiæ, nullus homo habet ſcientiam, neque haberet in illo ſtatu, niſi eam acquireret. Probatur ergo noſtra concluſio; quia, moraliter loquendo, eſſet impoſſibile etiam in illo ſtatu, vnum hominem vti miniſterio ſenſuum ad cognoſcendum collectiuè, quidquid eſt cognoſcibile per naturam. Nam virtus cuiuſcunque intellectus humani eſt limitata: & ſeclusò dono gratiæ, oportet, vt accipiat ſpecies ab obiectis cognoſcibilibus. Dum autem intellectus attendit ad vnum cognoſcibile, diuertitur ab alio: ergo moraliter non poterat cognoſcere collectiuè omne cognoſcibile, pertinens ad ordinem naturæ. Confirmatur: nam in Angelis ſanctis, licet nulla ſit ignorantia, eſt tamen neſcientia reſpectu aliquorum, vt docet Dionyſius capite 7. cœleſt. hierar. ergo etiam in homine, ſi natus fuiſſet in ſtatu iuſtitiæ originalis, poſſet admitti ignorantia, reſpectu aliquorum ſcibilium per naturam, quando illud ſcibile non pertineret ad eius ſtatum.

III. Pueri in ſtatu innocentiæ non fuiſſent ita cum in ſcientia perfecti

Angeli beati habẽt neſciẽtiam reſpectu aliquorum.

IV. Sed contra ſecundam, & tertiam concluſionem eſt argumentum: Omnes veritates naturales ſunt proportionatæ intellectui noſtro, ſecundùm ſuam naturalem virtutem: ergo, etiam ſeclusò auxilio gratiæ, poterit omnes illas veritates cognoſcere. Antecedens eſt certiſſimum: nam omnes veritates naturales continentur intra limites naturæ: ergo omnes ſunt intellectui noſtro proportionatæ. Confirmatur. Omnes veritates naturales ſunt cognoſcibiles per naturam: ergo poſſunt ab aliquo intellectu cognoſci per naturam: ergo poterit dari intellectus alicuius hominis ita perfectus, vt cognoſcat omnes veritates naturales viribus naturæ abſque auxilio gratiæ.

Reſpondetur. Omnes veritates naturales, diuiſiuè ſumptas eſſe proportionatas intellectui noſtro in natura integra; non tamen ſi ſumantur collectiuè: ſicut materia prima eſt proportionata omnibus formis naturalibus diuiſiuè, atque adeò poteſt omnes illas naturaliter recipere diuiſiuè, non tamen collectiuè.

Reſpondetur ſecundò, quòd, ſi argumentum procedat in natura lapſa, nullam habet difficultatem, quoniam per peccatum eſt vulneratus intellectus, atque adeò non habet proportionem cum omni cognoſcibili per naturam. Si autem procedat de homine in natura integra, dicimus, quòd, ſeclusò dono gratiæ, etiamſi omnes veritates naturales collectiuè haberent proportionem cum intellectu hominis, metaphyſicè loquendo, quoniam ſunt eiuſdem ordinis;

Digitized by Google

ordinis; non tamen haberent proportionem, moraliter loquendo, propter rationes superius assignatas.

Ad conf. Ad confirmationem respondetur, omnes veritates naturales collectiuè sumptas esse cognoscibiles per naturam alicuius intellectus, etiam creati, videlicet per intellectum Angelicum; non tamen oportet, quòd omnes per naturam sint cognoscibiles collectiuè ab eodem intellectu humano, saltem moraliter loquendo. Alia, quæ ad istam difficultatem pertinent, videnda sunt apud M. Medin. loco superiùs allegato.

COnsequenter agendum est de veritatibus supernaturalibus, & explicandum, quas vires naturales habeat homo, præsertim in natura lapsa, ad assentiendum huiusmodi veritatibus.

DISPVTATIO XLIX.

Utrùm homo per solas vires naturæ possit omnibus mysteriis supernaturalibus sibi propositis, & explicatis assentiri, tanquam reuelatis à Deo, assensu certo, & firmo, ex parte credentis.

I. Hæresis antiqua circa fidē.

IRCA istam difficultatem ante Pelagij tempora fuit hæresis Basilidis, qui cum Valentinianis dixit, fidem esse homini naturalem. Ita refert Clemens Alexandr. lib. 4. Strom. Postmodum verò circa annum 400. exorta fuit Pelagij hæresis, qui vt refert sanctus Augustinus epist. 100. ad Paulin. & epist. 107. ad Vitalem, & S. Tho. 2. 2. quæstione 6. articulo 1. asseruit, fidem non esse donum Dei, sed inesse nobis ex nobis, à Deo autem pendere dumtaxat, quatenus ipse, quæ sunt credenda, reuelat per prædicatores, aut per legem, & doctrinam. In eodem errore fuit Thicomus ante Pelagij tempora, vt refert sanctus Augustinus li. 1. de doctrin. Christian. cap. 3. imo & ipse S. August. antequam diligentiùs istam excussisset quæstionem, prædictæ sententiæ adhæsit, vt ipsemet fatetur lib. de prædestinatione SS. c. 3. vbi ait, se erasse ante Pontificatum, cùm putaret fidem, qua in Deum creditur, non esse donum Dei, sed à nobis esse in nobis, & per illam nos impetrare Dei dona, quibus piè viuamus in hoc seculo: & idem refert lib. 1. retract. cap. 23. Deinde verò circa annum 440. Faustus Gallus Regiensis Episcopus eundem errorem sequutus est, vt refert Ioan. Maxentius in responsione ad epist. Hormisdæ Papæ, & in præfatione fidei, atque Fulgentius lib. de incarnat. & gratia Christi: & colligitur manifestè ex libris eiusdem Fausti de gratia Dei, & humanæ mentis libero arbitrio, cuius verba disputat. 2. retulimus.

Fausti error circa fidem.

Cassiani error circa fidem.

Similiter Cassianus, & alij quidam Semipelagiani Massilienses huic errori adhæserunt: nam in collat. 13. cap. 17. distinguit duplicem modum vocationis ad fidem, & ad ipsam gratiam, & dicit, quòd in aliquibus hominibus gratia Dei, atque auxilium eius omnem præuenit hominis voluntatem, ita vt non petentes, neque pulsantes, sed dormientes præueniat, vt veniant ad fidem, secundùm illud Isaiæ 65. & ad Rom. 10. *Inuentus sum à non quærentibus me, palàm apparui iis, qui me non interrogabant*, asserebat tamen, quòd isti inuiti veniebant ad fidem. Ita refert S. Prosp. lib. contra Collat. cap. 4. Aliquando verò homo ipse ex viribus naturæ incipiebat credere, petere, pulsare, & desiderare fidem, & habebat ex vigilantia libertatis voluntatis initia quædam imperfecta, propter quæ Deus statim conferebat auxilium gratiæ, vt plenius, atque perfectiùs crederet: & tunc homo liberè credebat. Ita refert idem Prosp. lib. con. Collat. per totum, præsertim capite 5. 6. 8. & 9. & in epist. ad August. vers. *quidam verò horum*: cuius verba adduximus disput. 2. vbi Semipelagianorum errorem ex professo retulimus. Huius sententiæ argumenta sunt hæc.

Primum argumentum desumitur ex illo ad Rom. 10. *Si credideris, saluus eris*, & Marc. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit*: vbi aliquid exigitur ab homine, videlicet fides, & aliquid offertur illi, videlicet salus: ergò, sicut salus, quæ offertur, est in Dei potestate; ita & fides, quæ exigitur, erit in potestate hominis: atque adeò homo poterit credere ex viribus naturæ; nihil enim est in potestate alicuius, nisi quòd ipse præstare potest.

II. Secundò arguitur argumento Cassiani collat. cit. cap. 9. ex illo ad Rom. 7. nam *velle adiacet mihi, perficere autem non inuenio*. & Isaiæ 1. *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis*. & Lucæ 11. *Petite, & accipietis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis*, &c. & Isai. 30. *Ad vocem clamoris tui, statim vt audierit, respondebit tibi*: ergo ex bono naturæ possunt prodire quædam initia bonæ voluntatis, quibus fidem quærat, petat, desideret, &c.

Confirmat hoc in cap. 11. & 12. multis aliis testimoniis Scripturæ, ex quibus colligit, initium bonæ voluntatis non semper gratiæ, neque semper libero arbitrio esse tribuendum, sed aliquando gratiæ, aliquando libero arbitrio: nam in sacris literis habetur, quòd multoties incipit ipsa gratia, vt ad Rom. 10. & Isai. 65. *Inuentus sum à non quærentibus me, palàm apparui iis, qui me non interrogabant*, &c. & Isai. ibid. *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, sed contradicentem mihi*. Psalm. 48. *Deus meus, misericordia eius præueniet me*. Psal. 118. *Expectabam eum, qui saluum me fecit*, &c. In aliis verò locis habetur, quòd liberum arbitrium præuenit gratiam Dei, vt Psalm. 87. *Et manè oratio eius præueniet te*. Psalm. 118. *Præueni in maturitate, & clamaui*. Isai. 30. *Propterea expectat Dominus vt misereatur vestri*. Idem probat capite 13. ex Euangelio: nam Matth. 4. Petrum, & Andream nihil de sua salute cogitantes præuenit vocando, & ad se trahendo: & tandem Lucæ 18. Zachæus suo desiderio præuenit Dominum: nam, vt illum videret, ascendit super sycomorum, & Dominus suscepit voluntatem eius, & honorauit illum, & ad se conuertit. Isai. 65.

Tertiò arguitur pro eadem sententia. Secundùm commune Philosophorum proloquium, potentia est simpliciter necessaria ad operandum; habitus autem, cùm sit perfectio potentiæ, non est necessarius ad simpliciter operandum; sed tolum ad operandum melius, & perfectius; sed donum fidei est habitus, similiter etiam auxilium actuale præmouens reducitur ad habitum, vel est complementum illius, vt disputatione 19. ostensum est: ergo, neque habitus fidei, neque auxilium speciale est simpliciter necessarium ad credendum, sed solùm ad credendum facilius, & melius. Si dicatur, quòd habitus acquisiti sunt necessarij ad melius, & perfectius operandum: habitus autem infusi sunt necessarij ad operandum simpliciter, quia eleuant potentiam ad operandum supra totam facultatem naturæ; contrà. De essentia cuiuscunque habitus operatiui est, quòd sit perfectio potentiæ. ergo supponit virtutem

Digitized by Google

virtutem actiuam potentiæ, quam perficiat: ergo intellectus etiam sine auxilio speciali habet rationem potentiæ in ordine ad actum credendi: ergo poterit illum producere per solam virtutem suam naturalem, saltem quantùm ad substantiam actus.

III. Quartò arguitur ex illo Matth. 11. *Si in Tyro, & Sydone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent*, quem locum explicans S. August. lib. de dono perseuer. cap. 14. inquit, *Tyrij, & Sydonij credere potuerunt, si mira illa Christi signa vidissent. Sed quoniam, vt crederent, non erat eis datum: etiam vnde crederent defuit negatum. Ex quo apparet, habere quosdam in ipso ingenio diuinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moueantur ad fidem, si congrua suis nominibus vel audiant verba, vel signa conspiciant. Et tamen, si Dei altiori iudicio à perditionis massa non sunt gratia prædestinationis diuersi, neque ipsa eis adhibentur vel dicta diuina, vel facta, per quæ possent credere, si audirent vtique talia, vel viderent.* Et libro 1. ad Simplicianum, quæstio. 2. explicans illud Matth. 20. *Multi sunt vocati, pauci verò electi*, inquit: *Illi enim electi, qui congruenter vocati: illi autem, qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi non electi: quia non sequuti, quamuis vocati.* Quibus verbis videtur significare, ex Deo esse, quòd proponatur exterius, vel etiam interiùs Euangelium congruè, signis videlicet, & verbis, quibus fiat credibile; ex homine autem, atque ex facultate liberi arbitrij naturali procedere, quòd suppositâ huiusmodi propositione Euangelij, præbeat assensum. Et idem videtur colligi ex illo ad Rom. 10. *Quomodo credent ei, quem non audierunt, &c.* & postea subdit: *Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* Idem videtur dicere Fulgentius libro de gratia Christi, capite vigesimo tertio, vbi docet, quòd possit homo naturaliter credere.

IV. Inter recentiores autem Theologos quidam ad propositam difficultatem quibusdam dictis respondent. Primum dictum est: Homo cum solo concursu Dei generali potest actu merè naturali assentiri omnibus mysteriis supernaturalibus, tanquam reuelatis à Deo: & quia à Deo reuelata sunt: assensu certo, & firmo ex parte credentis: addunt tamen, quòd ille assensus non est, sicut oportet ad salutem. Et vt clariùs suam explicet sententiam, affirmant, quòd cùm circa obiecta, in quibus Lutheranus non erret, illis adhibens assensum, tanquam à Deo reuelatis, & quia à Deo reuelata sunt, nos supernaturalem assensum eliciamus, Lutheranus verò naturalé ex suis solis naturalibus sine influxu mediato, vel immediato supernaturali Dei: vtique quoad infallibilitatem in obiectis ex prima illa radice, quòd verè Deus illa reuelauerit Ecclesiæ per suos seruos & ministros, pares illi sunt nobiscum; nec plus tali assensui Lutherani potest subesse falsum, quàm nostro. Dicunt secundò, quòd neque habitus fidei, neque auxilium Dei speciale est necessarium, vt intellectus noster facilè assentiatur prædictis mysteriis, & discretè, neque item vt actus assentiendi sit certus, & firmus certitudine, & firmitate ex parte credentis, sed vt actus ille credendi sit supernaturalis, & qualis ad salutem oportet. Dicunt tertiò, quòd, postquà homo edoctus fuerit, supernaturalem assensum esse ad salutem necessarium; potest optare ita credere, atque etiam conari ex dono, & auxilio Dei supernaturali assentiri: denique potest petere, vt auxilium illud sibi detur, & ad illud recipiendum fatagere se ipsum disponere. Dicunt quartò, quòd facienti totum, quod in se est ex viribus naturæ, vt assentiatur mysteriis fidei sibi propositis; Deus infallibiliter, atque ex certa lege, quam Pater statuit cum filio, propter merita passionis eius, dabit auxilium gratiæ, vt credat, sicut ad salutem oportet. Et hac ratione docent, actum credendi supernaturalem esse positum in facultate nostri arbitrij. Quoniam si homo faciat totum, quod in se est, vt credat: Deus dabit illi auxilium speciale, vt actus fidei sit supernaturalis, & qualis ad salutem oportet. Sed de hac lege operosiùs agendum est disp. 65. Ad probandum ergo tria priora dicta, præsertim primum, & secundum, est

Primum dictum.

Fidei mysteria credere posse hominem quoad substantiam actus dixerunt quidam.

Secundum dictum.

Tertiũ dictum.

Quartũ dictum.

Quintum argumentum. Si alicui proponatur Euangelium signis, & miraculis, quibus appareat maxime credibile; peccat homo contra fidem, si non credat: ergo suppositâ prædictâ Euágelij propositione, poterit homo credere, quantùm ad substantiam actus per facultatem naturæ. Patet consequentia; quia nemo peccat, si non faciat id, quod reuerà non potest; nullus enim tenetur ad impossibile. Si dicatur, quòd ille potest credere, cum auxilio tamen speciali, & ideo peccat, si non credat, contra: Supponamus casum, quòd Deus statuerit non dare illi aliquod auxilium speciale, sed solum concursum generalem; & hoc est argumentum. Ille homo in casu posito peccat, si non credat, vel discredat: ergo per solam facultatem naturæ poterat producere actum credendi, quoad substantiam, quo præceptum credendi implere: alias in casu posito ille homo necessariò peccaret.

Sextò arguitur. Actus fidei est naturalis, quantùm ad substantiam, & tantùm est supernaturalis, quantùm ad modum: ergo quantùm ad substantiam, potest produci à sola facultate naturali intellectus. Antecedens patet: nam actus fidei, quantùm ad substantiam, intrinsecè est actus vitalis, atque adeò dicit intrinsecum ordinem ad potentiam vitalem, scilicet ad intellectum, qui est potentia naturalis: ergo ex hac parte actus fidei est naturalis, quantùm ad substantiam: ergo poterit produci ex sola facultate naturæ.

Septimò: nam Conc. Trid. sess. 6. decreto de iustificat. can. 3. & Conc. Arausic. II. c. 6. & 25. cùm determinant, & ad actum credendi esse necessarium auxiliũ Dei speciale, semper addunt illam particulam, *sicut oportet*, vt homini iustificationis gratia conferatur. Sentit ergo vtrumque Conc. hominem per solã facultatem naturæ posse credere mysterijs supernaturalibus, tanquam reuelatis à Deo, assensu merè naturali: non tamen, vt oportet ad salutem: quoniam aliàs frustrà addidissent Concilia illam particulam, *sicut oportet*.

Octauò arguitur ex illo Ioan. 15. *Si non venissem, & loquutus eis non fuissem, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo*, & rursùs: *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*: ergo saltem qui Christum audierunt, & miracula illius viderunt, potuerunt cum solo concursu Dei generali assensum præbere doctrinę Christi Domini.

VI. Contrariam sententiam affirmo esse S. August. & S. Thom. Ad cuius euidentiam notandum primò, quòd, vt docet S. Tho. 2. 2. quæst. 4. art. 2. in corp. credere mysteria supernaturalia est actus intellectus, secundùm quòd mouetur à voluntate ad assentiendum. Vnde S. August. lib. de prædest. SS. capite 5. in fine ait, quòd fides in credentium voluntate consistit, inquantùm videlicet ex imperio voluntatis intellectus assentitur credibilibus: vnde ex parte voluntatis requiritur pia affectio. Cuius ratio est: quia, cùm obiectum fidei non conuincat intellectum, oportet, vt ipse intellectus moueatur à voluntate, ad assentiendum rebus fidei. Notandum secundò, dupliciter posse aliquem assentiri mysteriis fidei: primò assensu quodam opinatiuo, & fallibili, quantùm

Fundamẽtũ primũ.

Credere est actus intellectus, vt motus à voluntate.

Secũdum.

est ex parte rationis formalis assentiendi, ita vt materialiter tantùm credat mysteria reuelata: non tamen formaliter assentiatur illis, tanquam reuelatis à Deo, seu propter diuinam reuelationem, quæ infallibilis est, sed propter aliquod motiuum humanum, seu rationem probabilem, cui, per se loquendo, potest subesse falsum. Secundò potest assentiri assẽsu certo, & firmo, atq; infallibili ex parte credentis prædictis mysteriis, tanquam reuelatis à Deo, seu propter diuinam reuelationem, tanquam propter rationem formalem credendi. Notandum tertiò, quòd præsens difficultas non tantùm procedit de fide per charitatem formata, sed etiam de fide informi, qualis reperitur in peccatore fideli: nam, vt ostendit S. Thom 2.2.quæst.6.ar.2. huiusmodi fides informis est verè, & propriè fides Christiana, de qua Concilia, Summi Pontifices, & sancti Doctores determinant, esse donum Dei. Quartò supponendum, apud omnes esse certissimum, ad assensum fidei prærequiri ex parte Dei, vt per seipsum immediate proponat interius obiectum credendum, vel ministerio prædicatorũ exteriùs explicet credibilia sufficienter; quod manifestè constat ex illo ad Roman. 10. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante?* Neque hoc negauerunt ipsi Pelagiani, vt refert expresse Sanct. Augustl.lib. 1.de gratia Christi contra Pelagium, & Celestium,c.7.vbi hæc refert verba Pelagij: *Adiuuat nos Deus per doctrinam, & reuelationem suam, dum cordis nostri oculos aperit, dum nobis, ne præsentibus occupemur, futura demonstrat, dum diaboli pandit insidias, dum nos multiformi, & ineffabilis dono gratiæ cœlestis illuminat.* Ex quibus verbis, vt notauit Aug.codẽ lib cap.8.apparet manifestè, hanc Pelagium gratiam confiteri, quia demonstrat, & reuelat Deus, quid agere debeamus, & credere: non autem, qua donat, & adiuuat, vt agamus, & credamus. Et idem refert c. 32. & aliis in locis disput. 1. num. 6. & sequentibus adductis, quod infra disp. 95. amplius explicabitur. Ibi enim apertissimis testimonijs sancti Augustini & aliorum Patrum comprobabo, potissimam quæstionem, quam habuerunt cum Pelagio, non fuisse de gratia excitante, sed de adiuuante. Tota ergo controuersia est de ipso assensu interiori, quo homo credit, & assentitur assensu certo, & infallibili, ex parte credentis prædictis mysteriis sibi propositis, & explicatis, tanquam reuelatis à Deo: Verum ad huiusmodi assensum eliciendum, sit simpliciter necessarium speciale auxilium gratiæ adiuuantis tam ex parte intellectus, quàm ex parte voluntatis sit ergo

Tertium.

Quartum. Ad fidẽ requiritur propositio credendorum.

VII. Fidei mysteriis assẽtiri assensu Christiano nullus potest sine auxilio.

PRima Conclusio. Homo non potest, ex sola facultate naturæ assentiri prædictis mysteriis, tanquam reuelatis à Deo, assensu Christiano, absque speciali Dei auxilio. Hæc conclusio à nullo Doctore Catholico negatur est enim definita ab Ecclesia contra Pelagianos in Concilio Arauf. II. can. 5. & 7. in Conc. Mileuit. can. 4. & in Trident. sess. 6. decreto de iustificatione, can. 3. quam probat latissimè S. Augustl.lib.de dono perseu. cap. 17. & 19. vbi pro eadem sententia refert S. Cyprianum, Ambrosium, & Gregorium Nazianzenum. Idem probat epistola 105. & duabus sequentibus, & lib. de spiritu, & litera, cap. 31. & 32. & S. Prosp. Aquit. lib. 1. de vocatione gentium, capite 24. & lib. contra Collatorem, capit. 36. & 37. & in responsione 8. ad capita Gallorum.

Secundò probatur ex illo ad Philip. 1. *Vobis donatum est, non solùm vt in ipsum credatis, sed etiam vt pro illo patiamini.* Et ad Eph. 2. *Gratia estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum est.* Et 1. ad Corinth. 4. *Quid habes, quod nõ accepisti?* Quo præcipuè testimonio simul cum auctoritate Cypriani fatetur Augustl.lib.de prædest.Sanctorum, cap. 3. se fuisse conuictum ad retractandam sententiam, qua ante Episcoparum asseruit: *Fidem non esse donum Dei, sed in nobis esse ex nobis.* Etenim Apostolus ad cõprehendendam etiam ipsam fidem absolute dicit: *Quid habes, quod non accepisti &c.* Fides enim quid est, & quid conducens ad salutem. 1.Cor.4.

Tertiò probatur: nam si talis assensus fidei est ex nobis absque adiuuantis gratiæ auxilio speciali: sequitur, quòd initium primum nostræ iustificationis sit ex nobis: atque adeo, quòd vnus homo per facultatem sui arbitrij se discernat ab alio, saltem initiatiuè; quod est contra illud Apost. 1 ad Corint. 4. *Quis enim te discernit?* Sequela probatur: nam primũ initiũ iustificationis est fides Christiana, iuxta illud Apostoli: *Accedentem ad Deum oportet credere, &c.* ergo si homo ex sola facultate naturæ potest credere assensu Christiano, poterit ex sola facultate naturæ adhibere primum initium suæ iustificationis. Hebr.11.

VIII.

Quartò probatur ratione S. Thomæ 2.2.q. art. 1. Mysteria fidei excedunt totam facultatem naturæ: ergo non potest aliquis ex solis viribus naturalibus illis assentiri assensu Christiano, nisi intellectus & voluntas eleuentur per aliquod auxilium speciale prœuenientis gratiæ, vt assentiantur eisdem mysteriis.

Confirmatur: nam aqua non potest calefacere, nisi calefacta ab igne, quia calefacere excedit totam virtutem naturalem ipsius aquæ: sed etiam credere mysteria fidei assensu Christiano multò magis excedit totã virtutem intellectus creati: ergo, nisi eleuetur per donum supernaturale, non poterit assentiri fidei mysteriis assensu Christiano.

IX.

Secunda Conclusio. Etiam ad ipsum primum initium fidei Christianæ requiritur necessariò speciale auxilium prœuenientis gratiæ. Itaque non potest ex solis viribus naturæ, neque ex sola vigilantia liberi arbitrij prodire initiũ aliquod, neque inchoatio fidei Christianæ, quantumuis imperfecta, siue fit petere, siue desiderare talem fidem, siue quodlibet aliud. Hæc conclusio est contra Cassianum, & contra reliquos Semipelagianos Massilienses; asseritur tamen à S. Patre Aug.lib de prædest.Sanctorum, capite 2. & lib.de dono perseu.capit.20. & habetur definita in Conc. Arauf.II. canon 5. vbi dicitur: *Si quis, sicut argumentum, ita etiam initium fidei, ipsumque credulitatis affectum, quo in eum credimus, qui iustificat impium, & ad regenerationem baptismatis peruenimus: non per gratiæ donum, id est, per inspirationẽ Spiritus sancti, corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidẽ, ab impietate ad pietatẽ: sed naturaliter nobis inesse dicit: Apostolicis dogmatibus aduersarius approbatur, beato Paulo dicente: Confidimus, quia qui cœpit in vobis bonũ opus, perficiet vsque in diem Domini nostri Iesu Christi.* Et illud: *Vobis datũ est pro Christo, non solum vt in eum credatis, sed etiam vt pro illo patiamini.* Et: *Gratia saluati estis per fidem, non ex vobis: Dei donum est. Quo enim fidem, qua in Deum credimus, dicunt esse naturalẽ, omnes eos, qui ab Ecclesia Christi alieni sunt, quodãmodo fideles esse definiunt.* Quibus verbis nõ obscurè docet, nedum actum credendi, sed etiam ipsũ affectum credulitatis, seu desiderium credendi in eum, qui iustificat impium, non inesse nobis naturaliter, id est, ex viribus naturæ, sed ex inspiratione Spiritus sancti. Expendantur illa verba, *initium fidei, ipsum credulitatis affectum.* Significant enim, affectum, seu desiderium credendi esse initium fidei: nam fides, licet sit actus intellectus, prærequirit pium affectum voluntatis, vt 2.2.q.2.docet S.Th. Notentur etiã loca Scripturæ, quæ in cõfirmationẽ eiusdẽ doctrinæ adducit Concilium. Vide lib.de prædest.SS. vsque ad c. 9. Philipp. 1. Ephes. 2.

Digitized by Google

Concilium. Præterea can.6.immediatè ſequenti,ait: *Si quis ſine gratia Dei credentibus, volentibus, deſideratibus,conantibus,laborantibus, vigilantibus, ſtudentibus,petentibus,quærentibus, pulſantibus nobis miſericordiam dicit conferri diuinitus; non autem, vt credamus, velimus,vel hæc omnia,ſicut oportet,agere valeamus,per infuſionem,& inſpirationem ſancti Spiritus in nobis fieri confitetur,& aut humilitatis,aut obedientiæ humanæ ſubiungit gratiæ adiutorium,nec vt obedientes,& humiles ſimus, ipſius gratiæ denũ eſſe conſentit:reſiſtit Apoſtolo dicenti: Quid habes,quod non accepiſti?, Gratia Dei ſũ id,quod ſum.* Et can.7.definit:per naturæ vigorem nõ poſſe hominem Euangelicæ prædicationi conſentire, abſque illuminatione, & inſpiratione Spiritus ſancti,qui dat omnibus ſuauitatem in conſentiẽdo, & credendo. *Si quis per naturæ vigorem bonũ aliquod, quod ad ſalutem pertinet vitæ æternæ,cogitare, vt expedit,aut eligere,ſiue ſalutari,ideſt,Euangelicæ prædicationi conſentire poſſe confirmat,abſque illuminatione,& inſpiratione Spiritus ſancti, qui dat omnibus ſuauitatem in conſentiendo,& credendo veritati;hæretico fallitur ſpiritu, non intelligens vocem Dei in Euangelio, dicentis: Sine me nihil poteſtis facere. Et illud Apoſtoli: Non quòd idonei ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Ex quibus verbis habetur, hominem abſque auxilio gratiæ conſentire non poſſe prædicationi Euangelij ſibi propoſiti, & explicati. Nec ſatis eſt reſpondere, Concilium non dixiſſe abſolutè,quòd homo non poſſit conſentire ex ſolis viribus naturæ Euangelio ſufficienter propoſito,ſed cum illo addito, *vt expedit*, vel *ſicut oportet*. Contra hoc enim eſt: nam aſſentiri omnibus myſteriis fidei propoſitis, tanquam reuelatis à Deo, ſeu propter diuinam reuelationem, tanquam propter rationem formalem credendi, eſt aſſentiri eiſdem myſteriis, ſicut expedit ad ſalutem. Idipſum confirmat idem Concil.can.25. circa fin.vbi ſic ait: *Hoc etiam ſalubriter confitemur, & credimus. quòd in omni opere bono nos non incipimus, & poſtea per Dei miſericordiam adiuuamur: ſed ipſe nobis nullis præcedentibus bonis meritis,& fidem,& amorem ſui prius inſpirat.* Si autem aſſenſus fidei eſſet ex nobis,iam homo inciperet credere abſque inſpiratione Spiritus ſancti: ergo.

1.Corint.4. ibid.15.

Vide Aug. c 26.lib.de gratia Chriſti.

Ioan.15.

2.Cor.3.

Confirmatur hoc inſigni quodam teſtimonio S. Auguſt. lib. 2. contra duas epiſtolas Pelagianorum, cap.8.vbi eorum referens,& impugnans ſententiam: *Iſti*,inquit,*volunt in homine ab ipſo homine incipere cupiditatem boni,vt huius cœpti meritum etiam perficiendi gratia conſequatur.* & infra: *Forteſis ergo ipſi eo modo ſaltem ſeruant locum gratiæ,vt ſine illa putent,hominem poſſe habere boni,ſed imperfecti cupiditatem:perfecti autem,non facilius per illam poſſe,ſed niſi per illam omnino non poſſe:verùm etiam ſic gratiam Dei dicunt ſecundum merita noſtra dari.* & idem probat c 9.& 10.vbi in cõfirmationem huius doctrinæ adducit illud Pſal. 76. *Et dixi:Nunc cœpi*: aduertens,quòd *non ait,hæc mutatio arbitrij mei, ſed, dextera excelſi*,quia etiam ipſum initium quamtumuis imperfectum fidei,& cuiuſcũque alterius piæ operationis non ineſt nobis ex nobis;ſed ex præuenientis gratiæ auxilio. Cùm ergo aſſentiri omnibus myſteriis ſupernaturalibus, tanquam reuelatis à Deo,ſit aliquod initium fidei; immò & perfecta fides, quantùm ad ſuam eſſentiam, cùm credere nihil aliud ſit,quàm cum aſſenſu cogitare: relinquitur, huiuſmodi aſſenſum ſine auxilio gratiæ haberi non poſſe.

Secundò,probatur ex illo ad Philip.2.*Confidimus, quoniam qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vſque in diem Chriſti*:ex quibus verbis prædictum Concilium c.1.probat,&initium,& conſummationem fidei procedere ex dono gratiæ.

A Tertiò probatur ex illo ad Rom. 11. *Quoniam ex ipſo,& per ipſum,& in ipſo ſunt omnia*:ex quibus verſic arguit contra Maſſilienſes S.Aug.lib.de prædeſti. SS.c.2.iuxta decretum Apoſtoli:ex Deo ſunt omnia: ergo,& ipſum initium fidei eſt ex Deo. *Neque enim*, inquit Aug. *hoc excepto.ex ipſo ſunt cætera ſed ex ipſo, & per ipſum,& in ipſo ſunt omnia.*

Quartò probatur ratione eiuſdem Auguſtini in eodem cap. nam ſi homo ex viribus naturæ incipit credere,& habere aliquod initium bonæ voluntatis, quærendo,petendo,pulſando,propter quod fides ipſa donetur,ſiue auxilium gratiæ; ſequitur,quòd illa gratia detur ex meritis, contra illud Apoſtoli, *Si autem ex operibus, iam gratia non eſt gratia.* Sequela probatur:nam ille qui cœpit ex ſe credere,ab illo,in B quem credit,meretur donum fidei. Hanc rationem proſequitur S.Proſper libro contra Collat. cùm ait: *Quomodo autem non aduertis, te in illud damnatum incidere,quod,velis nolis,conuinceris dicere,gratiã Dei ſecundum merita noſtra dari, cum aliquid præcedere boni operis ex ipſis hominibus,propter quod gratiam conſequantur,affirmas: Non enim nullius meriti haberi poteſt petentis fides,quærentis pietas,pulſantis inſtantia:præcipuè cùm omnes eiuſmodi & accipere & venire,& intrare dicãtur. In quo ſuperfluũ,imò impiũ eſt,ſic velle meritis ante gratiam exiſtentibus locũ facere, vt non ex toto* verũ,*ſit quod ait Dominus: Nemo venit ad me niſi Pater,* C *qui miſit me, attraxeris eum; ſi cuiuſquam hominis ſine Dei illuminatione eſſet credenda conuerſio; aut vllo modo ſe voluntas hominis ad Deũ ſine Deo poſſet extendere,qui eum vocatum ad filium trahit:non reſiſtentem,inuitumq; compellit.ſed ex inuito volẽtẽ facit,& quibuslibet modis infidelitatem reſiſtentis inclinat,vt cor audientis,obediẽdi in ſe delectatione generata,ibi ſurgat,vbi premebatur, ibi diſcat,vbi ignorabat:inde fidat,vnde diffidebat, inde velit,vnde nolebat.* En S.Proſp.colligit,gratiã ſecũdũ merita noſtra dari,ſi ſemel cõcedatur, ex viribus naturæ aliquod bonum opus procedere,ſiue ſit petere, deſiderare,aut aliud ſimile, quo poſito dona gratiæ infallibiliter homo aſſequatur Nec ſatis eſt reſpõdere,illud opus naturæ nõ eſſe meritorium gratiæ, nec eiuſdem ordinis cum illa.Hanc enim ſolutionem tacitè videtur reiicere S. Proſper verbis illis inductis: *Velis nolis,conuinceris dicere,gratiam ſecundum merita noſtra dari,&c.* Eodem genere argumentationis vtitur S.Auguſt.epiſt.143.ad Anaſt.cont. *quoſdam,qui nimium arrogant humanæ voluntati, quam lege data putant ad eam implendam ſibi poſſe ſufficere, nulla ſuper doctrinã legis gratia ſanctæ inſpirationis adiutam.* Contra quos arguens ſic loquitur: *Per quorum diſputationem infirmitati hominum miſeræ,atque indigæ ſuadetur, vt nec orare debeamus,ne inremus in tentationem. Non quia hoc audent apertè dicere,ſed eorum ſententiam,velint nolint,hoc vtique ſequitur.Nam,vt quid nobis dicitur: Vigilate,& orate,ne intretis in tentationem?vt quid etiam ſecundum hanc exhortationem, cùm doceret orare, præcepit,vt dicamus: Ne nos inferas in tẽtationem? ſi hoc non impletur ex adiutorio gratiæ diuinæ,ſed id totum eſt in arbitrio voluntatis humanæ?*

Fidei initiũ ex Deo eſt.

Matth.7.

Ioan.6.

Matth. 26.

E Quintò probatur alia ratione eiuſdem Auguſtini c.1.cit.de prædeſt.Sanctorum ex illo 2.ad Cor.3. *Nõ ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis.* Ex quibus verbis ſic arguit Auguſtinus. Minus eſt cogitare,quàm credere: nã credere,eſt cũ aſſenſu cogitare: vnde includit & cogitare,& aſſentiri: ſed ipſum cogitare myſteria fidei credenda non eſt ex nobis, ſed ex dono Dei, vt dicit Apoſtolus: ergo à fortiori ipſum initium fidei non erit ex nobis. Eandem concluſionem probat Auguſt.locis allegatis pro concluſ. præced. Videatur circa illam M. Soto lib. 1. de nat. & grat. c.8.

Tertia Cõcl. Homo poteſt,ex ſolis viribus naturæ,

Fidei mysterijs assentiri potest homo ex viribus naturæ assensu opinatiuo.

mysterijs supernaturalibus sibi propositis assentiri assensu quodam opinatiuo,& fallibili, quantùm est ex parte credentis:non quidem, tanquam reuelatis a Deo,ita quòd diuina reuelatio, seu veritas prima reuelans sit ratio formalis assentiendi, sed propter aliud motiuum,aut rationem humanam. Conclusio est S. Thomæ 2.2.quæst.5.artic.3.in corp.& ad 1. quam etiam tenet Capr.in 3.d.24.quæst.1.ad 1. & 4. Scoti contra secundam conclusionem : Caietan.p.2. quæst.109.articul. 1. & 4. Medina eodem articul.1. dub.vlti.Sot.vbi supra,Bañes 2.2.quæst...ar.1.& est communis sententia.

Probatur primò : nam hæreticus, qui discredit vnum articulum,assentitur aliis,quia vult, vt experientia constat,& tamen ille assensus non procedit ex auxilio gratiæ:ergo procedit ex viribus naturæ.

Secundo probatur. Talis actus, quo quis assentitur materialiter mysterijs reuelatis, non tamen vt sunt reuelata a Deo,non est verus actus fidei Christianæ, sed solum æquiuocè : nam de essentia fidei Christianæ est,vt innitatur primæ veritati reuelanti, tanquam rationi formali credendi, vt probat S. Thom.2.2.qu.5. art. 1. ergo ad illum actum non est necessarium auxilium speciale ; ac per consequens, procedit ex solis viribus naturæ. Secunda verò pars patebit ex probationibus sequentis conclusionis.

XI.
Assentiri omnibus mysterijs fidei, tanquam reuelatis a Deo non potest homo actu mere naturali.

Quarta conclusio. Homo non potest actu mere naturali,cum solo concursu Dei generali, assentiri omnibus mysterijs supernaturalibus,tanquam à Deo reuelatis,assensu certo, & firmo , siue infallibili ex parte credentis,sed ad eliciendum talem actum necessariò requiritur speciale auxilium præuenientis gratiæ. Hæc conclusio constat manifestè ex doctrina S.Augustini , & S. Thomæ ,& ex communi sententia Thomistarum , & est adeò certa, vt opposita nullam prorsus probabilitatem habere videatur: quod sic ostenditur.

Fides diuina & humana in quo distinguantur.

Primo : nam,vt patet ex prima , & secunda conclusione,& ex rationibus pro illis adductis , nullus absque speciali auxilio gratiæ potest elicere verum assensum fidei Christianæ,& consequenter assensus,de quo loquimur in hac conclusione,est verus assensus fidei Christianæ:ergo.Minor probatur:nam , vt colligitur ex S. Thom.2.2.quæst.1.art.1.& q.5. artic.3.in corp & ad 1.in hoc distinguntur fides Christiana ab humana,quòd fides diuina,seu Christiana innititur primæ veritati,tanquam rationi formali , fides autem humana innititur testimonio humano, tàquam rationi formali credendi , aut alteri humano motiuo. Ex quo rursus sequitur alia differentia,quòd fides Christiana est certa,& infallibilis ex parte credentis,quia videlicet innititur rationi formali infallibili,& indefectibili,nempe primæ veritati reuelanti,quæ nec fallit, nec fallere potest ; fides autem humana est ex parte credentis fallibilis , & defectibilis,quia innititur fundamento fallibili,scilicet,testimonio humano,quamuis alias ex parte obiecti sit infallibilis.Sed assensus, de quo loquimur,innititur diuinæ reuelationi, tanquam rationi formali : nam per illum assentitur homo mysterijs supernaturalibus tanquam reuelatis à Deo,& quia à Deo reuelata sunt. Item etiam talis assensus est certus, firmus , & infallibilis ex parte credentis , tanta certitudine, quantam habet fides Christiana,vt patet ex secundo dicto sententiæ,quam impugnamus.ergo est verè,& propriè assensus fidei Christianæ.

Assensus fidei infallibilis.

Confirmatur primò. Nullus assensus est infallibilis,nisi sit assensus rei cognitæ , lumine euidenti primorum principiorum, aut scientiæ : aut verò lumine supernaturali non euidenti,sicut est lumen fidei,aut prophetiæ:sed prædictus assensus est infallibilis,& non est assensus rei cognitæ lumine primorum principiorum,nec lumine scientifico:ergo necessariò debet esse assensus rei cognitæ lumine fidei, aut prophetiæ:ergo requiritur ad illum speciale auxilium gratiæ.

Confirmatur secundò : nam fidem Petri asserentis:*Tu es Christus filius Dei viui*,ex quo laudauit Christus Dominus,quia innitebatur diuinæ reuelationi, tanquam rationi formali, vt patet ex verbis illis Matth. *Beatus es Simon Bariona,quia caro, & sanguis non reuelauit tibi,sed Pater meus, qui in cœlis est* : ergo quilibet assensus, quo quis assentitur omnibus mysterijs fidei,tanquam reuelatis à Deo,laudandus est, & reputandus, tanquam verus assensus fidei Christianæ. Matth. 16.

Secundò probatur:nam S. August. & Prosper locis cit. aperte docent contra Pelagium,& Massilienses,quòd nulla inchoatio,nullum initium fidei,quàtumuis imperfectum,possit ex solis viribus naturæ prodire : sed assensus certus, & firmus , quo quis assentitur omnibus mysterijs supernaturalibus , tanquam reuelatis à Deo,est saltem aliqua inchoatio, & aliquod initium imperfectum fidei , & conducit aliquo modo ad perfectam fidem consequendam,siue ad consequendum auxilium speciale gratiæ : ergo non potest haberi ex solis viribus naturæ. Minor probatur:nam,vt asserit secunda sententia in 4. dicto,posito illo assensu merè naturali ex parte hominis , Deus statim ex certa lege tribuit auxilium gratiæ,quo illud opus fiat supernaturale,& quale ad salutem oportet : ergo est aliquale initium salutis, & aliquid conducit ad consequendum auxilium gratiæ.

Tertiò probatur,& impugnatur magis quartum dictum:nam,si homo posset ex solis viribus naturæ habere actum credendi,quo posito,ex certa lege detur auxilium gratiæ,sequi videtur ; gratiam secundum merita nostra dari. Sequela probatur:nam, vt inquit S.August.lib.de prædest.Sanctorum,c.2.*Quis dicat eum,qui iam cœpit credere,ab illo,in quem credit, nihil mereri* : sed ille iam incepit credere ex viribus naturæ : ergo meretur perfectam fidem ab illo , in quem credidit,conferendam.

XII.
Gratiæ infra naturæ ordinem fuerunt Semipel. sunt meritæ gratiæ.

Si dicatur,illum assensum,qui præcedit gratiam, vtpote mere naturalem, nullius esse valoris,aut meriti ad gratiam consequendam , neque habere proportionem cum illa,quia sunt diuersi ordinis; Contra:nam etiam Faustus,& Cassianus affirmabant,illa bona initia esse mere naturalia. Item dicebant,nullius esse meriti in homine ad gratiam consequendam, & gratiam semper gratuitam perseuerare , vt patet ex dictis disputat. 2. numer. 15.16.& 28.& tamen S.Prosp. ex dictis eius illum redarguit, quòd ponat meritum gratiæ ; sic enim ait : *Quamodo autem non aduertis,te in illum damnatum errorem incidere,quod,velis nolis,consenseris dicere, gratiam Dei secundum merita nostra dari , cum aliquid præcedere bonæ operis ex ipsis hominibus , propter quod gratiam consequantur,affirmes : Non enim nullius meriti ibi haberi potest petentis fides,quærentis pietas,pulsanti instantia:gratisque,cum omnes ipsimodi & accipere, & reperire, & intrare dicantur*:ergo si omnes, qui ex viribus naturæ habent prædictum actum credendi,ex certa lege accipiunt auxilium gratiæ,veniunt,& intrant,iam per illum actum credendi dederit aliquod initium gratiæ,& aliquo modo mereantur intrare. Prosp.li.c6. Collat.c.6.

Lex nõest, quod detur gratia facti dũ quod in se est ex natura.

Quartò probatur auctoritate Apostoli ad Rom. 4. *Ei autem,qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam,sed secundum debitum*. Ex quibus verbis desumitur argumentum:nam,vt disp. 56. patebit , si Rex pro sua liberalitate,vel ad instantiam Principis statueret istâ legem:Qui primò ingressus fuerit talé ciuitatem,dabo illi eandem ciuitatẽ ; tũc reuera ille,

qui

Digitized by Google

qui primò ingreditur ciuitatem illam, facit eam sibi debitam, & Rex suppolita lege tenetur ex aliqua iustitia illam dare: nam alter fecit opus, cui promissa est illa ciuitas: operanti autem merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum: & tamen illud opus secundum se non habet proportionem cum ciuitate, neque æqualem valorem, sed suppolita lege, debetur illi: ergo proportionabiliter, si est lex statuta propter merita Christi, quod credenti ex mera facultate naturæ detur auxilium gratiæ, tale auxilium erit debitum operanti, suppolita illa lege, etiam si opus illud secundum se nullius sit meriti, aut valoris inordine ad tantum præmium.

XIII. Denique probatur: nam, vt constat ex dictis disp. 1. propter hoc inter alia errauit Pelagius; quoniam B censuit, hominem per seipsum incipere posse actum fidei, & charitatis; quem tamen Deus statim subsequente gratia perficiat: & licet ille negauerit, gratiam esse simpliciter necessariam ad perficiendum actum fidei, & alia bona opera; Iulianus tamen id concessit, vt disp. 1. n. 5. dictum est: ergo.

Pelagiani nunquam dixerunt, actũ fidei quem constituunt in natura, esse supernaturalem.

Confirmatur, quia Pelagiani, & Semipelagiani nunquam dixerunt, actum fidei quem constituerũt in natura, esse supernaturalem ex parte causæ elicientis, cum implicet in adiecto, quod aliquis actus ex sola facultate naturæ procedens, sit effectiue ab agente supernaturali; ergo actus fidei, quem auctores oppositæ sententiæ dicunt esse ex nostro libero arbitrio, cum solo concursu generali: videtur in omnibus, & per omnia consimilis actui fidei, quem Pelagiani, & Semipelagiani constituerunt C in natura. Patet consequentia: nam iuxta sententiam, quam impugnamus, nihil prorsus deficit actui fidei, producto ex solis viribus naturæ, nisi quòd est supernaturalis ex nouo influxu gratiæ cum libero arbitrio.

Ex his sequitur contra secundum dictum eiusdem sententiæ, quòd speciale auxilium gratiæ non sit solùm necessarium ad hoc, vt actus credendi sit supernaturalis, & qualis ad salutem requiritur; sed etiam vt assensus ille sit certus, & infallibilis ex parte credentis. Item etiam est necessarium, vt actus credendi feratur in obiectum supernaturale, vt est reuelatum a Deo, ac denique, vt simpliciter sit talis assensus fidei. Sequitur secundò contra 3. dictum, quod, postquam homo edoctus fuerit, supernaturalem assensum esse ad salutem necessarium; non D potest absque auxilio gratiæ optare ita credere, neque conari ex dono, & auxilio Dei supernaturali assentiri, nec petere, vt auxilium illud sibi donetur, nec satagere seipsum disponere, ad idem auxilium recipiendum. Probatur ex dictis: nam petere, optare, seu deliderare, & conari ad fidem habendam, &c. est aliquale initium fidei: ergo tales actus, seu conatus haberi non possunt ex solis viribus naturæ, sed ad vnumquemque illorum eliciendum necessariò prærequiritur speciale auxilium præuenientis gratiæ.

XIV. In potestate Dei sunt, quæ à nobis Deus exigit.

AD primum argumentum factum pro errore Pelagij, & Massilienſium respondet ex profes- E so Sanct. Augustin. lib. de prædest. Sanctorum, cap. 10. & nos dicimus cum illo, vtrumque esse in Dei potestate, & quod a nobis exigit, & quod nobis offert: quod probat Sanct. Doct. nam ad Roman. 8. dicitur: *Si spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis*: vbi à nobis exigitur, vt facta carnis mortificemus: vt autem viuamus, offertur: *Num igitur placet*, inquit Augustinus, *vt facta carnis mortificare, non donum Dei esse dicamus, neque id donum Dei esse fateamur: quoniam exigi audiuimus à nobis, præmio vitæ, si hoc fecerimus, ollato? absit, vt hoc placeat participibus, & defensoribus gratiæ.*

A Dicimus ergo, quod ipsum credere nostrum, est in potestate Dei, tanquam in donante auxilium ad credendũ, & tanquam in primo incipiente: & suppolito auxilio gratiæ, est etiam in potestate nostri arbitrij, tamquam in causa proxima libere eliciente eundem actum, quia, vt inquit Cœlestinus: *Tanta est erga nos benignitas Dei, vt nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona*: Vnde lib. 1. Paralipomenõ, c. 9. dicitur: *Tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, reddamus tibi.* Cœlest. 6. in epist. ad Episcopos Gall. c. 12. ex Chrys. homil. de Adam, & Eua.

Ad secundum argumentum Cassiani, quod attinet ad auctoritatem Apostoli ad Rom. 7. respondet S. Prosp. lib. contra Collator. c. 8. & quod idem Apostolus, qui dixit: *Velle adiacet mihi*, etiam dixit ad Philip. 2. *Deus est enim qui operatur in nobis & velle, & perficere*: & 2. ad Cor. 3. *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis*. Vnde vox illa: *Velle adiacet mihi*, vox est hominis vocati à Deo, & sub gratia constituti, qui cõdelectatur quidem legi Dei, secundùm interiorem hominem, sed videt aliam legem in membris suis, repugnantem legi mentis suæ, & captiuantem se in lege peccati. XV.

Ad alia duo loca Scripturæ respondetur: verè nos velle, qui volumus, & qui petimus; sed Deus speciali auxilio gratiæ facit, vt velimus, & petamus, secundum illud Apostoli: *Misit Deus Spiritum Filij sui in corda vestra clamantem, Abba pater*, id est, facientem, vt sæpe explicat S. Augustinus & S. Thomas. Et iterum ait: *Nã quid oremus sicut oportet, nescimus, sed ipse Spiritus postulat pro nobis, gemitibus inenarrabilibus*, id est, postulare nos facit, vt explicant communiter sancti Patres. Et Ezechielis 36 dicitur: *Faciam, vt faciatis, & in præceptis meis ambuletis*, &c. Ad confirmationem respondetur, ex doctrina Conc. Trid. decreto de iustific. c. 5. quòd *in sacris literis cùm dicitur: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos; libertatis nostræ admonemur. Cùm autem nos respondemus. Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur: Dei nos gratia præueniri confitemur.* Idẽ nos dicimus in præsenti, quod in illis locis Scripturæ, in quibus asseritur, quod oratio nostra præuenit Deum, vel, quòd Deus expectat, vt misereatur nostri: libertatis nostræ admonemur, quia non coactè, sed libere credimus, & diligimus. In aliis autem locis significatur, quod, priusquam nos velimus, & credamus, præuenimur auxilio gratiæ diuinæ. Vel dicendum, quòd, vt docet S. Thom. 1. 2. q. 111 art. 3. in corp. idem effectus gratiæ respectu diuersorum, potest esse præueniens, & subsequens. Cùm ergo dicitur in Scriptura: *Oratio mea præueniet te*, illa oratio est effectus subsequens respectu primæ vocationis, & primæ gratiæ præuenientis: sed in ordine ad vlteriorem effectum gratiæ, dici potest præueniens. Sed de hoc dicetur latiùs disput. 95. vbi explicabitur, in quo sensu dicatur Deus expectare, vt velimus. Homo vult sed Deus facit, vt velit. Galat. 4 Rom. 8. Zachar. 1. Thren. 5. Prouens conuertitur a Deo, & se conuertit.

XVI. Ad illud autem, quod dicit Cassianus, quòd non liberè veniunt, qui præueniuntur à gratia Dei: respõdet Prosp. lib. contra Collatorem, c. 39. definit. 6. quòd si auferatur liberum arbitrium, cum à gratia præuenitur: etiam dicendum est, quòd auferatur gratia, cùm à libero arbitrio præuenitur. Sicut ergo non auferatur à causis naturalibus proprius modus operandi, sed potiùs perficitur; cùm mouentur à Deo: ita etiam liberum arbitrium non destruitur, sed perficitur, cùm præuenitur à gratia: nam gratia mouet, secundum quòd liberum arbitrium aptum est moueri, hoc est, liberè, vt disput. 18. 21. & 22. dictum est. Liberè veniunt ad Christum, qui præueniuntur ab illo.

Ad tertium negatur maior: dicimus enim, illam non esse differentiam essentialem inter habitum, & potentiam: sed differentiam accidentalem inter potentiam, & habitum acquisitum, qui, quatenus acquisitus, habet, quòd præsupponat facultatem Habitus, & potentia quo differant.

Digitized by Google

in potentia ad producendum actum secundùm substantiam. Et probatur hoc: nam habitus primorum principiorum est necessarius ad simpliciter operandum. Dicimus ergo habitum supernaturalē, vel auxilium speciale, eò quòd eleuat potentiam ad aliquid, quod est supra totam facultatem naturæ, genere vis cum potentiæ, & requirit ad simpliciter operandum: nam habitus supernaturalis, cùm sit supremus inter omnes habitus, attingit quodammodo rationem potentiæ, iuxta illud commune proloquium: *Supremum infimi attingit infimum suprem.* Et ad replicam respondetur, ab omni habitu operatiuo supponi potentiam, quam talis habitus perficiat, vel quam eleuet supra facultatem suæ naturæ. Vnde intellectus sine auxilio speciali, non habet proximè, & formaliter rationem potentiæ in ordine ad actum supernaturalem credendi, sed fundamentaliter, & remotè, quatenus natura sua est capax vt possit eleuari per auxilium gratiæ ad actum credendi eliciendum, quod non habent aliæ potentiæ exteriores, vt 1.2.q.50.a.1. docet S. Thom.

A Aug. inducta ex q.2. ad Simplicianum, vt etiam constat ex ipso contextu: subditur enim statim post verba inducta: *Vtamur ergo aliter in facta rebus demonstratis, vel significantes, ad credendum monere, sicut verbi gratia. Sumecum in Dominum nostrum Iesum Christum adhuc infantem parulum credidit, Spiritum reuelante cognoscens. Nathanaël ad vnam sententiam, quam ab illo audiuit: Priusquam te Philippus vocaret, cum esses sub arbore fici, vidisse, respondit: Rabbi tues filius Dei, tu es Rex Israël, quod tanto post quia confessus est Petrus, meruit audire, quod beatus esset, & quæ ei darentur claues regni cœlorum. Miraculo facto in Cana Galilææ quod initium signorum Iesu Ioannes Euangelista cõmemorat) aqua in vinum conuersa: crediderunt in eum discipuli eius. Cum autē alius sic, alius autem sic moueatur ad fidem eademque res sæpe alio modo aliū moneat, alio modo dicta non moueat alium, aliumque moueat, alium non moueat; quis audeat dicere, defuisse Deo modum vocandi, quo etiam Et sau ad eam fidem mentem applicaret, voluntatémque coniungeret, in qua Iacob iustificatus est?* Ecce Aug expresè loquitur de motione morali; quæ fit per diuersa dicta, vel facta. Lucæ 2. Ioan. 1. Matt. 16. Ioan. 1.

XVII. Tyrij, & Sydonij quibus signis credidissent.

Ad quartum respondetur, in illo loco Matth. 11. non asseri, tolummodo per illa signa exteriora, si mirum facta fuissent in Tyro, & Sydone, credituros Tyrios, & Sydonios fuisse, sed tantùm affirmari simpliciter quòd si facta fuissent, credidissent. Quod tamen intelligendum est, accedente efficaci motione Dei interiore, per speciale auxilium gratiæ, quod Deus sua misericordia dedisset Tyriis, & Sydoniis, si inter illos facta fuissent signa quæ in Chorozain, & Bethsaida facta sunt, vt disput. 7. numer. 23. explicatum est.

B

Ad locum Fulg. respondetur, quòd cùm ait, posse hominem naturaliter credere, loquitur de potentia remota, seu capacitate, quæ naturaliter ineſt homini eò quod sit intellectualis naturæ, & habent liberum arbitrium, in vtramque partem flexibile: in quo sensu dixit Augustinus: *Posse habere fidem, naturæ est hominum: habere autem non nisi fidelium.* Colligitur hæc explicatio ex ipso contextu, subdit enim Fulg. diuinitus donari homini vt credat. Vel istud verbum *naturaliter*, intelligendum est, id est, per naturam sanatam per gratiam: in quo etiam sensu explicat S. Aug. illud Rom. 2. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter, quæ legis sunt, faciunt.*

C

XVIII. Peccat homo si non credat, etiã si id non possit sine auxilio gratiæ.

Ad auctoritatem Aug. ex cap. 14. de dono perseu. respondetur, illum ibi loqui de his, quæ requiruntur ad fidem ex parte propositionis credibilium, & quantùm ad motionem, quæ se tenet ex parte obiecti. Naturale est enim, quod aliqui magis afficiantur ex parte obiecti ad rem propositam talibus signis, aut verbis, quàm si aliter proponeretur. Nam aliqui naturaliter sunt magis inclinati ad gaudium, quam ad tristitiam: vnde congruentius proponitur illis Euangelium, quando inducuntur ad credendum, ex parte eiusdem obiecti, per motiua proportionata inclinationi illorum. Et quoniam, vt crederent, non erat datum Tyrus, & Sydoniis: etiam hoc fuit eis negatum, videlicet congrua propositio Euangelij. Quæ explicatio colligitur ex ipso contextu: nam loquitur de miraculis, & signis, quibus proponuntur, & confirmantur credenda: sed tamen, præter illam congruam propositionem obiecti credibilis, requiritur necessariò ad fidem alia motio interna ex parte potentiæ, per auxilium speciale, vt expresè fatetur idem Aug. æpissime, præsertim lib. 1. cont. duas epistolas Pelag. c. 34. & 35. & lib. 1. de gratia Christi contra Belagium, & Cœlestium, c. 24. vbi sic ait: *Legant ergo, & intelligant, inueantur, & fateãtur, non lege, atque doctrina insonante foris secus, sed interna, occulta, mirabili, atque ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominũ, non solum veras reuelationes, sed etiam bonas voluntates.* Et super c. 6. Ioan. inquit: *Hæc si ab hominibus audiunt: tamen, quod intelligunt, intus datur, intus coruscat, intus reuelatur.* Et super Ps. 87. circa fin. ait: *Quomodo crederem, nisi audirem? sed, vt audita crederem, ipse me attraxit.* Vnde Act. 16. dicitur: *Et quædã mulier nomine Lydia purpuraria, colens Deũ, audiuit: cuius Dominus aperuit cor, intendere iis, quæ dicebantur à Paulo.* Ex quibus verbis Prosp. lib. 1. de vocat. gent. c. 2. & in epist. ad Ruffinũ, & lib. contr. Collator. c. 30. probat, præter propositionem Euangelij, quantùmis congruã, requiri necessariò ad fidẽ, internã Dei motionem, ex parte potentiæ, per auxilium speciale. Eodem modo intelligenda est auctoritas S. Augustini vbi supra.

D

Ad fidē requiritur propositio congrua.

Ad fidē requiritur motio efficax Dei interna præter obiecti propositionē congruã.

XIX. Infideles negatiue qui dicantur.

Ad quintum respondetur, quòd, vt docet S. Tho. 2.2. q. 2. art. 5. ad primum. *Si in potestate hominis esse dicatur aliquid, sed ipso auxilio gratiæ, sic ad multa tenetur homo, ad quæ non potest sine gratia præparante, sicut ad diligendum Deum, & proximum, & similiter ad credendum articulos pacis: sed tamen hoc potest cum auxilio gratiæ, quod quidem auxilium quibuscunque diuinitus datur, misericorditer datur: quibus autem non datur, iustè non datur, in pœnam præcedentis peccati, saltem originalis,* vt dicit Augustinus lib. de corrept. & gratia c. 5. & 6. Et idem docet tertio contra Gent. c. 159. & 160. Igitur in casu argumenti, si ille homo contemnat fidem, & non credat, peccat mortaliter contra fidem: non quidem, quia, præsuppositis illa prædicatione Euangelij, poterat ex solis viribus naturæ elicere actum credendi, vt argumentum prætendit, sed quia id poterat cum auxilio gratiæ, & non voluit, sed malitiosè impediuit, ne daretur illi tale auxilium. Quòd si homo audiens Euangelium, nullo auxilio interiori, etiam sufficienti, excitetur à Deo, & moueatur ad credendum; ille non peccat contra fidem, per hoc, quòd non eliciat actum credendi, quia reuera non potest illum elicere sine auxilio speciali: vnde solum erit infidelis negatiue, non autem contrariè, vt colligitur ex S. Thom 1.2.q 10.art. 1. quod etiam ibi docet expresè M. Bañes dub. 1. cõc. 5. Dixi, *si non eliciat actum fidei*: nam si ille positiuè repugnet Euangelio sufficienter proposito, & contemnat illud, peccabit contra fidem, vt ibidem explicat M. Bañes.

E

Vitalitas proxima actus supernaturalis est, vt quo, à principio supernaturali.

Ad sextum negatur antecedens, de quo in disput. 65. agendum erit ex professo. Ad probationem respondetur, quòd etiam vitalitas actus fidei proxima & formalis, est ab ipso habitu fidei, vt quo, siue ab auxilio speciali: quia, cùm ille actus sit vnicus, & simplicissimus; impossibile est, quòd sit compositus ex duplici entitate, altera naturali, altera supernaturali.

turali. Et præterea, id conſtat ex auctoritate Euangelij: *Ego vitam æternam do eis*; vbi ipſa vita, quam habet actus vitionis beatificæ, tribuitur dono gratiæ. Et ratio eſt, quia cum vitalitas illa vitionis beatificæ ſit indefectibilis ex natura ſua, non poteſt procedere ex ſola virtute naturali intellectus creati, quæ ſecundùm ſe defectibilis eſt, ſed oportet, quòd procedat ab intellectu elevato per lumen gloriæ indefectibile, vt diſputat. 64. patebit, & idem dicendum de aliis actibus ſupernaturalibus. Et ad impugnationem reſpondetur, quòd actus fidei, eò, quòd vitalis eſt, dicit intrinſecum ordinem ad potentiam vitalem: eleuatam tamen per habitum fidei, vel per auxilium ſpeciale. Ad rationem quippe actus vitalis ſufficit, quòd producatur a potentia vitali, vel ſecundùm ſuam virtutem naturalem, vel per virtutem, quam accipit ex habitu ſuperaddito, vt patet in viſione beatifica.

Ioann. 10.

XIX. Ad ſeptimum reſpondetur; quòd illa particula, *vt oportet*, addita eſt in Conciliis ad differentiam aſſenſus opinatiui, & fallibilis ex parte credentis, quo quis aſſentitur myſterijs ſupernaturalibus, non vt reuelata ſunt, ſed propter aliquod motiuum, vel rationem humanam, qualis reperitur in hæretico. Talis enim aſſenſus non eſt, vt oportet, neque ab illo incipit proceſſus iuſtificationis; nec ſubinde loquuntur Concilia de illo. Aſſenſus autem, quo quis credit firmiter, ex parte credentis, omnia myſteria reuelata, vt reuelata ſunt, ſine propter diuinam reuelationem, tanquam propter rationem formalem; eſt verè aſſenſus, ſicut oportet: & ab illo ſumitur primum initium iuſtificationis. & ita non poteſt haberi, abſque ſpeciali auxilio gratiæ.

Credere. vel pœnitere ſicut oportet, quid ſit.

Ad octauum negatur conſequentia: etenim Iudæi, de quibus fit mentio in illis locis, non ideo peccauerunt, quia potuerunt ex ſola facultate naturæ cũ ſolo concurſu generali præbere aſſenſum doctrinæ Chriſti, tanquam reuelatæ a Deo, ſed quia cum poſſent credere per auxilium gratiæ; Deo vocanti repugnauerunt, & eidem gratiæ appoſuerunt impedimentum, vt dictum eſt.

DISPVTATIO L.

Vtrùm abſque auxilio gratiæ poſſit homo in natura lapſa operari aliquod opus morale, quod, comparatione vltimi finis naturalis, ſit verè bonum, ac verè virtutis opus.

I. VT titulum quæſtionis explicemus, & punctum, de quo eſt controuerſia, notum hat; aduertere oportet, quòd, vt ſecunda ſecundæ, quæſtione vigeſimatertia, articulo ſeptimo, in corpore, docet ſanctus Thomas, dupliciter poteſt dici, aut eſſe aliqua vera virtus. Primò, in ordine ad bonum particulare, & ad finem proximum eiuſdem virtutis, ſiue ad obiectum illius, quia videlicet obiectum particulare, quod immediatè virtus reſpicit, non eſt bonum apparens, ſed verè bonum, vtpote ordinabile, quantùm eſt in ſe, ad principale bonum, quod eſt vltimus finis. Eſt exemplum in illo, qui exiſtens in peccato mortali, tribuit amico pauperi eleemoſynam partam ex pietate naturali, non apponendo malam circumſtantiam; & idem de aliis huiuſmodi bonis operibus. Et in hoc ſenſu non procedit præſens difficultas: certiſſimum eſt enim, in doctrina ſancti Thomæ, imò & iuxta decretum bullæ Pij V. quam in calce ſequentis diſputationis allegabimus, poſſe hominem, abſque auxilio gratiæ elicere aliquem actum bonum moraliter, qui ſit verè bonus, ac veræ, ſed tamen imperfectæ virtutis opus, comparatione obiecti, ſeu boni particularis, vt in caſu poſito: nam prædictus actus eſt ordinabilis, quantùm eſt in ſe ad principale bonum, quod eſt vltimus finis. Et in hoc diſtinguitur ab actu virtutis ficto, & non vero, qui verſatur circa particulare bonum apparẽs, ſicut eſt auarorum temperantia, qua luxuriæ, quæ ſumptuoſa eſt, cohibent appetitum, & auarorum fortitudo, qui multis periculis exponunt ſeipſos, vt diuites fiant. Huiuſmodi enim virtus non eſt vera virtus, etiam perfecta; ſed falſa ſimilitudo virtutis. Ita docet expreſsè S. Tho. art. 7. allegato, ait enim: *Si accipiatur virtus, ſecundum quod eſt in ordine ad aliquem finem particularem, ſic poteſt aliqua virtus dici ſine charitate, inquantum ordinatur ad aliquod particulare bonum. Sed ſi illud particulare bonum non ſit verum bonum, ſed apparens; virtus etiam, qua eſt in ordine ad hoc bonum, non erit vera virtus, ſed falſa ſimilitudo virtutis: ſicut non eſt vera virtus auarorum prudentia, qua excogitant diuerſa genera lucellorum: & auarorum iuſtitia, qua, grauium damnorum metu, contemnunt aliena: & auarorum temperantia, qua luxuriæ, quæ ſumptuoſa eſt, cohibent appetitum: & auarorum fortitudo, qua (vt ait Horatius) per mare pauperiem fugiunt, per ſaxa, per ignes, vt Aug. dicit in 4. lib. contra Iulianum. Si vero illud bonum particulare ſit verum bonum, puta conſeruatio ciuitatis, vel aliquid huiuſmodi, erit quidem vera virtus, ſed imperfecta, niſi referatur ad finale, & perfectum bonum: & ſecundum hoc ſimpliciter, vera virtus ſine charitate eſſe non poteſt.* Idẽ docet alijs pluribus in locis, ex quibus habetur, quòd cõparatione boni particularis poteſt eſſe abſq; charitate vera virtus moralis, quamuis imperfecta: nam in ordine ad proprium obiectum, à quo ſpecificatur, fortitur veram eſſentiam virtutis, quamuis actus illius ex parte operantis non referatur in Deum ſummæ dilectum vt in vltimum finem.

Secundo modo poteſt dici vera virtus, & actus illius vere bonus, ac veræ virtutis opus, nedum comparatione obiecti, ſeu boni particularis, ſed etiam comparatione vltimi finis, ſeu boni vniuerſalis, ita videlicet, vt non ſolum ille actus, quantùm eſt in ſe, ſit ordinabilis ad principale bonum, quod eſt vltimus finis, ſed etiam ex parte operantis, referatur actu, vel virtute in Deum, tanquam in vltimum finem, ſuper omnia dilectum dilectione naturali, vel ſupernaturali. Et in hac acceptione procedit præſens difficultas, non autem in priori.

Eſt ergo prima ſententia quorundam Theologorum aſſerentium, quòd, cum ſolo concurſu generali Dei, abſque alio dono, vel auxilio gratiæ, poteſt homo efficere opus bonum morale, quod fini naturali hominis accommodatum, atq; comparatione illius ſit verè bonum, ac virtutis opus. Addunt, liberum arbitrium ex viribus ſuis naturalibus, ſolo concurſu Dei generali, referre poſſe huiuſmodi actus bonos moraliter in Deum tanquam in vltimum finem, lumine naturali cognitum. Et, ſi conſequenter loquantur, id intelligunt de relatione formali, aut virtuali facta per actum charitatis, quo ſolis viribus arbitrij diligitur Deus ſuper omnia ſimpliciter, inquantum eſt auctor naturæ: nam, vt in ſequenti diſputatione patebit, ſentiunt, ab homine in natura lapſa eliciſ poſſe eiuſmodi actum charitatis naturalis, abſque auxilio gratiæ. Probant autem ſuam ſententiam ſequentibus argumentis.

Primò, In hõmine eſt lumen naturale ad cognoſcẽdum bonum, vel malum morale, vt patet ex Pſal. 4. vbi, cùm Propheta præmiſiſſet: *Multi dicunt, quis oſtendit nobis bona?* ſubiungit: *Signatum eſt ſuper nos lu-*

Digitized by Google

men vultus tui Domine: significans, lumen naturale, à Deo nobis impressum ostendere bonũ morale prosequendum, & malum fugiendum. Cum ergo in multis bonis, vt in honore parentibus exhibendo, tribuẽda pauperi eleemosyna, & aliis huiusmodi, nulla sit grauis difficultas; relinquitur, ex solis naturæ viribus posse hominem hæc non solùm velle, sed etiam efficere.

Confirmatur: homo ad agendum honestè, tanquam in finem naturalem, est conditus: ergo per solas vires naturæ potest, etiã post peccatum, aliquod bonum morale efficere, quod sit vere bonum, ac veræ virtutis opus: alias per peccatum liberum arbitrium non solùm esset læsum, sed etiam extinctum.

Secundò arguitur ex illo ad Rom. 2. *Cùm gentes, quæ legem non habent (* scriptam scilicet *) naturaliter, quæ legis sunt faciunt, eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex; quia ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.* Ecce Paulus, *naturaliter*, hoc est, ex solis viribus naturæ, ait, gentes interdum efficere, quæ legis naturalis sunt, quæ plane sunt bona moralia, fini naturali accommodata.

II. Tertiò arguitur auctoritate S. Augustini lib. de spiritu, & litera, capit. 28. vbi apertè docet, peccatores posse efficere aliqua bona opera moralia. Verba eius sunt: *Sicut non impediunt à vita æternâ iustum quædam peccata venialia, sine quibus hac vita non viuitur; sic ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficillimè vita cuiuslibet pessimi hominis inuenitur.* Et libro 3. Hypogn. ait: *Esse fatemur liberum arbitrium in omnibus hominibus, habens quidem iudicium rationis, non per quod sit idoneum, quæ ad Deum pertinent, sine Deo aut inchoare, aut certè peragere; sed tantùm in operibus vitæ præsentis tam bonis, quam etiam malis.*

Quartò: nam in Conc. Trid. sess. 6. canone 1. definitur: *Si quis dixerit, hominem suis operibus, quæ vel per humanæ naturæ vires, vel per legis doctrinam fiunt, absque diuina per Iesum Christum gratia posse iustificari coram Deo, anathema sit.* quibus verbis satis innuit, fieri posse bona opera moralia per solas vires naturæ humanæ, vel legis doctrinam: cùm definiat, illa non satis esse ad iustificationem, absque diuina per Iesum Christum gratia.

Quintò. Vt aliquis actus moralis sit verè bonus, ac veræ virtutis opus, non requiritur necessariò, quòd ordinetur ad vltimum finem supernaturalem; sed sufficit, quòd ex obiecto, & circumstantiis sit bonus, & ad vltimum finem naturalẽ, scilicet ad Deum, vt lumine naturali est cognitus, ordinetur; sed infidelis, aut peccator fidelis, potest absque auxilio gratiæ facere aliquod opus morale bonum ex obiecto, non apponendo malam circumstantiam; & illud ordinare ad verum Deum, vt lumine naturæ cognitum: ergo potest efficere per vires naturæ aliquod opus morale, quod sit vere bonum, ac veræ virtutis opus.

III. Oppositam sententiam videtur manifestè docere sanctus Augustinus libro primo retractat. capite tertio, & latiùs libro quarto contra Iulianum, capite tertio, vbi multis testimoniis Scripturæ ostendit, non esse in aliquo veram virtutem, etiam moralem, nisi iustus sit. Impossibile est autem, aliquem esse, aut fieri iustum sine auxilio gratiæ; alias enim, vt Gal. 2. arguit Apostolus: *Si per legem iustitia: ergo Christus gratis mortuus est.* Igitur sine auxilio gratiæ non potest esse aliqua vera virtus, vel actus veræ virtutis.

Hanc difficultatem disputat sanctus Thomas secunda secundæ quæstione 23 articulo septimo, vbi quærit: Vtrùm sine charitate possit esse aliqua vera virtus; & prima secundæ quæstione 65. articulo secundo disputat: Vtrum virtutes morales possint esse sine charitate: & articulo quarto idem inquirit de fide, & 1pe. & q. 14. de verit. art. 6. & omnes Thomistæ in eisdem locis, præsertim M. Bañes secunda secundæ citata eandem difficultatem tractat: & ideo breuiter est à nobis dissoluenda, ea dumtaxat attingendo, in quibus est differentia inter Thomistarum, aliorumque Theologorum sententiam. Supponendum est ergo inprimis ex communi Theologorum sententia, hominem, siue fidelis sit, siue infidelis, posse ex solis viribus naturæ efficere aliquod opus morale, quod in individuo non sit peccatum, etiam veniale; sed bonum in genere moris ad quod ex professo probat sanctus Thomas secunda secundæ quæstione decima, articulo quarto, & ibi Caietanus & omnes Thomistæ, vbi ostendunt, non omnia opera infidelium esse peccata. Supponendum est secundò etiam ex communi sententia, in qua auctores, cum quibus disputamus, conueniunt, liberum arbitrium, non solùm in natura lapsa, sed etiam in natura integra absque auxilio gratiæ, nullum posse actum virtutis operari, qui in ordine ad supernaturalem finem sit verè bonum, aut veræ virtutis opus. Hoc etiam probat sanctus Thomas secunda secundæ quæstione 25. citata ex auctoritate Apostoli primæ Corinth. 13. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita vt ardeam: charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest.* Præterea: nam finis supernaturalis, qui in clara Dei visione consistit, excedit omnem facultatem naturæ creatæ: ergo nisi eleuetur per auxilium gratiæ, operari non potest aliquem actum virtutis, qui ad huiusmodi finem ordinetur.

Tota ergo difficultas consistit in hoc: Vtrùm possit liberum arbitrium in natura lapsa, absque speciali auxilio gratiæ, efficere aliquod opus morale, quod, comparatione vltimi finis naturalis, sit verè bonum, ac veræ virtutis opus, vt in explicatione tituli quæstionis notaui. Et quamuis aliqui Theologi differentiam esse in solo nomine contendant; re tamen penitus inspecta, & explicata, apparebit non de solo nomine, sed etiam de re ipsa controuersiam esse.

IIII. Pro breui resolutione huius difficultatis considerandum est, hominis liberum arbitrium per peccatum, non solùm fuisse spoliatum originali iustitia, & supernaturalibus donis, sed etiam vulneratum, & læsum in bonis naturalibus, & ita attenuatum, & inclinatum, vt opera perfecta, & difficiliora, etiam naturalis ordinis, nisi sanetur, & adiuuetur per gratiam, vt disputatione 45. ostensum est, exercere non valeat.

V. Notandum secundò, quòd, sicut per peccatum mortale liberum hominis arbitrium manet auersum à Deo, non solùm vt est finis supernaturalis, sed etiã vt est finis naturalis intellectualis naturæ; ita per actum charitatis conuertitur, ordinaturq; in Deum, inquantùm est vniuersale bonum, & vltimus finis naturæ rationalis. Et quidem, si actus charitatis fuerit naturalis, qualem poterat Adam in natura integra solis viribus naturæ elicere, per talẽ actu homo ordinatur in Deũ, vt est finis naturæ. Si autẽ actus charitatis fuerit supernaturalis, sicut est ille, qui ex auxilio gratiæ procedit in iustificatis; per illu actũ ordinabitur in Deũ, vt est auctor gratiæ, & supernaturalis finis: & sub eadẽ ratione illum attinget. Cùm autem virtus, quæ attingit aliquem finem, ordinet actus aliarum virtutum in eundem finem: fit, vt actus temperantiæ, & cuiuscunque alterius virtutis moralis per actum charitatis in Deum, tanquam in vltimum finem,

Digitized by Google

finem, ordinentur, vt ſecunda ſecundæ, quæſtione 23. articulo octauo docet ſanctus Thomas. Vnde impoſſibile eſt, quòd tales actus virtutum formaliter, aut virtualiter in Deum, vt in vltimum finem, ſint ex parte operantis ordinati, niſi per actum charitatis referantur.

VI. Homo in natura lapſa non poteſt abſque auxilio gratiæ operari aliquod bonum, quod ſit veræ virtutis opus.

Dicendum eſt ergo, nullum actum moralem, in natura lapſa elicitum ab homine, abſque auxilio gratiæ, eſſe vere bonum, veræque virtutis opus in ſenſu ſuperiùs explicato, etiam comparatione vltimi finis naturalis. Hæc eſt perpetua S. Auguſtini doctrina, præſertim capite illo tertio libri quarti contra Iulianum, vbi ſic loquitur: *Cum virtus ſit pudicitia, cui vitium contrarium eſt impudicitia, omnéſque virtutes, etiam quæ per corpus operantur, in animo habitent; quomodo vera ratione pudicum corpus aſſeritur, quando à vero Deo ipſe animus fornicatur?* Et poſt pauca *In quo enim vis hominem, ſicut loqueris, ad aliquid laudabile generoſi cordis ſtimulis incitari, in hoc eum non vis in Domino, ſed in libero arbitrio gloriari, ac priorem dare, vt retribuantur illi, eóque modo gratia non ſit gratia, quia non eſt gratuita.* Et infrà: *Quanto tolerabilius illas, quas dicis impiis eſſe virtutes, animo muneri potius, quàm eorum tribueres tantummodo voluntati? licèt ipſi hoc neſciant, donec, ſi ex illo ſunt prædeſtinatorum numero, accipiant Spiritum, qui ex Deo eſt, vt ſciant, quæ à Deo donata ſunt eis. Sed abſit, vt ſit in aliquo vera virtus, niſi fuerit iuſtus; abſit autem, vt ſit iuſtus verè, niſi*

Rom. 4. *viuat ex fide: iuſtus enim ex fide viuit.* Et quidem, quòd in eodem ſenſu impugnetur à ſancto Auguſtino prima ſententia ſuperius propoſita, in quo aſſerta eſt ab auctoribus illius, ex eo conſtat: nam illi dicunt, opus moraliter bonum, factum ex ſolis viribus naturæ, eſſe vere bonum, ac virtutis opus accommodatum fini naturali, non autem ſupernaturali. Hoc autem etiam Iulianus, quem impugnat ſanctus Auguſtinus, aſſerebat, nempe, opera bona moralia impiorum non eſſe fini ſupernaturali accommodata, ſed eſſe fructus ſteriles, niſi à gratia adiuuentur: vt patet ex verbis illis Auguſtini paulò poſt principium eiuſdem capitis. *Cum ergo diuinitus adiuuatur homo, non tantùm ad capeſſendam perfectionem adiuuatur, quod ipſe poſuiſti, vtique volens intelligi, cum per ſe nihil agere ſine gratia, quod perficit gratia: ſed quod Apoſtolus loquitur, vt qui in vobis opus bonum cæpit, perficiat*

Rom. 4. *vſque in finem.* Et circa finem eiuſdem capitis refert Iulianum dicentem, bona opera infidelium ſteriliter eſſe, nec eos ad ſalutem ſempiternam, regnúmque perducere. Sic enim ait Auguſtinus: *Sed reſpondeturus es, Iuliane, quidnìſi vana? Ego, impiis ſteriliter bonos dixi homines, qui non propter Deum faciendo bona, quæ faciunt, non ab eo vitam conſequuntur æternam.* Et infrà, cùm hanc ſententiam impugnaſſet S. Auguſtinus, ſubdit: *Ani verè, quoniam ſaltem conſedis opera infidelium, quæ tibi videntur bona, non tamen eos ad ſalutem ſempiternam, regnúmque perducere: ſcito nos illud bonum hominum, dicere, ſi tam voluntatem bonam, illud opus bonum ſine Dei gratia, quæ datur per vnum mediatorem Dei & hominum, nemini poſſe conferri, per quod ſolum homo poteſt ad æternum Dei donum, regnúmque perduci. Omnia proinde cætera, quæ videntur inter homines habere aliquid laudis, videantur tibi virtutes veræ, videantur opera bona, & ſine vllo falſo peccato. Quod ad me pertinet, hoc ſcio, quia non ea facit voluntas bona: Voluntas quippe infidelis atque impia non eſt bona.* Vbi ſanctus Auguſtinus, vt aliquis actus ſit veræ virtutis comparatione vltimi finis, exigit neceſſariò, quòd voluntas ſit recta, ſeu rectificata, & per charitatem referat talem actum virtutis in Deum, ſuper omnia dilectum, tanquam in vltimum finem. Nec ſatis eſt reſpondere, ſanctum Auguſtinum loqui dumtaxat de vltimo fine ſupernaturali, comparatione cuius, nulla eſt vera virtus ſimpliciter ſine charitate. Contra hoc enim eſt nam ſanctus Auguſtinus tam in eo illo tertio allegato, quàm alijs in locis diſputatione ſequenti adducendis, non obſcurè docet, abſque auxilio gratiæ non poſſe hominem in natura lapſa diligere Deum ſuper omnia ſimpliciter, etiam vt eſt auctor naturæ: & eadem eſt ſententia ſancti Thomæ, vt in eadem diſputatione dicetur. Neque enim poteſt voluntas eſſe bona, & recta, atque ordinata in Deum, tanquam in finem vltimum naturalem, & à Deo auerſa, inquantùm eſt vltimus finis ſupernaturalis ordinis, vt dicetur infrà.

In eadem ſententia eſt S. Cyprianus lib. de bono patientiæ, in princ. vbi probat, in infidelibus non eſſe veram virtutem patientiæ, & inter alia, inquit: *Hanc ſe ſectari Philoſophi quoque profitentur, ſed tam illic patientia falſa eſt, quàm & falſa ſapientia eſt. Vnde enim vel ſapiens eſſe, vel patiens poſſit, qui nec ſapientiam, nec potentiam Dei nouit: quando ipſe de iis, qui ſibi ſapere in mundo videntur, moneat, & dicat:* Perdam ſapientiam ſapientium, prudentiam prudentium reprobabo? Loquitur autem S. Cyprianus de vera virtute cõparatione finis vltimi in ſenſu à nobis ſuperiùs explicato. Sic etiam loquitur ſanctus Thom. ſecunda ſecundæ, quæſtione 23 articulo ſeptimo allegato, cùm ait, quòd *ſimpliciter vera virtus ſine charitate eſſe non poteſt.* Et probatur.

Isai. 29.

Primò: Nam, licèt omnis actus moralis bonus ſit ſecundùm ſe ordinabilis in Deum, tanquam in vltimum finem ſuper omnia dilectum, amore naturali, vel ſupernaturali; de facto tamen, & in exercitio non ordinatur, niſi per actum charitatis, vt dictum eſt. Sed in natura lapſa homo non poteſt abſque auxilio gratiæ elicere actum charitatis, quo diligitur Deus ſuper omnia ſimpliciter, etiam, vt eſt finis naturalis: nam huiuſmodi actus eſt præſtantiſſimus naturæ ſanæ, quem ſubinde exercere non poteſt liberum arbitrium hominis infirmi, vt diſputatione 5. oſtendendum eſt: ergo nullus actus bonus moraliter poteſt, abſque auxilio gratiæ formaliter, aut virtualiter, ab operante referri in Deum, tanquam in vltimum finem. Cum ergo ad actum veræ virtutis, etiam comparatione finis naturalis, neceſſarium ſit, quòd in Deum, tanquam in vltimum finem, prædicto modo referatur, relinquitur, nullum actum moralem elicitum ab homine in natura lapſa, abſque auxilio gratiæ, etiam comparatione finis naturalis, eſſe vere bonum, veræque virtutis opus.

Confirmatur. Sine charitate nulla eſt vera virtus; ergo nec actus veræ virtutis, etiam comparatione vltimi finis naturalis. Probatur conſequentia; nam, cùm habitus ſit propter actus, & ab illis ſpecificetur, quæ neceſſaria ſunt, vt habitus ſit verè virtus, à fortiori requiruntur, vt actus ab eodem habitu elicitus ſit opus veræ virtutis; ſicut actus fidei ſine gratia, & charitate non eſt formatus, ſed informis; quia fidei habitus ſine gratia, & charitate informis eſt. Antecedens autem eſt ſancti Thomæ ſecunda ſecundæ, quæſtione 23. articulo ſeptimo, & probatur ratione, quam aſſignat in ſolutione ad ſecundum: quia finis ſe habet in agibilibus, ſicut principium in ſpeculabilibus; ſed non poteſt eſſe ſimpliciter vera ſcientia, ſi deſit recta æſtimatio de primo, & indemonſtrabili principio: ergo non poteſt eſſe ſimpliciter vera iuſtitia, aut vera ſaltem, ſi deſit ordinatio debita per charitatem in Deum, tanquam in vltimum finem ſuper omnia dilectum, quantumcumque aliquis ſe recte habeat circa alia.

VII. Secundò probatur. Virtus, vt docet Ariſtot. eſt quæ bonum facit habentem; ſed nullus habitus moralis abſque gratia facit bonum habentem: quia nullus

Digitized by Google

nullus eſt bonus, etiam comparatione vltimi finis naturalis, ſine gratia, & charitate: ergo ſine charitate nulla eſt vera virtus, etiam moralis: ergo nec actus veræ virtutis.

Tertiò probatur ratione ex ſancto Auguſt. contra Iulianum deſumpta: nam, ſicut de lege veriſſimè ait Apoſtolus: *Si per legem iuſtitia, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt.* ita veriſſimè dicitur, ſi per naturam, voluntatémque iuſtitia; ergo Chriſtus gratis mortuus eſt. Sed Chriſtus non gratis; & ſine cauſa mortuus eſt: ſed, vt dicit idem Apoſtolus, *Chriſtus mortuus eſt, vt iuſtitia viuamus*: non ergo poteſt per naturam, aut voluntatem, abſque auxilio gratiæ acquiri, vel haberi vera iuſtitia.

Galat. 2.

Confirmat hoc idem S. Doctor eodem loco; nam, per quod eſt vera iuſtitia, per hoc eſt etiam regnum Dei. Deus namque ipſe, quod abſit, eſſet iniuſtus, ſi ad eius regnum verus non admittitur iuſtus; cùm & ipſum eius regnum iuſtitia ſit, quemadmodum ſcriptum eſt: *Non eſt regnum Dei eſca & potus, ſed iuſtitia, & pax, & gaudium.* Portò ſi veram iuſtitiam non habent impij, profectò nec alias virtutes comites eius, & ſocias habebunt.

Rom. 14.

Quartò. Idem oſtenditur ratione eiuſdem Auguſt. Nam, vt actus moralis ſit veræ virtutis opus, requiritur, quòd fiat prudenter, fortiter, temperanter, & iuſtè: nam ad veram virtutem non ſatis eſt iuſtum facere, niſi fiat iuſtè, & cum aliis debitis circumſtantiis, ſecundùm illud: *Iuſtè, quod iuſtum eſt, perſequeris*: ſed in natura lapſa, non poteſt homo, abſque auxilio gratiæ, facere aliquod opus morale prudenter, fortiter, temperanter, & iuſtè: nam, vt fiat fortiter, oportet, quòd tali animi conſtantia fiat, vt nullis periculis, aut tentationibus, etiam timore mortis, ab illo bono dimoueatur, & in contrarium malum abducatur. Conſtat autem ex ſupradictis, abſque auxilio gratiæ non poſſe hominem lapſum ſuperare omnes tentationes, quas pro ſeruanda lege naturali, etiam reſpectu huius, vel illius materiæ particularis, neceſſe ſit vincere: ergo idè, quod prius.

Deut. 16.

Vide diſp. 54.

VIII.

Quinta ratio ex eodē Aug. cap. 3. citato ver. An forte & iſtis.

Quintò. Secundùm fidem Catholicam, poſt diem iudicij nullus dabitur ſtatus medius inter ſummam fœlicitatem, qua fruentur electi, & ſummam miſeriam, quam reprobi ſuſtinebunt. Sed omnes, qui cum Chriſto Domino æterna gloria non fruentur, pœnis æternis damni, aut etiam ſenſus, ſi adulti fuerint, erunt addicti, vt conſtat ex illo Matth. 25. *Et ibunt hi in ſupplicium æternum iuſti autem in vitam æternam*: ſed ſi ex ſolis viribus naturæ, abſque auxilio gratiæ, quis veram virtutem, aut veram iuſtitiam haberet: neceſſariò eſſet aſſignandus poſt diem iudicij medius ſtatus inter illos duos, in quo pro operibus illis bonis æternam remunerationem acciperet: ergo. Minor probatur: nam, qui ex ſolis viribus naturæ facit iuſtitiam, non perueniet ad regnum cœlorum: nam illi Deo non placuerunt, cùm non habuerint fidem, ſine qua, vt dicit Apoſtolus: *Impoſſibile eſt placere Deo*: qui autem non placent Deo, ad regnum cœlorum non perueniunt: nec etiam erunt ignibus æternis inuoluti, aliàs illi eſſent in damnatione ſempiterna, in quibus eſt vera iuſtitia; quod Dei æquitas non patitur: ergo ſignandus erit medius locus inter damnationem, & regnum cœlorum, vbi iſti non ſint in miſeria, ſed in beatitudine ſempiterna.

Hebr. 11.

Confirmantur hæc omnia ex illo Matth. 7. *Non poteſt arbor mala bonos fructus facere*, vbi creata voluntas arbori, opera autem eius bonæ fructibus arboris conferuntur. Si ergo arbor, quandiu eſt mala non poteſt bonos fructus facere, ſequitur, quòd voluntas mala, niſi per gratiam ſanetur, & mutetur in bonam, non poſſit bona efficere, quæ ſint verè bona ac virtutis opera. Hanc rationem aduerſùs Iulianum his verbis vrget Auguſtinus: *Noli præcipitare ſententiam, diligenter conſidera, quid te reſpondere conueniat. Ad dictis hominem infidelem arborem bonam? Placet ergo Deo, neque enim bono poteſt non placere quod bonū eſt. Et vbi erit, quod ſcriptum eſt, Sine fide impoſſibile eſt placere Deo? An reſpondebis, non inquantum infidelis eſt, ſed inquantum homo, arbor bona eſt? De quo ergo Dominus ait: Non poteſt arbor mala bonos fructus facere? quandoquidem quicunque erit, aut homo, aut Angelus erit. Sed ſi homo, inquantum homo eſt, arbor bona eſt: profectò & Angelus, inquantum Angelus, arbor bona eſt: hæc enim Dei ſunt opera, qui naturarum conditor eſt bonarum. Ac per hoc nulla erit arbor mala, de qua dictum eſt, quòd non poſſit facere fructus bonos. Quis infidelis ita infideliter ſapiat? Non itaque inquantum homo eſt, quod eſt opus Dei ſed inquantum mala voluntatis eſt, quiſque arbor mala eſt, & bonus fructus facere non poteſt. Vide itaque, vtrum infidelem voluntatem audeas bonam dicere voluntatem. Sed forè dicturus es: Miſericors voluntas bona eſt. Rectè iſtud diceretur, ſi, quemadmodum fides Chriſti, id eſt fides, quæ per dilectionem operatur, ſemper eſt bona; ita miſericordia ſemper eſſet bona.* Aug. c. 3 citato nō lōgè à fine. Hebr. 11.

Arbor mala non facit fructus bonos.

Sextò. Rectitudo animæ erga Deum, vt eſt finis naturæ, & quatenus eſt ſupernaturalis finis, ita ſunt de facto in homine ordinato ad vitam æternam coniunctæ, vt vna ſine alia dari non poſſit. Ergo impoſſibile eſt, animam eſſe rectificatam in ordine ad Deum, vt eſt vltimus finis naturalis, quin ſit recta in ordine ad Deum, vt eſt ſupernaturalis finis. Sed ſecundùm fidem Catholicam, nullus poteſt ſine auxilio gratiæ rectificari in ordine ad finem ſupernaturalem: ergo in natura lapſa nullus etiam poterit ſine auxilio gratiæ rectificari in ordine ad vltimum finem naturalem, ac per conſequens, neque elicere aliquod opus, quòd ſit verè bonum, ac veræ virtutis opus, etiam comparatione vltimi finis naturalis. Nam per veram virtutem rectus efficitur homo, ſaltem reſpectu eiuſdem finis, vt patet ex eius definitione, quam ex S. Auguſt. tradit S. Thom. *Virtus eſt bona qualitas mentis, qua rectè viuitur, qua nullus malè vtitur.*

IX.

S. Th. 1. 2. q. 56. a. 3. 4 Au. 1. retr. ca. 9. & Li. de li. arb. c. 18. & 19.

X.

AD primum argumentum reſpondetur, poſſe quidem hominem ex viribus naturæ dare paruam eleemoſynam, honorare parentes ex pietate naturali, non apponendo malam circumſtantiam, ita vt in indiuiduo in tali actu non peccet; ſed tamen, niſi per actum charitatis formaliter, aut virtualitet eiuſmodi actus in Deum, tanquam in vltimum finem referantur, non ſunt veræ virtutis reputandi.

Ad confirmationem reſpondetur, quòd in natura integra poterat homo ex ſolis viribus naturæ operari omne opus bonum fini naturali proportionatum; ſed in natura lapſa id non poteſt ſine auxilio gratiæ, nec habere actum etiam naturalem dilectionis Dei ſuper omnia, per quem in ipſum Deum, tanquam in vltimum finem opera moralia referantur. Poteſt tamen ex bono naturæ aliqua bona opera moralia, licèt imperfecta, & in quibus nulla eſt grauis difficultas, efficere; & hoc ſufficit, vt eius arbitrium non ſit per peccatum extinctum.

Lib. 4 con. Iulian. c. 3. poſt medium.

Ad ſecundum reſpondetur, idem argumentum obiectum fuiſſe olim ſancto Auguſtino, cui reſpondens idem S. Auguſt. ait: *Vide & illi, quos commemorare voluiſti, de quibus ait Apoſtolus Gentes, legem non habentes, ſibi ſunt lex, quia habent opus legis ſcriptum in cordibus ſuis; quid te adiuuent omnino non video. Per hos enim probare conatus es etiam alienos à fide Chriſti veram poſſe habere iuſtitiam, eò quòd iſti, teſte Apoſtolo, naturaliter, quæ legis ſunt faciunt. Vos quidē dogma veſtrū, quo eſtis inimici gratiæ Dei, quæ datur per Ieſum Chriſtū Dominum noſtrum, qui tollit peccatum mūdi, euidentiùs expreſſiſti, introducens hominum genus, quod placere Deo poſſit* Gētes, quæ legem non habent naturaliter, quæ legis ſunt facere, quomodo intelligendum.

Digitized by Google

poſſit ſine Chriſti fide, lege naturæ. Hoc eſt, vnde vos maximè Chriſtiana deteſtatur Eccleſia. Et poſt pauca reſpondet explicando verba Apoſtoli in duplici ſenſu, vt diſp. 47 n. 6. & 7. viſum eſt.

XI. Opera bona facta ab infidelibus ad quæ deſeruiant.

Et, ſi quis inquirat, ad quid illa bona opera imperfecta deſeruiebant Gentibus; reſpondetur, quòd ad vitandum nouum peccatum, & vt mitiori pœna in inferno punirentur. Vnde in eodem contextu S. Aug ſubdit: *Sed ad hoc eos in die iudicij cogitationes ſuæ defendent, vt tolerabilius puniãtur; quia naturaliter, quæ legis ſunt, vicißq; fecerũt, ſcriptũ habẽtes in cordibus opus legis hactenus, vt aliis non facerent, quod perpeti nollent; hoc tamen peccantes, quod homines ſine fide, non ad eum finem iſta opera retulerunt, ad quem referre debuerunt. Minus enim Fabricius quàm Catilina punietur; non quia iſte bonus, ſed quia ille magis malus: & minùs impius, quàm Catilina, Fabricius, non veras virtutes habendo, ſed à veris virtutibus non plurimùm deuiando.*

Ad tertium reſpondetur, illa bona opera, quæ Auguſtinus docet fieri poſſe à peccatoribus per facultatem naturæ, non eſſe actus veræ virtutis, ſicut núc loquimur de vera virtute, vt ipſemet Auguſtinus in aliis locis ſuperiùs inductis ſæpiſſimè docet. Et ſimiliter dicendum ad quartum argumentum.

Ad quintum reſpondetur, Ad actum veræ virtutis requiri, quòd per charitatem ordinetur in Deum, ſaltem vt eſt finis naturalis: quod quidem ab homine in natura lapſa abſque auxilio gratiæ fieri non poteſt, vt ex præmiſſis conſtat, & patebit ampliùs ex his, quæ circa actum charitatis dicentur diſputatione ſequenti.

DISPVTATIO LI.

Vtrùm in natura lapſa poſſit homo ex ſolis viribus naturæ cum concurſu Dei generali elicere actum abſolutum merè naturalem dilectionis Dei ſuper omnia, cum abſoluto propoſito illi in omnibus placendi.

I. QVIDAM reſpondent, quòd in ſtatu naturæ lapſæ nõ poſſit natura humana ita abſolutè, & efficaciter ſuas vires naturales exercere in hoc amore naturali Dei, ſicut poſſet in natura integra. Sed de hoc non eſt controuerſia. An verò abſolutè loquendo elicere poſſit homo in natura lapſa abſque auxilio gratiæ vnum, aut alterum actum dilectionis Dei ſuper omnia ſimpliciter, non determinant expreſsè, quamuis latenter id inſinuare, vel ſupponere videantur. Alij verò abſolutè dicunt, hominem poſſe in natura lapſa, abſque ſpeciali auxilio gratiæ, ex facultate ſuæ naturæ, elicere prædictum actum dilectionis Dei ſuper omnia, cum abſoluto propoſito de cætero non peccandi; quamuis multò faciliùs, & promptiùs potuerit illum producere in natura integra. Ad cuius explicationem diſtinguunt tres actus voluntatis, reſpectu dilectionis Dei ſuper omnia. Primus eſt, velleitas quædam, qua quis, ex dilectionis affectu, vellet ſeruare mandata omnia: ſimpliciter tamen, & abſolutè id non vult, atque adeò non habet actum abſolutũ dilectionis Dei ſuper omnia: etenim, qui ſic diligit Deũ, debet proponere omnia mandata eius ſeruare, ſecundùm illud: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit.* Secundus actus eſt actus dilectionis Dei ſuper omnia abſolutus, & efficax, quo ex eadem dilectione vult abſolutè omnia præcepta ſeruare: & id poſtmodùm opere complet. Tertium actum conſtituunt medium inter velleitatem, & dilectionem abſolutam, & efficacem, quem appellant dilectionem Dei abſolutam ſuper omnia, ſed inefficacem, quia videlicet, quamuis ex affectu, & dilectione Dei ſuper omnia ſtatuat homo, abſoluto propoſito, omnia mandata eius ſeruare, & placere illi in omnibus, & per omnia: tamen opere id non implet poſtea. Et hanc dilectionem Dei ſuper omnia inquiunt poſſe habere hominem in natura lapſa, ex ſolis viribus naturæ, abſque ſpeciali auxilio ex parte voluntatis præſertim ſi adſit fides ex parte intellectus: & idem dicunt de dilectione Dei ſupernaturali, de contritione, & quocunque alio actu virtutis infuſæ, quantùm ad ſubſtantiam actus. Affirmant enim, poſſe hominem talem actum elicere ex ſola facultate naturæ; & allegant pro hac ſententia M. Sotum in 4. diſtinctione 17. quæſtione 1. articulo quinto, & libro ſecundo de nat. & grat. capite 14. & 22. M. Cano in relect. de pœnit. Caietanum quæſtione 1. de contritio. S. Bonau. in 4. d. ſ. 17. a. 2. q. 3. & alios Doctores.

Dilectionis Dei tres actus diſtinguuntur.

Ioan. 14.

Probatur hæc ſententia ex S. Thom. in 4. diſt. 17. q. 2. ar. 1. quæſtiunc. 1. ad 6. vbi ait, quod *contritio eſt à ſolo Deo, quantum ad formam, qua informatur; ſed quantùm ad ſubſtantiam actus, eſt à libero arbitrio, & à Deo, qui operatur in omnibus operibus & naturæ, & voluntatis*; ergo ſecundum S. Thomam, cum ſolo cõcurſu generali poteſt liberum arbitrium elicere actũ contritionis, & abſolutam dilectionem Dei ſuper omnia, quantùm ad ſubſtantiam actus. Patet conſequentia: nam Deus per concurſum generalem operatur in omnibus operibus naturæ, & voluntatis. Item etiam 2. 2. q. 171. art. 2. ad 3. docet expreſsè, actũ aliquẽ eſſe ſupra naturã humanam dupliciter: *Vno modo, quantum ad ſubſtantiam actus, ſicut miracula facere, & cognoſcere occulta & incerta diuinæ Sapientiæ: & ad hos actus non datur homini donum gratiæ habitualis. Alio modo eſt aliquis actus ſupra naturam humanam, quantum ad modũ actus, non autẽ quantum ad ſubſtantiã ipſius, ſicut diligere Deum & cognoſcere eum in ſpeculo creaturarum, & ad hoc datur donum gratiæ habitualis*: ergo ſecũdũ S. Th. actus dilectionis Dei ſuper omnia, ad quem datur gratia habitualis, non excedit naturæ facultatem, quantum ad ſubſtantiam actus, ſed ſolùm quantùm ad modum, quatenus videlicet ille actus eſt ſupernaturalis, aut meritorius vitæ æternæ: ergo quantum ad ſubſtantiam poterit produci ex ſola facultate naturæ. Eandem doctrinam tradit quæſt. 24. de verit. artic. 14. in corp. vbi ſic ait: *Eſt autem duplex bonum: quoddam, quod eſt humanæ naturæ proportionatum; quoddam verò, quod excedit humanæ naturæ facultatem. & hæc duo bona, ſi de actibus loquamur, non differunt ſecundùm ſubſtantiam actus, ſed ſecundùm modum agendi.* Et idem docet in ſolutione ad 1. & 2. eiuſdem art. vbi ait, quòd *nullum præceptum eſt homini impoſſibile ad ſeruandum; quia in ſubſtantiam actus poteſt ex facultate liberi arbitrij, & in modum poteſt ex dono gratiæ.* Denique in ſententiis diſt. 17. qu. 1. art. 4. in corp. ait, quòd per dilectionem, quæ procedit ab habitu, non diſcernitur; vtrùm actus ſit ab habitu infuſo, vel acquiſito. Sentit ergo, quòd actus dilectionis Dei ſuper omnia, quantùm ad ſubſtantiam, poſſit produci ex ſolis viribus naturæ; alias per actum dilectionis ſupernaturalis, quem homo iuſtus in ſeipſo experitur, poſſet certò cognoſcere, ſe habere habitum charitatis ſupernaturalis, & conſequenter ſe eſſe in gratia: quod tamen eſt contra expreſſa loca Scripturæ, & Conciliorum, vt ex præmiſſis in diſp. 42. conſtat.

Actus dupliciter dicitur eſſe ſupernaturalis, ſcilicet quãtùm ad ſubſtantiã, & quãtum ad modũ.

Secundò, Homo poteſt cognoſcere per vires naturæ

turæ Deum esse summè bonum, & summè diligibilem, & peccatum esse summè detestabile, ex eo quoque quàm plurima mala animæ prouenire: ergo voluntas potest ex viribus naturæ diligere Deum super omnia, & detestari peccatum super omnia, & detestari peccatum super omne detestabile, quantùm ad substantiam actus. Patet consequentia: nam talis cognitio bonitatis diuinæ potens est ad excitandam, & præmouendam voluntatem, præsertim in homine fideli, vt cum solo concursu Dei generali eliciat actum dilectionis Dei super omne detestabile, quantùm ad substantiam actus: ergo potest ex se illum producere.

Confirmatur: quia non est difficile homini, etiam lapso, elicere actum dilectionis Dei super omnia, præsertim quando absunt difficultates, & tentationes grauissimæ, atque occasiones peccandi: quia tunc nullum est impedimentum obstans huiusmodi actui dilectionis: ergo. Antecedens probatur: nam tota difficultas actus dilectionis Dei super omnia est in implendo postea propositum absolutum placendi illi in omnibus, quod requiritur, vt dilectio illa sit efficax: ergo in dilectione Dei absoluta, sed inefficaci, nulla est difficultas grauis, quam homo, solis viribus naturæ superare non possit.

Tertiò, Homo potest absque auxilio speciali gratiæ accedere ad Sacramentum pœnitentiæ, cum proposito absoluto vitandi dè cætero omnia peccata mortalia, vno excepto homicidio, verbi gratia: nam huiusmodi propositum non procedit ex speciali auxilio gratiæ; quia Spiritus sanctus non mouet ad detestandum vnum peccatum mortale sine alio; cùm impium sit à Deo dimidiam sperare veniam, & vnum peccatum mortale sine alio remitti non possit, vt tertia parte, quæstione 86. articulo tertio docet sanctus Thomas: ergo poterit ex viribus naturæ accedere, cum proposito abstinendi ab omnibus lethalibus, & etiam ab illo vno peccato homicidij; & ita poterit habere propositum abstinendi ab omnibus. Patet consequentia: nam propositum abstinendi ab illo vno peccato homicidij, si conferatur cum proposito abstinendi ab omnibus aliis, parum, aut nihil habet difficultatis: ergo qua ratione potest homo ex viribus naturæ proponere abstinere ab omnibus aliis, vno excepto homicidio, poterit habere propositum abstinendi ab omnibus absolutè.

Quartò, Actus temperantiæ infusæ, & acquisitæ sunt eiusdem speciei, quantùm ad substantiam actus: etenim comestio temperata semper est eiusdem speciei, quantùm ad substantiam, siue eliciatur à temperantia infusa, siue ab acquisita: ergo similiter actus dilectionis Dei infusæ, & acquisitæ erunt eiusdem speciei, quantùm ad substantiam. Sed actus dilectionis acquisitæ, vel temperantiæ acquisitæ non excedit facultatem naturæ, quantum ad substantiam: ergo neque actus dilectionis infusæ, aut temperantiæ infusæ excedunt facultatem naturæ, quantùm ad substantiam: poterunt ergo ex viribus naturæ elici à libero arbitrio.

Quintò arguitur: quoniam sequeretur ex opposita sententia, quòd Angelus ex facultate suæ naturæ cognouerit per experientiam, se habere habitum charitatis supernaturalis, & gratiam. Consequens est impossibile: nam gratia non potest cognosci euidenter per solam facultatem naturæ: ergo. Sequela probatur. Angelus experiebatur in se actum dilectionis Dei super omnia, quem habuit in primo instanti suæ creationis: ergo, si substantia illius actus erat supernaturalis, per experientiam cognoscebat Angelus euidenter, illum actum procedere ex gratia, & charitate. Etenim, cùm euidenter Angelus cognouerit omnia naturalia, & non viderit inter entia naturalia substantiam illius actus; necessariò cognoscebat per experientiam, illum esse supernaturalem, quantùm ad substantiam; & consequenter cognoscebat, procedere ex habitu supernaturali.

Sextò: nam Concil. Arausi. II. cap. 6. & 25. & similiter Conc. Trident. sess. 6. can. 3. quando determinant, ad actum dilectionis fidei, & spei esse necessarium auxilium speciale præuenientis gratiæ, addunt illam particulam, *ad diligendum, credendum, & sperandum, sicut oportet*, vt ei iustificationis gratia conferatur. Sentiunt ergo, hominem posse absque speciali auxilio gratiæ diligere Deum super omnia, credere, & sperare: non tamen sicut oportet ad salutem, vel ad iustificationis gratiam, aut gloriam obtinendam, sed solùm quantùm ad substantiam actus. Confirmatur nam, argumẽto à contrario sensu videtur Concilium significasse, veram esse sententiam, quæ asserit, prædictos actus absque auxilio gratiæ elici posse, quantùm ad substantiam, & non sicut oportet ad salutem; aliàs frustra in sua definitione addidisset illam particulam, *sicut oportet ad salutem.* Confirm.

Secunda sententia est sancti Augustini locis inferiùs allegandis, & S. Thomæ p. 2. q. 109. artic. 4. & aliis pluribus in locis, quam sequuntur communiter Thomistæ. Ad cuius explicationem notandum primò, quòd, vt docet sanctus Thomas 1. 2. quæst. 100. art. 10. & ibi Caietanus, & omnes Thomistæ; quamuis modus charitatis non cadat sub præcepto aliarum virtutum, neque includatur necessariò in actibus earum, vt in præcepto virtutis temperantiæ, aut fortitudinis; cadit tamen sub præcepto ipsius virtutis charitatis, & includitur in illo. Vnde, si occurrat præceptum ieiunij, aut præceptum honorandi parentes; huiusmodi præceptum impletur per actum ieiunij factum in peccato mortali, & per actum pietatis erga parentes, etiamsi fiat in peccato mortali, quia modus non cadit sub præcepto. Si verò occurrat præceptum naturale, quo homo tenetur elicere actum interiorem dilectionis Dei super omnia; ex vi huius præcepti tenetur diligere Deum, etiam quantùm ad modum dilectionis, vt eum diligat ex toto corde, iuxta illud Matth. 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua.* Diligere autem ex toto corde, vt docet sanctus Thomas eodem art. 10 ad secundum, & 2. 2. quæst. 44. art. 4. & 5. est ita Deum diligere, vt se, & omnia referat in Deum, tanquam in finem vltimum, & nihil admittat in corde suo diuinæ dilectioni contrarium.

IIII.

Charitatis modus cadit sub præcepto charitatis non tamen aliarum virtutum. Matth. 22. Deut. 6.

Notandum secundò quòd dilectio Dei absoluta includit in virtute obseruantiam omnium mandatorum, saltem in præparatione animi. Ita docet Medina 1. 2. q. 109. art. 3. dub. 1. §. deinde aduertendum: & constat ex illo Ioann. 14. *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit.* & 1. Ioan. 6. *Hæc est dilectio vt eius mandata custodiamus*; vnde toto tempore, quo durat huiusmodi dilectio super omnia, aut virtus illius, habet coniunctam obseruantiam omnium præceptorum saltem naturalium, si dilectio est solum naturalis & etiam supernaturalium, si fuerit supernaturalis dilectio. Quia verò actus charitatis, & virtus illius pro isto statu potest interrumpi per contrarium actum; hinc est, quòd etiam si quis habeat verum actum absolutum, & efficacẽ dilectionis Dei super omnia, etiam supernaturalem, & absolutum propositum placendi illi in omnibus, & seruandi omnia mandata; contingit postea de facto, quòd illa non seruet, sed interrumpatur virtus præcedentis actus charitatis per peccatum mortale.

Dilectio Dei absoluta includit in virtute obseruantiam omnium mandatorum.

Notandum

V. Propoſitũ ſeruandi omnia mãdata, quomodo dicatur efficax.

Notandum tertiò, quòd, vt actus dilectionis Dei ſuper omnia, & propoſitum abſolutum ſeruandi omnia mandata cenſeatur efficax; non eſt neceſſarium quòd toto tempore vitæ ſuæ homo ſeruet omnia mandata, ſed ſufficit, quòd illa ſeruet toto tempore, quo durat ille actus dilectionis, aùt virtus illius. Hoc fundamentum eſt contra auctores ſententiæ allegatæ. Sed probatur; nam alias nulla dilectio, etiam ſupernaturalis, quantumuis intenſa, eſſet efficax, niſi illa dumtaxat, quę habet coniunctum donum perſeuerantiæ vſque in finem; quod tamen videtur abſurdum. Confirmatur: nam ſi quis ſemel dilexit Deum ſuper omnia, & virtute huius dilectionis ſeruauit omnia mandata per integrum menſem; nam dilectio fuit efficax toto illo menſe, quo duranit virtus illius: ergo, etiàmſi, elapſo menſe, frangat præceptum vnum, adhuc dilectio præcedens fuit efficax eo tempore, quo duranit virtus illius. Ex quo ſequitur, quòd omnis abſoluta dilectio Dei ſuper omnia, & omne propoſitum abſolutum ſeruandi omnia mandata ſit efficax ſaltem pro illo inſtanti, in quo elicitur: nam impoſſibile eſt, quòd homo in eodem inſtanti, in quo elicit huiuſmodi dilectionem, frangat aliquod præceptum obligans ad mortale: quia, vt inquit Apoſtolus, *Plenitudo legis eſt dilectio*: ergo ſemper habet coniunctam pro aliquo inſtanti, vel breui tempore, obſeruantiam omnium mandatorum, atque adeò pro tunc efficax erit. Denique ſupponenda eſt diſtinctio dilectionis naturalis, & ſupernaturalis. Naturalis dilectio Dei ſuper omnia eſt, quæ fertur in Deum, vt auctorem naturæ, tanquam in vltimum finem, illum omnibus præferendo. Supernaturalis autem dilectio eſt, qua diligimus Deum auctorem gratiæ, & tanquam vltimum finem ſupernaturalem: ait ergo

Rom. 13. Dilectio Dei alia naturalis, alia ſupernaturalis.

VI. PRima Concluſio. Homo in natura lapſa, exiſtens in mortali, poteſt abſque ſpeciali auxilio gratiæ habere actum conditionatum dilectionis Dei ſuper omnia, ſeu velleitatem quandam, quæ explicatur his verbis: Vellem ſuper omnia diligere Deum, & illi in omnibus placere. Concluſio eſt communis inter Theologos, quam probat M. Medina p 2 q. 109. art. 3. dub. 1. concl 3. Et ratio eſt nam iſte actus dilectionis non eſt perfectiſſimus actus naturæ lapſæ, nec vera dilectio Dei ſuper omnia, nec per illam auertitur homo à peccato mortali, nec conuertitur de facto in Deum, tanquam in finem vltimum: ergo poteſt viribus naturæ haberi.

Diligere Deũ ſuper omnia non poteſt homo in natura lapſa, abſque ſpeciali auxilio.

Reſpõſio.

Secunda Concluſio. Homo in natura lapſa, præſertim ſi exiſtat in peccato mortali, non poteſt abſque ſpeciali auxilio præuenientis gratiæ diligere Deum ſuper omnia, abſoluta dilectione naturali, neque habere abſolutum propoſitum placendi illi in omnibus. Concluſio eſt contra ſententiam ſuperiùs adductam; eſt tamen expreſſa S. Thom. art. 3. cit. & 1. 2. q. 100. art. 10. ad 3. vbi ait, quod præceptum charitatis non impletur ſine gratia; & loquitur etiam de præcepto charitatis, ad quod tenetur homo ex lege naturæ. Reſpondent quidam, ſenſum S. Thomæ eſſe, hominem in natura lapſa non poſſe diligere Deum ſuper omnia, dilectione efficaci, quæ duret toto tempore vitæ ſuæ, ita quòd in nullo deficiat; quod tamen poterat in natura integra. Hæc tamen ſolutio eſt contra mentem S. Thomæ: docet enim, quòd non poteſt homo in natura lapſa implere præceptum charitatis ſine gratia, ſed per actum abſolutum dilectionis Dei ſuper omnia impletur præceptum charitatis, etiamſi poſtmodum frangatur aliquod præceptum de facto; aliàs ſolùm implerent præceptum charitatis, qui habent donum perſeuerantiæ: ergo Eadem ſententia eſt expreſſa S. Auguſt.

Reſpõſio.

epiſt. 107. ad Vitalem, vbi inquit: *Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati grauitate perdidimus*, ideſt, amiſimus virtutem, ad diligendum Deum per ſolam facultatem naturę. Idem docet lib. de gratia, & lib. arbit. cap. 18 vbi inter alia verba, inquit: *Si non ex Deo ſed ex hominibus dilectio Dei, & proximi eſt, vicerunt Pelagiani; ſi autem ex Deo, victimus Pelagianos.* Eandem concluſionem contra Caſſianum ſtatuit S. Proſper li. contra Collat. ca. 30. & 31. & S. Gregorius 33. Moral. cap. 20. vbi ait: *Si noſtra dilectio Deum præuenit, vbi eſt quod Ioannes Apoſtolus dixit: Non quia nos dilexerimus Deum, ſed quia ipſe dilexit nos?* 1. Ioan. 4.

VII. Charitas eſt donum Dei.

Præterea probatur ex locis Scripturæ, quæ adducit Proſp locis citatis: nam in ſacris literis aſſeritur, charitatem, ſeu dilectionem Dei ſuper omnia eſſe donum Dei, ſicut ad Rom. 5. *charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* & 1. Io. 4. *Charitas ex Deo eſt.* Item etiã in Conc. Mileu. can. 4 definitur, quòd *vtrumque eſt donũ Dei & ſcire, quia facere debeamus, & diligere vt faciamus.* Et in Cõc. Araus. II. can. 25. dicitur: *Proſpus donum Dei eſt diligere Deum*: ergo. Si dicatur, Scripturam ſactam, & Concilia loqui de dilectione ſupernaturali, vt ſupernaturalis eſt, & de dilectione, quæ procedit ex habitu infuſo, contrà: nam Pelagius nunquam docuit, dilectionem, quam ipſe ſtatuit in natura, eſſe ſupernaturalem, aut procedere ex habitu infuſo, ſed abſolutè dixit, dilectionem Dei ſuper omnia, & propoſitum abſolutum nunquam peccandi haberi poſſe ſimpliciter ex viribus naturæ: implicat enim, dilectionem eſſe ſupernaturalem, & procedere ex ſolis viribus naturæ; alias ſimul eſſet, & non eſſet ſupernaturalis. Et tamen hanc eius aſſertionem impugnat S. Auguſtinus, & Proſper: ergo. Confirmatur: nam, ſi Pelagius aſſeruit, dilectionem Dei ſuper omnia haberi poſſe ex ſolis viribus naturæ; ergo loquebatur de dilectione mere naturali. Patet conſequentia: nam dilectio procedens ex ſolis viribus naturæ eſt mere naturalis: ergo Sancti, qui determinant contra Pelagium, hominem ex ſolis viribus naturæ non poſſe diligere Deum ſuper omnia, loquuntur etiam de dilectione naturali, qua abſolute diligitur Deus ſuper omnia. Reſpondent aliqui Theologi, Scripturam, & Concilia loqui de dilectione efficaci, non autem de dilectione abſoluta, quæ eſt ineffica. Sed contrà: nam, vt oſtendimus in ſecundo, & tertio fundamento, omnis actus abſolutus dilectionis Dei ſuper omnia eſt efficax, ſaltem pro illo inſtanti, & tempore, quo durat, cum eſſentialiter includat obſeruationem omnium mandatorum pro eodem inſtanti, vel tempore: ergo.

Pelagius de dilectione naturali loquebatur cum dixit, poſſe haberi ex viribus naturæ

VIII. Dilectionis Dei ſuper omnia abſolutus actus non compatitur ſecum peccatum mortale.

Secundò probatur. Actus abſolutus dilectionis Dei ſuper omnia non compatitur ſecum peccatum mortale: ergo, ſi homo poteſt ex ſolis viribus naturæ elicere actum dilectionis Dei ſuper omnia, poterit ex eiſdem viribus reſurgere à peccato mortali, quod tamen concedi non poteſt, vt oſtendit ſanct. Thom. parte 2. quæſtione 109. articulo 7. Antecedens probatur: nam impoſſibile eſt, quòd homo ſit auerſus a Deo, tanquam ab vltimo fine, & ſimul ſit conuerſus in Deum, tanquam in vltimum finem: alias ſimul eſſet auerſus à Deo, & conuerſus in Deum, quod implicat. Sed, qui eſt in peccato mortali, eſt auerſus à Deo, & conuerſus ad creaturam, tanquam in vltimum finem: qui autem diligit Deum ſuper omnia, conuertitur in illum, tanquam in vltimum finem: ergo impoſſibile eſt, quod actus dilectionis Dei ſuper omnia ſecum compatiatur peccatum mortale. Confirmatur hæc ratio: nam, vt docet S. Thom parte 2. quæſtione 1. artic. 5, impoſſibile eſt, quòd aliquis ſimul habeat duos vltimos fines:

Confirmatio.

sed, si homo manens in peccato mortali posset elicere actum absolutum dilectionis Dei super omnia, simul haberet duos vltimos fines: ergo impossibile est, vt manens in peccato mortali, eliciat talem actum dilectionis Dei super omnia. Minor probatur: nam, qui est in peccato mortali, habet pro fine vltimo creaturam; sed ille manet in peccato mortali, vt supponitur: ergo habet pro fine vltimo creaturam. Rursus, qui diligit Deum super omnia absoluta dilectione, diligit eum, tãquam vltimum finem: ergo, si existens in peccato mortali, potest ex viribus naturæ diligere Deum super omnia; poterit simul eum diligere, tanquam vltimum finem: ergo, si de facto diligat, habebit Deum pro vltimo fine, & similiter creaturam, quod tamen specialiter videtur cõtra illud Apost. *Quæ conuentio lucis ad tenebras*, &c. Hæc conclusio ampliùs patebit ex rationibus, quæ adducentur pro conclusione sequenti.

1. Cor. 6.

IX. Tertia Conclusio. Homo in natura lapsa non potest diligere Deum super omnia, vt est finis supernaturalis ex solis viribus naturæ, etiam si sermo sit de actu dilectionis, quantùm ad substantiam, & de homine fideli. Itaque quantumuis per intellectum proponatur voluntati Deus, vt est summum bonum supernaturale, & vt maximè diligibilis; voluntas non potest actu absoluto illum diligere super omnia etiam quantùm ad substantiam actus, neque habere absolutum propositum placẽdi illi in omnibus, absque speciali auxilio gratiæ. Hæc conclusio sequitur à fortioti ex conclusione præced. atque ex rationibus illius. Et probatur. Primò: nam homo lapsus in mortale, non potest absque speciali auxilio gratiæ habere imperfecta desideria, neque imperfectas inchoationes virtutum, aut semina, vt contra Cassianum ostendit Prosper lib. contra Collat. per totum, præsertim cap. 27. & 28. cuius errorem retulimus disputatione 2. ergo multò minùs poterit habere perfectissimum actum, qualis est dilectio Dei super omnia, vt est finis supernaturalis, præsertim cùm, iuxta oppositam sententiam, posito illo actu dilectionis merè naturali, Deus ex certa lege conferat auxilium gratiæ, vt actus sit qualis oportet ad salutem, vt demonstrabimus disputatione 56. & seqq.

X. Secundò probatur: nam sequitur ex opposita sententia, quòd homo possit pati martyrium pro dilectione Dei auctoris supernaturalis, absque auxilio gratiæ. Consequens non est dicendum: nam si posset pati martyrium absque Dei auxilio, posset consequi vltimam salutem absque auxilio gratiæ: dicitur enim Matth. 10. *Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam.* & Aug. ait: *Iniuriam facit martyri, qui orat pro ipso*: ergo. Sequela probatur: nam, si potest diligere Deum super omnia absolutè ex viribus naturæ: ergo potest eum diligere plus, quàm vitam propriam: ergo poterit exponere vitam pro dilectione Dei: ergo poterit ex viribus naturæ pati martyrium pro dilectione Dei. Respondent ad hoc argumentum, negando sequelam: nam ad rationem martyrij non satis est exponere vitam pro aliquo actu virtutis, sed necessariò requiritur, vt exponatur, ex dilectione Dei supernaturali, vt patet per Apost. 1. ad Cor. 13. *Si tradidero corpus meum ita vt ardeam; charitatem autem non habuero, nihil sum.* Sed contra hanc solutionem est argumentum: nam, vt fatentur auctores oppositæ sententiæ, lex est statuta à Deo, vt qui fecerit totum, quod in se est, diligendo Deum super omnia, &c. consequatur auxilium gratiæ, quo ille actus fiat supernaturalis, & qualis oportet ad salutem: ergo, qui ex facultate naturæ diligit Deum super omnia, & exponit vitam propriam ex facultate naturæ; consequitur auxilium gratiæ, vt actus ille sit, qualis oportet, ad verum martyrium: ergo ex viribus naturæ euadit martyr. Confirmatur hoc: nam saltem sequitur, initium martyrij, siue martyrium imperfectum esse ex viribus naturæ, & auxilium gratiæ solum esse necessarium, vt martyrium, & actus dilectionis sit perfectus; hoc autem admitti non potest, vt ex præmissis patet: ergo.

Respondent.

Ad martyrium quid requiratur.

Cõfutatio.

Tertiò probatur ex Concilio Trident. sess. 14. cap. 4. de sac. pœni. vbi sic dicitur: *Illam autem contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehenna, & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, declarat, non solùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verùm etiam donum Dei esse, & Spiritus sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm mouentis, quo pœnitens adiutus, viam sibi ad iustitiam parat*: ergo censet, voluntatem, & propositum absolutum nunquam deinceps peccandi esse donum Dei, & procedere ex motione Spiritus sancti; atque adeò haberi non posse ex solis naturæ viribus. Respondent, quòd Concilium non intendit determinare, nec determinat, attritionem illam esse donum Dei, & impulsum Spiritus sancti ex ea parte, qua includit absolutum propositum non peccandi, quantùm ad substantiam actus, sed ex ea parte, quæ est dispositio ad salutem, & efficitur supernaturalis, & vt in homine fideli, procedit ex spe veniæ, atque timore gehennæ. Sed hæc explicatio non videtur sufficiens, neque ad mẽtem Concilij. Primò, quia eadem difficultas procedit de spe veniæ, & de timore, atque aliis actibus supernaturalibus; quia (vt auctores, cùm quibus disputamus, asserunt) homo potest illos elicere ex viribus naturæ, quantùm ad substantiam actus. Secundò, quoniam Concilium absolutè determinat, attritionem, quæ habet omnes illas conditiones, esse donum Dei. Restringere autem Concilium ad attritionem supernaturalem, ita vt sensus sit, quòd attritio supernaturalis est donum Dei, & procedit ex motione Spiritus sancti, est nimis restringere illud decretum. Possent enim alia decreta Conciliorum eodem modo restringi; & ita non haberemus firmum decretum contra Pelagium: nam, vt suprà dicebamus, Pelagius nunquam asseruit, quòd dilectio supernaturalis, procedens ex habitu infuso, sit effectiuè ex solis viribus naturæ, cùm id manifestam inuoluat repugnantiam. Præterea: nam dicere, quòd attritio supernaturalis sit ex motione supernaturali Spiritus sancti, est dicere virtualiter, quòd attritio supernaturalis sit supernaturalis: ergo Concilium aliquid ampliùs definire intendit, ergo attritio illa est donum Dei.

XI. Attritio est donũ Dei.

Respõsio.

Cõfutatio.

Præterea: nam de actu fidei, & spei iam Concilium Tridentinum sessione 6. de Iustificatione, canone 3. definierat, ad huiusmodi actus necessarium auxilium gratiæ: ergo, cùm postmodum in sessione 14. docet, attritionem propter pœnas inferni, quæ voluntatem peccandi excludit, cũ spe veniæ, esse donum Dei, intelligit, quòd sit donum Dei, non solùm ratione fidei, vel spei veniæ, vel ratione timoris pœnarum inferni, qui actus solent præcedere ipsam attritionem; sed etiam ratione eiusdem attritionis, siue doloris peccatorum, cum proposito absoluto de cæteronon peccandi.

XII. Vltimò probatur nostra conclusio argumento, quo vtitur Prosper contra Cassianum: nam alias liberum arbitrium non fuisset læsum, neque vulneratum per peccatum, siquidem potest ex sola facultate naturæ sanæ elicere perfectissimum actum, qualis est naturalis dilectio Dei super omnia. Consequens autem est falsum, vt disputatione 45. ostensum est: ergo.

Ad

XIII. AD primum argumentum ex auctoritate S. Thomæ in 4. ſententiarum reſpondetur, quòd locus ille potiùs eſt pro nobis: nam forma contritionis eſt gratia, & charitas; ex cuius imperio naſcitur contritio; contritio namque eſt dolor pro peccatis aſſumptis propter Deum ſummè dilectum. Cùm ergo S. Thom. inquit, quòd *contritio eſt a ſolo Deo, quantum ad formam*, ſatis apertè docet, quòd charitas habitualis, ex imperio cuius procedit contritio, eſt ſolum ab ipſo Deo. Cùm autem S. Thom. ait, quòd contritio, quantùm ad ſubſtantiam, eſt a libero arbitrio, & a Deo; non intelligit, quòd ſit a Deo; per cõcurſum generalem: ſed per auxilium ſpeciale. Neque obſtant illa verba: *Qui operatur in omnibus operibus naturæ, & voluntatis*: non enim ait S. Thom. quòd ſit a Deo, vt operatur in omnibus operibus naturæ, &c. ſed inquit, *eſſe a Deo, qui operatur in omnibus operibus naturæ*, &c. quod veriſſimum eſt: nam idem eſt Deus, qui operatur in omnibus operibus ſupernaturalibus, & in operibus naturæ: ſed tamen in operibus naturæ formaliter operatur, vt auctor naturæ formaliter: in operibus autem ſupernaturalibus, vt auctor gratiæ. vnde, quamuis contritio ſecundùm ſubſtantiam actus ſit ex libero arbitrio, & a Deo per auxilium ſpeciale, adhuc ſaluatur, & verificatur, quòd ſubſtantia illius actus ſit ex libero arbitrio, & a Deo, qui operatur in operibus naturæ, & voluntatis. Addit autem S. Thom. hæc verba, vt explicaret vniuerſalem dependentiam, quam habet omnis actus voluntatis ab ipſo Deo, tanquam a primo operante. Hæc ſolutio, & explicatio S. Thomæ colligitur ex ipſo argumento, ad quod reſpondet, & eſt huiuſmodi. Contritio a Deo nobis datur; ſed quod datur, non aſſumitur: ergo contritio non eſt dolor aſſumptus: ad quod in ſumma reſpondet S. Thom. quòd, etiamſi detur a Deo modo prædicto, nihilominùs dolor ille eſt aſſumptus a nobis, quia voluntariè illum elicimus, ſuppoſita operatione diuina. Ex hoc tamẽ nõ colligitur, quòd illa operatio ſit per cõcurſum generalem: neque enim ad ſoluendum hoc argumentum erat neceſſarium aſſerere, quòd contritio, quãtùm ad ſubſtantiã actus, nõ procederet ex auxilio ſpeciali: aliàs actus charitatis ſupernaturalis, vt ſupernaturalis eſt, non eſſet liber, nec liberè aſſumptus: nam etiam in opinione contraria, vt ſupernaturalis eſt, procedit ex auxilio ſpeciali. Conſtat etiam hæc ſolutio: nam, vt probat Med. 1.2.q.62. artic. 2. ex Concil. Mileuit. Arauſ. & Africano, auxilium ſupernaturale eſt omnino neceſſarium ad quemcunque actum virtutis Theologicæ, non ſolùm quantùm ad modum operis, ſed etiam quantùm ad ſubſtantiam actus: & idem docet Caiet. 3. p. quæſt. 76. art. 7. poſt medium comm. vbi oſtendit, quòd actus elicitus virtutum Theologicarum, non ſolùm in genere moris, ſeu quantùm ad modùm; ſed etiam in eſſe naturæ, & quantùm ad ſubſtantiam, diſtinguatur ſpecie ab actibus virtutum naturalium circa eandem materiam: quod etiam apertè colligitur ex S. Thom. q. 62. citata: & à nobis diſputatione 65. id erit ex profeſſo comprobandum. Non ergo vnquam intellexit S. Thom. quòd actus charitatis, ſeu contritionis procedat, quantùm ad ſubſtantiam actus, ex ſola facultate naturæ cum ſolo concurſu Dei generali.

Contritio eſt dolor datus à Deo, & aſſumptus à pœnitente.

XIV. Ad alium locum ex 2.2. reſpondet Med. q. 62. cit. in ſolutione ad primum, quòd S. Thom. loquitur ibi de dilectione Dei in genere, vt abſtrahit à dilectione naturali, & ſupernaturali; & hæc non excedit facultatem naturæ, quantùm ad ſubſtantiam: & intelligit Medina de dilectione abſolute, ſiue de dilectione imperfecta; non tamen de dilectione Dei ſuper omnia ſimpliciter. Hæc explicatio, quamuis verum concineat, non tamen videtur eſſe ad mentem S. Thom. in illo loco: etenim in illa ſolutione ad tertium expreſſe loquitur de actu charitatis, ad quem datur donum gratiæ habitualis: ſed ad dilectionem Dei in genere, vt abſtrahit à naturali, & ſupernaturali, non datur donum gratiæ habitualis: ergo non loquitur de illa ſanctus Thomas.

Meliùs ergo reſpondetur, quòd S. Thom. ibi loquatur de actu charitatis ſupernaturalis, non quidem de actu elicito immediatè ab ipſa charitate ſupernaturali: nam talis actus vt diſput. 65. citata manifeſtum fiet, etiam quantùm ad ſubſtantiam, excedit vires naturæ, ſicut actus viſionis beatificæ; ſed de actu charitatis imperato, qualis eſt actus fortitudinis, & aliarum virtutum, qui, vt refertur à charitate in finem ſupernaturalem, dicitur actus ſupernaturalis charitatis, imperatus tamen. Loquitur etiam de actu exteriori; huiuſmodi enim actus non excedunt facultatem naturæ, quantùm ad ſubſtantiam actus, ſed ſolùm quantùm ad modum, ſecũdùm videlicet quòd ex charitate fiunt. Et per hæc reſpondetur ad locum adductum ex quæſt. 24. de verit. ibi enim ſeipſum explicat, ſicut explicatur à nobis. Etenim poſt verba adducta ſubdit: *Putà iſte actus, qui eſt dare eleemoſynam, eſt bonum proportionatum viribus humanis, ſecundum quod ex quadam naturali dilectione, vel benignitate homo ad hoc mouetur: excedit autem humanæ naturæ facultatem, ſecundùm quòd ad hoc homo inducitur ex charitate, quæ mentem hominis Deo vnit.*

Charitatis actus imperatus poteſt ſecundùm ſubſtantiam produci ex ſolis viribus naturæ

Ad alium locum ex primo ſententiarum reſpondetur eodem modo, vel dicendum eſt, ex illa auctoritate ſolùm colligi, hominem habere poſſe abſque habitu infuſo, vel abſque auxilio gratiæ, aliquam dilectionem Dei imperfectam, quæ eſt velleitas, aut etiam dilectionem quandam naturalem, qua diligitur Deus, non quidem ſuper omnia ſimpliciter, nec ſecũdùm ſe, ſed dumtaxat quatenus eſt bonum commune, à quo omnia dependent in ſuo eſſe. Hanc enim dilectionem imperfectam idem S. Thom. 1. p. quæſtione 60. art 5. ad 5. fatetur eſſe in dæmonibus, quibus conſtat nullum conferri a Deo auxilium ſpeciale. Et 1.2.q.109.art.3. in corp. eandem doctrinam confirmat, oſtendens, vnamquamque creaturam naturali dilectione plus diligere Deum, vt eſt bonum vniuerſale, à quo omne bonum particulare dependet, quàm ſeipſam.

XV. Ad ſecundum argumentum negatur conſequentia: nam, vt docet S. Thom. 1. p quæſt. 109. ar. 2. ad 3. magis eſt natura humana corrupta per peccatum, quantùm ad appetitum boni, quàm quantùm ad cognitionem veri. Cuius rei ratio eſt: nam peccatum conſummatur in conſenſu voluntatis. Et ad probationem negatur antecedens, ſi ſermo ſit de motione phyſica, quæ vires tribuit voluntati humanæ, vt actum dilectionis Dei ſuper omnia eliciat: nam talis cognitio, cùm ſit extrinſeca voluntati, & ſolùm repræſentet illi obiectum, & conuenientiam ipſius, non tribuit voluntati infirmæ vires, vt poſſit elicere actum adeò perfectum, qui eſt proprius naturæ ſanæ.

Volũtas eſt magis vulnerata per peccatum, quàm intellectus

Ad confirmationem negatur antecedens: dicimus enim, difficultatem illius actus non ſolum conſiſtere in hoc, vt poſtmodum homo impleat, quod propoſuit, & ſeruet de facto omnia mandata toto tempore vitæ ſuæ, ſed etiam quia eſt difficile, imò & impoſſibile naturæ infirmæ elicere actum adeò perfectum, qualis eſt dilectio Dei ſuper omnia ſimpliciter, niſi adiuuetur, & ſanetur per gratiam: nam, vt dictum eſt, huiuſmodi actus toto tempore, quo durat virtus illius, habet coniunctam obſeruantiam omnium mandatorum.

Ad tertium argumẽtum negatur conſequẽtia: nam propo

propoſitum abſtinendi ab omnibus aliis peccatis, præterquam ab vno homicidio, eſt ſimpliciter malum propoſitum, qua parte includit propoſitum nõ abſtinendi ab vno, quia malum conſurgit ex quocunque defectu, atque adeò illud propoſitum poteſt eſſe ex nobis. Cæterum propoſitum abſtinendi ab omnibus ſimpliciter, eſt propoſitum bonum, & perfectum: vnde ex hoc, quòd poſſit homo, abſque auxilio gratiæ habere primum propoſitum, male infertur, quòd poſſit habere etiam ſecundum.

Ad quartum argumentum reſpondetur, quòd actus exteriores temperantiæ infuſæ, & acquiſitæ ſunt eiuſdem ſpeciei, quantum ad ſubſtantiam actus, non autem actus interior elicitus, vt ſuprà dictum eſt. Ratio autem huius aſſignatur ab eodem S. Thom. 1. 2. q. 62. citata nam actus interior temperantiæ, aut charitatis infuſæ, & acquiſitæ habent formaliter diuerſa obiecta: ergo formaliter differunt ſpecie: actus enim ſpecificantur ex obiectis. B

Ad quintum argumentum negatur ſequela: nam, vt docet S. Thom. p. 2. quæſtione 62. ar. 1. in fin. corp. habitus virtutum Theologicalium ſolùm diuina reuelatione cognoſcuntur certò, & infallibiliter. Imò M. Bañes locis infrà diſp. 118. & 119. allegandis, addit, quòd non poſſunt euidenter cognoſci ſecundùm ſuam vltimam differentiam, per ſpeciem aliquam creatam; ſed ſolùm per viſionem beatificam, quæ elicitur per ſpeciem increatam. Et ad impugnationem reſpõdetur, quòd propter ſimilitudinem, quam habent actus charitatis infuſæ, & acquiſitæ, non poteſt quis, ſecluſa diuina reuelatione, cognoſcere infallibiliter actum charitatis, quem habet in via, eſſe ſupernaturalem; nec diſcernere certò, vtrùm procedat effectiuè ab habitu infuſo, vel acquiſito, aut à nuda potentia. Solutio eſt S. Thomæ in 1. ſent. d. 17. q. 1. art. 4. & M. Sori lib. 1. de natura & grat. c. 22. corol. 3. quam latiùs proſequitur Caiet. 2. 2. q. 6. art. 1. & ibi M. Bañes, & ar. 2. dub. 2. & q. 5. art. 1. ad 1. contra primam concluſionem S. Thomæ, & ad 3. pro ſententia Caietani, & 1. p. q. 32. ar. 1. dub. 2. ad 1. & 3. Ratio autem, quare experientia actuum, quantumuis ſint ſupernaturales, non inferat infallibiliter experientiam habituum ſupernaturalium, à quibus procedunt, ſed tantùm probabiliter; eſt, quia ratio formalis, ſub qua eliciuntur actus ſupernaturales, non poteſt infallibiliter per experientiam cognoſci, ſed ſolùm per reuelationem diuinam. Hanc rationem aſſignat M. Bañes, vbi ſuprà. Et cùm arguitur: nam Angelus cognoſcebat euidenter, ſubſtãtiam illius actus non eſſe naturalem: ergo cognoſcebat euidenter, eſſe ſupernaturalem; reſpondetur, negando antecedens; quia, licèt Angelus, ſecluſo ſpeciali miraculo, reflectus ſuæ naturæ, cognoſcat omnia naturalia, hinc ſint ſubſtantia, hinc accidentia; Deus tamen ſua potentia abſoluta poteſt occultare illi aliquam rem naturalem & hinc euidenter cognoſcit Angelus per ſuam naturam, quia cognoſcit, Deum eſſe omnipotentem, & infinitum. Et quoniam Angelus non cognoſcebat euidenter, nec poterat cognoſcere ex facultate ſuæ naturæ: Vtrùm Deus vteretur, vel non vteretur hac ſua potentia abſoluta, hinc eſt, quòd non habuerit euidentiam, ſubſtantiam illius actus non eſſe naturalem. Similis ſolutio ſolet adhiberi à pleriſque Thomiſtis circa illam quæſtionem: Vtrùm Angelus ex facultate naturæ poſſit cognoſcere infallibiliter, humanitatem Chriſti poſſe ſubſiſtere per ſubſiſtentiam increatam: de qua videatur Medina in introductione ad 3. p. q. 2. in reſponſ. ad 6. ex obiectis 2. loco. Eadem ſolutio adhibetur argumento, quod ſit 3. p. quæſt. 66. ar. 7. circa quæſtionem: Vtrùm Angelus cognoſcat viribus naturæ conuerſionem ſacramentalem panis in corpus Chriſti; de quo videatur Sotus in 4. d. 17. quæ. 1. art. 2. & quæ nos in diſput. 118. & 119. vbi de eadem difficultate huius argumenti erit agendum, adnotabimus. C D E

XVI. Habitus ſupernaturales, ſolùm per viſionẽ beatificam cognoſcũtur quidditatiuè.

Angelus per naturã non cognoſcit euidẽter actus ſupernaturales.

Ad ſextum argumentum reſpondetur primò, quòd Concil. Mileuitanum, & Araus. locis cit. pro concluſione ſecunda abſolutè determinant, eſſe donum Dei diligere Deum: & intelligunt de abſoluta dilectione Dei ſuper omnia: & idem dicunt abſolutè SS. Patres, præſertim Auguſtinus, nec additur ibi illa particula, *ſicut oportet*. Reſpondetur ſecundò, quòd, qui diligit Deum ſuper omnia abſolutè, & illum præfert omnibus nullo excepto, diligit eum, ſicut oportet, quemadmodum dicebamus diſput. 50. ad ſeptimum argumentum, quòd, qui aſſentitur myſteriis ſupernaturalibus certò, & infallibiliter, tanquam reuelatis à Deo, aſſentitur, ſicut oportet ad ſalutem. Concilium autem Trid. & Araus. locis cit. in argumento addiderunt illam particulam *ſicut oportet*, ad excludendam dilectionem Dei imperfectam, quæ non eſt ſuper omnia ſimpliciter, nec fertur in Deum abſolutè, ſed ſolùm diligit illum, quatenus eſt bonum commune, & vniuerſale, à quo omne bonum particulare dependet intrinſecè. Hanc enim dilectionem, vt ſuprà diximus ex S. Thoma, habent naturaliter dæmones, imò & quælibet res naturalis magis inclinatur ad conſeruationem totius, quàm ad conſeruationem propriam. Et per hæc patet ad confirmationem. XVII.

Diligere, vel credere ſicut oportet quid ſit.

Ad auctores autem adductos pro prima ſententia dicimus, eos nullo modo illi fauere, ſed præſertim M. Sotus lib. 1. de natura, & gratia. cap illo 22. concl. 3. & §. At dilectione Dei, ex profeſſo impugnat primam ſententiam, & affirmat quòd homo lapſus non poſſit ex viribus naturæ habere dilectionem Dei ſuper omnia etiam naturalem, nec propoſitum abſolutum placendi illi in omnibus, etiamſi ſemno ſit de dilectione, & propoſito, quod poſtmodum in exequutione non impletur: & aſſerit, hanc eſſe ſententiam Auguſtini, & adducit plura loca illius, & in §. Igitur ad propoſitam quæſtionem, docet, quòd homo in natura lapſa non poſſit abſque auxilio ſpecialis gratiæ, implere præceptum naturale interioris dilectionis Dei ſuper omnia. Caiet. etiam p. 2. quæſt. 109. art. 3. §. Ad euidentiam, apertiſſimè docet, quòd homo lapſus non poſſit ex ſolis naturalibus diligere Deum ſuper omnia ſimpliciter: & attic. 4. docet ab homine non poſſe abſque ſpeciali gratię auxilio impleri præceptum dilectionis Dei, & ſpei, etiã quantum ad ſubſtantiam actus. Quòd ſi forſitan Caietanus, aut alius Doctor allegatus pro prima ſententia, aliquod verbum ſubobſcurum dixerit alicubi, quod videatur illi fauere, in aliis locis ſe explicuit in bono ſenſu.

Vnum tamen argumentum in calce huius diſputationis reſtat diſſoluendum, quo noſtram quidam Theologi ſententiam impugnant, & deſumitur ex quadam bulla Pij V. a Gregorio XIII. confirmata anno 1579. 4. Kal. Februarij, Pontificatus illius anno VIII. contra Michaelem Baium Doctorem, vt fertur, Louanienſem. Vbi inter propoſitiones huius auctoris damnatas refertur 34. nempe: *Diſtinctio illa duplicis amoris naturalis, quo Deus amatur, vt auctor naturæ, & gratuiti, quo Deus amatur, vt beatificator, vana eſt, & commentitia, & ad illudendum ſacris literis, & pluribus veterum teſtimoniis excogitata*: ergo iuxta decretum Sedis Apoſtolicæ, aſſerendum eſt dari charitatem naturalem, quæ ex viribus propriis liberi arbitrij, abſque auxilio gratiæ diligitur Deus ſuper omnia, vt auctor naturæ, aliàs illa diſtinctio duplicis amoris vana eſſet, & commentitia.

Pro ſolutione huius argumenti, & aliorũ, quæ ex eadem

Digitized by Google

eadem bulla possunt desumi, aduertere oportet, propositiones Michaelis Baij in eadem bulla contentas, damnatas fuisse in sensu ab assertore intento, vt patet ex tenore bullæ, vbi post septuagintanouem propositiones relatas, sic dicitur: *Quas quidem sententias, stricto coram nobis examine ponderatas, quamquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent: in rigore, & proprio verborum sensu ab assertore intento hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & in pias aures offensionem immittentes respectiuè, ac quacunque super his, verbo, scriptóque emissa, præsentium auctoritate, damnamus, circumscribimus, & abolemus, déque eisdem, & similibus posthac quoquo pacto loquendi, scribendi, & disputandi facultatem interdicimus.* Hoc supposito respondetur, distinctionem illam duplicis amoris esse quidem admittendam: ex illa non bene infertur, quòd absque auxilio gratiæ possit homo in natura lapsa diligere Deum super omnia simpliciter, inquàtum est auctor naturæ, neque ad docet vllo modo summus Pontifex. Nec item est necessarium, quòd amor Dei, siue actus charitatis naturalis ex obiecto amato, sit etiam naturalis ex principio eliciente eúdem actum. Etenim ad multos actus, qui ex obiecto non excedunt facultatem liberi arbitrij, datur à Deo speciale auxilium gratiæ, vel propter infirmitatem naturæ rationalis, quæ non potest per seipsã exire in actus perfectos, etiam sibi proportionatos, nisi adiuuetur auxilio medicinæ: vel etiam vt actus, qui aliàs poterat, quantùm ad substantiam, ex solis viribus naturæ produci, ingrediatur ordinem supernaturalem, tanquam dispositio ad gratiam, vel tanquam meritum gloriæ, vt patet in multis actibus virtutum moralium, qui eliciuntur à peccatore ex impulsu speciali Spiritus sancti, nondum quidem inhabitantis, sed mouentis, & similiter quando eliciuntur ab homine iusto, & ordinantur per charitatem in finẽ supernaturalem, in quo tales actus sunt meritorij gloriæ. Et tamen certum est, eiusmodi actus non esse supernaturales ex obiecto proximo, à quo specificantur, sed ex principio eliciente, & fine vltimo, ad quem ordinantur. Secundò respondetur, quòd ad saluandam, etiam in praxi, illam distinctionem duplicis amoris, sufficit, quòd in statu innocentiæ potuerunt primi parentes ex solis viribus naturæ diligere Deum super omnia, inquantùm est auctor naturæ. Accedit etiam, quòd voluntas creata magis inclinatur naturaliter ad amandum Deum, inquantùm est bonum vniuersale, a quo omnia alia bona particularia in suo esse dependent, quàm inclinetur ad amandum seipsam. Sed tamen hac ratione etiam dæmones magis diligunt Deum, quàm seipsos, vt docet S. Thomas locis numero 14. huius disputationis inductis.

Possumus nos ex eadem bulla nostram confirmare sententiam: nam inter propositiones prædicti Michaëlis Baij damnatur ista propositio, quæ est 33. *Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper coniuncta cum remissione peccatorum.* Ex quo desumitur argumentum. Actus charitatis, quo diligitur Deus super omnia simpliciter, inquantùm est auctor naturæ, includit in virtute obseruantiam omnium mandatorum, saltem quantùm ad substantiam pro illo instanti, aut tempore, quo elicitur ille actus charitatis, aut quo durat virtus illius, cùm trãsgressio vnius vel alterius præcepti sit incompossibilis cum actu illo charitatis: ergo talis dilectio est semper coniuncta cum remissione peccatorum, ac per consequens non potest procedere ex solis viribus naturæ. Ergo necesse est, vt procedat ex auxilio diuinæ gratiæ: alias enim homo ex solis viribus naturæ per illum actum charitatis se disponeret ad consequendam, & re ipsa consequeretur remissionem omnium peccatorum: quod tamen non potest admitti.

Rom. 13.

DVbium paruum est appendix quæstionis præcedentis: Vtrùm homo, si conditus esset in puris naturalibus, posset ex viribus naturæ elicere vnũ, aut alterum actum naturalem dilectionis Dei super omnia simpliciter. M. Medina opinatur, hominem in puris naturalibus non posse diligere Deum super omnia, ex sola facultate naturæ, sicut neque in statu naturæ corruptæ; quod probat. Primò: nam homo in puris naturalibus differt ab homine in natura lapsa, sicut homo nudus ab homine nudato: ergo non habet maiores vires naturales homo in puris naturalibus, quàm in natura lapsa: sed homo in natura lapsa non potest, absque speciali auxilio gratiæ, diligere Deum super omnia, vt ostensum est supra: ergo neque in puris naturalibus. Secundò: nam aliàs homo in puris naturalibus posset ex sola facultate naturæ implere omnia legis præcepta, & perseuerare in bono vsque ad finem vitæ, & in nullo deficere; quod tamen nullus concedit. Sequela probatur: nam dilectio Dei super omnia includit in virtute obseruantiam omnium mandatorum, vt supra dictum est: ergo si ex facultate naturæ posset homo in puris naturalibus diligere Deum super omnia, posset etiam seruare omnia mandata.

Med. 1.2. q. 109. art. 3. dub. 1. cõc. 2. & introductione ad tractat. de gratia. §. Dubitatur ergo

Primum argumentum.

Secundum argumentum.

VEra nihilominùs mihi apparet aliorum Thomistarum sententia asserentium, hominem in puris naturalibus posse ex facultate naturæ, pro aliquo breui tempore producere actum dilectionis Dei super omnia. Ratio potissima huius est nam in illo statu homo haberet præceptum naturale diligendi Deum super omnia, vt est auctor naturæ: nam hoc præceptum concomitatur ipsam naturam: ergo posset adimplere illud præceptum. Patet consequentia: nam præcepta non dantur de impossibilibus, vt docet Hieronymus in expositione Catholicæ fidei ad Damasum: sed in illo statu non haberet homo aliquod auxilium gratiæ, per quod posset implere illud præceptum; si enim haberet homo auxilium gratiæ, iam nõ esset in puris naturalibus: quia huiusmodi status excludit gratiam, & peccatum, & solum includit ea, quæ competunt homini ex sua natura: ergo ex facultate naturæ posset, vnico, aut altero actu, illud implere.

Homo in puris naturalibus posset elicere vnum, aut alterum actum dilectionis Dei super omnia.

AD primum respondetur, hominem in puris naturalibus differre ab homine in natura lapsa, sicut homo nudus ab homine nudato, quantùm ad destitutionem gratiæ, & iustitiæ originalis; quia videlicet in neutro statu haberet gratiam, neque iustitiam originalem; sicut ita caret veste homo nudatus, vt homo nudus. Sed tamen ex alia parte, vt disputatione 45. ostendimus, est differẽtia in hoc, quòd status hominis in puris naturalibus nullam includit culpam, per quam sit auersus ab vltimo fine, & vulneratus in suis naturalibus; status autem naturæ lapsæ includit culpam, saltem originalem, per quam est auersus ab vltimo fine supernaturali, & vulneratus in naturalibus, sicut explicat S. Thom. p. 2. quæstione 85. præsertim articulo 3. vbi ex Beda quatuor vulnera enumerat, quæ incurrit homo per peccatum; de quibus disputat. 46. dictum est. Vnde homo lapsus non potest ex viribus naturæ diligere Deum super omnia dilectione naturali; aliàs simul esset auersus à Deo, vt est finis supernaturalis, & conuersus in illum, vt est auctor naturæ; quod implicat. Hæc autem ratio non procedit de homine in puris naturalibus, quia in illo statu non esset auersus à fine supernaturali, neque vulneratus per peccatum, vnde non est simile.

XX. Hominis in natura lapsa, & in puris naturalibus differentia.

Ad secundum argumentum respondetur, quòd in puris naturalibus posset homo

XXI. Ad 2 arg.

Digitized by Google

homo breui tempore diligere Deum super omnia; vnde posset seruare omnia mandata, quæ moraliter illi occurrerent pro eodem tempore, non tamen posset per totam vitam, aut longo tempore seruare omnia præcepta collectiuè: nam propter pugnam appetitus sensitiui contra rationem, quæ esset in illo statu, tandem homo deficeret. Dicit enim Augustinus: *Si in tanta infirmitate vitæ huius, in qua tamen infirmitate, propter elationem reprimendam, perfici virtutem oportebat; ipsis relinqueretur voluntas sua, vt in adiutorio Dei, sine quo perseuerare non possent, manerent, si vellent, nec Deus in eis operaretur, vt vellent, inter tot & tantas tentationes, infirmitate sua voluntas ipsa succumberet, & ideo perseuerare non possent, quia deficientes infirmitate, nec vellent, aut non ita vellent, infirmitate voluntatis, vt possent.*

Homò in puris naturalibus eâdem peccaret. Aug. lib. de corrept. & gratia. 12.

A

B

DISPVTATIO LII.

Vtrùm liberum arbitrium cum solo concursu generali attritionem, vel contritionem, quoad solam actus substantiam, elicere valeat.

I. CIRCA istam difficultatem aliqua disputatione præcedenti breuiter attigimus, quæ ad maiorem elucidationem propositæ quæstionis de actu dilectionis Dei pertinere videbantur. Nunc autem pressius est examinanda, vt imbecillitas humani arbitrij post lapsum euidentiùs appareat, & ad Dei auxilium, vt de peccatis doleat propter Deum summè dilectum, fidentiùs confugiat. Est ergo prima sententia asserentium liberum nostrum arbitrium, cum solo concursu generali Dei elicere posse non solùm actum attritionis naturalem, ideſt, dolorem de peccatis ex Dei timore cum proposito ampliùs non peccandi lethaliter, sed etiam actum contritionis naturalem, qui idem propositum non peccandi ampliùs lethaliter includat. Et pro ea referunt plures auctores, & inter eos S. Thom. in 4. sententiarum, distinct. 17. quæst. 2. art. 1. quæstione 1. ad sextum, & aliis in locis disput. præcedenti, numero 1. alleg. Probant hanc sententiam. Primò: quia, præexistente maximè lumine fidei, quo agnoscimus Deum conditorem nostrum, innumeráque & maxima beneficia tum naturæ, tum gratiæ, quæ in nos contulit vsque ad proprij sanguinis in Cruce effusionem; quo insuper cognoscimus, iustis sempiternam fœlicitatem, impiis verò ignem sempiternum, extremamque miseriam esse propositam, lethale autem peccatum tam extremum esse malum, adeóque Diuinam Maiestatẽ offendere, vt vel vnum sit satis, vt qui illud commiserit, nisi de eo doleat, statuatque nihil tale deinceps committere; supremam amittat fœlicitatem, in extremámque incidat miseriam: proculdubio, tam potens est hæc cogitatio ad excitandam, & permouendam voluntatem, vt liberum arbitrium eius, qui hæc sibi persuaserit, atque proprio acumine, aut alterius suggestione, & hortatu, rem attentè considerauerit, cum solo concursu generali Dei elicere valeat, intuitu quidem extremorum malorum, in quæ aliàs incideret, dolorem, seu detestationem suorum scelerum, cum proposito cauendi in posterum omnia peccata lethalia; in quo consistit attritio, quoad substantiam actus: intuitu verò bonitatis, ac beneficiorum Dei, similem detestationem, ac propositum, in quibus posita est ratio contritionis, quoad substantiam actus, insufficientis ad salutem, eò quòd peculiari impulsu Spiritus sancti excitata non sit, nec affecta.

Prima sententia.

Primum argumentum.

C

D

Confirmatur quoniam in absentia saltem obiectorum, atque occasionum peccandi non est multum difficile, quin, tanquam facile sese offert elicere, quoad solam actus substantiam, detestationem peccati super omne detestabile, & absolutum propositum, non peccandi deinceps lethaliter, quale ad contritionem, & attritionem sufficit. Quiuis namque in seipso experietur, si fidei lumine ante mentis oculos proponat, sibique persuadeat, excludendum se esse a sempiterna beatitudine, innumerisque aliis malis circunuentum iri, & vndique sempiterno igne esse cruciandum, nisi de peccatis præteritis doleat, atque statuat non peccare deinceps lethaliter, in facultate sui arbitrij, cum solo concursu Dei generali, posse elicere in genere absolutum propositum non peccandi vlterius lethaliter, vt tantum malum effugiat. Est namque cuique naturale, propositis duabus molestiis subeundis, saltem in vtriusque absentia, elicere potiùs minorem, eámque statuere potiùs subire, vt maiorem euitet. Ergo, saltem qui lumine fidei fuerit illuminatus, cum solo concursu Dei generali, poterit, quoad solam substantiam actus elicere actum contritionis, vel attritionis cum absoluto proposito de cætero non peccandi.

Secundò id probant: nam contritio, vel attritio, quoad solam substantiam actus, propositúmque absolutum de cætero non peccandi lethaliter est extra totam latitudinem ordinis gratiæ, nihil proinde cõducens ad finem supernaturalem, estque vnicus actus in se merè naturalis, propriusque libero arbitrio. Quare lumen ipsum naturale intellectus, moralisque ac naturalis philosophia docet, denegari non debere viribus naturalibus humani arbitrij, Deo cooperante solum tanquam causa vniuersali, per generalem solum concursum, eo pacto, quo cum reliquis causis secundis cooperatur. Ac sane ei, qui id negat, probare incumbit contrarium, quod non prius erit admittendum, quàm legitimis fuerit rationibus comprobatum.

Confirmatur: quia non apparet, quod emolumentum ex eo sequatur, quòd naturales vires humani arbitrij vsque adeò extenuentur, vt prædictus actus contritionis, & attritionis, quoad solam actus substantiam, & similes actus naturales, ac simplices ab eo fieri posse negentur, absque speciali auxilio gratiæ.

Tertiò: quoniam non minùs difficile est assentiri mysterio Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiæ, & cæteris reuelatis quæ lumen naturale transcendunt, quàm in absentia obiectorum, & occasionũ omnium dolere de peccatis commissis, propter Deum, vel ad euitandas pœnas inferni, & statuere continere se ab omni lethali peccato. Sed illud primum potest homo, quoad actus substantiam, absque speciali auxilio, non quidem assensu Christiano, sed merè naturali, vt disputatione 49. ostensum est: ergo, eo præsertim intuitu, vt pœnas æternas euadat, sempiternámque consequatur fœlicitatem, & Deo, cui tot rationibus est deuinctus, obsequatur, poterit hoc secundum, quod rationi, luminique naturali est adeò consentaneum.

E

Vltimò idem probant tertio argumento, disput. præced. num. 3. adducto.

Contrariam sententiam veram esse puto, & ad mentem sancti Augustini, & sancti Thomæ. Vnde sit

II. PRima Conclusio. Liberum nostrum arbitriũ cum solo concursu generali Dei elicere non potest actum attritionis, id est, dolorem de peccatis omnibus ex Dei timore, cum proposito absoluto ampliùs non

non peccādi lethaliter, cum spe veniæ, sed ad huiusmodi attritionem est simpliciter necessarium speciale auxilium gratiæ. Ad euidentiam huius conclusionis considerandum est, quod ex triplici capite potest intelligi, necessarium esse auxilium gratiæ ad prædictum attritionis actum eliciendum. Primò, ratione doloris, qui vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur. Secundo, ratione propositi absoluti de cætero non peccandi lethaliter. Tertiò, ratione spei veniæ, vel ratione fidei pœnarum inferni, quæ includitur in prædicto dolore. Dicimus ergo, quod non solùm ratione fidei pœnarum inferni, nec solùm ratione spei veniæ, quæ includitur in prædicto dolore, sed etiam ratione eiusdem doloris cum proposito absoluto de cætero non peccandi lethaliter, requiritur speciale auxilium gratiæ ad prædictam attritionem, vel contritionem eliciendam. Hanc conclusionem probare videtur auctoritas Concilij Tridentini, sess. 14. Decreto de Sacramento Pœnitentiæ, cap. 4. cuius verba adduximus, & expendimus disputatione præcedenti, numer. 11. vbi etiam ex parte impugnauimus explicationem, quam auctores contrariæ sententiæ tribuunt verbis Concilij Tridentini.

Præterea impugnari potest eadem explicatio: nam Concilium docet, illam attritionem, quæ est donum Dei, peccatorem ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponere sed attritio non solùm ratione timoris pœnarum inferni, vel ratione spei veniæ dispont ad impetrandam gratiam in Sacramento Pœnitentiæ; sed etiam ratione ipsius doloris peccatorum, cum proposito absoluto de cætero non peccandi: ergo etiam ratione eiusdem propositi confert Concilium, attritionem esse donum Dei.

Præterea probatur: nam, vt disputatione præcedenti ostensum est, homo in natura lapsa, absque speciali auxilio gratiæ, elicere non potest dilectionem Dei super omnia, etiam quantùm ad substantiam actus, eò quòd huiusmodi dilectio est actus proprius naturæ sanæ, & valde difficilis, ac proinde excedit facultatem, & virtutem liberi arbitrij infirmi, quale est arbitrium hominis in natura lapsa; sed etiam dolor de peccatis cum proposito absoluto nunquam de cætero peccandi mortaliter, est valde difficilis: ergo absque auxilio gratiæ non poterit elici ab homine peccatore, præsertim, cùm insurgentes passiones appetitus sensitiui, & tentationes diaboli, atque alia quamplurima incitamenta peccandi, quæ passim occurrunt in vita humana, eiusmodi propositum absolutum impediant: ergo.

Præterea: nam propositum absolutum nunquam peccandi includit in virtute obseruantiam omnium mandatorum, saltem pro tempore, quo tale propositum, aut virtus illius perseuerat, sicut de actu charitatis in disputatione præcedenti dictum est. Sed homo in natura lapsa non potest absque auxilio gratiæ seruare omnia mãdata, non solùm per totam vitam, sed etiam pro quolibet temporis momento, aut breui tempore, cùm in eo occurrat multoties, vel occurrere possit præceptum credendi, sperandi, aut diligendi, quæ sine auxilio gratiæ impleri non possunt, vt ex præmissis patet: ergo, &c.

Præterea id ipsum probatur: quoniam, quando occurrunt alia præcepta legis naturalis, contingit multoties, quòd insurgant vehementes tentationes appetitus sensitiui, quas pro seruandis eisdem præceptis necesse sit vincere; sed absque auxilio gratiæ non potest liberum arbitrium eiusmodi tentationes superare, vt sequenti disputatione manifestum

A fiet: ergo etiam non poterit absque auxilio gratiæ seruare quodlibet præceptum legis naturalis pro tempore, quo eiusmodi tentationes insurgunt; ac per consequens, neque habere propositum absolutum de cætero non peccandi.

Respondetur, hoc argumentũ tantùm procedere de proposito absoluto efficaci, non autem de proposito absoluto inefficaci, tamen, quod postmodùm non ponitur in exequutione. Hæc tamen solutio iam ex disp. præced. manet impugnata, cùm de absoluta dilectione Dei ageremus. Ostensum est enim, omnem dilectionem Dei absolutam esse efficacem, saltem pro tempore, quo elicitur, & quo durat virtus illius: ergo idem sentiendum est de proposito absoluto de cætero non peccandi; ac per conse-
B quens eiusmodi propositum semper erit efficax pro instanti, in quo elicitur, & pro toto tempore, quo durat virtus illius.

Confirmatur: nam implicat contradictionem, quòd pro aliquo instanti habeat quis propositum absolutum nunquam peccandi; & nihilominùs in eodem instanti peccet mortaliter: tale enim propositum esset ridiculum, ac per consequens, solo nomine diceretur propositum absolutum non peccandi, ergo verum propositum absolutum non peccandi semper est efficax pro eodem instanti, in quo elicitur, ac pro toto illo tempore, quo durat virtus illius.

Secunda conclusio. Multò minùs potest liberum arbitrium absque auxilio gratiæ elicere actum contri-
C tionis, id est, dolere de peccatis propter Deum summè dilectum, cum proposito absoluto de cætero non peccandi. Hanc conclusionem probant efficaciter argumenta facta pro conclusione præcedenti, quæ à fortiori procedunt de contritione.

Præterea probatur ex definitione illa Concil. Trident. sess. 6. de iustificatione, can. 3. *Si quis dixerit, sine præueniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur; anathema sit.* Sed dolere de peccatis omnibus propter Deum summæ dilectum, cum spe veniæ, & cum proposito absoluto nunquam peccandi, est pœnitere, sicut oportet, vt iustificationis gratia conferatur; quia non stat, peccatorem sic pœ-
D nitere, & quòd non conferatur ei gratia iustificans: ergo talis dolor elici non potest sine præueniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio ex solis viribus naturæ.

Secundò probatur ex locis Scripturæ: etenim Threnorum 5. dicitur: *Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur.* ex quo testimonio Concilium Tridentinum, sess. 5. de iustific. cap. 4. sess. 6. de iustific. cap. 5. probat, cõtritionem, qua peccatores ad Deum conuertuntur, procedere à gratia præueniente, hoc est, à Dei vocatione, qua, nullis eorum existentibus meritis, vocantur; vt qui per peccata à Deo auersi erant, per eius excitantem, atque adiuuantem gratiam ad conuertendum se ad suam ipsorum iustificationem,
E eidem gratiæ liberè assentiendo, & cooperando, disponantur. Ad hoc autem comprobandum adduxit in calce eiusdem capitis auctoritatem inductam: ergo. Item etiam probatur ex illo 2. Timoth. cap. 2. *Ne forte det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendum veritatem, & resipiscant à diaboli laqueis.* Ex quibus verbis S. Augustinus lib. 5. contra Iulianum, cap. 3. eandem veritatem colligit, dicens: *Quantumlibet enim præbeat patientiam, nisi ipse dederit; quis aget pœnitentiam: An oblitus es, quod idem ipse Doctor ait: Ne forte det illis Deus pœnitentiam, &c.* Et videtur loqui de pœnitentia, qua quis dolet de peccatis propter Deũ summè dilectum, cum proposito absoluto de cæ-

tero non peccandi : hæc enim est vera pœnitentia. Vnde idem Augustinus epist. 106. circa finem : *Eam ipsam pœnitentiam* inquit, *donum Dei dicit Apostolus, vbi ait de quibusdam : Ne forte det illis Deus pœnitentiam.* Et libro secundo de peccatorum meritis, & remissione, cap. 18. inquit: *Quòd à Deo nos auertimus, nostrum est, & hæc est voluntas mala: quòd verò ad Deum nos conuertimus, nisi ipso excitante, atque adiuuante, non possumus.*

Tertiò probatur ratione: nam liberum arbitrium in natura lapsa non potest absque auxilio gratiæ diligere Deum super omnia simpliciter, neque habere propositum absolutum de cætero non peccandi lethaliter, vt ex dictis in præcedenti disputatione constat : ergo nec elicere actum contritionis. Probatur consequentia: nam dilectio Dei super omnia, & propositum absolutum de cætero non peccandi lethaliter, includuntur necessariò in actu contritionis, vt ex supradictis patet.

Quartò probatur: nam, vt disput. 65. manifestum fiet, actus contritionis est supernaturalis, quantum ad substantiam actus, sicut & actus Fidei, Spei, & Charitatis : ergo etiam quantum ad substantiam, elici non potest à libero arbitrio, absque auxilio gratiæ. Ad loca autem S. Thom. pro contraria sententia adducta, iam in disputatione præcedenti responsum est.

AD primum argumentum ex factis à principio respondetur, quòd illa consideratio beneficiorum Dei, secundùm quòd ordinatur ad habendam contritionem, vel attritionem superiùs explicatam, haberi non potest absque auxilio gratiæ. Dicit enim Apostolus : *Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* 2. Cor. 3. Vnde attritio, vel contritio, quæ ex prædicta cogitatione, vel consideratione consurgit, non elicitur absque speciali auxilio excitantis, atque adiuuantis gratiæ.

Ad confirmationem respondetur, quòd, etiam in absentia occasionum peccandi, non solùm est difficile, sed etiam impossibile, absque auxilio gratiæ elicere detestationem peccati super omne detestabile, & absolutum propositum non peccandi deinceps lethaliter, quale ad contritionem, & attritionem requiritur. Neque experientia vlla docet oppositum: nam, vt dicit S. Gregorius, *Sæpe mens sibi fallitur humana, & fingit se amare quod non amat, & non amare, quod amat.* Et ad id, quod obiicitur de duabus molestiis propositis, respondetur, quòd quando propter aliquod motiuum humanum non transcendens vires proprias, vitandæ sunt illæ molestiæ; naturale est subire minorem ad vitandam maiorem. Quod non contingit in præsenti : nam in actu contritionis includitur aliquid transcendens vires eiusdem naturæ, ratione propositi absoluti nunquam peccandi lethaliter, vt pœnas vitet inferni. Vnde non est naturale, sed verè gratuitum donum, quòd liberum arbitrium actum illum contritionis eliciat.

Ad secundum argumentum respondetur, contritionem, etiam quantùm ad substantiam actus, excedere facultatem naturæ, sicut actus credendi, sperandi, & diligendi Deum, inquantùm est auctor gratiæ, vt disputatione 65. patebit. Attritio autem cum omnibus conditionibus suprà explicatis ingreditur ordinem supernaturalem : nam disponit saltem remotè ad iustificationis gratiam consequendam, vt dictum est ; vnde elici non potest ex solis viribus naturæ. Et idem dicendum de proposito absoluto nunquam peccandi lethaliter : nam in homine ordinato ad vitam æternam, eiusmodi propositum includit virtualiter obseruantiam mandatorũ supernaturalium Fidei, Spei, & Charitatis, &c. Quæ præcepta absque auxilio gratiæ seruari non possunt, vt ex præmissis patet.

Respondetur secundò, quòd dato, & non concesso, eiusmodi propositum esse extra totam latitudinem ordinis gratiæ ; adhuc liberum arbitrium ex solis viribus naturæ non posset illud elicere, sicut neque actum dilectionis Dei super omnia, vt est auctor naturæ, propter difficultatẽ, & perfectionem actus ; ad quem subinde natura infirma pertingere non potest, nisi excitetur, & adiuuetur per gratiam.

Ad confirmationem respondetur inprimis, quòd idem argumentum retorqueri posset contra auctores sententiæ contrariæ. Non enim apparet, quòd emolumentum ex eo sequatur, quòd naturales vires humani arbitrij in natura lapsa, & infirma vsque adeò commendentur, & exaltentur, vt actus perdifficiles, & excedentes debilem virtutem illius, absque auxilio gratiæ eidem attribuantur. Iam enim ex supradictis patet, quot incommoda ex huiusmodi assertione sequantur.

Secundò respondetur, multa emolumenta sequi ex eo, quòd affirmemus, naturales vires humani arbitrij adeò extenuatas esse per peccatum, vt aliquos actus, etiam merè naturales, qualis est dilectio Dei super omnia, vt est auctor naturæ ; & propositum absolutum nunquam peccandi lethaliter contra legem naturalem elicere absque auxilio gratiæ non valeat. Primum emolumentum est: nam per hoc liberum arbitrium humiliatur, & intra metam propriam continetur, vt suam infirmitatem, & debilitatem agnoscens ad Dei auxilium recurrat, vt ex supradictis patet. Ex eo autem, quòd isti actus eidem arbitrio absque auxilio gratiæ attribuantur; præbetur ei magna occasio superbiendi, & extollendi seipsum aduersùs gratiam Dei. Vnde S. Augustinus non defensores, sed elatores, dilapidatores, & præcipitatores liberi arbitrij Pelagianos, & Semipelagianos appellat, eò quòd viribus naturalibus illius attribuebant actus excedentes eiusdem arbitrij facultatem. Secundum emolumentum est : nam per hanc doctrinam conformamus nos dictis Scripturæ, Conciliorum, & Sanctorum Patrum, suprà inductis, & inferiùs allegandis; & quàm longè discedimus, nedum ab erroribus Pelagij, sed etiam ab eorum semitis. Et ex alia parte nulli nos exponimus periculo, sed media via incedimus, dum affirmamus, liberum arbitrium in natura lapsa posse absque auxilio gratiæ elicere aliquos actus bonos moraliter ; non tamen omnes, videlicet illos, qui grauem continent difficultatem, vt disp. 50. explicatum est. In proœmio, in disput. 44.

Ad tertium argumentum respondetur, quòd, sicut liberum arbitrium non potest absque auxilio gratiæ elicere actum contritionis, vel attritionis cum proposito absoluto de cætero non peccandi; ita etiam non potest, absque eodem auxilio assentiri mysterio Trinitatis, & cæteris omnibus, tanquam reuelatis à Deo, vt disputatione 49. ostensum est.

Ad quartum patet solutio per ea, quæ in disp. præcedenti ad tertium dicta sunt.

DISPVTATIO LIII.

Vtrùm homo possit per vires naturales liberi arbitrij, reparare bonum sibi connaturale, quod per peccatum amisit.

PARS affirmatiua probatur primò auctoritate S. Thomæ in 2. dist. 28. circa expositionem literæ, in fine eiusdem dist. vbi ait : *Homo per potestatem* 1.

tem naturalem, quam à Deo accepit, potest voluptatem mutare in melius: ergo.

Secundò probatur. Rectitudo naturalis consistit in hoc, quod voluntas sit Deo subiecta: sed hæc subiectio potest in naturalibus haberi per vires naturæ: nam homo, postquam peccauit, potest Deo subiici, & illi obedire in his, quæ pertinet ad ordinem naturæ; ergo potest reparare rectitudinem voluntatis, quam peccando amisit.

Tertiò. Habitus praui, & vitiosi non necessitant voluntatem, vt in illis permaneat semper: ergo potest voluntas viribus naturæ, per habitus virtutis illis oppositos, eos expellere, atque adeò reparare rectitudinem voluntatis, quam peccando amisit.

II. RESPONDETUR breuiter conclusione negatum, quam probat S. Augustinus lib. 4. contra Iulian. cap. 3. vbi ostendit, hominem non posse per solam facultatem naturæ reparare damna, quæ sibi intulit, nec redire à vitio ad virtutem. Idem probat S. Tho. 1. 2. q. 109. art. 7. ad 2. vbi ait, *quod naturalis ratio non est sufficiens principium huius sanitatis, quæ est in homine per gratiam iustificantem: sed huius principium est gratia, quæ tollitur per peccatum. Et ideo non potest homo per seipsum reparari, sed indiget, vt denuo ei lumen gratiæ infundatur: sicut, si corpori mortuo resuscitando denuo infunderetur anima.* Et in solutione ad tertium, ait, *quod humana natura deficiens per actum peccati: quia non manet integra, sed corrumpitur: non potest per seipsam reparari, neque etiam ad bonum, sibi connaturale, & multo minus ad bonum supernaturale iustitiæ.* Et ratio potissima huius est: nam homo non potest per facultatem naturæ tollere priuationem gratiæ, quam incurrit per peccatum; gratia enim est à solo Deo effectiue, iuxta illud: *Gratiam, & gloriam dabit Dominus.* Nec etiam potest per seipsum rectificare suam voluntatem in ordine ad finem supernaturalem; cùm id excedat totam facultatem naturæ; nec in ordine ad finem naturalem, eò quòd ad talem rectificationem requiritur dilectio Dei super omnia simpliciter, per quam conuertitur homo ad Deum auctorem naturæ, à quo per peccatum fuerat auersus: sed existens in mortali, non potest diligere Deum super omnia, etiam dilectione naturali, vt disp. 51. ostensum est: ergo.

Homo lapsus non potest per vires naturæ reparare damna quæ per peccatum incurrit.

Psalm. 83.

III. AD primum respondetur primò, quod S. Thom. 1. 2. citata expressè docet nostram sententiam, vnde in secundo sent. non loquitur de omnibus iustis commodis, quæ incurrit homo per peccatum; sed solùm quantum ad aliquod. Potest enim homo per naturam operari aliquod bonum morale, quod non sit peccatum in diuiduo; non tamen potest omnia bona moralia exercere absque auxilio gratiæ. Præterea: Illud opus bonum moriale, quod viribus naturæ exercet, non est simpliciter verum bonum, neque habet rationem veræ virtutis, quantum ad modum, vt S. Augustinus docet, loco citato, & nos disp. 50. satis ostendimus.

Ad secundum respondetur, quòd homo existens in mortali, potest absque auxilio gratiæ Deo subiicere suam voluntatem, secundum quid, & quantùm ad aliquam operationem moralem, adimplendo aliquod præceptum naturale, quantùm ad substantiam actus: non tamen potest per solam facultatem naturæ se Deo subiicere simpliciter, nec habere actum dilectionis Dei super omnia, in quo virtualiter continetur obseruantia omnium mandatorum. Vnde non sequitur, quòd possit sibi restituere rectitudinem, etiam naturalem voluntatis, quam peccando amisit.

Ad tertium respondetur, ex eo, quòd habitus vitiosi non necessitent simpliciter voluntatem, solùm sequi, quòd liberè peccet, quando peccat. Et, si quis obiiciat: ergo poterit peccare, & non peccare; respondetur, quòd ex se, & ex viribus propriis potest peccare, & similiter potest non peccare; sed tamen ex auxilio gratiæ: etenim ex viribus naturæ, quamuis possit vitare vnum, aut alterum peccatum, non tamen potest simpliciter vitare omnia peccata; de quo videatur S. Thom. 3. cont. Gent. c. 149.

DISPVTATIO LIV.

Vtrùm homo lapsus possit, absque auxilio gratiæ, seruare omnia mandata, & resistere pro quolibet temporis momento omnibus tentationibus, etiam grauissimis, sibi occurrentibus, quas, pro seruanda lege naturali, necesse sit vincere.

I. IN hac parte est nobis duplex concertatio, altera cum hæreticis, altera cum Catholicis. Inter hæreticos namque fuerunt duo errores extremi. Primus fuit Pelagij, qui, vt disp. 1. admonuimus, asseruit, adiutorium diuinæ gratiæ solum esse necessarium, vt, quod homo poterat per naturam, facilius posset implere per gratiam; nec esse necessarium, quòd liberum arbitrium sanetur prius per gratiam. Probari potest hæc sententia. Primò; nam alias sequeretur, quòd, sine gratia habituali, non posset homo seruare omnia mandata naturalia, etiamsi adiuuaretur à Deo auxilio speciali. Consequens est falsum: ergo sequela probatur: nam auxilium speciale, sine gratia habituali, non sanat liberum arbitrium, cùm saepe-rimur sæpissimè in hominibus, qui sunt in peccato mortali, vt patet ex Conc. Trident. sess. 14. cap. 4. de sacram. pœnit. vbi habetur, attritionem procedentem ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu, *non solum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse, & Spiritus sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum mouentis, quo pœnitens adiutus, viam sibi ad iustitiam parat*: ergo solum auxilium speciale non sanat animam. Minor autem probatur: nam homo potest videre Deum per essentiam, absque lumine gloriæ, per modum habitus, si tamen detur ei lumen gloriæ per modum actualis motionis: ergo similiter poterit seruare omnia mandata, præsertim naturalia, absque dono gratiæ, per modum habitus, si tamen detur illi per modum motionis.

Secundò arguitur. Homo in puris naturalibus poterat absque auxilio gratiæ seruare omnia mandata naturalia: ergo idem poterit in natura lapsa; nam in puris naturalibus non habuisset maiores vires, quam post peccatum.

Tertiò. Liberum hominis arbitrium post lapsum potest ex facilitate naturæ seruare quodcunque præceptum sibi occurrens, pro aliquo instanti, vel ad breue tempus, & ex obseruantia vnius, vel alterius præcepti fit homo habilior, & promptior ad reliqua seruanda: ergo poterit seruare omnia absque auxilio gratiæ.

Quartò. Homo potest absque auxilio gratiæ seruare hoc mandatum, vel illud, & sic de singulis: ergo poterit seruare omnia. Sed dicatur, quòd potest seruare omnia diuisiuè, non tamen collectiuè; contrà: quia nullum est præceptum speciale, quo teneatur

Digitized by Google

tur homo seruare omnia mandata collectiuè: sed ideo obligatur ad omnia collectiue, quia tenebatur singula diuisiuè obseruare: ergo si ex facultate naturæ, potest seruare omnia mandata diuisiuè, poterit & collectiuè.

II. Secundus error est Lutheranorum, qui per oppositum extremum asserunt, præcepta Dei esse impossibilia, nec posse iustum etiam per gratiam ea obseruare, ac per consequens iustum in omni opere suo peccare. Ita sentiunt Lutherus, Caluinus, & alij hæretici, disp. 3. num. 13. allegati. Contra istum errorem scribit Iodocus Coccius Canonicus Iuliacensis in thesauro Catholico, tom. 2. de iustific. hominis, art. 2. Et eundem errorem damnauit Conc. Trident. sess. 6. de iustific. c. 11. & can. 7. & 25. vt patebit infra.

Inter Catholicos verò sunt etiam contrariæ sententiæ. Prima est Dionysij Cistercientis in 1. dist. 17. quæst. 1. Gregor. in 2. dist. 26. quæst. 1. art. 2. & 3. qui dixerunt, hominem in natura lapsa nullum præceptum naturale seruare posse, etiam quoad substantiam, absque auxilio gratiæ. Potissimum argumentum huius sententiæ desumitur ex illo Ioan. 15. *Sine me nihil potestis facere.* & 2. ad Cor. 3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis.*

III. Secunda sententia est aliorum asserentium per oppositum extremum, hominem in peccato mortali existentem, cum solo concursu Dei generali, quandiu rationis iudicium non absorbetur, posse in quocunque temporis momento seruare quodcunque præceptum obligans ad peccatum, quantùm ad substantiam actus; etiamsi præceptum sit supernaturale. Addunt consequenter, hominem lapsum habere sufficientes vires, sine speciali auxilio Dei, ad non consentiendum, in quocunque temporis momento, cuicunque graui, vehementiorique tentationi, & ad superandam quamcunque magnam difficultatem, quam, pro seruanda in illo instanti solo lege naturali necesse sit vincere; etiamsi ea de causa mors sit toleranda. Dicunt tamen, quòd per totam vitam, aut longo tempore non possit absque auxilio gratiæ seruare totam legem, ita vt in nullo deficiat, neque operari aliquod opus pietatis meritorium vitæ æternæ, sicut Pelagiani posuerunt. Argumenta huius sententiæ sunt hæc.

Quintò arguitur ex S. Thom. 1. 2. q. 10. art. 2. & 3. vbi docet, a nullo omnino obiecto necessitari posse voluntatem, quandiu est in via, quoad exercitium actus, sed semper manere liberam, vt eliciat, vel non eliciat actum. & specialiter in artic. 3. docet, à nulla passione, quantumuis vehementi, necessitari posse hominis voluntatem: ergo voluntas in nulla tentatione cogitur ad consensum in peccatum: ergo ex facultate naturæ, cum solo concursu generali, potest vitare quodcunque peccatum pro instanti, quo currit præceptum: atque adeò poterit illud implere ex viribus naturæ. Idem probant ex Anselm. lib. de lib. arb. c. 6. 7. 9. & 10. & in lib. de concord. præscientiæ, prædestinationis, & gratiæ cum lib. arb. c. 1. quibus in locis docet, dum iudicium rationis non absorbetur, nullâ passionem, quantumuis vehementem, nullamque difficultatem auferre posse voluntatis libertatem, ad non consentiendum; atque adeò, in quocunque temporis momento consentiat, peccare in transgressione præcepti.

Confirmatur hoc auctoritate S. Augustini libr. de prædest. & grat. cap. 9. & lib cont. duas epistolas Pelagianorum, cap. 5. vbi ait: *Liberum arbitrium ad peccandum valere in hominibus subditis diabolo.* Ex quibus inferunt, ex facultate arbitrij, cum solo concursu generali, posse implere quodcunque præceptum, pro illo instanti, in quo currit, & vitare quodcunque peccatum, alias homo non posset non peccare.

A Idem probant ex Hieron. lib. 3. dialogorum aduersùs Pelagianos: vbi sub persona Attici dicit Christobulo, qui Pelagij personam agit: *Hoc est, quod tibi à principio dixeram, in nostra esse potestate positum, vel peccare, vel non peccare, & vel ad bonum, vel ad malum extendere manum, vt liberum seruetur arbitrium, sed hoc pro modo, & tempore, & conditione fragilitatis humanæ. Perpetuitas autem impeccantiæ soli reseruatur Deo,* post pauca subdens: *quia ad breue possum, coges me, vt possim iugiter?* Quibus verbis aperte videtur docere Hieronymus, quòd ad breue tempus possimus in quacunque occasione, absque speciali auxilio Dei, vitare quodcunque peccatum, & implere quodcunque præceptum: non tamen iugiter, id est, per totam vitam, aut longo tempore.

B Sextò arguitur. Quoniam aliàs admittendum esset, causas secundas, excitantes vehementes tentationes, aut notabiles difficultates, & ipsas tentationes auferre à voluntate innatam suam libertatem, & eam necessitare, quoad exercitium, ad consensum in peccatum, nisi supernaturali auxilio muniretur: quod tamen non est dicendum. IV.

Septimò arguitur. Liberum arbitrium easdem prorsus habet vires in natura lapsa, quas habuisset in puris naturalibus, in quo statu Deus nullum auxilium supernaturale contulisset homini, sed in puris naturalibus, quandiu iudicium rationis non absorberetur, posset ex facultate naturæ, cum solo concursu generali ordinis naturalis, implere quodcunque præceptum pro instanti, quo obligat, & superare quamcunque tentationem pro eodem instanti, & non consentire peccato. Aliàs tunc Deus præciperet homini aliquid reuerà impossibile: nam in tali casu, nec per auxilium gratiæ posset implere illud præceptum, quia nullum esset tale auxilium possibile, nec etiam id posset ex sola facultate naturæ, vt supponitur; ac per consequens, omnino esset impossibile implere illud præceptum. Ergo etiam in natura lapsa, quamdiu iudicium rationis non absorbetur, poterit homo ex sola facultate naturæ implere quodcunque præceptum occurrens, pro quolibet temporis momento.

C

Confirmatur: nam continere consensum in similibus euentibus singulis, aut elicere contrarium dissensum, sunt merè naturalia in seipsis, & propria libero arbitrio: etenim ad hoc collata est illi naturalis facultas, non minùs, quàm visui ad videndum, & intellectui ad intelligendum: ergo ex facultate naturæ poterit liberè continere consensum in peccatum, aut elicere contrarium dissensum pro quolibet temporis momento.

D

Octauò: nam aliàs sequeretur, partem superiorem hominis non dominari inferiori, nisi quando leues essent motus inferioris: quin potiùs pars inferior dominaretur superiori, cùm insurgunt vehementes tentationes. Consequens videtur contra illud, quod Dominus dixit ad Cain Genes. 4. *Sub te eris appetitus eius, & tu dominaberis illius*: ergo. V.

Nonò: quoniam sequeretur ex opposita sententia aliud magnum inconueniens; videlicet, quòd homo, quotiescunque insurgunt notabiles, aut vehementes tentationes, nunquam peccaret, licèt committeret quæcúque facinora, & ex consequenti non esset dignus pœna, quia nullus peccat in eo, quod vitare non potest.

E

Decimò: quia non minùs potenter voluntas humana in aliquibus viris sanctissimis, præsertim in Domina nostra, & Christo viatore, mouebatur ad bonum, quàm exorta vehementi aliqua tentatione, in aliis moueatur ad malum. Sed motio illa vehemens ad bonum, liberam relinquebat voluntatem Dominæ nostræ, & Christi ad non eliciendum

actum

actum circa illud obiectum, niſi contra fidem Catholicam à Domina noſtra, & a Chriſto viatore meritum velis auferre? ergo voluntas aliorum, exorta quacunque vehementi tentatione, ſibique ipſi relicta, libera in quocunque inſtanti manet ad non conſentiendum malo. Aliis quatuor argumentis probant iſti auctores ſuam ſententiam, ſed nullam habent difficultatem, quæ non tangatur in præcedentibus.

VI. Tertia ſententia eſt Thomiſtarum, qui ex mente SS. Auguſt. & Thom. aſſerunt, hominem in natura lapſa implere non poſſe ex ſola facultate naturæ omnia præcepta, etiam quoad ſubſtantiam actus, nec ſuperare quamcúque magnam difficultatem, quam, pro ſeruanda lege naturali, pro quolibet temporis momento, neceſſe ſit vincere. In hac controuerſia agendum eſt primò cóntra Lutherum, & Caluinum ſecundò contra Pelagianos tertiò expendenda ſunt dicta ſecundæ ſententiæ, ac demum ſubiicienda erit, explicanda, & defendenda ſententia vera S. Auguſt. & S. Thom.

VII. Præcepta Dei ſunt poſſibilia.

PRima Concluſio contra Lutherum, & ſequaces illius. Deus nihil impoſſibile per legem ſuam præcipit homini, ſiue lex ſit naturalis, ſiue lex ſcripta, ſiue lex gratiæ. ſed quodcunque mandatum poteſt homo implere, vel ex facultate naturæ, vel ex auxilio gratiæ. Concluſio eſt de fide, quam tenent omnes Catholici: & probatur primò, ex ſacris literis, præſertim ex cap. 30. Deut. vbi dicitur: *Mandatum hoc, quod ego tibi præcipio hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum, neque in cœlo ſitum, vt poſſis dicere: Quis noſtrùm valet ad cœlum aſcendere, vt deferat illud ad nos, vt audiamus, atque opere compleamus? neque trans mare poſitum, vt cauſeris, & dicas: Quis ex nobis poterit tranſfretare mare, & illud ad nos vſque deferre, vt poſſimus audire, & facere quod præceptum eſt? ſed iuxta te eſt ſermo, valde in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illud.* Quo teſtimonio vtitur S. Auguſt. lib. de natura, & gratia, capit. 69. & Procopius Gazæus in comment. ſuper c. 30. Deut. ad confirmandam noſtram concluſionem. Habet vim ſpecialiter hoc teſtimonium contra dictum Melanctonis diſp. 3. n 13. inductum. Item 1. Ioan. 1. dicitur: *Hæc charitas Dei eſt, vt mandata eius cuſtodiamus, & mandata eius grauia non ſunt.* Et Matth. 11. *Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris: iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue.* Quibus teſtimoniis eandem veritatem probant Auguſtinus, & Procopius, vbi ſupra, Beda ad cap. 3. prioris epiſtolæ Ioan. & S. Greg. hom. 17. in Ezech. vbi etiam adducit in confirmationem eiuſdem doctrinæ illud Pſalm. 118. *Latum mandatum tuum nimis.* & Pſal. 16. *Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodiui vias duras.* Itè Ioan. 14 dicitur: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit*: & Act. 13. *Inueni Dauid filium Ieſſe, virum ſecundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.* & Iob 1. dicitur, quòd *Iob erat vir ſimplex, & rectus, ac timẽs Deum, & recedens à malo, & adhuc retinens innocentiam.* & iterum *In omnibus his non peccauit Iob labiis ſuis.* Si in his omnibus Iob non peccauit, quomodo A ergo dicit Lutherus: *Iuſtum in omni opere ſuo peccare?* Et ad Philipp. 4. dicit Apoſtolus: *Omnia poſſum in eo, qui me confortat.* Idem conſtat ex verbis Domini apud Ezech. c. 36. *Dabo vobis cor nouum, & ſpiritum nouum ponam in medio veſtri, & auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum, & ſpiritum meum ponam in medio veſtri; & faciam, vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea cuſtodiatis, & operemini.* Ex quibus verbis deſumitur argumentum. Quæ Deus promiſit, potens eſt & facere; vt dicitur ad Rom. 4. ſed Deus promiſit, quòd per Spiritum ſuum B facturus ſit, vt iuſti cuſtodiant diuina mandata, vt ex verbis inductis Ezechielis conſtat: ergo ita facit: ergo iuſti adimplent Dei mandata: ergo adimplere ea poſſunt, ſaltem per auxilium gratiæ: non ergo Deus præcepit homini aliquid impoſſibile. Ad idem probandu eſt inſignis locus ad Rom. 8. vbi dicitur: *Lex enim ſpiritus vitæ in Chriſto Ieſu liberauit me à lege peccati & mortis. Nam quod impoſſibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium ſuum mittens in ſimilitudine carnis peccati, de peccato damnauit peccatum in carne, vt iuſtificatio legis impleretur in nobis, qui non ſecundum carnem ambulamus ſed ſecundum ſpiritum.* Ex quo teſtimonio Cyrillus Alexand. lib. 4. contra Iulianum, probat præcepta, quæ impoſſibilia erant per legem, poſſibilia nobis eſſe per gratiam.

VIII. Secundò probatur auctoritate Summorum Pontificum: nam Leo 1. in ſolennitate Epiphaniæ, c. 3. & ſer. 5. de Quadrag. c. 1. docet eandem veritatem: & Sixtus 3 tractatu de malis Doctoribus, & operibus fidei, inquit: *Conueniat ſanè Deo aliquid impoſſibile præcepiſſe, ſi vel homini conuenit. Si enim humana conditio iniquum putat contra poſſibilitatem cuiquam aliquid imperare, quæ perueritas eſt, hoc ſentire de Deo, quod nec mortalium quidem natura ſuſcipiat.*

Tertiò probatur ex definitione Conciliorum: nam in 1. Conc. Araus. can. 25. ſic dicitur: *Hoc etiam ſecundùm fidem Catholicam credimus, quòd accepta per baptiſmum gratia, omnes baptizati, Chriſto auxiliante, & cooperante, quæ ad ſalutem pertinent, poſſint, & debeant, ſi fideliter laborare velint, adimplere.* Et in Conc. Trid. ſeſſ. 6. decreto de Iuſtific. c. 11. ſic dicitur: *Nemo debet temeraria illa & à Patribus ſub anathemate prohibita voce vti, Dei præcepta homini iuſtificato ad obſeruandum eſſe impoſſibilia: nam Deus impoſſibilia non iubet, ſed iubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adiuuat, vt poſſis: cuius mandata grauia nõ ſunt, cuius iugum ſuaue eſt, & onus leue.* Et can. 6. eiuſdem decreti anathematizatur: *Qui dixerit, omnia opera, quæ ante iuſtificationem fiunt, quacunque ratione facta ſint, verè eſſe peccata, aut odium Dei mereri, &* can. 25. ſic definitur: *Si quis in quolibet bono opere iuſtum ſaltem venialiter peccare dixerit aut, quod intolerabilius eſt, mortaliter; anathema ſit*: ergo, &c.

IX. Quartò probatur ex conſenſu communi SS. Patrum: nam inter Græcos docent noſtram concluſionem Clemens Alex lib. 4 Stromat. cap. 8. vbi ait: *Quin etiam præcepta ſunt eiuſmodi, vt à nobis poſſint fieri, vel non fieri, quod conſentaneum eſt, vt conſequatur laus, & vituperatio.* Athanaſ. lib. de virgin ſeruanda, inquit: *Timentibus Dominum, præcepta Domini difficilia non ſunt.* Si difficilia non ſunt: ergo multò minùs impoſſibilia. Baſilius Magnus in regulis breuioribus, reſponſ. 176. explicans illud Apoſtoli: *Eſtote imitatores Dei, ſicut filij chariſſimi, & ambulate in dilectione*, inquit: *Sine dubio autem non præcepiſſet hoc, qui bonus, ac iuſtus eſt, niſi etiam facultatem, qua id faceremus, ſuiſſet largitus.* Et hom. in illud Moyſis: *Attende tibi ipſi*: *Impium*, ait, *eſt, aſſerere, præcepta Spiritus ſancti impoſſibilia eſſe obſeruatu.* Chryſ. ad Pſ. 101. S. Chryſ. E ſic loquitur: *Dei præcepta oportet cum magna voluptate ſuſcipere, & nihil eſſe difficile in eis exiſtimare; difficultatem enim non natura præceptorum, ſed multorum ſolet ſocordia efficere.* Et homil. 18. in Matth. *Ne igitur impoſſibilia putemus eſſe præcepta, quæ certè & vtilia nobis ſunt, & valde facilia.* Et homil. 8 de pœnit. *Ne quaquam Dominum accuſes: haud mandat impoſſibilia: multi enim ipſa ſuperant præcepta.* Anaſtaſ. Nicenus Anaſtaſ. q. 5. explicans illud Matth. 11. *Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue. Perſpicuum*, inquit, *eſt, quod qui eſt & ſenex, & impotens, poteſt eius legem ſeruare.* & poſtquam

quam in huius confirmationem plura adduxit loca Scripturæ, sic concludit. *Vides, quod nihil sit constitutum, quod sit graue, & quod à nobis non possit fieri.* Inter S. Hieron. Patres Latinos idem docet S. Hieron. ad c. 5. Matth. explicans enim illud: *Diligite inimicos vestros*, ait: *Multi præcepta Dei imbecillitate sua, non Sanctorum viribus æstimantes, putant esse impossibilia, quæ præcepta sunt, & dicunt, sufficere virtutibus non odisse inimicos: cæterum diligere plus præcipi, quàm humana natura patiatur.* Sciendum est ergo, Christum non impossibilia præcipere, sed perfecta, quæ fecit Dauid in Saul, & Absalon. Et lib. 3. aduersùs Pelagianos, cap. 1. inquit: *Deus possibilia mandauit, hoc nullis dubium est.* S. Augustinus S. Augustinus lib. de natura & gratia, cap. 43. ait: *Non igitur Deus impossibilia iubet, sed iubendo admonet & facere quod possis, & petere quod non possis.* Quæ verba B desumpsit ex Augustino Concil. Trid. c. 11. citato. Præterea serm. 191. de tempore, ait: *Execramur etiam blasphemiam eorum, qui dicunt, impossibile aliquid homini à Deo esse præceptum, & mandata Dei non à singulis, sed ab omnibus in communi posse seruari.*

Quintò probatur ratione. Præcepta dantur de actibus, qui sunt in potestate hominis: alias nullum mereretur homo apud Deum præmium, si adimpleat; nec pœnam, si transgrediatur ea: naturalibus enim homo non meretur, nec demeretur, quia non sunt in eius potestate: ergo implicat, quod aliquid præcipiatur homini, & illud non sit in eius potestate, & consequenter oportet, quòd sit ei possibile, saltem per auxilium gratiæ.

X. Præcepta omnia implere non potest homo in natura lapsa. abique auxilio gratiæ.

SEcunda Conclusio contra Pelagianos. Homo in C natura lapsa non potest implere simpliciter omnia legis præcepta, ex sola facultate naturæ, sed necessario indiget ad id auxilio gratiæ supernaturalis. Hæc conclusio, vt iacet, est de fide, definita contra Pelagiũ in Conc. Mileuit. c. 4. & refertur de consecr. d. 4. c. placuit. Verba Concilij hæc sunt: *Item placuit, vt quicunque dixerit, ideo nobis gratiam iustificationis dari, vt, quod facere per liberum iubemur arbitrium, facilius possimus implere per gratiam, tanquam etsi gratia non daretur, non quidem facilè, sed tamen possimus etiam sine illa implere diuina mãdata, anathema sit.* Idẽ definitur in Conc. Afric. c. 80. & in Conc. Arauf. II. per plura cap. sed præsertim can. 10. 18. 23. & 24. Itẽ Cõc. Carth. in ep. ad Inn. I. de Pelagio, & Cælestio, & habetur inter ep. Aug. epist. 90. eandem veritatem de- D terminat, quam ibi probat ex illo ad Rom. 8. *Spiritus adiuuat infirmitatem nostram*, &c. & ad Roman. 9. *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Item in Conc. Valent. cap. 6. idem definitur sub his verbis: *De gratia, per quam saluantur credentes, & sine qua rationalis creatura nunquam beatè vixit, & de libero arbitrio per peccatum in primo homine infirmato, sed per Dei gratiam fidelibus eius redintegrato, & sanato, idipsum constantissimè, & plana fide fatemur, quod sanctissimi Patres auctoritate sacrarum literarum nobis tenendum reliquerunt. quod Africana, quod Araũsicana Synodus professa est, quod beatissimi Pontifices Apost. Sedis Catholicæ fide tenuerunt.*

XI. Gelasius I. Secundò probatur ex definitionibus Summorum Pontificum: nam Gelasius I. epist. 5. post multa, quæ E contra Pelagium docet, sic ait: *Quis autem audeat dicere Christianus, aliquid habere boni sine gratia, quando Magister Gentium clamat 1. ad Corin. 15. Gratia Dei sum id quod sum.* & iterum: *Plus omnibus laboraui, sed non ego sed gratia Dei mecum.* Item Innoc. I. epist. 31. Innoc.I. quæ est ad Conc. Carthag. eandem veritatem contra Pelagium determinat, concludens in hæc verba: Psalm.41. *Quisquis ergo, in hac assentiens videtur esse sententia, vt dicat adiutorio nobis non opus esse diuino; inimicum se Catholicæ fidi, & Dei beneficiis profitetur ingratum: nec nostra communione sunt digni, quam prædicando totaliter pollueruntur.* & epist. 32 quæ est ad Conc. Mileuit. inquit: *Aperte in ipsos dixit Pelagianos Ecce homines, qui non posuerunt Deum adiutorem suum.* Denique Cælestinus I. epist. ad Episcopos Galliæ elegantissimis verbis eandem veritatem docuit nam in c. 10. Cælestin. loquitur: *Illa etiam quæ intra Carthaginensis Synodi decreta constituta est, quasi proprium Apostolicæ Sedis amplectimur, quod scilicet tertio capitulo definitum est, vt quicunque dixerit gratiam Dei, qua iustificamur per Iesum Christum Dominum nostrum, ad solam remissionem valere peccatorum, qua iam commissa sunt, non etiam in adiutorium, vt non committantur, anathema sit.* Et iterum 4. capitulo: *Item quisquis dixerit, gratiam Dei per Iesum Christum propter hoc tantum nos adiuuare, ad non peccandum; quia per ipsam nobis reuelatur, & aperitur intelligentia mandatorum, vt sciamus, quid appetere, & quid vitare debeamus; non autem per illam nobis præstari, vt quod faciendum cognouerimus, etiam facere diligamus, atque valeamus, anathema sit.* Etiam enim dicat Apostolus: *Scientia inflat, charitas verò ædificat, valde impium est, vt credamus, ad eam, quæ inflat, nos habere gratiam Christi, & ad eam, quæ ædificat non habere. cum sit vtrumque donum Dei, & scire, quæ facere debeamus, & diligere, vt faciamus; vt ædificante charitate, scientia non possit inflare. Sicut autem de Deo scriptum est: Qui docet hominem scientiam; ita etiam scriptum est: Charitas ex Deo est.* Et in 5. c. subdit: *Item quisquis dixerit, ideo nobis gratiam iustificationis dari, vt, quod facere per liberum iubemur arbitrium, facilius possimus implere per gratiam tanquam & si gratia non daretur, non quidem facilè, sed tamen possimus etiam sine illa implere diuina mandata, anathema sit. De fructibus enim mandatorum Dominus loquebatur, vbi non ait: Sine me nihil difficilius potestis facere, sed ait: Sine me nihil potestis facere.*

Adiutorium gratiæ non ad facilius, sed simpliciter est necessarium ad implẽda omnia præcepta. 1. ad Cor. 8. Pſal. 93. 1. Ioan. 4. Ioan. 15.

XII. Tertiò probatur ex communi consensu SS. Patrum, qui hanc veritatem contra Pelagium ex fontibus Scripturarum hauserunt. Et inter Patres Græcos eam docet Gregorius Nazianzenus hom. in illud Euangelij Matthæi *Cum consummasset Iesus sermones*, vbi eam probat ex illo ad Rom. 9. *Non volentis, neque currentis*, &c. & ex illo Psal. 126. *Nisi Dominus custodierit ciuitatem; frustra vigilat, qui custodit eam.* Idem docet Chrys. hom. de Adam & Eua, circa fin. tom. 1. Cyrill. Alex. lib. 5. in Iulian. c. 60. & adducit pro se illud Ioan. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Et S. Augustin. lib. de corrept. & grat. cap. 11. cuius verba allegauimus in calce disp. 51. Idipsum docet Maxentius in responsione ad epistolam Hormisdæ, vbi ait: *Si propriis bonis, & non Dei auxilio inter aduersantes posset proficere natura humana; nunquam Propheta, spiritu Dei repletus, oraret, dicens Psal. 16. Perfice gressus meos in semitis tuis, vt non moueantur vestigia mea.* Idem probat in Confessione fidei, ex illo ad Philipp. 2. *Deus est enim, qui operatur in nobis & velle, & perficere.* Item etiam S. Maximus de Charitate, Centuria 2. c. 28. id probat ex illo Ioan. *Sine me nihil potestis facere.* Damasc. li. 3. Ioan.15. fidei orthod. c. 20. ait, Deum ipsum omnis boni fontem, atque auctorem esse, nec citra ipsius auxilium fieri posse, vt bonum velimus, aut faciamus.

Inter Patres Latinos idipsum sentiunt Cypr. li. 3. XIII. ad Quirinum, c. 4. vbi id probat ex Apost. 1. ad Cor. 4. *Quid habes, quod non accepisti?* quem locum etiam adducit pro hac veritate Hieronym. ad Ctesiphontem lib. 1. c. 4. Item Augustinus perpetuus est in hac sententia; loquens enim contra Pelagium, in lib. de gratia Christi contra Pelagium, & Cælestium, & contra duas epistolas Pelagianorum, & de spiritu, & litera: sed præsertim epistol. 79. quæ est secunda ad Hilarium, multis testimoniis Scripturæ eandem veritatem corroborat, & similiter epist. 90. impugnat

ex

Digitized by Google

ex professo errorem Pelagij. Idem docet Gennadius Massiliensis lib. de Ecclesiasticis dogmat. capit. 22. Fulgentius de fide ad Petrum, cap. 72. vbi ait: *Firmissime tene, & nullatenus dubites, diuinis mandatis obedire neminem posse, nisi quem Deus gratia sua præuenit.* & S. Isidorus Hispalens. lib. 2. de summo bono, cap. 5. inquit: *Sciant liberi arbitrij defensores, nihil posse hominem in bonum sua præualere virtute, nisi diuina gratia fulciatur iugamine.* & S. Bernard. serm. 2. in die Pentecost. *Spiritus*, inquit, *dabit robur vitæ, vt quod per naturam tibi est impossibile, per gratiam eius non solum possibile, sed & facile fiat.* Confirmantur hæc omnia ex illo Psalm. 118. *Viuifica me, & custodiam sermones tuos.* Super quem locum S. Ambros. serm. 11. aduertit, quòd prius dixit, *viuifica me*, scilicet, per gratiam tuam, & postmodum subdit, *vt custodiam*: vt ostenderet, quòd, nisi homo viuificetur per gratiam, non potest omnia custodire mandata. Et hoc pluries repetit Psalmista in eodem Psalmo, præsertim in verbis illis: *Vtinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas iustificationes tuas*, &c. Vbi Augustin. serm. 4. etiam aduertit, quòd prius dixit, *dirigantur*: & postea subdit, *ad custodiendas*, quoniam nisi a Deo per gratiam suam liberum hominis arbitrium dirigatur, & iuuetur: iustificationes Dei, hoc est, mandata, custodire non potest.

Psal. 118.

Vltimò probatur ratione: nam inter mandata diuina quædam sunt supernaturalia, vt præceptum credendi, sperandi, diligendi: item etiam inter naturalia est præceptum diligendi Deum super omnia, vt est auctor naturæ. Sed absque auxilio gratiæ non potest homo adimplere illa mandata supernaturalia, vt late ostendimus disputat. 49. Similiter etiam homo in natura lapsa non potest, absque auxilio gratiæ, implere præceptum naturale dilectionis Dei super omnia, vt probatum reliquimus disput. 51. ergo, absolute loquendo, non potest homo adimplere omnia mandata, absque auxilio gratiæ. Vt autem cum Catholicis agamus, sit

XIV. Tertia Conclusio. Homo in natura lapsa potest absque speciali auxilio gratiæ implere vnum, aut alterum præceptum legis naturalis, quantum ad substantiam actus, vt præceptum honorandi parentes, conseruandi vitam propriam, & alia huiusmodi, in quibus non est grauis difficultas, & resistere leuioribus tentationibus, quas, pro seruandis eisdem præceptis, necesse sit vincere. Hæc conclusio manet tutis probata ex dictis disp. 50. nam liberum arbitrium non fuit per peccatum extinctum, sed solùm vulneratum: ergo potest facere ex suis viribus aliqua bona opera moraliter, suæ naturæ proportionata: ergo si occurrat præceptum circa huiusmodi opera, poterit illud implere, eadem bona opera eliciendo, & leuioribus tentationibus resistendo. Confirmari potest hæc sententia ex bulla Pij V. disput. 51. n. 17. allegata: vbi inter propositiones Michaelis Baij damnatur propositio 37. qua asserebat: *Cum Pelagio sapit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnoscit*, & similiter damnatur ibi 35. propositio, nempe: *Omne, quod agit peccator, vel seruus peccati, peccatum est*: ergo.

Homo in natura lapsa nõ potest absque auxilio gratiæ seruare omnia legis præcepta, etiam secundum substantiã.

Quarta Conclusio. Homo in natura lapsa non potest absque speciali auxilio gratiæ seruare omnia præcepta legis, etiam quantùm ad substantiam actus, nec resistere grauioribus tentationibus, quas, pro seruandis eisdem mandatis, necesse sit vincere. Hæc conclusio potest intelligi in duplici sensu. Primus est ita, vt illa distributio, *omnia*, sumatur collectiuè, seu complexiuè pro omnibus præceptis, quæ homini occurrunt per totam vitam, aut longo tempore: & in hoc sensu nullus Catholicus eam negat. Secundus sensus est ita, vt distributio, *omnia*, accipiatur diuisiuè pro quocunque præcepto occurrente in quolibet vno instanti, aut per breue tempus. Et in hoc sensu intelligimus nostram conclusionem. Hæc sententia sic explicata colligitur ex S. Augustin. & S. Thom. locis adductis disputat. 49. & 51. ad probandum, hominem in natura lapsa non posse implere præcepta supernaturalia fidei, spei, & charitatis, etiam quantùm ad substantiam actus, sine auxilio gratiæ: neque etiam præceptum dilectionis naturalis, quo tenemur, Deum super omnia diligere, inquantum est auctor naturæ. Ita docet M. Sot. lib. 1. de natura, & gratia, cap. 22. concl. 3.

Probatur conclusio auctoritate Augustini epist. 106. ad Paulinum, vbi inter obiecta Pelagio in Concilio Palæstino, quæ Pelagius ipse in eodem Concilio anathematizauit, ne anathematizaretur & ipse, commemorat illud, quo asserebat, gratiam Dei, & adiutorium illius non ad singulos actus dari; vbi etiam refert, fuisse assertionem Pelagij, victoriam nostram non ex Dei adiutorio esse, sed ex libero arbitrio. Et inter alia, quæ videnda sunt, inquit: *Vnumquemque fidelem teneri confiteri, quando contra tentationes, concupiscentiásque illicitas dimicamus, quamuis & illic habeamus liberam voluntatem; non tamen ex illa, sed ex adiutorio Dei nostram prouenire victoriam*: ergo contra sententiam Augustini est asserere, hominem ex sola facultate arbitrij posse adimplere singula præcepta pro quocunque instanti, & superare omnem tentationem pro illis seruandis, quantum ad substantiam actus: ergo id non est admittendum.

Præterea Innocentius I. in epist. ad Conc. Carth. idipsum confirmat; ait enim: *Pares nos ad resistendum, non liberum arbitrium, sed Dei solius potest facere auxilium.* Et Cælestinus I. epistola 1. capit. 6. definit, neminem, etiam baptismatis gratia renouatum, idoneum esse ad superandas diaboli insidias, & ad vincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum Dei adiutorium perseuerantiam bonæ conuersationis acceperit.

XV. Ad omnes istas auctoritates duplicem adhibent solutionem. Prima est, quod in locis inductis sermo est de victoria contra tentationes, quæ est cum merito vitæ æternæ, & cum laude veræ virtutis; non autem de victoria, quæ contingit absque vllo prorsus merito vitæ æternæ, & absque laude veræ virtutis, respectu cuiuscunque actus in particulari, & pro quocunque temporis momento. Sed hæc explicatio nec videtur ad mentem Concil. & Summorum Pontificum, nec sancti Augustini. Arguitur enim contra illam. Primo: nam summi Pontifices, Concilia, & sancti Patres vtrumque damnauerunt contra Pelagium, videlicet assertionem, qua dicebat, hominem absque gratia supernaturali mereri posse vitam æternam, & illam, qua dixit, hominem ex sola facultate naturæ posse adimplere omnia præcepta; nec restringunt suas definitiones ad impletionem omnium præceptorum cum merito, vel sine merito: non ergo sunt ita coarctanda eorum decreta. Aliàs posset quis dicere, quod homo potest per totam vitam seruare omnia præcepta collectiuè absque auxilio gratiæ, restringendo istam assertionem ad obseruationem omnium præceptorum sine merito vitæ æternæ; quod tamen concedi non potest. Secundo idem impugnatur: nam Concilia, & Patres differentiam assignant inter naturam integram, & lapsam in hoc, quod homo in natura integra poterat absque auxilio gratiæ seruare omnia præcepta naturalia; quod tamen non potest in natura lapsa, nisi sanetur, & iuuetur per gratiam: ergo loquuntur de obseruatione omnium præceptorum, quantum ad substantiam actus: nec

reſtringunt ſuam doctrinam ad obſeruationem cum merito vitæ æternæ. Patet conſequentia: nam etiam in natura integra, ſecundum omnium Catholicorum ſententiam, homo non poterat ſeruare omnia præcepta naturalia cum merito vitæ æternæ, abſque auxilio gratiæ, vt 1.1.q.109.art.4.& quæſt 114. ar.2. oſtendit S.Thomas. Tertiò arguitur contra eandem ſolutionem: quoniam, iuxta hanc explicationem, poſſet concedi, hominem habere ſufficientes vires in natura lapſa, vt ſe diſponat ad gratiam, ſaltem remotè per actum attritionis. Conſequens autem videtur contra Conc. Trid. ſeſſ. 14. de Sacram. Pœnit. cap.4.ergo. Sequela probatur: nam talis attritio non eſt cum merito vitæ æternæ. Imò concedendum eſſet, contritionem, quatenus ordine naturæ antecedit infuſionem gratiæ, elici poſſe ex ſola liberi arbitrij facultate; quia, vt præcedit gratiam iuſtificantem, non eſt meritoria, alias mereretur homo per illam infuſionem gratiæ: ſed ſolùm eſt meritoria vitæ æternæ, quatenus ordine naturæ ſequitur eandem gratiam iuſtificantem, vt 1.1. quæſt. 112. art. 2. ad 1. docet S. Thom. Denique, abſque ſpeciali auxilio actuali præuenientis gratiæ, poſſet homo elicere actum fidei Chriſtianæ informis, quia non eſt meritorius vitæ æternæ.

Secundò reſpondent ad alia loca adducta, non eſſe determinatum contra Pelagium, quòd homo non poſſit ex ſolis naturæ viribus obtinere victoriam aduersùs vnam, aut alteram tentationem, vel concupiſcentiam, quantumuis grauem, & moleſtam, dummodo non longo tempore duret. Ad id enim ſatis ſunt, inquiunt, vires liberi arbitrij, quamuis multò facilius, & meliùs comparetur talis victoria, ſi peculiari aliquo Dei auxilio adiuuemur; ſed eſſe ſermonem de victoria aduersùs omnes tentationes collectiuè, quæ eſt victoria ſimpliciter. Quæ explicatio eiſdem argumentis, quibus præcedens impugnatur. Præterea: nam tribuere naturali facultati arbitrij hominis lapſi, & infirmi, quòd poſſit ſuperare breui tempore quamcunque maximam tentationem, eſt nimis tribuere arbitrio ita infirmo. Nam, ſi hoc eſſet verum, ſequeretur, non eſſe fidelibus neceſſarium petere à Deo auxilium quotidianum, ad ſimpliciter ſuperandas grauiſſimas tentationes, occurrentes pro quocunque inſtanti in particulari diuiſiuè, aut pro breui tempore, etiamſi occurrant in articulo mortis: ſed ſufficeret petere auxilium, ad ſuperandum faciliùs. Hoc autem concedere, quantùm inconueniens ſit, conſtat ex S. Aug. epiſt. 107. cit. & lib. de gratia Chriſti contra Pelagium, & Cæleſtium, c. 27. & 28. & ex illa petitione orationis Dominicæ: *Et ne nos inducas in tentationem*; in qua, iuxta communem explicationem Sanctorum, à Deo petimus, ne permittat, nos tentationibus ſuccumbere, ſed auxilium tribuat, ad illas non ſolùm faciliùs ſuperandas, ſed etiam ſimpliciter, quando ſunt graues. Accedit, quòd Innocentius I. epiſt. ad Conc. Carthag. citata, docet, quotidianum Dei auxilium eſſe neceſſarium ad ſuperandas diaboli inſidias, & vincendas diaboli concupiſcentias: ſentit ergo, nedum per totam vitam, aut per longum tempus: ſed etiam per breue tempus, quale eſt vnius diei ſpatium, hominem in natura lapſa non poſſe abſque auxilio gratiæ, grauioribus tentationibus reſiſtere.

Matth.6.

Præterea impugnatur eadem ſolutio ex S. Proſp. lib. contra Collat. cap.33.& ſequentibus, vbi acriter reprehendit Caſſianum, eò quòd dixerit, non ex Dei gratia, ſed ſuis viribus Iob ſuperaſſe diaboli tentationes: gratiam autem ſolùm prohibuiſſe, ne violentiſſimus inimicus animam eius amentem faceret, & impotem ſenſu, atque impari eum, & iniquo certaminis pondere prægrauaret. Sed ſpecialiter in cap. 35. loquens Proſper contra Caſſianum, ſic ait: *Quod autem aſcis, gratiam Dei ab Iob ex eo intelligendum, non penitus receſſiſſe, quòd tentatori eius tantam Deus tribuit poteſtatem quantam & illum reſiſtendi nouerat habere virtutem nonne veriùs veraciùſque loquereris, ſi vbi dixiſti, quantam illum reſiſtendi nouerat habere virtutem, diceres potiùs, quantam & illi reſiſtendi nouerat ſe dediſſe virtutem? vnius enim verbi correctio totam iſtam gloriam, quam humanis viribus aſſignare voluiſti, ſobrietate aliqua temperaſſet, vt illa mirabilis in tanta afflictione patientia, & Dei adiutorio, & libero hominis attribueretur arbitrio. Sed veritus es naturæ humanæ minuere laudem, ſi ei profiteris à Deo datam eſſe virtutem. Itaque conflictus illius, atque victoria non vis cooperatorem Deum eſſe ſed tantummodo ſpectatorem.* Et in definitione 10 inquit: *Si ipſe Deus ſcimus tantummodo, quòd Iob poſſet, non etiam donauit, vt poſſet: teſtis patientia eius, non auxiliator fuit. Et in quo erit neceſſarium gratia adiutorium, ſi humanis ſolùm viribus tanta illa eſt parta victoria?*

XVII. Adiutorium gratiæ ad ſingulos actus qualiter ſit neceſſarium. Diſp.50.

Ex his ſequitur, quòd quando ſanctus Auguſtinus, & alij Patres determinant contra Pelagium, gratiam Dei eſſe ad ſingulos actus neceſſariam; ſi ſermo ſit de actibus ordinis naturalis, intelligendi ſunt de ſingulis actibus habentibus notabilem difficultatem, quam, propter infirmitatem naturæ, non poteſt homo lapſus propriis viribus ſuperare. Quæ explicatio colligitur ex eiſdem Patribus, præſertim ex Auguſtino, qui, vt ſupra oſtenſum eſt, docet, hominem in natura lapſa poſſe abſque ſpeciali auxilio facere aliquos actus bonos ſuæ naturæ proportionatos, qui non habent graues difficultates: vt plantare vineas, conſeruare propriam vitam, manducare, habere amicum, iter facere, & alia huiuſmodi: & idem docet S. Thom. p.2. quæſt.109. articulo tertio.

XVIII. Gratia habitualis neceſſaria eſt homini lapſo ad ſeruanda omnia præcepta etiam naturalia.

AD primum argumentum ex factis à principio pro errore Pelagianorum, reſpondetur, in eo tangi aliam difficultatem annexam præcedenti. Vtrùm videlicet ſit neceſſaria gratia habitualis ad ſeruanda omnia mandata naturalia: an verò ſufficiat auxilium ſpeciale, videlicet motio actualis ſupernaturalis. Abulenſ. quæſtion.178. ſuper capit.19. Matth. tenet, quòd ſufficiat ſupernaturalis motio, abſque habituali gratia: & idem tenet Riccard. in ſecundo, diſtinct.28. artic.1. quæſtione 6. Alij verò Theologi, inter quos eſt Vega quæſt. 13. de Iuſtificatione, docent, ſine gratia iuſtificante, etiam cum auxilio actuali ſupernaturali non poſſe hominem ſecundùm legem ordinariam ſeruare omnia mandata naturalia. Hanc ſententiam ſequuntur multi Thomiſtæ, & mihi probabilior videtur. Ratio potiſſima huius ſententiæ eſt, quoniam in Concilio Mileuitano canon.5. dicitur, gratiam iuſtificationis nobis dari, quoniam ſine illa non poſſumus implere diuina mandata. Præterea: nam vnum ex præceptis naturalibus eſt, diligere Deum ſuper omnia: ſed iſtud præceptum, quantùm ad actum interiorem, non poteſt impleri ab homine, exiſtente in peccato mortali, niſi priùs iuſtificetur, & infundatur illi gratia: alias eſſet conuerſus in Deum, vt eſt auctor naturæ, & auerſus ab illo vt eſt auctor ſupernaturalis, quod, vt ſuprà diximus, eſt impoſſibile: ergo, &c. Et iuxta hanc ſententiam reſpondetur primò ad argumentum, gratiam, quæ requiritur ad ſeruanda omnia mandata naturalia longo tempore, ſanare animam formaliter: nam, vt ſupra dictum eſt, requiritur gratia iuſtificans, per quam homo ſanatur.

Reſpondetur ſecundò iuxta alteram opinionem, quòd

Auxilium efficax sanat animam initiatiuè, gratia autē habitualis sanat eam formaliter.

quòd auxilium actuale supernaturale sanat animam initiatiuè; quoniam primum initium salutis sumitur ex huiusmodi auxilio præuenientis gratiæ, vt habetur in Concilio Tridentino sess. 6. de iustificatione: &, si auxilium actuale fuerit efficax ad iustificationem, siue ad conuertendum hominem in Deū, tale auxilium sanabit animam initiatiuè efficaciter. Vnde quando S. Thom. inquit, quòd requiritur gratia sanans, intelligendus est vel de gratia sanante formaliter, qualis est gratia habitualis, vel de gratia sanante initiatiuè, cuiusmodi est speciale auxilium actuale, & supernaturale.

XIX. Ad secundum argumentum respondetur, quòd in puris naturalibus posset homo, absque auxilio gratiæ, seruare breui aliquo tempore omnia mandata naturalia, sicut poterat diligere Deum super omnia, pro eodem tempore; non tamen est eadem ratio de homine in natura lapsa, propter rationes assignatas disp. 51. & 52. Videatur S. Th. 3. contr. Gent. cap. 160.

Ad tertium argumentum respondetur, quòd homo in natura lapsa non potest, absque speciali auxilio gratiæ, seruare præceptum dilectionis Dei super omnia, vt ostensum est disput. 51. neque præceptum supernaturale Fidei, Spei, & Charitatis, etiam quantùm ad substantiam actus. Vnde non potest seruare omnia mandata, etiam naturalia, quæ occurrunt, vel occurrere possunt pro vnoquoque instanti, licèt seruare possit vnum, aut alterum præceptum naturale. Videatur alia solutio huius argumenti apud M. Medinam in solutione ad quartum, contra secundam conclusionem 1.2 q. 109. art. 4.

XX. Ad quartum respondetur, in natura lapsa neque diuisiue, neque collectiuè posse hominem seruare omnia præcepta, etiam naturalia, absque auxilio gratiæ, vt dictum est. Secundò respondetur, dato, & non concesso, quòd possit seruare singula diuisiuè, non tamen ex hoc sequitur, quòd possit omnia seruare collectiuè; tenet enim argumentum à sensu diuiso ad compositum. Et ad impugnationem respondetur, quòd, licèt non sit speciale præceptum seruandi omnia collectiuè; est tamen specialis difficultas in obseruatione omnium, quæ non reperitur in obseruatione singulorum diuisiuè, sicut maior difficultas est vitare omnia peccata venialia collectiuè, quam singula diuisiuè.

Peccata omnia vitare collectiuè magis difficile est quam vitare omnia diuisiuè.

AD fundamentum Lutheri, & aliorum hæreticorum, asserentium, præcepta Dei esse impossibilia, patet ex dictis conclusione prima. Ad ea verò, quæ pro prima sententia Catholicorum afferuntur, responsum est ex professo disp. 50.

Voluntatē in via nullum obiectum necessitat, quoad exercitiū actus.

Ad quintum argumentum factum pro secunda sententia, ex auctoritate S. Thomæ, fatemur libentissimè, nullum obiectum in via, nullámque passionem, quantumuis vehementem, cogere volūtatem, aut eam necessitare, quoad exercitium actus, vt consentiat in peccatum: & hoc tantùm est, quod ibi docet S. Thom. Ex hoc tamen malè infertur, quòd voluntas ex sola facultate naturæ possit vitare quodcunque peccatum in quibuscunque tentationibus imminentibus. Etenim, vt voluntas creata sit libera, quoad exercitium actus in quocunque momento, sufficit, quòd possit operari, & non operari; consentire, vel non consentire, aut ex seipsa, aut ex auxilio gratiæ. Voluntas autem creata habet ex seipsa, quòd possit consentire peccato, & liberè consentire per iudicium rationis indifferens; habet etiam ex se, quòd possit impedimentum præstare, ne illi detur auxilium gratiæ, & hoc competit voluntati creatæ; quia facta est ex nihilo: propter hanc enim rationem est peccabilis, & defectibilis secundùm se, vt ex S. Aug. docet S. Thom. locis disp. 101. num. 8. allegandis. Similiter etiam in quibuscunque occasionibus

A potest non consentire peccato, sed resistere saltem ex auxilio gratiæ. Etenim, vt absolutè dicatur teneri ad aliquem actum, non requiritur, quòd possit illum producere ex sola facultate naturæ, sed sufficit, quòd possit vel ex se, vel ex auxilio gratiæ. Colligitur manifestè hæc solutio ex S. Thom. 1.2. q. 109. art. 4. ad 2. & art. 8. ad 1. & 2.2. q. 2. art. ad 1. & 3. cont. Gent. ca. 159. Nihilominùs dicendum est, quòd, suppositio, quòd voluntas se liberè impediuit, ne daretur illi auxilium gratiæ necessarium, ad vitandum aliquod peccatum, in casu, quo immineant vehementes tentationes, vel in alio casu; necessariò incidet in illud peccatum, non quidem necessitate absoluta: nam hæc repugnat libertati; sed necessitate infallibilitatis, aut consequentiæ, siue necessitate ex suppositione, quæ est necessitas secundùm quid, non obstans libertati: vt disp. 25. ostensum est. Eodem modo respondetur ad auctoritatem Anselmi in argumento inductam.

Voluntas ex suppositione necessitatur ad peccandum, non tamē simpliciter.

B

Ad confirmationem, ex auctoritate S. Augustini locis allegatis, respondetur, esse potiùs pro nobis: confirmat enim, quod diximus, videlicet liberum arbitrium creatum, maximè, quando est subiectum diabolo per peccatum, ex se posse consentire peccato, & liberè consentire, quamuis ex suppositione prædicta necessariò consentiat, necessitate infallibilitatis, vt latè docet S. Thom. 3. cont. Gent. cap. 160. Sed tamen, quòd resistat viriliter, & pugnet in grauioribus tentationibus, nunquam docuit Augustin. voluntatem hoc ex seipsa habere absque auxilio gratiæ; sed potius docet oppositum. Etenim in lib. de gratia Christi contra Pelagium & Cælest. c. 27. arguit Pelagium, quia dicebat, per solas vires naturę posse hominem resistere nequam spiritui. Verba Augustini sunt: *Volens vtique credi sanas esse naturæ vires, quas extollendo præcipitat, vt etiam sine auxilio Spiritus sancti, & si minus facile, tamen aliquo modo nequam spiritui resistatur*: ergo, &c.

C

XXI. Ad auctoritatem S. Hieron. respondetur, quod ex verbis illius solùm concluditur, hominem posse, absque auxilio gratiæ, facere aliquod bonum suæ naturæ proportionatum, quod nos libentissimè fatemur: non tamen potest, ex sola facultate naturæ, perseuerare in illo bono vsque in finem. Similiter etiam non potest superare grauissimas tentationes, etiam breui tempore absque auxilio gratiæ: nec S. Hieron. docet ibi, neque alicubi contrarium.

D

Ad sextum argumentum negamus sequi ex nostra sententia, quod causæ naturales excitantes vehementes passiones, necessitatem inferant voluntati, aut auferant ab illa suam innatam libertatem: quia, vt dictum est, voluntas potest elicere consensum in peccatum, & peccare ex se ipsa: & similiter potest resistere quibuscunque tentationibus, ex auxilio tamen præuenientis, ac præoperantis gratiæ, vt dictum est.

Causæ naturales, vel passiones non necessitant voluntatē ad peccādum.

Ad septimum respondetur, quod, vt ostensum est disp. 47. liberum hominis arbitrium in puris naturalibus maiores vires habuisset ad bonum exequēdum, quàm nunc habeat absque auxilio gratiæ in natura lapsa. Vnde ex eo, quod in puris naturalibus posset per facultatem naturæ implere pro quolibet instanti quodcunque præceptum sibi connaturale, non sequitur, quod in natura lapsa id possit absque auxilio gratiæ.

E

Ad confirmationem respondetur, quod continere consensum in peccatum, & viriliter pugnare in euentibus singulis, vbi adest notabilis difficultas, aut elicere contrarium dissensum, non est proprium liberi arbitrij infirmi, & vulnerati, nisi prius sanetur, & adiuuetur per gratiam, vt S. Thomas dicit prima secundæ quæstione 109. artic. 4. de dilectione

Digitized by Google

naturali Dei ſuper omnia, quæ propria eſt hominis in natura integra, & ad illam in eo ſtatu habebat ſufficientes vires; non tamen in natura lapſa: ſicut etiam proprium eſt hominis poſſe currere, non tamen hoc eſt proprium hominis infirmi.

XXII. Ad octauum negatur conſequentia: nam, etiam quando motus inordinati appetitus ſenſitiui ſunt vehementes, poteſt liberum arbitrium illis reſiſtere per auxilium gratiæ, & eos ſubiicere rationi. Vnde ſemper manet dominus ſuorum actuum: & appetitus manet illi ſubiectus, niſi homo ſua culpa ſe velit illis ſubiicere, impedimentum præſtando, ne illi conferatur auxilium gratiæ, per quod eos reprimere poſſit, & reprimat.

Ad nonum negatur ſequela. Ad probationem reſpondetur, quod nullus peccat in eo, quod vitare non poteſt, vel ex propriis viribus naturalibus vel ex auxilio gratiæ. Et eodem modo reſpondetur ad illam propoſitionem: Nemo tenetur ad impoſſibile; videlicet ad impoſſibile, quod etiam per gratiam eſt impoſſibile. Illud enim, quod per amicos poſſumus, per nos poſſumus, vt dicit Ariſt. Solutio eſt S. Tho. 1.2. quæſt. 109. art. 4. ad 2. 2.2. quæſt. 2. art. & ad primum.

Ad decimum reſpondetur, quòd inclinatio vehemens ad bonum, quæ erat in aliquibus viris ſanctiſſimis, præſertim in B. Virgine, non procedebat ex ſola natura: *Senſus enim, & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua*, ſed procedebat ex auxilio gratiæ: quod quidem auxilium mouebat eorum voluntatem, vt liberè operarentur bonum, iuxta modum eiuſdem voluntatis. Vnde mouebat ad ſic operandum infallibiliter tale bonum, vt poſſent illud non operari, ſi vellent: quamuis ſtante motione illa efficaci, impoſſibile erat in ſenſu compoſito, quod non operarentur illud bonum, vt ex dictis in diſp. 25. conſtat. Sicut ergo voluntas humana cuiuſcunque Sancti, quantumuis perfecti, ſtante vehementi hac inclinatione ad bonum, libera erat ad operandum bonum illud ex auxilio gratiæ, & ad non operandum ex ſeipſa, eo quòd, non operari, cùm ſit negatio, nullum prærequirit auxilium gratiæ; quia negatio dicitur tam de eo, quod eſt, quam de eo, quod non eſt: ita proportionabiliter voluntas aliorum, exorta quacunque vehementi tentatione, libera in quocunque inſtanti manet, & potens ad non conſentiendum, & conſentiendum malo aliter tamen, & aliter. Nam hoc vltimum, id eſt, conſentire malo, poterit ex ſe, quia ex natura ſua defectibilis eſt, eò quòd ex nihilo creata eſt. Primum autem, id eſt, non conſentire malo, quod fit, proſequendo bonum oppoſitum, poterit ex auxilio gratiæ & non aliter, ſuppoſita infirmitate naturæ, & vehementi tentatione exorta. Et ratio eſt, quam 1.2. q. 112. art. 3. ad ſecundum aſſignat S. Thomas: quia defectus prima cauſa eſt ex nobis: boni autem prima cauſa eſt ex Deo, ſecundùm illud: *Perditio tua ex te Iſraël, tantummodo in me auxilium tuum.* Nec enim ad libertatem arbitrij eſt neceſſarium, quòd homo relictus ſuæ naturæ, poſſit conſentire, & non conſentire cuicunque obiecto ſibi propoſito: ſed ſufficit, quòd id poſſit vel ex ſe, vel ex auxilio gratiæ. Aliàs nullus iuſtus, quantumuis perfectus, haberet liberum arbitrium ad diligendum Deum, vt eſt auctor ſupernaturalis: nam ſuæ naturæ relictus, ſecluſo quocunque auxilio gratiæ, talem actum elicere non valet: neque in illum conſentire, quantumuis ex ſe conetur, ſupernaturalem dilectionem producere, licet propriis viribus elicere poſſit actum contrarium charitati.

Geneſ. 8.

Oſee 13.

FINIS LIBRI SEXTI.

DE

DE AVXILIIS DIVINÆ GRATIÆ, ET HVMANI ARBITRII VIRIBVS, ET LIBERTATE, AC LEGITIMA EIVS CVM EFFICACIA eorundem Auxiliorum concordia,

Liber Septimus.

IN QVO EXPLICATVR, QVAS VIRES HABEAT Liberum Arbitrium, præsertim in natura lapsa, sine Auxilio Gratiæ in ordine ad bonum supernaturale consequendum.

POST, hæc inquirendum est, quid per facultatem naturæ possit liberum arbitrium, in ordine ad consequutionem gratiæ tam habitualis, quàm actualis. Et priùs id inquirendum est de libero arbitrio, antequam recipiat priora auxilia præuenientis gratiæ: deinde erit hoc ipsum disputandum de libero arbitrio in ipsa receptione priorum auxiliorum gratiæ, & postquam à Deo accepit eadem auxilia. Circa primum tria sunt consideranda.

I. Vtrùm absque auxilio gratiæ possit homo, propriis viribus, saltem remotè, se disponere ad consequendam gratiam, petendo, quærendo, pulsando.

II. Vtrùm facienti totum, quod in se est, ex solis viribus naturæ, dentur infallibiliter, & ex certa lege auxilia supernaturalia præuenientis gratiæ, quibus id prout oportet ad salutem, exequatur; & aliàs regulariter non dentur.

III. Vtrùm, ratione maioris conatus liberi arbitrij, consequatur homo auxilia maiora, seu intensiora excitantis, & præuenientis gratiæ.

DISPVTATIO LV.

Vtrùm absque Auxilio Gratiæ possit homo, saltem remotè, se disponere ad consequendam gratiam, petendo, quærendo, pulsando, &c.

VT error Pelagianorum, & Semipelagianorum asserentium, primum initium gratiæ procedere ex naturali facultate nostri arbitrij, vt ex dictis in 1. & 2. disputat. constat. Sed contra istum errorem non oportet modò disputare: satis enim illum impugnauimus disp. 49. num. 12.

Prima ergo sententia est Durandi in 1. sent. q. 6. prolog. art. 3. & in 2. dist. 28. q. 5. vbi docet, quòd homo per vires liberi arbitrij potest se disponere ad gratiam, dispositione, cui detur gratia non ex debito, sed ex pacto, & ordinatione diuina. Inter recentiores Theologos sunt, qui asserát, quòd, sicut vnum peccatum permitti solet in pœnam alterius peccati, sic propter eleemosynas, & alia moraliter bona, facta ab existente in lethali peccato, consueuit sæpe Deus opitulari citiùs, ac magis vni, quàm alteri, vt à peccato resurgat; eáque ratione eiusmodi opera non immeritò appellari consueuerunt dispositiones remotæ ad gratiam.

Probatur hæc sententia primò argumento Durandi: nã, licèt anima rationalis creetur à solo Deo; homo tamen habet naturalem virtutem, vt disponat materiam ad introductionem animæ rationalis: ergo proportionabiliter, quamuis gratia sit effectiuè à solo Deo, liberum tamen arbitrium poterit, naturali virtute elicere dispositionem, cui ex pacto diuino, & non ex debito respondeat gratia.

Secundò, Liberum arbitrium, cùm disponitur ad gratiam habitualem consequendam, aliquid ex se operatur; aliàs haberet se merè passiuè, tanquam inanime quoddam, si nihil ex se conferret: quod tamen asserere, est hæresis Lutheri: ergo ex se aliquid efficit, quo disponatur ad gratiam.

Tertiò, Vltima dispositio ad gratiam est consensus, quo liberum arbitrium assentitur Deo vocanti, sed, suppositâ vocatione diuina, quòd liberum arbitrium consentiat, vel non consentiat; non aliunde est, quàm ab innata ipsius libertate: ergo idem, quo priùs.

Quartò idipsum probatur de dispositione saltem remota. Existens in peccato mortali potest operari, ex solis viribus naturæ, plura opera bona moraliter,

liter, vt facere eleemosynas ex pietate naturali, aliquas preces ad Deum fundere, infirmos visitare, &c. Sed propter huiusmodi opera sæpissime Deus confert auxilia præuenientis gratiæ, & si homo illis auxiliis bene vtatur (quod in facultate eius est positum) consequetur gratiam habitualem: ergo potest ex viribus naturæ se disponere ad gratiam, saltem remote.

Confirmatur. Vt constat ex c. 10. Act. Apost. Cornelius propter orationes, & eleemosynas vocatus fuit ad fidem Christi: & Genes. 22. propter insignem illam obedientiam, dixit Dominus ad Abraham: *Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi*, &c. ergo propter bona opera consequitur vnus potius, quam alius auxilia præuenientis gratiæ: ergo per eadem bona opera aliquo modo se disponit ad consequutionem gratiæ.

III. Quintò arguitur: nam rationi est valde consentaneum, quòd Deus speciali auxilio gratiæ suæ illum potius adiuuet, & ad se trahat, qui intendit prædictis bonis operibus moralibus, quam alium, qui, abutens suo arbitrio, quamplurima peccata absque timore committit: ergo per illa bona opera aliquo modo se disponit ad gratiam.

Confirmatur ex illa parabola Matth. 25. qua, distribuens talenta, *vni dedit quinque, alij vero duo, alij autem vnum, vnicuique secundum propriam virtutem.* quibus verbis significari videtur, Deum suæ gratiæ dona distribuere secundùm virtutem vniuscuiusque: ergo talis virtus est aliqualis dispositio, saltem remota, ad consequutionem gratiæ.

Confirmatur secundò. Qui habet bonas inclinationes à natura, & fortitus est animam bonam, & postmodum se exercet in bonis operibus, est minùs elongatus à gratia, quam alter, corruptis moribus inquinatus: ergo habet aliquam dispositionem ad illam.

Sextò, Angeli consequuti sunt gratiam, secundùm quantitatem suorum naturalium, vt docet S. Thom. 1. p. q. 62. art. 6. ergo per naturalem virtutem aliquo modo se disposuerunt ad gratiam: ergo & homo poterit eodem modo se disponere.

Septimò, Maior distantia est, & improportio inter humanitatem, & vnionem hypostaticam, seu esse Verbi, quàm sit inter bona opera moralia, & donum habitualis gratiæ; etenim inter humanitatem, & Verbum est distantia infinita, quæ non reperitur inter bona opera moralia, & gratiam; sed ex parte naturæ humanæ est congruitas ad vnionem hypostaticam, vt docet S. Thom. 3. p. quæst. 4 art. 1. ergo ex parte bonorum operum moralium est congruitas ad gratiam: ergo sunt dispositiones saltem remotæ, quibus de congruo correspondeat gratia: quamuis non ex debito, neque merito nostri liberi arbitrij.

IV. Secunda sententia est S. Augustini & S. Prosp. locis infrà allegandis, quam sequitur S. Thom. 1. 2. q. 109. art. 6. & q. 24. de verit. art. 15. & 3. cont. Gent. c. 149. & omnes Thomistæ; quòd videlicet nulla sit dispositio ad gratiam ex sola facultate naturæ. Et quoniam hæc sententia est certissima, pro eius expositione notandum, in hac parte nos loqui posse de gratia ipsa habituali, aut verò de auxilio actuali, quo ad piè operandu liberum arbitrium mouetur à Deo. Quod ergo attinet ad gratiam habitualem, sit

Dispositio vltima ad gratiã haberi nõpotest ex solis viribus naturæ.

PRima Conclusio. Vltima dispositio ad gratiam non potest haberi ex solis viribus naturæ, sed ad illam requiritur necessariò speciale Dei auxilium interiùs mouentis liberum arbitrium, & bonum illi inspirantis. Ita docet S. Thom. locis citatis, & in 2. sent. dist. 5 q. 2. art. 1. & dist. 28 art. 4. & de verit. q. 24. art. 15. quod l. art. 7. & ad Hebræos 12. lect. 3. Ferr. 3. cont. Gent. c. 149. cit. & est communis antiquorum sententia. Probatur omnibus argumentis, quibus disput. 54. concl. 2. ostensum est contra Pelagianos, auxilium gratiæ speciale esse simpliciter necessariũ ad salutem. Præterea probatur ex illo Prou. 8. *Præparatur voluntas à Domino*, quo testimonio Concil. Araus. can. 4. probat, ipsum velle purgari à peccato, quo homo præparatur ad gratiam, procedere in nobis ex Spiritus sancti infusione, & operatione. Idem probat ex eodem testimonio S. August. lib. 1. contra duas epist. Pelag. c. 8. & lib. 4. cap. 6. & libr. de prædest. Sanctorum, & de dono perseu. sæpissime in quibus locis tenet, præparationem ad gratiam esse ex speciali auxilio præmouentis gratiæ. Idem probat ex eodem testim. S. Prosp. li. de gratia, & lib arb. ad Ruffinum, vbi ait: *Quis ambigat, tunc liberum arbitrium conuersationi vocantis obedire, cum in illo gratia Dei affectum credendi, obediendique generauerit? alioquin sufficeret, moueri hominem, non etiam in ipso nouam fieri voluntatem, sicut scriptum est: Præparatur voluntas à Domino.* Neque obstat, quod idem Salomon Prou. 16. c. inquit: *Hominis est præparare animam.* Intelligit enim, hominis esse, quia liberè producit consensum, quo præparatur ad gratiam, sed tamen id efficit, supposito auxilio speciali Dei inspirantis bonum, & interiùs mouentis. Sic explicat istum locum S. August. lib. 2. cont. duas epist. Pelag. c. 8. cita-10, & lib. de gratia, & lib. arbitr. cap. 5. Eodem modo explicanda sunt illa verba Scripturæ: *Si quis aperuerit mihi, introibo.* & illud Isai. 30. *Expectat Deus, vt misereatur vestri.* Non enim expectat consensum nostrum, qui ex sola facultate naturæ procedit, quasi talis consensus naturalis sit dispositio ad gratiam; sed expectat consensum, quem tamen ipse in nobis, atque nobiscum caussat per speciale auxilium præuenientis gratiæ, vt disputatione 95. manifestum fiet.

V. Apoc. 3.

Secundò probatur ex illo ad Hebr. 12. *Deus autem pacis aptet vos in omni bono, vt faciatis eius voluntatem, faciens in vobis, quod placet coram se per Iesum Christum.* Quem locum explicans S. Thom. ibidem, lect. 3. inquit: *Dupliciter autem aptatur homo ad bene faciendum, vno modo exterius operando, & sic vnus homo aptat alium persuadendo, vel comminando: alio modo aliquid interius exhibendo; & sic solus Deus aptat voluntatem, qui solus ipsam potest immutare, secundum illud Prou. 21.* Cor Regis in manu Domini, quocunque voluerit, vertet illud: ergo, &c.

Aptatur homo dupliciter ad bene operandum.

Tertiò probatur ex Conc. Trid. sess. 6. de iustific. cap. 5. vbi docet sancta Synodus, homines peccatores per excitantem, atque adiuuantem Dei gratiam, ad conuertendum se ad suam ipsorum iustificationem, eidem gratiæ liberè assentiendo, disponi. Vbi satis apertè dicit, dispositionem vltimam ad gratiam esse ex auxilio gratiæ. Quem locum disp. 51. & 52. explicatum dedimus, & idem constat ex can. 3. & 4. eiusdem sess. & ex sess. 14. canon. 4. de Sacramento pœnitentiæ.

Quartò probatur. Vltima dispositio ad gratiam est initium nostræ iustificationis: ergo, si illa procedit, aut procedere potest ex sola facultate naturæ; initium nostræ iustificationis, & salutis erit ex nobis; quod tamen asserere Pelagianum est; vt omnes Catholici fatentur.

Quintò: nam, vt disp. 68. patebit, vltima dispositio ad aliquam formam est ab ipsa forma in genere causæ formalis, aut efficientis: ergo vltima dispositio ad gratiam habitualem est ex auxilio eiusdem gratiæ: non ergo potest procedere ex sola facultate naturæ. Videantur aliæ rationes optimæ pro hac conclu

Digitized by Google

conclusione apud S. Thom. 3. contra Gentes, ch. 149. citato. Hæc conclusio ampliùs patebit ex sequentibus.

VI. Dispositio etiã remota ad gratiam haberi non potest ex solis viribus naturæ.

Secunda Conclusio. Nulla dispositio remota ad gratiam haberi potest ex sola facultate naturæ, siue sit petere, siue desiderare ipsam gratiam, siue quodlibet aliud: sed ad illam necessario requiritur speciale auxilium præmouentis gratiæ. Hæc cõclusio est certissima, & colligitur ex doctrina S. Augustini, Prosp. & S. Thom. locis sup. citatis. Et probatur rationibus factis pro conclusione præcedenti; quæ istam etiam probant. Etenim non solùm dispositio vltima, sed etiam dispositio remota ad gratiam est verè aliquod initium nostræ iustificationis, & salutis; licèt in hoc differant, quòd dispositio proxima sit initium perfectum: dispositio autem remota initium imperfectum. Sed nullum initium nostræ salutis; etiam imperfectum, est ex nobis, vt probat S. Aug. li. de prædest. Sanctorum, præsertim c. 3. & 4. & lib. 4. contra Iulianum Pelag. c. 6. vbi inter alia inquit: *Ibi enim vos, vt video, ponere iam cœpistis merita gratiam præcedentia, quod est petere, quærere, pulsare, vt iis meritis debita illa reddatur, ac sic gratia inaniter nuncupetur, tanquam gratia nulla præcesserit, & cor tetigerit, vt beatificum bonum peteretur à Deo, vt quæreretur Deus, vt pulsaretur ad Deum, frustráque sit scriptum: Misericordia eius præueniet me.* & idem dicit Prosper contra Collatorem, cap. 4. & seqq ergo. Confirmatur: nam, vt diximus disput. 2. inter alios errores Semipelagianorum, vnus fuit, quo asserebant, imperfecta desideria præcedere gratiam, & quasdam imperfectas inchoationes illius, quæ ortum habebant ex vigilantia liberi arbitrij: sed remotæ dispositiones ad gratiam sunt imperfectæ inchoationes illius: ergo.

Pſal. 58. Num. 13. & 25.

Secundò probatur. In naturalibus non solùm dispositio vltima, sed etiam dispositio remota est effectiuè ab eodem agente, à quo producitur forma: etenim non solùm calor, vt octo, quo materia proximè disponitur ad introductionem formæ ignis, est effectiuè ab igne generante; sed etiam calor, vt vnum; & vt quatuor, &c. Sed gratia habitualis est effectiuè à Deo secundùm illud Psalmistæ: *Gratiam, & gloriam dabit Dominus*: ergo.

Pſalm 83.

VII. Tertiò probatur ratione S. Thomæ 3. cont. Gent. c. 149. & super c. 5. ad Hebr. lect. 1, in illa verba: *Nec quisquam sumit sibi honorem*, &c. Nihil disponit seipsum ad statum altiorem sua natura, nec perducit se ad illũ, nisi perducatur ab alio superiori agente, sicut aër non facit seipsum ignem, sed fit a superiori virtute. Sed gratia habitualis est supra totã naturam creatam intellectualem: ergo nulla natura creata disponit seipsam propria virtute, etiam remote, ad consequutionem gratiæ. Confirmatur. Omnis actio, procedens ex sola facultate naturæ, est inferioris ordinis ad gratiam, & improportionata illi: ergo non potest esse dispositio ad illam, etiam remota; omnis enim dispositio debet esse eiusdem ordinis cum forma.

VIII. Propter bona opera naturæ Deo non confert auxilium gratiæ.

Denique probatur ex Conc. Trident. sess. 14. de Sacram. pœnit. cap. 4. vbi, vt disput. 51. & 52. ostendimus, docet sancta Synodus: *Contritionem imperfectam, & c. esse donum Dei, & Spiritus sancti impulsum, nõ adhuc quidem inhabitantis, sed tantum mouentis, quo pœnitens adiutus, viam sibi ad iustitiam parat.* Quibus verbis asserit Concilium, illam dispositionem remotam esse à Deo per auxilium speciale præmouentis gratiæ, & eadem ratio est de quacunque alia dispositione remota. Vt autem aperiamus, quid sentiendum sit de actuali auxilio gratiæ, sit

Tertia Conclusio. Sententia, quæ asserit, quòd propter eleemosynas, & alia opera moraliter bona, facta ab existente in peccato mortali, Deus conferat vni magis, quàm alteri auxilium gratiæ, secundùm legem ordinariam, vel citiùs adiuuet illum; est contra S. Augustinum, sanctum Prosperum, & sanctum Thomam. Quòd sit contra sanctum Augustinum, patet ex locis pro conclusione præced. allegatis, sed præsertim ex lib. 2. quæstionum ad Simplicianum, q. 2. circa finem; vbi explicans, quam occulta sit electio Dei ad salutem, sic ait: *Certe ita occulta est hac electio, vt in eadem conspersione nobis prorsus apparere non possit, aut si apparet quibusdam, ego in hac re infirmitatem meam fateor. Non enim habeo, quod intuear in eligendis hominibus ad gratiam salutarem, si ad examen huius electionis aliqua cogitatione permittor, nisi vel maius ingenium, vel minora peccata, vel vtrumque: addamus etiam, si placet, honestas, vtiléſque doctrinas. Quisquis ergo fuerit his præditus, eligendus videtur ad gratiam? Sed cùm hoc statuero, irridebit me ille, qui infirma mundi eligit, vt confundat fortia, & stulta mundi, vt confundat sapientes, vt eum intuens, & pudore correptus, ego irrideam multos, & pra quibusdam peccatoribus castiores, & pra quibusdam piscatoribus oratores.* Quod statim probat exemplis: *Nónne*, inquiens, *aduertimus multos fideles nostros, ambulantes viam Dei, ex nulla parte ingenio comparari, non dicam quorundam hæreticorum, sed etiam minorum? Item non videmus quosdam homines vtriusque sexus in coniugali castitate viuentes sine querela, & tamen vel hæreticos, vel Paganos, vel etiam in vera Fide & vera Ecclesia sic tepidos, vt eos miremur meretricum, & histrionum subito conuersorum non solùm sapientia, & temperantia, sed etiam Fide, Spe, Charitate superari?* Confirmatur: nam sæpissimè S. Aug. docet, nullam esse rationem ex parte nostra, propter quam conferat Deus auxilia gratiæ huic potiùs quàm alteri, sed præsertim super 10. in illa verba: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit illum*, inquit: *Quare istum trahat, & illum non trahat, noli velle iudicare, si non vis errare.* Et semper reducit vocationem nostram ad gratuitam, & meram voluntatem Dei, secundùm illud Matt. 11. *Confiteor tibi Pater, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis; ita Pater, quoniam sic placitum fuit ante te.* Et ad Rom. 9. *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Sed si sententia, quam impugnamus, vera esset, iam posset assignari aliqua ratio, vel conditio, ex parte nostra, propter quam Deus conferret auxilia gratiæ vni magis, quàm alteri: & ita vocatio non reduceretur in meram, & gratuitam voluntatem Dei, & consequenter neque electio.

Aug. tom. 4

2. Cor. 1.

Auguſt.

Ioan. 6.

IX. Secundò probatur ex S. Prospero, qui in lib. contra Collatorem, cap. 6. impugnat Cassianum. quia dixit, auxilia gratiæ dari à Deo propter imperfecta quædam desideria, antecedentia gratiam, quæ dimanabant ex vigilantia nostri arbitrij, & propter opera quædam imperfecta, qualia sunt petere, quærere, pulsare, &c. vt patet ex verbis illius suprà inductis.

Respondent, Cassianum meritò reprehendi propter hoc, quia dicebat, gratiam dari propter illa bona opera, tanquam propter meritum, & propter opera pietatis, habentia proportionem cum gratia; ita vt quandam vim inferrent regno Dei, quod tamen non asserit sententia superiùs adducta. Sed hæc solutio videtur contra ipsum contextum S. Prosp. qui in c. 6. cit. sic ait: *Quomodo autem non aduertis, te in illum damnatum, errorem incidere, quòd, velis nolis, conuinceris dicere, gratiam Dei secundum merita nostra dari cùm aliquid præcedere boni operis ex ipsis hominibus propter quod gratiam consequantur, affirmas? non enim nullius meriti haberi potest petentis fides, quærentis pietas, pulſantis instantia, præcipuè cùm omnes eiusmodi & accipere, & intrare dicantur.* Ex quibus verbis, & ex his, quæ disput. 2. diximus, satis constat, Cassianum non po-

Digitized by Google

fuisse expressis verbis meritum ipsius gratiæ, quod etiam affirmauit Faustus, vt patet ex 1. lib. de lib. arb. quem conscripsit: vbi reprehendit Pelagium, eò quòd asseruerit gratiam secundùm merita nostra dari; sed tamen ex dictis Cassiani cum redarguit, & conuincit Prosper, quòd velit nolit, relabatur in damnatum errorem Pelagij dicentis, gratiam secundùm merita nostra dari. Et idem argumentum facit contra Cassianum Maxentius in responsione ad epistolá Hormisdæ Papæ. Confirmatúr hoc ex verbis eiusdem Prospori, cap. 37. eiusdem libri, vbi ait, *Quoquouersum ergo te conferas, à temetipso & vinceris, & vinceris. Si enim gratiam merita non præcedunt, & fides non potest esse sine meritis; fides gratiam non præcedit: & omni modo ex gratia habetur, quidquid illud est, ex quo meritum nascitur quod ante gratiam non habetur.*

X. Tertiò probatur ex S. Thom. 1. 2. q. 112. artic. 3. in corp. vbi inquirit: Vtrùm necessariò detur gratia præparanti se ad illam, & respondet, quòd præparatio, si consideretur, *secundum quòd est à libero arbitrio, nullam necessitatem habet ad gratiæ cõsequutionem; quia donum gratiæ excedit omnem præparationem virtutis humanæ*; si autem consideratur, *secundum quòd est à Deo mouente*, habet necessitatem infallibilitatis; nam ad illam infallibiliter consequitur gratia. Sentit ergo, quòd nulla præparatio ad gratiam, etiam remota haberi potest ex sola facultate naturæ. Hæc conclusio patebit ampliùs, ex iis quæ disput. 56. conclusione prima subiiciemus. Occasione huius controuersiæ disputant multi Thomistæ contra Scotum; Vtrùm præparatio aliqua ad gratiam habitualem ipsam gratiam mereatur, saltem de congruo: sed ista difficultas habet propriam sedem, eadem 1. 2. quæstione 114. articulo 5. de qua inferiùs agendum erit.

XI. AD primum argumentum respondetur, quòd anima rationalis est eiusdem ordinis naturalis cum dispositionibus, positis ab homine virtute propria, quæ præsupponuntur ad vnionem illius cum materia: vnde, quamuis creetur à solo Deo, potest nihilominùs, homo propria virtute disponere materiam ad introductionem illius. Gratia autem est superioris ordinis ad omnem præparationem virtutis humanæ. vnde nulla præparatio ex sola facultate naturæ potest esse dispositio ad illam. Est & alia differentia nam anima rationalis secundùm se habet esse incompletum, independens à materia: quòd autem præuiis dispositionibus naturalibus vniatur corpori, competit illi, inquantùm est naturalis forma compositi. Gratia verò, cùm non creetur propriè, sed educatur de potentia obedientiali intellectualis creaturæ, non habet esse per se subsistens, neque est forma naturalis alicuius creaturæ, sed neque esse potest, vt disput. 69. patebit. Vnde dispositio ad illam non potest procedere ex sola facultate naturæ. Confirmari potest, & explicari magis hæc solutio. nam, vt docet S. Thom. 1. p. q. 70. art. 3. Sol, & quodcunque corpus cœleste non attingit virtute proptia vnionem animæ cum corpore, seu productionem viuentis, quia nullus effectus excedit virtutem, & perfectionem suæ causæ; corpus autem cœleste, cùm non sit viuẽs, exceditur simpliciter à quocunque corpore viuente, sed tamen virtute intelligentiæ, à qua mouetur, potest producere viuentia, & disponere materiam ad vnionem animæ cum corpore. Proportionabiliter dicimus in præsenti, quòd, cùm gratia sit superioris ordinis ad omnem substantiam creatam, atque adeò excedat virtutem naturalem illius, nulla præparatio creaturæ potest secundùm se esse dispositio ad gratiam, nisi quatenus procedit ex motione superioris agentis, per auxilium speciale diuinæ gratiæ.

Corpus cœleste non attingit virtute propria productionem viuentis.

Ad secundum respondetur quòd, vt docet S. Tho. 1. p. quæst. 105. articulo 4. ad 2. & 3. dupliciter potest intelligi, quòd liberum arbitrium aliquid ex se operetur, quando elicit consensum. Primò ita, vt operari ex se, idé significet, quod moueri ex se, hoc est, a principio actiuo intrinseco, & isto modo, quotiescunque voluntas aliquid liberè operatur, operatur illud ex se, ideſt, ex principio intrinseco: de ratione enim agentis liberi est, vt isto modo operetur ex se. Alio modo potest accipi operari ex se, siue moueri ex se, ita vt excludat hoc, quod est moueri ab alio agente extrinseco, seu motionem agentis extrinseci; & in isto sensu liberum arbitrium creatum nihil operatur ex se, vt disput. 96. & 97. patebit: quia non habet esse à seipso, sed ab alio: neque est primum agens simpliciter, sed solum agens proximum; atque adeò ita operatur ex proprio principio intrinseco, vt hoc ipsum operari accipiat à primo operante simpliciter tanquam à primo mouente. Non enim est de ratione causæ liberæ, vt principium intrinsecum, à quo actio libera procedit, sit primum principium illius, sicut nec de ratione causæ est, quòd sit prima causa. Hanc doctrinam prosequitur S. Thom. eadem 1. p. qu. 83. art. 1. ad 3. & in 2. sententiarum, distinct. 37. q. 1. art. 2. in corpore, de qua etiam inferiùs redibit sermo. Dicimus ergo ad argumentum quòd, dum liberum arbitrium consentit Deo vocanti, operatur quidem aliquid ex se in primo sensu, id est, ex principio intrinseco; non tamen operatur aliquid ex se, in secunda acceptione sed ipsum consentire habet ex auxilio efficaci præuenientis gratiæ, secundùm illud ad Philippens. 2. *Deus est enim, qui operatur in nobis velle, & perficere.* & 1. Cor. 4. *Quid habes, quod non accepisti? &c.*

XII. Liberum arbitrium creatum in quo sensu operetur aliquid ex seipso.

Ad tertium respondetur, præter vocationem sufficientem, quæ tribuit voluntati posse consentire, requiri etiam, vt actualiter consentiat, vocationem efficacem, qua fiat consentiens. Hanc enim duplicem vocationem tanquam distinctam, constituit S. Aug. lib. de prædest. Sanctorum, cap. 16. vt disput. 71. videbimus. Quòd ergo liberum arbitrium consentiat, vel non consentiat Deo vocanti, in potestate, ac libertate illius est constitutum, aliter tamen & aliter hoc illi competit. Quòd enim non consentiat, sed resistat vocationi, non aliunde prouenit, quàm ab innata eius libertate, quæ cùm sit ex nihilo, deficere potest. Quòd autem consentiat, est quidem ab innata libertate voluntatis, elcuatæ tamen & motæ, per auxilium efficax præuenientis gratiæ. Vnde sola innata libertas non potest se disponere ad iustificationem. Et ad propositionem allatam in argumento respondetur, quòd, supposita vocatione sufficiente, aliunde est, quàm ab innata libertate, quòd homo cõsentiat, procedit enim hoc ab auxilio efficaci præmouente, quod, vt disputatione 71. & 72. patebit, distinctum est ab auxilio sufficiente. Supposito tamen auxilio efficaci, quòd voluntas consentiat, nõ aliunde est, quàm ab innata libertate, sed tamen innata libertas non est primum incipiens, nec prima causa simpliciter illius consensus, sed secunda, vt disputatione 89. & 98. manifestum fiet.

XIII. Dissentire vocationi Dei prouenit ex sola innata arbitrij libertate, consentire autẽ ex auxilio gratiæ.

Ad quartum respondetur, quòd, vt dictum est, Deus non confert gratiam propter bona opera moralia, facta ex sola facultate naturæ, quia homini existenti in peccato mortali, nihil debetur, nisi pœna æterna. Vnde, si detur illi gratia habitualis, vel actualis, erit pura Dei misericordia. Ad confirmationem respondetur, quòd Cornelius, quando ad illum missus est Petrus, non erat in peccato mortali, sed in gratia. Dicitur enim Act. 10. cap. quòd *erat religiosus, & timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi, & deprecans Deum semper.* Vnde oratio-

XIV. Cornelius erat in gratia, cum propter eleemosynas

nes,

Digitized by Google

ad illum missas est Petrus.

nes, & eleemosynæ illius procedebant ex speciali motione Spiritus sancti; atque adeò propter talia opera potuit Deus illi concedere fidem Christi explicitam; cùm priùs habuerit fidem implicitam; & idem dicendum proportionabiliter de obedientia Abrahæ. Ex hoc tamen non bene infertur, quòd sit eadem ratio de operibus moraliter bonis, factis ab existente in peccato mortali, ex sola facultate naturæ; & ratio discriminis ex dictis est manifesta.

Rationi est cõsentaneũ vt in rebus creatis fiat quod Deus vult.

Ad quintum argumentum respondetur, quòd, si Deus velit sua misericordia adiuuare speciali auxilio gratiæ illum, qui ex sola facultate naturæ bene vtitur suo arbitrio, id erit rationi valde consentaneum secundùm ordinem diuinæ prouidentiæ; quia voluntas diuina, quæ est prima regula bonitatis, & conuenientiæ, ita voluit. Si autem occulto iudicio, sed recto, voluerit dare illi auxilium gratiæ excitantis, non autem efficacis, sed relinquere in suo peccato, & damnatione; hoc etiam erit rationi valde consentaneum, secundùm ordinem eiusdem prouidẽtię. Cùm enim gratia nulli creaturæ sit debita, non est secundùm se magis rationi consentaneum, quòd detur huic, quàm illi, sed hoc debet fundari in gratuita donatione Dei; aliàs gratia non esset gratia. Sicut secundùm se, antecẽdenter ad liberam Dei voluntatem, non est magis rationi consentaneum, aut conueniens, quòd ex omnibus creaturis possibilibus Deus creet istas potiùs, quàm illas, sed tota conuenientia desumitur ex libera Dei voluntate, qui voluit dare esse existentiæ creaturis, quas de facto produxit, & non aliis: de quo videndus est S. Thom. 1. p. quæst. 25. artic. 6.

XV. Ad primam confirmationem respondetur cum S. Thom. 2. 2. q. 24. art. 3. ad 1. *quòd illa virtus, secundum quã Deus sua dona dat vnicuique est dispositio, vel præparatio precedens, siue conatus gratiam accipientis; sed hanc etiam dispositionem, & conatum præuenit Spiritus sanctus mouens mentem hominis vel plus, vel minus, secundùm suam voluntatem. Vnde & Apostolus dicit ad Colossenses 1. Qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine.* & ad Ephes. 4. *Vnicuique nostrùm data est gratia secundùm mensuram donationis Christi.* & 1 ad Cor. 12. *Hæc omnia operatur vnus, atque idem Spiritus, diuidens singulis prout vult.* Vnde sola virtus aut conatus naturalis nullo modo disponit ad gratiam, vel ad maius incrementum illius, vt disputatione 57. & 62. manifestum fiet. Eandem solutionem prosequitur S. Thom. de virtutibus in communi, q. 2. quæ est de Charitate, ar. 7 ad 9. vbi eundem locum Matth. explicans, ait: *Quod autem dicitur, dedit vnicuique, secundùm propriam virtutem; non est referendum tantùm ad virtutem naturæ (erroneum est enim dicere, quod dona gratiæ, & gloriæ dentur, secundùm mensuram naturalium) sed intelligenda est virtus, quæ est etiam per gratiam, &c.* Idem docet 1. ad Corinth. 12. lectione 2.

Gratia Dei nostros præuenit bonos conatus.

Gratia non datur secũdum quantitatẽ virtutis naturalis.

Ad secundam confirmationem responderetur: quòd, quamuis ille, qui sortitus est animam bonam, & est bene inclinatus, & pauciora habet peccata, & exercet se in aliquibus bonis operibus moralibus ex sola facultate naturæ, fit minùs elongatus à gratia, quàm alter homo pessimus, neuter tamen est positiue dispositus ad illam, quia omnis operatio, aut virtus naturæ est inferioris ordinis ad gratiam. Vnde non est admittenda ex solis viribus naturæ aliqua dispositio etiam negatiua, ad quam infallibiliter sequatur gratia: nam eadem inconuenientia sequuntur ex eo, quòd talis negatiua dispositio tribuatur naturæ, & non gratiæ. Propter quod sanctus Augustinus ait: *Misericordia tua deputo, peccata quæ non commisi.* Est simile in rebus naturalibus: certum est enim, lignum aridum minùs elongatum esse ab igne, & minùs indispositum ad formam ignis, quàm lignum viride, quod habet qualitates magis repugnantes; & tamen neutrum est dispositum ad formam ignis, nam omnis dispositio est per calorem productum ab igne, vel in virtute ignis, vel alterius causæ superioris.

Ad gratiã nullus positiuè dispo nitur per naturam.

XVI. Ad sextum respondetur, Deum secundùm ordinem suæ prouidentiæ voluisse misericorditer, absque vllo debito, Angelis perfectioribus in natura dare auxilium efficax perfectius, vt intensiùs conuerterentur in Deum, & ita consequerentur maiorem gratiam habitualem, vt esset talis proportio inter Angelos bonos, secundùm ordinem gratiæ, qualis reperitur, secundùm ordinem naturæ. Vnde dispositiuè quantitas gratiæ habitualis data est Angelis, secundùm quantitatem intensionis motus liberi arbitrij, eleuati à Deo per auxilium speciale præuenientis gratiæ: iustificati enim sunt Angeli per propriam dispositionem. Sed tamen quantitas auxilij data est illis gratis, iuxta perfectionem naturæ, propter rationes, quas assignat S. Thom. 1. parte citata, & 2. 2. q. 24 art. 3. ad 3 vbi quantùm ad hoc assignat differentiam inter Angelos, & homines, quibus non datur quantitas auxilij, secundùm quantitatem perfectionis individualis naturæ, vt expressè docet Augustinus quæstione .. ad Simplicianum suprà citatą.

Angelis gratis ex Dei ordinatione datum est auxiliũ gratiæ perfectius iuxta perfectionẽ naturæ.

XVII. Ad septimum respondetur, quòd illa congruitas, qua natura humana est magis assumptibilis a Verbo, quam alia quæcunque natura creata, non attenditur secundùm aliquam dispositionem præcedentem in natura, ortam ex eius viribus, ratione cuius dicat ordinem ad actualem assumptionem; sed secundùm aptitudinem, quæ pertinet ad potentiam obedientialem; & hæc congruitas, vt docet S. Thomas 3. parte, q. 4. art. 1. citato, attenditur secundùm duo, videlicet secundum eius dignitatem, & etiam secundùm eius necessitatem. Secundùm dignitatem, inquantùm est rationalis, & intellectualis, & consequenter est apta nata attingere ipsum Verbum diuinum per suam operationem, cognoscendo, & amando ipsum, secundùm necessitatem: quia indigebat reparatione. Dispositio autem ad gratiam habitualem, de qua loquimur in præsenti, non attenditur tantùm secundum potentiam obedientialem, quæ naturaliter competit homini, secundùm illud dictum Augustini: *Posse habere fidem naturæ est hominum*, vbi per, *posse*, intelligitur capacitas naturalis ad fidem, quam non habet lapis: sed attenditur secundum actualem preparationem proximam, vel remotam, quæ, vt dictum est, debet esse eiusdem ordinis, cum ipsa gratia. Vnde non est simile.

Natura humana secũdum quandà cõgruitatem fuit magis assumptibilis à Verbo, quàm alia natura. L. 3. de præd. SS. c. 5.

DISPVTATIO LVI.

Vtrùm facientibus totum, quod in se est, ex solis viribus naturæ, dentur à Deo infallibiliter, & ex certa lege auxilia præuenientis gratiæ, quibus id, prout oportet ad salutem, exequantur.

QVIDAM partem defendunt affirmatiuam, quam explicant quatuor dictis. Primum dictum: Secundùm legem ordinariam, Deus non consueuit dare hominibus auxilia præuenientis, & excitantis gratię, quibus ad salutem disponantur nisi illis, qui bene vtuntur suo arbitrio, faciendo quod in se est, ex facultate naturæ. I.

Secundum

Secundùm dictum. Facienti totum quod in se est, ex sola facultate naturæ, infallibiliter dantus auxilia prævenientis gratiæ, & ex certa lege, quam Pater statuit cum filio ob merita passionis eius. Addunt tamen, quòd hæc auxilia non dantur propter merita præcedentia ipsius hominis, sed propter merita Christi.

Tertium dictum, quo magis explicatur hæc sententia. Sicut Deus, semper præstò est per suum concursum generalem libero arbitrio, vt naturaliter velit, aut nolit, prout placuerit; ita præstò est illi, per auxilium gratiæ sufficiens, vt quoties, ex suis viribus naturalibus, aggredi voluerit opus aliquod, ex his, quæ ad iustificationē spectant, illud exequatur, prout ad salutem oportet. Addunt, quòd Deus sine vlla intermissione ad ostium cordis stat paratus semper conatus nostros adiuuare, desideráisque ingressum. Nō tamen satis explicant; an conatus ille, ex solis viribus naturæ procedens, sit idem numero actus cum conatu, quo liberum arbitrium elicit dispositionem ad gratiam, ita videlicet, vt idem actus numero procedens ex vtribus naturæ perficiatur, & eleuetur per gratiam prœuenientem ad ordinem supernaturalem, vt sit, qualis ad salutem oportet, quamuis id insinuare videantur.

Ex quibus inferunt quartum dictum, quòd scilicet auxilia prævenientis, & excitantis gratiæ non sint simpliciter necessaria, vt homo eliciat dispositionem ad gratiam, quantùm ad substantiam actus, sed tantùm, vt illam eliciat, sicut oportet, ideſt, vt actus ille sit supernaturalis, & fini supernaturali accommodatus. Sed de hoc disputatione 65 agendum est.

Probant primum dictum: nam, vt disput. 78. patebit, vocatio Dei interna ad fidem, interior excitatio fidelis ad pœnitentiam per gratiam prævenientem, imò & illuminationes, & auxilia, quibus iustificati à Deo adiuuantur, tum vt maiora incrementa Spiritus suscipiant, tum ne tentationibus succumbant, pendent quàm maximè à libero arbitrio eius, qui vocatur, & excitatur: ergo secundùm legem ordinariam non dantur hæc auxilia, nisi aliquid præcedat ex parte liberi arbitrij. Antecedens probatur. Primò: nam prærequiritur, quòd homo accedat ad audiendam prædicationem Euangelij: potuit autem accedere, vel animo intendendi his, quæ dicebantur, vel animo irridendi, quod in facultate ipsius positum erat. Item etiam ad hoc, quòd excitetur ad fidem, prærequiritur, quòd ipse priùs comparet species intelligibiles, & notitias, sine quibus Deus non excitaret illum actuali auxilio prævenientis gratiæ: ergo auxilia prævenientis gratiæ dependent ex libero arbitrio eius, qui vocatur.

Confirmatur primò. Huiusmodi auxilia dependent multoties ex ministris Ecclesiæ, sine quorum operatione Deus non vocat homines, vt disput. 77. patebit, & tamen hæc dependentia nihil derogat gratiæ: ergo similiter poterit dependere vocatio à libero arbitrio eius, qui vocatur, absque eo quòd aliqua iniuria inferatur gratiæ.

Confirmatur secundò. Interiora auxilia prævenientis gratiæ consistunt in illuminatione intellectus, & excitatione voluntatis, vt constat ex Concil. Trident. sessione 6. de iustific. cap. 5. vbi dicitur: *Declarat præterea ipsius iustificationis exordium in adultis à Dei per Christum Iesum præueniente gratia sumendum esse, hoc est, ab eius vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur.* Vocatio autem fit à Deo interiùs, per illuminationem intellectus, & excitationem voluntatis. Vnde inferiùs subditur: *Ita vt tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, &c.* Quibus verbis significatur, illuminationem intellectus esse gratiam prævenientem: sed hæc illuminatio intellectus, & excitatio voluntatis, cùm sint formaliter actiones vitales; dependent intrinsecè ex nostris potentiis vitalibus, videlicet ex intellectu, & voluntate elicientibus huiusmodi operationes: ergo talia auxilia aliquo modo dependent ex conatu nostri intellectus, & voluntatis: ergo sine illo Deus non confert auxilia prævenientis gratiæ, regulariter loquendo.

Secundò arguitur, ex auctoritate S. Augustini lib. 19. de Ciuit. Dei, c. 13. vbi ait: *Deus dedit hominibus quædam bona huic vitæ congrua, ideſt, pacem temporalem, pro modulo mortalis vitæ in ipsa salute, & incolumitate, ac societate sui generis, & quæcunque huic paci vel tuendæ, vel recuperandæ necessaria sunt, sicut lux ista visibilis, aura spirabiles, aqua potabiles, &c. eo pacto aquissimo, vt quicunque mortalis talibus bonis rectè vsus fuerit, accipiat ampliora, atque meliora; ipsam scilicet immortalitatis pacem, atque conuenientem gloriam, & honorem in vita æterna, ad fruendum Deo, & proximo in Deo. Qui autem perperam, id est iniustè, nec illa accipiat, & hæc amittat.* Quibus verbis apertè videtur statuere legem, quam asserit secundum dictum huius sententiæ. III.

Tertiò est argumentum pro aliis dictis, & præsertim pro secundo, & desumitur ex variis locis sancti Thomæ: etenim quæstione 14. de veritate, articulo 11. ad primum, sic ait: *Si quis in sylvis enutritus, ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni, & fuga mali, certissimè tenendum est, quòd ei Deus vel per internam inspirationem reuelaret ea, quæ ad credendum sunt necessaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium Actor. 10.* Vbi sanctus Thomas docet apertè, quòd, si ille homo faciat, quod in se est, sequendo dictamen rationis naturalis in appetitu boni, & fuga mali, certissimè illuminabitur à Deo: quod idem est, ac si diceret, infallibiliter. Hæc autē infallibilitas nō potest fundari nisi in lege statuta à Deo, propter merita Christi, & in decreto dandi auxilia prævenientis gratiæ omnibus illis, qui faciunt totum, quod in se est. Sentit ergo sanctus Thomas, esse talem legem. Idem colligitur ex solutione ad secundum eiusdem articuli, vbi ait, *quòd, quamuis non sit in potestate nostra cognoscere ea, quæ sunt fidei, ex nobis ipsis; tamen si nos fecerimus quod in nobis est, vt scilicet ductum naturalis rationis sequamur, Deus non deficiet nobis in eo, quod nobis est necessarium.* Item etiam tertio contra Gentes, cap. 149. inquit, quòd *Deus, quantum in se est, paratus est omnibus gratiam dare: sed illi soli gratia priuantur, qui in se ipsis gratiæ impedimentum præstant.* Sed, qui facit totum, quod in se est, ex facultate naturæ, nullum impedimentum præstat gratiæ, vt ex se patet: ergo ex mente sancti Thomæ certissimè & infallibiliter recipiet auxilia prævenientis gratiæ. Et in secundo sētentiarum distinctione 28. quæstione 1. artic. quarto, ait, *quòd etiam ad fidem habendam aliquis se præparare potest per id, quod in naturali ratione est. Vnde dicitur quod, si aliquis in barbaris natus nationibus, quod in se est, faciat, Deus illi reuelabit illud, quod est necessarium ad salutem, vel inspirando, vel doctorem mittendo.* Et quæstione 24. de veritate, articulo 1. ad secundum, inquit: *Gratiam autem, qua opera meritoria facit, quamuis homo non possit ex libero arbitrio acquirere, potest tamen se, ad gratiam habendam præparare, quæ ei à Deo non denegabitur, si fecerit quod in se est, & ideo non est omnino extra potestatem liberi arbitrij opera meritoria agere, quamuis ad hoc per se potestas liberi arbitrij non sufficiat*: ergo.

Quartò arguitur. Deus de facto semper tribuit auxilium sufficiens facienti quod in se est: ergo decreuit illud conferre; quidquid enim Deus facit, decreuit facere. Sed decretum Dei est lex ipsius Dei; sicut

ſicut lex Principis eſt decretum Principis: ergo reuerà eſt lex à Deo ſtatuta dandi auxilia prævenientis gratiæ facientibus totum quod in ſe eſt. Antecedens probatur: nam Deus tribuit auxilium ſufficiens illis qui non faciunt quod in ſe eſt, alias deficeret in neceſſariis ad ſalutem: ergo multò magis confert tale auxilium infallibiliter, ſi faciant totum quod in ſe eſt; aliàs multò melius fuiſſet prouiſum illis, qui nõ faciunt quod in ſe eſt ex facultate naturæ, quam facientibus quod in ſe eſt. Et conſequenter ſequeretur quòd fruſtra eſſent admonitiones, quibus peccatores inducuntur ad bona opera facienda, & ſimiliter ipſa bona opera facta in peccato mortali, eſſent fruſtra, quod non eſt admittendum.

IV. Quintò arguitur. Prædicta lex colligitur ex locis ſacræ Scripturæ, præſertim ex illo Ioan. 1. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: & 1. ad Tim. 2. *Deus vult, omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*: quod profectò falſum eſſet, ſi aliquando non illuminaret Deus, nec daret auxilia gratiæ facienti totum quod in ſe eſt. Quomodo enim vult, omnes homines ſaluos fieri, ſi facienti totum quod in ſe eſt, non dat auxilia neceſſaria ad ſalutem, imò neque ſufficientia: ergo eſt lex de dandis huiuſmodi auxiliis facienti quod in ſe eſt. Item etiam Apocal. tertio dicitur ex perſona Domini: *Ego ſto ad oſtium, & pulſo: ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, introibo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum.* Ex quibus verbis colligitur, quòd Deus abſque vlla intermiſſione ſtat ad oſtium cordis noſtri, paratus ſemper conatus noſtros adiuuare, deſideranſque ingreſſum, ſi homo faciat quod in ſe eſt.

V. Sextò, quia ſequeretur ex oppoſita ſententia vnũ magnum inconueniens, quòd videlicet aliquis adultus ex neceſſitate damnetur, quod tamen nullatenus eſt admittendum, vt docet ſanctus Thomas, quæſtione 14. de veritate citata. Sequela probatur; quia ſi non eſt lex, vt facienti totum, quod in ſe eſt, dentur auxilia prævenientis gratiæ; continget aliquando, vt homo faciat totum, quod in ſe eſt, & tamen Deus non conferat illi talia auxilia: ſed, hoc poſito, talis homo ex neceſſitate damnabitur, quia ſaluari non poteſt ſine auxilio gratiæ, quod tamen neque habet, neque poteſt habere, quia Deus non vult dare, quidquid ille faciat. Item etiam ſequeretur aliud inconueniens, quòd videlicet peccatum veniale poſſet eſſe in aliquo cum ſolo originali: hoc autem eſt contra ſanctum Thomam, prima ſecundæ, quæſtione 89. articulo 6. Sequela probatur. Si puer nõ baptizatus perueniens ad vſum rationis, faciat totum quod in ſe eſt ex facultate naturæ, vt ſe conuertat in Deum, non peccat mortaliter contra præceptum, quo, ſecundùm ſanctum Thomam tenetur in illo inſtanti ſe conuertere ad Deum: nullus enim peccat, ſi faciat totum, quod poteſt, alias obligaretur ad impoſſibile; neque etiam conſequitur remiſſionem peccati originalis, quia peccatum deleri non poteſt abſque auxilio gratiæ, quod tamen ſupponitur Deum non conferre illi puero. Tunc eſt argumentum. Tranſacto illo tempore, puer ille poteſt peccare venialiter, antequam peccet mortaliter: ergo ſi de facto venialiter peccet, reperietur in illo peccatum veniale cum ſolo originali.

Septimò. Salus eſt poſita in poteſtate hominis adulti, quandiu viuit in hoc ſæculo: ſed non eſſet in eius poteſtate, niſi eſſet lex infallibilis, quòd facienti totum, quod poteſt ex facultate naturæ, dabũtur auxilia prævenientis gratiæ, vt operatio illa ſit, qualis ad ſalutem oportet: ergo. Maior patet ex illo Eccleſ. 15. *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilij ſui. Appoſuit tibi aquam, &* A *ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita, & mors; bonum, & malum; quod placuerit ei, dabitur illi.* Et Pſal. 118. dicitur: *Anima mea in manibus meis ſemper*, id eſt in poteſtate mea. Minor autem probatur, quia ſi non eſſet lex dandi auxilia prævenientis gratiæ facienti totum, quod in ſe eſt ex ſola facultate naturæ; non eſſet in poteſtate eius habere eadem auxilia, ſed ſolum in poteſtate Dei: & conſequenter ſalus, quæ ſine auxiliis gratiæ haberi non poteſt, non eſſet in poteſtate hominis, ſed ſolùm in poteſtate Dei.

Confirmatur ex illo Ioan. 1. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. His, qui credunt in nomine eius*, &c. Quibus verbis ſignificatur, quod eatenus facta eſt hominibus poteſtas, vt filij Dei fiant, quatenus, ſi quantum in ſe eſt, conentur, præſtò illis aderit Deus, vt fidem, & gratiam conſequantur, neque deſiderio ſuo fraudentur: ergo, &c.

Secunda ſententia eſt præcedenti oppoſita, quam defendunt omnes Thomiſtæ, & alij Doctores locis infra allegandis, & quoniam hæc ſententia certiſſima eſt, & de mente SS. Auguſt. & Thomæ; pro eius explicatione ſit

VI. Med 1. 2. q. 1 Zumel eodem art. & q. 112. ar. 3.

PRima Concluſio. Nulla lex fuit vnquam ſtatuta dandi auxilia prævenientis gratiæ facientibus totum quod in ſe eſt ex ſola facultate naturæ, neque Chriſtus Dominus meruit, aut voluit, eſſe talem legem. Probatur ex ſancto Auguſtino locis allegatis diſputatione præcedenti, concluſ. 2. & 3. & epiſtola 107. ad Vitalem: vbi pro certo habet, quòd ſtantibus duobus hominibus in æquali cauſa, vnum Deus illuminat, quia vult, & alium non illuminat, quia non ſibi placet, *quod abſque vlla contradictione manifeſtatur in paruulis*, vt idem ſanctus Auguſtinus dicit in eadem epiſtola, arguens contra Pelagianos, & addit ſanctus Doctor, quòd non poteſt aſſignari differentia ex parte parentum. Sic enim ait: *Quomodo dicitur omnes homines eam gratiam fuiſſe accepturos, ſi non illi, quibus non donatur, ſua voluntate reſpuerent: quoniam Deus vult, omnes homines ſaluos fieri; cum multis non detur paruulis, & ſine illa plerique moriantur, qui non habent contrariam voluntatem: & aliquando cupientibus feſtinantibuſque parentibus, miniſtris quoque volentibus ac paratis, Deo nolente non detur, cum repentè, antequam detur, expiret, pro quo, vt acciperet, curreretur? Vnde manifeſtum eſt, eos, qui huic reſiſtunt tam perſpicuæ veritati, non intelligere omnino, qua loquutione ſit dictum, quod omnes vult Deus ſaluos fieri, cum tam multi ſalui non fiant; non quia ipſi, ſed quia Deus non vult, quod ſine vlla caligine manifeſtatur in paruulis.* Præterea in lib. 1. quæſtionum ad Simplicianum, quæſt. 2. præſertim circa finem, idem docet clariſſime, vt patet ex verbis illius ſuprà inductis, quibus affirmat, quòd multoties Deus relinquit in infidelitate homines, qui intendunt bonis operibus moralibus ex facultate naturæ, & alios vocat ad fidem, qui ſunt moribus corrupti, peſſimi, & maximi peccatores. Sentit ergo Auguſtinus, non eſſe legem ſtatutam à Deo de dandis auxiliis gratiæ facientibus quod in ſe eſt ex facultate naturæ. Item etiam lib. 1. contra duas epiſtolas Pelagianorum, cap. 8. inquit: *Si enim ſine Dei gratia per nos incidit cupiditas boni, ipſum capitum erit meritum cui, tanquam ex debito, gratia veniat adiutorium, ac ſi gratia Dei non gratis donabitur, ſed meritum noſtrum dabitur.* Quibus verbis aperte videtur docere, quòd operationes antecedentes gratiam, ex ſola facultate naturæ procedentes, quibus poſitis detur gratia, ſunt initium aliquod eiuſdem gratiæ, & aliquale meritum ipſius quod etiam docet latiùs lib. de prædeſt. Sanctorum, cap. 2. ergo S. Aug. intellexit non eſſe talem legem.

Lex nulla eſt dandi auxilia gratiæ facientibus totũ quod in ſe eſt ex ſola facultate naturæ.

Confirma

VII. Confirmatur euidenti argumento à posteriori: nam S. Augustinus sæpe docet, non posse assignari aliquam rationem ex parte hominis quare Deus vocet istum, & non illum: quod præsertim asserit quæstio 2. citata, ad Simplicianum, in fine, cujus verba sunt: *Quare tamen & huic ita, & huic non ita? Homo, tu quis es? debitum si non reddas habes, quod gratuleris, si reddis non habes, quod queraris.* Ex quibus cõstat, quòd duobus petentibus, pulsantibus æqualiter, & desiderantibus ex mera facultate naturæ, secundùm Augustinum vnum vocat Deus, quia vult, & alium non vocat, quia non vult; vt verax inueniatur, qui dixit: Rom. 9. *Non est volentis neque currentis, sed Dei miserentis.* Et iterum: *Ergo, cuius vult, miseretur; & quem vult indurat.* Sentit ergo S. Augustinus, non esse prædictam legem, neque Deum statuisse, vt, regulariter loquendo, non vocetur per gratiam, qui non fecerit priùs, quod in se est ex facultate naturæ, neque etiam quod facienti totum quod in se est, detur infallibiliter auxilium gratiæ; aliàs posset assignari ratio ex parte hominis, quare Deus vocet istum, & non illum; quia videlicet iste fecit priùs totum, quod in se erat ex facultate naturæ, non autem ille. Alia loca Augustini, quæ maximè fauent huic doctrinæ, adducemus conclusione sequenti. Nec satis est respondere, opera bona antecedentia, ex sola facultate naturæ facta, solùm esse conditionem, sine qua regulariter Deus non donat auxilium præuenientis gratiæ, non autem rationem, propter quam gratia conferatur. Nam, iuxta doctrinam traditam ab Augustino, idem est dicere, quòd detur ex parte nostra conditio, sine qua non, ipsius prædestinationis, & gratiæ: & dicere, dari causam prædestinationis, & gratiæ, seu rationem propter quam homo sit prædestinatus, & vocatus ad fidem, vt disputat. 37. ostensum est.

VIII. Secundò probatur ex S. Prosp. libro contra Collatorem, cap. 4. 5. 6. vbi impugnat Cassianum asserentem: *Qui cùm in nobis ortum quendam bonæ voluntatis inspexerit, illuminat eam confestim, atque confortat, & inciat ad salutem, incrementum tribuens ei, quam vel ipse plantauit, vel nostro conatu viderit emersisse. Vnde non facilè humana ratione discernitur, quemadmodum Dominus petentibus tribuat, à quærentibus inueniatur, aperiátque pulsantibus, &c.* Quibus verbis, vt disputatione 1. numero 14. & seqq. ostensum est, asseruit Cassianus, quòd si homo facit, quod in se est, petendo, pulsando, quærendo, &c. Deus statim aderit per gratiam excitantem, vt illuminet hominem, & incrementum tribuat actioni, quam ex nostro conatu viderit emersisse. Et tamen S. Prosper redarguit Cassianum, quod per hanc assertionem ponat in natura initium gratiæ, quamuis imperfectum, & aliquale meritum illius: cum tamen Cassianus non asseruerit expressè, esse legem à Deo statutam, quòd facienti, quod in se est ex facultate naturæ, petendo, quærendo, pulsando, &c. dentur auxilia gratiæ, aut quòd dentur propter opera naturæ, vt propter meritum, sed solùm dixerit: Omnes qui ex facultate naturæ fecerint, quod in se est, quærendo, pulsando, &c. & accipere, & venire, & intrare dicantur, vt ipse Prosper refert eodem libro, capite 6. Idem, quod Cassianus, sensit Faustus Regiensis, vt disputatione 1. numero 13. & seqq. dictum est. Contra quos idem Prosper libro primo, de vocat. gent. cap. 9. inquit: *Manet prorsus, & quotidie impletur, quod Abrahæ Dominus sine conditione promisit, sine lege donauit.* Sentit ergo, nullam fuisse à Deo statutam legem dandi auxilia gratiæ, facientibus totum quod in se est ex sola facultate naturæ: aliàs promissio salutis filiis Abrahæ facta non fuisset absoluta, sed conditionata: si videlicet fecerint ipsi, quod in se est, & ipsa gratiæ donatio non esset facta sine lege, si vera esset opposita sententia.

Promissio facta filiis Abrahę fuit absoluta.

IX. Tertiò probatur auctoritate sancti Thomæ prima secundæ, quæstione 112. articulo 3. in corpore, vbi aperte docet nostram sententiam. Ait enim, quòd præparatio, si consideretur, secundum quòd est a libero arbitrio, nullam necessitatem habet ad gratiæ consequutionem: sed secundùm quòd est à Deo mouente, &c. Et idem docet quæstione 109. articulo 6. ad secundum, & ad Romanos 10. lectione 3. vbi explicat illud axioma: *Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam*; de faciente, quod in se est, vt est motus auxilio diuino; sic enim ait: *Si qui tamen eorum fecissent, quod in se est, Dominus eis, secundùm suam misericordiam prouidisset, mittendo eis prædicatorem fidei, sicut Petrum Cornelio, Act. 10. & Paulum Macedonibus*, vt habetur Act. 16. *Sed tamen hoc ipsum, quòd aliqui faciunt quod in se est, conuertendo se scilicet ad Deum ex Deo est, mouente cordis ipsorum ad bonum.* Thren. 5. *Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur.*

Respondent, sanctum Thomam loqui ibi de gratia habituali, ad quam non sufficit quælibet præparatio humana. Sed contra: nam eadem prorsus ratio est de auxiliis actualibus præuenientis gratiæ. Etenim cùm sint simpliciter prima dona gratiæ, non minùs dantur gratis a Deo, quàm habitualis gratia; quin potiùs ratio ipsa gratuitæ donationis multò magis splendet in collatione primi auxilij gratiæ, quàm in aliis donis, quæ priora auxilia gratuita præsupponunt: vt ex iis, quæ disputatione 58. & 59. dicemus, manifestum fiet. Præterea: nam ratio propter quam sanctus Thomas loco inducto affirmat; nullam præparationem, secundùm quòd est a libero arbitrio, habere necessitatem, idest, infallibilitatem ad consequutionem gratiæ, est, quia donum gratiæ excedit omnem præparationem virtutis humanæ. Sed similiter actualia præuenientis gratiæ cùm sint in sua essentia supernaturalia, excedunt omnem præparationem virtutis humanæ, & totum ordinem naturæ: ergo. Præterea, est alius locus sancti Thomæ, in quo expressè loquitur de auxiliis actualibus, videlicet tertio contra Gentes, 149. vbi ex professo probat multis rationibus, quòd homo non possit prædictum auxilium mereri, sed neque consequi illud propria virtute: & inter alia inquit in prima ratione: *Non propter hoc datur nobis auxilium diuinum, quia nos ad illud per bona opera promouemur: sed potiùs non ideo per bona opera proficimus, quia diuino auxilio præuenimur.* Et in tertia ratione idem probat his verbis: *Nullum agens particulare potest vniuersaliter præuenire actionem primi, & vniuersalis agentis, eò quòd omnis actio particularis agentis, originem habet ab vniuersali agente: sicut in istis inferioribus, omnis motus præuenitur a motu cœlesti: sed anima humana ordinatur sub Deo, sicut particulare agens sub vniuersali. Impossibile est ergo, esse aliquem rectum motum in ipsa, quem non præueniat actio diuina.*

X. Quartò probatur, ratione fundata in sacris literis. Etenim quidquid datur ex lege & pacto homini operanti, datur illi ex iustitia saltem imperfecta: nam lex, & conuentio fundat rationem iustitiæ, vt patet ex illa parabola Matth. in qua operarij conuenerunt cum domino de denario: ibi enim dominus dixit vni: *Nonne ex denario diurno cõuenisti mecũ? tolle quod tuum est, & vade in pace*: ergo si auxilia actualia præuenientis gratiæ dantur a Deo ex pacto & conuentione, facientibus totum quod possunt ex facultate naturæ: dantur illis ex iustitia fundata in pacto, & conuentione diuina: atque adeò auxilia illa non erunt dona gratiæ, sed debita operibus, & ita gratia non esset gratia: dicitur enim ad Rom. 11. *Si autem gratia: iam non ex operibus: alioquin gratia iam non*

Matth. 20.

Digitized by Google

non eſt gratia. Confirmatur ex illo ad Rom. 4. *Ei autem, qui operatur, merces non imputatur ſecundùm gratiam ſed ſecundùm debitum*: ergo, ſi eſt lex, quòd operanti ex facultate naturæ totum quod poteſt, dentur auxilia gratiæ: talia auxilia dabuntur illi ſecundum debitum, & non ſecundum gratiam.

Chriſtus nõ meruit, vt Deus ſtatueret legẽ dandi auxilia gratiæ facientibus totũ quod in ſe eſt ex ſola facultate naturæ.

Reſpondent ad hoc, quod licèt ſit lex prædicta: tamen, quia hæc lex ſtatuta eſt propter merita Chriſti non autem propter aliquam condignitatem, proportionem, ſiue pietatem, quæ reperiatur in operibus factis ex facultate naturæ: ideo auxilia illa ſolùm ſunt debita in ordine ad Chriſtum, qui ea promeruit nobis, & cuius intuitu, ac meritis ſtatuta eſt illa lex; non autem in ordine ad illos, qui bene vtuntur ſuo arbitrio ex ſola facultate naturæ. Sicut iuſtificatio impij, ſeu gratia habitualis, quæ datur illis, pro quibus Chriſtus Dominus obtulit ſuam paſſionem, quantùm ad efficaciam, eſt debita in ordine ad Chriſtum, non autem in ordine ad ipſos peccatores, quia omnino gratis iuſtificantur.

Sed contrà: nam etiam Semipelagiani, cùm obiiceretur illis à SS. Auguſt. & Proſpero, gratiam in eorum ſententia ſecundùm merita noſtra dari, reſpondebant, bona naturæ nullo modo eſſe meritoria gratiæ, ſed ſolùm occaſionem, qua motus Deus, auxilia prævenientis gratiæ conferebat: & ita ſemper gratuita perſeuerabat, vt conſtat ex verbis Fauſti, & Caſſiani, diſputat. 2. num 15. 26. & 28. adductis. Præterea impugnatur à ſimili eadem ſolutio: nam ſi aliquis Rex ad inſtantiam principis conderet legem, daturum ſe talem ciuitatem cuicunque ex militibus ſui exercitus illam priùs ingredienti: certè qui priùs ingrederetur ciuitatem, faceret eam ſibi debitam ex iuſtitia fundata in lege ſtatuta, ad inſtantiam principis, & ſuppoſita lege, opus illud haberet aliquam proportionem cum valore illius ciuitatis; quia lex dedit illi talem proportionem, quamuis ſecundùm ſe, & ſecluſa lege, nullam proportionem haberet: ergo ſimiliter in præſenti, &c. Neque eſt eadem ratio de exemplo adducto gratiæ habitualis. Etenim, quando lex ſtatuitur, quòd dabitur aliquid operanti priùs; verè reperitur aliqua obligatio in ordine ad illum, qui operatur, ita vt ipſi operi ſit debitum id, quod eſt lege promiſſum, Chriſtus autem non meruit, quòd iuſtificatio, aut gratia habitualis daretur peccatori, tanquam priùs operanti ex ſola facultate naturæ, aliàs Chriſtus meruiſſet, quòd gratia eius non eſſet gratia. Vnde exemplum non eſt ad propoſitum.

X I.

Chriſtus venit primò propter Judæos: nã illis fuit promiſſus, non autem gentibus.

Quintò probatur ex illo ad Roman. 15. *Dico enim, Chriſtum Ieſum miniſtrum fuiſſe circumciſionis, propter veritatem Dei, ad confirmandas promiſſiones Patrum: gentes autem ſuper miſericordia honorare Deum.* Quem locum explicans ſanctus Thomas, lectione prima, inquit, *quòd Chriſtus in propria perſona non exhibuit ſeipſum, niſi Iudæis propter veritatem Dei, vt, ſcilicet, veritas Dei promittentis comprobaretur. Vnde ſubdit: Ad confirmandas promiſſiones Patrum, id eſt, vt per hoc implerentur promiſſiones Patribus factæ. Vnde hoc nõ habet locum, quantum ad Gentiles, ſed ſunt propter miſericordiam ſuſcepti.* Ex quo deſumitur argumentum. Chriſtus in ordine ad gentes venit ex mera miſericordia, quia non fuit illis promiſſus: in ordine autem ad Iudæos venit, vt ſeruaret veritatem in promiſſis: ergo auxilia prævenientis gratiæ, ex veritate, quæ pars potentialis eſt iuſtitiæ, aliquo modo debentur facientibus quod in ſe eſt, ſi ſunt illis promiſſa per legem ſtatutam: ergo non eſt admittenda hæc lex.

Debitũ legale minuit rationem gratiæ.

Confirmatur primò: nam, vt 2. 2. quæſt. 80. art. 1. in corpore, docet ſanctus Thomas, debitum legale eſt, ad quod reddendum aliquis lege aſtringitur: ergo, ſi Deus aſtrinxit ſeipſum ſua lege ad danda auxilia prævenientis gratiæ facientibus quod in ſe eſt: talia auxilia ſunt illis debita ſecundùm legem.

Confirmatur ſecundò: nam in eodem loco docet ſanctus Thomas, quòd veritas eſt pars iuſtitiæ potentialis, in qua reperitur debitum morale: ergo quod redditur ad ſeruandam veritatem in promiſſis, redditur ex iuſtitia imperfecta, quando promiſſio facta eſt per legem, aliquid operanti: ergo non eſt talis lex.

Vltimò probatur ex Concilio Arauſ. can. 6. vbi damnatur, qui dixerit: *Sine gratia Dei, credentibus, volentibus, deſiderantibus, & pulſantibus nobis miſericordiam conferri, &c.* Quibus verbis non obſcure docet abſolutè, quod non datur miſericordia credentibus ex ſola facultate naturæ, *volentibus, pulſantibus.* Et obſeruandum eſt illud verbum, *miſericordiam conferri*: nam Semipelagiani, contra quos loquitur Concilium, dicebant, auxilia gratiæ dari ex miſericordia, & non ex iuſtitia, vel ex debito omnibus credentibus, volentibus, deſiderantibus: vt patet ex iis, quæ refert Proſper, & nos ſuprà, circa ſententiam Fauſti, & Caſſiani. ergo à fortiori, dici non poteſt, quòd volentibus, deſiderantibus, & pulſantibus ex ſola facultate naturæ detur ex certa lege miſericordia prævenientis gratiæ. Sentit ergo Concilium, nullam eſſe talem legem. Diſp. 2. n. 15. & 26.

X I I.

Auxilia gratiæ prævenientis cõferre Deus regulariter, etiam priùs homo non faciat quod in ſe eſt.

Secunda Concluſio. Falſum eſt, quod aſſeritur in primo dicto primæ ſententiæ, quòd videlicet Deus ſecundùm legem ordinariam, ſeu communem modum, quem ſeruat, non det auxilia prævenientis gratiæ niſi facientibus quod in ſe eſt, ex facultate naturæ. Probatur ex dictis in prima concluſione. Præterea: nam alias ſecundùm legem ordinariam, & communem modum, quem Deus ſeruat, gratiæ adiutorium ſubiungeretur humilitati, aut obedientiæ humanæ, quod eſt contra Concilium Arauſicanum II. canone ſexto. Item etiam ſequeretur, quòd Deus ſecundùm eandem legem, & modum, quem ſeruat, expectaret voluntatem noſtram, vt priora auxilia excitantis gratiæ nobis conferat, & vt purgari velimus, quod videtur contra idem Concilium canon. 4. Probatur hoc nam, ſi, communiter loquẽdo, Deus non dat auxilia prævenientis gratiæ, niſi credentibus, quantùm ad ſubſtantiam actus, volentibus, & pulſantibus, & facientibus quod in ſe eſt ex facultate naturæ: ergo prævenions gratia, communiter loquendo, ſubiungitur voluntati, & obedientiæ humanæ, & Deus, regulariter loquendo, expectat noſtram voluntatem, vt nobis tribuat prima dona prævenientis gratiæ: quod non poteſt admitti, vt diſp. 95. patebit.

Conatus noſtros Deꝰ nõ expectat.

Secundò: nam, vt diſput. 2. num. 21. oſtenſum eſt, primum illud dictum aſſertum fuit à Caſſiano, collatione 13. vbi ſic ait: *Ita ſemper gratia Dei noſtro in bonã partem cooperatur arbitrio, atque illud in omnibus adiuuat, protegit, & defendit, vt nonnunquã etiam ab eo quoſdã conatus bona voluntatis vel exigat, vel expectet, ne penitus dormiẽti, aut inerti otio diſſoluto ſua videatur dona conferre*, &c. Et tamen S. Proſper. Caſſianũ propter hanc aſſertionem reprehendit, lib. contra Collatorem per plura capita, ſed præſertim capit. 39. definitione 6. vbi ait: *Quaſi ita vtrumque recipiendum ſit, vt in aliis hominibus voluntas gratiam, in aliis gratia præueniat voluntatem, & non ita vt in omnibus voluntas gratiam ſequatur. Quoniam ſecundùm ipſos, ſi auferatur liberum arbitrium cum à gratia præuenitur: auferatur gratia, cùm à libero arbitrio præuenitur.* Ergo multò magis reprehendiſſet Caſſianum, ſi dixiſſet, auxilium prævenientis gratiæ non dari à Deo, regulariter loquendo, niſi præcederet voluntas humana, faciendo totum quod in ſe eſt.

Tertiò: nam si primum dictum esset verum, sequeretur, gratiam præuenientem, regulariter loquendo, non esse præuenientem simpliciter, neque ipsam vocationem primam Dei, & excitationem esse primò præuenientem nos, sed esse præuenientem, à creata voluntate præuentam. Probatur: nam præueniretur à libero arbitrio faciente quod in se est ex facultate naturæ: ergo esset gratia præuenta à natura, & non præueniens illam.

Quartò: Deus præuenit auxiliis gratiæ eos, qui malè vtuntur suo arbitrio, & eos vocat in fragranti delicto existentes, vt patet ex multis locis Scripturæ: ait enim, *Inuentus sum à non quærentibus me, palam apparui his, qui me non interrogabant.* Rom. 3. Et iterum: *Tota die aperui manus meas ad populum non credentem, sed contradicentem.* & Isai. 50. *Quia veni, & non erat vir: vocaui, & non erat, qui audiret:* Et in hoc splendet B maximè Dei misericordia, quia desides, & negligentes vocat ad seipsum, & peccatores indignos, & ingratos. Id quod Deus nedum regulariter, sed semper obseruat, cùm peccatores vocat: *Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei,* ergo, &c.

Confirmatur hoc insigni testimonio S. Augustini, quod quidem habetur lib. 1. de peccatorum meritis, & remissione, capite 22. vbi explicans illud: *Non ex operibus, sed ex vocante dictum est: quia maior seruiet minori* & illud: *O altitudo diuitiarum. Vnde,* inquit, *fit, vt homo ab ineunte pueritia modestior, ingeniosior, tẽperãtior, & ex magna parte libidinum victor, qui oderit auaritiã, luxuriã detestetur, atque ad virtutes cæteras promptior, aptiorq; consurgat: & tamen eo loco sit, vbi ei prædicari gratia Christiana non possit? Quomodo enim inuocabunt, in quem non crediderũt? aut quomodo credent ei, quẽ C non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? Alius autem tardus ingenio, libidini deditus, flagitiis & facinoribus coopertus, sic gubernetur, vt audiat, credat, baptizetur, rapiatur, aut si deẽtus hic fuerit, laudabiliter viuat: vbi duo isti tam diuersa merita contraxerunt? non dico, vt iste credat, ille nõ credat, quod est propriæ voluntatis sed vt iste audiat, ille nõ audiat. Hoc enim nõ est in hominis potestate. Vbi, inquã, hæc tã diuersa merita cõtraxerũt?* Et multa alia ibi prosequitur in hùc modù, ostẽdẽs nulla merita, vel demerita, antequam anima infunderetur corpori, præcessisse, propter quæ vnus tardus ingenio, ac libidini deditus nasceretur, aut vocaretur à Deo, alius non item. Hoc argumentum adeò efficax putauit Augustinus, vt paucis interiectis dicat: *Quid huic respondeãt, omnino non video, qui, D volentes humanis coniecturis iniquitatem Dei defendere, & ignorantes altitudinem gratiæ, fabulas improbabiles texuerũt.* Et idipsum dicit lib. 1. ad Simp. q. 2. cuius verba adduximus suprà: ergo secundùm Augustinum Disput. 55. num. 8. nulla est lex à Deo statuta vocandi ad fidem eos, qui faciunt, quod in se est ex facultate naturæ, aut bonis moribus sunt præditi: nec exigi, vt illi priùs faciant quod in se est, vt auxilia præuenientis gratiæ conferat eis.

XIV.

Denique probatur, & explicatur hæc sententia duplici exemplo, quo vtitur S. Fulgentius ad eam comprobandam. Primum habetur in lib. de Incarnatione, & gratia Domini nostri Iesu Christi, cap. 19. vbi sic ait: *Sicut in nativitate carnali omnem nascentis hominis voluntatem præcedit operis diuini formatio, sic E in spirituali nativitate, qua veterem hominem deponere incipimus, &c.* Secundum exemplum subiungit in ca. 20. eiusdem libri, vbi ait: *Forma præcessit in carne Christi, quam in nostra fide spiritualiter agnoscamus: nam Christus filius Dei, secundùm carnem de Spiritu sancto conceptus, & natus est: carnem autem illam nec concipere Virgo posset aliquãdo, nec parere, nisi eiusdem carnis Spiritus sanctus operaretur exordiũ. Sic etiã in hominis corde, nec cœpit fides posset, nec augeri, nisi eã Spiritus san-*

Generationem spiritualẽ carnali cõparat S. Fulgentius & conceptioni Christi.

ctus effundat & nutriat ex eodem namque Spiritu renatus summus ille qui natus est Christus. Et in confirmationem huius adducit illud Isai. 26. *Ante faciem tuam Domine concepimus, & quasi parturiuimus & peperimus spiritum salutis:* cui contonat illud ad Galatas 4. *Filioli mei, quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis.* En sanctus Fulgentius aperte docet, nihil ex parte nostra præcedere in collatione gratiæ, per quam regeneramur, sicut nec præcedit in generatione carnali. Sentit ergo, falsum esse, quòd secundùm legem ordinariam Deus non conferat hominibus auxilia præuenientis gratiæ, nisi fecerint ipsi priùs quod in se est.

Tertia Conclusio. Conatus, quo homo elicit dis- XV.
positionem supernaturalem ad gratiam, nõ est idem cum conatu illo, quo ex viribus solius naturæ facit, quod in se est Conclusio est certissima, & probatur: nam conatus, qui procedit elicitiue à potentia eleuata per auxilium supernaturale, non est idem secundùm substantiam cum conatu merè naturali, vt disputatione 65. patebit; sed conatus, qui est dispositio ad gratiam, procedit à potentia eleuata per auxilium supernaturale præsertim si sit vltima dispositio: ergo non est idem secundùm substantiam cum conatu procedente ex sola facultate naturæ. Opera incœpta per naturã non perficiũtur per gratiã.

Secundò nam alias sequeretur, hominem ex viribus naturæ suæ adhibere inchoationem imperfectam propriæ salutis, & dispositionem ad illam secundùm substantiam: a Deo verò solum tribui perfectionem, & consummationem talis dispositionis: atque ita primas partes daret sibi homo, posteriores Deo. Hoc autem non potest admitti, vt ostendit sanctus Augustinus libro de prædestinatione Sanctorum, cap. secundo & 3. sanctus Prosper libro contra Collatorem, capit. 5 & sequentibus. Dicebat enim Cassianus, quòd cùm Deus in nobis ortum quendam bonæ voluntatis inspexerit, illuminat confestim, & confortat, incitátque ad salutem, vt patet ex iis, quæ numero octauo dicta sunt. Nec valet solutio, quòd nimirum conatus antecedens gratiam, nihil conducat ad salutem, eò quòd non sit supernaturalis, neque vt oportet: hæc enim solutio excluſa est iam disput. 55. num 9 & præterea impugnari potest: nam etiam Cassianus asserebat, illum conatum non esse supernaturalem, neque conducere aliquid ad salutem, nisi Deus sua gratia illum adiuuaret, vt patet ex sancto Hilario epistola ad Augustinum, paulò post principium, vbi ait: *Neque enim alicui operi curationis eorum animum randum putant, exterrita supplicij voluntate, vnumquemque agrotum velle sanari.* & infrà. *Nec negari gratiam, si præcedere dicatur talis voluntas, quæ tantum medicum quærat: non autem quidquam ipsa iam valeat. Nam illa testimonia, vt est illud sicut vnicuiq; partitus est mensuram fidei, & similia: ad id volunt valere, vt adiuuetur qui cœperit velle: nõ vt etiam donetur, vt velis.* Expendatur illud verbum, *non autem quidquam ipsa iam valeat* quod idem est, ac si diceret, voluntatem quærendi medicum nihil ex se valere, nihil conducere, neque esse, vt oportet, ad salutem, nisi gratia Dei adiuuetur, & perficiatur. Idem etiam colligitur ex verbis Cassiani, quæ refert S. Prosper contra Collatorem, capit. 8. Explicans enim Cassianus illud ad Roman. *Non est volentis neque currentis, sed Dei miserentis;* & ad Philip. 2. *Deus est enim, qui operatur in nobis,* inquit: *In his omnibus & gratia Dei, & libertas nostri declaratur arbitrij: & quia etiam suis interdum motibus homo ad virtutum appetitus possit extendi: semper verò à Domino indigeat adiuuari. Neque enim, cùm voluerit quis sanitate perfruitur, aut de ægritudinis morbo pro arbitrij sui desiderio liberatur.* Et statim subdit Cas. hæc verba: *Etiã per naturæ bonũ,*

Cassiani error circa conatus naturales antecedentes gratiam impugnatur.

quod

Digitized by Google

quod beneficio Creatoris indultum est, nonnunquam bona nim voluntatum prodire principia, quæ tamen, nisi à Deo dirigantur, ad consummationem virtutum pervenire non possunt. Et cap. 15. & 16. eiusdem libri hæc refert Prosper verba Cassiani: *Virumque nos pariter debere suscipere, gratiam videlicet, & liberum arbitrium pietatis ratione colligimus, ne unum horum homini subtrahentes, Ecclesiastice fidei regulam excessisse videamur.* Et explicans, quomodo se habeat gratia Dei ad liberum arbitrium, subdit: *Nam, cùm viderit nos Deus ad bonum velle deflectere, occurrit, dirigit, atque confortat,* &c. Et tamen S. Prosper locis citatis Cassianum conuincit ex his eius dictis, ipsum ponere initium gratiæ in natura. Idem probatur ex Hilario in epistola ad Augustinum, paulò post principium, vbi loquens de Massilientibus, inquit: *Illud testimonium, sicut vnicuique patitur est mẽsuram fidei, & similia ad id volunt valere, vt adiuuetur qui cœperit velle, non vt etiam donetur, vt velit.* Videantur supra dicta disp. 2.

Cap 16 cõtra Collat.

ad Rom. 12.

XVI. Pelagianorum error aperitur, & impugnatur.

Denique probatur nostra conclusio quodam insigni testimonio S. Augustini, lib. 1. contra duas epistolas Pelagianorum, cap. 18. vbi refert hæc verba Iuliani: *Hominem*, inquit, *Dei opus defendimus, nec ex illius potentia, vel in malum, vel in bonum, inuitum aliquẽ cogi, sed propria voluntate, aut bonum facere, aut malum: in bono verò opere à Dei gratia semper adiuuari, in malũ verò diaboli suggestionibus incitari.* Et tamen Augustinus in ca. 19. hanc eius assertionem impugnat verbis disp. 1. nu. 11. adductis, quibus reprehendit Iulianum, quia dixit, voluntatem nostram non moueri a gratia ad bonum opus; ait enim: *Cur enim non dixisti, hominem Dei gratia in bonum opus excitari, sicut dixisti, in malum diaboli suggestionibus incitari: Sed dixisti, in bono opere à Dei gratia semper adiuuari, tanquam sua voluntate, nulla Dei gratia bonum opus aggressus, in ipso iam opere diuinitùs adiuuetur, pro meritis videlicet bonæ voluntatis, vt reddatur debita gratia, non donetur indebita: & sic gratia non sit gratia.* Idem dicit aliis in locis disp. 1. num. 3. & 9. adductis. Ecce Iulianus posuit, quòd ipsũ opus cœptũ à natura, adiuuabatur, & perficiebatur subsequẽte gratia Dei. Et lib. 2. cõtra duas epist. Pelagianorum, c. 8 *Isti*, id est, Pelagiani, *volunt in homine ab ipso homine incipere cupiditatem boni, vt huius cœpti meritum etiam perficiendi gratia consequatur.* Et infrà: *Forassis ergo ipsi eo modo saltem seruant locum gratiæ, vt sine illa putent, hominem posse habere boni, sed imperfecti cupiditatem, perfecti autem non facilius per illam posse, sed nisi per illam, omnino nõ posse: verùm & sic gratiã Dei dicunt secũdum merita nostra dari.* Et in discursu illius capitis, & in cap. 9. contra Pelagianos, probat sanctus Augustinus, conatum aut bonũ opus cœptum ex solis viribus naturæ, non effici per subsequẽtem gratiam supernaturalem, sed ante eosdem conatus antecedere adiutorium gratiæ: nam alias sequeretur, gratiam secundùm merita nostra dari. Nec satis est respondere, quòd Deus non det auxilia præuenientis gratiæ propter opera naturæ antecedentia, vel ex aliquo priori merito, sed merè gratis; quamuis sine illis regulariter eam non tribuat. Hæc enim solutio iam supra impugnata est.

Ex his sequitur primò, Christum Dominum non meruisse, quòd fieret lex supradicta. Probatur: quia Christus non meruit, quòd fieret lex derogans gratiæ ipsius, sed lex de qua loquimur in præsenti, derogare videtur gratiæ nobis collatæ per Christum, vt ex supradictis colligitur: ergo, &c. Sequitur secundò, falsum esse tertium dictum supra positum, videlicet Deum præstò esse homini per auxilium gratiæ sufficiens, vt quoties ipse voluerit ex suis viribus naturalibus aggredi aliquod opus ex his, quæ ad iustificationem spectant, illud exequatur, prout ad salutem oportet: eadem enim inconuenientia sequen-

A tur ex hoc dicto, quæ ex aliis tribus.

XVII. Auxilium præuenientis gratiæ est efficienter à solo Deo.

AD primum argumentum negatur antecedens: dicimus enim, quòd, quamuis effectus actualis auxilij præuenientis gratiæ, & vocationis internæ, videlicet actus nostræ voluntatis, & intellectus, pendeant in genere causæ efficientis ab eisdem potentiis motis, & excitatis à Deo, auxilium tamen ipsum primò præueniens, vt disputatione 74. & 78. patebit, non dependet actiuè à nostro libero arbitrio, sed à solo Deo, qui solus nos vocat interiùs, & præmouet, iuxta illud: *Vocabis me, & ego respondebo tibi.* Et ad primam probationem respondetur, quòd accedere ad audiendum Euangelium, animo irridendi illud, vel intendendi his, quæ dicuntur, & ea suscipiendi; est quidem positum in nostra potestate, aliter tamen, & aliter. Nam accedere animo irridendi, est in nobis, ex nobis ipsis: accedere autem animo intendendi his, quæ dicuntur, & Euangelium suscipiendi, non est à nobis, ex nobis, sed ex auxilio præuenientis, & præoperantis gratiæ, vt patet ex illo Act. 17. *Mulier quædam nomine Lydia purpuraria, Ciuitati Theatirinorũ, colens Deũ, credidit, cuius Dominus aperuit cor, intendere his, quæ a Paulo dicebantur.* Vbi Spiritui sancto mouenti tribuitur, quòd Lydia attenderit iis, quæ prædicabat Apostolus Paulus. Vnde Ioannis 1. dicitur: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* quod, vt notauit S. August. lib. 1. de peccatorum meritis, & remissione, cap. 25. *ideo dictum est, quia nullus hominum illuminatur, nisi illo lumine veritatis, quod Deus est, ne quisquam putaret ab eo se illuminari, à quo aliquid audit, vt discat: non dico, si quemquam magnum hominem, sed nec si Angelum ei contingat habere doctorem. Adhibetur enim sermo veritatis extrinsecùs vocis ministerio corporalis: verũtamen neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed, qui incrementum dat, Deus. Audit quippe homo dicentem vel hominem, vel Angelum, sed, vt sentiat, & cognoscat verum esse, quod dicitur, illo lumine intus mens eius aspergitur, quod æternum manet, quod etiam in tenebris lucet.* Quibus verbis apertissime docet S. Doctor, quòd sentire, & cognoscere, verũ esse, quod à prædicatore proponitur, non procedit ex solis viribus naturæ, sed ex illustratione, & inspiratione Spiritus sancti: quamuis audire verbum Dei animo irridendi, sit in nobis ex nobis. Et ratio huius est, quã assignat S. Th. Nã *defectus gratiæ prima causa est ex nobis, sed collationis gratia*, & præparationis ad illam, *prima causa est ex Deo, secundum illud Osea 13. Perditio tua Israël, ex te; tantummodo in me auxilium tuum.*

Gratia Dei tetigit cor mulieris Purpurariæ, vt intenderet prædicationi Pauli.

S. Th. 1. 2. q. 111. a. 3. ad 2.

XVIII. Species intelligibiles naturales eleuatur per gratiam, vt per eas intelligat homo mysteria fidei.

Ad aliud de speciebus intelligibilibus, & notitiis, quod in eodem argumento obiicitur, respondetur, quòd, sicut ad gratiam supponitur materialiter ipsa natura, tanquam subiectum susceptiuum, quod per gratiam perficitur, & eleuatur; ita proportionabiliter supponuntur, quasi materialiter, species intelligibiles in natura; sed per auxilium gratiæ eleuantur, vt deseruant fidei. Vnde notitiæ, quibus homo apprehendit obiectum credibile, vt assentiatur illi, non procedunt effectiuè ex sola facultate naturæ, sed eliciuntur ab intellectu eleuato per speciale auxilium gratiæ præuenientis, secundùm illud, quòd dicit Apostolus: *Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est.* Ex quo testimonio S. Aug. probat efficaciter, quod nihil eorum, quæ ad religionem, & pietatem pertinent, potest homo facere absque auxilio gratiæ, etiamsi sit minima cogitatio, antecedens consensum, & actum fidei. Accedere autem ad audiendum Euangelium, animo intendendi his, quæ dicuntur, & veritatem suscipiendi, aliquid est pertinens ad religionem, & pietatem. Vnde S. Th. 2. 2. q. 6. a. 1. in corp. loquens de

2. Cor. 3.

S. Aug. lib. de prædest. SS. c. 2 & 4. & lib. 2. contra duas epist. Pelag. c. 8.

Digitized by Google

errore Pelagianorum, inquit: *Propter hoc dicebant Pelagiani, quòd initium fidei est ex nobis, quantum scilicet ex nobis est, quod parati sumus ad assentiendum his, quæ sunt fidei: sed consummatio fidei est a Deo.* Certè si aliquis ex sola facultate naturæ accederet ad audiendum Euangelium, animo suscipiendi illud, accederet ex seipso paratus ad assentiendum his, quæ sunt fidei: nam hæc est vna ex potissimis præparationibus antecedentibus actum fidei: non ergo potest hoc facere liberum arbitrium ex sola facultate naturæ.

XIX. Ad primam confirmationem respondetur, quòd, vt disput. 77. explicabitur latius, a ministris Ecclesiæ pendet effectiue vocatio exterior, vocatio autem Dei interior, quæ est per internam motionem intellectus, & voluntatis, licèt regulariter præsupponat externam vocationem, aut propositionem obiecti, B factam per prædicationem alterius, aut lectionem sacram; tamen effectiuè est à solo Deo, qui solus potest interiùs immutare voluntatem alterius, & effectiuè eam mouere, vt docet S. Thom. 1. p. q. 106. ar. 2. & q. 111. art. 2. Colligitur hæc solutio ex eodem S. Tho. ad Heb. 13. lect. 3. in illa verba: *Deus autem pacis aptet vos.* Vbi sic ait: *Voluntas humana, cum sit quædam inclinatio rationis, est principium actuum humanorum: sicut grauitas est principium motus grauium deorsum: vnde se habet ad actus rationis, sicut inclinatio naturalis ad actus naturales. Res autem naturalis dicitur apta ad illud, ad quod habet inclinationem. Sic etiam homo, quando habet voluntatem benefaciendi, dicitur aptus esse ad illud. Deus etiam, quando immittit homini bonam voluntatem, aptat eum, id est, facit ipsum aptum. Et ideo dicit:* Aptet vos in omni bono, vt faciatis eius voluntatem, *id est, faciat vos velle omne bonum. Prou. 11. Desiderium iustorum, omne bonum. Hæc est enim voluntas Dei, scilicet quòd Deus vult, nos velle, aliter enim non esset bona voluntas nostra.* Et post pauca: *Dupliciter autem aptatur homo ad benefaciendum. Vno modo exteriùs operando; & sic vnus homo aptat alium persuadendo, vel comminando. Alio modo aliquid interiùs exhibendo; & sic solus Deus aptat voluntatem, qui solus ipsam potest immutare. Prouerb. 21. Cor Regis in manu Domini quocunque voluerit, inclinabit illud. Vnde dicitur, facient in vobis. Phil. 2. Deus est, qui operatur in vobis velle, & perficere. Quid autem faciet? quod placitum est coram se, id est, facit vos velle, quod placet ei. Hæc autem sunt fides, & mansuetudo, & timor Domini,* hactenus S. Thomas.

Vocatio interior non pendet ex ministris Ecclesiæ.

Aptari voluntatem hominis ad bona opera quid sit.

XX. Ad secundam confirmationem respondetur, quòd interiora auxilia actualia præuenientis gratiæ, etiam sufficientis, si sint prima auxilia simpliciter, non sunt formaliter actiones vitales nostri intellectus, aut voluntatis; sed causaliter, vnde auxilia ista formaliter loquendo, non dependent effectiuè à nostro intellectu, & voluntate, sed sunt in nobis a solo Deo, vt disput. 74. & 78. patebit.

Ad secundum argumentum ex auctoritate S. Augustini respondetur, quòd ex locis superiùs adductis pro prima conclusione, constat, illum sensisse auxilia præuenientis gratiæ non dari ex lege facientibus totum, quod in se est, ex solis viribus naturæ; sed omnino gratis, & absque vlla dependentia ab iisdem operibus naturæ. Neque in loco inducto ex lib. 19. de ciuit. Dei contrarium docet. Quando enim inquit, bona temporalia hominibus à Deo donata esse, eo pacto æquissimo, vt quicunque mortalis talibus bonis rectè vsus fuerit, accipiat ampliora, atque meliora, scilicet immortalitatis pacem, & gloriam, &c. loquitur de recto vsu temporalium, non quidem habito ex solis viribus naturæ, sed ex auxilio gratiæ speciali. Nam homo iustus per bona opera meretur ex condigno vitam æternam, *quam repromisit Deus diligentibus se.* Propter quod Apostolus beatitudinem æternam appellauit coronam iustitiæ, dum 2. Tim. 4. ait: *De reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex:* quia videlicet, suppositâ promissione diuina, ex iustitia debetur iustis propter bona opera ex charitate facta.

Ad tertium. Quod attinet ad auctoritatem S. Th. q. 14. de veritate, est prima solutio, quod S. Doctor 1. 2. q. 109. ar. 6. ad secundum, q. 112. ar. 3. & lib. 3. contra Gent. cap. 149. ad meliorem, & clariorem formam reduxit id, quod docuit in qu. 14. de veritate. Ita dicit Driedo, & Ruardus Taper, & Caiet. 1. 2. qu. 109. art. 6. §. nec obstat.

XXI. Driedo lib. de cõcord. lib. arb. tol. 56 pag. 1. Taper 2 3 cõt Lutter pag. 220

Secunda solutio aliorum est, quod illi puero facienti quod in se est, ex solis viribus naturæ in prima deliberatione, dabitur regulariter, & ex pura Dei misericordia auxilium supernaturale, quo se disponat ad gratiam; non tamen infallibiliter, & ex lege, ita vt secundum communem modum, quem Deus seruat, debeat necessariò præcedere gratiam conatus bonus naturæ. In hanc sententiam videtur inclinare M. Bañes 2. 2. quæstione 10. ar. 1 dub. 2. ad 4. Eandem explicationem adhibent verbis S. Thomæ multi doctissimi Thomistæ. Et, si fiat argumentum: nam, *certissimè*, idem significat, quòd, *infallibiliter*: quod enim aliquando deficit, non euenit certissimè; respondent, quòd in moralibus contingit certissimè, quod regulariter cõtingit; quatus aliquando non ita eueniat, sicut dicimus, quòd in hyeme certissimè sunt pluuiæ; & in hac acceptione sumitur illud verbũ, *certissime*, lib. 3. Regum, cap. 11. & Exodi 34. cùm dicitur: *Non ingrediemini ad eas*, scilicet ad mulieres C Moabitidas, & Amonitidas, *certissimè enim auertent corda vestra, vt sequamini Deos earum.* Vnde S. Thom. 1. 2. q. 105. ar. 4. ad 6. docet, quòd in istis verbis explicatur morale periculum seductionis. Sed hæc explicatio non videtur satisfacere argumento superiùs facto: nam demus casum, quòd puer ille faciat totum quod potest ex solis viribus naturæ, & Deus non det illi auxilium gratiæ; ille non peccabit mortaliter contra præceptum, quo tunc tenetur conuertere se in Deum, & bonum rationis, quia nullus peccat, si facit totum quod potest ad implendum præceptum, alias obligaretur ad impossibile: ergo transacto illo tempore, poterit peccare venialiter, antequã peccet mortaliter. Dicere autem, quòd pertinet ad diuinam prouidentiam, vt non permittat illum peccare venialiter, antequam mortaliter peccet, vel iustificetur à Deo; videtur voluntarium.

De puero peruenìte ad vsum rationis.

Certissimè fit moraliter quod regulariter fit.

Tertia explicatio est, quam latè prosequitur M. Medina 1. 2. q. 89. art. 6. quòd ibi loquitur S. Thom. de faciente totum quod in se est, non quidem ex sola facultate naturæ, sed ex auxilio præuenientis gratiæ. Et quoniam hæc explicatio est expressa S. Thomæ super cap. 10 ad Romanos lectione 3. cuius verba superiùs adduximus; pro eius intelligẽtia notãdum, quòd cognitio fidei explicita, omnibus simpliciter necessaria, & in omni statu ad iustificationem est cognitio, qua homo credit, Deum esse, & habere prouidentiam de rebus humanis: id quod S. Thom. colligit in eod art. 11. in corp. ex illo ad Heb. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quòd est, & quòd inquirentibus se remunerator est*, in quo implicitè continetur fides eorum, quæ necessaria sunt ad salutem. Dicimus ergo, quòd in illo instanti morali, & in breui spatio vsus rationis, simul cum illustratione naturali, Deus speciali auxilio mouet sufficiẽter intellectum, & excitat voluntatem peruenientis ad vsum rationis, vt conuertatur in Deum, tanquam in finem vltimum eo modo cognitum, quo illa ætas patitur. Cuius ratio est: nam supposito, quòd est præceptum, quo in illo instanti tenetur puer se conuertere in Deum, tanquam in finem vltimum, proponendo in omnibus illi placere, atque seruare omnia

XXII. Si puer peruenìens ad vsum rationis, faciat quod in se est ex aux. grat. illuminabitur à Deo, & iustificabitur.

omnia præcepta naturalia (hoc enim est sequi ductum rationis) ad diuinam prouidentiam pertinet, vt det illi auxilium sufficiens : nam in natura lapsa non poterit homo ex sola facultate naturæ sic se conuertere in Deum , nec proponere absoluta voluntate illi placere in omnibus, vt disp. 51. & 52. dictum est. Vult ergo docere S. Doctor, quòd si ille puer faciat quod in se est, ex prædicto auxilio supernaturali ; Deus vel per aliquem prædicatorem, vel per internam inspirationem illuminabit illum, vt credat alia mysteria , quæ ad consequendam vltimam salutem, necessarium est credere explicitè , vt incarnationem Verbi,& alia huiusmodi. Magis enim requiritur ex parte fidei, ad consequendam gloriam, quam gratiam. Colligitur hæc explicatio ex eodem consectario : nam ibi ponit exemplum S. Thom. in Cornelio , ad quem Dominus mittit Petrum *Actor.* 10. quia fecit quod in se erat , dando eleemosynas, &c. & tamen, vt suprà dicebamus, Cornelius non ex sola facultate naturæ fecit quod in se erat , antequã illuminaretur per Apost. Petrũ circa mysteria Euangelij, sed speciali auxilio præuenientis gratiæ: id quod fatetur S. Th. 2. 2. q. 10. 4. ad 3. vbi sic ait. *De Cornelio autẽ sciẽdũ est, quod infidelis nõ erat, alioquin eius operatio accepta nõ fuisset Deo, cui sine fide nullus potest placere: habebat autẽ fidem implicitam , nondum manifestata Euangelij veritate. Vnde, vt cum in fide plenius instrueret, missus est ad eum Petrus.* Ex his patet , quomodo non detur peccatum veniale cum solo originali: nam si puer faciat quod in se est cum illo auxilio, iustificabitur: si autem non faciat, peccabit mortaliter. Consonat etiam hæc explicatio cum verbis S. Thomæ prima secundæ quæstione 89. articulo 6. in corp. vbi ait. *quod si puer ille ordinauerit seipsum in instanti vsus rationis ad debitum finem per gratiam consequetur remissionem originalis peccati.* Vbi loquitur de ordine ad debitũ finem, ex speciali auxilio. alias absque aliquo auxilio præuenientis gratiæ consequeretur homo gratiam habitualem: quod falsissimum est, vt ostendit M. Medina loco superiùs allegato. Iuxta hanc doctrinam interpretanda sunt,& intelligenda, quæ in aliis locis, eodem argumento tertio adductis dicit S. Thom.

Cornelius fecit quod in se erat, ex auxilio gratiæ.

Peccatum veniale nõ potest dari cũ solo originali.

XXIII. Sed contra hanc doctrinam est argumentum difficile. Sequitur enim, quòd nullus detur adultus, qui sit infidelis negatiuè. consequens est contra S. Tho. 2. 2. q. 10. art. 1. ergo. Sequela probatur : quoniam , iuxta doctrinam superiùs traditam , omnis , qui peruenit ad vsum rationis, habet auxilium sufficiens ad credendum: ergo potest credere. Cùm ergo teneatur ad credendum, si non credat, peccabit mortaliter peccato omissionis contra præceptum fidei, ac per consequens, erit infidelis contrarie. Vt enim omissio alicuius actus imputetur ad culpam, sufficit , & requiritur, quòd homo possit illum actum facere , quòd teneatur facere, & non faciat, vt 1. 2. q. 6. docent communiter Thomistæ. Respondetur, quòd in casu posito , immediate quidem tribuitur illi puero à Deo auxilium sufficiens supernaturale ad implendum præceptum naturale , quo tenetur se conuertere in Deum, vt est auctor naturæ, paratus ei tribuere auxilium sufficiens, quo possit per fidem , & charitatem supernaturalem se conuertere in Deum, vt est auctor gratiæ. Vnde, si non adimpleat præceptum illud naturale, peccabit mortaliter; non quidem, quia non se conuertit in Deum, vt est auctor gratiæ; sed quia non est conuersus ad illum , vt est auctor naturæ ; ac per consequens manebit infidelis negatiuè ; non autem contrarie. Si autem ex auxilio illo supernaturali sequatur ductum rationis, & faciat quod in se est, conuertendo se in Deum auctorem naturæ , statim illuminabitur ab ipso Deo , & adiuuabitur , vt habeat fidem supernaturalem, & consequatur iustificantem gratiam. Sed tunc dabitur infallibiliter gratia faciẽti totum quod in se est, non quidem ex solis viribus naturæ, sed ex præueniente auxilio gratiæ.

Infideles pure negatiuè qui dicantur.

Ad quartum respondetur , quòd facientibus, & non facientibus quod in se est , Deus , quando sibi placet , confert auxilia præuenientis gratiæ , & aliquando etiam propter præcedentia peccata , eis eadem auxilia non confert , vt inferiùs patebit. Sed cùm dat hæc auxilia facientibus quod in se est ex viribus naturæ , illa opera naturæ nec sunt ratio, propter quam dentur eadem auxilia, nec conditio , sine qua , regulariter non darentur : sed concomitanter se habent , & per accidens. Vnde non fecit legem , quòd si homo faciat priùs totum quod in se est ex sola facultate naturæ , ipse daturus sit illi infallibiliter auxilia gratiæ , & alias non, secundùm communem modum, quem seruat in collatione eorundem auxiliorum. Nec etiam decreuit huiusmodi auxilia conferre propter meritum, etiam de congruo , neque tanquam propter causam , aut rationem , nec tanquam propter conditionem , sine qua non. Nec statuit illa dona conferre , vt sic ille conatus naturalis eleuetur per subsequens auxilium gratiæ , & fiat , qualis oportet ad salutem. Nec ex hoc sequitur , quòd sint frustra admonitiones , & frustra fiant illa bona opera moralia ab existente in peccato mortali ; quoniam , licèt nullo modo sint dispositiones ad gratiam , etiam remotæ; conducunt tamen ad euitandum nouum peccatum mortale , quando opera illa bona moralia sunt in præcepto & ad generandum aliqualem habitum virtutis moralis, qui per actus multiplicatos producitur. ac denique, vt mitiùs reprobus in inferno crucietur, vt disp. 50. num. 11. ex Augustino dictum est. Vnde non fiunt frustra , neque admonentur frustra peccatores, vt in illis se exerceant.

XXIV. Bona opera facta in peccato mortali ex solis viribus naturæ adquid deseruiant.

Ad quintum respondetur, ex illis locis Scripturæ solùm colligi, quòd Deus, quantum est ex parte sua, omnibus adultis tribuat auxilia sufficientia ad salutem, non autem quòd ante eiusmodi auxilia debeant præcedere bona opera nostra , aut conatus naturæ, quibus homo se dispõnat , ac præparet, vt infallibiliter auxilia illa consequatur. Sed specialiter ad locum Apostoli: *Deus vult, omnes homines saluos fieri*; respondetur, quòd inter alias explicationes S. Tho. 1. p. quæst. 19 artic. 6. de quibus disput. 33. egimus ex professo, intelligitur de voluntate antecedente, quæ est voluntas signi , non autem de voluntate consequente, quæ est beneplaciti, & semper impletur. Ad alium locum ex Apocalypsi, respondetur, quòd cùm inquit, *Si quis audierit vocem meam* , &c. loquitur de illo, qui audit, aperit , & respondet vocationi ex auxilio gratiæ, donante ipsum velle , & ipsum aperire; non autem de illo , qui respondet ex sola facultate naturæ, aut conatur facere, quod in se est viribus naturalibus. Imò ex eodem loco non obscure colligitur, vocationem Dei præuenire omnem nostrum conatum. Ait enim: *Ego sto ad ostium, & pulso* quasi diceret; non vocatus venio, sed vocatum præuenio , pulsando.

XXV. Deus volũtate consequente nõ vult omnes homines saluos fieri.

1. Tim. 2.

Apoc. 3.

Ad sextum argumentum negatur , sequi ex nostra sententia primum illud inconueniens: nam , vt disput. 112. & 113. patebit, Deus omnibus hominibus tribuit auxilia sufficientia ad salutem : homo autem sua culpa non vult illis bene vti. Vnde , si damnatur, sibi imputet. Ad aliud inconueniens , quo inferebatur , peccatum veniale esse posse in adulto cum solo originali, iam patet ex dictis in solutione ad primum, & tertium argumentum.

XXVI.

Ad septimum respondetur, quòd , vt dicebamus ad primum , perditio , & salus est quidem posita in ho-

in hominis poteſtate; aliter tamen, & aliter: nam perditio eſt nobis ex nobis, ſalus autem ex Deo. Vnde, vt diſputatione 98. & 117. patebit, ſalus noſtra primò eſt in poteſtate ſolius Dei, tanquam in primo incipiente ſimpliciter: vt expreſsè docet S. Auguſt. lib. de dono perſeuerantiæ, capite octauo, & S. Ambroſius, cuius verba eodem loco adducit Auguſt. Vnde ſalus non eſt in poteſtate hominis, tanquam in primo inchoante, aut incipiente, ſed tanquam in conſentiente liberè, & cooperante, ſuppoſito auxilio præuenientis gratiæ, vt dictum eſt. Vnde ante huiuſmodi auxilium nil poteſt homo operari, quod habeat ordinem ad ſuam ſalutem, ſiue in ratione diſpoſitionis, ſiue conditionis, ſine qua non.

Perditio, & ſalus qualiter ſint in poteſtate noſtri arbitrij.

XXVII. Ad confirmationem reſpondetur, quòd explicatio illa in argumento inſinuata, nullo modo eſt admittenda; illam quippe reiicit, & impugnat S. Auguſt. lib. 4. contra Iulianum, cap. 8. & libro 2. contra duas epiſt. Pelag. cap. 3. & libro de dono perſeu. cap. 8. & S. Proſper epiſt. ad Aug. Senſus ergo legitimus illius loci eſt, quem adhibet S. Auguſtinus, & communiter alij ſancti Patres, quòd videlicet recipientibus eum per fidem, & credentibus dedit Deus poteſtatem, vt per gratiam habitualem fierent filij Dei: nam fides eſt primum initium iuſtificationis. Tamen, quòd homines credant, non habent à ſeipſis, ſed ex dono Dei, vt diſp. 49. oſtenſum eſt. Vbi aduertendum cum Caietano, quòd non dixit, *Dedit eis poteſtatem, vt ſe facerent filios Dei*, ſed aſt: *Dedit eis poteſtatem, filios Dei fieri*: vt deſignaret, hominem ex facultate naturæ nullam habere virtutem, qua ſe faciat filium Dei; ſed eam accipere ex dono prævenientis gratiæ. Vnde S. Bernardus in tractatu de gratia, & libero arbitrio explicans, qualiter gratia, & liberum arbitrium ad iuſtificationem concurrant, inquit: *Quod à ſola gratia cœptum eſt, pariter ab vtroque perficitur, vt mixtim, non ſigillatim; ſimul, non viciſſim per ſingulos profectus operentur. Non partim gratia, partim liberum arbitrium ſed totum ſingula opere individuo peragunt. Totum quidem hoc, & totum ex illa, ſed ſicut totum in illo, ſic totum ex illa.*

Ioan. 1. Poteſtas, vt ſimus filij Dei, à Deo eſt.

DISPVTATIO LVII.

Vtrùm ratione maioris conatus liberi arbitrij conſequatur homo auxilia maiora, ſeu intenſiora excitantis & prævenientis gratiæ.

1. ILLI auctores, qui docent, eſſe à Deo ſtatutam legem de conferendis auxiliis prævenientis gratiæ, facientibus totum quod in ſe eſt ex ſola facultate naturæ, dixerunt conſequenter, dari illis à Deo auxilia prævenientis, & excitantis gratiæ, maiora, vel minora iuxta quantitatem præcedentis conatus liberi arbitrij: non quidem ita, vt ille maior conatus arbitrij ſit cauſa meritoria, aut ratio, propter quam dentur auxilia perfectiora gratiæ prævenientis; ſed ſolùm conditio, ſine qua non darentur regulariter à Deo. Probari poteſt hæc ſententia.

Primò, ex illa parabola Matth. 25. & Lucæ 19. de talentis, & pecuniis ſeruis traditis, vt propria induſtria illis negotiarentur: vbi talentorum nomine auxilia gratiæ ſignificantur, & innuitur, quòd à propria induſtria, & conatu maiori, vel minori liberi arbitrij prouenirent, quòd plura, vel pauciora talenta vnuſquiſque ſeruus acceperit.

Secundò, Deus optimus maximus ordinariè non tribuit hominibus auxilia gratiæ prævenientis, & excitantis ad fidem, niſi prævia aliunde notitia, & conſideratione eorum, quæ fides docet: ſed dum adultus notitias accipit ex prædicatione, & inſtructione alterius, vel ſi ipſe legat, aut in memoriam reducat, vel conſideret ea, quæ fides docet, ſolet Deus ſe inſerere per gratuita dona eiſdem notitiis, & eas eleuare, vt ſint ſupernaturales, & illuminent intellectum ad excitandam voluntatem: ergo, quando homo conatur magis, vt perfectiorem notitiam producat, & intenſiorem conſiderationem eorum, quæ fides docet, gratia prævenions, & excitans erit intenſior, & maior. Probatur conſequentia: nam, vt ex Conc. Trid. conſtat, gratia prævenions, & excitans in illuminatione intellectus, quæ ſit per notionem, & excitatione voluntatis, conſiſtit.

Tertiò. Vocatio Dei interna multùm dependet à libero arbitrio eius, qui vocatur, tum quia potuit accedere, aut non accedere ad audiendum, vel legendum verbum Dei, vnde notitias compararet, quibus Deus ſe inſereret, & ad fidem vocaret ſolos: tum etiam, quia poſtquam acceſſit, potuit diuertere aliò cogitationem, neque intendere iis, quæ credenda proponebantur: tum denique, quia accedere potuit vel animo addiſcendi, atque amplectendi quod verum, bonumque eſſe iudicaret: vel animo irridendi, aut impugnandi, quæ dicerentur: ergo pro diuerſitate conatus liberi arb. eius, qui vocantur, erit ipſa vocatio interna magis, vel minùs intenſa.

II. Quartò arguitur. Motus gratiæ prævenientis, & excitantis non efficiuntur à ſolo Deo, ſed ſimul cum intellectus noſter efficienter concurrit ad illuſtrationes gratiæ, quibus illuſtratur & voluntas ad affectus, & motus gratiæ excitantis, quos ſuſcipit: ergò quantitas prævenientis gratiæ menſurari debet ex quantitate conatus intellectus, & voluntatis noſtræ. Probatur conſequentia: nam, vt 1. 2. quæſt. 114. art. 3. in corpore, docet S. Thom. vnuſcuiuſque rei quantitas dependet à propria cauſa rei.

Confirmatur. Motus gratiæ prævenientis ſunt formaliter actiones virales, ergo dependent intrinſecè à principio intrinſeco vitali, ſcilicet ab intellectu noſtro, & voluntate; non quidem, vt libera, ſed vt natura eſt, eo enim modo concurrit ad motus prævenientis gratiæ, quo ad motus primò primos, ergo eò erit gratia prævenions magis intenſa, quò ipſe conatus intellectus, & voluntatis intenſior fuerit.

Quintò. Motus gratiæ prævenientis, & excitantis ſæpe ſunt admodum debiles propter modicam præparationem, & conatum noſtrum, & præcedentia multa delicta, prauaſque affectiones; ergo, ſi conatus noſtri arbitrij eſſet intenſior, gratia prævenions eſſet maior, & perfectior: ergo ratione maioris conatus liberi arbitrij, dantur homini maiora, & perfectiora auxilia prævenientis gratiæ.

Contrariam ſententiam docent conſequenter omnes Doctores ſuprà allegati, qui ſentiunt, nullam legem eſſe à Deo ſtatutam, conferendi auxilia prævenientis gratiæ facientibus totum quod in ſe eſt ex ſola facultate naturæ: quorum ſententiam de mente S. Aug. & S. Thomæ, veram eſſe cenſeo. Vnde ſit

Auxilia prævenientis gratiæ non menſurantur ſecundùm perfectionem præcedentis conatus arbitrij.

PRima Concluſio. Auxilia actualia prævenientis gratiæ non menſurantur in ſua perfectione, & intenſione, ſecundùm quantitatem maiorem, vel minorem præcedentis conatus liberi arbitrij; ſed ſecundùm gratuitam omnino, & liberam voluntatem Dei. Itaque in collatione, aut diſtributione talium auxiliorum, nullus habetur reſpectus ad præcedentes conatus noſtri liberi arbitrij, neque ad aliquid naturale, ſed Deus, pro ſua voluntate, vni tribuit perfectiora auxilia prævenientis gratiæ, & magis intenſa, alteri verò minora, quia ita ſibi placet.

placet. Ista conclusio afferitur passim ab Augustino, præsertim in locis cit. disp. 56. maxime in quæst. secunda ad Simplicianum, in fine, cuius verba adduximus supra. Sanctus Thomas expresse etiam docet hanc nostram conclusionem secunda secundæ, quæ. 24. art. 3. quam probat ex Apostolo 1. ad Corinth. 12. *Hæc omnia operatur unus, & idem Spiritus, dividens singulis prout vult*, Et ad Ephes. 4. *Unicuiq; nostrum data est gratia, secundum mensuram donationis Christi.* Ité etiam 1. ad Corinth. 1. dicitur: *Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, sed ignobilia mundi elegit Dominus, ut confundat fortia, & ea, quæ non sunt, ut ea, quæ sunt, destrueret*, &c. Quibus verbis docet, vocationem Dei non attendi, neque mensurari secundum aliquid naturale, nec secundum sapientiam, aut virtutem humanæ naturæ, sed secundùm gratuitam voluntatem Dei. Præterea probatur ratione. Gratia præueniens non dependet ex aliqua naturali virtute, sed ex sola misericordia diuina datur, quibuscumque datur: gratia enim excedit omnem facultatem naturæ: ergo similiter quantitas, & perfectio eiusdem gratiæ non desumitur ex aliquo naturali, sed ex sola misericordia Dei vocantis. Confirmatur: quoniam, vt ostensum est in duabus disputationibus præcedentibus, conatus omnes, & bona opera moralia præcedentia ex sola facultate naturæ, nullum dicunt ordinem ad gratiam, nec habent proportionem cum illa: ergo non possunt quantificare perfectionem, aut intentionem illius, aliàs iam dicerent ordinem ad gratiam; nam omnis dispositio quantificans formam, dicit aliquem ordinem ad illam. Secundò probatur: Opera naturæ præcedentia gratiam præuenientem, nihil omnino conducunt ad consequutionem gratiæ, etiam tanquam dispositiones remotæ, vt disputatione 55. ostensum est: ergo ratione illorum non datur homini gratia præueniens: non ergo mensuratur quantitas eiusdem gratiæ iuxta intensionem conatus liberi arbitrij. Tertiò. Gratia præueniens, & excitans est efficienter a solo Deo: solus enim Deus est, qui vocat hominem ad se, & hoc importat ipsum nomen gratiæ præuenientis, quando est primò præueniens, ideo enim dicitur primò præueniens, quia præuenit saltem ordine naturæ omnem efficientiam intellectus, & voluntatis, non solùm qua voluntas libera est, sed etiam vt natura est, vt disput. 74. patebit: ergo quantitas, & perfectio eiusdem gratiæ solùm referenda est in Deum, atque in meram, & gratuitam voluntatem illius.

Disputa. 55. num. 8.

III.

Gratia præueniés quatenus à quibusdam excipitur.

Respondent ad hoc, Gratiam præuenientem, & excitatem non pendere efficienter a libero arbitrio, sed a solo Deo; quia, licet motus eiusdem gratiæ præuenientis sint actiones vitales intellectus, & voluntatis; tamen, proprie loquendo, non sunt actus liberi arbitrij, non solùm quoniam illustratio intellectus esse potest per cogitationes, in quas, absque vlla deliberatione, motúve liberi arbitrij, inciderit homo, vel quas Angelus, aut Deus in eum impresserit, aut excitauerit, vel alius per sermonem suggesserit, ante omnem motum liberi arbitrij, sed etiam quoniam, quòd cogitatio illa euadat illustratio, & gratia præueniens, solum id habet ex influxu supernaturali Dei, & per comparationem ad Deum, tanquam ad causam illuminantem; non verò per comparationem ad intellectum nostrum; quamuis, nisi simul cooperetur intellectus, cogitatio, & illustratio illa non esset in rerum natura. Quare talis illustratio, qua illustratio intellectus est, & gratia præueniens, non est actus liberi arbitrij. Affectus vero supernaturalis voluntatis circa ea, quæ ad fidem spectant, merè naturaliter oritur in voluntate, exi-

A stente illustratione intellectus, simúlque influente Deo in illum, per concursum particularem: neque cooperatio voluntatis ad illum est in libera potestate voluntatis, sed merè naturaliter ex ea resultat, quatenus natura est; non verò quatenus liberum arbitrium est, tametsi, vt liberum arbitrium est, arcendo cogitationem, aut adducendo rationes allicientes voluntatem in partem oppositam, possit impedire, ne insurgat.

IV.

Gratia primo præueniens non est actus homini indeliberatus.

In hac tamen solutione multa inuoluuntur discutienda: & inprimis, vt patebit disput. 70. gratia primò præueniens, formaliter loquendo, non est actus vitalis indeliberatus, sed motio Dei, ordine causalitatis antecedens actum nostrum vitalem ordinis supernaturalis. Nam Deus per auxilium gratiæ præ-
B uenientis, eleuat intellectum, & voluntatem, & eam mouet, vt eliciat supernaturales actus: siue illi sint liberi, aut deliberati, siue indeliberati, cùm ante huiusmodi auxilium, nullam habeat proximam virtutem, vel actiuitatem intellectus nostri, & voluntas ad eliciendos actus supernaturales, etiam indeliberatos, &, vt aiunt, primò primos. Secundò: nam gratia præueniens, qua Deus efficit, vt notitia intellectus nostri, aut cogitatio credendorum, aut motus, etiam subitanei nostræ voluntatis supernaturales sint, & quales oportet ad salutem; non est influxus immediatus in actus intellectus, & voluntatis, sed est influxus immediatus in ipsas potentias, &, mediis potentiis, in earum actus: vt ex dictis in disputatione decimaoctaua constat. Sed influxus immediatus
C in intellectum, & voluntatem, non potest esse efficienter ab ipso intellectu, & voluntate: nam intellectus & voluntas nihil in se ipsis influunt antecedenter ad actus, quos eliciunt: ergo gratia præueniens non procedit effectiue ab intellectu, aut voluntate nostra, etiam secundùm entitatem suam: nó ergo est magis, vel minùs intensa pro maiori, vel minori conatu eiusdem arbitrij, nó solum, vt liberú, sed etiam vt natura est. Tertiò: quoniam, licet cogitatio, non solùm indeliberata, sed etiam libera, possit esse gratia præueniens in ordine ad alios actus supernaturales subsequentes, impossibile tamen est, quòd aliqua cogitatio sit simpliciter prima gratia præuenies: nisi cùm illa cogitatio sit supernaturalis; oportet, quòd ante illam cogitationem intellectus moueatur, &
D eleuetur per aliquod auxilium supernaturale, vt illam cogitationem elicitualis aliquis actus supernaturalis, scilicet, cogitatio credendorum, procederet ex sola facultate naturæ, contra illud Apostoli: *Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est*: ergo, &c.

1. Cor. 3.

V.

Deus, seu gratia præueniens nõ se inserit cæteris naturæ.

Secunda conclusio. Non est dicendum, quòd Deus se inserat notitiis, aut aliis actibus intellectus, aut voluntatis inceptis ex sola facultate naturæ, vel quòd suo influxu supernaturali in eosdem actus, eos acuat, vel efficiat supernaturales, vt in suo ordine sint, quales oportet ad salutem, sortianturque rationem gratiæ præuenientis, comparatione supernaturalis consensus liberi in actum fidei, spei, aut chasti-
E tatis, vel aliorum actuum supernaturalium. Hæc cõclusio partim manet probata ex dictis disputatione præcedenti, conclusione tertia. Præterea probatur. Primò nam hic modus loquendi erat frequens apud Massilienses, inter quos Faustus libro primo de gratia, & libero arbitrio, cap. 4. *Totum*, inquit, *gratia est, sed omnibus eam offert, atque ingerit ad salutem.* Et Cassianus inquit: *Qui cum in nobis orium quendam bonæ voluntatis inspexerit, illuminat eam confestim, atque confortat, & incitat ad salutem, incrementum tribuens ei, quam vel ipse plantauit, vel ostio conatu videriit emersisse.* Et iterú ait: *Nam cum viderit nos Deus ad bonum*

Cassian. apud Prosp. lib. contra Collatorẽ cap. 3.

Fod. lib. ca. 16.

Digitized by Google

velle deficiẽtes, occurris, dirigis, atque confortas. Ad vocem enim clamoris, cui statim vt audierit, respondetur tibi. Et inuoca me, inquit, *in die tribulationis, & eripiam te, & glorificabis me.* Quæ verba Prosper sanctus refellens: *Quis,* inquit, *non videat, quòd hæc doctrina meritum libero assignat arbitrio, quo præueniatur gratia, qua ei famuletur, reddens debitum, non conferens donum? Quæ definitio in Episcoporum Palestinæ Synodo, etiam à Pelagio anathemate damnata est. In eo enim, qui bonum incipit velle, & cupit ab inquitate, atque ab errore discedere, gratiam Dei hoc ipsum profitemur operari.* ergo sententia, quæ asserit, Deum, sua gratia excitante, seu præueniente, se inferere actibus viribus naturæ inceptis, &c. non est admittenda.

Isa. 30. Psal. 49. S. Prosper c. 3. cit.

VI. Confirmatur hoc: nam idem S. Prosper epist. ad Augustinũ, Massilienses impugnat, quia dixerint, quòd *bona appetentem, gratia Dei foueat.* imò & S. Augustinus lib. 1. contra duas epist. Pelag. c. 19. cuius verba disp. 1. n. 11. retulimus, propter hoc etiam reprehendit Iulianum, quoniã asseruit, quòd homo nulla Dei gratia præuẽtus incipiat, seu aggrediatur opus bonũ, & postea *in ipso iam opere diuinitus adiuuetur:* ex qua assertione infert ibi S. Aug. quòd Dei adiutorium detur ex meritis: nã immediate post illa verba Iuliani: *In ipso iam opere diuinitus adiuuetur.* subdit: *pro meritis videlicet voluntatis bonæ, vt reddatur debita gratia, non donetur indebita; ac sic gratia, iam non sit gratia, sed sit illud, quod Pelagius in iudicio Palæstino fidem corde damnauit, gratiam Dei secundùm merita nostra dari.* Ex quo apparet, Iulianum sensisse bonos conatus liberi arbitrij ex solis viribus naturæ inceptos à gratia se inferente foueri, atque perfici: ergo hæc sententia non est admittenda.

Secundò probatur: nam aliàs sequi videtur, quòd homo bono naturæ bene vtendo, ad salutarem gratiam, initialis gratiæ ope perueniat, quod tamen in Massilienſibus impugnat S. Prosper epist. ad Augustinum, cùm ait: *Quidam verò horum in tantum à Pelagianis semitis non declinant, vt quum ad constituendam eam Christi gratiam, quæ omnia præueniat merita humana, cogantur, ne si meritis redditur, frustra gratia nominetur: ad conditionẽ hanc velint vniuscuiusque hominis pertinere, in qua eum nihil prius meminerint, quia nec existentem, liberi arbitrij, & rationalis gratia Creatoris instituat, vt per discretionem boni, & mali, & agnitionem Dei, & ad obedientiam mandatorum eius possis suã dirigere voluntatem: atque ad hanc gratiã, qua in Christo renascimur, peruenire, per naturalẽ scilicet facultatẽ, petendo, quærendo, pulsando: vt ideo accipiat, ideo inueniat, ideo introeat, quia bono naturæ bene vsus, vt ad istã saluãtem gratiã, initialis gratiæ ope meruerit peruenire.* Vnde etiam S. Hilarius scribens ad S. Augustinum, & eorudem Massilienſium sententiam referens, ait, eos asserere: *Nec negari gratiam, si præcedere dicatur talis voluntas, quæ tantum medicum quærat: non autem quidquam ipsa iam valeat. Nam illa testimonia, vt est illud:* Sicut vnicuique partitus est mensuram fidei: *& similia; ad id volũt valere, vt adiuuetur, qui cœperit velle, & non vt etiam donetur, vt velit:* ergo nõ est admittendũ, quòd liberum arbitriũ ex solis viribus naturę incipiat, quærendo, petẽdo, pulsando, & gratia postmodum, seu ipse Deus per gratiam, eisdem actibus se inferat, eos acuendo, & fouendo vt supernaturales sint. Tertiò probatur, quia non est intelligibile, quomodo Deus influendo supernaturali influxu immediatè in actus ex viribus naturæ inceptos, eos efficiat supernaturales. Non enim fieri potest, vt Deus efficiat actus vitales, nisi mediante potentia vitali: ergo non potest influere immediatè supernaturali influxu in cogitationem, & notitiam credendorum, nisi priùs natura influat in potentiam, eámque moueat, vt eiusmodi actus supernaturales producat.

Rom. 12.

A Cõfirmatur rationibus, quibus disp. 18. ostensum est, concursum Dei generalem esse influxum immediatum in causas secundas, eásque præmouere, & applicare, vt suas operationes producant.

VII. Talentorũ nomine intelliguntur dona gratiæ.

AD primum argumentum respondetur, quòd, nomine talentorum intelliguntur dona gratię, quæ Deus distribuit vnicuique iuxta eius dispositionem; sed ipsam dispositionem operatur in eis Spiritus sanctus, in maiori, vel minori intensione, prout vult; sicut conclusione 1. dictum est. Solutio est expressa S. Thom. 1. 2. q. 24. a. 3. ad 1. Sed contra: nam sequitur, dari processum in infinitum; quia, ad recipiẽda dona gratiæ requiritur dispositio, & ad illam dispositionem, cùm sit etiam donum gratiæ, requiritur alia dispositio, & sic in infinitũ. Respondetur, quòd B dona habitualia gratiæ, quia sunt perfecta, & non ordinantur ex se ad aliam formam, prærequirunt ex parte recipientis dispositionem in adultis, quibus Deus non infundit hæc dona absque eorum cõsensu: dona autem actualia quia dantur per modũ transeuntis, non prærequirunt aliam dispositionem; sed per ea Deus præparat liberum arbitrium, vt eliciat actus supernaturales, & dispositionem ad gratiam iustificantem; vnde non sequitur processus in infinitum.

Notitia mysteriorũ fidei est ex auxilio gratiæ.

Ad secundum respondetur, quòd species intelligibiles supponuntur quidem à natura regulariter, sed tamen notitia, seu cogitatio, qua eisdẽ speciebus apprehendit homo res fidei, vt illis assentiatur, non est à sola natura, sed ex motione Spiritus sancti eleC uantis species, & ipsam potentiam intellectiuam; vt ea, quæ sunt fidei, apprehendat, consideret, & expendat, atque illis assentiatur. Vnde & ipsa notitia credendorum, & eius intensio est à Spiritu sancto, tanquam à primo mouente per auxilium gratiæ, vt suprà dictum est.

VIII. Donũ Dei est, audire Verbũ Dei animo obediendi.

Ad tertium respondetur, quòd non ex solis naturæ viribus, sed ex motione Spiritus sancti procedit, quòd quis accedat ad audiendum, vel legendũ verbum Dei, vt illi obediat: & ex eadem motione procedit, quòd, postquam accessit, non diuertat ad aliam rem cogitationem, sed attendat his, quæ dicuntur. Sicut Act. 16. dicitur de illa muliere Purpuraria, *cuius Deus aperuit cor, intendere iis, quæ à Paulo dicebantur:* vt suprà explicatum est. Et similiter procedit ab eqD dem auxilio, quòd accedat animo addiscendi, & amplectendi ea, quæ dicuntur, vt expresse docet S. Aug. lib. de don. perseu. c. 14. dum ait: *Sed illis, qui veritatis exhortationem obedienter audiunt, ipsum donum Dei datum est, hoc est, obedienter audire: illis autem, qui non sic audiunt, non est datum.* Et infrà: *Hinc est, quod Dominus, cùm eis loqueretur, qui carnales aures apertas haberent, dicebat tamen:* Qui habet aures audiendi, audiat: *quas non omnes habere proculdubio nouerat. A quo autem habeant, quicumque habent, ipse Dominus ostendit, vbi ait:* Dabo eis cor cognoscendi me, & aures audiẽtes. *Aures ergo audiendi, ipsum est donum obedientiæ.* Quibus verbis manifestè docet, quòd intendere his, quæ dicuntur, & verba Dei audire, animo obediendi, sit etiam donum Dei. Vnde etiam illorum actuum intenE sionem partitur Spiritus sanctus vnicuique prout vult. Quod autem non accedat ad audiendum Verbũ Dei, vel si accedat, non intendat iis, quæ dicuntur, vel animo ea iterùm audiendi accedat, hoc habet ex sua mala voluntate, aut etiam ex suggestione diaboli, vt suprà dictum est.

Luc. 8.

IX. Gratia præueniẽs, quæ nõ est simpliciter prima, potest esse actus vitalis.

Ad confirmationem respondetur: quòd prima gratia præueniens non est formaliter actus vitalis, sed causaliter: est enim motio ad actum vitalem, vt disput. 74. dicetur: gratia autem præueniens, quæ nõ est simpliciter prima, est actus vitalis, dependens quidem effectiuè à nostro intellectu, & voluntate, vt

a causa

à causa proxima, sed tamen eius intensio, & perfectio tandem reduci debet in priorem gratiam præuenientem, quæ non sit formaliter actus vitalis, sed motio Dei prævia ad actum vitalem supernaturalẽ. Et per hæc respondetur ad quartum argumentum.

Ad quintum respondetur, quòd, vt docet S. Tho. 1.2.q.112.a.3. ad 2. *Prima causa defectus gratiæ est ex nobis, sed collationis gratiæ prima causa est a Deo secundum illud Osee 13. Perditio tua ex te Israël, tantùm modo in me auxilium tuum.* Vnde, quòd motus gratiæ præuenientis sint debiles, procedere potest ex nobis, quatenus Deus, propter præcedentes culpas, non tribuit abundantiora præuenientis gratiæ auxilia: sed quòd ea conferat in magna abundantia, & intensione; totum debet refundi in metam, & gratuitam Dei voluntatem, & misericordiam, vt dictum est.

Motus præuenientis gratiæ vnde habeat quod sint debiles.

COnsequenter explicandum est, quas vires habeat liberum arbitrium in ordine ad bonum supernaturale, postquã à Deo accepit auxilia priora diuinæ grntiæ. Circa quod 12. occurrunt disputãda.

I. Vtrùm facienti totum quod in se est, ex prioribus auxiliis gratiæ, vt ex auxilio sufficienti, dentur infallibiliter, & ex certa lege posteriora auxilia, vt auxilium efficax, quo infallibiliter conuertatur, & saluetur.

II. Vtrùm facienti totum quod in se est, ex auxilio efficaci, detur infallibiliter, & ex certa lege gratia habitualis, seu iustificans.

III. Vtrùm per actus Charitatis æquales habitui præexistenti, aut etiam per actus remissos, consequatur homo infallibiliter, & ex certa lege augmẽtum gratiæ habitualis, charitatis, & gloriæ essentialis.

IV. Vtrùm propter merita mortificata consequatur pœnitens infallibiliter, & ex lege à Deo statuta maiorem gratiam habitualem, & eius ad gloriam essentialem magis intensam.

V. Vtrùm, ratione maioris conatus liberi arbitrij, vel influxus cum auxilio æquali gratiæ adiumãtis, vnus, cæteris paribus, consequatur magis intensam gratiam iustificantem, quàm alius.

VI. Vtrùm intellectus naturaliter perfectior, cum æquali lumine gloriæ, producat actum visionis beatificæ magis intensum, quàm alius. Et eadem difficultas procedit de aliis actibus supernaturalibus.

VII. Vtrùm actus fidei supernaturalis, & charitatis, aut visionis beatificæ, inquãtùm est formaliter actio vitalis, procedat effectiuè, vt quo, à principio supernaturali, an à sola potentia naturali, secundùm suam innatam virtutem.

VIII. Vtrùm actus Fidei, Spei, & Charitatis sint, quantùm ad substantiam, supernaturales; an solùm quantùm ad modum.

IX. Vtrùm vltima dispositio ad gratiam habitualem, procedat effectiuè ab ipsa gratia habituali, an à potentia eleuata per solum auxilium speciale.

X. Vtrùm absque auxilio gratiæ voluntati creatæ inhærente, sola assistentia extrinseca Spiritus sancti, possit liberum arbitrium elicere actum supernaturalem Fidei, Spei, Charitatis vel pœnitentiæ, quo seipsum proximè, vel remotè ad gratiam iustificantem disponat.

XI. Vtrùm homo in actibus supernaturalibus, quos operatur ex gratia, sit causa in suo ordine principalis, an solùm instrumentum Dei.

XII. Vtrùm de potentia Dei absoluta creari possit aliqua substantia intellectualis, cui ex solis viribus naturæ competat diligere Deum super omnia, vt est auctor gratiæ, & alios actus supernaturales elicere.

DISPVTATIO LVIII.

Vtrùm facienti totum quod in se est, ex prioribus auxilijs præuenientis gratiæ, dentur infallibiliter, & ex certa lege posteriora auxilia.

NOTA difficultas huius disputationis consistit in hoc: An possit homo per bonum vsum auxilij sufficientis consequi propria industria, auxilium efficax, bene vtendo ex sua innata libertate eodem auxilio sufficienti, ac pie cum illo operando. Quidam enim partem affirmatiuam defendunt, quam hæc argumenta probare videntur. I.

Primò; nam Deus hominem non deserit, nisi priùs ipse deserat Deum, vt habetur in Conc. Trid. sess. 6. de iustific. c. 11. ergo si homo faciat totum quod potest, in virtute auxilij sufficientis: dabit illi Deus infallibiliter auxilium efficax, quo pie operetur, & saluetur; aliàs enim reuerà Deus desereret hominem, denegando illi auxilium efficax, priusquam ipse homo deserat Deum.

Secundò, Deus, quantùm ex parte sua, paratus est omnibus gratiam dare: *Vult enim omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Vnde, vt 3. cont. Gent. c. 159. docet S. Thom. illi soli gratia priuantur, qui eidem gratiæ impedimentum præstant; sed qui, postquàm accepit a Deo auxilium sufficiens ad salutem, facit totum quod potest per illud auxilium, non præstat impedimentum gratiæ efficaciter: ergo infallibiliter eam consequetur a Deo. 1. Tim 2.

Tertiò, Per auxilium sufficiens potest reuerà homo ad Deum conuerti, pie operari, perseuerare vsque in finem, & saluari: ideo enim dicitur sufficiens, quia per illud potest homo hæc præstare: sed non esset sufficiens ad salutem, si homini bene vtenti eodem auxilio, non darentur infallibiliter à Deo auxilia efficacia, quibus saluetur: ergo facienti totum quod in se est, ex auxilio sufficienti, dabitur infallibiliter auxilium efficax. Minor probatur: nam aliàs starent simul hæc duo, quòd scilicet homo faciat totum quod potest ex auxilio sufficienti, & Deus nolit dare illi auxilium efficax: & si hoc admittatur, euidenter sequitur, illum hominem, quidquid faciat, necessariò perire, quod tamen à Dei misericordia videtur alienum.

Quartò, postquam Deus, sua misericordia, nullis nostris præcedentibus bonis meritis, vocauit peccatorem per gratiam sufficientem, prius est in signo rationis, quòd liberum arbitrium eiusdem peccatoris, motum à Deo gratia excitante, & sufficiente, se determinet ad consensum, quàm, quòd Deus det illi gratiam adiuuantem, seu efficacem; quia gratia efficax, inquantùm efficax, pendet, vt à conditione sine qua non, ex libera cooperatione, qua nostrum arbitrium vult consentire Deo vocanti, & excitanti: ergo ipse peccator, faciendo totum, quod potest per auxilium sufficiens, infallibiliter consequitur à Deo auxilium efficax; ac per consequens, posteriora auxilia diuinæ gratiæ dantur infallibiliter, & ex certa lege facientibus totum, quod in se est ex prioribus auxiliis. II.

Confirmatur: nam hæc causalis est vera. Quia homo vult consentire Deo excitanti, & vocanti, ideo adiuuatur à Deo: cùm liberum arbitrium determinet gratiam ad concurrendum secum, & non prædeterminetur ab ea, quantùm ad exercitium; aliàs homo

mo non consentiret quando vult, & prout vult, sed quando Deus vult; & ita periret omnino eius libertas ergo infallibiliter, & ex certa lege datur auxilium gratiæ adiuuantis, seu efficacis facientibus totum quod in se est ex auxilio gratiæ sufficientis.

III. Quintò arguitur omnibus argumentis, quibus disput. 56. contendebamus probare, auxilia excitantis, & sufficientis gratiæ dari infallibiliter à Deo facientibus totum quod in se est ex facultate naturæ. Ex hoc enim euidenter deducitur à fortiori, auxilia efficacia gratiæ adiuuantis dari infallibiliter à Deo facientibus pro innata libertate totum quod in se est ex auxilio gratiæ sufficientis: maior enim distantia, & improportio reperitur inter opera naturæ, & priora auxilia gratiæ sufficientis, quam inter opera procedentia ex prioribus auxiliis gratiæ sufficientis, & posteriora auxilia gratiæ efficacis: nam opera naturæ non sunt eiusdem ordinis cum gratia: at verò opera procedentia ex auxilio sufficienti, sunt eiusdem ordinis supernaturalis cum auxilio efficaci ergo, si facientibus totum quod in se est ex facultate naturæ, dantur infallibiliter prima auxilia prævenientis gratiæ sequitur, quòd facientibus totũ quod possunt ex auxilio sufficienti, detur infallibiliter auxilium efficax.

Sextò, Homo existens in gratia potest per bona opera promereri perseuerantiæ donum, & infallibiliter illud obtinere à Deo dicit enim August. lib de dono perseu. c. 6. *Hoc Dei donum, scilicet perseuerantiæ, suppliciter meruit, sed cum datum fuerit, amitti non potest.* Sed donum perseuerantiæ pertinet ad posteriora auxilia diuinæ gratiæ: ergo bene vtenti auxiliis prioribus gratiæ, dantur à Deo infallibiliter & ex certa lege posteriora auxilia, quibus saluus fiat.

Hæc tamen sententia non videtur dictis S. Augustini, & S. Thomæ conformis nec consonat cum his, quæ de efficacia motionis diuinæ dicta sunt disput. 18. 19. 22. & 23. & dicentur infrà. Ad cuius euidentiam obseruandum est, bonum vsum auxilij sufficientis non esse à solo auxilio sufficienti, seu à libero arbitrio, solo auxilio sufficienti eleuato. Nam, vt inferiùs patebit, propterea ponitur auxilium efficax, tribuens actualiter bene operari, vt potentia, quæ per auxilium sufficiens solùm erat in actu primo cõstituta, & potens operari supernaturales actus, infallibiliter eos producat. Sit ergo

IV. Bonus vsus auxilij sufficientis est signũ à posteriori, datum fuisse homini auxilium efficax. Auxilia efficacia non dantur propter bonũ vsum auxilij sufficientis.

PRima Conclusio. A posteriori est signum certum, donatum fuisse homini à Deo auxilium efficax, si liberum eius arbitrium faciat totum, quod per auxilium sufficiens potest facere. Probatur primò nam per auxilium sufficiens reuerà potest homo ad Deum conuerti, & piè operari: sed, vt actu conuertatur ad Deum, & piè operetur, necessarium est auxilium efficax, vt disp 88. manifestum fiet: ergo à posteriori est signum, illum habuisse auxilium efficax, si faciat totum, quod per auxilium sufficiens potest facere.

Secunda Conclusio. Nulla lex est à Deo statuta, dandi infallibiliter posteriora auxilia gratiæ facientibus totum quod in se est, cum prioribus auxiliis, & bene illis vtentibus ex sua innata libertate. Hæc conclusio statuitur contra aliquos Doctores, qui arbitrantur, Deum misericorditer quidem tribuere homini prima auxilia excitantis, & sufficientis gratiæ. Quòd si liberum eius arbitrium pro sua innata libertate voluerit cum eisdẽ auxiliis consentire Deo excitanti, & cooperari; Deus etiam cooperabitur cum illo, & auxilium excitans, seu sufficiens habebit nouum influxum cum eodem arbitrio in operationem, & sortietur rationem gratiæ adiuuantis, & ita infallibiliter consequetur à Deo auxilium efficax, seu cooperans. Si autem pro eadem libertate noluerit cooperari, tunc auxilium excitans manebit intra limites auxilij excitantis, & sufficientis ad salutem, & non sortietur rationem auxilij adiuuantis efficacis. Nostra tamen Conclusio est expressa sancti Thomæ, iocis disp. 56. allegatis. Præterea 1. 2. q. 114. art. 9. idem docet, loquens de dono perseuerantiæ. Et probari potest in primis omnibus argumentis, quibus disp. 56. ostensum est, bonum vsum gratiæ excitantis non procedere à sola, & innata libertate; sed ad illum prærequiri auxilium efficax, in cuius virtute liberum arb. cooperetur: ergo non potest esse lex à Deo statuta de dandis auxiliis efficacibus iis, qui pro sola, & innata sua libertate bene vtuntur, aut vti sunt auxiliis sufficientibus.

Secundò probatur: quia, vt disp 56 ostendi, nulla V. lex est à Deo statuta dandi prima auxilia præuenientis gratiæ facientibus totum quod in se est ex sola facultate naturæ: ergo etiam non est aliqua lex à Deo statuta dandi auxilia posteriora gratiæ efficacis iis, qui ex sua innata, & sola libertate volunt bene vti auxiliis sufficientibus, & cooperari cum illis. Probatur consequentia: nam propterea non est lex dandi prima auxilia gratiæ facientibus totum quod in se est ex viribus naturæ, quia tunc initium priorum auxiliorum gratiæ esset ex natura, & non ex mera, & gratuita Dei voluntate, & ita sequeretur, gratiam secundùm merita nostra dari. sed hoc ipsum inconueniens videtur sequi, si asseratur, esse legem à Deo statutam dandi infallibiliter auxilium efficax bene vtentibus, aut vti volentibus, ex sola sua innata libertate, auxilio sufficienti nam iam initium gratiæ efficacis esset ex natura, & ex innata hominis libertate, volentis bene vti auxilio sufficienti: ergo.

Respondebunt fortassis, nõ esse vtrobique eandẽ rationem quoniam in casu antecedentis nullu præcessit auxilium gratiæ bona opera naturæ: vnde si facienti totum, quod in se est ex facultate naturæ, darentur ex certa lege prima auxilia prævenientis gratiæ, tunc primum initium gratiæ esset simpliciter ex natura. Cæterùm in casu huius nostræ disputationis non constituitur in natura primum initium gratiæ efficacis, sed in gratia sufficienti, quæ antecessit rectum vsum voluntatis, & opera ipsa, quibus ex certa lege dantur semper à Deo posteriora auxilia efficacia: & ita totum reducitur vltimatè ad gratiam, quæ primò liberum hominis arbitrium misericorditer prævenit, & excitauit. Sed contra istã solutionẽ est efficax argumentum. Nam, vt disput. 68. patebit, iuxta auctores contrariæ sententiæ, Deus per gratiam prævenientem non effecit actiuè propriè, sed solùm moraliter, vt liberum arbitrium se determinet, & cooperetur Deo excitanti: ergo tanquam ad causam per se efficientem solùm reducitur ad innatam libertatem arbitrij, quod velit cooperari cum gratia excitante. Ergo, si volentibus sic cooperari datur infallibiliter auxilium efficax gratiæ adiuuantis; sequitur, quòd ipsa opera, propter quæ ex certa lege dantur à Deo auxilia efficacia, reducantur ad solam naturam, tanquam ad causam efficientem, & gratis excitans, quæ eadem opera antecessit, solùm sit cõditio, sine qua liberum arbitriũ non se determinaret ad recte vtendũ eadem gratia excitante sicut serra, vel fabricator serræ, qua artifex vtitur ad faciẽdum scamnum, solùm est conditio, sine qua non esset ille vsus: non autem est vera causa efficiens eiusdem vsus. Ergo si vera est sententia, quam impugnamus, primum initium gratiæ efficacis esset ex natura, simpliciter loquẽdo. & ex gratia excitante erit initium gratiæ efficacis solũ cum addito diminuente, scilicet tanquam ex conditione, sine qua nõ esset bonus vsus eiusdẽ gratiæ excitatis.

Tertiò

VI. Dat gratiam perseuerantiæ non nisi iustificato de congruo.

Tertiò probatur: nam vt docet S. Tho. 1. 2. q. 114. art. 9. donum perseuerantiæ, quod est potissimum, & vltimum auxilium efficax, non cadit sub merito de condigno, quia dependet solum ex motione diuina, quæ est principium omnis meriti, & consequenter non potest esse terminus meriti; quia impossibile est, eidem respectu eiusdem esse principium effectiuum meriti, & terminum meriti: ergo auxilia efficacia non dantur infallibiliter, & ex certa lege, bene vtentibus auxilijs sufficientibus: alias caderent sub merito de condigno, si bonus vsus auxilij sufficientis esset ab homine existente in gratia, ea enim, quæ solum cadunt sub merito de congruo nó semper consequitur homo per meritum, nec infallibiliter, vt 1. 2. q. 114. docent communiter Theologi.

VII. Deus non præuenit infallibiliter, quod det gratiam peccatori.

S. Tho. 1. 2. q. 112. art. 3. ad 1. S. Aug. lib. de corrept. & grat. c. 5. & 6.

AD primum respondetur, quòd, si homo est in gratia iustificante, non prius Deus illum deserit, subtrahendo ab eo gratiam ipsam, nisi prius natura ipse homo per peccatum deserat Deum. Si autem est in peccato mortali, iam ipse homo prius deseruit Deum per peccatum actuale, vel originale, quam Deus illum deserat, non ei tribuendo auxilium efficax: nam, vt docet S. Thom. ex sancto Augustino, in pœnam præcedentis peccati, siue illud originale, siue non, tribuit Deus peccatori auxilium efficax, quo actualiter conuertatur, licèt misericorditer ei concesserit auxilium sufficiens, quo posset conuerti. Secundò respondetur, quòd, si instante præcepto conuertendi se in Deum, peccator, qui monetur auxilio sufficienti, nolit conuerti, sed in peccato perstitere, iam committit nouum peccatum actuale, propter quod Deus iuste non tribuit illi auxilium efficax, eo quòd per peccatum mortale de nouo commissum, quod incõpossibile est cum auxilio efficaci, eidem auxilio impedimentum præstat. Et si quis obiiciat: nam prius est, quòd Deus non det auxilium efficax ad conuertionem, quam quod homo apponat impedimentum eidem auxilio, committendo nouum peccatum: si enim Deus dedisset illi auxilium efficax ad conuertionem, non apposuisset impedimentum, nec peccaret, vt 1. 2. q. 79. articul. 2. in corp. docet S. Thom. Respondetur, quòd si carentia auxilij efficacis consideretur, vt est simplex negatio, prius intelligimus, Deum non dare auxilium efficax, quam hominem peccare. Si autem consideretur vt priuatio, seu pœna peccati; prius intelligimus, hominem peccare, seu velle perstitere in peccato, quam Deu non dare auxilium efficax ad vitandum peccatum. Nec est inconueniens, quod idem respectu eiusdem secundum diuersam rationem, sit prius, & posterius, vt suprà dictum est.

VIII. Ad secundum respondetur, quòd licèt peccator, qui per auxilium sufficiens facit totum quod potest facere, antequam illi detur auxilium efficax, non apponat nouum impedimentum gratiæ efficaci; tamen per peccatum præcedens impedimentum apposuit, quod semper manet, quousque Deus illud misericorditer tua gratia deleat, vt 3. cont. Gent. cap. 160. & 161. docet S. Thom.

Ad tertium respondetur, quod per auxilium sufficiens potest quidem peccator ad Deum conuerti, vt dixit. 18. dictum est, sed per solum auxilium sufficiens nunquam de facto conuertetur; plura enim sunt necessaria, vt quis actu conuertatur, quàm vt possit conuerti. Nec est inconueniens, suppositio, quòd homo sua culpa incidit in peccatum, propter quod damnationem meruit æternam, quòd ex necessitate peccet, quia fecit ex viribus naturæ, cum solo auxilio sufficienti: nam illa necessitas non est absoluta, sed secundum quid, & ex suppositione præcedentis peccati. Vnde non Deo, sed homini, qui peccauit, est imputandum, si pereat. Confirmati potest hæc solutio auctoritate S. Hieron. lib. 3. cont. Pelagianos, vbi explicans illud Ioan. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus, qui misit me, traxerit eum*, ait: *Quando dicit: Nemo potest venire ad me, fingit superbientem arbitrij libertatem, quia etiàm velit ad Christum pergere, nisi fiat illud, quod sequitur, nisi Pater meus traxerit eum, nec quidquam cupiat, & frustra nititur*: ergo secundùm Hieronymum frustra nititur homo innata sua libertate, etiamsi conetur cum solo auxilio sufficienti ad Christum venire, nisi auxilio efficaci præoperantis gratiæ trahatur a Patre. A

Ad quartum respondetur, prius esse in genere causæ efficientis, quòd Deus conferat homini auxilium efficax, & eum determinet ad consentiendum gratiæ excitanti, quam, quòd homo se determinet per liberũ arbitrium, & velit eidem gratiæ consentire, vt ex supradictis patet. Nec admittendum est, gratia efficacem pendere etiam, tanquam a conditione sine qua non, ex libera comparatione arbitrij, vt disp. 73. & 90. perspicuum fiet. B IX.

Ad confirmationem respondetur, illam causalem esse falsam: quia homo excitatus à Deo vult consentire, & cooperari Deo vocãti, ideo adiuuatur à Deo: hanc autem causalem esse veram: quia homo excitatus gratia sufficiente, adiuuatur à Deo auxilio efficaci, ideo cooperatur, vt disp. 99. patebit.

Ad quintũ patet solutio ex dictis disp. præcedẽti.

Ad sextum respondetur, quòd de condigno nõ nullus potest mereri sibi donum perseuerantiæ, nec facere aliquod opus, quo posito, infallibiliter & ex certa lege tale donum ei concedatur; quia, cùm sit principiũ effectiuum merendi, non potest esse terminus meriti, vt 1. 2. q. 114. art. 9. docet S. Tho. Auctoritas autem Augustini intelligitur de merito congrui, quod non consequitur infallibiliter id, quod meretur, vt suprà explicatum est. C

DISPVTATIO LIX.

Vtrùm facienti totum quod in se est ex auxilio efficaci, hoc est, elicienti actum charitatis, & contritionis, detur infallibiliter, & ex certa lege gratia iustificans. D

RATIO dubitandi est: nam prima gratia iustificans datur omnino gratis: ergo non est lex, quòd detur infallibiliter operãti ex auxilio efficaci actũ charitatis, vel contritionis, quo ad eandẽ gratiã iustificantem disponitur. Probatur consequentia: nam, vt dicit Apostolus: *Ei, qui operatur merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum* & iterum ait: *Non ex operibus: aliàs quin gratia iam non est gratia.* 1. Rom. 4. Rom. 11.

Confirmatur: nã S. Prosp. infert contra Collator. in eius sententia, gratiam secundùm merita nostra dari; quoniam asserebat, aliquid boni operis præcedere in hominibus, propter quod gratiam consequantur: ergo, si ante infusionem gratiæ iustificantis aliquod bonum opus nostrum præcedit, propter quod gratiã iustificantem infallibiliter, & ex certa lege consequamur, sequitur, talem gratiam secundùm merita nostra dari. E Prosp. lib. cont. Collatorem, c. 6.

Secundò arguitur. Per actum charitatis, & contritionis, qui est vltima dispositio ad gratiam, non meretur peccator, etiam de congruo, gratiam iustificantem: alias enim non iustificaretur mere gratis, sed ex operibus; quod tamen repugnat Apostolo dicenti: *Iustificati gratis per gratiam ipsius*: ergo nulla est lex

à Deõ

Rom. 3. à Deo ſtatuta dandi infallibiliter gratiam iuſtificantem peccatori, elicienti actum charitatis, & contritionis ex auxilio efficaci. Probatur conſequentia: nã ſi eſſet talis lex, & promiſſio diuina, peccator per actum contritionis mereretur, ſaltem de congruo, infuſionem gratiæ iuſtificantis: imò etiam ex iuſtitia imperfecta, ſeu de condigno: nam promiſſio diuina dandi aliquid, propter opus ſupernaturale antecedens fundat meritum de condigno.

II. Tertiò arguitur. Donum perſeuerantiæ non datur infallibiliter, & ex certa lege facienti totu quod in ſe eſt ex præcedentibus auxiliis gratiæ, quia tale donum eſt principium effectiuum meriti. Sed etiam gratia habitualis eſt principium effectiuum meriti: nam omne opus meritorium procedit à gratia habituali, mediante charitate, vt 1.2. q. 114. art. 4. docet S. Thom. ergo idem, quod prius.

Quartò arguitur. Si eſſet aliqua lex ſtatuta à Deo dandi gratiam habitualem ſe diſponenti per actum contritionis ad illam, colligeretur ex ſacris literis, ex quibus dumtaxat nobis innoteſcunt ea, quæ pendent ex ſimplici Dei voluntate; ſed nullus eſt locus in ſacra Scriptura, ex quo poſſit prædicta lex colligi aut probari ergo.

III. Quintò arguitur Actus meritorij, quos producit iuſtus poſt acceptam gratiam iuſtificantem, ſunt Deo magis accepti, quam actus antecedentes infuſionem primæ gratiæ iuſtificantis; ſed reparatio poſt lapſum non datur infallibiliter, & ex certa lege, hominibus iuſtis, elicientibus poſt acceptam gratiam prædictos actus meritorios; alias homo iuſtus poſſet mereri ſibi reparationem poſt lapſum, quod eſt contra S. Tho. 1.2. qu. 114. art. 7. ergo ſimiliter gratia iuſtificans non dabitur infallibiliter, & ex certa lege elicienti actum contritionis.

IV. Sextò arguitur Sicut homo per actum charitatis, & contritionis ſe diſponit ad conſequutionem gratiæ habitualis, & charitatis, ita etiam per ſubſequentes actus charitatis, vel contritionis ſe diſponit ad augmentum eiuſdem gratiæ, & charitatis. Et, ſicut dicit Conc. Trident. per eoſdem actus meretur iuſtus augmentum habitus gratiæ; ſed nulla lex à Deo eſt ſtatuta dandi augmentum habitus ſe diſponenti per proprios actus ad tale augmentum: ergo ſimiliter non erit lex à Deo ſtatuta conferendi gratiam habitualem elicienti ex auxilio gratiæ actum contritionis, vel charitatis, quo ſe ad gratiæ iuſtificantis cõſequutionem diſponit. Minor probatur nam contingit multoties, quòd homo iuſtus eliciat actus charitatis remiſſiores, quàm ſit habitus præexiſtens, & nunquam exeat poſtmodum in feruentiorem actum, & moriatur; tunc non conſequetur augmentum habitus ergo.

Seſſ. 6 de iuſt. can. 24.

V. In his argumentis quatuor inuoluuntur difficultates. Prima: Vtrùm ex natura rei detur infallibiliter gratia iuſtificans elicienti actum contritionis, & charitatis. Secunda: Vtrum per eundem actum mereatur homo de congruo iuſtificantem gratiam. Tertia: Vtrùm iuſtus per bona opera poſſit mereri ſibi reparationem poſt lapſum. Quarta: Vtrùm per actus remiſſiores habitus gratiæ, & charitatis præexiſtentis, mereatur homo augmentum habitus; & quando conferatur ei hoc augmentum. Tres priores difficultates diſſoluentur in præſenti: quarta pro ſequenti diſputatione referuabitur.

Gratia iuſtificãs infallibiliter data ex elicienti actũ contritionis ex auxilio ſpeciali.

PRo reſolutione primæ difficultatis ſit prima Concluſio. Homini elicienti actum contritionis, & charitatis ex auxilio gratiæ, infallibiliter, & ex certa lege infunditur à Deo habitus gratiæ iuſtificantis, & charitatis, ac reliqui habitus infuſi, qui gratiam iuſtificantem comitantur. Concluſio eſt expreſſa S. Th. 1.2. q. 112. a. 3. in cor. Et probatur. Primò: quia ſecundũ A legẽ ordinariam, formæ introducuntur infallibiliter in materiam, poſita vltima diſpoſitione, alias diſpoſitio vltima non eſſet vltima, ſed actus contritionis, & charitatis eſt vltima diſpoſitio ad gratiam iuſtificantem, vt ſæpe docet Sanct. Thom. ergo, ſecundum legem ordinariam, gratia infallibiliter introducitur in animam, cùm primum elicit actum contritionis, & charitatis. Secundo probatur. Vt ſupra oſtenſum eſt, eadem contritio, qua eſt vltima diſpoſitio ad gratiam, & in genere cauſæ materialis antecedit illam; in genere tamen cauſæ formalis, & efficientis, eſt effectus eiuſdem gratiæ. Et propterea, quamuis non ſit meritoria gratiæ, eſt tamen meritoria vitæ æternæ, vt 1.2. q. 112. a. 2. ad 1. dicit S. Thomas ergo non poteſt dari contritio, quæ eſt vltima B diſpoſitio ad gratiam, quin in eodẽ inſtanti temporis gratia iuſtificans infundatur homini, ergo datur infallibiliter præparanti ſe per actum contritionis, procedentis ex auxilio gratiæ. Tertiò probatur ratione S. Th. 1.2. cit. Præparatio ad gratiã, ſecundum quòd eſt à Deo mouente, habet neceſſitatẽ ad id, ad quod ordinatur à Deo, non quidem coactionis, ſed infallibilitatis; quia intentio Dei deficere non poteſt, ſecundum quod Aug. dicit in lib. de prædeſt. Sanctorũ, quòd per beneficia Dei certiſſime liberantur, quicunque liberantur: ergo, ſi ex intentione Dei mouentis eſt, quòd homo, cuius cor mouet, gratiam iuſtificantem conſequatur; infallibiliter eam conſequitur: ſed per actum contritionis mouet Deus peccatorẽ à ſtatu peccati ad iuſtitiam, & iuſtificationem, vt 1.2. C q. 113. a. 5. in corp. dicit S. Thadque cum efficaci intẽtione, vt iuſtificationis gratiam cõſequatur: ergo infallibiliter eam cõſequitur. Confirmatur hæc omnia ex Conc. Trid. ſeſſ. 6. de iuſtif. c. 5. vbi poſtquam in c. præcedenti modum præparationis ad gratiam, qui eſt per actum contritionis, & charitatis, explicuiſſet, ſubdit hæc verba. *Hãc autẽ diſpoſitionem ſeu præparationẽ iuſtificatio ipſa conſequitur, quæ non eſt ſola peccatorum remiſſio, ſed & ſanctificatio, & renouatio interioris hominis, per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorum. Vnde homo ex iniuſto fit iuſtus, & ex inimico amicus, vt ſit hæres ſecundùm ſpem vitæ æternæ.* Sentit ergo Concilium, gratiam iuſtificantem infallibiliter dari iis, qui actum contritionis, & charitatis eliciunt ex auxilio gratiæ.

D Vtrùm autem ex natura rei, an ex ordinatione, & diſpoſitione diuina, gratia iuſtificans habeat infallibilem connexionem cum actu contritionis, & charitatis, qui eſt vltima diſpoſitio diſputatur 1. 2. q. 112. art. 1 & 5. & quæſt. 113. vbi de iuſtificatione impij agitur ex profeſſo. M. Medina 1.2. qu. 111 citata ar. 1. dub. 2. ad 1. argumentum reſpondet, actum contritionis non eſſe ex natura rei diſpoſitionem ad gratiam eo modo, quo calor, vt octo eſt vltima diſpoſitio, ad formam ignis. Ait enim, quòd hæc præparatio, quã ponit homo diuina gratia præuẽtus, de ſe, & ex meritis ſuis, non habet, quòd ſit vltima diſpoſitio ad gratiam, ad quam ex neceſſaria connexione ſubſequatur gratia: quin potius hoc habet ex acceptione diuina, quod quidem colligit ex D. Paulo dicente: E *Ei autem non operanti, credenti autem in eum, qui iuſtificat impium, fides reputatur ad iuſtitiam ſecundum propoſitum gratiæ Dei*: vbi ſermo eſt de fide formata: & dicit, ex Dei miſericordia reputatur, & acceptatur ad iuſtitiam coram Deo. Sit nihilominus

VI. Rom. 4.

VII. Actus contritionis habet ex natura rei cõnexionẽ cum infuſione gratiæ iuſtificantis.

Secunda Concluſio. Actus contritionis, & charitatis, qui eſt vltima diſpoſitio ad gratiam, non ſolum ex acceptatione diuina, ſed etiam ex natura ſua habet connexionem cum gratia habituali. Hæc concluſio defenditur ab aliis doctiſſimis Thomiſtis, & videtur magis ad mentem S. Tho. 1.2. q. 112. art. 2. in corpor. & ad 1. vbi abſolute docet, præparationem vltimam

ne gratiæ iustificans

vltimam ad gratiam simul esse cum infusione gratiæ. Et clarius in q. 113. ar. 8. ad 2. ad ipsum tenet. Verba eius sunt: *Dispositio subiecti præcedit susceptionem formæ, ordine naturæ: sequitur tamen actionem agentis, per quam etiam ipsum subiectum disponitur, & ideo motus liberi arbitrij, naturæ ordine præcedit consequutionem gratiæ; sequitur autem gratiæ infusionem.* Sentit ergo S. Thom. contritionem esse effectum gratiæ: ergo ex natura sua, habet connexionem cum gratia habituali, & ab ea dependet: ergo non ex sola acceptatione diuina connectitur eidem gratiæ. Confirmatur: Contritio, qua pœnitens vltimatè disponitur ad infusionem gratiæ habitualis, est meritoria vitæ æternæ, vt 1. 2. q. 112. art. 2. ad 1. docet S. Thom. ergo est effectus gratiæ habitualis: nulla enim operatio hominis est meritoria vitæ æternæ, nisi procedat à gratia habituali, & ordine saltem naturæ sit ea posterior: ergo huiusmodi contritio ex natura rei habet connexionem cum gratia habituali: aliàs enim opera hominis iusti, solùm acceptatione Dei extrinseca, essent meritoria vitæ æternæ, & consequenter, proprie loquendo, non essent meritoria de cõdigno; quod tamen est contra communem sententiam Theologorum, & contra S. Thomam 1. 2. q 114. ar 3.

VIII. Iustificari gratis hominẽ quo modo intelligatur.

Vnde ad rationem, qua M. Medina conuincitur, respondetur, ex auctoritate illa Apostoli solum colligi, hominem iustificari gratis, hoc est, absque propriis meritis, ipsam iustificationis gratiam antecedentibus non autem intendit Apostolus excludere antecedentem dispositionem procedentem ex libero arbitrio, a Deo excitato, & moto per auxilium præuenientis gratiæ, cui dispositioni debeatur gratia, non quidem tanquam merces merito, sed solùm tanquam forma suæ vltimæ dispositioni. vnde Cõc. Trid. *Gratis*, inquit, *iustificari ideo dicimur; quia nihil eorum, quæ iustificationem præcedunt, siue fides, siue opera, ipsam iustificationis gratiam promeretur, si enim gratia est, iam non ex operibus: alioquin, vt idem Apostolus inquit gratia iam non est gratia.* Sed de hoc plura dicenda sunt infrà.

Conc. Trid. sess. 6. de iustific. ca 8.

Rom. 11.

CIrca secundam difficultatem, quæ in secundo argumento proposito à principio huius disputationis tangitur, notandum est, quòd Durandus qu. 6. prologi primi sententiarum, ar. 3. & in 2. sententiarum, d. 28 q 1. & Scotus eadem dist. qu. vn. & in 4. sententiarum, dist. 14. q. 2. tenuerunt, quòd homo per vires liberi arbitrij possit se disponere ad gratiã, ea dispositione, cui detur infallibiliter gratia; non quidem ex debito, sed ex pacto, & ordinatione diuina. Addit Durandus in primo, d. 17. q. 2. illam dispositionem esse meritoriam gratiæ de congruo. Alij verò Theologi non contemnendæ auctoritatis, quamuis fateantur, hominem ex solis viribus naturæ non posse ad gratiam proximè, vel remotè se ipsum disponere, sed esse ad id necessarium speciale auxilium gratiæ, quo liberum arbitrium moueatur à Deo; dicunt tamen, eiusmodi arbitrij dispositionem, elicitam ex auxilio speciali, esse meritoriã de congruo iustificantis gratiæ. Sequuntur hanc sententiam multi, & graues Doctores antiqui, inter quos est Ferrar. 3. cont. Gent. c. 149. in fine. Argumẽta potissima, quibus conuincuntur, inferiùs erunt adducenda, & soluenda, quamuis ex parte dispu. 55. superius tacta fuerint. Contrariam sententiam defendunt grauissimi Thomistæ, & meo iudicio est expressa sancti Thomæ locis inferiùs allegandis. Ad cuius euidentiam supponendum est; ex dictis dispu. 55. hominem ex solis viribus naturæ non posse elicere dispositionẽ aliquam, non solùm proximam, sed nec etiam remotam, per quam seipsum præparet, vel disponat, vt gratia iustificans infundatur illi; sed omnes huiusmodi dispositiones procedere ex auxilio gratiæ. Sit ergo in ordine huius disputationis

IX. Bona opera naturæ non merentur etiam de cõgruo ipsam gratiam.

Tertia Conclusio. Bona opera moralia, ex solis viribus naturæ producta, nullo modo merentur etiam de congruo ipsam gratiam. Probatur omnibus argumentis, quibus disp. 55. & 56. ostensum est, nullum initium gratiæ, quantumuis imperfectum, procedere posse ex solis viribus naturæ; sed meritum de congruo, quo quis meretur gratiam, est aliquod initium, saltem imperfectum, eiusdem gratiæ: ergo per bona opera moralia, quæ procedunt ex solis viribus naturæ, non meretur homo etiam de congruo ipsam gratiam. Præterea probatur: nam Concilia, Summi Pontifices, & sancti Patres, dum condemnauerunt Pelagium, asserentem gratiam secundùm merita nostra dari, non solùm voluerunt excludere ab operibus naturæ meritum perfectum, quale est meritum de condigno; sed etiam quodcunque aliud meritum imperfectum, siue de congruo, vt patet, ex his, quæ sanctus Augustinus, & S. Prosper contra Pelagianos, & Semipelagianos docuerunt, locis superius allegatis. Hæc conclusio patebit ampliùs ex his, quæ in conclusione sequenti dicenda sunt.

Obiectio

Sed contra hanc conclusionem, quidam obiiciunt S. Tho. 1. 2. qu. 114. art. 3. vbi inquirens: Vtrùm homo in gratia constitutus possit mereri vitam æternam ex condigno, respondet, quòd, *si opus meritorium hominis consideretur secundum substantiam operis, & secundum quod procedit ex libero arbitrio; sic non potest ibi esse condignitas, propter maximam inæqualitatem, sed est ibi congruitas, propter quandam æqualitatem proportionis: videtur enim congruum, vt homini operanti secundum suam virtutem, Deus recompenset secundum excellentiam suæ virtutis.* & idem dicit art. 6. eiusdem quæstionis in corp. ergo, &c.

Respondetur, S. Thomam esse intelligendum de congruitate, quæ se tenet ex parte Dei, non autem ex parte operis, vel operantis, quia ex solis viribus naturæ non potest homo existens in peccato mortali producere aliquem actum bonum, qui sit meritorius gratiæ etiam ex congruo, vt supra ostensum est. Itaque explicandus est S. Thomas in eo sensu quo tertia parte docuit, naturam humanam secundùm quandam congruitatem esse magis assumptibilem à Verbo diuino, quàm aliam quamcunque naturam creatam: vt iam superiùs dictum est. Secundò respondetur, quòd S. Thom. non loquitur ibi de merito peccatoris, respectu primæ gratiæ iustificantis, sed de merito hominis iusti comparatione vitæ æternæ: & sensus S. Thom. est, quòd opera meritoria hominis iusti, si considerentur, quatenus procedunt ex libero arbitrio, non habent condignitatem cum vita æterna secundùm suam substantiam, & ita non merentur illam de condigno, secundùm illud Apostoli ad Rom. 8. *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*: sunt tamen meritoria, secundùm quandam congruitatem: nam etiam peccatores per bona opera ex obiecto, quamuis ab ipsis mala intentione sint facta, merentur bona temporalia sibi à Deo collata, vt artic. 10. eiusdem quæst. docet S. Thomas. Cæterùm si considerentur eadem bona opera iustorum, quatenus procedunt à gratia iustificante, secundùm istam rationem sunt meritoria vitæ æternæ de condigno: nam ab ipsa gratia valorem accipiunt, & condignitatem, supposita promissione diuina. Et hoc tantùm voluit docere ibi sanctus Thom. Vnde argumentum nihil concludit contra nostram conclusionem.

3 p. q. 4. ar. 1.

X. Quarta Conclusio. Etiam dispositiones procedentes ex auxilio gratiæ, siue sint dispositiones remotæ, siue proximæ, non merentur etiam de cõgruo

Dispositiones ad gratiam non merentur etiã de congruo iustificante gratiam.

primam gratiam iustificantem, proprie loquendo de merito congrui. Hæc conclusio est contra Henricum, & alios auctores supra alleg. eam tamen defendit Capreolus in 4. dist. 14 q. 2. ad arg Henrici; videtur tamen expressa sententia S. Tho. 1. 2. q. 114. art. 5. in corp. vbi inquiens: An homo possit sibi mereri primam gratiam, respondet, *quod donum gratiæ considerari potest dupliciter. Uno modo, secundum rationem gratuiti doni, & sic manifestum est, quod omne meritum repugnat gratiæ: quia, vt ad Rom. undecimo Apostolus dicit: Si autem gratia, iam non ex operibus. Alio modo potest considerari secundum naturam ipsius rei, quæ donatur, & sic etiam non potest cadere sub merito non habentis gratiam; tum quia excedit proportionem naturæ, tum etiam quia ante gratiam, in statu peccati, homo habet impedimentum promerendi gratiam, scilicet ipsum peccatum. Postquam autem iam aliquis habet gratiã, non potest gratiam iam habitam promereri; quia merces est terminus operis: gratia vero est principium cuiuslibet boni operis in nobis, vt supra dictum est. Si vero aliud donũ gratuitum aliquis mereatur, virtute gratiæ præcedentis, iam non erit prima. Unde manifestum est, quod nullus potest sibi mereri primam gratiã.* Quibus verbis nõ obscurè docet; neminem posse sibi mereri primam gratiam, non solùm merito condigni, sed nec etiã merito congrui: nã absolutè negat omne meritum primæ gratiæ. Si autem intellexisset S. Doctor, esse meritum congrui primæ gratiæ in operibus bonis, siue dispositionibus, eandem gratiam antecedẽtibus, id vtique explicuisset, sicut fecit in art. 6. eiusdem quæstionis, vbi inquirens: Vtrùm homo possit alteri mereri primam gratiam; respondet, *quod merito condigni nullus potest alteri mereri primam gratiam, nisi solus Christus*: bene tamen *merito congrui*. Accedit, quòd in artic. 7. eiusdem quæstionis in corp. ait, quòd *nullus potest sibi mereri reparationem post lapsum futurum, nec merito condigni, nec merito congrui*: & assignat rationem, quia *ratio huius meriti* scilicet condigni *dependet ex motione diuinæ gratiæ: quæ quidem motio interrumpitur per sequens peccatum.* Et eadem ratione id probat de merito congrui, *quia efficacia meriti congrui impeditur per peccatum subsequens.* Et in solutione ad 2. satis aperte docet, ad meritum congrui, quo quis meretur aliquod bonũ supernaturale, esse necessarium, quòd operatio meritoria procedat a gratia iustificante, in qua fundatur omne meritum: sed dispositiones tempore antecedentes gratiam iustificantem, non procedunt ab eadem gratia, cum secum compatiantur peccatũ mortale: similiter etiam vltimæ dispositiones, quamuis non compatiãtur secum peccatũ mortale, sed sint in eodem instanti temporis, in quo infunditur gratia iustificans: ordine tamen naturæ eam antecedunt: ergo tales dispositiones non merentur gratiam iustificantem, etiam de congruo. Denique in eadem 1. 2. q. 112. ar. 2. ad primum ait, quòd *præparatio hominis ad gratiam, quæ est simul cum infusione gratiæ, est quidem meritoria. sed non gratiæ, quæ iam habetur, sed gloriæ, quæ nondum habetur*: vbi expresse negat, vltimã dispositionem ad gratiam gratum facientem esse meritoriam eiusdem gratiæ. Et statim loquens de præparatione, tẽpore antecedẽte gratiam iustificantem: *Est*, inquit, *alia præparatio gratiæ imperfecta, quæ aliquando præcedit donum gratiæ, gratum facientis; quæ tamen est a Deo mouente, sed ista non sufficit ad meritum, nondum homine per gratiam iustificato: quia nullum meritum potest esse, nisi ex gratia, vt infrà dicetur.* Et remittit se ad art. 2. q. 114. vbi docet, in nulla natura creata esse sufficiens principium actus meritorij alicuius boni excedentis proportionem eiusdem naturæ: & assignat rationem: *Nam actus cuiuscunque rei non ordinatur diuinitus ad aliquid excedens proportionem virtutis, quæ est principium actus: hoc enim est ex institutione*

Primã gratiã nec merito condigni, nec merito cõgrui potest quis mereri.

A *ne diuina prouidẽtia, vt nihil agat vltra suam virtutem.*

Præterea probatur ratione. Nam omne meritum respectu præmij supernaturalis, fundatur in amicitia, & dignitate personæ merentis, iuxta illud Genesis 4. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius; ad Cain autem, & ad munera eius non respexit.* Quibus verbis significatur, munera Abel fuisse Deo accepta; quia persona offerens erat Deo grata; Cain autem munera Deo acceptanõ fuisse, quia persona offerens non erat ei grata. Et Isaiæ 1. dicitur: *Incensum abominatio est mihi. Neomeniam, & sabbathum, & festiuitates alias non feram, & c. manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* Vbi propter peccata, quibus Iudæi erant maculati, ostenditur, eorum oblationes, solẽnitates, sacrificia, & orationes non fuisse Deo grata, & acceptra, sed potiùs molesta. Cùm ergo dispositiones antecedentes gratiam gratum facientes, inquantùm sunt dispositiones, non procedunt à gratia habituali, nec a subiecto grato, eo quòd sub hac ratione gratiam iustificantem ordine naturæ antecedunt; relinquitur, nullo modo esse meritorias eiusdem gratiæ, non solum ex condigno, sed nec etiam de congruo.

B

Meritum omne respectu præmij supernaturalis fundatur in gratia.

XI.

Circa tertiam difficultatem, quæ in quinto argumento insinuatur, videnda sunt, quæ docet S. Tho. 1. 2. q. 114. ar. 7. vbi disputat: Vtrum homo possit sibi mereri reparationem post lapsum. Et notandum, quòd S. Bonau. in 2. sentent. d. 28. circa literam, Mag. Gabriel dist. 26. q. vnic. art. 3. dub. 3. Vega quæst. 6. de iustific. ad 6. argumentum, & nonnulli recentiores Theologi dixerunt, hominem per bona opera, ex gratia iustificante procedentia, mereri sibi posse de congruo reparationem post lapsum. Oppositam sententiam docent S. Thom. articulo 7. citato. Albertus Magnus in 2. distinct. 28. art. 2. Alexander Alensis 3. part qu. 69. memb. 5. art. 2. & omnes Thomistæ, præsertim M. Medina 1, 2. allegata. Et quoniam hæc sententia est valde conformis sacris literis, subiicio sequentem conclusionem.

C

XII.

Iustus nec merito cõdigni, nec merito cõgrui potest sibi mereri reparationem post lapsum.

Quinta Conclusio. Homo iustus neque merito condigni, neque merito congrui potest sibi mereri reparationem post lapsum. Et quidem, si loquamur de merito condigni, conclusio est certissima, & communiter recepta ab omnibus Theologis: eam probãt à fortiori argumenta, quæ statim adducemus ad probandum, etiam merito congrui nullum mereri sibi reparationem post lapsum. Probatur ergo vniuersaliter nostra conclusio ex illo Ezechielis 18. *Si auerterit se iustus a iustitia sua, & fecerit iniquitatẽ, omnes iustitiæ eius, quas fecit, non recordabuntur.* Quod vtique non esset verum, si per opera iustitiæ, quæ fecit iustus, mereretur, saltem de congruo, reparationem post lapsum; etenim etiam post commissum peccatum mortale, recordaretur Deus operum bonorum, quæ priùs fecerat, vt propter illa, tanquam propter merita congrui, in pristinam gratiam illum restitueret. Si dicatur verbum illud, *non recordabuntur*, esse restringendum comparatione vitæ æternæ, quia videlicet bonorum operum, quæ in prima charitate sunt facta, non recordatur Deus, vt pro illis conferat vitam æternam, nisi per pœnitentiam reuiuiscant; contra hòc est: nam eadem ratio procedit à fortiori de merito, comparatione reparationis post lapsum: quia etiam comparatione illius mortificata sunt per subsequens peccatum omnia merita in prima charitate facta: ergo in quacumque die iustus peccauerit mortaliter, non recordatur Deus priorum meritorum, vt propter illa reparet peccatorem post lapsum.

D

Secundò probatur. De fide est, peccatorem gratis iustificari, vt patet ex Concil. Trident. suprà allegato, & ex verbis illis Apostoli: *Iustificati gratis, per gratiam*

E

gratiam ipsius. & ad Rom. 11. *Non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia* : ergo non iustificatur ipse peccator propter aliquod meritum præcedens. Cùm ergo bona opera in prima charitate facta præcedant reparationem post lapsum relinquitur, quòd per ea non possit iustus eandem reparationem promereri.

Tertiò probatur. Sequeretur ex opposita sententia, quòd de facto esset in homine iusto aliquod meritum, quod reuera non mortificaretur per peccatum mortale subsequens, consequens non est dicendum: nam, secundum communem sententiam Theologorum, peccatum mortale omnia merita præcedentia mortificat: ergo. Sequela probatur: nam, si homo iustus per bona opera meretur quòd detur illi gratia, qua reparetur, cùm ceciderit in peccatum mortale: ergo, adhuc eo existente in peccato mortali, manet meritum præcedens vium, & acceptum apud Deum, ita vt propter illud detur peccatori gratia; ergo illud meritum non fuit mortificatum.

XIII. Respondent auctores oppositæ sententiæ, quòd per peccatum mortale mortificatur omne meritum præcedens, respectu præmij conferendi ex cõdigno: non autem est inconueniens, quòd non mortificetur, respectu præmij de congruo conferendi. Sed contrà est argumentum: quia bona opera non habent vim promerendi illud; quod non potest reddi merenti, nisi quando fuerit in peccato mortali: etenim de ratione præmij est, quòd reddatur digni, cum talis redditio sit actus iustitiæ, secundum illud 2. Tim 4. Apostoli: *De reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.* Qui autem est in peccato mortali, non est dignus aliquo præmio, sed pœna æterna. Cùm ergo reparatio post lapsum non possit reddi merenti, nisi quando fuerit in peccato mortali, relinquitur, nullum hominem quantumuis iustum posse sibi mereri etiam de congruo reparationem post lapsum.

XIV. Contra hanc conclusionem sunt argumenta, quibus conuincunt auctores oppositæ sententiæ. Primò arguitur: nam Aristot. 9. Ethicorum cap. 3. ait aliquid tribuendum esse veteri amicitiæ: ergo saltem de congruo meretur qui fuit in gratia, quod reparetur post lapsum.

Amicitiæ veteri aliquid est tribuendum ex pura misericordia. Respondetur, aliquid tribuendum esse veteri amicitiæ, non quidem tanquam merces propter meritũ, etiam de congruo; sed ex pura misericordia, & bonitate cõferentis. Vnde multoties Deus, ex sola sua misericordia, & liberalitate, gratiam tribuit post lapsum veteribus amicis: non tamen semper id facit: quia nulla est lex, aut iustitia, quæ hoc exposcat.

XV. Secundum argumentum desumitur ex verbis illis Apostoli ad Hebræos 6. *Non enim iniustus Deus, vt obliuiscatur operis, & laboris*: quem locum sanctus Thomas ibi lectione 3. explicat de reparatione post lapsum, & de merito congrui. Cùm enim obiecisset hoc argumentum: *Iustitia respicit meritum: si ergo iustitia Domini exigit, quod Deus non obliuiscatur, si pœniteat; sicut dicit glossa: ergo cadit sub merito, quod homo resurgat a peccato, & sic mereretur gratiam, quod est impossibile*: respondet, *quòd duplex est meritum: vnum quod innititur iustitiæ, & illud est meritum condigni: aliud, quod soli misericordiæ innititur, quod dicitur meritũ congrui. Et de isto dicit, quòd iustum est id est congruũ, quòd homo, qui multa bona facit, mereatur.* Quibus verbis non obscurè docet, hominem iustum mereri sibi ex congruo reparationem post lapsum.

Respondetur, quòd S. Tho 1.2. cit. verbis expressis docet, hominem iustum per bona opera non mereri sibi, etiam de congruo, reparationem post lapsum.

Vnde vel dicendum est, quod S. Tho. in 1.2. mutauit sententiam, vel explicandus est non de merito congrui proueniente ex operibus factis in gratia, mortificatis per subsequens peccatum, sed proueniente ab ipsa contritione, per quam præparatur proximè ad infusionem gratiæ. Talis enim contritio potest dici aliquo modo meritoria ex congruo ipsius gratiæ, nõ quidem proprie, & stricte, sed largo modo, vt suprà dictũ est. Hæc explicatio videtur conformis contextui nã in verbis immediatè antecedentibus præmiserat, *quòd homo, qui cadit post gratiam, dupliciter potest se habere: vno modo, quod in malo perseueret, & tunc Deus omnes iustitias eius obliuiscetur: alio modo, quòd pœniteat, & tunc bonorum præcedentium recordatur, quia reputantur sibi ad meritum. Vnde dicit glossa, quod mortificata reuiuiscunt.* Duo ergo vult dicere S. Tho. Alterum est, quòd homo, per bona opera in prima charitate facta, si post peccatum pœniteat, & postmodum perseueret, cõsequitur ex iustitia vitã æternam: nam per pœnitentiam reuiuiscunt. Alterum est, per actum pœnitentiæ, & charitatis, quo disponitur ad gratiã, mereri hominem infusionem gratiæ, merito congrui, in ampla acceptione sumpti, inquantùm importat debitum, quo forma debetur suæ vltimæ dispositioni: non autem, vt importat habitudinem ad iustificationem, tanquam ad mercedem, & præmium. Et ad locum Apostoli inductum respondetur; esse intelligendum de merito condigni, respectu gloriæ: non autem de merito, respectu reparationis post lapsum: & sensus est, quòd, quantumuis Deus permittat iustos in peccatum mortale incidere, per quod præcedentia merita mortificantur: si tamen per veram pœnitentiam postmodum resurgant, non obliuiscetur propter hoc eorundem meritorum nam relinquitur illis præmium æternum iuxta illud Apostoli 2. Timoth. 4. *De reliquo reposita est mihi corona iustitiæ.* Sic explicat locum Apostoli Concilium Tridentinum sessione 6. de iustificatione capite 16. *Hæc*, inquiens, *ratione, iustificatis hominibus sine acceptam gratiam perpetuo conseruauerint, sine amissam recuperauerint, proponenda sunt Apostoli verba: Abundate in omni opere bono, scientes, quod labor vester non est inanis in Domino. Non enim iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius.* Et: *Nolite amittere confidentiam vestram quæ magnam habet remunerationem. Atque ideò bene operantibus vsque in finem, & in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filiis Dei per Christum Iesum misericorditer promissa, & tanquam merces, ex ipsius Dei promissione bonis operibus, & meritis fideliter reddenda. Hæc est enim illa corona iustitiæ, quam post suum certamen & cursum, repositam sibi esse aiebat Apostolus, à iusto iudice sibi reddendam, non solùm autem sibi, sed & omnibus, qui diligunt aduentum eius.* Eandem explicationem tradit S. Chrysost. homil. 10. super epistolam ad Hebr. quam etiam sequitur Caietanus 1.2. q. 114. ar. 7. Andreas de Vega lib. 13. de iustificatione, cap. 10. & est communis, ac valde conformis contextui Apostoli.

Contritio potest dici de cõgruo meritoria gratiæ aliquo modo.

1 Cor 15 Hebr 6

Hebr 10. 2. Tim 4

XVI. Tertium argumentum est illa oratio Psal. 70. *Cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me*, est Deo accepta: ergo meretur id, quod postulat, saltem merito congrui: sed in illa Propheta loquens nomine omnium iustorum, petit, vt, postquam ceciderit in peccatum, reparetur à Deo per gratiam, ergo per illam orationem meretur iustus de congruo reparationem post lapsum.

Respondetur, quòd in illa oratione petit Propheta, nomine iustorum, auxilium diuinum, quo tempore tribulationis præseruentur à peccato. Hoc autem auxilium possunt iusti per bona opera ex gratia procedentia mereri sibi de congruo. Hanc capti

explicationem sequitur S. Aug. super eundem Psal-
A dit, quando aliquis meretur sibi ad reparationem;

XVII. Oratio iusti est impetratoria suę reparationis post lapsum non autem meritoria.

mum, & glossa Lyrani: & est satis frequens inter Doctores. Inde tamen non sequitur, quòd iustus possit sibi mereri de congruo reparationem post lapsū. Secundò respondetur, quod, si in illa oratione petat iustus reparationem, post lapsū, vt alij Doctores sentiunt, quibus videtur consentire S. Tho. 1.2.qu.114. art.7. ad primum: talis oratio poterit dici impetratoria eiusdem reparationis post lapsum; non autem meritoria, etiam de congruo. Et ratio discriminis est, quam in eadem solutione ad primum insinuat S. Thomas, & expressiùs 2.2.q.83.art.6. ad secundum: nam meritum innititur iustitiæ, & promissioni diuinæ: vnde infallibiliter, & ex certa lege correspondet illi præmium, nisi mortificetur per subsequens peccatum. Impetratio autem non innititur iustitiæ, sed
B misericordiæ, & liberalitati diuinæ: vnde & peccatores orando multa bona impetrant à Deo, vt 2.2. qu. 83.art.6. ad 2. probat idem S. Doctor: propter quod S. Augu. dicit super Ioannem: *Si peccatores non exaudiret Deus, frustra publicanus dixisset: Domine propitius esto mihi peccatori.* Et Chrysost. super Matthæum ait: *Omnis, qui petit, accipit*: ideſt, siue iustus sit, siue peccator.

Aug. tract. 44 super Ioan. à medio. tom. 9. Luc 18. Chrys. ho. 18. imperfect. ante medium tom. 2.

Iustus potest alteri mereri de cõgruo reparationẽ post lapsũ.

Quartum argumentum est. Iustus meretur alteri de congruo reparationem post lapsum, vt 1.2.q.114. art.6. docet S. Thom. ergo & sibi potest eam mereri. Probatur consequentia: nam meritum hominis magis ordinatur ad id, quod est sibi conferendum, quàm ad illud quod est conferendum alteri.

Respondetur negando consequentiam: nã in casu
C antecedentis non oportet, quod alter, pro quo iustus meretur reparationem, incidat in nouum peccatum mortale, ad hoc, quod reparetur, & consequatur merens præmium, quod meretur de congruo. Cæterum, vt homo iustus mereatur sibi reparationem post lapsum, necessarium est, quod incidat in nouum peccatum mortale ad hoc, quod illi conferatur tale præmium, vnde non est simile.

Sed contra est argumentum. Sequitur ex hac solutione, quod non possit vnus homo iustus mereri alteri iusto reparationem post lapsum, etiam de congruo. Sequela probatur: nam impossibile est in hoc casu, quod detur tale præmium, nisi alter, pro quo meruit reparationem, incidat in nouum peccatum
D mortale. Etenim, qui est in gratia, non potest reparari post lapsum, nisi peccet mortaliter. Respondetur, negando consequentiam cum S. Tho. art.6. citat. Et ratio est: nam in casu consequentis, vt detur illud præmium, non est necessarium, quod merens incidat in nouum peccatum mortale, ratione cuius interrumpatur, & mortificetur meritum præcedens. Vnde semper manet illud meritum acceptum apud Deum etiam si ex parte alterius interueniat peccatum mortale, quod præsupponitur ad reparationem. Verumtamen, quando aliquis meretur sibi reparationem, oportet, quod ipse merens incidat in peccatum mortale, vt detur illud præmium; vnde non est simile.

XVIII. Sed adhuc vrget argumentum. Quid erit dicendum, si Petrus existens in gratia mereatur Paulo re-
E parationem post lapsum, & antequam Paulus reparetur, amittat Petrus gratiam, peccando mortaliter? numquid Paulus reparabitur popter meritum Petri, saltem de congruo? Ad hoc respondent quidã Thomistæ, quod, etiam si Petrus peccet mortaliter, antequam reparetur Paulus, adhuc remanet meritum illud apud Deum. Et assignant rationem: nam ex eo, quod Petrus merens peccet mortaliter, non amittit Paulus ius acquisitum de congruo, quòd habet ex merito Petri sibi iam applicato, quia peccatum Petri interuenit per accidens: hæc autem ratio non proco-

quoniam tunc peccatum merentis per se præsupponitur ad hoc, quod reparetur. Multis alus Thomistis hæc solutio non placet, & merito quidem: nã ex illa sequeretur, quod per peccatum mortale Petri, reuera non mortificarentur omnia eius merita antecedẽtia siquidem adhuc maneret meritum illud de cõgrui, quo idem Petrus meruit, vt Paulus repararetur post lapsum. Dicendu est ergo cum M. Medina 1.2.q.114.ar. 1. ad 2. quod, si, antequam Paulus reparetur, peccet mortaliter Petrus, qui meruit de congruo reparationem Pauli, non reparabitur Paulus postea ex merito Petri: quia interruptum est, & mortificatum per subsequens peccatum. Vnde si Paulus de facto reparetur post lapsum, eius reparatio fiet ex mera Dei
B misericordia, absque vllo merito eiusdem Petri: non secus, ac si Petrus nunquam meruisset de congruo reparationem Pauli.

Quintum argumentum est. Peccatum mortale subsequens non destruit meritum respectu gloriæ, quod fuit in operibus bonis factis in gratia: alias præsciti nihil mererentur per bona opera facta, quãdo erant in gratia: ergo nec destruit meritum respectu reparationis post lapsum. ergo. sicut præsciti per bona opera facta in gratia vere merentur vitã æternam de condigno, quamuis de facto non conferatur illis postea propter impedimentum peccati; ita etiã iustus per bona opera meretur, saltem de congruo, reparationem post lapsum: quamuis multoties non conferatur illi hoc præmium propter impedimen-
C tum peccati. XIX.

Reprobi existentes in gratia per bona opera vere merentur vitam æternam.

Respondetur, quòd, vt docet S. Tho. 1.2.q.114 allegata art.7. præsciti, quamdiu sunt in gratia, verè merentur per bona opera vitã æternã, quamuis per peccatum subsequens apponatur impedimentum, ne consequatur illud præmium. Et ratio est, quia ex natura rei non erat necessarium, quod merens peccet mortaliter, ad consequendum illud præmium, quoniam poterat ex auxilio diuino perseuerare vsque in finem. At verò, vt homo iustus consequatur reparationem post lapsum, necessarium est, vt interueniat nouum peccatum mortale, & ideo implicat, quòd sibi mereatur reparationem post lapsum, vt dictũ est.

Circa difficultatem quartam, quæ in sexto argumento ex factis a principio insinuatur, nihil est modò dicendum, ne huius disputationis discursus longiùs, quam par sit, protrahatur & ideo ad sequentem
D disputationem eius resolutionem reseruamus. Per hæc, quæ dicta sunt facile respondetur ad omnia argumenta facta à principio.

XX. AD primum argumentum iam circa secundam conclusionem diximus, hominem iustificari gratis, hoc est, absque propriis operibus, ipsam iustificationis gratiam promerentibus: non autem absque prævia eius dispositione, si adultus sit, cui infallibiliter detur gratia, non quidem tanquam merces merito, sed tanquam forma suæ vltimæ dispositioni.

Ad confirmationem respondetur, quòd Semipelagiani posuerunt infallibilem connexionem inter opera naturæ, & consequutionem gratiæ, vt suprà dictum est, & ideo meritò illos reprehendit S. Prosper. Nos autem solùm constituimus infallibilem connexionem inter gratiam iustificantem, & vltimam eius dispositionem, procedentem ex motione Dei gratuita. Vnde tota operatio reducitur ad gratiam: ac per consequens non sequitur, gratiam secundùm merita nostra dari.

Ad secundum argumentum iam patet ex dictis in 3. & 4. conclusione, qualiter dispositiones etiam vltimæ non sint meritoriæ de condigno, vel de congruo

congruo ipsius iustificationis, quamuis gratia gratum faciens infallibiliter detur, & ex certa lege, eliciente actum contritionis ex auxilio speciali.

XXI. Ad tertium respondetur, quòd gratia est principium meriti radicale, & habituale: donum autem perseuerantiæ in adultis est principium actuale, & proximum, quod per modum motionis transeuntis confertur adultis: & ideo ante infusionem gratiæ præcedit præparatio liberi arbitrij, motu auxilio Dei speciali: cui infallibiliter correspondeat gratia, tanquam forma suæ vltimæ dispositioni, sed ante motionem diuinam nulla prærequiritur præparatio liberi arbitrij, vt 1.2. quæstione 109. ar. 6. ad 3. docet S. Thomas, cuius rei duplicem eodem loco rationem assignat. Altera, quia Deus est primum mouens; vnde, vt moueat liberum arbitrium, non requiritur, quòd illud prius disponat per aliam motionem. Altera: nam daretur processus in infinitum, quia ad illam priorem motionē esset necessaria alia motio, & ad illam requireretur alia, & sic in infinitum, quod est inconueniens, quia nulla sequeretur actio, cùm infinitum non sit pertransibile.

Auxilium Dei actuale non potest cadere sub merito.

Ad quartum argumentum respondetur, ex sacris literis colligi, Deum infallibiliter, & ex certa lege infundere gratiam iustificantem omnibus peccatoribus, speciali Dei auxilio elicientibus actum charitatis, & contritionis, per quem ad infusionem gratiæ præparantur: dicitur enim Zachariæ 1. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* & Ezechielis 18. *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium, & iustitiam; vita viuet, & non morietur: omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor: in iustitia sua, quam operatus est, viuet.* vita videlicet spirituali, quæ est per gratiam iustificantem. Cùm ergo his verbis promittat Deus vitam pœnitentibus; relinquitur, ex sacris literis haberi, quòd infallibiliter detur gratia elicientibus actum contritionis ex auxilio Dei speciali.

Ad quintum argumentum respondetur, actus meritorios, quos producit iustus post acceptam gratiam iustificantem, non esse dispositiones ad reparationem post lapsum: contritio autem, ordine naturæ antecedens gratiam, est vltima dispositio ad eius infusionem: vnde non est simile.

Ad sextum argumentum patebit solutio ex iis, quæ in disputatione sequenti dicenda sunt.

DISPVTATIO LX.

Vtrùm per actus charitatis, æquales habitui præexistenti, aut etiam per actus remissos, consequatur homo infallibiliter, & ex certa lege augmentum gratiæ habitualis, charitatis, & gloriæ essentialis.

I. VAMVS hæc disputatio non sit ad nostrum institutum multùm necessaria, quia tamen nonnullâ claritatē iis quæ superioribus disputationibus dicta sunt afferet; ad complementum doctrinæ, propter quorundam instantiam, visum est in præsenti eam pertractare. Et difficultas in hoc posita est: vtrum, verbi gratia, si Petrus habeat habitum gratiæ, & charitatis intensum vt octo, & prorumpat in plures actus charitatis, vel alterius virtutis æquales, aut remissiores ipso habitu, & nunquam prorumpat in actum intensiorem; mereatur per tales actus augmentum gratiæ, & charitatis: & acceptetur ad nouum gradum gloriæ essentialis, ita videlicet, vt si decedat in gratia, detur illi infallibiliter, ratione illorum actuum, maior, siue intensior gratia essentialis; & in quo gradu ei conferatur huiusmodi augmentum. Pro cuius explicatione notandum est, quòd vt 3.p.q.7.ar.11. docet S. Thomas, gratia potest dupliciter considerari primò in esse habitus, & qualitatis secundùm physicam realitatem, quam habet, secundò in esse gratiæ, quatenus videlicet per illam iustus acceptatur ad gloriam, mediis bonis operibus meritoriis. Similiter etiam charitas potest cōsiderari in esse habitus, & qualitatis, vel secundùm rationem propriam charitatis, id est, amicitiæ ad ipsum Deum.

Gratia cōsideratur in esse gratiæ, & in esse habitus.

II. Prima ergo sententia docet, quòd per quemcumque actum charitatis, etiam remissum, augetur statim habitus gratiæ, & charitatis, non solùm in esse gratiæ, & charitatis; sed etiam in ratione habitus secundùm totam latitudinem intensionis ipsius actus, & in eadem proportione propter illum actum dabitur postea maior gloria essentialis. Ita tenent Gabriel in 1. distinct. 17. q. 4. & Maior dist. 22. q. vn. Sed hęc sententia nullam prorsus habet probabilitatem, & eam sufficiēter impugnat Bañes 2.2.q.24.ar.6.dub. 2 §. prædicta opinio.

Secunda sententia fuit sapientissimi M. Victoriæ, in relectione de augmento charitatis, vbi docet, quòd per actus remissos meritoriè augetur gratia, & confertur postea propter illos maior gloria essentialis; non tamen augetur charitas. Ex quo infert, gloriam essentialem non proportionari secundùm quantitatem habitui charitatis, sed gratiæ, nec esse necessarium, quòd gratia, & charitas habeant æqualem gradum intensionis.

Hæc tamen opinio non videtur ad mentem S. Tho. docet enim sæpius S. Doctor, gloriam proportionari charitati, & mensurari secundùm quantitatem illius: sed præsertim 1.p.quæst. 12. ar. 6. in corp. vbi ait, quod qui plus habet de charitate, perfectiùs Deum videbit, & beatior erit. Et in eodem articulo docet, quòd lumen gloriæ, per quod beatus videt Deum, datur secundùm mensuram charitatis: & qu. 95. ar. 4. in corp. inquit, *quòd quantitas meriti ex duobus potest pensari: vno modo ex radice gratia, & charitatis, & talis quantitas meriti respondet præmio essentiali, quod consistit in Dei visione: qui enim ex maiori charitate aliquid facit, perfectiùs Deo fruitur.*

Præterea impugnatur hæc sententia. Nam charitas est propria passio, & prima ipsius gratiæ: ergo impossibile est, quòd augeatur gratia, & non augeatur charitas. Patet consequentia: nā quò perfectior fuerit essentia, eò est perfectior passio, vt patet in naturalibus. Præterea: nā sequeretur, quòd aliquis magis diligatur à Deo, & ipse minùs diligat Deum. Consequens videtur contra illud Prou. 8. *Ego diligentes me diligo*, & Ioan. 14. *Si quis diligit me, diligitur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei me ipsū.* Quibus verbis significatur, quòd magis diligētes Deum, magis diligūtur à Deo: charitas enim est mutua amicitia, vt docet S. Th. 2.2.q.23.ar.1. Sequela probatur: nā per gratiā homo diligitur à Deo; gratia enim facit hominē obiectum diuinæ dilectionis. Per charitatē autem homo diligit Deum: nam charitas facit hominem dilectorem Dei: ergo, si est maior gratia in aliquo, quàm charitas, magis diligitur à Deo, quàm ipse diligat Deum.

III. Tertia sententia est, quòd gratia, & charitas non augentur, nisi per actus intensiores: ac subinde quātumuis multiplicentur actus remissi, aut etiam æquales

æquales cum habitu præexistenti : nullo modò augetur habitus, nec consequetur postea iustus propter illos actus magis intensam gloriam essentialem, sed solùm accidentalem. Hæc est sententia M. Bañes art. 6. citato, & pro illa refert Capreolum, Paludanum, Alensem, Petrum Bergomensem, & S. Vincentium Ferrerium in quodam sermone Septuagesimæ : & arbitratur, hanc sententiam esse expressam sancti Thom. Eandem sequuntur modò aliqui Thomistæ, quam etiam videtur docere Cajet. 1. 2. q. 114. art. 8. & Conradus eodem loco. Est tamen aduertendum, quòd postea M. Bañes in quadam relectione de augmento charitatis, quam edidit Salmanticæ in vigilia Pentecostes an. 1589. magis explicat suam sententiam. Fatetur enim, quod pro actibus remissis charitatis, aut etiam æqualibus, datur postea maius præmium essentiale; non tamen maior gloria essentialis. Potest enim contingere, quòd gloria in ratione præmij sit maior se ipsa, considerata in ratione gloriæ; sicut de facto videmus in gloria animæ Christi, quæ quidem in ratione præmij est infinita, quoniam data est illi ex rigore iustitiæ : cæterùm in ratione gloriæ est finita, cùm sit formaliter quid creatum. Argumenta potissima huius sententiæ sunt quæ sequuntur.

IV. Primò arguitur auctoritate S. Thom. in 1. senten. dist. 17. q. 2. art. 4. in corp. & ad 2. vbi dicit, quòd non quolibet actu charitatis augetur charitas, neque cuicunque correspondet augmentum præmij. Et in solutione ad quintum, inquit, quod *ad multitudinem actuum non sequitur de necessitate augmentum præmij substantialis.* Et in 2. sentent. dist. 27. q. 1. artic. 5. ad secundum, inquit, *Non oportet, quod quilibet actus meritorius augmẽtum gratiæ mereatur, quia non in quolibet actu meritorio inuenitur illa conditio, per quam ex actu consequitur augmentum habitus.* Et in 3. sent. d. 18. q. 1. art. 1. ad 5. habet hæc verba : *Ille, qui meretur, non oportet, quod proficiat quantum ad mercedem, quam meretur, vt sibi illam debitam faciat vel simpliciter, vel quantum ad aliquem modum, quo sibi debita prius non erat.* Quibus verbis videtur significare, quòd, vt aliquis dicatur mereri gloriam essentialem per aliquẽ actum, non requiritur, quòd faciat sibi debitum nouũ gradum gloriæ; sed sufficit, quòd eundem gradum gloriæ alias debitum faciat sibi debitum nouo titulo. Item etiam in 1. parte quæstione 12. art. 6. inquit, quòd, *qui plus habet de charitate, plus habet de lumine gloriæ, & plus videt Deum* : Et q. 95. art. 4. in corp. inquit, *quod ex radice gratiæ, & charitatis attenditur quantitas præmij essentialis, quod consistit in Dei fruitione, qui enim ex maiori charitate aliquid facit, perfectius Deo fruitur*, sed ex quantitate operis attenditur quantitas *præmij accidentalis, quod est gaudium de bono creato.* Expendatur illud verbum : *Qui ex maiori charitate aliquid facit.* Significat enim, quòd quantitas meriti, in ordine ad præmium essentiale, attenditur ex intensione ipsius charitatis. Denique supẽ primam epistolam ad Corinthios, cap. 3. explicans illa verba : *Vnusquisque mercedem accipiet, secundum propriũ laborem*, inquit, quòd *qui ex maiori charitate laborat, licèt minorem laborem patiatur, plus de præmio essentiali accipiet.*

V. Secundò. Si propter aliquam rationem esset tenenda contraria sententia, maximè propter definitionem Conc. Tridentini, locis infra num. 13. allegandis : sed loca illa nihil concludunt contra istam sententiam. ergo. Minor probatur : nam in decimo Concilij in illis locis est, definire contra Lutheranos, qui asserebant, iustum per bona opera non verè mereri vitam æternam, neque augmentum gratiæ, & gloriæ; sed opera illa solùm esse signa obtentæ iustificationis, & fructus illius. Sed ad saluandam istam definitionem satis est asserere, quòd per aliqua bona opera iustus meretur nouum gradum gloriæ essentialis, & augmentum gratiæ, & charitatis, videlicet per actus intensiores, & similiter, quòd peractus remissos meretur eundem gloriam essentialem nouo titulo &c. XX X

Confirmatur : nam & hæc bona opera per actus subsequentes vere mereri, tamen non mereri aliquid de nouo, nisi id, quod antea meruerant per priorem actum : etenim primus actus illius cum fuerit infinite meritorius, habuit tantum meritum, quantum omnes actus postea subsequentes, cum nõ detur aliquid maius in iusto : ergo similiter potuit saluari verum meritum in omnibus actibus charitatis, etiam remissis, quamuis non correspondeat illis nouus gradus gloriæ essentialis, sed idem pluribus titulis.

Tertiò. Actus gratiæ, & charitatis concurrit non solùm meritorie, sed etiam dispositiuè physice ad augmentum habitus. Sicut enim Deus non infundit primam gratiam absque dispositione liberi arbitrij : ita etiam non auget illam sine dispositione liberi arbitrij : sed quando Deus infundit primam gratiam adulto, infundit illam secundum quantitatem dispositionis : ergo similiter, quando auget gratiam, auget illam secundum quantitatem dispositionis : ergo solùm augetur per actus meritorios ipso habitu.

VI. Quartò. Si quolibet actu charitatis etiam remisso, augeretur gratia, & charitas, & similiter gloria essentialis, sequeretur quod deberet augeri secundum totam latitudinem actus meritorij, quia non est maior ratio, propter quam augeatur secundum vnum gradum, vel secundum duos, aut tres, quam secundum omnes, atque adeò, si habens gratiam, & charitatem vt decem, prorumperet in actum vt octo : augeretur gratia vique ad intensionem vt decem & octo : & similiter correspoderet illi gloria essentialis intensa, vt decé & octo : & idem proportionabiliter esset dicendum de omnibus actibus charitatis subsequentibus. Hoc autẽ videtur absurdum : ergo. Minor probatur : nam, si hoc esset verum, sequeretur, quòd vnus homo iustus, qui per triginta annos vixit in gratia, & semper operatus est meritorie, esset simpliciter magis Sanctus, & haberet multo maiorẽ gloriam essentialem, quam alter, qui tantum vixit per vnum annum in gratia, sed in illo anno operatus est cũ magno feruore opera charitatis, & passus est martyrium pro Christo. Probatur manifestè, nam tot actus remissi multiplicati per 30. annos, exsuperant in quantitate actus, quos ille Martyr operatus est in vno anno; si vera est sententia, quæ asserit, per actus remissos augeri habitum, & præmiũ essentiale secundum totam latitudinem actus. Confirmatur ex similitudine ad comparationem illam vulgarem. Si enim quis in prima die anni soluat vnum granum tritici, & in secunda soluat duo, in tertia quatuor, in quarta autem octo, & sic multiplicando proportionabiliter per totum annum, in fine anni erit tanta granorum multiplicatio, vt incomparabiliter excedat numerum omnium granorum tritici, quæ reperiuntur in toto mundo : ergo idem erit in augmento meriti : ergo si in prima die anni iustus mereatur, vt vnum, in secunda verò mereatur, vt duo, siue vnico, siue pluribus actibus, in tertia verò, vt quatuor, & in quarta mereatur, vt octo, & sic deinceps, in fine anni habebit gratiam, & charitatem tot gradibus intensam, vt nullo modo nõ possint omnibus granis tritici, quæ sũt in mundo : ergo ad cultũ dum hoc inconueniens, dicendum est, quòd non quolibet charitatis actu augetur gratia, & charitas, sed solùm per actus intensiores.

VII. Quintò. Si per actus remissos augeretur gratia & charitas, sequeretur, quòd etiam propter maiorem continuationem actus augeretur gratia, & charitas,

ritas, atque gloria essentialis & ita corresponderet maior gloria actui, secundum quòd continuatur maiori tempore: consequens est falsum: ergo sequela probatur: nam alias esset peioris conditionis ille, qui per vnam horam integram continuat actum charitatis intensum, vt vnum; quàm alter, qui eundem actum interrumpit, & successiue producit in illa hora tres actus charitatis, vt vnum. Etenim, si ratione continuationis non augetur gratia, & charitas; actui intenso, vt vnum, continuato per vnam horam, dabitur solum præmium, vt vnum: alteri verò, qui interrumpit actum, dabitur præmium, vt tria: quia produxit tres actus. Falsitas autem consequentis probatur: nam alias sequeretur, quòd nulla esset proportio inter meritum actus charitatis, qui durat solum per vnum instans, & præmium actus, qui duraret aliquo tempore. Probatur: nam inter instans, & tempus nulla est proportio: quodlibet enim tempus in infinitum excedit vnum instans, cùm in quolibet tempore, & in qualibet parte illius sint infinita instantia: ergo qui produceret actum charitatis, & illum continuaret per aliquod tempus, consequeretur maius præmium essentiale in infinitum, quam alter consequatur propter eundem actum, si duraret solùm per vnum instans.

Confirmatur primò. Cuicunque instanti correspondet adæquate aliquod præmium essentiale: siquidem meritum charitatis potest esse in instanti: sed in quocunque tempore sunt infinita instantia: ergo actui charitatis duranti per aliquod tempus, correspondebit præmium infinitè intensum. Confirmatur secundò. Si quis in duobus instantibus vnius horæ discontinuatis produceret duos actus meritorios, duplicaret meritum, & mereretur in duplo, quam in vno instanti: ergo si continuat actum charitatis per integram horam, obtinebit præmium maius in infinitum, si ita est, quod ratione continuationis actus augetur meritum.

VIII. Sextò. Quando quis per pœnitentiam resurgit à peccato, gratia præcedens, & omnia bona opera meritoria, quæ fecerat ante peccatum, quando erat in gratia, verè, & propriè reuiuiscunt per pœnitentiam: & tamen non datur pro illis aliquis nouus gradus gratiæ, vel gloriæ essentialis: sed solùm datur nouo titulo idem gradus gloriæ, qui correspondet pœnitentiæ, per quam resurgit: ergo similiter per actus charitatis æquales, aut magis remissos multiplicatos, non dabitur nouus gradus gloriæ essentialis: sed idem nouo titulo: quamuis omnes illi actus verè sint meritorij augmenti gratiæ, & gloriæ. Consequentia tenet ex paritate rationis & antecedens probatur ex Concilio Tridentino session. 6. de iustificatione, cap. 7. vbi dicitur, quod peccator, quando conuertitur in Deum per pœnitentiam, recipit iustitiam: *Vnusquisque suam secundum mensuram quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult, & secundum propriam cuiusque dispositionem & cooperationem*: ergo pœnitens, qui conuertitur ad Deum, solum recipit gratiam, & charitatem, iuxta quantitatem præsentis dispositionis, & cooperationis: non autem iuxta quantitatem meritorum præcedentium. Etenim merita præcedentia non sunt dispositiones, quibus pœnitens cooperatur ad suam iustificationem, quia iam præcesserunt: ergo eadem gloria respondet illis nouo titulo.

Confirmatur idem antecedens auctoritate expressa S. Thom. 3. p. quæst. 89. art. 5 ad 3. vbi ait, *quod esse, quis per pœnitentiam resurgit in maiori charitate, consequetur quidem præmium essentiale, secundum quantitatem charitatis, in qua inuenitur: habebit tamen maius gaudium de operibus, in prima charitate factis, quam de operibus, quæ in secunda fecit, quod pertinet ad præmium accidentale.* Sentit ergo S. Thom. quòd in tali casu non dabitur nouum præmium essentiale, propter præcedentia opera vitificata per pœnitentiam, sed solùm accidentale; ita tamen, quòd idem gradus gloriæ essentialis detur nouo titulo.

Confirmatur secundò: nam, si propter opera mortificata datur pœnitenti nouus gradus gratiæ, & gloriæ; sequeretur, quòd pœnitens semper resurgat in maiori gratia, quam habuerit ante peccatum. Consequens est contra sanctum Thomam in tertio sententiarum, distinct. 35. quæst. 1. articulo 4. quæstiuncula 3. & 3. p. quæst. 89. art. 2. vbi ex professo probat, quòd pœnitens *quandoque resurgit in maiori gratia, quam prius habuerat: quandoque autem in æquali: quandoque etiam in minori*: ergo. Sequela probatur: nam, si per pœnitentiam restituitur tota gratia, & omnia merita, quæ homo habebat ante peccatum, & præter illa, ratione præsentis contritionis, per quam resurgit, datur nouus gradus gratiæ secundùm quantitatem eiusdem cõtritionis; euidenter sequitur, quòd habet maiorem gratiam, quàm antea: etenim habet illam, & aliquid amplius.

IX. Quarta sententia: quæ communis est inter Thomistas recentiores, asserit, quòd, quamuis in esse habitus, gratia, & charitas non augeantur, nisi quando homo prorumpit in actum feruentiorem: tamen in esse gratiæ, & charitatis augentur etiam per actus æquales, & similiter per actus remissos, ita videlicet, vt in patria correspondeat illis nona gloria essentialis. Probant hoc argumentis, quæ pro hac sententia adducentur infrà.

Pro resolutione tamen huius difficultatis supponendum est primò, quòd sicut gratia, & charitas producuntur effectiuè à solo Deo, ita etiam à solo Deo augentur effectiuè. nostris autem actibus augẽtur meritoriè, & dispositiuè, quia videlicet per illos meremur, quòd Deus augeat gratiam, & charitatem, & similiter ad illius augmentum disponimur, & præparamur per eosdem actus. Supponenda est secundò distinctio illa sancti Thomæ, n. 1. explicata de gratia in esse gratiæ, & in esse qualitatis, seu habitus. Supponendum est tertiò, quòd, vt docet S. Thomas in quarto, distinctione duodecima, quæstione secunda, articulo primo, quæstiuncula secunda, & de veritate quæstione vigesimasexta, articul. sexto ad octauum, & quæstione secunda de malo, artic. 2. præmium correspondens in patria bonis operibus, est duplex, videlicet præmium essentiale, quod consistit in visione Dei beatifica, & in gaudio de ipso Deo; & præmium accidentale, quod est gaudium de bonis operibus, aut de quocunque alio bono creato. Sit ergo

Præmium duplex, essentiale, & accidentale.

PRima Conclusio. Gratia, & charitas, si considerentur in esse habitus, & qualitatis, non augẽtur à Deo, nisi quãdo homo iustus prorumpit in actum feruentiorem. In hac conclusione conueniunt auctores tertiæ, & quartæ sententiæ, & illam docere intendit expresse S. Thomas locis superiùs allegatis, quam probant efficaciter argumenta adducta pro sententia M. Bañes.

X. Secunda Cõclusio. Gratia, & charitas in esse habitus augentur per actus intensiores, secundùm excessum actus supra habitum præexistentem, non autem secundùm totam latitudinem actus. Itaque, si habens charitatem, vt quinque, prorumpat in actum feruentem, vt decem, augetur habitus vsque ad decem; non autem vsque ad quindecim. In hac conclusione etiam conueniunt auctores vtriusque sententiæ. Ratio potissima illius est: nam Deus auget effectiuè habitus supernaturales, seruando proportionem, quæ inuenitur in naturalibus, vt expresse docet S. Thomas 1. 2. quæst. 114. art. 8. ad 3. & 2. 2. quæstione

Gratia, & charitas in esse habitus augentur per actus intensiores secũdùm excessum actus supra habitum.

ſtione 24. art.6.ſed in naturalibus qualitas non augetur,niſi ſecundùm exceſſum actus, vt patet: nam, ſi aquæ calidæ,vt dum, applicetur calefactiuum, vt quatuor,ſolum auget calorem aquæ iuxta exceſſum agentis ſupra paſſum, videlicet vſque ad quatuor gradus: ſimiliter etiam habitus, qui augentur effectiuè per noſtros actus, ſolùm augentur ſecundùm exceſſum actus ſupra habitum, vt docent communiter Thomiſtæ 1.2.quæſt.52.art.2.ergo.

XI. Sed contra vtramque concluſionem eſt argumentum difficile. Charitas non poteſt prorumpere in actum feruentiorem ſe ipſa:ergo habens charitatem habitualem, vt quatuor, verbi gratia, non poteſt prorumpere in actum feruentem, vt ſex:ergo,ſi charitas, & gratia in eſſe habitus non augetur, niſi quando homo prorumpit in feruentiorem actum, nunquam poterunt augeri. Antecedens probatur: nam effectus non poteſt excedere virtutem ſuæ cauſæ:ergo habitus charitatis, vt quatuor, non poteſt eſſe principium effectiuum actus intenſi, vt ſex.

Gratia remiſſa eleuata per auxilium actuale poteſt intenſum actum producere.

Reſpondetur, quòd, quamuis habitus charitatis, vt quatuor, ſecundùm ſe conſideratus, non poſſit eſſe principium effectiuum intenſionis actus charitatis, vt ſex;nihilominùs, quatenus ei coniungitur auxilium Dei actuale intenſum,vt ſex,habet proportionatam virtutem,vt actum intenſum,vt ſex,efficienter producat,vt diſputatione 66. numero 8. dicetur latiùs.

XII. Tertia Concluſio Gratia in ratione gratiæ, & ſimiliter charitas in eſſe charitatis augetur meritoriè per actus æquales, & ſimiliter per actus remiſſiores ipſo habitu, ita vt illis reſpondeat in Patria nouus gradus gloriæ eſſentialis. Concluſio eſt contra M. Bañes,& contra alios Doctores ſuprà allegatos:eam tamen docent magis communiter Thomiſtæ;quam etiam tenet Scotus in primo, diſtinctione 22. quæſtione prima, & colligitur ex S.Thoma 3.2.qu.114. art.8.in ſolutione ad tertium, vbi,cùm propoſuiſſet argumentum de actibus remiſſis, reſpondet, *quòd quilibet actu meritorio meretur homo augmentum gratiæ, ſicut & conſummationem eius, ſcilicet gloriam: ſed ſicut gloria non ſtatim confertur, ſed ſuo tempore; ita etiam augmentum gratiæ non ſtatim confertur, ſed ſuo tempore, cùm videlicet aliquis fuerit diſpoſitus ad gratiæ augmentum.*Et idem dicit ſecunda ſecundæ,quæſtione 24.art.6.ad primum:ergo,niſi homo apponat impedimentum peccati,ratione actus remiſſi,dabitur illi nouus gradus gloriæ.

Gratia,& charitas in eſſe gratiæ, & charitatis augentur meritoriè per actus remiſſos.

Probatur Concluſio. Primò ex ſacris literis:nam Eccleſiaſtici 16.dicitur: *Omnis miſericordia faciet locum vnicuique, ſecundùm meritum operum ſuorum.* & ad Rom.2. dicitur, quòd Dominus *reddet vnicuique ſecundùm opera eius.* Et primæ ad Corinth.3. *Vnuſquiſque mercedem accipiet, ſecundùm proprium laborem.* In quibus locis abſolutè promittitur merces pro bonis operibus, nec reſtringitur promiſſio ad opera intenſa,vel remiſſa:ergo, etiam pro operibus remiſſis factis de nouo, dabitur noua gloria eſſentialis. Patet conſequentia; quia nomine mercedis intelligitur in ſacris literis gloria eſſentialis, tanquam principale præmium, quamuis ſub illa etiam comprehendatur accidentalis. Confirmatur ex illo ſecundæ ad Corinth.9. *Qui parcè ſeminat, parcè & metet.*Quorum verborum ſenſus legitimus eſt iuxta communem explicationem Doctorum, quòd, qui operatur remiſsè,recipiet remiſſum gradum gloriæ, & pro paucis operibus conſequetur paruos gradus gloriæ. Vnde ſanctus Bernardus hunc locum explicans ait: *Parua ſeminis detractio,magna ſegetis eſt diminutio.*Item etiam Pſalm. 61. *Tu reddes vnicuique iuxta opera ſua.*Quæ verba Chriſtus Dominus Matthæi 16.confirmauit:*Filius*,inquiens,*hominis venturus eſt in gloria Patris ſui, cum Angelis ſuis, & tunc reddet vnicuique ſecundùm opera eius*: & ab Apoſtolo repetuntur ad Romanos 2. cùm ait:*Secundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor theſaurizas tibi iræ in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei, qui reddet vnicuique ſecundùm opera eius: iis quidem, qui ſecundùm patientiam boni operis, gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt vitam æternam.* In quibus locis abſolutè dicitur, Deum eſſe redditurum vitam æternam vnicuique ſecundùm opera eius, id eſt, mercedem parem meritis,ita videlicet, vt, ſi merita magna fuerint, & intenſa, vita æterna illis correſpondens, quæ in viſione clara Dei conſiſtit, etiam ſit intenſa: ſi autem merita fuerint remiſſa, etiam vita æterna, & viſio Dei illis correſpondens ſit remiſſa.Præterea Matthæi decimo dicit Chriſtus Dominus: *Veſtri autem capilli capitis omnes numerati ſunt*: hoc eſt, omnia opera veſtra bona, omnes cogitationes,quantumuis leues,& capillis ſimiles, tamen numeratæ ſunt apud Deum,vt iis dignam mercedem in die iudicij largiatur: vt explicat Ambroſius libro ſecundo de Spiritu ſancto, cuius explicatio valde conſonat iis, quæ Chriſtus Dominus ſubiungit eodem loco: *Quicunque dederit potum aquæ frigidæ vni ex minimis iſtis,tantum vt nomine diſcipuli,amen dico vobis,non perdet mercedem ſuam.* Ponderandum eſt illud,*in nomine diſcipuli*,vel, vt ait Marcus,*in nomine meo*,quaſi expreſsè diceret: Id tantum exigitur,vt iuſtus boni operis mercedem non amittat,vt fiat in nomine meo;id eſt,propter Deum: ergo non requiritur maior intenſio charitatis in opere bono, vt per illud conſequatur iuſtus nouum gradum gloriæ eſſentialis.

Ad hæc. Secundæ ad Corinth. 4. ait Apoſtolus: *Quod momentaneum eſt,& leue tribulationis noſtræ, ſupra modum, in ſublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.*Ex quibus verbis deſumitur argumentum: Nullum eſt opus ex charitate factum, quantumuis momentaneum,ac leue,ſeu remiſſum, quod ex ſe pondus aliquod, & ſemen æternæ gloriæ non producat gradus enim gloriæ ad menſuram,& pondus meritorum confert Deus electis, ſecundùm illud Lucæ ſexto:*Menſuram bonam,& coagitatam,& ſuperefluentem dabunt in ſinum veſtrum*: ſicut etiam in reprobis,*iuxta menſuram delicti, erit plagarum modus*: vt dicitur Deuteron.25.cui conſonat illud Apoc.18. *Quantum glorificauit ſe,& in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum*: ergo cuicunque operi, quantumuis remiſſo,ſi ex charitate fiat, correſpondet aliquod pondus gloriæ eſſentialis.

XIII. Secundò probatur ex locis Conciliorum:nam in Concilio ſecundo Arauſicano, cap. decimooctauo ſic definitur: *Debetur merces bonis operibus, ſi ex gratia fiant.* vbi non exigitur,quòd opus meritorium ſit intenſius ipſo habitu,vt illi debeatur merces,ſed ſolum,quòd fiat ex gratia. Et in Concilio Tridentino ſeſſione ſexta de Iuſtificatione,cap.10. docet ſancta Synodus: *Iuſtificati per obſeruationem mandatorum Dei, & Eccleſiæ, in ipſa iuſtitia per Chriſti gratiam accepta,cooperante fide bonis operibus,creſcunt,atque magis iuſtificantur,ſicut ſcriptum eſt: Qui iuſtus eſt,iuſtificetur adhuc. & iterum: Ne verearis vſque ad mortem iuſtificari. Hoc verò iuſtitiæ incrementum petit ſancta Eccleſia, cùm orat: Da nobis Domine fidei, ſpei & charitatis augmentum.* Ex quibus verbis ſic formo argumentum.Concilium docet,per bona opera, quibus mandata Dei,& Eccleſiæ obſeruant, iuſtos creſcere in gratia,qua iuſtificati ſunt; ſed ad obſeruationem mandatorum non eſt neceſſarium, quòd operentur ex actu intenſiori charitatis,quam ſit habitus præexiſtens:ergo,vt creſcant in gratia, & charitate, non requiritur,quòd actus meritorius eiuſdem augmẽti

Apoc 22.

Eccl.3.

ſit

sit intensior habitu præexistente: ac per consequẽs, per actus, etiam remissos, augetur gratia, & propter eosdem actus consequitur iustus nouum gradum gloriæ essentialis. Præterea in capite decimosexto eiusdem sessionis dicitur: *Cum enim ille ipse Christus Iesus, tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipsos iustificatos ingiter virtutem influat, quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur, & sine qua nullo pacto Deo grata, & meritoria esse possent; nihil ipsis iustificatis amplius deesse credendum est, quo minus plene illis quidem operibus quæ in Deo sunt facta, diuinæ legi pro huius vitæ statu satisfecisse, & vitam æternam, suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam, verè promeruisse censeantur.* Quibus verbis Concilium, vt homo iustus bonis operibus mereatur vitam æternam; nihil aliud exigit, nisi, vt operetur ex influxu gratiæ, & meritorum Christi, mediante scilicet fide, & charitate: ergo vltra hoc, non requiritur, quòd opera meritoria sint magis intensa, quam charitas præexistens: ac per consequens, per opera remissa, meretur essentialis gloriæ incrementum, & illud suo tempore, si in gratia decesserit, infallibiliter consequetur. Et in can. 24. eiusdem sessionis, sic definitur: *Si quis dixerit, iustitiam acceptam non conseruari, atque etiam augeri coram Deo per bona opera; sed opera ipsa fructus solummodo, & signa esse iustificationis adeptæ, non autem ipsius augendæ causam; anathema sit.* Et can. 26. anathematizatur, qui *dixerit, iustos non debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerint facta, expectare, & sperare æternam retributionem à Deo per eius misericordiam, & Iesu Christi meritum, si bene agendo, & diuina mandata custodiendo, vsque in finem perseuerauerint.* Denique in can. 22. definitur: *Si quis dixerit, ipsum iustificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & Iesu Christi meritum, cuius viuum membrum est, fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ (si tamen in gratia decesserit) consequutionem, atque etiam gloriæ augmentum: anathema sit.* Vbi Concilium absolutè definit, iustum per bona opera verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, atque etiam gloriæ augmentum, & eiusdem gloriæ consequutionem. Nec distinguit Concilium inter opera meritoria intensa, vel remissa: ergo non est dicendum, per opera ex charitate facta, absque maiori illa intẽtione, iustum non consequi maiorem gloriam essentialem, si in gratia decesserit.

XIV. Cõc. Trid. circa merita iustorũ expenditur.

Ad hæc argumenta quatuor solent adhibere solutiones auctores oppositæ sententiæ. Prima solutio est, quòd Concilium Tridentinum solùm intendit definire, contra hæreticos Lutheranos, qui dixerunt, gratiam non augeri per bona opera iustorum, sed ipsa opera solùm esse signa obtentæ iustitiæ, & fructus illius, vt patet ex can. 24. suprà inducto. Et propositio hæreticorum erat vniuersalis, videlicet: Per nullum opus bonum meretur iustus augmentum gratiæ. Vnde ad saluandam definitionem Concilij, cùm sit contra auctoris assertioni hæreticorum, non requiritur, quòd per quodcunque opus bonum augeatur gratia, & charitas præexistens; sed sufficit, quòd augeatur per aliquod bonum opus, aut per aliqua, videlicet per actus intensiores. Confirmant hanc solutionem: nam aliàs sententia, quæ asserit, ad meritum non sufficere, quòd opus sit bonum, & existentis in gratia, sed vltrà hoc requiri, quòd referatur in finem supernaturalem per actum charitatis proximè præcedentem: esset contra illam definitionem Concilij Trid. nam Concil. locis inductis nullam docet esse necessariam ad meritum relationem in finem supernaturalem per actũ charitatis proximè præcedentem. Consequens autem non est admittendum: nam inter Doctores sunt variæ sententiæ circa relationem, quæ ad meritum, est necessaria, vt ostendit Medina 1.2. quæstion. 114. artic. 4. Quidam enim, inter quos est M. Sotus lib. 3. de natura, & grat. c. 4. & Vega super Concilium Tridentinum docent, sufficere relationem habitualem, dum tamen opus sit bonum moraliter, & existentis in gratia. Alij sequuti Durandum, & Scotum, sentiunt ad meritum requiri actualem ordinationem operum, per charitatis actum in finem supernaturalem. Alij media via procedunt, & existimant non sufficere relationem habitualem, neque requiri actualem, sed virtualem, quæ procedat ex actu charitatis proximè præcedenti: ita tenet M. Cano, & quidã Thomistæ. Alij denique, inter quos est Caiet. 1.p. quæst. 63. art. 6. & Capreolus 2. sent. distinct. 40. quæst. vnica, art. 1. dicunt, sufficere relationem virtualem remotam in virtute actus charitatis, quo quis est iustificatus. Cui sententiæ videtur adhærere S. Thom. quæst. 2. de malo, art. 5. ad septimum, & ad vndecimum, & 2. sent. distinct. 40. q. 1. art. 5. ad sextum argumentum. Sicut ergo ex verbis Conc. Trid. non potest probari, ad meritum sufficere relationem habitualem, vel non esse necessariam actualem, aut virtualem relationem in Deum factam per actum charitatis, quia Concil. id reliquit disputandum inter Theologos, eò quòd non agebat de hoc ex professo, ita etiam ex eodem Conc. non probatur efficaciter, actibus æqualibus, aut magis remissis habitu charitatis, & gratiæ præexistentis, correspondere nouum gradum gloriæ essentialis; quia etiam Conc. non agebat de hac difficultate, sed illam inter Theologos disputandam reliquit.

Relatio in vltimũ finem requisita ad meritum, an debeat esse actualis, vel virtualis. Durand. 2. sent. d. 40. q. 2. Scotus d. 2. q. vnic.

XV.

Hæc tamen solutio, quamuis apparens videatur, & propterea ab omni censura sententiam oppositam excuset, non tamen euacuat omnino vim argumenti: nam licèt Concilium per se primò intendat excludere illum errorem hæreticorum, consequenter tamen ad illam excludendum determinat propositionem absolutam, quæ æquiualet vniuersali: quòd videlicet iustus per opera meritoria meretur augmentum gratiæ, & gloriæ ergo non sunt restringenda verba Concilij ad actus intensiores, sed vniuersaliter intelligenda de quocunque actu meritorio. Neque instantia allata in confirmatione solutionis aliquid concludit: nam Concilium loquitur de actibus meritorijs. Cadit autem sub opinione: Vtrum ad meritum requiratur relatio charitati proxima, vel sufficiat remota.

XVI.

Secunda solutio est, quòd Concilium solùm definit, iustificatum bonis operibus mereri augmentum gratiæ, & gloriæ, quod quidem verissimum est, etiam si loquamur de bonis operibus remissis: neque hoc negant auctores oppositæ sententiæ, sed id fatentur expressè cum S. Thom. 1.2. quæst. 114. art. 8. ad tertium, vbi ait, quòd *quolibet actu meritorio meretur homo augmentum gratiæ, sicut & gratia consummationem, quæ est vita æterna. Sed, sicut vita æterna non statim redditur, sed suo tempore, ita nec gratia statim augetur, sed suo tempore, cum scilicet aliquis sufficienter fuerit dispositus ad gratiæ augmentum:* non tamen determinat Concilium, quòd, pro quolibet actu remisso, semper detur de facto augmentum gratiæ, vel gloriæ essentialis, etiamsi iustus perseueret in gratia vsque in finem.

Contra hanc tamen solutionem est efficax argumentum: nam meritò debetur præmium ex iustitia, vt suprà dictum est: ergo si iustus quolibet actu charitatis, etiam remisso, meretur augmentum gratiæ; tandem consequetur illud præmium, etiamsi non prorumpat in actum feruentiorem, dummodo non apponat impedimentum peccati; alias daretur meritum

Digitized by Google

ritum sine præmio debito ex iustitia, & ita Deus esset iniustus, contra illud ad Hebr. 6. *Non enim iniustus Deus, vt obliuiscatur operis vestri, & laboris*, &c. vbi, licèt Apostolus loquatur de meritis mortificatis, quæ per pœnitentiam remiserunt: tamen à fortiori procedit de operibus meritoriis, quæ nùquam fuerunt mortificata. Confirmatur. Impossibile est, quòd Deus non impleat promissum, sed promisit augmentum gratiæ pro quolibet opere meritorio hominis iustificati, & similiter augmentum gloriæ: ergo de facto eam tribuit, si homo impedimentum peccati non apponat.

XVII. Gloriâ essentialem nouo titulo dari operibus remissis, quidam sentiunt. Gloria maior in ratione præmij essentialis & in ratione gloriæ quæ dicatur.

Tertia solutio est intimata superiùs in secundo argumento pro tertia sententia proposito: quòd scilicet pro quolibet opere meritorio, dabitur prædestinatis in Patria noua gloria in ratione præmij essentialis; quia videlicet nouo titulo dabitur eadem gloria, quæ antea erat debita propter alia opera meritoria æqualia, vel magis intenta; sicut de præmio correspondente meritis Christi dictum est: non tamen dabitur maior gloria, in ratione gloriæ, seu quantùm ad intensionem physicam visionis beatæ. Hanc solutionem prosequitur M. Bañes in relectione superiùs allegata. Sed etiam non videtur sufficiens; quia non saluat cum proprietate, quòd detur de facto augmentum gratiæ, & gloriæ pro bonis operibus remissis, etiamsi iustus perseueret vsque in finem: etenim forma non dicitur cum proprietate augeri, nisi crescat in intensione. Cùm ergo Concilium absolutè doceat, iustum per bona opera mereri augmentum gratiæ, & gloriæ, & consequutionem illius, si perseueret vsque in finem; non videtur satisfieri Concilio, nisi dicatur, iustum per bona opera, etiam remissa mereri augmentum gratiæ, & gloriæ, secundùm intensionem; & huiusmodi augmentum consequuturum esse infallibiliter, si perseueret vsque in finem, etiamsi nunquam proruperit in actum feruentiorem, quàm sit habitus præexistens.

XVIII. Quarta solutio asserit, ad saluandam cum rigore doctrinam Concilij Tridentini, & eius definitionem sufficere, quòd fateamur, bonis operibus remissis respondere nouam gloriam accidentalem; dum tamen asseratur, quòd, quando merita sunt magis intensa gratia, & charitate præexistente, correspondet illis gloria essentialis magis intensa. Et videtur hæc solutio habere fundamentum in sancto Thoma 1. parte, quæstione nonagesimaquinta, articulo quarto, in corpore, cuius verba superius adduximus. Sed ex supradictis facile impugnatur: nam Concilium indifferenter loquitur de operibus meritoris intensis, vel remissis: ergo sicut bonis operibus intensioribus correspondet intentior gloria essentialis, & accidentalis; sic etiam actibus bonis remissis hominis iusti, si perseueret in gratia, correspondet nouus gradus gloriæ essentialis, & non solum gloria accidentalis.

XIX. Gregor. 4. Moral. cap. 42 alias 31.

Tertiò probatur conclusio ex sanctis Patribus, qui vniuersaliter docent, meritedem æternæ gloriæ commensurandam esse iuxta quantitatem, & numerum meritorum, ita vt quantò plures, ac maiores in Dei obsequio labores quis sustinuerit, eo maiorem, ac magis intensam gloriam consequatur: dicit enim Gregorius in Moralibus: *Quo hic alius alium merito superat, illic alius alium retributione transcendet.* Et loquitur de retributione gloriæ essentialis, vt ex verbis præcedentibus, & subsequentibus constat. Idem docet Hieronymus super c. 4. & 18. Ezechielis, & lib. 2. contra Iouinianum, vbi dicit: *Secundum inæqualitatem meritorum futuram esse in beatis inæqualem gloriam.* Item S. Prosp. lib. 2. de vocatione gentium, cap. 36. ad finem, ait: *Per laborem operationum, per instantiam supplicationum, per exercitia virtutum sunt incrementa meritorum, & qui bona gesserint secundum sua bona coronantur.* Idem docet S. Ambrosius lib. de sancta virginitate, c. 26. 27. & 44. & serm. 59. de verbis Domini.

Quartò probatur auctoritate Scholasticorum. Nam præter sanctum Thomam, locis superius allegatis, Capreolus qui est in omnibus fidelissimus interpres, & defensor doctrinæ sancti Doctoris in 4. distinct. 14. quæst. 2. art. 3. ad primum Scoti contra secundam conclusionem, docet iuxtà sententiam S. Thomæ, pro quolibet actu charitatis, quantumuis remisso, conferendum esse in cœlo specialem gradum gloriæ essentialis, & similiter per multiplicationem horum actuum, licet nullus ex illis sit actus intentior. Eodem modo intellexerunt S. Thomam multi grauissimi Thomistæ. Victoria in relect. de augmento charitatis, numer. 11. M. Zumel 1. par. q. 95. art. 4.

XX. Quintò probatur ratione nam meritum de condigno includit intrinsecè debitum fundatum promissione diuina, atque in ipsa perfectione, & dignitate operis meritorij, quatenus procedit ex gratia, & motione Spiritus sancti, vt 1. 2. q. 114. art. 1. docet S. Thom. & colligitur ex illo 2. ad Timoth. 4. *Reposita est mihi corona iustitiæ.* & ad Hebr. 6. *Non enim est iniustus Deus vt obliuiscatur operis vestri.* Sed quilibet actu charitatis, etiam remisso, meretur homo de condigno augmentum gratiæ, & gloriæ essentialis, vt fatentur auctores oppositæ sententiæ; & constat ex Concilio Tridentino, & S. Thom. locis superius allegatis: ergo intercedit ibi debitum reddendi præmium, si homo iustus non apponat impedimentum peccati, & perseueret in gratia vsque in finem; ac per consequens, consequetur homo infallibiliter huiusmodi præmium: aliàs enim dicendum esset, Deum non stare promissis, & meretedem debitam operibus meritoriis non soluere; quod tamen est falsum, & contra illud Apostoli: *Ille fidelis permanet, & negare seipsum non potest.* 2. Tim 2. Confirmatur: Deus magis pronus est ad præmiandum bona opera, quam ad puniendum peccata: sed reprobis pro quolibet peccato retribuet Deus specialem pœnam, vt constat ex locis Scripturæ suprà inductis: ergo electis pro quolibet opere meritorio retribuet specialem gradum gloriæ.

XXI. Sextò: nam sequeretur ex opposita sententia, quòd si Petrus, verbi gratia, cum actu charitatis intenso, vt decem, omnia bona sua distribueret inter pauperes, & profiteretur strictissimam Religionem in qua per 60. annos perseuerauit in gratia, multa exercendo opera virtutum cum intensione, vt decem, & tandem cum eadem intensione charitatis pateretur martyrium pro Christo, non consequeretur maiorem gloriam essentialem, in ratione gloriæ essentialis, quàm Martinus, qui per vnam horam duntaxat perseuerauit in gratia, & in illa fecit vnum opus virtutis intensum, vt decem, & mortuus est. Consequens autem, quamuis concedatur ab auctoribus oppositæ sententiæ, videtur multum detrahere meritis iustorum, & nullatenus esse concedendum: nam per hoc retraherentur fideles à multis bonis operibus, & laboribus, si semel concipiant, nullam maiorem gloriam essentialem esse consequuturos per mille actus bonos, imò & per centum millia, quàm per vnum eiusdem intensionis. Item etiam sequeretur ex eadem sententia, quòd per actus fidei, spei, religionis, pœnitentiæ, misericordiæ, & aliarum virtutum moralium, informatos gratia, & charitate imperatos, nullum specialem gradum gratiæ, vel gloriæ essentialis consequantur iusti præter illum, qui correspondet actui charitatis, a quo in finem supernaturalem ordinantur. Consequens autem est contra doctrinam S. Thomæ 1. 2. q. 114. ar. 4. vbi

Digitized by Google

vbi docet, gratiam esse principium merendi primò, & principaliùs per charitatem; secundariò autem per alias virtutes, secundum quòd earum actus a charitate impetantur. Et in solutione ad 2. subijt, laborem, & difficultatem proueniuntem ex magnitudine operis, pertinere ad augmentum meriti non obscurè indicans, actum cæteris paribus eò esse magis meritorium, quò fuerit magis laboriosus, & difficilis, difficultate proueniente ex magnitudine operis: & idem docet 2. 2. quæst. 182. art. 2. ad 1. vbi ait, quòd augmentum meriti, respectu præmij essentialis, consistit principaliter in charitate. Sentit ergo, quòd etiam consistat in actibus aliarum virtutum, quamuis minùs principaliter. Confirmatur secundò, & augetur difficultas præcedentis arg. a simili, quoniam in naturalibus perfectio fructus materialis non tantum ex radice arboris perpenditur, sed etiam ex ramis, quibus mediis, virtus radicis ad fructus peruenit, & propterea ex meliori ramo melior, virtute radicis, fructus nascitur: ergo similiter fructus meriti, vel præmij essentialis, non solùm est pensandus ex radice charitatis; sed etiam ratione aliarum virtutum, quibus mediantibus, charitas fructum operis meritorij producit: ac per consequens, meritum, & gloria essentialis illi correspondens, cæteris paribus, erit eò maior, quò excellentior fuerit virtus, per quam operatur charitas, alias enim soli charitati præmium essentiale vitæ æternæ esset repromissum, & sola charitas haberet remunerationem, contra loca expressa Scripturæ. Dicitur enim Matth. 10. *Omnis, qui confitebitur me coram hominibus*, scilicet per fidem, *confitebor & ego eum coram Patre meo; qui in cœlis est.* Et ad Hebr. 10. *Nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem* Et Matth. 5. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Vbi etiam aliis pluribus virtutibus, & eorum actibus vita æterna promittitur. Et Matth. 25, *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim, & dedistis mihi manducare; sitivi, & dedistis mihi bibere; hospes eram, & collegistis me: in carcere eram, & venistis ad me.* Quibus verbis ostendit Christus Dominus, gloriam essentialem reddendam esse non solùm propter actum charitatis, sed etiam propter merita procedentia ab aliis virtutibus. ergo augetur per illa.

XXII. Opera ex collectione virtutis sùt cæteris paribus magis meritoria.

Septimò idipsum probatur. Si habens charitatem, vt quatuor, operetur actum intensum, vt sex, ratione illius consequetur maiorem gloriam essentialem: ergo si habens charitatem intensam, vt centum, operetur actum charitatis intensum, vt nonaginta; ratione illius consequetur nouam gloriam essentialem. Patet consequentia: nam alias melioris conditionis esset iustus, qui operatur remissè, quàm ille, qui operatur intense.

Quidam existimant, hæc argumenta reddere nostram tertiam conclusionem ita certam, vt opposita sit valde temeraria, & erronea in fide. Sed tamen hæc censura non videtur rationabilis, vt ex supradictis constat.

XXIII. Gratia in esse gratiæ statim augetur per actus etiã remissos.

Quarta Conclusio. Gratia in esse gratiæ, & similiter charitas in esse charitatis statim augentur, etiam per actus remissos, & augentur secundum totam latitudinem actus supra habitum. Probatur prima pars: nam statim quòd homo operatur actum remissum meritorium, habet ius ad nouam gloriam essentialem: ergo per illam statim augetur gratia in esse gratiæ. Patet consequentia: nam gratiam augeri in esse gratiæ, nihil aliud est, quàm quòd per illam acceperetur iustus ad maiorem gloriam. Secunda verò pars probatur: quia non est maior ratio, propter quam augeatur gratia in esse gratiæ per actus remissos secundùm vnum gradum, quàm secundùm duos: ergo augetur secundum totam latitudinem actus. Præterea probatur: nam supposito, quod labor vnius diei, tres valet argenteos: si quis laboret vna die, meretur tres argenteos: si autem laboret alia die, meretur alios tres: ergo similiter, si habens meritum, vt quatuor, prorumpat in alium actum meritorium, vt quatuor, remanebit cum merito, vt octo, ac per consequens acceptabitur ad gloriam essentialem intensam, vt octo, & sic de aliis actibus meritoriis.

Quinta Conclusio. Augmentum gratiæ, & charitatis in esse habitus, quod homo meretur per actus remissos, debetur postea in primo instanti glorificationis. Hæc conclusio colligitur ex S. Th. 1. 2. q. 114. art. 8. ad 3. vbi docet, quòd per actus remissos meretur homo augmentum gratiæ, & charitatis, conferendum, *cum scilicet sufficienter fuerit dispositus ad gratiæ augmentum*, id est, cùm se disposuerit per feruentiorem actum. Ex quo desumitur argumentum: nam iustus in hac vita nunquam se disponit per feruentiorem actum, vt detur illi augmentum, quod meruit per actus remissos: ergo disponetur a Deo in alia vita per actum ita intensum, vt adæquet totam quantitatem meriti, quod præcessit in via, vt sic tandem saluetur proportio inter gratiam, & charitatem in esse meriti, & in esse habitus. Patet consequentia. nam alias actus meritorij remissi manerent sine præmio, quod ex iustitia meruerunt. Antecedens autem probatur: nam, quando iustus in hac vita prorumpit in feruentiorem actum, augmentum gratiæ, & charitatis in esse habitus, quod tunc conferetur, datur pro ipso actu feruentiori, licet daretur, si nullus præcessisset actus remissus: ergo nihil intentionis tunc superadditur pro actibus remissis præcedentibus. Confirmatur: nam alias vita est tempus recipiendi præmium adæquatum, quod meruit per actus præcedentes in via: ergo præmium, quod non confertur in hoc sæculo, debet conferri in alio. Neque ex hoc sequitur, quòd homo mereatur in alia vita. Sicut enim tunc disponetur iustus ad visionem beatificam per lumen gloriæ, absque eo quòd sit meritum in alia vita, ita etiam per actum intensum charitatis disponetur iustus ad intentionem habitus in esse habitus, quam meruit per actus remissos præcedentes in via, absque eo quòd in Patria sit aliquod meritum.

XXIV. Gratiæ augmentum in esse habitus respondent actib. remissis, dabitur in primo instanti visionis beatificæ.

Sed contra istas duas Conclusiones se offerunt tria argumenta. Primò arguitur: nam sequeretur, quòd in hac vita nunquam saluaretur æqualitas inter gratiam, & charitatem in esse meriti, & in esse habitus, postquam homo iustus prorupit in actus remissos. Sequela probatur: nam per actus remissos statim augetur gratia in esse gratiæ; & charitas in esse meriti, vt supra dictum est, & augetur secundum totam latitudinem actus, non autem statim augetur in esse habitus: ergo semper erit maior gratia in esse gratiæ, quàm in esse habitus; & similiter charitas.

XXV.

Respondetur, nullum esse inconueniens, quòd in via non semper saluetur æqualitas, & proportio inter quantitatem gratiæ in esse habitus, & in esse gratiæ, seu meriti: sed sufficit, quòd seruetur in Patria, vbi etiam seruabitur æqualitas inter quantitatem gratiæ, & quantitatem gloriæ: nam in Patria omnia consummata erunt, & perfecta.

Gratia in esse habitus, & in esse gratiæ, aliquando sunt inæquales.

Secundum argumentum est: nam de essentia gratiæ, & charitatis est, quòd sit habitus: ergo, si per actus remissos statim augetur in esse gratiæ, & charitatis, etiam debet augeri statim in esse habitus. Patet consequentia: quia non potest augeri ratio specifica, quin augeatur generica: si enim intenditur albedo,

XXVI.

albedo, consequenter debet intendi color: sed ratio habitus est generica ad rationem gratiæ, & charitatis: ergo. Respondetur, quòd gratia in esse gratiæ potest considerari dupliciter. Primo modo in esse physico, secundum quod est vltima differentia physica contrahens habitum ad talem speciem. Secundò in genere morali, quatenus mediantibus operibus meritoriis, per illam acceptatur homo ad gloriam. Dicimus ergo, quòd, quando gratia secundùm rationem propriam specificam gratiæ augetur in esse physico, etiam debet augeri in ratione habitus; non autem est necessarium, quòd augeatur gratia in esse habitus, quando augetur in esse gratiæ in genere morali. Est exemplum in gratia Christi habituali, quæ quidem in esse physico finita est, etiam secundùm differentiam specificam gratiæ, vt 3. p. quæst. 7. art. 11. docent communiter Thomistæ, tamen secundùm moralem dignitatem, inquantùm est principium infiniti meriti, & satisfactionis infinitæ, est in esse gratiæ infinita, ratione suppositi operantis: vt eodem articulo docet S. Thomas.

Gratia in esse gratiæ considerat. dupliciter.

XXVII. Tertium argumentum est: nam sequeretur ex opposita sententia, quòd per solam acceptationem extrinsecam acceptaretur iustus ad illam maiorem gloriam essentialem, quam meretur per actus remissos. Consequens videtur contra Concilium Tridentinum, sess. 6. de iustific. cap. 7. & can. 11. vbi dicitur, quòd per iustitiam inhærentem remittuntur peccata, & fit homo dignus vita æterna: non autem per fauorem solum extrinsecum, aut non imputationem. Sequela probatur: nam gratia, & charitas non perficiuntur intrinsecè in seipsis in ratione qualitatis, quando iustus prorumpit in actus remissos: ergo, si propter illos actus acceptatur homo ad maiorem gloriam essentialem; illa acceptatio erit merè extrinseca in ordine ad illam maiorem gloriam. Respondetur, negando sequelam. Ad probationem dicendum, quòd per gratiam habitualem præexistentem, secundùm quòd de nouo fuit causa realis noui actus remissi; acceptatur homo ad illam maiorem gloriam essentialem, correspondentem actui remisso. Vnde non est acceptatio merè extrinseca, aut per fauorem tantùm extrinsecum, sed per iustitiam intrinsecam, secundùm quòd dicit nouum respectum ad nouum actum meritorium. Per hæc patet solutio ad argumenta facta a principio in fauorem tertiæ sententiæ. Dicimus enim, quòd reddunt illam probabilem. Quatenus verò militant contra nostram sententiam, respondetur ad singula.

Iustus habens plura merita remissa acceptatione intrinseca est accept. ad maiorē gloriam essentialem.

XXVIII. AD primum argumentum factum à principio ex S. Thoma respondetur, quòd illa loca adducta satis persuadent, cum tenuisse illam opinionem in libris sententiarum; quam tamen in summa, locis superiùs adductis, retractauit. Est tamen aduertendum, illam propositionem, quam S. Thom. concedit 1. sententiarum: videlicet non quolibet actu charitatis meretur homo augmentum charitatis; non intelligi à S. Thoma simpliciter, ita vt absolutè loquendo, non mereatur illud augmẽtum, sed quòd non mereatur augmentum charitatis, statim conferendum in esse habitus, vt ex antecedentibus, & subsequentibus constat. Intendit enim S. Doctor assignare differentiam inter actus intensos, & remissos, in hoc, quòd per actus intensiores habitu, meretur homo augmentum habitus, ita vt statim conferatur: per actus autem remissiores habitu, non meretur augmentum habitus, ita vt statim conferatur. Videatur circa istam solutionem Caietanus 1. 2. solutione ad tertium eiusdem artic. 8. q. 114. Ad locum adductum ex prima parte respondetur, sanctum Thomam loqui de charitate in esse charitatis, & meriti, sensumque illius esse, quòd, qui plus habet de charitate in esse charitatis, plus habet de lumine gloriæ, & plus videt Deum: ac si apertius diceret: Qui plus meruit in via, plus Deum videt in Patria. Ad aliud locum ex q. 95. respondetur, quòd, cùm ait: *Qui ex maiore charitate aliquid facit, perfectius Deo fruitur*; intelligitur respectu cuiuscunque actus: & sensus est, quòd actus, qui fit ex maiori charitate, est magis meritorius gloriæ essentialis, quàm actus, qui fit ex minori charitate: quod idem est, ac si diceret: Actus charitatis intensior, siue sit elicitus, siue imperatus, est magis meritorius, quàm actus remissus; non tamen ex hoc concluditur, quòd per multiplicationem actuum eiusdem intensionis, aut per actus remissos, non mereatur homo nouam gloriam essentialem. Et per hæc respondetur ad alium locum ex epist. ad Corinth. Denique in solutione ad vltim. argum. magis patebit de mente S. Thomæ.

Actus intensi, & remissi comparatione meriti, seu præmij differentia.

Ad secundum. Iam patet ex dictis in secunda probatione tertiæ conclusionis, qualiter nostra sententia sit magis conformis doctrinæ Concilij, & cum maiori proprietate saluet definitionem illius. XXIX.

Ad confirmationem respondetur, quòd Christus Dominus per actus subsequentes meruit, nouo titulo id, quod iam per primum actum meruerat; quoniam quilibet actus illius erat infinitè meritorius. Vnde per plures actus non meruit magis, quàm per vnum: quia infinito, qua ratione infinitum est, nulla potest fieri additio: hæc autem ratio non procedit de meritis nostris, quæ finita sunt; vnde non est simile.

Christus nouo titulo meruerat per actus sequentes, quod meruerat per primũ actum.

Ad tertium respondetur, solùm concludere, quòd per actus remissos non augetur statim charitas, & gratia in esse habitus; sed solùm, quando homo prorumpit in feruentiorem actum, quod nos libentissimè fatemur cum S. Thoma, vt suprà dictum est. Nihilominùs in esse gratiæ, & in genere morali statim augetur: quia augmentum morale non requirit physicam dispositionem æqualem, sed sufficit multiplicatio actus meritorij.

Ad quartum concedimus, per actus remissos augeri gratiam in esse gratiæ, & similiter charitatem in esse charitatis, secundùm totam latitudinem, & intensionem actus meritorij. Et ad impugnationem respondetur, quòd, moraliter loquendo, magis sanctus est, & maiorem gloriam essentialem consequetur ille, qui per vnum annum deuotissimè, & feruentissimè Deo inseruiuit, & tandem passus est martyrium, quàm alter, qui per 20. aut 40. annos in actibus remissis charitatis se exercuit. Primò: quia moraliter loquendo, ille, qui est feruentissimus in Dei obsequio, sæpius multiplicat actus charitatis, & plura, & excellentiora bona opera facit magis intensa, quam alter, qui remissè operatur: nam, vt dicit Gregorius, *Amor operatur magna, si est, si autem operari renuit, amor non est.* Et iterum ait: *Probatio dilectionis, exhibitio est operis.* Vnde tota multiplicatio actuum facta per 40. annos ab eo, qui remissè operatur, non adæquabit totam intensionem meritorum vnius anni, quam habuit ille, qui vixit feruentissimè. Secundò: nam, licet gratia, & charitas in esse gratiæ, & charitatis augeatur secundùm totam latitudinem actus: tamen, si vnus habet actum charitatis intensum, vt viginti: alius verò producat duos actus charitatis intensos, vt decem: magis meretur ille vno actu intenso, vt viginti; quàm iste duobus actibus intentis, vt decem: & forte erit necessarium multiplicare quatuor, vel sex actus, vt decem, vt adæquet totum meritum actus intensi, vt viginti. Cuius ratio est: nam intensio, & feruor actus est potissimum, & excellentissimum, quod in hac parte consideratur, & multò difficilius est, & magis arduum, XXX.

Gratia per actus remissos augetur secundum totam latitudinem actus supra habitum.

S. Greg. ho. 30 in Euāgelia.

duum, habere vnum actum intenſum, vt viginti, quam diuerſis actibus intenſis, vt quatuor, vel vt decem, pertingere tandem ad meritum, vt viginti. Et confirmari poteſt hoc manifeſtiſſimo exemplo. Etenim in humanis rationabiliter princeps pluris æſtimat, & magis præmiat vnum actum excellentiſſimum alicuius ſubditi, qui ſemel expoſuit vitam cum excellentiſſima dilectione principis, quàm plures actus alterius remiſſos, & faciles: ergo ſimiliter Deus pluris æſtimat, & plus præmiat vnum actum intenſum, vt centum; quàm decem actus intenſos, vt decem: & hoc videtur innuere Sapiens cùm dixit: *Sap.4.* *Conſummatus in breui explenit tempora multa.* Quorum verborum ſenſus eſt: Iuſtus, qui feruentiſſimè Deo inſeruit, breui tempore explet numerum meritorium plurium annorum.

Ad confirmationem reſpondetur, quòd etiam tenentes ſoluere argumentum factum auctores oppoſitæ ſententiæ: nam eodem modo procedit de præmio accidentali, quod ipſi etiam fatentur augeri per actus remiſſos. Sicut ergo per quemlibet actū remiſſum datur nouum præmium accidentale, in omnium ſententia, abſque eo quòd præmium illud augeatur, ſecundùm gradus innumerabiles, & incredibiles; ita etiam pro quolibet actu meritorio datur, in noſtra ſententia, nouum præmium eſſentiale, abſque eo quòd creſcat in intenſione quadam incredibili, & innumerabili. Reſpondetur ergo ad argumentum, quòd licet forma intenſibilis, & remiſſibilis, ſit ſecundum intenſionem diuiſibilis in infinitum; nihilominùs ſemper manet intenſionis determinatæ, quantumuis diuidatur in plures partes: ſicut contingit in quantitate vnius palmi, quæ determinata eſt; & tamen ſyncathegorematice eſt diuiſibilis in infinitum, & poteſt fieri multiplicatio partium per ſingulos dies vnius anni, iuxta computationem factam in argumento, abſque eo quòd ſequatur aliquod abſurdum. Et hoc præterea habet verum in gratia, & charitate, quæ, cum ſit participatio quædam diuinæ naturæ, augeri poteſt in infinitum, vt 2.2. q.24. art.7. docet S. Thom. Vnde quantumcunque augeatur, nunquam pertinget ad ſummam intenſionem poſſibilem, de potentia Dei abſoluta.

XXXI. Continuatio maior actus meritorij conducit ad maius meritū reſpectu præmij eſſentialis. Actus charitatis non poteſt durare ſolùm per vnum inſtans.

Ad quintum reſpondetur, quòd ratione continuationis actus, cæteris paribus, correſpondet eò maior gloria eſſentialis, quò magis continuatur actus. Et ad impugnationem reſpondetur, quòd eandem difficultatem habet de præmio accidentali, quod in omnium opinione augetur ratione continuationis actus meritorij. Reſpondetur ergo, eſſe impoſſibile, quòd actus charitatis duret ſolùm per inſtans: quoniam duratio inſtantis non eſt duratio; res autem, quæ in tempore producitur per aliquam actionem, debet menſurari aliqua duratione. Præterea: nam, ſi actus charitatis duraret ſolùm per inſtans; ſequeretur, quòd in eodem inſtanti eſſet, & non eſſet. Etenim actus charitatis, cùm ſit res ſpiritualis, incipit per primum ſui eſſe, & deſinit per primum non eſſe: ergo, ſi in eodem inſtanti incipit, & deſinit; in eodem inſtanti erit, & non erit. Si dicatur, quòd deſinit per vltimum ſui eſſe; contrà: nam, quod deſinit per vltimum ſui eſſe, deſinit in tempore: verum enim eſt dicere: Nunc eſt, & immediatè poſt hoc non erit. Illud autem, quod ſequitur immediatè poſt inſtans, debet eſſe tēpus, quia, vt oſtenditur 6. & 7. Phyſ. vnum inſtans non poteſt eſſe alterū immediatum, atque adeò neceſſariò debet durare per aliquod tempus, & iuxta hanc ſententiam non procedit argumentum: nam inter quamcunque partem temporis, & tempus eſt proportio.

Reſpondetur ſecundò, iuxta aliorum ſententiam, qui admittunt, actum charitatis poſſe durare ſolùm per inſtans: quod præmium correſpondens ſubſtantiæ actionis meritoriæ, ſecundùm quòd actu producitur, eſt maius, quam illud, quod reſpondet continuationi eiuſdem actus. Cuius ratio eſt: nam continuatio eſt modus ſubſtantiæ rei: maius autem præmium debet reſpondere ſubſtantiæ rei, quàm accidenti illius; niſi continuatio ſit adeò magna, quòd tandem adæquet, vel exuperet meritum correſpondens productioni actus. Vnde, licèt, cæteris paribus, ille, qui continuat actum charitatis per aliquod tempus, mereatur magis, quàm ille, cuius actus durat ſolùm per inſtans; non tamen habet meritum duplo maius, niſi continuatio ſit tanta, vt æquiualeat productioni inſtantaneæ alterius actus. Verbi gratia, ſi illa continuatio duret per quadrantem horæ, & aliquis producat actum charitatis intenſum, vt decem in primo inſtanti illius quadrātis, & actus ille duret ſolùm per inſtans; merebitur gloriam, vt decem: continuans autem actum, vt decem per quadrantem horæ, merebitur, vt viginti; verbi gratia, eò quòd continuatio per quadrantem horæ æquiualet productioni alterius actus; ſi verò continuet actum per dimidiam partem quadrantis, merebitur, vt quindecim, & ſic proportionabiliter. Etenim, ſicut quælibet pars quadrantis vnius horæ eſt diuiſibilis in infinitum, ita etiam quælibet pars meriti, aut præmij illi correſpondens, eſt diuiſibilis in infinitum, vt dictum eſt. Vnde ex noſtra ſententia non ſequitur abſurdum, quod intendit argumentum. Et per hæc reſpondetur ad primam, & ſecundam confirmationem.

Ad ſextum argumentum reſpondetur, quod tangit illam celebrem difficultatem, de qua diſputat S. Thom. 3. p. q.89. art.5. qualiter bona opera facta in gratia, & charitate, per peccatum ſubſequens mortificata, reuiuiſcant poſtmodùm per pœnitentiam, & in qua quantitate: & quoniam ſpeciali diſcuſſione indiget hæc difficultas; examinanda eſt diſputatione ſequenti. XXXII.

Ex his, quæ dicta ſunt in hac diſputatione, manet ſolutum ſextum argumentum factum à principio. Dicimus enim, quòd etiam per actus remiſſos charitatis conſequitur iuſtus infallibiliter augmentum habitus, vt oſtenſum eſt.

DISPVTATIO LXI.

Vtrùm propter merita mortificata conſequatur pœnitens infallibiliter, & ex lege ſtatuta, maiorem gratiam habitualem, & ius ad gloriam eſſentialem magis intenſam.

CIRCA iſtam difficultatem M. Bañes 2.2. q.24.art.6.dubio 6. tenet conſequenter ad ſuam ſententiam, opera mortificata ita reuiuiſcere per pœnitentiam, vt non correſpōdeat illis noua gloria eſſentialis, diſtincta ab ea, quæ dabitur pro contritione, per quam reſurgit, ſed eadem gloria reſpondebit omnibus præcedentibus meritis, nouo titulo; & ſolùm erit maior illa gloria in ratione præmij, vt ſuprà explicatum eſt: quamuis illis operibus, viuificatis per pœnitentiam, reſpondeat noua gloria accidentalis. Fundamentum illius potiſſimum eſt auctoritas ſancti Thomæ, adducta in conformatione ſexti argumenti diſputationis præcedentis. I.

II. Oppoſitam ſententiam tenet Scotus in 4.diſt.16. q.2.art.2.Ledeſm in 1.p.4.tent. art.2. & 5. Eam etiam defendunt conſequenter omnes Theologi, qui docent, quolibet actu charitatis augeri gratiam, & charitatem,in eſſe gratiæ, & charitatis, & hæc ſententia eſt probabilior. Ad cuius euidentiam ſupponendum eſt primò, omnes Theologos in hoc conuenire,quòd opera mortificata reuiuiſcant per pœnitentiam, id quod efficaciter probat S.Thom. 3. p. citata.Supponendum eſt ſecundò,quòd, vt docet S. Thom.3.p. citata, art.4. opera in charitate facta dicuntur mortificari, quatenus per ſubſequens peccatum mortale impediuntur, ne perducant hominem ad vitam æternam. Vnde opera mortificata reuiuiſcere per pœnitentiam, nihil aliud eſt, quàm, quod ablato impedimento peccati,recuperent efficaciam perducendi ad vitam æternam hominem, qui ea produxit. Supponenda eſt tertiò illa diſtinctio gratiæ in eſſe gratiæ, & in eſſe habitus, & qualitatis: quæ quidem diſtinctio eſt expreſſa S. Thom. 3.p. q. 7.art.11.Iſtæ autem duæ conſiderationes gratiæ,ſeu rationes eiuſdem gratiæ, ita ſe habent, quòd in eadem gratia vna poteſt eſſe maior alia. Poteſt enim contingere, quod gratia in eſſe entis ſit intenſa, vt quinque, & in eſſe acceptationis ad gloriam ſit, vt centum : quod etiam colligitur ex S. Thoma ibi ad 3.vbi de gratia Chriſti aſſerit, quod in eſſe entis eſt finita, & tamen, ſecundum propriam rationem gratiæ,eſt infinita.Sit ergo

Merita mortificari quid ſit.

III. Prima Cõcluſio.Præter gloriam,quæ reſpondet præſenti contritioni pœnitentis,datur noua gloria eſſentialis, ratione præcedentium meritorum,quæ per pœnitentiam reuiuiſcunt,& in eadem proportione eſt maior gratia in eſſe gratiæ. Probatur hæc concluſio ratione. Omnia merita mortificata verè reuiuiſcunt per pœnitentiam, vt dictum eſt : ergo recuperant efficaciam perducendi hominem ad gloriam,quam meruerat per illa merita.Patet conſequentia : nam, vt dictum eſt in ſecundo fundamento, hoc eſt opera mortificata reuiuiſcere: ergo præter ius ad gloriam,quod correſpondet præſenti contritioni, habet pœnitens, ratione præcedentium meritorum,ius ad vlteriorem gradum gloriæ eſſentialis. Etenim per opera charitatis mortificata non meretur pœnitens illum gradum gloriæ, qui correſpondet præſenti contritioni; ſed alium diſtinctum : nam opera meritoria fuerunt diuerſa à præſenti contritione. Confirmatur : nam aliàs non ſaluaretur cum proprietate, quòd merita illa mortificata reuiuiſcerent ſaltem quoad præmium eſſentiale ſiquidem nulla noua gloria eſſentialis illis correſponderet. Nec ſatis eſt reſpondere, quòd eadem gloria eſſentialis,quæ correſpondet contritioni,datur nouo titulo propter merita,quæ per pœnitentiam reuiuiſcunt.Hæc enim ſolutio, & aliæ conſimiles,quæ adhiberi ſolent, iam ſuperiùs num. 14. & ſequentibus impugnatæ ſunt.

Merita mortificata qualiter per pœnitẽtiam reuiuiſcant.

Secundò probatur : nam ſequeretur ex oppoſita ſententia, quòd, ſi vir ſanctiſſimus, qui per plures annos perſeueranit in gratia, & habuit actus plurimos valdè intenſos, caderet in peccatum mortale, & poſtea reſurgeret contritione intenſa,vt duo ; & alius homo ſceleratiſſimus pœniteat etiam contritione intenſa, vt duo, & ſtatim moriantur ; conſequerentur eandem gloriam eſſentialem, ita videlicet, vt ille vir ſanctiſſimus non habeat maiorem gloriam eſſentialem, quàm alter. Probatur clarè: nam vterque ſolùm conſequitur gloriam intenſam, vt duo,eſſentialem,iuxta quantitatem contritionis. Conſequens autem, quamuis admittatur ab auctoribus oppoſitæ ſententiæ,eſt duriſſimum,& impugnatur ex illo Ezech. *impietas impij non nocebit ei, in quacunque die conuerſus fuerit ab impietate ſua.*& cap. 18.*Si impius egerit pœnitentiam,&c.omnium iniquitatum eius non recordabor amplius.* Certe iam recordaretur Deus iniquitatum præcedentium, & impietas impij noceret ei,ſi poſt pœnitentiam nihil ampliùs tribueretur gloriæ eſſentialis ratione præcedentium meritorum. hoc enim eſſet magnum nocumentum proueniens ex peccatis commiſſis,iam dimiſſis : ergo correſpondet illis noua gloria.

Ezech. 33.

IV. Tertiò probatur arguendo ex conceſſis contra auctores oppoſitæ ſententiæ : nam,vt ipſi fatentur, gratia ſacramentalis amiſſa per peccatum mortale, reparatur per pœnitentiam, ita vt præter gradum gratiæ,& gloriæ,qui reſpondet præſenti contritioni,conferatur nouus gradus gratiæ, & ius ad maiorem gloriam eſſentialem : ergo idem erit de gratia non ſacramentali.Patet conſequentia:nam per peccatum mortale tam gratia ſacramentalis,quàm non ſacramentalis amittitur, & ſimiliter per pœnitentiam eodem modo reuiuiſcunt merita vtriuſque gratiæ:ergo idem dicendum eſt de vtraque.

V. Reſpondent auctores oppoſitæ ſententiæ, quòd gratia ſacramentalis confertur, ex opere operato non ponenti obicem, & ſimiliter ius ad gloriam, quod conſequitur ad gratiam ſacramentalem. Gratia verò non ſacramentalis ſolùm confertur ex opere operantis,& ſimiliter ius ad gloriam,quod ſequitur ex gratia non ſacramentali,mediis operibus meritoriis : & ideo hoc ius, & ſimiliter gratia non ſacramentalis non debet excedere quantitatem præſentis diſpoſitionis : gratia autem ſacramentalis debet dari vltra illam, quæ reſpondet præſenti diſpoſitioni.Sed cõtra iſtam ſolutionem eſt argumentum:nam quamuis ita ſit,quòd ſacramẽtum à principio contulit gratiam, ex opere operato : tamen, poſtquam ſemel contulit gratiam ſacramentalem, gratia illa,ſi amittatur per peccatum,non reparatur per actum contritionis,niſi ex opere operantis.Etenim, poſtquam ſacramentum iam ſuſceptum ſemel produxit totum ſuum effectum, non ampliùs producit illum ex opere operato : ergo eadem omnino ratio eſt de gratia ſacramentali, quod attinet ad præſentem quæſtionem.

Maior difficultas eſt, in qua quantitate reuiuiſcant per pœnitentiam opera mortificata per peccatum.Vtrùm reſurgant ſecundum omnem gradum meriti, quem habuerunt ante peccatum : an verò iuxta quantitatem contritionis, per quam reſurgit pœnitens. Quidam recentiores Theologi reſpondent,quòd ſemper reuiuiſcunt quantùm ad omnem intenſionem meriti,quam habebant antè. Itaque ſi quis habuit decem actus meritorios intenſos,vt decem,& peccet mortaliter,& poſtea reſurgat,contritione intenſa, vt vnum, & ſtatim moriatur; conſequetur vnum gradum gloriæ,ratione præſentis contritionis, & ſimiliter omnem gloriam eſſentialem, quam antea meruit per decem illos actus, & habebit gloriam intenſam,vt centum,& vnum.

Ratio potiſſima illorum eſt : nam remoto impedimento, ſequitur effectus, ſicut antè, ſi non fuiſſet appoſitum impedimentum : ſed peccatum mortale, per quod mortificata ſunt opera præcedentia,ſolum fuit impedimentum obſtans,ne illa merita perducerent hominem ad vitam æternam : ergo remoto peccato, eodem modo prædicta opera perducunt hominem ad vitam æternam, ac ſi nullum commiſſiſſet peccatum mortale. Addúntque, ſe non inuenire apud ſanctum Thomam, ſaltem in ſumma, quòd hoc alicubi expreſsè negauerit.Et obiicientes ſibi locum ſancti Thomæ, ex tertia parte, quæſtione octogeſimanona, artic. quinto ad tertium, vbi contrariã ſentẽtiam aperte docet,vt patet ex verbis ſuprà

suprà inductis, in vtrumque latus se vertunt, vt illum explicent, & tandem concludunt, in hac parte sententiam sancti Thomæ esse difficilem, & obscuram. Sed nobis non est difficilis sententia S. Thom. neque obscura, sed clara, & facilis. Vnde iuxta mentem illius, & communem explicationem Thomistarum sit

VI. Merita mortificata reuiuiscunt secundùm quantitatem pœnitentiæ.

Secunda Conclusio. Non semper reuiuiscunt opera mortificata, secundùm omnem gradum meriti, quem habuerunt ante peccatum, sed iuxta quantitatem præsentis contritionis, siue dispositionis, per quam pœnitens resurgit. Itaque, si quis ante peccatum habuit decem opera meritoria intensa, vt decem; & cadat in peccatum mortale, & postea resurgat contritione, vt vnum, quodlibet opus resurgit, vt vnum, & manebit pœnitens cum merito, vt vndecim. Hanc conclusionem tenet Sotus vbi suprà, & videtur expressa sancti Thomæ; tertia parte, quæstione 89. citata. & probatur: nam contritio non solum est dispositio ad gratiam, sed etiam est dispositio, vt merita mortificata reuiuiscant: ergo reuiniscunt iuxta quantitatem illius. Patet consequentia: nam, vt docet sanctus Thomas articulo secundo eiusdem quæstionis, quantitas formæ intensibilis, & remissibilis mensurari debet secundum quantitatem dispositionis. Addit tamen Sotus, quòd per actus sequentes contritionis, vel charitatis reuiuiscunt magis opera mortificata, quousque in integrum restituantur, quoad omne meritum. Et confirmari potest hæc sententia, exemplo satis accommodato, quo vtitur sanctus Augustinus ad hanc eandem rem explicandam, tomo octauo, in illa verba Psalm. 125. *Conuerte Domine captiuitatem nostram, sicut torrens in Austro.* Aqua enim torrentis, quæ cursu suo ad mare properat, frigore hyemis, aut Aquilonis congelatur, & adhæret pauimento, atque impeditur, ne ad suum terminum perueniat; Austro autem flante, resoluitur in toto, vel in parte, iuxta calorem Austri, & mouetur sicut antea. Proportionabiliter dicendum est in præsenti. Etenim gratia ipsa, & merita sunt aqua tendens in vitam æternam, iuxta illud Ioan. 4. *Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*: congelatur autem aqua ista frigore subsequentis peccati mortalis, de quo Ieremiæ sexto dicitur: *Sicut frigidum facit cisterna aquam suam, ita frigidam fecit Israël iniquitatem suam*: & ita mortificantur merita, & impediuntur, ne hominem perducant ad vitam æternam. Sed Spiritu sancto flante, resoluitur aqua, vt iterum fluat, iuxta quantitatem feruoris, in quo homo resurgit. Vnde in Psalmo centesimo quadragesimoseptimo, scriptum est: *Mittit crystallum suam, sicut buccellas; ante faciem frigoris eius quis sustinebit? Emittet verbum suum, & liquefaciet ea: flabit spiritus eius, & fluent aquæ.* Videantur, quæ in vtroque loco dicit sanctus Augustinus, & quæ notauimus in commentariis nostris super Isaiam, cap. 1. numer. 54. & cap. 44. num. 13.

Ad argumentum factum pro sententia opposita respondetur, quòd contritio, per quam pœnitens resurgit, non solùm est remouens prohibens, sed simul etiam dispositio mensurans quantitatem, in qua resurgunt opera mortificata, sicut calor non solùm remouet duritiem, qua impeditur aqua, ne fluat; sed etiam disponit, vt ex toto resoluatur, vel in parte. Et per hæc remanet solutum sextum argumentum principale, factum disput. præcedenti.

DISPVTATIO LXII.

Vtrùm ratione maioris conatus, vel influxus liberi arbitrij cum æquali auxilio gratiæ adiuuantis, vnus consequatur maiorem gratiam iustificantem, quàm alius.

VIDAM dixerunt, ab inæquali conatu, & influxu liberi arbitrij pro sua libertate prouenire posse, vt, conferente Deo duobus hominibus æquale auxilium gratiæ adiuuantis, vnus eorum intensiùs operetur, meliusque se disponat ad gratiam iustificantem, quàm alius: & vt, conferente eisdem inæqualia auxilia, æquè operentur, aut is interdum plus, qui minore suffultus est auxilio. Argumenta, quibus conuincuntur, sunt hæc. I.

Primò arguitur ex illa parabola Matth. 25. & Lucæ 19. de talentis, & pecuniis seruis traditis: nam *vni dedit quinque talenta, alij autem duo, alij verò vnũ, vnicuique secundùm propriam virtutem.* Quibus verbis significatur à propria virtute, industria, & conatu maiori, vel minori liberi arbitrij prouenire, quòd plura, vel pauciora talenta vnusquisque seruus acceperit.

Secundò arguitur ex Conc. Trid. sess. 6. de iustific. c. 7. vbi explicans sancta Synodus, vnde mensuretur quantitas gratiæ habitualis, qua iustificamur, inquit: *Verè iusti nominamur, & sumus, iustitiam in nobis recipientes, vnusquisque suam, secundùm mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis, prout vult, & secundùm propriam vniuscuiusque dispositionem, & cooperationem*: ergo, secundùm quod pro sua libertate vnus cooperatur intensiùs vocationi diuinæ, atque auxiliis præuenientis gratiæ, consequitur maiorem gratiam iustificantem, quàm alius.

Tertiò. Liberum arbitrium, vnà cum auxilio Dei, est causa libera influens in actum, quo se ad iustificantem gratiam disponit: ergo pro sua libertate potest influere maiori, vel minori conatu, & influxu: ergo cum æquali auxilio potest vnus conari magis, quàm alius, & ita consequetur maiorem gratiam iustificantem.

Quartò. Quando duæ causæ partiales simul concurrunt ad aliquem effectum, cæteris paribus, tantò producitur effectus perfectior, & intensior, quantò altera illarum magis conatur ad productionem illius, vt patet in motu nauis, quæ trahitur à duobus. Sed gratia præueniens, & liberum arbitrium concurrunt partialiter, partialitate causæ ad productionem dispositionis ad gratiam, sicut duo trahentes nauim: ergo, cæteris paribus ex parte gratiæ præuenientis, producit magis intensam dispositionem ad gratiam habitualem, qui ex sua innata libertate conatur magis. Minor probatur: nam illa est causa partialis comparatione alicuius effectus, quæ habet consortium alterius causæ concurrentis ad productionem eiusdem effectus: sed Deus habet consortium alterius causæ concurrentis ad productionem vltimæ dispositionis ad gratiam: nam ad eam concurrit etiam liberum arb. vt ex Conc. Trid. constat: ergo tam Deus, quàm etiam liberum arbitrium sunt duæ causæ partiales eiusdem dispositionis. II.

Confirmatur. Liberum arbitrium, cùm producit illam dispositionem, aliquid ex se operatur, aliàs esset tanquam inanime quoddam merè passiuè se habens,

habens, cuius oppoſitum definit Concilium Tridentinum, ſeſſione 6. decreto de iuſtificatione, ca. 5. & can. 4. ergo ratione proprij conatus liberi arbitrij conſurget intenſior diſpoſitio ad gratiam.

Quintò. Deus, cùm per gratiam non deſtruat, ſed perficiat naturam liberi arbitrij, ita ſe habet cum illo, vt ante receptionem gratiæ, & in ipſa receptione gratiæ, & poſt illam, ſuum locum proprium eidem arbitrio relinquat: ergo ita eſt auctor omnium bonorum, vt nihilominùs libero arbitrio propria induſtria, & laus conſeruetur; aliàs laudandus non eſſet homo, quia ſe diſpoſuit ad gratiam, ergo ex propria induſtria poterit quis ſe diſponere intenſiùs ad gratiam, quàm alius: ſtantibus in illis hominibus auxiliis gratiæ præuenientis omnino æqualibus.

Confirmatur. Euenire poteſt, & ſæpius contingit, quòd cum æqualibus auxiliis præuenientis gratiæ vnus, pro ſua libertate conuertatur; alius in peccato permaneat, aliàs non operarentur libere: ergo pro eadē libertate euenire poterit, quòd vnus illorum conuertatur intenſiùs, & melius ſe diſponat ad gratiam, quàm alius.

Sextò. Homo, & Angelus eodem prorſus modo ſe habent comparatione gratiæ, cùm neutri ſit debita per naturam: ſed Angelo data fuit maior gratia, ſecundùm maiorem perfectionem naturalium, vt 1. p. quæſt. 62. artic. 6. docet S. Thom. ergo & homini

Confirmatur: nam hac ratione S. Thomas ibi docet, Angelum perfectioris naturæ fuiſſe conſequutum maiorem gratiam, & gloriam, quia fortiùs, & efficaciùs ad Deum conuerſus eſt, eò quòd Angelus operatur ſecundùm vltimum potentiæ: ergo ſimiliter, quo aliquis homo pro innata ſua libertate maiori conatu in Deum conuertitur, conſequitur maiorem gratiam, quàm alius, cæteris paribus ex parte auxilij diuini.

Septimò. Vt docet Caietanus, tertia parte, quæſt. decima, articulo quarto, ſuper ſolutione ad ſecundum S. Thomæ, cum æquali lumine gloriæ intellectus perfectior perfectius videt Deum, quàm alius, qui habet intellectum minùs perfectum & ratio eſt, quia perfectior intellectus magis conatur ad videndum cum eodem lumine. Quod etiam videtur ſentire S. Thomas in eadem ſolutione ad ſecundum, vbi ait, quòd gradus in viſione beatifica attenduntur magis ſecundùm ordinem gratiæ, quàm ſecundùm ordinem naturæ; quibus verbis ſupponere videtur, quòd attendatur etiam ſecundùm ordinem naturæ, quamuis minùs principaliter; comparatiuè enim ſupponit poſitiuum: ergo eadem ratione cum æquali auxilio præuenientis gratiæ, vnus magis conabitur, quàm alius, meliúsque ſe ad gratiam diſponet, & ita conſequetur maiorem gratiam.

Confirmatur: nam cæteris paribus ex parte obiecti, & medij, & ex parte ſpeciei viſibilis, qui habet magis perfectum, & acutum viſum, perfectiorem elicit viſionem, quàm alius: ergo idem continget proportionabiliter in viſione beatifica, & in diſpoſitione ad gratiam.

III. Oppoſitam ſententiam cenſeo eſſe S. Auguſt. & S. Thom. locis infrà allegandis quam ſequuntur eorum diſcipuli. Pro cuius explicatione notandum, nos in hac parte loqui poſſe de quantitate, & perfectione primæ gratiæ habitualis, aut verò de augmento illius, & ſimiliter de diſpoſitione, qua liberum arbitrium mouetur à Deo, & excitatum ſe diſponit ad illam conſequendam. Et quidem, ſi res attentè inſpiciatur, eadem omnino ratio procedit de augmento gratiæ habitualis, quæ de prima illius infuſione. Si enim, ratione maioris conatus liberi arbitrij, infunditur alicui maior gratia iuſtificans, quam alteri; ſtantibus auxiliis æqualibus ex parte Dei; etiam poterit maius augmentum eiuſdem gratiæ conferri, ratione maioris conatus eiuſdem arbitrij. Vnde reſolutio huius controuerſiæ erit vniuerſalis, & procedet tam de infuſione primæ gratiæ habitualis, quam de eius augmento. Secundò ſupponendum eſt, ex ſupradictis, auxilia præuenientis gratiæ non menſurari ex quantitate præcedentis conatus liberi arbitrij, ſed ex mera, & gratuita voluntate Dei, qui occulto ſuo iudicio, ſed recto, quibuſdam maiora, quibuſdam minora præuenientis gratiæ donat auxilia.

IV. Intenſio tota actus ſuperueniens menſurat ſecundum intenſionē auxilij efficacis.

PRima ergo Concluſio ſit. Tota quantitas intenſionis actus, quo peccator proximè præparatur ad gratiam habitualem, menſuratur ſecundùm quantitatem auxilij præuenientis gratiæ efficacis. Itaque impoſſibile eſt, quòd ille, qui mouetur à Deo per auxilium efficax intentum, vt quatuor, producat, ob maiorem conatum arbitrij, diſpoſitionem intenſam, vt 6. ſed in vniuerſum maior, vel minor conatus arbitrij debet attendi ſecundùm quantitatem maioris auxilij, vel minoris, & illi æquari. Hanc concluſionem ſtatuit S. Thomas ſecunda ſecundæ, quæſt. 24. articulo 5. quærit enim ibi: Vtrùm charitas infundatur, ſecundùm capacitatem naturalem: & eadem ratio eſt de gratia habituali. & in corpore articuli inquit: *Quantitas charitatis non dependet ex conditione naturæ, vel ex capacitate naturalis virtutis: ſed ſolùm ex voluntate partis ſancti diſtribuentis ſua dona, prout vult.* Et in ſolutione ad primum inquit, *quod illa virtus, ſecundum quam ſua dona Deus diſtribuit vnicuique, eſt diſpoſitio vel præparatio præcedens, ſiue conatus gratiam accipientis. Et hanc etiam diſpoſitionem, vel conatum præuenit Spiritus ſanctus mouens mentem hominis plus, vel minus, ſecundum quam voluntatem* Quibus verbis ſatis aperte docet, conatum illum, & diſpoſitionem menſurari ex quantitate motionis Spiritus ſancti, plus, vel minus mouentis ſecundùm ſuam voluntatem. & idem docet 1. p. q. 62. art. 6. & in 1. ſent. d. 31. q. 1. art. 4.

Præterea probatur: Si habens auxilium gratiæ adiuuantis, vt quatuor, conuerteretur intenſione actus, vt 6. propter maiorem conatum liberi arbitrij, ſequeretur, quòd illa maior intenſio diſpoſitionis ſupra quantitatem auxilij, & ſimiliter exceſſus gratiæ habitualis, quantum ad iſtos duos gradus, eſſent tribuenda libero arbitrio, ſecundùm ſuam naturalem facultatem, & non adiutorio diuinæ gratiæ. Conſequens videtur contra illud 1. ad Corinth. 4. *Quis enim te diſcernit, quid habes, quod non accepiſti?* Item etiam ſequeretur, quòd liberum arbitrium poſſet ſeipſum inflare aduerſus Deum, & dicere: Gratias tibi Domine, quod me adiuuiſti auxilio, vt quatuor, ſine quo me ad gratiam diſponere non poteram; ſed gratias mihi, quòd me cōuerti, vt ſex, hæc enim maior intenſio mihi tribuenda eſt, & meæ induſtriæ quod etiam pugnare videtur cum auctoritate Apoſtoli inducta. Sequela probatur manifeſtè: nam actus, quoad illam maiorem intenſionem, non poteſt eſſe effectiuè ab auxilio gratiæ: nam auxilium, vt quatuor non poteſt eſſe principium effectiuum actus, vt ſex; quia non poteſt effectus excedere virtutem ſuæ cauſæ: ergo habens adiutorium gratiæ, vt quatuor, non poteſt producere actum intenſum, vt ſex: vel ſi producit, ille exceſſus non eſt ab auxilio, ſed ex naturali virtute arbitrij creati, & conſequenter quantùm ad illum exceſſum ſe diſcerneret viribus naturæ ab alio, qui cum æquali auxilio actum minùs intenſum produxit.

Reſpondent ad hoc argumentum, quòd tota illa intenſio, & exceſſus ille, ſimul, ac præcipuè eſt à Deo,

Digitized by Google

Deo, per auxilium gratiæ præuenientis: nam cauſa totalis illius intentionis non eſt ſolùm auxilium, nec ſolum liberum arbitrium, ſed liberum arbitriũ ſimul cum auxilio. Effectus autem poteſt excedere virtutem ſuæ cauſæ partialis, non autem virtutem ſuæ cauſæ totalis. Vnde liberum arbitrium vnius diſcernit quidem ſeipſum ab alio, non per aliquid, quod ita ſit proprium, vt principaliter nõ ſit à Deo, ſed per aliquid, quod ita eſt proprium, vt ſecundum omnem rationem, & formalitatem, ſit principaliter à Deo per auxilium præuenientis gratiæ.

Sed contrà: nam liberum arbitrium ex ſua naturali facultate nullam habet virtutem proximam actiuam in ordine ad actum ſupernaturalem, quo proximè ad ſuam iuſtificationem præparatur, ſed illam accipit ex auxilio excitantis, & adiuuantis gratiæ, ex quo, tanquam ex prima radice procedit, quòd ſuum adhibeat influxum, & conſenſum: ergo etiam liberum arbitrium cum auxilio non poteſt producere magis intenſam diſpoſitionem ad gratiam, quàm ſit intenſum auxilium Dei mouentis: vel ſi produceret, à ſeipſo id efficit, & non ex adiutorio gratiæ, & ita ipſe homo ſe diſcernit ab alio, per aliquid proprium, quod, vt emanat à libero arbitrio, non accipit ex gratia. Nec ſatisfacit ſolutio data, quòd ſolus Deus ſit, qui principaliter per auxilium gratię illum diſcernat: nam etiam Fauſtus, qui contra doctrinam ſancti Auguſt. vt ſuprà vidimus, ſcripſit, aſſerebat, gratiam habere ſemper primas partes in operibus pertinentibus ad humanam ſalutem, vt patet ex dictis diſp. 2. num. 8.

Præterea arguitur contra eandem ſolutionem: nam ſi intelligat, quòd Deus per auxilium gratiæ præuenientis ſit cauſa principalis, quòd homo eliciat diſpoſitionem intenſam, vt ſex, ita ſcilicet, vt per idem auxilium efficiat actiuè propriè, quòd homo conuertatur intenſione actus, vt ſex; iam ille, qui cõuertitur intenſione actus vt ſex, habet maius auxilium præueniens, quàm alter, qui conuertitur, vt quatuor. Si verò intelligat, quòd Deus ſit cauſa principalis illius intenſionis, ad eum modum, quo duæ cauſæ partiales concurrunt ad trahendam nauim, quarum vna eſt maioris virtutis, & vehementiùs influit, quàm alia, ſicut intelligere videntur; contrà arguitur, quia in huiuſmodi cauſis partialibus, conatus, & influxus vnius non dependet effectiuè ex conatu, & influxu alterius; quamuis effectus dependeat ab vtraque: ſed vnaquæque cauſa per ſe, etiamſi ſit minùs principalis, adhibet ſuum proprium conatum, quem non accipit ex influxu, & conatu alterius; eò quòd vna cauſa non ſubordinatur alteri in cauſando: ergo ſi hoc modo ſe habent gratia, & liberum arbitrium; ſequitur, quòd liberum arbitrium habeat aliquem influxum proprium in illam diſpoſitionem intenſam, vt ſex, quem non accipiat ex influxu, & operatione præuenientis gratiæ. Sed ratione illius maioris influxus, ſe diſcernit ab alio, qui conuertitur, vt quatuor: nam alter cum auxilio eodem adiuuante voluit conari ſolùm, vt quatuor: ergo per aliquid ſibi proprium procedens ex innata arbitrij libertate, ſe diſcernit ab alio.

Gratia, & lib. arb. nõ ſunt cauſæ partiales ſupernaturales actus.

Confirmatur hoc inſigni quodam teſtimonio S. Auguſt. lib. de prædeſt. Sanctorum, cap. 5. vbi expendens prælallegatum locum Apoſtoli: *Quis enim te diſcernit?* inquit: *Nunquid per hæc dona, quæ omnibus communia ſunt hominibus, priùs dixit: Quis enim te diſcernit? & deinde addidit: Quid habes, quod non accepiſti? Poſſet quippe dicere homo inflatus aduerſus alterum: Diſcernit me fides mea, iuſtitia mea, vel quid aliud. Talibus occurrens cogitationibus bonus Doctor ingerit: Quid autem habes, quod non accepiſti? à quo, niſi ab illo, qui te diſcernit ab alio, cui non donauit, quod do-*

A *nauit tibi?* Quibus verbis ſatis apertè docet, nihil habere hominem à ſeipſo, quo diſcernatur ab alio etiam minus principaliter, quod non acceperit ex dono gratiæ: ergo, ſecundùm Auguſtinum, qui intenſius conuertitur, accipit à Deo aliquod auxilium adiuuantis gratiæ magis intenſum, quàm alius.

Secundò probatur noſtra concluſio. Nam communiter ſancti Patres docent contra humanam ſuperbiam, quidquid boni reperitur in homine, referendum eſſe in ſolum Deum, tanquam in primum auctorem; & non in liberum arbitrium, dicit enim S. Cyprianus libro 3. ad Quirinum, cap. 11. *In nullo gloriandum, quando noſtrum nihil eſt*, quę verba refert, atque confirmat S. Auguſtinus, libro de dono perſeuerantiæ, cap. 6. *Tutiores*, inquiens, *viuimus, ſi... Deo demus, non illi ex parte, & nobis ex parte.* Et in Enchir. ad Laurentium, c. 32. explicans illud Apoſt. *Non volẽtis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei &c.* poſtquam retulit, & impugnauit quandam explicationem, quam diſp. 97. num. 7. commemorabimus, ſic concludit: *Reſtat, vt propterea dictum rectè intelligatur, non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, vt totum Deo detur qui hominis voluntatem bonam & præparat adiuuandam, & adiuuat præparatam.* Et Greg. Nazianz. in quadam hom. ſuper c. 19. Matth. explicans illud. *Non eſt volentis, &c.* inquit: *Quoniam velle ipſum à Deo quoque eſt, iure optimo totum Deo aſſignauit.* Et S. Anſelm. lib. de concordia prædeſt. & lib. arbitr. paulò poſt principium. *Totum*, inquit, *imputandum eſt gratiæ, qui nec volentis eſt, quod vult, nec currentis, quod currit, ſed miſerentis Dei.* Et S. Bernar. in tract. de gratia, & libero arbitrio, ait: *Non partim gratia, partim liberum arbitrium; ſed totum ſingula opere indiuiduo peragunt: totum quidem hoc, & totum illa; ſed vt totum in illo, ſic totum ex illa:* ergo totus conatus, quo liberum arbitrium ſe præparat ad gratiam, & tota intenſio illius referenda ſunt in auxilium gratiæ adiuuantis. Alia loca ſanctorum Patrũ, quæ noſtram confirmant ſententiam, in ſolutionibus argumentorum adducemus.

Deo totũ eſt tribuẽdum.

Confirmantur hæc omnia argumentis, quibus diſp. 85. manifeſtum fiet, gratiam, & liberum arbitrium non eſſe cauſas partiales piæ operationis, ſed totales in ſuo genere, quarum vna ſubordinatur alteri. Idipſum confirmant argumenta, quibus diſput. 108. oſtendemus, eſſe impoſſibile, vt ſtantibus auxiliis omnibus præueniẽtis gratiæ æqualibus in duobus hominibus, vnus conuertatur, & alter non. Si enim, qui conuertitur, accipit à Deo nouum aliquod auxilium, quod non eſt datum illi, qui non conuertitur; ſequitur, eadem ratione, maius, ſeu intenſius auxilium datum fuiſſe à Deo illi, qui intenſiùs conuertitur, quàm fuerit collatum ei, qui minùs intenſe operatur.

Tertiò probatur: nã quando mouens eſt infinitæ virtutis, cuius voluntati nullus poteſt reſiſtere, tãta intenſione mouetur mobile, quanta mouẽs mouet: ergo, ſi voluntas humana mouetur, vt ſe moueat intenſione, vt ſex, auxiliũ adiuuantis gratiæ, quo Deus mouet efficaciter eandem voluntatem ad liberum conſenſum, debet eſſe intenſum, vt ſex: ergo non ſtat, quòd aliquis habeat auxilium gratiæ adiuuãtis, vt quatuor; & ipſe pro innata ſua libertate conuertatur ad Deum intenſione, vt ſex, aut etiam intenſione, vt duo, vel tria; ſed ſemper conuertetur intenſione, vt quatuor, iuxta quantitatem auxilij.

Secunda Concluſio. Tota quantitas habitualis gratiæ, quæ infunditur peccatori, tandem menſuratur iuxta quantitatem motionis diuinæ, ſiue auxilij gratiæ adiuuantis. Hæc concluſio ſequitur ex prima per euidentem cõſequentiam: nam gratia menſuratur iuxta quantitatem præparationis liberi arbitrij;

Digitized by Google

bitrij; & ipſa præparatio menſuratur iuxta quantitatem auxilij gratiæ adiuuantis, vt oſtenſum eſt in concluſione præcedenti. ergo de primo ad vltimum, quantitas gratiæ habitualis menſuratur ex quantitate eiuſdem auxilij.

VII. Gratiæ habitualis quantitas in adultis tandé menſuratur ſecundùm quantitaté auxilij diuini.

Secundò probatur ex illo ad Epheſ. 4. *Vnicuique noſtrùm data eſt gratia ſecundùm menſuram donationis Chriſti.* Et 1. ad Corinth. 12. *Hæc autem omnia operatur vnus, atque idem ſpiritus diuidens ſingulis, prout vult:* ergo ex voluntate diuina, & motione gratiæ ipſius, menſuratur gratia in adultis, & non ex aliqua virtute naturali: gratia enim excedit omnem naturalem virtutem, & præparationem humanam, vt ſuprà dictum eſt.

VIII.

AD primum reſpondetur cum ſancto Thoma ſecunda ſecundæ, quæſtione 24. articulo 3. ad primum, quod illa virtus, ſecundùm quam ſua dona Deus dat vnicuique, eſt diſpoſitio, vel præparatio præcedens, ſiue conatus gratiam accipientis; ſed hanc etiam diſpoſitionem, vel conatum præuenit Spiritus ſanctus mouens vel plus, vel minùs ſecundùm ſuam voluntatem, vt ſuprà dictum eſt. Confirmari poteſt, & explicari hæc ſolutio ex alia parabola Euangelij, in qua habetur, quòd, qui à Deo accepit quinque talenta, ſuperlucratus eſt alia quinque, & qui duo taléta accepit, ſuperlucratus eſt alia duo. Non enim ait: *Domine, quinque tradidiſti mihi, & lucratus ſum octo*, vel *tria*, ſed *lucratus ſum alia quinque*: neque inquit, *tradidiſti duo, & lucratus ſum vnum*, vel *tria*, ſed *lucratus ſum alia duo*, iuxta menſuram talenti traditi. In quo deſignatur, quòd iuxta quantitatem motionis diuinæ quæ per talentum à Deo traditum deſignatur, menſuratur quãtitas cooperationis arbitrij, per quam lucratur homo vitam æternam, & meretur intrare in gaudium domini ſui.

IX. Actus dupliciter dicitur proprius hominis.

Ad ſecundum reſpondetur, dupliciter aliquam diſpoſitionem poſſe dici propriam alicuius: primo modo, quia eſt ab illo, & non ab alio, gratis donata, vel accepta; & in hoc ſenſu nulla diſpoſitio ad gratiam eſt propria hominis: quia quidquid habet homo, eſt acceptum à Deo, vt ſupra dictum eſt. Secundo modo dicitur propria, quia videlicet eſt à principio intrinſeco & liberè elicita ab iſto, & non ab alio homine: & in hoc ſenſu vnuſquiſque recipit gratiam ſecundùm propriam diſpoſitionem, & cooperationem, quam tamen accipit ex dono gratiæ præuenientis, & mouentis efficaciter liberum arbitrium, vt dictum eſt. Et iuxta hanc doctrinam intelliguntur verba Concilij Tridentini, vt explicat Bañes 2.2. quæſt. 24. art. 3. ad 1. Eandem doctrinam proſequitur S. Thom. ſuper cap. 25. Matth. & colligitur ex ſancto Auguſtino libr. 1. retractationum, vbi retractans id, quod in expoſitione quarundam propoſitionum ex epiſtola ad Rom. cap. 23. dixerat, ſcilicet, *quod credimus, noſtrum eſt, quod autem bonum operamur, illius eſt, qui credentibus dat Spiritum ſanctum*: inquit: *Vtrumque ergo noſtrum eſt propter arbitrium voluntatis, & vtrumque tamen datum eſt per Spiritum fidei, & charitatis.* Et ſermone ſecundo de Aſcenſione Domini, qui eſt 175. de tempore, ait: *Non extollamur, nec de noſtris, quaſi de propriis meritis præſumamus.* Quibus verbis aperte docet, merita noſtra non ita eſſe propria, vt ſint in nobis ex nobis. Sunt ergo propria, quoniam à nobis liberè efficiuntur. Sed hoc noſtrum non erit noſtrum, niſi Deus dederit.

Circa finé §. cum præ byter,

Ad tertium reſpondetur, quòd liberum arbitrium motum à Deo, & excitatum auxilio ſpeciali, eſt quidem cauſa libera actus, quo ſe ad iuſtificantem gratiam diſponit: non tamen eſt prima cauſa illius, ſed proxima, atque adeò ſubordinata motioni ipſius Dei, qui eſt prima cauſa ſimpliciter: vnde, ſecundùm quantitatem motionis diuinæ, erit intenſus actus liberi arbitrij.

Ad quartum reſpondetur, quòd auxilium gratiæ, & liberum arbitrium non ſunt duæ cauſæ partiales præparationis ad gratiam, ſed quælibet eſt totalis in ſuo genere, quarum vna ſubordinatur alteri, vt diſp. 85. manifeſtum fiet.

Operari ex ſe accipitur dupliciter.

Ad confirmationem reſpondetur, quòd operari ex ſe accipitur dupliciter: primo modo pro hoc, quod eſt operari aliquid à principio intrinſeco ſe mouente: & iſto modo voluntas, dum conſentit, & producit præparationem ad gratiam, aliquid operatur ex ſe. Secundo modo accipitur pro eo, quod eſt operari cum excluſione alterius prioris principij extrinſeci, impuentis, & iſto modo voluntas nil operatur ex ſe ipſa, ſed ex motione Dei, iuxta quã menſuratur ipſe influxus voluntatis, vt dictum eſt. Hæc ſolutio colligitur ex S. Th. 1. p q. 105. art. 4. ad 2. & 3. vt diſp. 96. patebit.

X.

Libero arbitrio in quo ſenſu Deus relinquat propriam induſtriã, & laudem.

Ad quintum reſpondetur, quòd Deus ante receptionem gratiæ, & in ipſa receptione gratiæ, & poſt receptionem gratiæ, relinquit proprium locum libero arbitrio: quatenus videlicet illud non cogit, aut neceſſitat neceſſitate abſoluta, ſed ſemper illud mouet libere iuxta conditionem ſuæ naturæ. Vnde liberum arbitrium in opere ſuæ iuſtificationis habet quidem ſuam propriam laudem, & induſtriam, ſecundum quod libere perducit diſpoſitionem ad gratiam, ſcilicet ipſum velle. Sed tamen ſicut velle non habet à ſeipſo, ſed illud accipit ex dono gratiæ, iuxta verbum Apoſtoli ad Philipp. 2. *Deus eſt enim, qui operatur in nobis velle, & perficere*; ita etiam laudem illam, & induſtriam non habet liberum arbitrium à ſeipſo, ſed ex dono gratiæ, vt *qui gloriatur, in Domino glorietur*, & non in ſeipſo. Dicitur enim Iſaiæ 42. *Gloriam meam alteri non dabo.* Quæ verba exponens S. Bernard. in ſermone de triplici gloria, inquit: *Nouerat Apoſtolus gloriam propriam eſſe Creatoris, qui dicit: Gloriam meam alteri non dabo: ſed conſideranit, rationalem naturam adeò affectare gloriam, vt aut vix, aut nunquam ab hoc compeſci deſiderio poſſit. Propterea ſecundùm datam ſibi à Deo ſapientiam, ſaluberrimum adinuenit conſilium, dicens: Quandoquidem perſuaderi nobis non poteſt non gloriari, ſaltem qui gloriatur, in Domino glorietur.* Hanc ſolutionem proſequitur latiſſimè S. Proſper libr. contra Collatorem, ca. 36. 37. 38. vbi reprehendit Caſſianum, quia dixerat, in his, quæ pertinent ad pietatem, aliquid eſſe tribuendum libero arbitrio, quod non eſſet acceptum ex dono gratiæ: loquens enim Caſſian. collat. 13. cap. 14. de patientia Iob, inquit, quòd gratia Dei non ita illum à diaboli impugnatione protexit, vt nullum virtuti humanæ relinqueret locum. Et inferiùs explicans illud Matth. 8. *Non inueni tantam fidem in Iſrael*, ſubdit: *Nullius enim laudis eſſet, aut meriti* (ſcilicet Centurionis fides) *ſi id in eo Chriſtus, quod ipſe donauerat, præſtiſſet. Alioquin dixiſſet: Non dedi tantam fidem Iſraël.* Et poſt pauca explicans illud Gen. 21. *Tentauit Deus Abrahã*, inquit: *Non enim illam fidem, quam ei Dominus inſpiraurat, ſed illam, quam vocatus ſemel, atque illuminatus à Domino, per arbitrij libertatem poterat exhibere, experiri voluit diuina iuſtitia.* Quibus verbis aliquid attribuit libero arbitrio, non donatum ex gratia adiuuante. Hanc doctrinam impugnat S. Proſp. & inter alia conſideratione digna, quæ docet in ca. 36. cit. inquit: *At ex iqua concluſione penè totum in Pelagianum dogma confirmas, dicendo: Nullius enim laudis eſſet, aut meriti, ſi id in eo Chriſtus, quod ipſe donauerat, præſtiſſet.* Et idé repetit c. 37. & 38. Sed de his plura dicta ſunt ſuprà. Ad confirmationem negatur antecedens, de quo ex profeſſo erit agendum diſp. 108.

Caſſiani error circa vires arbit. impugnatur.

Ad

XI. Angelis collata eſt gratia ſecundũ quantitatẽ naturalium hominũ item.

Ad ſextum reſpondet S.Th.1.p.qu.62.art.6.ad 3. quòd non eſt eadem ratio de homine, & Angelo: & differentia conſiſtit in hoc, quòd Angeli ſpecie differunt inter ſe, homines autem ſolo numero. Differentia autem ſecundùm ſpeciem eſt per formam, ſed differentia ſecundum numerum eſt per materiam. Vnde Deus, ſecundùm ordinem ſuæ ſapientiæ, voluit miſericorditer Angelis dare auxilium gratiæ maius vel minus, ſecundum maiorem, vel minorem perfectionem naturæ, vt ſuprà explicatum eſt. In hominibus autem non ſeruauit huiuſmodi proportionem. Vnde tam in Angelis, quàm in hominibus quãtitas conuerſionis in Deum, per quam ſe præparauerunt ad gratiam, deſumitur ex quantitate auxilij diuini. Non enim ſe præparauerunt Angeli ad gratiam per conuerſionem naturalem in Deum, ſed per ſupernaturalem, quæ ſubinde menſurati debuit, iuxta quantitatem motionis Spiritus ſancti, ſicut menſuratur in nobis. Veruntamen (vt dictum eſt) Angelis perfectioris naturæ voluit Deus intenſius auxilium conferre, vt maiorem conſequerentur gratiam, & gloriam. Sed de hoc agunt Thomiſtæ ex profeſſo 1.p.q.62.citata. Videatur S.Thom.1.2 quæſt.24.artic. 3.ad 5.& ibi Caietanus. Et per hæc patet ad confirmationem.

Ad ſeptimum argumentum in diſput.ſeq. reſpondendum erit ex profeſſo.

Ad confirmationem negatur conſequentia: nam potentia viſiua eſt ſecundum ſe eiuſdem ordinis cũ actu viſionis, & ex ſua natura habet virtutem proximam actiuam, ad videndum quodcunque obiectum C viſibile: ſpecies autem requiritur ex parte obiecti, vt vniatur cum potentia. Cæterùm intellectus creatus ſine lumine gloriæ nullam habet virtutem proximam actiuam in ordine ad viſionem beatificam, ſed ſolùm radicaliter, vt patebit diſputatione ſequenti, eò quòd illa viſio eſt ſuperioris ordinis. Vnde non eſt ſimile.

DISPVTATIO LXIII.

Vtrùm intellectus naturaliter perfectior, cùm æquali lumine gloriæ producat actum viſionis beatificæ magis intenſum, quàm alius.

I. PARTEM affirmatiuam tenet Scotus in 4.diſt.50.quæſtione 6.Durandus in 3.diſt.14.quę.1.ad vltimum arg.Ricard.in 4.diſtinctione 49.art.2.quæſt.8.Ioann.Maior ead.diſtinct.quæſtio.10.ad 2. Olchot in ſuis determinationibus, quæſtione 8. articulo 1. ad quartum, & pro eadem ſententia refertur Caietan.3.parte quæſtione 10.art. E 4. Eam ſequuntur quidam recentiores Theologi, & arbitrantur, hanc ſententiam eſſe conſonam principiis Theologiæ, & veritati. Probatur hæc ſententia

Primò auctoritate S.Thom.3.parte citat.articulo 4.ad 2.vbi ait, *quòd gradus in viſione beatifica attenditur magis ſecundum ordinem gratiæ, quàm ſecundum ordinem naturæ.* Sentit ergo, quòd etiam attendatur ſecundùm ordinem naturæ, quamuis minùs principaliter: illud enim comparatiuum, *magis*, præſupponit poſitiuum.

Arguitur ſecundò. Intellectus, per ſuam naturalem virtutem, verè concurrit actiuè ad viſionem beatifi- A cam (vt docet S.Thom.parte 2. quæſtione 4.articulo 2.) ergo aliquid confert ad illam: ergo, cæteris paribus, quò fuerit perfectior intellectus, eò erit viſio beatifica perfectior. Si dicatur, quòd intellectus ex naturali virtute nullam habeat actiuitatem proximam reſpectu viſionis beatificæ, ſed totam participet à lumine gloriæ; & ideo, iuxta quantitatem luminis gloriæ, debet menſurari viſio beatifica; contra hoc

Arguitur tertiò. Sicut lumen gloriæ eſt tota virtus ad videndum Deum, ita habitus fidei eſt tota virtus proxima ad credendum: etenim vterque actus excedit facultatem naturæ, & quantùm ad ſubſtantiam, & quantùm ad modum, vt patebit infrà, ſed Diſput.65. melior intellectus cum æquali lumine fidei, meliùs B penetrat myſteria fidei, & aliquando producit actum intenſiorem ipſo habitu: ergo ſimiliter intellectus perfectior cum æquali lumine gloriæ producet viſionem beatificam magis intenſam, quàm intellectus imperfectus.

Quartò. Species intelligibilis determinat intellectum poſſibilem, & eius actiuitatem ad talem cognitionem, ſicut lumen gloriæ determinat intellectum ad viſionem beatificam; ſed intellectus perfectior cum eadem ſpecie perfectiùs intelligit idem obiectum, quàm alius intellectus minùs perfectus: ſicut cum eadem ſpecie viſibili, meliùs videt cæteris paribus, potentia viſiua auctior, & perfectior: ergo.

Quintò. Quando duæ cauſæ partiales concurrũt ad eundem numero effectum, quò altera illarum eſt C perfectior, eò perfectiùs influit, & perfectior producitur effectus, vt patet, ſi duo luminoſa applicentur diaphano: eò enim perfectiùs illuminant, quò alterum luminoſum fuerit perfectius; ſed virtus naturalis intellectus, & lumen gloriæ concurrunt, tanquam duæ cauſæ partiales ad viſionem beatificam: implicat enim, quòd reſpectu eiuſdem effectus dentur duæ cauſæ particulares, & quòd quælibet ſit totalis: ergo.

Sexto. Si cum medio demonſtratiuo, concurrat medium probabile, producitur actus ſcientiæ eò intenſior, quò medium fuerit efficacius: ergo incrementum alicuius partis totius cauſæ conducit ad D intenſionem maiorem effectus, etiam quando effectus eſt ſupra facultatem alicuius partis cauſæ talis: ergo melior intellectus cum æquali lumine gloriæ, producet viſionem magis perfectam.

Septimò. Viſio beatifica, inquantùm eſt formaliter actio vitalis, non procedit à lumine gloriæ, ſed à potentia naturali, ſecundùm ſuam naturalem virtutem. Hac enim ratione actio dicitur vitalis, quia procedit à potentia vitali: lumen autem gloriæ non eſt potentia vitalis, ſed ipſe intellectus: ergo; quò potentia naturalis fuerit perfectior, eò, cæteris paribus, perfectiorem actum producet.

Oppoſitam ſententiam tenet S.Thom.1.parte qu. 12.articulo 6.ad 3.& 3. contra Gentes cap.58.M. Soto in 4.diſtinctione 49. quæſtione 3. articulo 2. Medina 1.2.quæſtione 3.articulo 2. dub.3. ad quintum. Zumel 1.parte citata, diſputatione 1. concluſione 2. & M.Bañes, & omnes Thomiſtæ, & eſt adeò certa, vt oppoſita nullam probabilitatem habeat, Pro cuius explicatione

Notandum primò, quòd dupliciter vna actio eſſe poteſt perfectior alia: primo modo intrinſecè, quia videlicet eſt perfectior ſecundùm intenſionem actus, aut ſecundùm aliam perfectionem illi intrinſecam, vt ſecũdùm claritatem, vel aliquid huiuſmodi. Secundo modo extrinſecè, quia videlicet elicitur à

III. Actio vna poteſt dupliciter eſſe alia perfectior.

perfectiori ſuppoſito, habente nobilius eſſe: in quo ſenſu S. Thomas p. 1. quæ. 4. articulo 5. in corp. docet quòd poſt reſurrectionem, quando anima vnietur corpori, viſio beatifica cuiuſcunque beati erit perfectior, quàm nunc ſit, cùm anima eſt ſeparata a corpore. Et ratio S. Thom. eſt, quoniam, cum operatio dependeat ex natura, quantò anima erit perfectior in ſua natura, tantò perfectiùs habebit ſuam propriam operationem, eam præſertim in qua fœlicitas conſiſtit.

Quantitas viſionis beatæ in adultis correſpondet quantitati meritorum

Notandum eſt ſecundò, quòd in adultis quantitas viſionis beatificæ debet correſpondere quantitati meritorum. Hoc fundamentum eſt de fide: habetur enim definitum in Concilio Florentino in decreto fidei; vbi dicitur: Animas ad plenum purgatas in cœlum mox recipi, & intueri clare ipſum Deum trinum, & vnum, ſicuti eſt: pro meritorum tamen diuerſitate, alium alio perfectius. Quod etiam colligitur ex Apoſtolo dicente: *Reddet vnicuique ſecundum opera eius*; & in Euangelio id ipſum dicitur ſæpiſſimè. Sit ergo

Rom. 2.

IV.

PRima Concluſio. Perfectione extrinſeca, quæ deſumitur ex maiori perfectione ſuppoſiti elicientis viſionem beatificam, nullum eſt inconueniens concedere, quòd intellectus perfectior, cum æquali lumine gloriæ, producat actum viſionis beatificæ perfectiorem. Hæc concluſio videtur expreſsè S. Thom. parte 2. cit. & quantum ego exiſtimo, illam duntaxat intendit docere Caiet. vbi ſuprà, & ideò nunquam dixit, quòd intellectus perfectior poteſt cum æquali lumine gloriæ producere actum viſionis beatificæ magis intenſum, ſed magis perfectum; quod explicari poteſt de perfectione extrinſeca.

Viſio beatifica nobilioris intellectus eſt extrinſecè perfectior cæteris paribus viſione intellectus minùs perfecti.

Probatur concluſio ratione S. Thomæ. Anima coniuncta corpori habet perfectius eſſe, quàm ſeparata, & ſimiliter vna anima habet perfectius eſſe indiuiduale, quàm alia: ſed operatio ſequitur ad eſſe: ergo, ex parte ſuppoſiti elicientis, viſio beatifica vnius poteſt eſſe perfectior perfectione extrinſeca viſione beatifica alterius, etiamſi lumen gloriæ ſit æquale. Idem argumentum poteſt fieri de Angelo: cùm enim eſſe Angeli ſit nobilius, quàm eſſe creatum cuiuſcunque animæ, ex hac parte viſio beatifica illius erit perfectior viſione beatifica hominis, cæteris paribus, ex parte luminis gloriæ.

Secunda Concluſio. Intellectus quantumuis perfectus, etiam ſupremi Angeli, cum æquali lumine gloriæ, non videbit perfectiùs Deum, perfectione intrinſeca actus, quæ deſumitur ex parte intenſionis, aut claritatis viſionis. Probatur

V.

Primò: nam ponamus caſum, quòd Angelus, & homo habeant æquale lumen gloriæ, & æqualia merita, vel ſint duo homines habentes æqualia merita; vnus tamen ex illis ſit perfectiſſimi intellectus, ſecundùm virtutem naturalem: alius verò habeat intellectũ valdè imperfectum: tunc eſt argumentum: Omnibus iſtis habentibus æqualia merita dabitur in Patria lumẽ gloriæ æquale, cùm illud lumẽ detur propter merita: ergo, ſi cum æquali lumine, intellectus perfectior ſecundùm naturã, intẽſiùs, vel clariùs videt Deum: ſequitur, quòd ille exceſſus correſpondeat naturæ, non autem meritis: & ita vnus alio perfectiùs videret Deum, non pro meritorum diuerſitate, ſiquidem merita fuerunt omnino æqualia, vt ſupponimus: ſed pro diuerſitate naturæ, quod videtur contra Concilium Florentinum, vbi ſuprà, & contra veritatem: nam ſequeretur, quòd ille exceſſus gloriæ nó daretur ex gratia, neque ex meritis Chriſti, ſed procederet ex natura, quod eſt contra illud Romanorum ſexto, *Gratia autem Dei vita æterna.*

Intellectus perfectior cũ æquali lumine gloriæ nõ producit viſionem beatificam magis intenſã

Ad hoc argumentum, quod vehementer torquet auctores oppoſitæ ſententiæ, duas adhibent ſolutiones. Prima ſolutio eſt, quòd in caſu poſito, Angelo, vel homini, habentibus perfectiorem intellectum naturalem dabitur minus lumen gloriæ, quàm alteri homini imperfectioris intellectus: quia minus lumen gloriæ ſufficit ad conſequendum præmium æquale ipſis meritis. Itaque quantùm vnus ex illis ſuperat alium in facultate naturali intellectus, tantum ab alio ſuperabitur in lumine gloriæ, & ita æqualibus meritis correſpondebit in illis æqualis viſio beatifica.

Hæc tamen ſolutio non videtur ſubſiſtere. Primò: nam etiam lumen gloriæ datur adultis in præmium meritorum, cum ſit terminus operationis procedentis ex gratia: ergo, ſi habentibus æqualia merita datur inæquale lumen gloriæ, iam aliquod præmium non dabitur adultis, iuxta quantitatem meritorum: quod eſt contra Concilium Florentinum, vbi ſuprà. Secundò. nam aliàs ſequeretur, eſſe melioris conditionis in Patria, cæteris paribus, illum, qui habet intellectum minus perfectum, quàm ſit Angelus, vel alius homo perfectiſſimi intellectus: nam habebit in Patria maiorem ornatum ſupernaturalem; ſiquidem perfundetur maiori lumine gloriæ. Tertiò: nam habitus & actus charitatis proportionantur in Patria lumini gloriæ ergo, ſi habenti minus perfectum intellectum datur maius lumen gloriæ, etiam debet dari maior charitas, & ita magis diliget Deũ, quàm alter perfectioris intellectus habens merita æqualia. Cum enim habenti perfectiorem intellectum detur minus lumen gloriæ, etiam debet illi dari minor charitas, & ita exiſtentibus in duobus æqualibus meritis, vnus in Patria intenſius diliget Deum, quam alius, & conſequenter haberet maiorem beatitudinem, quod tamen non poteſt admitti.

Hac ſolutione impugnata, adhibent ſecundam, & inquiunt, quòd in caſu poſito dabitur lumen gloriæ æquale habentibus merita æqualia, quamuis vnus ſit perfectiſſimi intellectus, vt Angelus, alius verò imperfecti. & gloria ſimiliter erit æqualis. Sed addit hæc ſolutio, ad diuinam prouidentiam pertinere, eo ipſo, quòd Deus ſtatuit perducere in ſuam beatitudinem homines habentes facultates naturalis intellectus, & voluntatis inæquales, conferre eis beatitudinem pro quantitate meritorum cuiuſque; cõpenſare inæqualitatem illam virium naturalium ipſorum ſuo influxu immediato, quo vna cum lumine gloriæ, & potentijs eorum influit in viſionem, amorem, & fruitionem: quod præſtabit, influendo tantò efficacius, eo influxu, quantum ſatis ſit, vt effectus ſint æquales. Ita enim fiet, vt vbi merita fuerint æqualia, non ſolum præmia eſſentialia æqualia ſint, ſed etiam lumen gloriæ, & habitus charitatis exiſtens in voluntate. Sed hæc ſolutio non euadit difficultatem propoſitam: arguitur enim contra illam: nam, cùm beati vtantur lumine gloriæ, ſecundùm virtutem potentiæ; auxilium Dei actuale debet eſſe proportionatum lumini gloriæ, alias eſſet miraculum, ſicut eſſet miraculum, quòd cum igne habente virtutem calefactiuam, vt olim, Deus ſolum concurreret auxilio actuali, vt ſic: ergo cum habentibus æquale lumen gloriæ, influit Deus in viſionem beatificam æquali auxilio actuali. Præterea: nam hæc ſecunda ſolutione non vitant inconuenientia, propter quæ reiiciunt, tanquam inſufficientem primam ſolutionem; quoniam iuxta illam, aliqua perfectio, vel intentio beatitudinis correſponderet naturæ, quæ nec procederet ex gratia, neque ex meritis Chriſti, quod ſic oſtenditur. Nam intellectus perfectior, cum æquali lumine gloriæ, perfectius influit in viſionem

Digitized by Google

ſionem beatificam, quàm alius intellectus minùs perfectus: ergo illa maior perfectio tribuitur maiori virtuti naturali intellectus: nam, vt ſupponimus, lumen gloriæ eſt æquale. Item etiam adhuc ſequitur, quòd habentibus æqualia merita detur præmium inæquale. Probatur: nam, cùm homo iuſtus per bona opera mereatur æternam beatitudinem, conſequenter etiam meretur, quòd Deus auxilio actuali ſimul influat cum eius intellectu, & lumine gloriæ in viſionem beatificam: ergo, ſi cum intellectu minus perfecto influit Deus maiori auxilio actuali, quam influat cum intellectu magis perfecto, ſtantibus meritis æqualibus, iam vni ex illis dabitur in præmium maior influxus Dei, quam alteri, & ita præmia manebunt inæqualia, & erit melioris conditionis ille, qui habebit intellectum minùs perfectum.

Secundò probatur concluſio. Nam, vt ſuprà oſtenſum eſt, lumen gloriæ eſt tota virtus proxima ad videndum Deum: ergo viſio beatifica non poteſt eſſe intenſior, quam lumen gloriæ, alias effectus excederet virtutem ſuæ cauſæ. Denique probatur omnibus argumentis, quibus ſupra oſtendimus, non poſſe contingere, vt cum æquali auxilio gratię adiuuantis, vnus intenſiùs operetur, & melius ſe ad gratiam diſponat, quàm alius.

VI. AD primum argumentum reſpondetur primò, quòd tantùm probat primam concluſionem. Quatenus verò cótra ſecundam videtur procedere, reſpondetur ſecúdò, illud aduerbium, *magis*, non accipi à S. Thoma cóparatiue, ſed aduerſatiue, vt colligitur ex aliis eius locis ſupra inductis, vbi manifeſte docet, quòd quantitas viſionis beatificæ non attẽditur ex perfectione naturali intellectus ſed ex lumine gloriæ. Et iſte modus loquẽdi eſt ſatis cõmunis, ſicut cùm dicitur, vitam ſtudioſam eſſe magis ſequendam, quàm vitioſam. Præterea reſpondetur, ſanctum Thomam ſolum ſignificare voluiſſe, ex maiori perfectione naturæ elicientis viſionem beatificam, deſumi quandam eius perfectionem extrinſecam, ex parte ſuppoſiti operantis, in eo ſenſu, quo 1. 2. q. 4. citata, ar. 5. in corp. docuit, quòd viſio beatifica erit perfectior in B. Petro, verbi gratia, poſt reſurrectionem, quando anima erit vnita corpori, quàm ſit modò, cùm eſt à corpore ſeparata: vt in prima concluſione dictum eſt.

Ad ſecundum reſpondetur, intellectum, vt eleuatum lumine gloriæ concurrere actiue ad viſionem beatificam; etenim, ſecundum ſe, nullam habet virtutem proximam actiuam. Vnde ex perfectione luminis gloriæ debet deſumi perfectio viſionis beatificæ, & non ex naturali perfectione intellectus.

VII. Intellectus melior cũ æquali auxilio non melius penetrat quæ ſunt fidei. Ad tertium reſpondetur, meliorem intellectum, cum æquali habitu fidei, non melius penetrare ea, quæ per ſe pertinent ad fidem, quam alium habentem intellectum minus perfectum, ſi vterque vtatur habitu ſecundum vltimum potentiæ. Verum eſt, perfectiorem intellectum penetrare melius ea, quæ poſſent cognoſci lumine naturali, ex quorum cognitione remouentur impedimenta fidei. Quando autem habens intellectum perfectiorem, prorumpit in actum magis intenſum ipſo habitu, illa maior intenſio non procedit a maiori conatu potentiæ, ſecundum ſuam virtutem naturalem, ſed a conatu eiuſdem potentiæ, vt adiutæ, & motæ à Deo maiori auxilio ſupernaturali. In Patria autem, quoniam Deus æquali auxilio actuali adiuuat habentes æquale lumen gloriæ, & æqualia merita, ideo ſemper producunt viſionem beatificam æqualem.

VIII. Intell. eius perfectior cum eadẽ ſpecie naturali perfectiorem intellectionẽ producit. Ad quartum negatur conſequentia; & ratio diſcriminis eſt; nam ſpecies naturalis eſt ſubordinata intellectui, cum ſit quaſi forma inſtrumentalis illius, in ordine ad cognitionem. Ideo melior intellectus perfectiori modo eleuat ſpeciem, & conſequenter producit magis perfectam cognitionem: ſicut cum eodem calamo eodem modo præparato, melius ſcribit vnus, quàm alius, quia melius, ac perfectius eleuat illud inſtrumentum. Cæterùm eſſentia diuina, in ratione ſpeciei intelligibilis, & lumen gloriæ non ſubordinantur propriè intellectui, quia non participant ab eo virtutem proximam, ſed potiùs communicant eam illi ad videndum Deum clare. Vnde non eſt ſimile.

Intellectus, & lumen gloriæ non ſunt duæ cauſæ partiales viſionis beatificæ. Ad quintum argumentum reſpondetur, intellectum, & lumen gloriæ non eſſe duas cauſas partiales viſionis beatificæ, ſed totales ſubordinatas. Intellectus enim eam producit, vt quod; & lumen gloriæ, vt quo nec eſt inconueniens, quòd, reſpectu eiuſdem effectus, dentur duæ cauſæ totales, quando ſunt prædicto modo ſubordinatæ, vt diſp. 85. manifeſtum fiet.

Medium probabile non intendit ſcientiam. Ad ſextum reſpondetur, quòd medium probabile non facit actum ſcientiæ eſſe magis intenſum, & perfectum intrinſecè: ſed ſolum confirmat, quaſi ab extrinſeco, ipſam ſcientiam, & remouet impedimenta, quæ illi poſſent obſtare: ſicut ratio naturalis inducta ad ea, quæ ſunt fidei, confirmat ab extrinſeco ipſam fidem. Proportionabiliter dicimus in præſenti, quòd maior perfectio naturalis intellectus non conducit, cæteris paribus, ad hoc, quòd viſio beatifica ſit intrinſecè magis perfecta; ſed ſolùm extrinſecè, vt dictum eſt.

Ad ſeptimum reſpondetur, vitalitatem proximam viſionis beatificæ procedere, vt quo, à lumine gloriæ, vt diſputatione ſequenti manifeſtum fiet.

Per hæc manet ſolutum ſeptimum argumentum factum diſputatione præcedenti. Dicimus enim, quòd ſicut tota intenſio actus ſupernaturalis menſuratur ex quantitate efficacis auxilij: ita ſimiliter tota intẽſio viſionis beatificæ menſuratur iuxta intenſionem luminis gloriæ. Nec docet oppoſitum Caietanus, aut S. Thom. vt ex ſupradictis conſtat.

Secundò reſpondetur, quòd reſpectu gratiæ ſunt ſpecialia loca Scripturæ, Summorum Pontificum, & Conciliorum, ac ſanctorum Patrum auctoritates, quæ cogunt nos, vt aſſeramus, in opere ſuæ iuſtificationis, nihil habere hominem à ſeipſo, quod ex dono præoperátis gratiæ non acceperit, à quo etiam habet, quòd conſentiat cum tali intentione, vel tali. Cæterùm de lumine gloriæ, & viſione beatifica non ſunt tot teſtimonia, quæ ita conuincant, perfectionem viſionis beatificæ nullo modo attendi ſecundùm naturalem perfectionem intellectus. Vnde multò magis falſum eſt, & magis improbabile aſſerere, quòd ratione maioris conatus liberi arbitrij, eliciat homo magis intenſam diſpoſitionem ad gratiam, cæteris paribus ex parte auxilij diuini: quàm aſſerere, cum æquali lumine gloriæ, intellectum perfectioris naturæ perfectiùs videre Deum, quàm videat alius minùs perfectus. Eſt exemplum huius differentiæ in anima rationali, & in Angelo: licet enim Angelus ſit perfectior ſecundùm ſuam naturã, quam anima rationalis nihilominùs magis certum eſt, animam rationalem eſſe immortalem, ſeu incorruptibilem, quàm ſit certum, Angelum eſſe incorruptibilem. nam de anima rationali ſunt peculiares definitiones Eccleſiæ, quæ tamen non ſunt de Angelo. Vnde, qui negaret immortalitatem animæ rationalis eſſet hæreticus: non autem qui negaret, Angelum eſſe natura ſua immortalem; ſed erraret in principiis philoſophicis, & ſimiliter erraret ſecundariò contra fidem.

Animam rationalem eſſe immortalem, eſt de fide.

DISPV-

Digitized by Google

DISPVTATIO LXIV.

Vtrùm visio beatifica, inquantùm est formaliter actio vitalis, procedat effectiuè, vt quo, à lumine gloriæ, an à solo intellectu, secundùm suam innatam virtutem.

I. EADEM difficultas procedit de actu fidei, respectu intellectus, & de actu charitatis, respectu voluntatis. Vtrùm videlicet formalis vitalitas, quæ in illis reperitur, procedat efficienter à sola potentia naturali intellectus, aut voluntatis; an verò necessariò debeat concurrere ad vitalitatem horum actuum principium supernaturale, videlicet habitus fidei, aut charitatis, aut aliud supernaturale principium.

Est enim circa hoc duplex sententia inter Thomistas. Prima asserit, quòd visio beatifica, inquantùm formaliter est actio vitalis, procedit effectiuè ab intellectu beati, secundùm suam naturalem virtutem, & non dependet, vt quo, à lumine gloriæ. Et probatur.

Primò: nam aliàs sequeretur, quòd beatus non esset causa principalis, sed instrumentalis visionis beatificæ, sicut aqua calida est causa instrumentalis calefactionis: consequens est falsum: ergo. Sequela probatur: Ideo aqua habens calorem, solùm calefacit instrumétaliter, táquam deferens virtutem principalis agentis; quia ex natura sua nullam habet actiuitatem ad calefaciendum, sed tota virtus est à calore, sibi communicato ab extrinseco: ergo, si intellectus per sua naturalia nullam habet virtutem actiuam ad videndum Deum, sed totam accipit à lumine gloriæ; erit causa instrumentalis, respectu visionis beatificæ.

II. Secundò. Lumen gloriæ non est simpliciter potentia, sed habitus: ergo non tribuit intellectui totum posse in ordine ad visionem beatificam: ergo saltem vitalitas illius actionis est à facultate naturali intellectus. Antecedens probatur. Id, quod lumen gloriæ addit potentiæ operatiuæ, non est potentia, sed habitus; aliàs potentia adderetur potentiæ, & subiectaretur in illâ; sed lumen gloriæ superadditur potentiæ intellectiuæ ad videndum Deum: ergo non est simpliciter potentia, sed habitus.

Confirmatur ex S. Thoma 1.par.quæst. 12 artic. 5. ad 1. vbi ait, quòd lumen gloriæ est necessarium ad videndum Dei essentiam, vt *intellectus fiat potens ad intelligendum per modum, quo potentia fit potentior ad operandum per habitum.* Sentit ergo S. Tho. quòd intellectus, secundùm se, habeat aliquam virtutem actiuam ad producendam visionem beatificam, saltem inquantùm vitalis est, & illa fiat potentior per lumen gloriæ.

Tertiò. Visio beatifica habet formaliter, quòd sit actio vitalis, quatenus procedit à principio intrinseco viuente, & se mouente ad talem actionem, vt patet ex S. Thom. 1.p.quæst. 18.artic. 1. & quæst. 4. de ver.art. 8. in corp. quibus in locis docet, quòd omne mouens se, quocunque motu, viuit propriè: nam vita, seu actio vitalis procedit à principio intrinseco se mouente. Sed visio beatifica procedit à principio intrinseco viuente; & se mouente, quatenus procedit ab anima secundùm suam naturalem virtutem, siue ab homine beato, in quo formaliter est vita, nó autem quatenus procedit à lumine gloriæ; quia lumen gloriæ non est principium intrinsecum vitale: A vita enim est in anima viuente: ergo secúdùm quòd procedit à naturali virtute ipsius animę, habet, quòd sit actio vitalis.

Quartò. Ita se habet lumen gloriæ in ordine ad visionem beatificá, sicut habitus fidei infusæ in ordine ad actum supernaturalem fidei: sed vitalitas actus fidei procedit ab anima, seu ab intellectu, secundum suam naturalem virtutem, & non ab habitu fidei: ergo similiter vitalitas visionis beatificæ. Minor probatur: nam fides infusa potest esse in peccatore, in quo nulla est vita supernaturalis: ergo in illo vitalitas actus fidei procedit à vita naturali, quam habet anima & intellectus secundùm se.

Arguitur vltimò. Actus visionis beatificæ non est purè supernaturalis: ergo est naturalis, quantùm ad B vitalitatem, ac per cósequens, vitalitas illius est à sola potentia naturali. Antecedens probatur: nam si esset pure supernaturalis, non posset produci ab aliqua creatura, tanquam à causa principali: etenim S. Thom. p. 2. quæst. 112. art. 1. in corp. ex eo probat, implicare contradictionem, quòd aliqua creatura sit causa principalis gratiæ: quia donum gratiæ est purè supernaturale, ac per consequens, excedit omnem facultatem naturæ creatæ. III.

Confirmatur: nam, si visio beatifica est purè supernaturalis: ergo principium eius effectiuum est purè supernaturale: ergo potentia naturalis intellectus nullo modo est principium effectiuum illius. Prima consequentia probatur: nam, vt docet Sanct. Thom. quæst. vnica, de vnione Verbi, artic. 5. in cor. actiones C specificantur ex principiis: ergo actio purè supernaturalis producitur, tanquam à causa principali, ac per consequens, intellectus non erit causa principalis illius visionis.

Secunda sententia est aliorum Thomistarum asserentium, non solùm substantiam actus visionis beatificæ, sed etiam vitalitatem illius procedere, vt quo, à lumine gloriæ: ita videlicet, vt intellectus creatus ex viribus naturæ nullam habeat actiuitatē proximam in ordine ad illum actum, secundùm quòd est vitalis tali vitalitate. Et quoniam hæc sententia est probabilior, pro eius explicatione notandum, quòd duplex est principium vitalitatis alicuius actus, aliud formale, & proximum, aliud radicale, & remotum. Principium radicale nihil aliud D est, quàm ipsa vita substantialis, quæ præsupponitur ad omnem operationem vitalem: principium autem proximum, & formale est ipsa potentia, per quam viuens operatur actionem vitalem. Sit ergo IIII.

PRima Conclusio. Vitalis fundamentalis, & remota, respectu visionis beatificæ, prouenit ab anima secundùm suam naturalem virtutem, vel ab intellectu, & voluntate. Hæc conclusio admittitur ab auctoribus vtriusque sententiæ, & eam probant argumenta facta à principio. Præterea probatur: nam vitalitas radicalis alicuius actus prouenit a vita substantiali, quæ præsupponitur, tanquam primum fundamentum ad operationem vitalem; sed huiusmodi vita est ab anima, secundùm suam naturalem virtutem: ergo Vitalitas radicalis, & remota actuum supernaturalium est à natura.

V.

Secunda Conclusio. Vitalitas proxima, respectu E visionis beatificæ, tota procedit à lumine gloriæ, tanquam à principio formali, & idem dicendum de vitalitate, quæ reperitur aliis in actibus supernaturalibus fidei, spei, & charitatis. Probatur primò. Vitalitas visionis beatificæ est supernaturalis, ergo procedit formaliter à principio supernaturali: sed intellectus, secundùm suam naturalem virtutem non habet, quòd sit principium supernaturale: ergo non procedit ab illo proximè, nisi vt elevato per lumen gloriæ. Antecedens probatur: nam illa vitalitas procedit ex gratia, & dono Dei, & ex natura

Vitalitas proxima, & formalis visionis beatificæ, procedit à lumine gloriæ.

tura ſua eſt indeficiens, vt patet ex illo Ioann. 10. *Ego vitam æternam do eis* : ergo probatur ſecundò: nam alias viſio beatifica eſſet eſſentialiter compoſita ex duplici entitate diuerſi ordinis; videlicet ex vtilitate naturali,& ex ratione ſpecifica ſupernaturali,quod eſt impoſſibile : nam omnia, quæ ſunt de quidditate alicuius,debent eſſe eiuſdem ordinis, & pertinere ad idem genus. Confirmatur. Omnes actus virtutis per ſe infuſæ ſũt ſupernaturales,nedũ quantùm ad modum, ſed etiam quantùm ad ſubſtantiam,vt docent communiter Thomiſtæ part. 1. 2 quæſt.63.quod infra diſp.65.fiet manifeſtum:ergo tã ſubſtantia,quam vitalitas eorũ procedit,vt quo,à virtute ſupernaturali ergo a fortiori,viſio beatifica. Probatur tertiò. Si intellectus haberet aliquam naturalem virtutem proximam, qua attingeret viſionem beatificam, quantùm ad vitalitatem ; ſequeretur, quòd perfectior intellectus, cum æquali lumine gloriæ, produceret magis perfectam, & intenſam viſionem beatificam, quam alius: conſequens eſt falſum, vt oſtenſum eſt diſputatione præcedenti : ergo. Sequela probatur : nam, iuxta oppoſitam ſententiam, intellectus,ſecundum ſuam naturalem virtutem, proximè confert aliquid actiuitatis in ordine ad viſionem beatam : ergo, cæteris paribus, quò intellectus fuerit perfectior, eò viſio beatifica erit ex hac parte magis perfecta, & intenſa. Confirmatur. Quoties principium effectiuum alicuius operationis eſt perfectius, operatio eſt magis intenſa, ſi agens vtatur illo principio, ſecundum vltimum potentiæ, ſed beatus vtitur ſuo intellectu, & lumine gloriæ ſecundùm vltimum potentiæ:ergo intellectus perfectior producit viſionem beatificam magis intenſam, cæteris paribus, ſi ex ſua naturali virtute producit vitalitatem illius actus:ergo hæc vitalitas eſt, vt quo, à principio ſupernaturali.

VI. Aqua calida ſolum inſtrumentaliter concurrit ad calefaciendum.

AD primum argumentum negatur ſequela. Ad probationem reſpondetur, non eſſe eandem rationem de aqua calida, reſpectu calefactionis, & de intellectu eleuato lumine gloriæ in ordine ad viſionem beatificam : eſt enim duplex differentia. Prima eſt : nam, aqua ſecundum ſuam naturam, nullam habet virtutem, neque actiuitatem, etiam radicalem, in ordine ad calefaciendum.imò potiùs oppoſita actio competit illi naturaliter : vnde in ordine ad calefactionem ſolum ſe habet, tanquam ſubiectum deferens virtutem principalis agentis; & ita ſolùm concurrit ad illam inſtrumẽtaliter. Cæterùm intellectus ſecundum ſuam naturam habet virtutem radicalem in ordine ad viſionem beatificam; quamuis tota virtus formalis proxima ſit a lumine gloriæ. Vnde ex ſe aliquid confert radicaliter in ordine ad illam viſionem ac per conſequens,non poteſt eſſe merum inſtrumentum. Secunda differentia eſt : nam aqua per calorem non eleuatur ad actionem aliquam intra adæquatam latitudinem propriæ actiuitatis, & obiecti proprij, ſed ſupra illam, ſicut eleuatur ſacramentum corporale ad cauſandam gratiam : vnde aqua calida ſolum inſtrumentaliter producit calefactionem. Intellectus autem creatus eleuatur per lumen gloriæ ad viſionem beatificam, quæ continetur intra latitudinem adæquati obiecti noſtri intellectus. Vnde intellectus non eſt ſimpliciter cauſa inſtrumentalis viſionis beatæ.

Hæc ſolutio habet fundamentũ in ſancto Thoma tertio contra Gentes, cap. 54. ad primum, vbi ait, quòd *diuina ſubſtantia non ſic eſt extra facultatem intellectus creati, quaſi aliquid omnino extraneum ab ipſo, ſicut eſt ſonus a viſu, vel ſubſtantia immaterialis a ſenſu : nam ipſa diuina ſubſtantia eſt primum intelligibile,& totius intellectualis cognitionis principium, ſed eſt extra facultatem intellectus creati,ſicut excedens virtutem eius : ſicut excellentia ſenſibilium ſunt extra facultatem ſenſuum. Vnde & Philoſophus ſecundo Metaphyſ. dicit, quòd intellectus noſter ſe habet ad rerum manifeſtiſſima, ſicut oculus noctuæ ad lucem Solis.* Quibus verbis ſatis aperte docet, Deum clare viſum contineri intra latitudinem obiecti noſtri intellectus. Tex. com. 1.

Ad ſecundum reſpondetur, lumen quidem gloriæ habere rationem habitus ſimpliciter : attingit tamen perfectionem potentiæ, cum ſit ſupremus inter omnes habitus. Supremum namque infimum attingit infimum ſupremi, ac per conſequens tribuit intellectui totam actiuitatem formalem, & proximam in ordine ad viſionem beatificam. **VII.** Habitus naturales attingunt perfectionem potentiæ.

Ad confirmationem ex ſancto Thoma reſpondetur ; illam ſimilitudinem non tenere in omnibus; ſed in hoc, quòd, ſicut habitus perficit potentiam in ordine ad obiectum, & propriam operationem; ita lumen gloriæ perficit intellectum, in ordine ad viſionem beatificam. Eſt tamen differentia in hoc, quòd habitus acquiſitus & eſt purus habitus, & nullo modo attingit perfectionem potentiæ ac per conſequens, non requiritur ad ſimpliciter operandum : & ideo non tribuit potentiæ totam actiuitatem proximam. Cæterùm lumen gloriæ, quoniam participat aliquid de ratione potentiæ, tribuit totam actiuitatem proximam intellectui in ordine ad viſionem beatificam. Quod etiam inſinuauit S. Thomas 1. p. citata, cùm ait, quòd lumen gloriæ requiritur, vt intellectus *fiat potens ad videndum* Deum : non enim inquit, vt fiat potentior, *ſed vt fiat potens* ſimpliciter.

Ad tertium reſpondetur, quòd viſio beatifica habet radicaliter, quòd ſit vitalis, quatenus procedit ab anima beati in qua ſubſtantialiter eſt vita: proximè autem id habet à lumine gloriæ tamquam à principio, quo. Et ad impugnationem reſpondetur, quòd quamuis lumen gloriæ non ſit principiũ ſe mouens ad viſionem beatificam eſt tamen virtus proxima, & perfectio intrinſeca potẽtiæ ſe mouentis : nam intellectus, vt eleuatus lumine gloriæ, ſe mouet ad illam viſionem. **VIII.**

Ad quartum argumentum reſpondetur, quòd vitalitas proxima, & formalis actus fidei in peccatore procedit, vt quo,ab habitu fidei:nam licet peccator fidelis non habeat ſimpliciter vitam ſupernaturalem, cum hæc dependeat à gratia iuſtificante; habet tamen alio quo modo, eſſe ſupernaturale per fidem habitualem, quæ quidem tribuit, ſecundum quid, eſſe ſupernaturale,& quandam vitam imperfectam intellectui, vt actum vitalem ordinis ſupernaturalis producat. Et ad impugnationẽ reſpondetur, quòd fides ſupernaturalis non ſolùm habet rationem habitus operatiui; ſed etiam cuiuſdam viuificatricis virtutis. Et quidem,ſecũdum quòd eſt habitus operatiuus, immediatè afficit potentiam, & conſtituit illam in actu primo ad operandum; in ratione autem cuiuſdam viuificatricis virtutis ſupponitur ad illam operationem vitalem.Sed contra hãc ſolutionem vrget argumentum.Omnis vitalitas potentiæ debet radicari in vita ſubſtantiali, vel quaſi ſubſtantiali eiuſdem ordinis, ſicut aliæ virtutes infuſæ dependent à gratia, quæ dat ſimpliciter vitam ſupernaturalem; ſed vitalitas fidei informis non radicatur in vita ſupernaturali, quaſi ſubſtantiali,quæ eſt per gratiam ; ergo radicatur ſolùm in vita naturali ipſius animæ, ac per conſequens vitalitas actus fidei erit vitalitas naturalis.Reſpõdetur,quòd,quando potentia vitalis eſt perfecta ; ſemper radicatur,& dimanat à vita ſubſtantiali, vel quaſi ſubſtantiali eiuſdem ordinis. Fides autem informis,quamuis ſit eſſentia **IX.** Obiectio. Fidei informis vitalitas in qua vita radicetur. Solutio.

eſſentialiter virtus infuſa; eſt tamen virtus imperfecta, vt patet ex his, quæ docet S. Thom. p. 1. quæſt. 65. artic. 4. & 2. 2. q. 6. artic. 2. Vnde non oportet, quòd vitalitas fidei dependeat à gratia habituali, ſed ab habitu fidei, quatenus habet rationem cuiuſdam viuificatricis virtutis, vt dictum eſt.

Ad vltimum argumentum reſpondetur, actum viſionis beatificæ eſſe purè ſupernaturalem, ad hùc ſenſum, quòd tota virtus proxima, à qua formaliter procedit, eſt ſupernaturalis. Verum eſt, quòd principium, quod eleuatur ad illam viſionem, eſt naturale, videlicet facultas naturalis intellectus, quæ quidem ſit potentia ſupernaturalis per lumen gloriæ. Et ad impugnationem reſpondetur, quòd non eſt eadem ratio de habitibus ſupernaturalibus, & de actibus. Differunt enim primò: nam habitus non ſunt formaliter actiones vitales, ſed principia actionum vitalium; principia autem operationum ſupernaturalium non ſunt effectiuè ab homine operante, ſed à Deo: viſio autem beatifica eſt formaliter actio vitalis; vnde habitus ſupernaturales non poſſunt eſſe effectiuè ab homine, tanquam à cauſa principali; actus autem ſupernaturales ſunt ab homine eleuato per formam ſupernaturalem. Secunda differentia eſt: nam ante actum ſupernaturalem poteſt in homine præexiſtere habitus ſupernaturalis, per quem conſtituitur in actu primo, vt tanquam cauſa principalis producat effectiuè actum ſupernaturalem. Cæterùm ante habitum ſupernaturalè non præintelligitur in homine aliquis habitus ſupernaturalis, per quem conſtituatur in actu primo, vt tãquam cauſa principalis, producat habitus ſupernaturales. Et ratio eſt: nam omnis habitus operatiuus ex natura ſua eſt productiuus actus, non autem alterius habitus: Vnde ex hoc, quòd non poſſit aliqua creatura eſſe cauſa principalis habitus ſupernaturalis: non ſequitur, quòd non poſſit eſſe cauſa principalis actus ſupernaturalis. Sed de hoc in diſputat. 68. agendum erit.

Ad confirmationem reſpondetur, tantùm concludere, quòd principium proximum, & formale viſionis beatificæ, quod eſt lumen gloriæ, ſit purè ſupernaturale, non autem id concludit de principio radicali, quod eleuatur per lumen gloriæ, vt conſtat ex dictis.

Per hæc manet ſolutum ſeptimum argumentum factum diſputatione præcedenti. Dicimus enim, quòd viſio beatifica, inquantùm eſt actio vitalis tali vitalitate ſupernaturali, procedit efficienter à potentia vitali, ſcilicet ab intellectu creato, vt eleuato per lumen gloriæ, ſine quo non habet proximè, quòd ſit potentia vitalis, reſpectu talis operationis ſupernaturalis. Vnde ſecundum quantitatem luminis gloriæ, & non ſecundùm maiorem, vel minorem perfectionem naturalem intellectus, menſuranda eſt perfectio intrinſeca, & intenſio viſionis beatificæ, etiam inquantùm eſt actio vitalis.

DISPVTATIO LXV.

Vtrùm actus credendi, ſperandi, & diligendi Deum, inquantùm eſt auctor gratiæ, ſint ſupernaturales, ſecundùm ſubſtantiam, & in eſſe naturæ; an ſolùm quantùm ad modum, & in genere moris.

1. SIMILIS difficultas ſub aliis terminis diſputari ſolet 1. q. 2. 62. Vtrùm videlicet actus virtutis infuſæ, & virtutis acquiſitæ circa eandem materiam, differat ſubſtantialiter in eſſe naturæ. Et quoniam ex reſolutione huius difficultatis manifeſtum fiet, eſſe neceſſarium ſimpliciter auxilium ſpeciale Diuinæ gratiæ, vt liberum arbitrium eiuſmodi actus, etiam quantùm ad eorum ſubſtantiam, eliciat; neceſſarium duxi, præſentem diſputationem præcedentibus inſerere.

Eſt ergo prima ſententia, quæ aſſerit, actus credendi, ſperandi, diligendi, & pœnitendi ſolùm eſſe ſupernaturales, quantùm ad modum, quem habent in genere moris; non autem quoad ſubſtantiam actus in eſſe naturæ. Sequuntur hanc ſententiam conſequenter illi Theologi, qui, vt ſuprà dixi, arbitrantur, hominem ex ſolis naturæ viribus, cum cõcurſu Dei generali, elicere poſſe prædictos actus, quantùm ad eorum ſubſtantiam, ac per conſequens ſolùm eſſe neceſſarium auxilium gratiæ, vt ſupernaturales efficiantur, & quales ad ſalutem oportet. Ex hoc enim euidenter ſequitur, ſubſtantiam eorundem actuum non eſſe ſupernaturalem. Fundamenta potiſſima huius ſententiæ ſunt hæc. Diſput. 49. & 52.

Primò arguitur ex multis locis ſancti Thomæ, in quibus aperte videtur docere hanc ſententiam. Etenim quæſtione vigeſimaquarta, de veritate, articulo decimoquarto, in corpore, ſic ait: *Duplex eſt bonum, quoddam, quod eſt humanæ naturæ proportionatũ: quoddam verò, quod excedit humanæ naturæ facultatem; & hæc duo bona, ſi de actibus loquamur, non differunt ſecundùm ſubſtantiam actus, ſed ſecundùm modum agẽdi.* Idem docet in ſolutione ad primum & ſecundum eiuſdem articuli, vbi ait, quòd nullum præceptum eſt homini impoſſibile ad ſeruandum, quia in ſubſtantiam actus poteſt homo ex facultate liberi arbitrij, & in modum actus ex dono gratiæ. Et 2. 2. quæſt. 171. articulo ſecundo, ad tertium, ait; quòd diligere Deum ſuperat naturam humanam, quantùm ad modum actus, non autem quantùm ad ſubſtantiam ipſius: & in primo ſententiarum, diſtin. 17. quæſt. 1. articulo quarto, in corpore, inquit, quòd per dilectionem, quæ procedit ab habitu, *non diſcernitur, vtrùm actus ſit ab habitu infuſo, vel ab habitu acquiſito.* Sentit ergo S. Thomas actum charitatis infuſæ, & acquiſitæ non differre ſecundùm ſubſtantiam actus, ſed tantùm ſecundùm modum.

Secundò arguitur. Actus charitatis infuſæ non eſt purè ſupernaturalis: ergo eſt naturalis, quantùm ad ſubſtratum, vel ſubſtantiam actus. Antecedens probatur: nam, ſi eſſet purè ſupernaturalis, non poſſet produci ab aliqua creatura, tanquam a cauſa principali: etenim S. Thom. 1. 2. q. 112. artic. 1. cap. ex eo probat, implicare, aliquam creaturam eſſe cauſam gratiæ principalem; quia donum gratiæ excedit omnem facultatem naturæ creatæ.

Confirmatur: nam ſi actus charitatis eſt purè ſupernaturalis: ergo principium eius eſt pure ſupernaturale: ergo potentia naturalis nullo modo eſt principiũ illius. Prima conſequentia probatur: nam, vt docet S. Thomas quæſt. vnica, de vnione Verbi, artic 5. in corp. actiones ſpecificantur ex principiis: ergo actio purè ſupernaturalis debet habere principium purè ſupernaturale.

Tertiò. Certitudo fidei infuſæ eſt eiuſdem rationis cum certitudine naturali: ergo & actus eiusdem rationis quoad ſubſtantiam. Probatur conſequentia: nam certitudo alicuius habitus, vel actus, debet eſſe eiuſdem ordinis, & rationis cum ipſo habitu, vel actu, ſicut certitudo ſcientiæ eſt ſcientifica, & certitudo opinionis opinatiua. Et antecedens probatur; quia nulla forma intenditur per aliam diuerſæ ſpeciei: intenſio enim fit per hoc, quòd eadem forma magis radicatur in ſubiecto, vt 1. 2. quæſt. 52. artic. 2. in corp. docet ſanctus Thomas. Sed certitudo II.

Digitized by Google

scientię naturalis intéditur per certitudinẽ fidei infusæ: etenim Philosophus Christianus certior est de hac propositione: Deus est vnus, quam ut Philosophus paganus: eò quòd fides, & scientia mutuò se in his adiuuant, in quibus non repugnant, scilicet in certitudine: ergo.

Quartò. Quæ differunt secundùm substantiam in esse naturæ, continuari non possunt. Sed actus fidei infusæ, & acquisitæ continuantur: vt, si Iudæus paulò ante instans natiuitatis Domini, haberet hunc assensum: Christus nascetur, & perseueraret continuò in illo per aliquod tẽpus, Christo iã nato, ille actus a principio erat fidei infusæ nato autem Christo, erat fidei humanæ; quia fides infusa non potest ad falsum inclinare: ergo actus fidei infusæ, & humanæ non distinguuntur, quantum ad substantiam in esse naturæ.

Quintò. Actus fortitudinis, vel temperantiæ acquisitæ, & infusæ sunt eiusdem speciei, quantum ad substantiam in esse naturæ: ergo & actus fidei acquisitæ & infusæ. Probatur consequentia: nam sicut actus charitatis infusæ est simpliciter supernaturalis, ita & actus fortitudinis infusæ. Et antecedens probatur: nã temperata comestio semper est eiusdẽ speciei, quoad substantiam, siue procedat à temperantia infusa, siue ab acquisita. Similiter etiam subire fortiter mortem, eiusdem speciei est, quoad substantiam, siue actus iste procedat a fortitudine infusa, siue ab acquisita.

Sextò: nam sequeretur ex opposita sententia, quòd Angelus, dum erat viator, cognouerit infallibiliter per experientiam, se habere habitum supernaturalem fidei, vel charitatis. Consequens est falsum: nam huiusmodi actus non possunt per certitudinem, nisi diuina reuelatione cognosci: aliàs posset viator certò scire se esse in gratia. quod est falsum, vt supra dictum est ergo. Sequela probatur nam Angelus experiebatur in se actus fidei, & charitatis: ergo, si illi actus nõ erant, quantùm ad substantia, naturales; euidens erat Angelo per experientiam, eosdem actus esse, quantùm ad substantiam, supernaturales; ac per consequens, procedere ex principio supernaturali, scilicet ex habitu infuso fidei, & charitatis.

Septimò. Vitalitas actus supernaturalis fidei, & charitatis est naturalis: ergo huiusmodi actus sunt, quantùm ad substantiam, naturales. Antecedens probatur: nam isti actus non habent, quòd sint vitales, vt procedunt ab habitu supernaturali, sed, vt procedũt a potentia naturali, quæ est coniuncta vitæ intellectualis creaturæ: cùm habitus non sit potentia vitalis, aut principio vitæ intrinsecè coniunctus: ergo.

III. Secunda sententia est, actus elicitos virtutum Theologalium non solùm in genere moris, vel quãtùm ad modum; sed etiam in esse naturæ, & quãtum ad substantiam, specie distingui ab actibus virtutis acquisitæ circa eandem materiam. Tenent hanc sententiam Caietanus 3. p. q. 76. art. 7. post medium commenti, §. ad euidentiam, vbi ait, *quòd naturale, & supernaturale sunt & differentia entis, & differentia modi faciendi. Nam oculi dati cæco nato, & vinum factum in nuptiis differebant ab aliis oculis, & vinis, secundum naturale, & supernaturale, quoad modum fiendi tantùm. Sed charitas, & incarnatio Christi, & Christum esse sub Sacramento, & lumen gloriæ & similia differunt a virtutibus naturalibus & aliis, quæ entia naturalia vocamus, penes supernaturale, & naturale, quantùm ad ipsa entia. Sunt enim hæc ex suo genere supernaturalia entia: quia nulli possunt enti esse, aut fieri connatura ita.* Quibus verbis correxisse videtur sententiam, quam tenuit 1. 2. q. 112. art. 1. super solutione ad 1. S. Thom. Eandem conclusionem defendit M. Medina 1. 2. q. 62. art. secundo, conclusione quarta, vbi ait, *Verosimilius videtur, & diuinæ Theologiæ magis consentaneũ: quòd isti actus differant etiam in genere naturæ, secundùm substantiam.* Vnde pro resolutione difficultatis sit

PRima conclusio. Actus cuiuslibet virtutis Theologicæ differt, secundùm substantiam, & in esse naturæ, ab actu virtutis acquisitæ, circa eandem materiam, qui ex solis viribus naturæ potest haberi. Probatur hæc conclusio. Substantia actus sumitur ex obiecto formali. sed actus charitatis infusæ, & charitatis acquisitæ habet diuersa obiecta formalia nam, vt docet S. Th. 1. 2. q. 62. a. 2. in corp. obiectum Theologicarum virtutum est ipse Deus, qui est vltimus rerum finis, prout nostræ rationis cognitionem excedit. obiectum autem virtutis acquisitæ est aliquid, quod humana ratione comprehendi potest: ergo. Confirmatur: nã ratio formalis virtutis Theologicæ est supernaturalis, & diuina ratio autem formalis virtutis acquisitæ est mere naturalis: ergo distinguuntur ex obiectis formalibus, ac per consequens specifice, etiam in esse naturæ. Secundò probari potest hæc conclusio omnibus rationibus quibus supra ostensum est, hominẽ absque auxilio gratiæ, non posse elicere actum fidei, spei, charitatis, vel contritionis. Si autem huiusmodi actus, secundùm substantiam, non essent supernaturales, sed naturales, possent ex viribus naturæ, absque auxilio gratiæ produci: ergo

IV. Actus virtutis infusę differt secundũ substantia ab actu virtutum acquisitæ circa eandem materiam.

Disput. 49. & 51.

Tertiò probatur nam, vt probat M. Medina in prima conclusione ex Concilius Milcuitano, Arausicano, & Africano, & communi sententia sanctorum Patrum, auxilium Dei supernaturale est simpliciter necessarium ad credendum, sperandum, & amandum, & in vniuersum ad vnumquemque actum virtutis Theologicæ, ita vt non requiratur tantùm, quoad modum operis quod etiam supra disputat. 49. & 51. probauimus: ergo non est dicendum, substantiam eorundem actuum esse mere naturalem. Probatur consequentia nam si esset mere naturalis substantia illorum actuum, vtique non esset simpliciter necessariũ auxilium speciale ad credendum, sperandu, & diligendum Deum, quantum ad substantiam actus.

V. Actus fidei & charitatis supernaturalis est secũdum suã substantiam supernaturalis

Secundò probatur: nam modus supernaturalitatis includitur intrinsecè in substantia, & essentia actus virtutis Theologicæ, cum ciusmodi virtutes per se sint a Deo infusa, & supernaturales. Sed iuxta definitionem Conciliorum actus cuiuslibet virtutis Theologicæ est supernaturalis, quantùm ad prædictum modum: ergo, etiam quantùm ad substantiam actus.

AD primum argumentum respondetur, quòd sanctus Thomas expresse docet nostram sententiam, vt suprà ostensum est, nec alicubi insinuauit oppositam. Ad locum autem inductum ex quæstione vigesimaquarta, de verit. respondetur, quòd loquitur de actu exteriori, vt colligitur ex solutione ad primum, & secundum eiusdem articuli: nam præcepta dantur de actibus exterioribus. Et huiusmodi actus, vt confessio fidei exterior, quamuis pertineant regulatiuè ad virtutem Theologicam fidei, non tamen excedunt facultatem naturæ, quoad substantiam actus: nam eadem est, secundùm speciem physicam entitas confessionis exterioris fidei, siue fiat à Christiano ex motiuo supernaturali, siue ab hæretico propter aliquod motiuum humanum. Ad alium locum ex secunda secundæ adductum, iam abundè responsum est suprà disputat. 51. numero decimoquarto. Ad vltimum locum ex primo sent. respondetur, quòd quamuis actus virtutis Theologicæ, & virtutis humanæ circa eandem materiam differant secundùm substantiam actus; nihilominus, propter similitudinem, quam habent, nõ potest

VI.

VII.

Actus, & habitus supernaturales euidèter cognosci nó possùt, nisi per visionẽ beatificam.

Bañ. 1. p. q. 32 a 1. dub. 2. ad 3. & 2. 2. q. 5 art. 1. ad 1. conc. 1. concl 5 Vas. & ad 3. pro sententia Cai.

homo, secluſa diuina reuelatione, cognoſcere infallibiliter actum charitatis, quem producit, elicit ſupernaturalem, nec diſcernere, an procedat ab habitu infuſo, vel acquiſito, vt docet S. Thom. eodem articulo quarto, & M. Sotus libro primo de natura & gratia, c. vigeſimoſecundo, corollario tertio. Imò vt quidam docent graues auctores, habitus fidei, & alij habitus per ſe infuſi, ſecundùm ſuam vltimam differentiam, non poſſunt euidenter cognoſci, niſi per viſionem beatificam; quia lumen fidei, ſicut & habitus gratiæ, & charitatis, ſunt veluti ſemina quædam gloriæ. Vnde, quemadmodum virtus alicuius ſeminis non poteſt diſtinctè, & euidenter cognoſci, niſi cognoſcatur diſtinctè, & euidenter fructus; ita gratia Dei, charitas, vel fides non poſſunt diſtinctè, & euidenter cognoſci, niſi cognoſcatur euidenter vita æterna.

Actus charitatis infuſæ eſt pure ſupernaturalis.

Ad ſecundum reſpondetur, ad hunc ſenſum poſſe concedi, quòd actus charitatis infuſæ ſit pure ſupernaturalis; quia videlicet potentia naturalis non poteſt illum attingere, etiam quoad ſubſtantiam, niſi quatenus eleuatur per auxilium, vel per habitum ſupernaturalem. Et certè, ſi potentia naturalis haberet ſecundùm ſe aliquam actuitatem, reſpectu actus ſupernaturalis fidei, vel charitatis, quoad ſubſtantiam; poſſet contingere, quod cæteris paribus ex parte habitus ſupernaturalis, & auxilij diuini, qui habet perfectiorem potentiam naturalem, produceret actum ſupernaturalem fidei, charitatis, aut viſionis beatificæ magis intenſum; quod tamen non eſt admittendum, vt diſputatione ſexageſimatertia oſtenſum eſt. Et ad rationem adductam in oppoſitum ex ſancto Thoma reſpondetur, illam habere locum in habitibus, non autem in actibus. Et ratio diſcriminis eſt, quoniam ante habitum, qui excedit totam facultatem naturæ, non poteſt præintelligi aliquod principium ſupernaturale, ratione cuius homo ſit in actu, quo producere poſſit, vt cauſa principalis, habitum ſupernaturalem. Cæterum ante actum ſupernaturalem præintelligitur in potentia auxilium ſpeciale, vel habitus ſupernaturalis, per quem homo operatur, vt cauſa principalis ſupernaturales actus fidei, ſpei, & charitatis; vnde non eſt ſimile.

Habitus ſupernaturalis nõ eſt productiuus alterius habitus.

Sed dicet quis, quòd, licèt habens habitum gratiæ, & charitatis, non poſſit in ſeipſo producere habitum ſupernaturalem; nulla tamen apparet repugnantia, quo minùs poſſit illum in alio, vt cauſa principalis, producere: nam iam habet principium ſupernaturale, per quod eſt in actu. Reſpondetur, quòd gratia non eſt immediatè habitus operatiuus: charitas autem, & alij habitus infuſi habent quidem rationem principij operatiui, & productiui actuum; non autem habituũ. Vnde, ſi Deus vteretur habitu, vel actu charitatis exiſtentis in Petro, ad producendum habitum charitatis in Paulo; Petrus ſolùm eſſet inſtrumentalis cauſa talis habitus, non autem efficiens principalis.

Ad confirmationem reſpondetur, ſolùm conuincere, quòd potentia naturalis nullo modo concurrat ad actum ſupernaturalem, niſi vt eleuata per aliquod ſupernaturale principium actiuum: ſic tamen eleuata verè concurrit actiuè ad eundem actum, vt cauſa proxima principalis, vt patebit infrà diſputatione 68.

VIII.

Bañ 2. 2. q 1. a. 5. ad 2.

Ad tertium reſpondetur; certitudinem ſcientiæ non intendi propriè, & formaliter, per certitudinem fidei; ſed ſolùm ex parte ſubiecti: ſicut perficiuntur illa, quæ ſunt inferioris ordinis ex cõiũctione ad ea, quæ ſunt ordinis ſuperioris. Et ad impugnationem dicendum, quòd, cæteris paribus, philoſophus Chriſtianus non eſt magis certus intenſiuè, certitudine naturali, huius veritatis, eius eſt, quàm philoſophus paganus, ſed ſolùm extenſiuè; quia videlicet pluribus modis eſt certus de illa veritate. Deficiente namque demonſtratione naturali, remanet in Chriſtiano lumen fidei, quo fixus manet in illa veritate, quod tamen non habet locum in philoſopho pagano.

Medina 1. 2. q. 62. a. 2. in fin.

Ad quartum reſpondetur cum Medina, quòd multa ad ſenſum videntur continuari, quæ reuera non cõtinuatur, vt patet in virga, cuius medietas eſt ſicca, & medietas viridis, & in motu caruis, de altitudi cadentis, cuius motus, ſi in via moriatur, interrumpitur, vt cõmuniter dicunt philoſophi 4. Phyſic. Similiter ergo dicendum in caſu poſito, quòd illi actus fidei non eſt continuus, ſed per mutationem obiecti crediti interrumpitur, & vſque ad inſtans nãtiuitatis Domini elicitur à fide infuſa: poſtea verò producitur à fide humana. Poterit nihilominùs vterque actus eſſe meritorius, vt ſi homo ille ſit in gratia, & habeat ignorantiam inuincibilem natiuitatis Domini, re ipſa iam exhibitæ.

IX.

Actus exterior virtutis infuſæ, & acquiſitæ ſitica eandẽ materiã sũt eiusdẽ ſpeciei in eſſe naturæ.

Ad quintum reſpondetur, quòd, ſi loquamur de actu interiori, diuerſæ ſpeciei ſunt, etiam quoad ſubſtantiam, & in eſſe naturæ, actus temperantiæ infuſæ, & acquiſitæ propter diuerſam rationem formalem obiecti, quam habent. Si verò loquamur de actu exteriori, eiuſdem ſpeciei ſunt in eſſe naturæ, vt ſupra dictum eſt, quamuis in genere moris diſtinguantur. Et idem contingit in actu fidei, & charitatis, vt dictum eſt.

Habitus ſupernaturalis per experientiam actuũ euidenter cognoſci non poteſt.

Cai. 2. 2. q. 6. a. 2.

Ad ſextum negatur ſequela: nam vt ſupra dictum eſt, propter ſimilitudinem, quam habent actus charitatis naturalis, & ſupernaturalis; certò diſcerni, abſque diuina reuelatione, non poteſt, vtrum ille actus à virtute infuſa, vel acquiſita ſit elicitus. Vnde, vt dicit Caietanus experientia actuũ, quantumuis ſint ſupernaturales, nõ infert infallibiliter experientiã ſupernaturalium habituum, à quibus procedunt, ſed tantùm probabiliter. Et ratio huius eſt; quam aſſignat M. Bañes, quia ratio formalis, ſub qua eliciuntur actus ſupernaturales, non poteſt infallibiliter per experientiam cognoſci, ſed ſolùm per reuelationẽ diuinam: nam illa ratio eſt omnino ſupernaturalis, & conſequenter excedit totum ordinem virtutis cognoſcitiuæ naturalis.

Bañ. loco citato.

Sed vrget adhuc argumentum factum: nam Angelus propria virtute euidenter cognoſcit omnia naturalia: ergo, cùm non videret intra totum ordinem naturæ aſſenſum illum, quo credebat, Deum eſſe trinum, & vnum, euidenter cognoſcebat à poſteriori, aſſenſum illum eſſe, quantùm ad ſubſtantiam ſupernaturalem, ac per conſequens, euidenter cognoſcebat, ſe habere aliquod principium a ſuum ſupernaturale, in cuius virtute produceret illum actum.

X.

Cai. 3. p. q. 76. art 7. in fin. reſponſ. ad vltimam confirmationem.

Ad hoc argumentum reſpondet Caietanus, quòd *Angelis non ſunt indita ſpecies omnium ſpecierum, ſed earum tantùm, quæ ad naturalem ordinem ſpectant, & propterea fidem, & charitatem nõ per naturalem cognitionem cognouerunt, niſi habentes illas in ſeipſis, vt potè ad eos ſpectantes.* Quibus verbis videtur concedere, quèliber Angelum naturali cognitione proprium habitum fidei, ſpei, & charitatis a principio cognouiſſe, ſecundùm quòd erat accidens ad illum pertinens. Oppoſitam ſententiam docet S. Th. 2. quæſt. ſexageſimaſecunda, articulo primo, in fin. corporis, vbi ait, quòd habitus virtutum Theologicarum ſola diuina reuelatione traduntur. Reſpondetur ergo ad argumentum, quòd, vt patebit infrà, Angelus non cognoſcebat euidenter ſubſtantiam illorum actuum non eſſe ſupernaturalem: nam, licèt viribus naturæ Angeli cognoſcant euidenter omnia naturalia,

Angelus per naturæ vires non cognoſcit certo habitus ſupernaturales.

ſi

ſi relinquantur ſuæ naturæ, Deus tamen, ſua potentia abſoluta, poterat illis occultare aliquod obiectu naturale, & neſciebat Angelus: Vtrum Deus de facto ſua abſoluta poteſtate vteretur, reſpectu illorum actuum: & propterea non cognoſcebat euidenter à poſteriori, actus illos eſſe, quantùm ad ſubſtantiam, ſupernaturales. Et eadé ratione nó cognouit euidenter per ſolam facultatem naturæ, humanitatẽ Chriſti ſubſiſtere per ſubſiſtentiam Verbi, etiamſi non videret creatam ſubſiſtentiam eiuſdem humanitatis; quia reuera illam nó habuit. Sed de hoc infrà dicendum erit latius. Interim videatur M. Med. q. 2. introductoria ad 3. p. in ſolutione ad ſextum argumentum ex obiectis ſecundo loco.

Ad ſeptimum argumentum reſpondetur, quòd vitalitas proxima, & formalis actus fidei, & cuiuſcunque alterius actus ſupernaturalis procedit effectiuè, vt quo, ab habitu ſupernaturali, vel motione diuina, vt ſuprà oſtenſum eſt.

A

B

DISPVTATIO LXVI.

Vtrùm vltima diſpoſitio ad gratiam habitualem procedat effectiuè ab ipſa gratia, an à ſolo auxilio actuali, ſiue à voluntate eleuata per tale auxilium.

I. IN hac iſtâ cõtrouerſiâ ſunt duæ celebres inter Doctores ſententiæ. Prima aſſerit, vltimam diſpoſitionem ad gratiam nó produci effectiuè a gratia habituali, neque ab habitu charitatis, aut pœnitentiæ, ſed à libero arbitrio moto, & eleuato actuali auxilio ſupernaturali. Sequuntur hanc ſentẽtiã aliqui recentiores Theologi, cui fauet Dur. in 4. d. 17. q. 1. n. 8. & probatur:

C

Primò ex D. Tho. 1. 2. q. 109. art. 6. vbi ait, quòd ad hoc, vt ſe præparet homo ad ſuſceptionem gratiæ habitualis, non oportet ponere aliquod aliud donum habituale in anima, quia ſic procederetur in infinitum, ſed oportet præſupponi aliquod auxilium gratuitum. Idem docet 1. p. q. 62. a. 2. ad 3. vbi ait, quòd ad conuerſionem, per quam aliquis præparat ſe ad gratiam habendam, non requiritur aliqua habitualis gratia, ſed operatio Dei ad ſe animam conuertentis. Sentit ergo S. Thom. vltimam diſpoſitionem ad gratiam nõ procedere effectiue ab ipſa gratia habituali.

D

Secundò. Quando habens habitum gratiæ, vt quatuor, diſponitur ad habitum, vt octo illa diſpoſitio, vt octo, non procedit effectiuè ab habitu gratiæ & charitatis, vt octo: ergo ſimiliter diſpoſitio ad primam gratiam, & charitatem non procedit effectiue ab ipſa gratia, & charitate, ſed à libero arbitrio eleuato per auxilium actuale præuenientis gratiæ. Antecedens probatur: nam per diſpoſitionem intenſam, vt octo, meretur homo augmentum habitus, vt octo: ergo talis diſpoſitio antecedit ſimpliciter ipſum habitum, vt octo: meritũ enim eſt via ad præmium, via autem præcedit terminum: ergo talis diſpoſitio non poteſt eſſe effectiue ab habitu, vt octo. Patet conſequentia: nam cauſa efficiens debet ſimpliciter antecedere ſuum effectum: vnumquodque enim operatur efficienter, inquantùm eſt actu: ergo ſi habitus intenſus, vt octo, eſt cauſa efficiens actus, vt octo, ſimpliciter eſt prior ſuo actu; ac per conſequens, non poterit eſſe eo poſterior: aliàs idem ſecundùm idem reſpectu eiuſdem, eſſet ſimpliciter prius, & poſterius.

E

Tertiò. Implicat contradictionem, quòd actio procedens effectiue ab aliqua forma, ſit vltima diſpoſitiõ ad eandem formam: ergo actio procedens effectiue a gratia habituali non poteſt eſſe vltima diſpoſitio ad illam. Antecedens probatur: nam licèt calor, vt octo, ſit diſpoſitio vltima ad formam ignis; implicat tamen, quod calefactio, procedens effectiuè à forma ignis, ſit vltima diſpoſitio ad eandem formam. Et ratio huius eſt: nam calefactio eſt poſterior forma ignis, a qua procedit.

Quartò. Actus virtutis acquiſitæ, qui eſt vltima diſpoſitio ad productionem habitus, non poteſt effectiuè procedere ab eodem habitu, vt docet S. Th. 1. 2. q. 51. a. 2. & 3. ergo ſimiliter actus virtutis infuſæ, quæ eſt vltima diſpoſitio ad infuſionem habitus, nõ poterit procedere effectiue ab eodem habitu.

Quintò. In naturalibus vltima diſpoſitio ad formam ſubſtantialem non producitur effectiuè à forma ſubſtantiali, ſed ab agente: etenim calor, vt octo, qui eſt vltima diſpoſitio ad formam ignis, producit effectiue formam ignis, tanquam inſtrumentu principalis agentis, atque adeo non poteſt eſſe effectiuè ab igne genito, alias idẽ reſpectu eiuſdem eſſet cauſa, & effectus, prius, & poſterius in eodem genere cauſæ; quod implicat ergo. II.

Confirmatur. Si vltima diſpoſitio ad formam ignis, quæ introducitur in lignum, eſt effectiue ab ipſa forma ignis geniti, ſequitur, quòd ignis genitus producat efficienter ipſum; conſequens manifeſte implicat contradictionem: ergo. Sequela probatur: nam, qui attingit effectiue diſpoſitionem vltimam ad introductionem formæ ſubſtantialis in materiam, attingit effectiuè ipſum compoſitum, quod generatur: homo enim ex eo dicitur generare hominem, quia attingit vltimam diſpoſitionem ad introductionem animæ rationalis in materiam: ergo, ſi calor, vt octo, qui eſt vltima diſpoſitio ad formam ignis, producitur effectiue à forma ignis geniti, ſequitur, ipſum ignem effectiue producere ipſum. Et eadem ratione gratia habitualis, & charitas quæ infunditur, attingeret effectiuè productionẽ ſui ipſius, ſi ſemel admittatur, vltimam diſpoſitionẽ ad infuſionem gratiæ, & charitatis procedere effectiue ab eadem habituali gratia, & charitate.

Secunda ſententia docet, quòd vltima diſpoſitio ad gratiam habitualem, & ad habitum infuſum procedit in genere cauſæ formalis, vel efficientis, ab ipſa gratia habituali, & ab habitu infuſo; quamuis illum antecedat in genere cauſæ materialis. Hanc ſententiam ſequuntur Ferrar. 1. cont. Gent. c. 95. Caiet. 1. 2. q. 113. a. 8. Sot. lib. 2. de natura, & gratia, c. 18. propoſitio. 2. vbi ait, quòd *motus liberi arbitrij non præcedit gratiam ſimpliciter ordine naturæ; ſed cum limitatione, id eſt, in genere cauſæ materialis: in genere enim gratiæ efficientis gratia præcedit.* Idem docet latiùs: & in 4. d. 14. q. 2. a. 6. Conſentit M. Med. 1. 2. q. 113. a. 8. ad 1. Et quoniam hæc eſt expreſſa ſententia S. Thomæ, procius explicatione ſit III.

Actus charitatis, & contritionis eſt vltima diſpoſitio ad gratiam, tum moralis, tũ phyſica.

PRima Concluſio. Actus charitatis ſupernaturalis, & ſimiliter actus perfectæ contritionis eſt proprie loquendo, vltima diſpoſitio ad gratiam habitualem, non ſolùm moralis, ſed etiam phyſica. Concluſio eſt contra aliquos Doctores, quos refert Medina 1. 2. qu. 113. art. 8. ad conſ. 2. argumenti, aſſerentes, eſſe ſolùm diſpoſitionem moralem. Sed probatur: nam, vt habetur in Conc. Trid. ſeſſ. 6. decreto de iuſtificatione, capite quinto, & ſexto, peccator per actus liberi arbitrij, Deo adiuuante, diſponitur ad gratiam. Et canone quarto definitur, quòd per eoſdem actus cooperatur Deo, & ſe diſponit, ac præparat: ad obtinendam iuſtificationis gratiam; vbi Concilium aperte loquitur de reali diſpoſitione, &

phylica. Præterea probatur ratione: quia vt docet S. Thom. 1. 2. q. 112 art. 2. nulla forma perfecta potest recipi, nisi in materia dispolita, sed gratia habitualis est forma supernaturalis perfecta, tribuens esse supernaturale: ergo non recipitur, nisi in materia dispolita, sed nulla est alia dispositio vltima ad gratiam in lapsis adultis, nisi actus contritionis, & charitatis: ergo.

IV. Dispositio vltima ad habitū gratiæ, & charitatis procedit effectiuè ab ipsa gratia.

Secunda Conclusio. Actus contritionis, & charitatis, qui est vltima dispositio ad gratiam habitualem, procedit in genere causæ formalis, vel efficientis ab ipsa gratia habituali, & ab habitu infuso pœnitentiæ, & charitatis. Itaque actus pœnitentiæ, & habitus gratiæ, & pœnitentiæ, seu charitatis sunt in eodem instanti temporis cum actu charitatis, & pœnitentiæ; at in genere causæ formalis, & efficientis, gratia, & charitas, & pœnitentia habitualis eundem actum antecedunt. Cæterum in genere causæ materialis seu dispositiuæ, actus virtutis charitatis, & pœnitentiæ antecedit infusionem habitus.

Probatur primò hæc Conclusio ex S. Thom. 1. par. quæst. 62. artic. 2. ad 3. vbi ait, quòd ad conuersionem in Deum, quæ est meritoria beatitudinis, *requiritur habituali gratia quæ est merendi principium.* Ex quibus verbis desumitur argumentum. Contritio, quæ est vltima dispositio ad gratiam, licèt non sit meritoria gratiæ, quæ iam habetur, est tamen meritoria gloriæ, quæ nondum habetur, vt 1. 2. quæstion. 112. articul. 2. ad 1. docet sanct. Thomas: ergo secundùm S. Thom. vltima dispositio ad gratiam habitualem procedit à gratia habituali. Nec valet solutio, quòd videlicet nomine gratiæ non intelligat S. Thom. gratiam habitualem, sed gratuitam Dei motionem, vt quidam exponunt. Contra hoc enim est, quòd in illo articulo agit S. Thom de infusione gratiæ iustificantis: hæc verò est habitualis gratia: ergo loquitur de gratia habituali. Præterea: nam

V. idem S. Thom. quæst. 28. de veritate, art. 8. in corpore, expressissimè docet nostram sententiam: ait enim quòd dispositio vltima tam ad formam naturalem, quàm ad gratiam, quamuis in genere causæ materialis sit prior natura, quàm ipsa forma, ad quam disponit; in genere tamen causæ formalis est posterior natura ipsa forma; quia procedit ab illa. Hoc idem docet de calore respectu ignis; & de aliis dispositionibus naturalibus 3. p. quæst. 7. art. 13. ad 2. ait enim: *Calor, qui fuit dispositio ad formam ignis est effectus profluens à forma ignis iam præexistentis.* Idem dicit q. 9. a. 3. ad 2.

Secundò probatur ratione: nam sequeretur ex opposita sententia, quòd aliquis adultus iustificatus extra sacramentum consequeretur gloriam, absque omni proprio merito. Probatur sequela: nam fit casus, quòd quis immediatè, postquam habuit cōtritionem, per quam iustificatus est, moriatur; ille consequitur vitam æternam, quia discedit in gratia: & tamen, iuxta oppositam sententiam, illam consequitur absque proprio merito. Etenim actus contritionis, per quem iustificatus est, non fuit meritorius; siquidem non procellit à gratia habituali ergo per illum actum contritionis non meruit vitam æternam: cùm ergo nullum postmodum alium actum meritorium produxerit, vt supponimus; relinquitur, aliquem adultum iustificatum extra sacramentum consequi vitam æternam sine proprio merito. Hoc autem esse plusquam falsum probatur ex Conc. Trid. sess. 6. de iustificatione, can. 32. vbi definitur, hominem iustificatum per bona opera mereri gloriam, & ipsius gloriæ augmentum: ergo per contritionem, per quam adultus iustificatur dispositiuè, meretur propriam gloriam.

A Tertia Conclusio. Vltima dispositio ad gratiam est etiam consequenter dispositio ad habitus infusos charitatis, pœnitentiæ & reliquos habitus infusos. Probatur: nam dispositio præparans ad aliquam formam, disponit consequenter ad omnia, quæ ad modum propriæ passionis, consequuntur talem formam; vt patet in naturalibus: dispositio enim vltima ad introductionem animæ rationalis, est etiam consequenter dispositio ad omnia, quæ per modum passionis eandem animam consequuntur. Sed habitus pœnitentiæ, & alij habitus supernaturales infusi consequuntur ad gratiam habitualem ad modum propriæ passionis, vt ait S. Thom. 1. 2. quæst. 110. art. 4 ad 1. & 2. ergo contritio, quæ est vltima dispositio

B ad gratiam est, etiam consequenter vltima dispositio ad habitum pœnitentiæ, qui consequitur infusionem gratiæ.

VI. Dispositio vltima ad gratiam est etiam dispositio ad habitū charitatis, &c.

Confirmatur. Contritio est prior natura, in genere dispositionis, quàm gratia habitualis, vt probatum est: gratia autem habitualis est prior natura, quàm habitus pœnitentiæ, qui consequitur ad illam ergo de primo ad vltimum, contritio in genere dispositionis est prior, quàm habitus pœnitentiæ. Ita Sotus, a. 6. allegato, & Med. vbi suprà, quamuis Canus 1. p. relectionis de pœnitentia ad 4. teneat, actum pœnitentiæ esse non posse dispositionem ad habitū pœnitentiæ, à quo prōcedit & mouetur tertio argumento facto initio quæstionis.

C AD primum argumentum ex auctoritatibus S. Thom. respondetur, ipsum tenere nostram sententiam, vt patet ex locis adductis. Respondeo secundò primum actum contritionis posse dupliciter considerari: Primò, in ratione dispositionis, quatenus in genere causæ materialis antecedit gratiam habitualem, & sub hac ratione tribuitur gratiæ operanti, & Deo mouenti; atque adeò procedit à potentia eleuata per auxilium actuale supernaturale, nec intelligitur, vt sic, procedere a gratia habituali. Et iuxta hanc considerationem procedunt verba sancti Thom. adducta pro oppolita sententia. Secundò, potest considerari, quatenus informatur gratia, & est meritorius gloriæ, vt dictum est: & sub hac ratione procedit a gratia habituali, in qua fundatur omne meritum vitæ æternæ. Sed contra: se-

D quitur ex hoc, quòd vltima dispositio ad gratiam habitualem, formaliter loquendo, non procedat effectiuè ab ipsa gratia habituali, sed solùm materialiter. Respondetur, id non esse contra nostram sententiam; quia solùm contendimus, eundemmet actū contritionis, qui est vltima dispositio ad gratiam, procedere efficienter, vt à prima radice, ab ipsa gratia habituali.

VII. Contritio dupliciter considerari potest.

VIII. Bañ. 1. 2. q. 14. artic. 6. dub. 1. ad 7.

Ad secundum M. Bañes fatetur, quòd etiam vltima dispositio ad augmentum habitus, vt octo, procedit, in casu argumenti, effectiuè ab ipso habitu intenso, vt octo; sicut in prima infusione habitus. Ratio, quæ illum conuincit est: nam, si illa maior intensio actus non producitur effectiuè ab habitu, sed ab auxilio, & motione Dei, sequitur, quòd homo non esset causa principalis illius maioris intensionis

E actus supra habitum præexistentem, sed tantùm instrumentalis. Probatur: nam, vt colligitur ex S. Th. 1. 2. q. 68. a. 3. ad 2. & 3. part. q. 7. a. 1. ad 3. hæc est differentia inter causam principalem, & instrumentalem, quòd causa principalis operatur per habitum, aut per formam sibi intrinsecam, proportionatam cum effectu; instrumentum autem solùm operatur ex motione exterioris agentis principalis: ergo, si illa maior intensio actus non procedit ab habitu intenso, sed ex motione Dei, solum erit homo causa instrumentalis, respectu illius maioris intensionis.

Hæc

Hæc tamen sententia non videtur ad mentem S. Thom. 1.2. quæst. 114. art. 9. in corpore, vbi ait, quòd illud, quod comparatur ad actum liberi arbitrij moti à Deo, tanquam principium actus, non potest cadere sub merito. Et hac ratione probat, donum perseuerantiæ non posse cadere sub merito; quia est principium effectiuum operis meritorij; alias idem, respectu eiusdem, esset simpliciter principium meriti, & terminus meriti; quod implicat: ergo, si in casu posito actus pœnitentiæ, & charitatis, vt octo, procedit effectiue ab habitu pœnitentiæ, & charitatis, vt octo; erit impossibile, quòd per talem actum intensum mereatur homo augmentum habitus: atque adeò, nunquam caderet sub merito augmentum habitus infus: quod est contra sanct. Thom. eadem quæst. art 8. vt disput. 60. numer. 12. visum est. Et confirmatur hoc nam præmium non potest, physicè loquendo, esse prius simpliciter, quam meritum, sed augmentum habitus, vt octo, est præmium correspondens actui intenso, vt octo: ergo tale augmentum habitus non potest simpliciter loquendo, esse prius, quam sit actus, vt octo: ergo non potest esse causa efficiens illius, vt vult Bañes. Probatur consequentia: nam, vt docet Sanct. Thom. q. 28. de verit. art. 7. id, quod est prius in genere causæ efficiétis, vel formalis, est simpliciter prius, quam id, quod antecedit solum in genere causæ materialis. Cuius ratio est: nam causa efficiens operatur, inquantum est actu; causa autem materialis potest causare antequam intelligatur esse, vt Sotus ait 2. Physic. quæstion. 3. etenim causalitas illius est via ad esse. Antecedens autem probatur: nam meritum est via ad præmium: ergo implicat, quòd præmium simpliciter sit prius ipso merito; aliàs enim terminus antecederet simpliciter motũ, seu viam ad terminũ.

Dispositio vltima ad augmẽtum charitatis, vt octo, nõ procedit effectiue ab ipso habitu, vt octo.

Respondetur ergo aliter ad argumentum, quòd in casu posito actus charitatis intensus, vt octo, non procedit effectiue ab habitu, vt octo, sed ab habitu præexistente, vt quatuor, simul cum auxilio supernaturali intenso, vt octo, per quod habitus, vt quatuor, eleuatur, vt possit effectiuè producere ipsum actum intensum, vt octo, per quem disponitur ad augmentum habitus: nam, vt suprà ostensum est, intensio actus mensuranda est ex quantitate auxilij motionis diuinæ. Et ad fundamentum M. Bañes respondetur, quòd etiam respectu illius maioris intensionis, homo eleuatus per auxiliũ, est vera causa principalis proxima vt disputatione 68. patebit. Cuius ratio est: nam illud auxilium non est extrinsecum potentiæ, sed illi inhærens antecedenter ad actum in genere causæ efficientis, & ordine naturæ; quamuis non ordine temporis. Vnde non sequitur, hominem esse merum instrumentum illius actus, quantùm ad maiorem intentionem, quam habet supra habitum præexistentem. Alias eodem argumento probaretur, hominem esse merum instrumentum, respectu omnium actuum supernaturalium, quos per auxilium actuale diuinæ gratiæ producit ante infusionem habituum supernaturalium, quales sunt attritio, timor inferni, & alij actus consimiles, per quos liberum arbitrium remotè disponitur ad gratiam iustificantem: nam huiusmodi actus non procedunt ab aliquo habitu supernaturali, sed à potentiis, eleuatis per actuale auxilium supernaturale.

IX. Ex his ad secundum argumentum principale, concesso antecedente; negatur consequentia. Et ratio discriminis est: nam, quando per actum magis intensum augetur habitus præexistens, talis actus est meritorius augmenti ipsius habitus, atque adeò non potest ab illo procedere effectiue. Cæterùm in prima infusione gratiæ vltima dispositio nõ est meritoria ipsius gratiæ, vnde non est simile.

Ad tertium negatur maior. Ad probationem respondetur: quòd quando actio est successiua, vel transiens, sicut calefactio respectu ignis, implicat, quòd actio procedens ab aliqua forma sit vltima dispositio ad productionem eiusdem formæ; non autem, quando actio fuerit instantanea, & immanẽs, vt est contritio. Et ratio discriminis inter vtramque actionem est, quia dispositio vltima debet esse in eodem instanti, in quo est forma; & similiter recipi in eodem subiecto, sumendo actionem pro qualitate, vel termino: actio autem instantanea, & immanens potest esse in eodem instanti, in quo recipitur forma; & similiter recipitur in eodem subiecto. Vnde hæc actio poterit disponere vltimate ad productionem formæ, à qua procedit, non autem illa.

Actio procedens effectiue ab aliqua forma, potest aliquo modo esse dispositio ad eandẽ formam.

Ad quartum negatur consequentia, & ratio discriminis est: nam vltimus actus virtutis acquisitæ producit effectiuè ipsum habitum. Vnde non potest effectiuè producere ab illo, alias idem, respectu eiusdem, esset causa, & effectus, in eodem genere causæ. Cæterùm per actum virtutis infusæ, per quem homo vltimate disponitur ad infusionem habitus, non producitur effectiuè ipse habitus, sed solùm dispositiuè: nam, vt docet sanctus Thomas prima secundæ, quæstione 51. articulo quarto ad tertium; habitus supernaturales non producuntur efficienter per nostros actus, sed tantum dispositiuè. Vnde huiusmodi vltima dispositio potest esse effectiue ab ipso habitu. Sed contra. Sequitur saltem, quod contritio, quæ est pars sacramenti pœnitentiæ, non procedat effectiue a gratia habituali, si infundatur in ipsa susceptione sacramenti. Probatur: nam talis contritio est causa instrumentalis efficiens gratiæ habitualis, vt docet sanctus Thomas in 4. d. 17. quæstione secunda, articulo quinto, quæstiuncula prima in corpore, & ad primum: ergo est simpliciter prior, quàm gratia habitualis: ergo non procedit effectiuè ab illa. Respondeo cum S. Thom. q. 28. de veritate, artic. 8. ad secundum: quòd illa contritio, per se loquendo, secundùm ea, quæ habet, vt procedit à libero arbitrio, moto per auxilium gratiæ, solum est causa materialis habitualis gratiæ; & simpliciter posterior illa: at verò, secundùm quòd est pars sacramenti, eleuatur à Deo ad causandam gratiam sacramentalem instrumentaliter; & secundùm hanc rationem non procedit effectiuè à gratia sacramentali, sed potiùs illam producit, vt dictum est. Et pro maiori intelligentia, notandum, quòd, quando homo accedit contritus ad sacramentum pœnitentiæ, suscipit duplicem gratiam, alteram, quæ correspondet ipsi contritioni, ex opere operantis; alteram verò sacramentalem, quæ correspondet virtuti Sacramenti ex opere operato. Vnde, si accedat cum contritione, vt quatuor, consequitur gratiam, vt octo, ex quibus gradibus, quatuor correspondent contritioni, etiam sine Sacramento: alij verò quatuor gradus correspondent virtuti Sacramenti. Etenim gratia sacramentalis mensuratur secundùm quantitatem dispositionis.

X.

Obiectio.

Solutio.

Cõtritio, vt est pars sacramenti pœnitẽtiæ, non procedit effectiue à gratia habituali.

Sacraméta nouæ legis gratiã conferunt ex opere operato.

Ad quintum iam patet ex locis S. Thom. suprà inductis, qualiter etiam in naturalibus vltima dispositio sit à forma substantiali: nec ex hoc sequitur, quòd idem, secundùm eandem rationem, respectu eiusdem, sit causa, & effectus, prius, & posterius in eodem genere causæ. Etenim calor, vt octo, verbi gratia, inquantùm est dispositio vltima ad formam ignis, est prior igne genito, in genere causæ materialis; & sub hac ratione tribuitur generanti, vt causæ efficienti: si autem consideretur idem calor, vt octo, quatenus est passio consequens naturam

XI.

Calor, vt octo procedit à forma ignis geniti.

naturam ignis geniti,& eam conſeruans;eſt, vt ſic, effectus ignis geniti, & ab eo procedit,in genere cauſæ formalis.

Ad confirmationem reſpondetur,ignem genitum non producere efficienter ſeipſum;quia non producit effectiuè vltimam diſpoſitionem ad introductionem ſuæ formæ ſubſtantialis in materiam, inquantùm eſt formaliter vltima diſpoſitio ad eandē formam:nam ſub hac ratione ſolùm tribuitur generanti,vt dictum eſt. Etenim ad eandem cauſam pertinet diſponere materiam, cui tribuitur productio compoſiti.Et eadem ratione gratia, & charitas habitualis non concurrit effectiuè,etiam, vt quo, ad productionem ſui ipſius.

Sed contrà:nam ſequitur ſaltem, quòd pœnitens eliciens actum contritionis, attingat effectiuè productionē gratiæ habitualis. Probatur:nam producit effectiuè,vt cauſa principalis, vltimam diſpoſitionē ad infuſionem gratiæ habitualis, inquantùm eſt vltima diſpoſitio,vt patet ex Conc.Trid.ſeſſ. 6. de iuſtific. c.5.vbi habetur, peccatorem per actum charitatis,& contritionis,ſeipſum diſponere,&præparare ad ſuam iuſtificationem:qui autem eſt cauſa efficiēs principalis vltimæ diſpoſitionis, inquantùm eſt vltima diſpoſitio ad introductionem formæ,eſt etiam cauſa principalis ipſius formæ,vel vnionis eius cum materia.

XII. Homo proprié nō iuſtificat ſeipſum.

Reſpondetur,ſolum Deum eſſe cauſam principalē effectiuā gratiæ,vt docet S.Th.1.2.q.112.a.1. Vnde,nō poteſt concedi,quòd homo cauſet efficienter in ſe gratiā. Ita docet M.Canus lib.12.de locis,c.13. ad 7.argumentum. Cùm enim iuſtificatio ſit quædā ſpiritualis generatio ſecundùm illud Ioan.1. *Qui nō ex ſanguinibus,neque ex voluntate carnis,neque ex voluntate viri,ſed ex Deo nati ſunt.* Et Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua,& Spiritu ſancto non poteſt introire in regnū Dei*;ſicut homo generat ſeipsū,ſed generatur ab alio ; ita etiam non iuſtificat ſe proprie loquendo,ſed iuſtificatur à Deo,tanquam à cauſa efficienti,& à gratia,vt à cauſa formali; ſed ſolùm concurrit diſpoſitiuè ad ſuā iuſtificationem, quod multis locis Scripturæ oſtendit Canus loco citato. Nec repugnat, ſed potiùs conſonat huic doctrinæ illud 1.Ioan.3.*Omnis,qui habet hanc ſpem,ſanctificat ſe.* Non enim ſignificatur his verbis,hominem effectiuè producere gratiam qua formaliter ſanctificatur; ſed oſtenditur,illum non iuſtificari, quando eſt adultus, ſine proprio actu liberi arbitrij, quo, motus à Deo, ſeipſum diſponit ad gratiam, & conſentit Deo vocanti,quia,vt ait Auguſtinus, *Qui fecit te ſine te , non ſaluabit te ſine te.* Ad argumentum ergo eſt prima ſolutio,quam adhibet M.Medina 1.2.q.112.a.1.dub. 2.ad primum, quòd ſcilicet , quando vltima diſpoſitio habet ex natura rei cōnexionē cū forma,ad quā diſponit;tunc qui eſt cauſa efficiens vltimæ diſpoſitionis, eſt etiā cauſa efficiens formæ,quæ introducitur, vel vnionis eius cū materia.Contritio autē non habet ex natura rei connexionem cum gratia iuſtificante,ſed ſolùm ex ordinatione diuina. Vnde , licèt pœnitens ſit cauſa efficiens contritionis, non ſequitur,quòd ſit cauſa efficiens gratiæ,qua iuſtificatur.

Cauſa effectiuè vltimā diſpoſitionē ad formam, quando ſit cauſa efficiens formæ.

Sed hæc ſolutio nobis non placet:nam contritio, vt ſuprà oſtenſum eſt, ex natura rei habet connexionem cum gratia. Aliter ergo reſpondetur ad argumentum, quòd quamuis vltima diſpoſitio ad gratiā efficienter producatur à libero hominis arbitrio;nō tamen procedit ab eo virtute propriæ formæ , ſed quatenus mouetur à Deo ſpeciali auxilio gratiæ, vt 1.2.q.109.a.6.docet S.Th. Propoſitio autē aſſumpta in argumento ſolùm habet verū in illis , qui virtute propria attingunt vltimam diſpoſitionem,vel introductionē formę in materia.Vnde ſolus Deus eſt cauſa efficiens gratiæ , quæ ad illam diſpoſitionem ſequitur.

Diſput.59 n. 6.& 7.

DISPVTATIO LXVII.

Vtrùm abſque auxilio gratiæ,voluntati creatæ inhærente,ſola aſſiſtentia intrinſeca Spiritus ſancti, poſſit liberum arbitrium elicere actum ſupernaturalem fidei, ſpei, charitatis, vel pœnitentiæ.

QVIDAM Theologi ſentiunt,abſque auxiliis gratiæ inhærentibus, Deum immediatè ſua potētia abſoluta compenſare poſſe , & ſupplere concurſum habituum,&donorum ſupernaturalium,potentiis inhærentium , & tali,ac tanto influxu in actus fidei ſpei, & charitatis cum libero arbitrio cooperari , vt efficiantur tales,quales eſſent , ſi præueniens gratia antecederet. Alij hanc ſententiam reputant probabilem,& addunt,actus ſupernaturales,qui ante infuſionem habitus eliciuntur, nullum habere in homine phyſicum principium ſupernaturale , potentiis eius inhærens;ſed Deum immediatè,aſſiſtentia quadam extrinſeca , quam appellant Dei virtutem aſſiſtentem,ſupplere rationē habitus,&motionis inhærentis. Eandem ſententiam docent conſequenter omnes , qui tenent , Deum , ſola aſſiſtentia extrinſeca , ac virtute , & concurſu ſpeciali , poſſe omnem efficacitatem qualitatis ſupplere , & cum ſolo intellectu creato, viſionem ſui producere : & probatur: I.

Primò. Deus efficere poteſt, vt intellectus creatus,ſine lumine gloriæ, & abſque omni dono inhærente , clarè videat eſſentiam diuinam , ſupplendo ſuo peculiari influxu immediato in viſionem , & compenſando influxum luminis gloriæ in eandem viſionem:ergo,a fortiori,id poterit efficere in actibus fidei,ſpei, charitatis , & contritionis. Probatur conſequentia: quia multò magis excedit facultatem naturæ actus viſionis beatificæ , quàm actus charitatis. Antecedens autem probatur , auctoritate ſancti Thomæ in 4. ſentent. diſtin. 49. quæſtione 2. artic.7.& de veritate quæſt. 10. articulo 11. vbi ait, quòd aliquando miraculoſe viſio beatifica poteſt communicari homini exiſtenti in ſolis diſpoſitionibus viæ. Cum ergo lumen gloriæ ſit diſpoſitio patriæ,ſequitur,ſine illo,iuxta ſententiam ſancti Thomæ , poſſe alicui communicari viſionem beatificam.Item in eodem art.11. ait, quòd poteſt eſſentia diuina vniri intellectui in via,modo illo,quo vnitur in patria,abſque eo,quòd lumine gloriæ perficiatur. Et 1.parte quæſtione 12.articulo 1.in corpore,inquit, quòd licèt Deus ſecundum ſe ſit maximè cognoſcibilis : non eſt tamen à nobis cognoſcibilis, propter exceſſum intelligibilis ſupra intellectum noſtrum: ſicut ſol,qui eſt maximè viſibilis , videri non poteſt à veſpertilione,propter exceſſum luminis. Et idem docet 3.contra Gent.capite 54.ad primum argumētum , ſed Deus potentia abſoluta poteſt facere, quòd oculi veſpertilionis videant lumen ſolis, non imprimendo illis aliquā qualitatē inhærentē: ergo.

Confirmatur primò idem antecedens. Si lumen gloriæ eſſet ſimpliciter neceſſarium ad videndum Deum,id eſſet propter duo : primò , tanquam diſpoſitio,

diſpoſitio, qua diſponitur intellectus, vt illi vniatur eſſentia diuina, in ratione ſpeciei intelligibilis: ſecundò, tanquam perfectio intellectus, tribuens illi virtutem, ex parte potentiæ ad videndum Deum: ſed Deus, de potentia abſoluta, poteſt introducere formam in materiam, ſine prævia diſpoſitione: poteſt enim introducere formam ignis, abſque præuio calore, cum poſſit ſeparare calorem à forma ſubſtantiali ignis. Similiter etiam poteſt confortare intellectum, & tribuere illi virtutem actiuam ad videndum Deum, abſque aliqua forma ſupernaturali inhærente: poteſt enim efficere quòd ignis calefaciat ſine calore, cùm poſſit ſupplere vicem cauſæ efficientis ergo.

Confirmatur ſecundò. Deus poteſt facere, ſua potentia abſoluta quod exiſtens in peccato mortali videat Deum per eſſentiam ergo à fortiori poterit facere, quòd exiſtens in gratia habituali, abſque lumine gloriæ, illum videat. Patet conſequentia: nam viſio beatifica, cùm ſit vltima hominis beatitudo, non minùs dependet à gratia iuſtificante, quàm à lumine gloriæ. Et antecedens probatur. Peccatum mortale, & viſio beatifica, non habent formalè oppoſitionem: ergo non implicat, quòd ſimul ſint in eodem.

II. Secundò arguitur, quia nulla apparet contradictionis implicatio in hoc, quòd Deus ſuo influxu, vel aſſiſtente virtute ſupplear vices habitus & inhærentis auxilij ergo ſine illis poteſt intellectus, & voluntas, aſſiſtente virtute Spiritus ſancti, actus ſupernaturales, quibus ſe ad gratiam diſponat, elicere.

Tertiò. Habitus ſupernaturalis, vel auxilium inhærens non eſt tota virtus potentiæ ad credendum, vel diligendum Deum, actu ſupernaturali; ſed liberum arbitrium creatum influit etiam per ſeipſum immediatè in eoſdem actus; alioquin non procederent à principio vitæ, ſed à forma ſupernaturali; & non eſſent vitales actiones: ergo, ſicut gratia inhærens, tanquam cauſa partialis, influit immediatè, cum libero arbitrio in actum ſupernaturalem; ita Deus poterit, ſua virtute aſſiſtente immediatè, abſque gratia inhærente, influere cum eodem arbitrio in ſupernaturalem actionem.

Confirmatur. Quidquid Deus poteſt facere cum cauſa ſecunda efficiente, poteſt facere ſe ſolo: ſed forma ſupernaturalis inhærens libero arbitrio: ſiue per modum habitus, ſiue per modum actualis motionis conſideretur, concurrit efficienter ad actum ſupernaturalem producendum: ergo ſine tali forma inhærente, poterit Deus immediatè cum libero arbitrio eundem actum ſupernaturalem efficere.

Quartò. Probabilis ſententia eſt Scholaſticorum aſſerentium, liberum arbitrium, ſine auxilio gratiæ, producere poſſe actus ſupernaturales credendi, ſperandi, & diligendi, quantùm ad ipſorum ſubſtantiam: ergo Deus poterit, ſuo influxu immediato, eleuare illos actus, vt ſint ſupernaturales, & quales ad ſalutem oportet, abſque eo, quòd aliquid imprimat in libero arbitrio, quo coſdem actus eliciat.

Confirmatur. Supernaturalitas actus credendi, & diligendi non procedit efficienter à libero arbitrio, ſed à Deo influente in eundem actum per gratiam præuenientem, vel per habitum: ergo non eſt ſimpliciter neceſſarium, quòd liberum arbitrium eleuetur per formam ſupernaturalem ſibi inhærentem, vt eundem actum ſupernaturalem producat.

III. Quintò. Actus fidei, quos Catechumenis eliciuntur, antequam in baptiſmo infundatur illis habitus fidei, verè ſunt actus ſupernaturales, cùm ſint diſpoſitiones ad gratiam iuſtificantem, vt patet ex Concilio Tridentino, ſeſſ. 6. de iuſtificatione, capite 6. & tamen nullum habent in homine phyſicum principium effectiuum inhærens, præter intellectum, & voluntatem; ſed Deus ipſe per ſeipſum, eſt virtus aſſiſtens, & efficacitate ſua ſupplet vicè habitus: ergo. Minor probatur, quia tunc Deus non poteſt eleuare voluntatem, aut intellectum, per intrinſecam virtutem habitualem quia, vt ſupponitur, illi actus antecedunt habitum: neque per actualem, quia nulla eſt ſufficiens: ergo adiuuat per ſolam aſſiſtentiam extrinſecam ſuæ virtutis.

Oppoſitam ſententiam defendunt communiter recentiores Themiſtæ: quam etiam docere tenentur conſequenter illi Doctores, qui docent, eſſe impoſſibile, per potentiam Dei abſolutam, intellectum Beati, abſque lumine gloriæ, ſaltem per eadem motionis inhærentis, videre Deum per eſſentiam. Hi ſunt, Capreolus in 4. diſtinct. 49. quæſt. 4. articulo 1. conc. 2. & articulo 3. ad argumenta Scoti cont. ſecundam concluſionem. Ferrarienſis 3. cont. Gentes, capite 54. Caietanus 1. p. quæſt. 12. artic. 4. & 5. Sotus in 4. diſtinct. 49. quæſt. 2. artic. 4. Hanc ſententiam veram eſſe reputo, & doctrinæ ſanctorum ac decretis Conciliorum valde conformem, vnde pro eius explicatione ſit

IV. Liberum arbitrium à ſe, & ſine aſſiſtentia extrinſeca Spiritus ſancti non poteſt producere actus ſupernaturales.

PRima Concluſio. Cum ſola aſſiſtentia extrinſeca Spiritus ſancti non poteſt liberum hominis arbitrium de facto, & ſecundùm legem ordinariam, producere aliquem actum ſupernaturalem, fidei, ſpei, aut charitatis, etiam ex his, qui ordine naturæ, vel temporis infuſionem habitus antecedunt: ſed neceſſariò conſtituendum eſt aliquod donum gratiæ eidem arbitrio inhærens, quo eleuetur ad eiuſmodi actus ſupernaturales producendos. Concluſio eſt contra aliquos auctores ex allegatis pro prima ſententia. Et probatur:

Primò ex Concilio Tridentino, ſeſſione ſexta, de iuſtificatione, capite quinto, vbi hæc dicitur: *Declarat præterea, ipſius iuſtificationis exordium in adultis à Dei, per Chriſtum Jeſum, præueniente gratia, ſecundùm eſſe, hoc eſt ab eius vocatione, qua, nullis eorum exiſtentibus meritis, vocantur, vt qui per peccata à Deo auerſi eſſent, per eius excitantem atque adiuuantem gratiam, ad conuertendum ſe ad ſuam ipſorum iuſtificationem eidem gratiæ libere aſſentiendo, & cooperando diſponantur.* Quo in loco non obſcurè docet ſancta Synodus, per gratiam inhærentem adiuuari à Deo liberum hominis arbitrium, vt diſpoſitionem ad gratiam iuſtificantem eliciat. Et ſtatim ſubdit, quòd *ſine gratia Dei mouente ſe ad iuſtitiam libera ſua voluntate non poſſit.*

Contra ad. ſu. ſum eſt quid creatum.

Reſpondent quidam, Concilium intelligi poſſe de gratia increata. Ad cuius explicationem ſupponunt, gratiam adiuuantem poſſe dupliciter conſiderari. Vno modo in actu primo, & iſto modo, aiunt eſſe quid increatum, quia nihil eſt aliud, quam Deus ipſe, vt aſſiſtens animæ, quam ad ſuam converſionem excitauit, paratus eam ſpecialiſſimè iuuare, & ſubleuare ad ſupernaturalem actum efficiendum, ſi ipſa cooperari voluerit. Alio modo poteſt conſiderari gratia adiuuans in actu ſecundo; & hac ratione ipſa actio, vt procedens à Deo, fatentur, quod eſt quid creatum: & poteſt etiam gratia adiuuans appellari; & ſub eadem ratione concedunt, gratiam adiuuantem eſſe aliquid inhærens voluntati, & concurſum ſupernaturalē Dei in ipſa recipi, addūntque non eſſe neceſſarium, vt omne principiū adiuuās inhæreat ipſi volūtati: neque hoc habere in Concilio fundamēti.

Hæc tamen explicatio non videtur ſaeri Concilij Tridentini verbis congruere: nam loquitur de gratia adiuuante creata, ac per conſequens de gratia inhærente, per quam, antecedenter ad eius conſenſum, & cooperationem mouetur à Deo, & præpa-

præparatur, vt Deo vocanti consentiat, quod etiam colligitur ex canone 4. eiusdem sessionis, in quo definitur liberum hominis arbitrium *a Deo motum, & excitatum, &c.* posse dissentire, si velit. Quo in loco verbum illud, *motum, & excitatum*, motionem creatam designat in libero arbitrio receptam: nam motus est in mobili. Idem innuitur capite quinto eiusdem sessionis, cùm docet, quòd *tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem*, homo ipse aliquid agit, *inspirationem illam recipiens; quippe qui illam & abiicere potest* Expendatur verbum illud, *tangente*, &, *inspirationem illam recipiens, &c.* significant enim aliquid creatum receptum in anima, quod etiam innuit verbum illud, *abiicere*, quo sanctus Synodus significauit, liberum arbitrium posse abiicere, si velit, motionem illam præueniétis gratiæ, quam in se recipit, vt liberè cooperando se disponat, ac præparet ad iustificationis gratiam consequendam: ergo necessariò dicendum est, liberum arbitrium, per gratiam adiuuantem sibi inhærentem, eleuari, vt actus supernaturales eliciat, quibus se ad gratiam iustificantem disponat: non ergo producuntur huiusmodi actus à solo libero arbitrio, cum assistentia Dei extrinseca, absque dono gratiæ inhærente.

A

B

V. Secundò probatur: nam sola assistentia Dei extrinseca non est sufficiens, vt liberum arbitrium eleuetur ad producẽdos actus supernaturales: ergo necessariò requiritur aliqua virtus supernaturalis inhærens, ratione cuius habeat proportionem cũ actu supernaturali, & sit eiusdem ordinis cum illo. Antecedens probatur: nam, vt prima parte, quæst. octaua, articulo primo, & tertio, docet S. Thomas, Deus omnibus rebus intimè assistit per essentiam, præsentiam, & potentiam: ergo illa assistentia extrinseca virtutis diuinæ non sufficit ad eleuandum liberum arbitriũ, vt actus supernaturales eliciat: ad hoc enim alia assistentia, & virtus specialis requiritur, quia liberum arbitrium, non potest eleuari ad actus supernaturales per id, quod generaliter competit essentiæ, aut virtuti diuinæ, respectu omnium rerum.

C

Si dicatur, quòd illa assistentia diuinæ virtutis est specialis, eò quòd assistit libero arbitrio ad hunc effectum, vt videlicet cum illo immediatè influat in actus supernaturales credendi, sperandi, & diligendi; contra hoc est argumentum; nam Deus ex eo habet in hominibus assistentiam specialem, quia causat in illis aliquid supernaturale: hac enim ratione dicitur esse specialiter in iustificatis; quoniam habitat in illis per gratiam, & charitatem inhærentem: sed per illam assistentiam extrinsecam nihil supernaturale causat in libero arbitrio, etiam per modum dispositionis transeuntis, quo adiuuetur, & potens reddatur ad actus supernaturales producendos: ergo illa assistentia solo nomine dicitur specialis: nam reuera specialis non est.

D

Tertiò probatur: nam aliàs sequeretur, quod liberum arbitrium per solam facultatem naturæ sibi intrinsecam possit credere, diligere, & sperare, atque alios actus supernaturales elicere: consequens autem non potest admitti, vt disputatione quadragesima nona & quinquagesima prima, ostensum est: ergo. Maior probatur: nam, si nullum donum gratiæ inhærens ponitur in libero arbitrio, quod sit formale principium physicum, quo idem arbitrium producat actus supernaturales: ergo ex sola sua virtute naturali physicè cooperatur Deo vocanti.

E

VI. Secunda conclusio. Etiam de potentia absoluta, non potest liberum arbitrium prædictos actus supernaturales elicere, nisi per aliquod donum gratiæ saltem per modum dispositionis inhærens eleuetur & constituatur in ratione proximæ potentiæ, respectu eorundem actuum. Probari potest hæc conclusio omnibus argumentis, quibus prima parte, quæstione duodecima, artic. quinto, probari solet, implicare contradictionẽ, quod intellectus creatus, absque lumine gloriæ inhærente, saltem per modum motionis, videat Deum, sicuti est. Præterea probatur. Actus fidei, spei, & charitatis sunt, quantum ad substantiam, supernaturales, vt supra dictum est: ergo potentia proxima productiua horum actuum debet esse supernaturalis: nam actus, & potentia, necesse est, vt habeant proportionem; sed liberum arbitrium absque dono gratiæ inhærente, nõ est formaliter potentia actiua supernaturalis, sed merè naturalis: ergo impossibile est, quod actus quantum ad substantiam supernaturales eliciat. Confirmatur: nam homo seu liberum eius arbitrium, est proxima causa principalis actuum supernaturalium, vt supra dictum est: ergo, vt eos producat, debet habere aliquam formam supernaturalem. Probatur cõsequẽtia: nam, vt docet sanctus Thomas prima secundæ quæstione centesima duodecima, articulo primo, & tertia parte, quæstione sexagesima secunda, articulo quarto, causa principalis debet operari per formam propriam proportionatam cum effectu: & hac ratione probat, quod homo nõ potest esse causa principalis gratiæ, sed tantum instrumentalis: quia non potest ei communicari forma propria, per quam, tanquam causa principalis, producat gratiam effectiue.

VII. Secundò probatur. Deus non potest influere immediate in actum supernaturalem fidei, aut charitatis, nisi tanquam vniuersalis causa: quia, cùm sit actus vitalis, dicit formalem, & intrinsecum ordinem ad potentiam vitalem, tanquam ad causam particularem, & proximam. Ergo, nisi aliquid supernaturale influat prius in liberum arbitrium, non potest cum eo producere actum fidei, aut charitatis: alias produceret posset eosdem actus, se solo, absque cooperatione arbitrij: quod tamen manifestam inuoluit repugnantiam.

Confirmatur hæc ratio omnibus argumentis, quibus supra ostensum est, concursum Dei generalem esse influxum Dei immediatum in causas secundas: ex hoc enim euidenter deducitur, esse impossibile, quod Deus concurrat cum libero arbitrio ad actus supernaturales, nisi aliquid supernaturale influat in ipsum arbitrium. Disput 18.

Tertiò probatur: nam sanctus Thomas secundo contra Gentes, capite 59. ratione quarta, ex eo probat hominem non posse intelligere per intellectum separatum, quia non tribuit illi esse formaliter, & Aristoteles secundo de anima, textu 24. ex eo infert, esse animam actum intrinsecum corporis, & dare illi esse formaliter, quia est principium operationis: ergo, si auxilium diuinum est principium tribuens homini virtutem proximã ad actus supernaturales, erit aliquid intrinsecum illi inhærens. Confirmatur: nam anima Christi, etiam de potentia absoluta, non potuit formaliter intelligere per intellectum diuinum: quia non erat eidem animæ inhærens, sed assistens: ergo neque intellectus, aut voluntas creata poterit elicere actum supernaturalem, per solam virtutem extrinsecam Dei; quia illa virtus non est inhærens intellectui & voluntati, sed solùm assistens.

VIII. AD primum argumentum ex auctoritatibus sancti Thomæ respondetur cum M. Soto, in fine articuli quarti, superiùs allegati, quòd in illis duobus locis prioribus loquitur de lumine gloriæ per modum habitus: nam per modum habitus est propria dispositio patriæ; per modum autem dispositionis potest haberi in via, sicut illud habuit sanctus Paulus in raptu: & sine hoc lumine saltem

per

per modum dispositionis implicat, quòd Deus velit aliquem ſalvari, & alia bona facilia ? homini respondetur, quòd illa locutio non tenet in omnibus, ſed in hoc, quòd, lucis lumen ſolis, eſt obiectum excedens potentiam visionis corporalis; ita claritas diuina excedit facultatem percipiæ cognoſcitiuæ creatæ. Eſt tamen differentia in hoc, quòd lumen ſolis non excedit absolutè facultatem potentiæ creatæ, cum ſol naturaliter in visibilis, ſed excedit facultatem hominis videntis, propter illius infirmitatem. Claritas autem diuina excedit omnem facultatem cuiuſcunque potentiæ creatæ, vel creabilis vnde oportet, quòd dicatur per lumen gloriæ illi inhærens, ad hoc, vt clare videat Deum, ſicut eſt in ſeipſo.

Ad primam confirmationem reſpondent quidam Thomiſtæ, quòd, ſi lumen gloriæ conderetur B præcisè, in quantum diſponit intellectum, vt illi vnitur obiectum diuinum in ratione primi intelligibilis, non eſt implicite neceſſarium & connaturale argumento facto: nam Deus posset vnire formam ſine præuia diſpoſitione illi à qua conſideretur quòd tenet in illa viſione vnionem ad obiectum diuinum, propter rationes ſuperius factas. Nos autem reſpondemus, quòd propter vtramque rationem eſt implicite neceſſarium. Et ad implicationem dicimus, quòd, quando forma creata dicit in eſſe intelligibili, aut ſcibili, diſpoſitio conſtituens potentiam in eſſe potentiæ proximæ, eſt ita neceſſaria, vt ſine illa non poſſit talis forma eidem potentiæ vniri, vt ſuprà oſtenſum eſt.

IX. Ad aliam impugnationem reſpondetur, quòd, C quando cauſa ſecunda effectiua eſt vitalis, non poteſt Deus immediatè per ſe ipſum vicem illius ſupplere eo quòd effectus dependet ab illa, non ſolum in genere cauſæ effectiuæ, ſed etiam formalis vt ſuprà dictum eſt. Cum ergo lumen gloriæ ſit forma vitalis ſtabiliens, vt quo, intellectui vitalitatem proximam reſpectu viſionis beatificæ, vt ex præmiſſis patet, relinquitur, per nullam potentiam fieri poſſe, vt intellectus creatus abſque lumine gloriæ immediatè, Deum per eſſentiam videat. Et eadem docenda proportionabiliter de aliis actibus ſupernaturalibus.

Ad ſecundam confirmationem reſpondent aliqui Doctores, eſſe impoſſibile etiam de potentia Dei abſoluta, quòd vitio clara Dei, ſicut eſt in ſeipſo, committatur quiſquam in peccatum mortale: quod probant. Primò, quoniam vitio beatifica habet rationem vltimæ beatitudinis ſimpliciter, beatitudo autem ſimpliciter non poteſt eſſe cum peccato mortali. Qui enim eſt in peccato mortali, eſt miſer ſimpliciter, & non beatus, vt ſæpe docet S. Thomas; quia peccatum mortale eſt ſumma miſeria rationalis creaturæ. Secundò, quia ex clara Dei viſione ſequitur neceſſariò dilectio Dei ſuper omnia, vt S. & alibi in locis oſtendit S. Tho. At cum dilectione Dei ſuper omnia nullum compatitur peccatum mortale: ergo neque compatitur cum clara Dei viſione. Oppoſitam ſententiam ſequuntur multi viri doctiſſimi, quos ſequi dicendum eſt, per ſe loquendo, nullam implicare contradictionem, quòd vitio clara Dei, ſicut eſt in ſeipſo committatur aliquis homo exiſtens in peccato mortali, non quidem in ratione beatitudinis hominè ſimpliciter, ſed præcisè in ratione claræ viſionis Dei. Et ratio facta in argumento id ſuadet; nam viſio clara Dei in ratione viſionis, & peccatum mortale non habent, per ſe loquendo, inter ſe oppoſitionem: ergo non implicat, quòd compatiantur ſimul in eodem Deus, *per ſe loquendo*. nam ſunt aliqua peccata mortalia, cum quibus non poteſt ſimul A compati viſio beatifica, eò quòd habent enim illa formalem oppoſitionem, ſicut peccatum hæreſis, contra veritatem Dei, & ſimilantur peccatum, ea, quæ formaliter ſunt in Deo implicat contra, quod error, & clara viſio circa idem obiectum ſimul compatiantur. Alia enim peccata mortalia, vt furtum, & homicidium, non habent huiuſmodi oppoſitionem formalem cum clara Dei viſione vnde non implicat, quod per Dei potentiam abſolutam maneant cum illa. Et ad primam rationem oppoſitæ ſententiæ reſpondetur, ſolum concludere, viſionem Dei in ratione beatitudinis, ſeu viſionis beatificæ, ſimul eſſe non poſſe cum peccato mortali, non tamen propter hoc, quòd in ratione claræ viſionis Dei repugnet, ſimul eſſe cum peccato mortali. Ad ſecundam rationem reſpondetur, poſſe Deum ſua ſtatuta potentia impedire, ne dilectio Dei ſuper omnia ſequatur ad viſionem beatificam, cum viſio clara Dei ex eius diſpoſitione non pendeat effectualiter. Igitur, iuxta hanc ſententiam reſpondetur ad ſecundum confirmationem, negando conſequentiam. Et ad probationem dicendum, eſſe tam Dei viſionem pendere quidem a gratia iuſtificante, & cum ea ſupponere, ſecundum potentiam Dei ordinariam, & legem communem, non tamen ſecundum potentiam Dei abſolutam, vt ex præmiſſis patet. Caeterum viſio clara Dei ita pendet a lumine gloriæ inhærente, vt etiam de potentia abſoluta ſine illo produci non poſſit, quia pendet ab eo in genere cauſæ formalis, vt dictum eſt.

Ad ſecundum argumentum reſpondetur, quòd, X. ſi intellectus, aut voluntas creata, abſque ſupernaturali inhærente, actus ſupernaturales produceret ſequerentur duæ contradictoriæ veræ, videlicet intellectus creatus produceret vitaliter actum ſupernaturalem, vt cauſa proxima principalis, & non producit vitaliter illum actum, vt cauſa proxima principalis. Alterum enim propoſitio ſupponit vera, negativa autem probatur ex rationibus factis; nam cauſa principalis, & proximum vitalis, neceſſe eſt, vt operetur per ſe ipſum ſimul cum effectu proportionato. Cum ergo intellectus abſque dono gratiæ inhærente non habeat aliquam formam cum actu ſupernaturali proportionatam, per quam conſtituatur in actu primo, reſpectu eiuſdem actus ſupernaturalis, eiuſdem actus producens

Ad tertium reſpondetur, quòd donum gratiæ inhærentis, vt proximum principium potentiæ ad credendum, & diligendum Deum, vt ſuprà dictum eſt: nam liberum arbitrium non habet à ſeipſo, ſed ex dono gratiæ, quòd in actum ſupernaturalem influat. Nec ex hoc ſequitur, quòd non ſit vere liberum in ſua operatione, ſed ſolum ſequitur, quòd non ſit ſimpliciter primum liberum, vt dictum eſt ſuprà, & dicetur infra.

Ad confirmationem reſpondetur, maiorem aſſumptam ſolum eſſe veram, quando cauſa ſecunda eſt pure effectiua, non autem, quando effectus dicit ordinem habitudinis partis cum, & dependentiam a cauſa ſecunda in genere cauſæ formalis, vt contingit in actu vitali, ſicut dictum eſt ſuprà.

Ad quartum reſpondetur, non eſſe probabile, quòd actus credendi aut diligendi Deum ſuper omnia, vt eſt motus gratiæ ſolum actus moralis, quantum ad ſubſtantiam actus vel productibilis ab intellectu, & voluntate, ex ſolis eorum naturis, etiam quantum ad ſubſtantiam eorundem actuum, vt ex ſuprà dictis patet. Et eodem modo eſt probabile, ad actum ſecundum, illum, quo per liberum arbitrium eoſdem actus, in quantum ſupernaturales ſunt, elicit

efficienter producere, nisi per donum gratiæ inhærens eleueturs vt supra dictum est.

Actus supernaturalis est efficienter à Deo, & à libero arb.

Ad confirmationem respondetur, quòd totus actus supernaturalis secundùm omnem realitatem, & formalitatem quam habet, producitur efficienter à libero arbitrio moto à Deo, vt à causa secunda, & proxima; vnde ipse homo per liberum arbitrium producit actum supernaturalem, vt quod, & donum gratiæ inhærens illum producit, vt principium formale, quo: Deus autem producit illum, vt prima causa supernaturalis, cui essentialiter liberum arbitrium in sua operatione subordinatur, vt supra dictum est.

XI. Catechumeni quo principio supernaturali eliciat supernaturales actus. Sal 14.ea,p. 4. de Sacr. Pœnit.

Ad quintum respondetur, actus supernaturales, qui à catechumenis ante infusionem habitus eliciuntur, esse in duplici differentia: quidam sunt imperfecti, sicut timor gehennæ, & attritio, quæ imperfecta contritio appellatur: & huiusmodi actus non eliciuntur a potentiis eleuatis, per habitus supernaturales, sed per auxilium speciale Dei mouentis, vt Concilium Tridentinum docet de attritione loquens. Si autem sint actus perfecti, vt actus contritionis, & dilectionis Dei super omnia, per quos liberum arbitrium hominis proxime disponitur, vt iustificationis gratiam consequatur; tales actus producuntur efficienter à potentiis eleuatis per habitus supernaturales, qui in eodem instanti temporis à Deo infunduntur, quamuis in genere causæ materialis ordine naturæ, actus antecedant infusionem habitus, vt suprà dictum est. Et etiamsi admitteretur, eosdem actus non produci efficienter ab habitibus infusis, iuxta illam sententiam, dicendum esset, produci efficienter à potentiis eleuatis, per auxilium actuale supernaturalis ordinis, eisdem potentiis inhærens: sicut de aliis actibus supernaturalibus imperfectis dictum est. Et ad id, quod obiicitur, quia nullum auxilium actuale est sufficiens, respondetur, quòd si auxilium actuale esset immediatus influxus Dei in effectum, vnà cum libero arbitrio, vt opinantur auctores oppositæ sententiæ, non esset sufficiens ad eleuandum liberum arbitrium, vt actus supernaturales produceret; quia nihil reale poneret in illo antecedens eius consensum. At quia iuxta sententiam SS. Augustini, & Thomæ, Deus suo actuali influxu prius influit in causam secundam, quam in eius effectum, vt suprà dictum est, ideo per suum auxilium speciale potest eleuare liberum arbitrium, ante infusionem habitus, vt in eius virtute actus supernaturales eliciat.

Disp. 18.

XII. Auxilium idé potest esse sufficiés respectu v. actus & efficax respectu alterius.

Sed contra hoc est argumentum. Illud auxilium actuale, vt per illud actu producatur actus supernaturalis, debet esse efficax: nam cum solo auxilio sufficienti nunquam operabitur liberum arbitrium, vt auctores sententiæ oppositæ fatentur; sed illud primum auxilium actuale, quod confertur catechumenis, non potest esse efficax: nam cùm auxilium efficax præsupponit auxilium sufficiens, impossibile esset, quòd primum auxilium alicui collatum sit efficax: ergo nullum est signabile auxilium actuale, quo actus supernaturales producantur à Catechumenis ante infusionem habitus, ac per consequens, Deus, sola assistentia extrinseca suæ virtutis, eleuat eorum liberum arbitrium ad eosdem actus producendos.

Respondetur, quòd, vt disputatione 80. patebit, idem auxilium Dei actuale potest esse efficax respectu vnius, & sufficiens respectu alterius; vnde auxilium speciale, quo Deus eleuat liberum arbitrium, vt producat actum attritionis, est efficax respectu attritionis quam de facto efficit, & sufficiens in suo ordine, respectu conuertionis perfectæ. Nec est necessarium, quòd auxilium efficax præsupponat aliud auxilium sufficiens: nam in auxilio efficaci eminenter continetur auxilium sufficiens: & quandoque contingit, quòd absque dispositionibus tempore antecedentibus perfectam conuersionem, Deus in vnico instanti peccatorem iustificet, secundum illud: *Facile est in oculis Domini subito honestare pauperem*, quod etiam 1.2. quæstion. 113. articulo septimo, docet sanctus Thomas.

DISPVTATIO LXVIII.

Vtrùm homo in actibus supernaturalibus, quos operatur ex gratia, sit causa in suo ordine principalis, an solùm instrumentum Dei.

PRIMA sententia est, hominem, seu voluntatem humanam non concurrere ad actus supernaturales, vt causam secundam, in suo ordine principalem, sed solum, vt instrumentum Dei. Docent hanc sententiam quidam Theologi recentiores, quam probant: I.

Primò: quia, cùm actus sit supernaturalis, quoad substantiam, & totam entitatem suam, non potest voluntas, quæ est potentia inferioris ordinis, habere virtutem aliquam connaturalem, quæ natura sua sit effectrix talis actus, neque vt causa totalis, neque vt partialis: ergo non concurrit ad actus supernaturales, vt causa secunda principalis, sed solum, vt instrumentum Dei eleuantis.

Secundò. Voluntas non habet ex se aliquam potentiam naturalem, ad supernaturales actus, sed tantùm obedientialem: si enim haberet aliquam naturalem potentiam, saltem incompletam, ad eosdem actus, haberet etiam connexionem cum ordine gratiæ, quodammodo connaturalem, vel ratione suæ naturæ sibi debitam, & consequenter esset ei debitus concursus Dei supernaturalis, quia omnis virtus naturalis actiua, etiamsi inchoata sit, postulat ab auctore naturæ concursum, & complementum proportionatum, vt operari possit. Consequens autem non est admittendum: nam tunc gratia non esset gratia, si aliquo modo est debita: ergo.

Tertiò. Voluntas in his actibus non operatur, nisi vt eleuata ad superiorem ordinem operationum, & effectuum, qui nullo modo ei debetur ex natura sua; sed quotcumque aliqua creatura sic operatur, non agit vt causa principalis, sed vt instrumentum causæ eleuantis, cum non agat virtute propria, sed aliena, sicut eleuatur intellectus creatus ad videndum Deum: causa enim principalis secundùm sanctum Thom. hoc differt à causa instrumentali: nam causa principalis operatur per propriam formam, proportionatam eum effectu; instrumentalis autem operatur per virtutem alienam & secundùm quòd mouetur à principali agente: ergo.

Confirmatur. Aqua ab igne calefacta solùm concurrit, vt instrumentum ignis, ad calefaciendum aliud corpus, quia non operatur istum effectum per propriam, & sibi connaturalem formam, sed per alienam ab extrinseco agente communicatam, & excedentem totam virtutem naturalem ipsius aquæ: sed forma supernaturalis, scilicet gratia, & auxilium speciale, multo magis excedit totam virtutem naturalem liberi arbitrij creati, quam excedat calor virtutem naturalem aquæ. ergo, &c.

Quartò

II. Quarto arguitur in fauorem huius sententiæ. Causa principalis creata, siue naturaliter, siue liberè operetur, habet terminum limitatum, vltra quem tendere non potest, tam quoad speciem, quam quoad intensionem, vt patet in omni agente creato respectu actuum sibi connaturalium. At intellectus, & voluntas, atque adeò homo in actionibus supernaturalibus non habet limitatum intensionis terminum sed potest elicere actus magis, ac magis perfectos in infinitum: ergo.

Quarto. SS. Patres liberum arbitrium solent appellare instrumentum diuinæ gratiæ, & simpliciter negant, esse agens principale in negotio salutis, cum assertum, Deum esse, qui principaliter disponit hominem ad gratiam nec enim homo est, qui principaliter se ipsum ad iustificationem disponit: ergo.

Confirmatur. Nam, si homo est causa principalis, eliciens vltimam dispositionem ad gratiam, sequeretur, quòd esset causa principalis gratiæ. Consequens est contra S. Thomam 1.2. q. 112. art. 1. & contra omnes Theologos: ergo. Sequela probatur: nam qui est causa principalis vltimæ dispositionis, est etiam causa principalis formæ, quæ ad illam consequitur: ergo, si liberum hominis arbitrium est causa secunda principalis, eliciens vltimam dispositionem ad gratiam sequitur, quòd sit causa secunda principalis effectiua gratiæ.

III. Secunda sententia distinguit inter liberum arbitrium eleuatum per habitum supernaturalem, & per solum auxilium speciale: & ait, quòd, cùm eleuatur per habitum, vere est causa secunda principalis virtualium operationum supernaturalium: si autem eleuetur solum per auxilium speciale, non erit causa principalis illorum actuum, sed solùm instrumentalis. Huic sententiæ videtur adhærere M. Bañes 2.2. quæst. 24. in 4. dub. 2. ad 3. argumentum. Et pro illa est

Sextum argumentum, quo hic auctor cõuincitur: nam quando liberum arbitrium solùm eleuatur per auxilium speciale, non habet in se principium formale, quo constituatur in actu primo, vt sit causa proportionata ad efficiendam maiorem intensionem actus. Neque datur respondere, quòd Deus facit istam proportionem auxilio suo: quoniam solum auxilium illustrans, quo concurrit cum causis secundis, non efficit proportionem effectus cum causa secunda, nisi ipsa causa habeat in se principium proportionatum, vt patet inductiue in omnibus causis, cum quibus Deus concurrit ad suos effectus. Cæterum, quando inuenimus effectum excellentiorem, quàm sit principium formale causæ secundæ, illam excellentiam tribuimus agenti superiori, inferiori vero tanquam instrumento, vt, exempli gratia, quando artifex admouet penicillum, attingit ad figurandam imaginem, penicillus solùm dicitur esse instrumentum artificis: ergo, si liberum arbitrium solùm eleuatur motione diuina ad supernaturales actus, non possunt tribui homini, vt causæ principali, sed tantum vt instrumento.

Confirmatur. Si habens habitum charitatis, vt quicquid producat actu, vel exhibitiuum actus non producitur effectiue ab habitu charitatis, vt quinque aliæ virtutes per motionem diuinam, sed à potentia eleuata per habitum charitatis, vt sex, qui in eodem instanti augentur: nam alias habitus præexistens, & non causa instrumentalis actus charitatis, vt sex, quantum ad illam maiorem intensionem actus supra habitum: ergo vt liberum arbitrium non sit potens instrumentum, sed causa secunda principalis actuum supernaturalium, necessum requiri, vt per habitum supernaturalem eleuetur, vt eos ipse producat: nec sufficit, quòd eleuetur per motionem diuinam.

A Tertia sententia est aliorum, qui existimant, quæstionem hanc solùm esse de modo loquendi, cæterùm que partes auctores reputa conformes esse: fatentur enim, inquiunt, rationales hominis potentias non attingere vi suæ, supernaturales actus, nec habere ad illos vllam naturalem activitatem, aut proportionem, sed eleuari per gratiam, aut per habitus infusos, & huiusmodi alia. Differunt autem, quòd eorum quidam dicunt, ad talem principalis causæ requiri virtutem propriam, & proportionatam, vel eminentioris ordinis, quàm sit effectus: alij negant id esse necessarium, si dentur aliæ conditiones, quæ propriæ sunt agentis principalis, vt quòd agat potens, quam agatur, quòd ad agendum se determinet, & similia. Vnde primam sententiam censent esse probabilem, quamuis oppositam, B quantùm ad modum loquendi, dicant esse magis probandam.

Nobis autem semper visa fuit prima sententia improbabilis, & exitimamus differentiam non esse de solo nomine, aut modo loquendi, sed de re ipsa. Ad cuius euidentiam considerandum est, quamlibet causam secundam, etiam principalem, generali quadam ratione se habere, vt instrumentum, respectu Dei comparatione effectus, quem producit, quatenus talem producit: nec effectu ipsum esse, quod non attingat, nisi quantum est instrumentum Dei, eò quòd effectus vt talis sit maximè, qualis est esse, causæ vniuersalissimæ debet attribui, vt ostendit Bañes 1. par quæst. 8. artic. 1. ad 6. Et S. Thom. 2. cont. Gent. cap. 21 & præterea, quia nulla causa secunda operatur particularem effectum, nisi moueatur à Deo, vt ex supradictis constat. In præsenti ergo cum loquimur de causa instrumentali in hac generali acceptione, nec omnes enim fatentur, liberum hominis arbitrium non solùm in ordine ad actus supernaturales, sed etiã naturales esse quodammodo Dei instrumentum, quamuis sit instrumentum liberum: sic enim loquitur S. Thom. q. 24. de verit. art. 1. ad 5. vbi ait, *quòd instrumentum duplicem dicitur. Vnum quod proprie: quando scilicet aliquid ita ab altero mouetur, quod nihil recipiat à mouente aliquod principium talis motus, sicut serra mouetur à carpentario, & talis instrumentum est expers libertatis. Alio modo dicitur instrumentum magis communiter, quidquid ab alio mouetur, siue in ipso principium sui motus, siue non: & sic ab instrumento non oportet, quod omnino excludatur ratio libertatis: quia aliquid potest esse ab alio motum quod tamen ipsum movere non est motum à moto.* Et 3. contra Gentes ca. 100. in 2. ratione dicit, *cum Deus sit primum agens: omnia quæ à suis proprijs motibus sunt, quasi quædam instrumenta ipsius.* Et idem dicit super caput decimum Isaiæ, in illa verba: *Væ Assur virga furoris mei, & baculus ipse est.* Et opusc. 26. de regimine princip. lib. 3. cap. 8. Difficultas ergo procedit de instrumento proprie, & strictè sumpto, quod scilicet ita ab altero mouetur, quòd non confertur ei à mouente aliquod principium talis motus, sicut ferra mouetur à carpentario, & baculus a manu hominis.

Notandum secundò. Causam secundam principalem hoc differre a causa pure instrumentali, quòd causa secunda principalis aliquid confert per propriam formam ad productionem effectus, quam illam operatur a principio intrinseco actiuo, siue illud principium sit ei connaturale, siue ab agente supernaturali productum, eò quòd per formam supernaturalem sibi inhærentem, proportionatam cum effectu, illum attingit. Causa autem instrumentalis secundùm propriam formam nihil confert, etiam radicaliter ad productionem effectus, sed solum se habet, tanquam deferens virtutem principalis agentis. Vnde non producit effectum, nisi secundùm quòd

mouetur

IV. Causa secunda principalis Dei se habet vt instrumentum. C

Lib. 3. c. 21

V. D

VI. E

mouetur ab eodem agente principali: ſicut aqua calida ſolùm attingit inſtrumentaliter calorem, quem in alio ſubiecto producit: quia ſolùm ſe habet tanquam ſubiectum deferés virtutem ignis, qui eſt cauſa principalis eiuſdem caloris, & ſolùm attingit illũ inquantum mouetur ab igne. Vnde S. Thom q. 4. de malo, artic. 3. in corp. inquit, quòd *effectus eſt in cauſa principali, ſecundum ſimilitudinem formæ eius, vel eiuſdem ſpeciei, ſi ſit cauſa vniuoca, puta, cùm homo generat hominem, vel ignis ignem, vel ſecundum aliquam excellentiorem formam, ſi ſit agens non vniuocum, ſicut Sol generat hominem. In cauſa autem inſtrumentali eſt effectus, ſecundum virtutem, quam recipit inſtrumentum à cauſa principali inquantum mouetur ab ea*, vt artic. 4. eiuſdem quæſtionis in ſolutione ad 15. explicat ſanctus Doctor.

A

VII. Liberum arbitrium eleuatum per gratiã eſt cauſa ſecunda principalis actuum ſupernaturalium.

PRima ergo concluſio ſit: Voluntas, ſeu liberum arbitrium creatum eleuatum per habitum ſupernaturalem producit efficienter ſupernaturales actus, vt vera cauſa ſecunda principalis, & non vt merum inſtrumentum Dei. Hæc concluſio eſt ſancti Thomæ quæſtione 24. de veritate, articulo primo ad quintum, & omnium Thomiſtarum, quam adeò certam reputo, vt oppoſitam credam eſſe improbabilem. Et probatur

B

Primò, ratione deſumpta ex S. Thom. qu. 24. citata de verit. Inſtrumentum, quod verè, & propriè eſt inſtrumentum, non eſt liberum ad agendum, cùm non agat, niſi ſecundùm quòd aliquis eo vtitur: ergo, ſi liberum arbitrium creatum, comparatione actuum ſupernaturalium, eſt merum inſtrumẽtum, & non cauſa ſecunda principalis: ſequitur, quòd non operetur liberè eoſdem actus; conſequens autem non eſt admittendum: nam eſt contra definitionem Concilij Tridentini: ergo. Confirmatur: nam inſtumentum ſolùm attingit effectum principalis agentis, deferendo eius virtutem, ſicut ſerra attingit opus artificiatum, deferendo virtutem artis, ſiue artificis, quæ intentionaliter eſt in eius inſtrumento, vt quæſtio, tertia, de potentia, articulo 7. ad 7. docet S. Thomas: ergo, ſi liberum arbitrium ſolùm attingit actus ſupernaturales, vt merum inſtrumentum, & non vt cauſa ſecunda principalis: videtur ſequi, quòd ſolùm concurrat ad eoſdem actus producendos, deferendo virtutem principalis agentis, ſcilicet Dei, & ita haberet ſe mere paſſiue, ſicut inanime quoddam: quod tamen eſſet incidere in errorem hæreticorum huius temporis, vt ex ſupradictis conſtat.

C

Conc. Trid. ſeſſ. 6. de iuſtific. cap. 5. & can. 4.

D

Secundò. In quacunque actione debet aſſignari aliqua cauſa principalis, quã ipſa actio denominet, & cui effectus principaliter tribuatur, ſicut Deus denominatur creator à creatione, & artifex denominatur ædificator à reali conſtructione domus, quam efficit per inſtrumenta artis: ſed, cùm liberum arbitrium eleuatum per formam ſupernaturalem producit actus fidei, ſpei, & charitatis ſupernaturalis, & per eos meretur vitam æternam: nulla eſt alia cauſa principalis, quam denominent huiuſmodi actus, niſi ipſe homo, aut liberum eius arbitrium: ergo verè concurrit ad eoſdem actus, vt cauſa ſecunda principalis. Minor probatur: nam, ſi alia cauſa principalis aſſignaretur, quam huiuſmodi actiones denominarent eſſet ipſe Deus eleuans per gratiam liberum arbitrium ad ſupernaturales actus. Sed Deus non denominatur, nec dicitur formaliter merens, vel intelligens, aut volens ab huiuſmodi actionibus: nam mereri repugnat Deo, ſecundum naturam diuinam, cùm impoſſibile ſit, illum habere ſuperiorem, apud quem mereatur. Et præterea: nam omnia ſunt propria eius bona, ac titulo creationis ei debita. Similiter etiam non dicitur intelligens aut volens ab intellectione, aut volitione, quæ eſt in nobis: ſed ab ea, quæ eſt in ipſo Deo, quæ etiã cum eſſentia diuina realiter, & formaliter identificatur: ergo.

E

Tertiò. De ratione actus vitalis eſt, quòd procedat à principio intrinſeco viuente, & coniuncto. Vnde & generatio, quia eſt actio vitalis, definitur à ſancto Thoma, quòd *ſit origo viuentis à principio viuente coniuncto, in ſimilitudinem naturæ*: ſed intellectio hominis, & volitio etiam ſupernaturalis, verè eſt actio vitalis: ergo neceſſe eſt vt procedat à principio intrinſeco viuente, & coniuncto: ac per conſequens, homo per aliquod principium intrinſecum concurrit effectiuè ad actus ſupernaturales: ſcilicet per vitalitatem potentiæ eleuatam per formam ſupernaturalem, ad modum ſuperiùs explicatum: ac per conſequens erit cauſa ſecunda principalis. Reſpondent, illum modum agendi per modum inſtrumenti non repugnare reſpectu actus vitalis: quia vnamquamque facultatem Deus eleuare poteſt, modo illi accommodato: atque ita eleuat potentiam vitalem ad efficiendum actum ſibi immanẽtem, & tanquã principium intrinſecum eius, quod ſatis eſt ad rationem actus vitalis, ſiue talis potentia influat ex naturali vi, ſiue ex obedientiali, & vt inſtrumentum. Hæc tamen ſolutio videtur inſufficiens: nam, licèt vnamquamque facultatem Deus eleuare poſſit, modo illi accommodato, ſicut eleuat actionem liberam Sacerdotis, verbã conſecrationis ſuper debitam materiam proferentis, vt purè inſtrumentaliter efficiant conuerſionem panis & vini, in Chriſti corpus, & ſanguinem; impoſſibile tamen eſt, quòd eleuet potentiam vitalem, vt actum vitalem ſibi immanentem, merè inſtrumentaliter producat. Quod ſic oſtenditur: nam effectus non dicit formalem, & intrinſecam dependentiam à cauſa purè inſtrumentali, cùm non concurrat ad effectum principalis agentis per formam, aut virtutem ſibi propriam, & proportionatam cum effectu, ſed per motionem, & eleuationem principalis agentis. Vnde, quando agens eſt infinitæ virtutis, ſicuti Deus, poteſt de potentia abſoluta indifferenter vti quolibet inſtrumento ad quemcunque effectum, & eundem effectum immediate per ſeipſum abſque omni inſtrumento cauſare. Conſtat autem, actum vitalem etiam ſupernaturalis ordinis non poſſe produci à Deo, niſi media potentia vitali eleuata per auxilium gratiæ: ergo impoſſibile eſt, quod potentia vitalis ſit cauſa mere inſtrumentalis comparatione eiuſdem actus: ergo neceſſe eſt dicere, quòd ſit cauſa principalis. Præterea impugnatur eadem ſolutio: nam videtur implicare in ſuis dictis. Fatetur enim ex vna parte, Deum eleuare per gratiam potentiam vitalem ad efficiendũ actum ſibi immanentem, tanquam principium intrinſecum eius, & ex alia parte negat, potentiam vitalem eſſe cauſam ſecundam principalem eiuſdem actus: quæ duo inter ſe cohærere non poſſunt, vt oſtenſum eſt.

VIII. S. Thom. 1. p. q. 27. a. 2. in corp.

Solutio.

IX. Quia tenam, vt docet ſanctus Thomas locis ſuperius allegatis, ſed præſertim quæſtione vigeſimaquarta de veritate, articulo primo, ad quintum, cauſa purè inſtrumentalis proprie eſt illa, quæ ita mouetur ab alio agente extrinſeco, vt tamen ſeipſum à principio intrinſeco non moueat, ſed liberum hominis arbitrium non ita mouetur à Deo ad actus ſupernaturales producẽdos, vt ſeipſum à principio intrinſeco non moueat: ergo, vel aſſerendum eſt, hominis arbitrium non eſſe cauſam liberam actuum ſupernaturalium, quod tamen non poteſt admitti; vel dicendum, illud eſſe cauſam ſecundam principalem, & nõ propriè inſtrumentum, comparatione eorundem actuum. Confirmatur tandem, vt dicit ſanctus Thomas prima parte, quæ. 105. articulo quarto, ad ſecundum, & nos idipſum ex profeſſo oſtendemus diſputat. 96. *moueri voluntarie eſt moueri ex ſe, id eſt, à principio intrinſeco.*

Voluntatē moueri quid sit.

intrinseco. Sed illud principium intrinsecum potest esse ab alio principio extrinseco; & sic mouere ex se non repugnat ei, quod mouetur ab alio. Et in solutione ad tertium subdit: *quod si voluntas ita moueretur ab alio, quod ex se nullatenus moueretur, opera voluntatis nō imputarentur ad meritum, vel demeritum. Sed quia per hoc, quod mouetur ab alio, nō excluditur, quin moueatur ex se, vt dictum est, ideo per consequens non tollitur ratio meriti, vel demeriti.* Quibus verbis apertè docet, voluntatem non esse liberam, & consequenter eius opera nō posse illi imputari ad meritum, vel demeritum, nisi moueatur ex se, id est à principio intrinseco: ergo, si ad actus supernaturales ita mouetur à Deo, vt ex se, id est, à principio intrinseco, nullatenus moueretur: sequitur, non esse liberā, respectu actuum supernaturalium, & consequenter per eosdem actus nihil mereri: ergo necessariò dicendum est, voluntatem à Deo excitatam, & motam à principio intrinseco actiuo seipsam mouere, & consequenter esse causam secundam, in suo ordine principalem eorundem actuum.

Ad hoc argumentum respondent, non obstare actui libero, quòd voluntas concurrat ad illum, vt instrumentum proprie, quando est supernaturalis. Et assignant rationem: nam ad actum liberum duo tantùm sunt necessaria. Primum est potestas intrinseca agendi: secundum est potestas non agendi: hoc posterius conuenit voluntati ex se, etiam respectu supernaturalium actuum, & quoad hanc partem dici potest, libertatem actus esse ab illa, vt à causa principali, quia potestas non agendi, à qua actus denominatur liber, quoad istam partem, conuenit voluntati ex propria virtute: & ita, si careat actu, hæc carentia illi principaliter tribuitur. At verò, quoad aliam partem, scilicet potestatem agendi, sufficit ad libertatem, quòd voluntas talem potestatem habeat, quæ sufficiat ad vitaliter eliciendum suum actum, siue hoc possit ex se, siue per amicos, seu vt organum liberum diuinæ gratiæ. Et ex hoc inferunt, quòd licèt volūtas in his actibus supernaturalibus operetur, vt instrumentum Dei, nihilominus est instrumentum liberum, & vera causa libera eorundem actuum.

Sed contra hanc solutionem est efficax argumētum. Nam, secundùm fidem Catholicam, voluntas non solùm est libera in non agendo actus supernaturales, sed etiam in agendo eosdem actus, vt constat ex Concilio Tridentino suprà allegato, & ex definitione potentiæ liberæ, ad quam, vt inferiùs patebit, necessariò requiritur potestas, seu facultas ad vtrumlibet, scilicet ad agendum, & non agēdum: ergo non solùm debet moueri voluntas ex seipsa, hoc est, ab intrinseco principio, cùm non operatur, seu cùm vult non operari actum supernaturalem, sed etiam cùm operatur illum. Præterea: nam, si quoad potestatem agendi sufficeret ad libertatem, quòd ipsa voluntas talem potestatem habeat, quæ sufficiat ad vitaliter eliciēdum suum actum; sequeretur, quòd nō esset magis libera ad producendum actus charitatis, quos elicit in via, quàm ad diligendum Deum clarè visum in patria; & ita non haberet nunc sufficientem libertatem ad merendum per actum charitatis: nam in amore beatifico nō est sufficiens libertas ad merēdum, cùm ille actus sit simpliciter necessarius, vt suprà dictū est. Sequela probatur: nam in Patria voluntas reuerà habet potestatem ad vitaliter eliciendum actum dilectionis beatificæ: ergo si hęc potestas sufficit ad libertatē actus dilectionis, eadē libertate erit liber actus dilectionis Dei in Patria & in via. Præterea: quoniam stat, actum esse vitalem, & non esse liberum, vt patet in actibus intellectus, & voluntatis primò primis, &

* *Did. Aluarez de auxiliis diu. gr.*

Disput 115. 116. & 117.

A in cognitione & amore, quo Deus seipsum cognoscit, & diligit: plura enim requiruntur ad actum liberum, quam ad actum vitalem: ergo potestas, ad vitaliter eliciendum suum actum, non est sufficiens, vt liberè illum producat ea libertate, quæ ad meritum, vel demeritum est necessaria.

Quintò idipsum probatur, destruendo fundamentum potissimum oppositæ sententiæ. Ex eo enim probat, voluntatem non esse causam secundam principalem actuum supernaturalium, sed solùm instrumentalem, quia secundùm se nullam habet virtutem actiuam respectu illorum actuum, sed solùm potentiam obedientialem, secundùm illud, quod dicit Augustinus: *Posse habere fidem naturæ est hominum*; sed hæc ratio supponit falsum: ergo, &c. X. Lib. de prad. Sanct. cap. 5.

B Minor probatur: nam, quamuis intellectus, & voluntas, secundùm se, nullam habeant naturalem virtutem proximam actiuam comparatione actuum supernaturalium, habent nihilominùs radicaliter actiuitatem, respectu eorundem actuum, in quātum sunt vitales. Vitalitas enim actionum supernaturalium, quamuis formaliter procedat, vt quo, à principio supernaturali, radicaliter tamen dependet à vita naturali, quæ procedit ab anima, vt disputatione sexagesimaquarta ostensum est; hæc autem dependentia est sufficiens, vt vitales potentiæ eleuatæ per formam supernaturalem sint causæ secundæ principales actionum supernaturalium, vt dictum est suprà, & patebit amplius in solutionibus argumentorum: ergo.

Vitalitas actus supernaturalis procedit, vt quo à principio supernaturali.

C Confirmatur. Si intellectus, & voluntas secūdum se nullam habent actiuitatem radicalem, & remotam, comparatione vitalium actionum supernaturalium, sed solùm potentiam quandam obedientialem, qualis reperitur in omnibus rebus, vt in illis, & de illis fiat quidquid Deus voluerit; sequeretur, quòd, sicut Deus vtitur intellectu, & voluntate ad producendos actus supernaturales, posset indifferenter vti quacunq; alia creatura, vel potentia creata ad producendum eosdem actus, & ita posset per lapidem, vel per potentiam visiuam, vel per aliam quamcunque rem naturalem producere actum charitatis, & fidei supernaturalis; quod est absurdum. Probatur sequela: nam, sicut Deus vtitur aqua baptismali ad causandam gratiam habitualem, potest sua potentia absoluta indifferenter vti quacunque alia creatura & actione creata ad eundem effectum producendum; quoniam aqua concurrit solùm instrumentaliter ad productionem gratiæ: ergo, si voluntas solùm concurrit instrumentaliter ad productionem actus supernaturalis; sequitur, quòd Deus possit per quamcunque aliam creaturam, vel potentiam, eundem actum producere. Item etiam sequeretur, quòd liberum arbitrium eleuatum per habitum charitatis, non aliter, neque in alio genere causæ attingeret actum charitatis, nisi in eo genere, quo sacramenta nouæ legis efficiunt gratiam iustificantem: nam etiam sacramenta instrumentaliter attingunt gratiam. Consequens autem est absurdum: nam aliàs in iustificatione liberum arbitrium haberet se omnino, tanquam inanime, quod tamen est contra Concilium Tridentinum: ergo.

D

E

Sextò. Causa instrumentalis debet, ratione propriæ formæ, habere aliquam actionem præuiam, per quam operetur dispositiuè ad effectum principalis agentis, vt prima parte quæstione quadragesimaquinta, articulo quinto, docet sanctus Thomas. Sed in homine nulla potest esse, nec imaginari actio præuia, per quam operetur dispositiuè ad actus supernaturales producendos: ergo, respectu eorūdem actuū, non est causa instrumentalis. Cùm ergo verè sit causa efficiens taliū actuū; relin- XI.

Digitized by Google

quitur,quòd ſit cauſa ſecunda eorum principalis.

Septimò. Potentia naturalis concurrit, vt cauſa ſecunda principalis ad naturales operationes ſibi proportionatas,ſicut potentia viſiua ad videndum: ergo potentia ſupernaturalis concurret etiam, vt cauſa ſecunda principalis ad ſupernaturales operationes eidem potentiæ proportionatas. Sed voluntas per habitum charitatis, ſit potentia ſupernaturalis eiuſdem ordinis cum gratia: nam, vt ſuprà dictum eſt,habitus ſupernaturales, cum ſint ſupremi inter omnes habitus,attingunt rationem potentiæ, eò quòd ſupremum infimi attingit infimum ſupremi. Vnde huiuſmodi habitus ſunt neceſſarij,nó ſolùm ad facilius,ſed ad ſimpliciter operandum: ergo voluntas eleuata per habitum charitatis, erit cauſa ſecunda principalis actuum ſupernaturalium charitatis,cum quibus habet proportionem.

XII. Liber arbitr. eleuatum per motionem diuinã eſt cauſa ſecunda principalis actuum.

Secunda Concluſio. Etiamſi liberum arbitrium non eleuetur per habitus ſupernaturales ad ſupernaturales actus producendos,ſed per auxilium ſpeciale, & per motionem ſupernaturalem tranſeuntem,erit nihilominùs cauſa ſecunda principalis talium actuum, & non purum inſtrumentum. Probatur concluſio argumentis pro concluſione præcedenti à nobis factis, quæ hanc etiam efficaciter concludunt. Præterea nam,quòd forma ſupernaturalis,per quam actuatur liberum arbitrium, & eleuatur,vt actus ſupernaturales producat,ſeu in illi per modum permanentis, aut per modum tranſeuntis, eſt impertinens, & omnino ſe habet per accidens ad hoc,quòd liberum arbitrium concurrat,vel non concurrat inſtrumentaliter. Etenim, ſiue iſto modo, ſiue illo perficiatur,ſemper eleuatur ad producendum actum ſupernaturalem, intra latitudinem adæquati obiecti,vt ſuprà explicatum eſt. Et præterea,quia ipſe actus ſupernaturalis,inquanti in vitalis eſt,& liber,ſemper procedit radicaliter à vitalitate,& libertate potentiæ naturalis; ſcilicet liberi arbitrij, quod quidem etiam per potentiam Dei abſolutam non poſſet eleuari ad actum charitatis liberum, & alios ſimiles actus efficiendos, niſi ex natura ſua eſſet potentia vitalis,& libera ſed quando eleuatur per habitum ſupernaturalem, vere eſt cauſa ſecunda principalis illarum actionum: ergo ſimiliter eſt cauſa principalis, quando eleuatur per motionem præuiam,ſeu auxilium ſpeciale.

Confirmatur. Quoniam alias ſequeretur,quod omnes diſpoſitiones ſupernaturales, tempore antecedentes infuſionem habitus, ſicut ſunt attritio, timor inferni, pia deſideria,& alij huiuſmodi actus vitales, & liberi, qui reuera ſunt ſupernaturales; non producerentur ab homine, vt à cauſa ſecunda principali, ſed ſolùm, tanquam à cauſa inſtrumentali: nam liberum arbitrium non eleuatur per habitum ſupernaturalẽ, ſed per auxilium ſpeciale, vt hoſce actus producat: ergo, ſi eſt neceſſarius habitus, vt ſit cauſa principalis actuum ſupernaturalium; ſequitur quod non ſit cauſa principalis, ſed inſtrumentalis iſtorum actuum.

XIII. Potentia obedientialis, quam habet voluntas in ordine ad Deum, eſt duplex.

AD primum argumentum reſpondetur,voluntatem creatam non habere virtutem aliquam connaturalem,quæ,natura ſua,efficientia proxima, & formali,ſit effectrix actus ſupernaturalis, neque vt cauſa totalis,neque vt partialis; nihilominùs tamen dicendum eſt,eam habere virtutem connaturalem,radicalem,& remotam,qua,ſuppoſita eleuatione per formam actuum ſupernaturalem efficiat, vt cauſa ſecunda principalis & totalis in ſuo genere,ſupernaturales actus: & ideo eleuata non concurrit ſolùm,vt inſtrumentum Dei eleuantis,ſed vt cauſa proxima principalis.

Ad ſecundum reſpondetur, quòd in voluntate creata reperitur duplex potentialitas in ordine ad Deum, vt eſt auctor gratiæ. Altera comparatione habituum ſupernaturalium,quos Deus poteſt in ea producere:& hæc eſt potentia obedientialis paſſiua, & non actiua: nam, ſub hac ratione ſolum eſt potentia ad recipiendum habitum ab eo, non autem ad illum producendum & ideo non poteſt eſſe ei debitus concurſus Dei ſupernaturalis; eò quòd talis concurſus,cùm ſit ad agendum,non confertur, niſi potentiæ actiuæ. Altera eſt potentia ad agendũ actum ſupernaturalem;& hæc vel eſt remota,qualis reperitur in ipſa natura rationali,ſecundùm ſe conſiderata;& tali potentiæ actiuæ non debetur concurſus ſupernaturalis Dei;quia immediatè non ordinatur ad agendum, ſed inter illam, & actum ſupernaturalem mediat habitus ſupernaturalis, vel actuale auxilium ſpeciale,quo immediatè,& proximè fit potens,vt talem actum producat. Si autem potentia ad agendum ſupernaturalem actum, ſit proxima,adhuc non debetur illi cõcurſus Dei, quò ad actualiter operandum moueatur,& prædeterminetur; quoniã hæc motio,& prædeterminatio gratis confertur à Deo,nec poteſt homo,etiam iuſtus, eam præuenire,aut promereri,vt ſuprà dictum eſt. Quòd ſi Deus ſua miſericordia velit hominem iuſtum præmouere, atque ad pie operandum prædeterminare,& efficere,vt operetur; tunc concurſus ſupernaturalis, quo Deus, vnà cum libero arbitrio ad actum ſupernaturalem concurrit,erit ei proportionatus ſecundùm ordinem gratiæ. Vnde non ſequitur,quòd gratia ſit debita naturæ.

Ad tertium reſpondetur, quòd, quamuis forma actiua ſupernaturalis,per quam eleuatur voluntas ad actus ſupernaturales eliciendos,non ſit a natura,ſed ab auctore gratiæ;eſt tamen actuans formaliter creatam voluntatem,&eam perficiens conformiter ad ſuam naturã,& in ordine ad aliquid,quod continetur intra latitudinem adæquati obiecti illius;&ita ſic eleuata operatur actus ſupernaturales, vt cauſa principalis. Et idem dicendum de intellectu per lumen gloriæ eleuato ad viſionem beatificam.

XIV. Aqua calida inſtrumentaliter concurrit ad calefaciendum.

Secundò reſpondetur,quòd dupliciter poteſt aliqua creatura operari,vt eleuata,& mota a ſuperiori agente. Primò ita,quòd motio illa,& eleuatio ſit tota ratio tam formalis, & proxima, quàm radicalis, & remota, attingendi effe tumſicut aqua ab igne calefacta,& mota,atque ab eo eleuata calefactiuum Aqua enim,ſecundum ſe,nullam habet actiuitatem,etiam radicalem,& remotã, reſpectu calefactionis;quin potius ex natura ſua, illi competit eſſe principium infrigidandi; & tunc ſolùm concurrit inſtrumentaliter. Secundò,quando eleuatio eſt quidem tota ratio proxima, & formalis operandi, ſed tamen ſupponit in potentia, quæ eleuatur,radicalem virtutem actiuam, & remotam, quæ quidem per eleuationem conſtituitur in ratione potentiæ proximæ, comparatione talis obiecti, quod licèt excedat eius naturam, continetur tamen intra latitudinem adæquati obiecti eiuſdem potentiæ; & tunc potentia, quæ operatur, vt eleuata, concurrit ad actum, vt cauſa ſecunda principalis, & non vt merum inſtrumentum: & ſic operatur viſionem beatificam intellectus eleuatus per lumen gloriæ,& voluntas operatur actum charitatis eleuata per habitum charitatis, vel per auxilium ſpeciale. Et cùm arguitur: nam ſecundum ſanctum Thomam cauſa principalis eſt illa,quæ operatur per propriam formam proportionatam cum effectu; reſpondetur, quòd ſemper propriæ formæ non intelligit tantùm eam formam, quæ competit rei ex propriis principiis naturæ, ſed etiã illam Cauſa principalis quæ dicatur.

illam, quæ, licet sit supra eius naturam, & in sit ei ab agente extrinseco, perficit tamen potentiam ad modum propriæ naturæ, & in ordine ad proprium eius obiectum adæquatum, & propriam operationem. Motio enim instrumenti non perficit illud in ordine ad propriam operationem, sed ad operationem propriam alterius agentis, nempe ad faciendum opus, quod est proprium artificis. Et similiter aqua ab igne calefacta, per motionem ignis non mouetur ad propriam operationem, sed ad effectū proprium alterius agentis, nempe ignis, à quo eleuatur ad calefaciendum; & ideo non est causa principalis huius effectus, sed purè instrumentalis. Quia ergo habitus charitatis perficit voluntatem in ordine ad propriam eius operationem, quæ est velle & diligere, cum huiusmodi actus non possit ab alia potentia, quàm à voluntate produci; ideo cùm voluntas operatur per talem habitum, censetur operari per propriam formam proportionatam cum effectu, ac per consequens produci illum, vt causa secunda principalis, & non vt merum instrumentum. Et per hęc patet solutio ad confirmationem.

Ad quartum respondetur, omne agens principale creatum habere quidem actum determinatum, quoad genus, vel speciem actionis; nó tamen oportet, quòd eius actus sit determinatus, quoad intensionem; alias actus naturalis charitatis Dei non esset ab homine, vt à causa secunda principali: nam, vt secunda secundæ, quæst. 24. artic. 7. docet sanct. Thomas, charitas semper potest augeri in infinitum; & idē esset dicēdu de aliis actibus virtutu, qui possunt crescere in infinitū, quantùm ad intensionem actus.

XV. Ad quintum respondetur, quòd, vt dicit sanctus Thomas quæstione vigesimaquarta de veritate, art. 1. ad quartum, *causa prima dicitur esse principalis, simpliciter loquendo, propter hoc, quòd magis influit in effectum: sed causa secunda secundum quid principalis est, inquantum effectus ei magis conformantur.* Iuxta istum modum sancti Patres, qui dicūt, liberum arbitrium esse instrumentum diuinæ gratiæ, loquuntur de instrumento in generali quadam acceptione, vt suprà dictum est. Et similiter cùm negant, liberum arbitrium esse agens principale in negotio nostræ salutis, loquuntur de agente principali simpliciter, & omnibus modis, quatenus distinguitur ab agente principali, quod ita agit, vt non agatur, vel moueatur ab alio. Hoc enim modo solus Deus est agens principale, etiam respectu actuum supernaturalium, quibus homo ad gratiam disponitur: nam liberum arbitrium, aliquo modo est agens instrumentale, respectu eorundem actuum, vt suprà dictum est. Vel explicandi sunt de agente principali, respectu gratiæ iustificantis, & habituum supernaturalium, quorum solus Deus est causa efficiens principalis: nam liberum arbitrium solùm concurrit dispositiuè ad eosdem habitus producendos, vel, vt plurimùm, instrumentaliter; sicut contingit, quando contritio eleuatur per Sacramentum pœnitentiæ ad causandam gratiam in anima.

Lib. arbit. in quo sensu dicatur instrumentum diuinę gratiæ.

Ad confirmationem respondetur, quòd, licèt liberum hominis arbitrium, à Deo motum, & excitatum, sit causa secunda principalis vltimæ dispositionis ad gratiam; non tamen est causa secunda principalis gratiæ propter rationem assignatam disputatione sexagesima sexta, nu. 12. & præterea: nam auxilium Dei, sicut & habitus, non perficit potentiam ad productionem alterius habitus, qualis est gratia, sed ad productionem actus.

Ad sextum negatur antecedens. Ad eius probationem respondetur per ea, quæ dicta sunt in secunda conclusione. Et, si argumentum aliquid probaret, concluderet, liberum arbitrium non esse causam etiam instrumentalem actionum supernaturalium: nam etiam auxilium diuinum quo concurrit cum causis secundis, non cōstituit formaliter ipsam causam in ratione instrumenti, cùm huiusmodi cōcursus generalis sit, & communis ad causas secundas principales, & instrumentales. Respondetur ergo, quòd, quando auxilium diuinum, quo cōcurrit cum causis secundis, est generale, non efficit proportionem effectus cum causa secunda, nisi ipsa causa habeat in se principium proportionatum. Cæterùm, quando auxilium est speciale, & tribuitur potentiæ vitali, ad actus, qui continentur sub vniuersali ratione proprij obiecti adæquati, sicut contingit in casu nostræ disputationis; tunc auxilium diuinum efficit proportionem effectus cum causa secunda, scilicet cum potentia vitali, quæ per illud auxilium primò eleuatur ad esse supernaturale, & consti tuitur proxime in ratione potētiæ, comparatione actuum supernaturalium, quando non inuenit potentiam eleuatam per habitum: tunc enim auxilium speciale supplet, quantum ad hoc, vicem ipsius habitus. Nec est eadem ratio de penicillo, qui mouetur ab artifice ad figurandam imaginē, vt ex dictis in secunda conclusione, & in solutione ad tertiū argumentū cōstat.

XVI. Ad confirmationē negatur antecedens: iam enim suprà ostensum est, illam maiorem intensionē actus charitatis, supra habitum præexistentem, non posse producī effectiue ab habitu, qui in illo instanti augetur, scilicet ab habitu, vt sex, sed ab habitu præexistente, vt quinque, eleuato per auxilium Dei actuale intensum, vt sex. Nec ex hoc sequitur, quòd respectu illius maioris intensionis, liberum arbitrium, habitu præexistente informatum, sit causa instrumētalis, vt ex supradictis constat. Sed vrget contra hoc argumentum: nam, si Deus suo concursu speciali eleuaret ignem habentem solum calorem, vt octo, vt per illum produceret calidum, vt decem; tunc ignis solùm esset agens instrumentale, respectu illius maioris intensionis; quia non operaretur illam virtute propriæ formæ proportionatæ cum effectu, sed per motionem alterius agentis: ergo similiter, quando liberum arbitrium producit actum supernaturalem, aut maiorem eius intensionem, per solam motionem auxilij specialis; erit causa instrumentalis, & non principalis comparatione eiusdem actus, aut intentionis illius. Respondetur, negando consequentiam: nam ignis, cùm sit agens naturale, est ex natura sua determinatus ad vnum, & quantùm ad speciem actionis, & quantùm ad intensionem illius, nec est potentia vitalis; & ideo, si eleuetur ad effectum magis intensum, quàm sit propria forma naturalis, solùm concurret ad illum, vt purum instrumentum, si consideretur effectus secundùm maiorem intēsionem; in qua excedit naturalem formam ignis. At liberum arbitrium est agens liberum, & potentia vitalis. Vnde, quomodocunque eleuetur à Deo per aliquid inhærens, vt actum liberum producat, semper erit causa secunda principalis, respectu eiusdem actus, vt dictum est.

Obiectio.

Solutio.

DISPVTATIO LXIX.

Vtrùm de potentia Dei absoluta creari possit aliqua substantia intellectualis, cui ex solis viribus naturæ competat diligere Deum super omnia, vt est auctor gratiæ, & alios actus supernaturales elicere.

COnsimilem difficultatem sanct. Thom. pertractat in particulari de visione beatifica 1. p. quæst. I.

q. 12.art.4.& 5.& ibi eius interpretes.Sed quoniam ex eius intelligentia dilucidiora fient, quæ de viribus naturalibus creati arbitrij in superioribus dicta sunt,& quæ de necessitate,& quidditate gratiæ dicetur infra,visum est in præsenti generaliter de omnibus actibus supernaturalibus idipsum inquirere.

Est ergo prima sententia asserentium, esse creabilem a Deo substantiam intellectualem,cui sit cõnaturale,ex propriis viribus,videre Deum per essẽtiam,& alios actus supernaturales elicere.Addunt-que nullam sibi concurrere rationem, quæ euidenter demonstret id esse impossibile.

Probatur primò hæc sententia.Deus potest creare aliquam substantiam supernaturalem, ex qua ad modum passionis fluat lumen gloriæ, & alij supernaturales habitus fidei,charitatis, &c. ergo poterit creare substantiam,cui cõnaturale sit videre Deum per essentiam, & illum super omnia, vt est auctor gratiæ,diligere.Probatur consequentia: nam, cùm lumen gloriæ,& habitus charitatis sit virtus actiua, ad videndum Deum,& illum,vt est auctor gratiæ, diligendum, cui fuerint connaturales huiusmodi habitus,erit etiam cõnaturale,Deum per essentiam videre,& illum,vt est auctor gratiæ,diligere. Antecedens autem probatur Nam Deus producit de facto accidentia supernaturalia,vt habitum gratiæ,& charitatis:ergo non implicat,quòd producat aliquá substantiam supernaturalem, ex qua fluat lumen gloriæ, & alij habitus infusi.Non enim est assignabilis sufficiens ratio, propter quam dari possint accidentia creata supernaturalis ordinis, & implicet, dari substantiam creatam eiusdem ordinis.

Confirmatur. Accidens est quædam participatio substantiæ:ergo, si datur accidens supernaturale,creari poterit a Deo substantia supernaturalis,ex qua supernaturalia accidentia ad modum proprietatis naturalis dimanent.

Secundò arguitur. Quod est accidens commune, respectu vnius,est,aut esse potest propria passio respectu alterius.vt patet in calore,qui respectu aquę, est accidens commune, & separabile;respectu autem ignis, est propria passio naturaliter dimanans ab eius essentia sed gratia habitualis,& alij habitus infusi sunt accidentia communia,& separabilia,respectu hominis,ergo creabilis est a Deo aliqua substantia,ex qua,per modum passionis,huiusmodi habitus dimanent.

Tertiò Gratia habitualis, & charitas est connaturalis animæ Christi,vt videtur docere S.Th.3.p.q. 2.ar.12.& S.Aug.in Enchirid.ad Laurent.c.2.40. sed anima Christi est substantia creata:ergo alicui substantiæ creatæ connaturalis est,aut esse potest gratia,& charitas:ergo etiam erit illi connaturale diligere Deũ super omnia,vt est auctor gratię.Probatur cõsequẽtia.nam,cui habitus est cõnaturalis, est etiã connaturalis actus ab eodem habitu procedens.

II. Quartò.Si propter aliquam rationem non posset communicari alicui substantiæ creatæ; vel creabili, vt ex solis viribus naturæ videat Deum per essentiam,& actu sibi connaturali illum diligat, inquantùm est auctor gratiæ:maxime, quia hoc est propria perfectio,& connaturalis solius Dei; sed hæc ratio nihil concludit:ergo. Minor probatur: nam etiam est propria perfectio, & connaturalis Dei, habere esse,& existere:dicitur enim ex personaDei Exod.3. *Qui est,misit me ad vos.*Et iterum: *Ego sum,qui sum.*Et tamen de facto,Deus communicat creaturis, vt ex propriis principiis habeant esse,& existere: connaturale est enim homini esse,& Angelis cõnaturale est,incorruptibiles esse,vt prima parte docet sãctus Thomas:ergo,quamuis videre Deum per essentiã, & illum,inquantum est auctor gratiæ, super omnia A diligere sit connaturale ipsi Deo,poterit communicari puræ creaturæ,vt ex principiis naturæ Deum clarè videat,&c.

Confirmatur. Solum est incommunicabile creaturæ,quòd habeat a se ipsa esse,&operari:non tamẽ est incommunicabile, habere ex principiis naturæ esse dependens à Deo,vt a prima causa efficiente,& similiter operari: ergo etiam poterit communicari creaturæ,quod dependẽter a Deo,vt a prima causa efficiente, per suam substantiam sit ordinis supernaturalis sicut communicatur illi,quòd per suam substantiam habeat esse naturale: non ergo repugnat, dari substantiam supernaturalem,ex qua habitus supernaturales ad modum passionis dimanẽt: poterit ergo illa substantia creata,ex propriis naturæ principiis,clare videre, & super omnia diligere B Deum,& alios actus supernaturales elicere.

Quintò arguitur, destruendo rationem S. Thomæ.ex eo enim probat,esse impossibile,intellectum creatum per sua naturalia, diuinam essentiam videre,quia Deus, cùm sit suum esse, excedit modum essendi, & cognoscendi cuiuscunque intellectus creati,& ita non potest ab eo, propriis viribus, euidenter cognosci:nam cognitum est in cognoscente, secundum naturam cognoscentis: sed hæc ratio est nulla: ergo. Minor probatur: nam ex illo principio sancti Thomæ,cognitum est in cognoscente, secundum modum cognoscentis; non sequitur, quòd natura cognoscentis debeat æquari cum obiecto cognito, sed solùm infertur, quòd cognitio C debeat esse proportionata cognoscenti: alias enim Angelus inferiòr,ex viribus naturæ,nõ posset quidditatiuè cognoscere superiorem:nam modus essendi superioris Angeli excedit modum essendi Angeli inferioris: ergo, quamuis intellectus creatus nõn possit per sua naturalia adæquari essentiæ diuinæ, quantùm ad modum essendi, poterit nihilominùs, de potentia Dei absoluta, viribus naturæ, diuinam essentiam cognoscere.

Confirmatur: nam sequeretur ex ratione sancti Thomæ,quòd intellectus creatus, adhuc illustratus lumine gloriæ, non posset clare videre essentiam diuinam, consequens est erroneum: ergo. Sequelá probatur: nam intellectus creatus, etiam cum lumine gloriæ,non adæquat modum essendi ipsius essentiæ diuinæ: nam adhuc cum lumine gloriæ non D est purus actus nec suum esse, sed semper habet admixtam potentiam:ergo.

III. Secunda sententia est S.Thom.1.p.q.12. articulo 4.& 5.& quæstion.4.de malo,artic.1.ad 14.& quæst. 8.de veritate,articulo 3.& in 4. sentent.distinction. 49.quæstion.2.articul.6.& 12.quæstion.5. articulo 5. vbi apertè docet,nullum intellectum creatum posse, ex solis naturæ viribus, Deum per essentiam videre:& idem dicit de aliis actibus supernaturalibus 1: 2. quæst. 109. artic. 5. & 6.& rationes S.Thom.concludunt, id esse impossibile, etiã per potentiam Dei absolutam. Eandem sententiam sequuntur communiter Thomistæ; eam docet expressè Caietanus 3. p. quæst. 76. artic. 7. §.ad euidentiam, vbi ait,quòd *omnia,ex suo genere supernaturalia,nulli possunt enti esse, aut fieri connaturalia.* Et idem dicit 1 part.quæst. 12. articulo 5. ad 3. Durandi. Ad cuius explicationem notandum primò, quòd modus cognoscendi sequitur modum essendi, vnde sicut distinguuntur quatuor gradus rerum,& potentiarum in modo essendi; ita debent distingui in modo cognoscendi. Primus gradus est rerum corporalium, siue potentiæ corporalis, quæ vtitur organo corporeo, & huiusmodi potentijs connaturale est cognoscere res, secundùm quòd sunt in materia individuali: vnde sensus non potest cognoscere, nisi singularia, iuxta E

Rerũ quatuor sunt gradus.

illud

illud Arist. *Sensus est singularium; intellectus autem universalium.* Secundus est potentiæ, quæ, secundùm se non dependet à materia, neque vtitur organo corporeo, veruntamen ratione ſtatus dependet in ſua cognitione ab indiuiduis materialibus, à quibus abſtrahit naturam vniuerſalẽ, quam cognoſcit, ſicut intellectus hominis: & huic intellectui connaturale eſt cognoſcere naturam abſtractam à materialibus indiuiduis. Vnde non poteſt per ſolas vires naturæ, quidditatiuè cognoſcere ſubſtantias ſeparatas à materia, vt docet S. Thom. 1. p. qu. 88. art. 1. & 2. Tertius gradus eſt potentiæ, quæ neque eſt materialis, neque in materia, habet tamen aliquam potentialitatem, & imperfectionem quandam admixtam, eò quòd non eſt ſuum intelligere, nec ſuum eſſe, ſicut intellectus Angelicus; & huic eſt connaturale cognoſcere naturas per ſe exiſtentes ſine materia, quæ non ſunt ſuum eſſe, neque ipſa actualitas. Quartus, & ſupremus modus, ſeu gradus potentiæ eſt, quæ neque eſt materialis, neque in materia, neque habet aliquam potentialitatem, ſed eſt ſuum eſſe per eſſentiam, ſicut intellectus diuinus, cui tantum connaturale eſt, videre clarè ipſum eſſe per ſe ſubſiſtẽs, cuiuſmodi eſt eſſentia diuina.

Potẽtiarum quatuor gradus, ſicut & terũ.

IV. Notandum ſecundò, quòd propoſitio illa aſſumpta à S. Thoma; cognitum eſt in cognoſcente, ſecundùm modum cognoſcentis; ſic eſt intelligenda, quòd inter obiectum cognitum, & virtutem cognoſcitiuam ipſius cognoſcentis, debet eſſe proportio, taliter quòd obiectum cognitum, & virtus cognoſcentis ſint eiuſdem ordinis. Cùm ergo implicet contradictionẽ, quòd aliquis intellectus creatus, per ſua naturalia, ſit ordinis diuini; euidenter ſequitur, quòd non poſſit, per vires naturæ, videre Deum per eſſentiam. Quòd autem nullus intellectus creatus, vel creabilis poſſit eſſe per ſua naturalia ordinis diuini, ex eo patet, quoniam aliàs eſſet Deus per eſſentiam; quod implicat: Nulla enim ſubſtantia habet per ſua naturalia; quòd ſit ordinis diuini, niſi ſolus Deus: ergo, neque intellectui creato poteſt cõpetere, quòd per ſuam eſſentiam ſit ordinis diuini.

Cognitum eſſe in cognoſcente ſecundùm modum cognoſcentis quomodo intelligatur.

V. Ex his fundamentis deducitur euidens ratio pro concluſione ſancti Thomæ. Nihil, quod eſt inferioris naturæ, quantùm ad prædictos quatuor gradus eſſendi, poteſt per ſua naturalia cognoſcere quidditatiuè id, quod eſt ſuperioris naturæ: anima enim rationalis, quandiu habet modum eſſendi in corpore, non poteſt per ſua naturalia cognoſcere quidditatiuè Angelum, qui habet modum eſſendi extra omne corpus: ſed eſſentia diuina habet modum eſſẽdi ſuperioris ordinis ad quemlibet intellectũ creatum, & creabilem, quia eſſentia diuina eſt ſuum eſſe, & purus actus; nullus autem intellectus creatus, aut creabilis eſt, aut eſſe poteſt ſuum eſſe, aut purus actus: ergo nullus intellectus creatus, aut creabilis poteſt per ſua naturalia Deum per eſſentiam videre.

Intellectus nullus creatus, vel creabilis poteſt per ſua naturalia Deũ per eſſentiam videre.

Secundò probatur. Fides Catholica docet, viſionem beatificam eſſe ſupra totam naturam intellectus creati, vt patet ex Concilio Viennenſi ſub Clemente V. & habetur in Clementina Ad noſtram, de hæreticis: vbi, inter errores Begardorum, & Veguinorum, dãnatur quintus, quòd ſcilicet quælibet intellectualis natura in ſeipſa naturaliter eſt beata, quódque anima non indiget lumine gloriæ, quo eleuetur ad Deum videndum. Et probatur ex illo 1. ad Timoth. 6. *Lucem habitat inacceſſibilem, quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt*, ſcilicet ex viribus naturæ. Et Iſai. 64. *Oculus non vidit, Deus, abſque te, qua præparaſti expectantibus te.* Et ad Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna.* Ergo nullus intellectus creatus poteſt, per ſua naturalia, Deum per eſſentiam videre: aliàs enim viſio beatifica non eſſet ſupra totum ordinem naturæ.

VI. Reſpondent, ex prædictis locis Scripturæ, & Cõcilij ſolùm haberi, viſionem beatificam eſſe ſupra omnem naturam intellectus creati; non tamen definiunt, quòd ſit ſupra naturam cuiuſcunque intellectus creabilis, de potentia Dei abſoluta, quia ſolùm loquuntur de intellectu creato à Deo, vel creãdo. Hæc tamen ſolutio non videtur verbis Scripturæ, & Concilij congruere: nam abſolutè docent, quòd viſio beatifica eſt ſupernaturalis: ergo ſentiũt, eam eſſe ſupra omnem facultatem naturæ creatæ, & creabilis. Probatur conſequentia: nam, quod eſt ſupra facultatem huius naturæ creatæ, & non alterius, non dicitur ſimpliciter ſupernaturale, ſed ſecundùm quid; ſicut ignire non eſt aliquid ſupernaturale ſimpliciter, quia licèt ſit ſupra naturam aquę, non tamen eſt ſupra naturam ignis.

Tertiò probatur. Nullus poteſt videre Deum clarè, niſi eſſentia diuina vniatur eius intellectui, in ratione ſpeciei intelligibilis; quia, vt docet ſanctus Thomas, per nullam ſpeciem creatam poteſt Deus quidditatiuè cognoſci; ſed implicat, quòd aliquis intellectus creatus, vel creabilis habeat per facultatem naturæ, ſibi vnitam eſſentiam diuinam, in ratione ſpeciei intelligibilis: ergo. Confirmatur. Lumen gloriæ, ex natura ſua, eſt diſpoſitio ad hoc, quòd eſſentia diuina recipiatur in intellectu creato per modum ſpeciei intelligibilis: ergo non poteſt eſſe connaturale alicui intellectui, niſi illi ſit connaturale habere ſibi vnitam eſſentiam diuinam. ſicut calor, vt octo, non poteſt eſſe alicui connaturalis, niſi cui eſt connaturallis forma ignis, eò quòd ex natura ſua, eſt vltima diſpoſitio ad ignẽ: ſed nulli intellectui creato eſt connaturale habere eſſentiam diuinam ſibi vnitam: ergo non poteſt eſſe illi connaturale, habere lumen gloriæ: ergo nec viſio beatifica poteſt eſſe illi connaturalis. Probatur iſta conſequentia: quoniam, vt infrà patebit, lumen gloriæ eſt ſimpliciter neceſſarium ad videndum Deum quidditatiuè. *1. part. q. 12. art. 2.*

VII. Quartò. Impoſſibile eſt, aliquam ſubſtantiam intellectualem à Deo creari, cui ex natura ſua competat eſſe impeccabilem: quoniam eo ipſo, quòd liberum arbitrium producitur ex nihilo, eſt ex natura ſua defectibile, & peccabile. Ita docet ſanctus Auguſtinus libro 12. de Ciuitate Dei, cap. 1. & libro 2. de vitiis & concupiſcentiis, cap. 28. S. Gregor. 25. Moral. cap. 5. Nyſſenus libro 1. de libero arbitrio, ca. vltim. Damaſc. libro 2. fidei orthod. cap. 27. Cyrillus lib. 11. in Ioan. c. 25. Rupertus lib. 1. in Geneſ. c. 15. S. Thom. 2. ſent. diſt. 34. quæſt. 1. art. 3. ad quartum: ergo etiam eſt impoſſibile, dari ſubſtantiam intellectualem creatam, cui, ex naturæ principiis, competat videre Deum per eſſentiam. Probatur conſequentia: nam ad claram viſionem diuinæ eſſentiæ neceſſariò conſequitur impeccabilitas, vt 1. 2. quæſt. 5. artic. 4. docet Sanctus Thomas.

Lib. arb ex natura ſua eſt peccabile, quia ex nihilo productum eſt.

Quintò id ipſum probatur generaliter de omnibus habitibus, & actibus ſupernaturalibus fidei, ſpei, & charitatis: nam, vt diſputat. 64. dictum eſt, etiam huiuſmodi actus ſunt, ſecundùm ſubſtantiam, ſupernaturales, ſicut eſt viſio beatifica: ergo non poſſunt eſſe connaturales vlli ſubſtantiæ creatæ, vel creabili, aut produci ab illa ex ſolis viribus naturæ.

Sexto arguitur. Ea, quæ in ſuo conceptu formali important infinitam perfectionem, non poſſunt, etiam per Dei potentiam abſolutam, puræ creaturæ communicari, ſicut eſſe purum actum, habere eſſe à ſe ipſo, & ſimilia: ſed producere actus ſupernaturales ex propriis principiis naturæ, importat formaliter infinitam perfectionem, quoniam ad hoc requiritur, vt ſuppoſitum eliciens illos actus,

ſecundùm ſe, ſit ordinis diuini, & conſequenter Deus per eſſentiam: ergo.

VIII. Habitus ſupernaturales non poſſunt eſſe connaturales alicui ſubſtantiæ creatæ, vel creabili.

Septimò. Impoſſibile eſt, quòd gratia habitualis ſit connaturalis alicui ſubſtantiæ creatę, vel creabili: ergo etiam eſt impoſſibile, quòd charitas, vel eius actus ſit ei connaturalis, aut ex ſolis viribus naturæ procedens. Probatur conſequentia: nam cui non eſt connaturalis eſſentia, non poteſt eſſe connaturalis propria eius paſſio: charitas autem ſequitur ad gratiam habitualem, tanquam propria paſſio, vt prima ſecundæ docet ſanctus Thomas. Et antecedens probatur, quia contra rationem gratiæ eſt, quòd ſit debita naturæ: ex eo enim gratia dicitur, quia gratis datur, & non ex debito, ſecundùm illud Apoſtoli: *Non ex operibus, alioquin gratia iam non eſt gratia.* Rom. 11.

A D primum argumentum negatur antecedens. Ad probationem autem reſpondetur, non eſſe eandem rationem de accidentibus, & ſubſtantia: etenim accidentia non ſubſiſtunt per ſe, neque habent eſſe, vt quod ſed ſolùm, vt quo aliquid accidentaliter eſt tale, & ideo non implicat, Deum producere accidentia ſupernaturalis ordinis, per quæ natura intellectualis eleuetur accidentaliter ad eſſe ſupernaturale, & ad ſupernaturales operationes. Cæterùm ſubſtantia creata eſt per ſe ſubſiſtens, vt quod: ſimiliter etiam intellectus creatus, quamuis non ſit per ſe ſubſiſtens, conſequitur tamen ad modum paſſionis ex principiis naturæ creatæ, per ſe ſubſiſtētis. Vnde, ſi daretur ſubſtantia, vel intellectus creatus, qui ex natura ſua eſſet ordinis diuini, ſequeretur, quòd eſſet Deus per naturam, & non per gratuitam, & accidentariam participationem, quod eſt impoſſibile.

Ad confirmationem reſpondetur, accidentia naturalis ordinis eſſe quandam participationem ſubſtantiæ creatæ in genere cauſæ materialis, vel formalis, aut etiam efficientis, quia, vel dimanāt ab ipſa ſubſtantia creata per ſimplicem reſultātiam, vt propriæ paſſiones, vel dependent ab ea, vt à cauſa efficiente, vel materiali. Cæterùm accidentia ſupernaturalis ordinis non ſunt participatio ſubſtātiæ creatæ, ſed diuinæ: charitas enim creata eſt participatio infinitæ charitatis Spiritus ſancti, vt 2. 2. quæſt. 24. art. 7. in corpore docet ſanctus Thomas, & ſimiliter gratia eſt participatio naturæ diuinæ, ſecundùm illud: *Magna & pretioſa nobis promiſſa donauit, vt diuinæ eſſemus conſortes naturæ.* 2. Pet. 1.

IX. Ad ſecundum reſpondetur, non eſſe neceſſarium, quòd omne accidens commune ſit propria paſſio, reſpectu alicuius ſubiecti. Nigredo enim non eſt, proprie loquendo, paſſio corui, vel alterius ſuppoſiti, ſed accidens conſequutum ratione materiæ. Propria enim paſſio conſequitur ad naturam ratione formæ. Vnde non eſt neceſſe, quòd gratia habitualis, & alij habitus infuſi ſint propriæ paſſiones: reſpectu alicuius ſubſtantiæ creabilis.

Chriſto fuit cōnaturalis gratia, & charitas.

Ad tertium reſpondetur, quòd gratia habitualis, & charitas dicitur connaturalis reſpectu Chriſti Domini, non quidem quaſi cauſata fuerit ex principiis humanæ naturæ in Chriſto, ſed quia à natiuitate illam habuit, & quia ex diuina natura, quæ in eodem ſuppoſito Verbi coniuncta erat naturæ humanæ, proceſſit, vt 3. par quæſt. 2. artic. 12. explicat ſanct. Thomas.

Dei perfectiones quæ ſint cōmunicabiles creaturis.

Ad quartum reſpondetur, perfectiones Dei eſſe in duplici differentia, quædam in ſuo conceptu formali non includunt infinitatem, ſed abſtrahunt ab illa, vt eſſe, viuere, intelligere; & huiuſmodi perfectiones ſunt communicabiles creaturis. Aliæ verò perfectiones in ſuo conceptu formali includunt infinitatem, vt eſſe purum actum, creare: & huiuſmodi perfectiones ita ſunt Dei propriæ, vt puræ creaturæ communicari non poſſint. Et per hæc patet ad confirmationem.

X. Angelus inferior per ſuam naturā cognoſcit quidditatiuè ſuperiorem.

Ad quintum reſpondetur, rationem S. Thomæ eſſe demonſtratiuam, vt patet ex eius fundamentis ſuperius explicatis. Et ad impugnationem reſpondetur, quòd modus eſſendi Angeli ſuperioris, excedit modum eſſendi Angeli inferioris, quantum ad gradum ſpecificum, nō autem, quantum ad gradum genericum, ſecundùm quòd diſtinguuntur quatuor gradus eſſendi, & cognoſcendi ſuperiùs explicati. Vnde bene poteſt Angelus inferior naturaliter cognoſcere quidditatiuè Angelum ſuperiorem.

Ad confirmationem negatur ſequela. Ad probationem reſpondetur cum Ferrarienſi 3. cont. Gent. cap. 54. circa 6. dubium; quòd licet intellectus cum lumine gloriæ non ſit ſuum eſſe, nec purus actus, tamen lumen gloriæ eſt diſpoſitio ad recipiendam eſſentiam diuinam, in ratione ſpeciei intelligibilis; quæ eſt ſuum eſſe & purus actus: & per conſequens eſt eiuſdem ordinis cum Deo; quoniam diſpoſitio vltima, vt ſic, eſt eiuſdem ordinis cum forma. Vnde S. Thom. in 4. diſt. 49. q. 2. art. 6. in corp. explicans, qualiter intellectus creatus ſine lumine gloriæ non habeat proportionem cum viſione beatifica, & per illud lumen ſidem viſioni ſit proportionatus, ait: *Vltima diſpoſitio ad formam ſecundùm eandem rationem recipitur in perfectibili, & forma ipſa; ita quòd ſi vnum eſt naturale, & aliud, quia perfectibile per vltimam diſpoſitionem ad formam contingit ipſam formam: forma autem quæ eſt diuina eſſentia, omnem facultatem, & capacitatem naturalem excedit. Potentia enim, & proprius eius actus ſemper accipiuntur in eodem genere. Vnde potentia & actus diu dunt quodlibet genus entis, vt patet in 3. hyſic. & ideo facultas, ſiue potentia creaturæ non ſe extendit, niſi ad ſui generis formam, & ſic eſſentia diuina, quæ eſt extra omne genus, excedit naturalem facultatem cuiuſlibet intellectus creati, & ideo diſpoſitio vltima quæ eſt ad vnionem intellectus cum tali eſſentia, excedit omnem facultatem naturæ. Vnde non poteſt eſſe naturalis, ſed ſupra naturam, & ita diſpoſitio eſt lumen gloriæ, de quo dicitur in 1. Pſalm. 35. In lumine tuo videbimus lumen.* Idem dicit quæſt. 8. de veritate, ar 3. in corp. vbi ex illo principio, *Diſpoſitio vltima ad formam, & forma, ſunt eiuſdem ordinis in hoc quòd ſi vnum eſt naturale, & reliquum*, infert, heri non poſſe, quòd intellectus creatus, ex ſuis naturalibus principijs, videat Deum per eſſentiam, quia eſt impoſſibile, vt lumen gloriæ, quod eſt diſpoſitio, vt eſſentia diuina vniatur intellectui creato in eſſe intelligibili, ſit connaturale alicui ſubſtantiæ creatæ. Et intelligit id eſſe impoſſibile etiam de potentia abſoluta, vt ex diſcurſu articuli, & ex aliis locis ſuprà inductis colligi poteſt. Quia ergo intellectus, per lumen gloriæ efficitur Deiformis, iuxta illud 1. Ioan. 3. *Scimus autem quoniā, cum apparuerit, ſimiles ei erimus*, eò quòd eſt forma pertinens ad ordinem diuinū; ideo intellectus creatus illuſtratus lumine gloriæ, poteſt ad claram Dei viſionem pertingere. Reſpondetur ſecundò, quòd, vt intellectus per ſua naturalia cognoſcat quidditatiuè aliquod obiectum, requiritur, quòd habeat eundem modum eſſendi cum illo, non autem eſt hoc neceſſarium, quando per formam ſuperiorem eleuatur ad talem cognitionem. Etenim anima rationalis adhuc exiſtens in corpore poteſt ſupernaturaliter Angelum cognoſcere quidditatiuè, quamuis habeat inferiorē modum eſſendi: ratio enim S. Thomæ ſolùm procedit de cognitione connaturali, vt manifeſtè colligitur ex contextu articuli.

Intellectus cum lumine gloriæ eſt eiuſdē ordinis cū Deo.

1. cont. 3. & 9. Met. com. 1.

DE

DE AVXILIIS

DIVINÆ GRATIÆ, ET HVMANI ARBITRII VIRIBVS, ET LIBERTATE,

AC LEGITIMA EIVS CVM EFFICACIA eorundem Auxiliorum concordia,

Liber Octauus.

IN QVO AGITVR DE DIVISIONE AVXILIORVM Gratiæ, ac de Gratia Excitante, & Sufficiente.

COGNITA infirmitate liberi arbitrii poſt lapſum, neceſſe eſt, ad auxilia intrinſeca, quibus a Deo roboratur, & adiuuatur, vt declinet à malo, & faciat bonum, procedamus. Et primò agendum eſt de diuiſione auxiliorum diuinæ gratiæ in communi; deinde in particulari de ſingulis membris diuidentibus erit diſputandum. Circa primum quatuor ſunt examinanda.

I. Vtrùm Gratia conuenienter diuidatur in operantem, & cooperantem: vbi etiam agitur de diuiſione gratiæ in excitantem, & adiuuantem; in præuenientem, & ſubſequentem.

II. Vtrum auxilium gratiæ conuenienter diuidatur in auxilium ſufficiens, ſiue inefficax, & auxilium efficax.

III. Vtrùm, cùm diuiditur auxilium gratiæ in auxilium efficax, & inefficax, immediatum diuiſum huius diuiſionis ſit auxilium præueniens in tota ſua latitudine: an ſolum auxilium ſufficiens.

IV. Vtrùm diuiſio auxilij in auxilium efficax, & inefficax, ſolum ab effectu, qui ſimul ab arbitrij cooperatione pendet, deſumatur, an etiam ex virtute intrinſeca ipſius auxilij.

DISPVTATIO LXX.

Vtrùm gratia conuenienter diuidatur in operantem, & cooperantem, in excitantem, & adiuuantem, in præuenientem, & ſubſequentem.

I. HAEC difficultate agunt ex profeſſo ſanctus Thomas, & eius diſcipuli, parte ſecunda, quæſt. 111. artic. 2. & 3. & ideo à nobis eſt breuiter abſoluenda. Inter hæreticos autem Pelagianos quidam dixerunt, nullam eſſe A conſtituendam gratiam adiuuantem, præuenientem liberum noſtrum arbitrium; ſed potiùs è conuerſo, quòd opera noſtri arbitrij antecedat ipſam gratiam: ita vid. licet, vt ideo Deus conferat homini auxilium ſpeciale adiuuantis gratiæ, quia homo vult bene operari. In hoc errore fuerunt Pelagiani, vt ex dictis diſputat. 1. & 2. apertiſſime conſtat: & conſequenter hi hæretici abnegarunt veram gratiam præuenientem adiuuantem, dum aſſeruerunt, illam eſſe poſtpoſitam humanæ voluntatis, & ſecundum merita noſtra dari. Hinc etiam non admittunt diuiſiones gratiæ, de quibus procedit noſtra diſputatio.

Potiſſimum argumentum eorum erat quia, ſi ſtatuatur, tanquam neceſſaria ad ſalutem, & piam operationem gratia adiuuans ordine cauſalitatis præueniens humanam voluntatem, & conatus illius: B nulla relinquitur in nobis libertas arbitrij: nihil enim poſſet homo operari, quando ipſe vult, ſed quando Deus velit ſua gratia illum præuenire, & adiuuare. Hoc argumentum inuixit Pelagius apud S. Auguſtinum libro primo de gratia Chriſti, contra Pelag. & Cæleſt. cap. 7. cuius verba diſput. 1. num. 6. adducta ſunt. Idem fuit argumentum Iuliani, teſte S. Auguſt. lib. 1. ad Bon. contra duas epiſtolas Pelag. cap. 8. vt ex dictis diſputat. 1. num. 11. & 13. colligi poteſt. Ex quibus conſtat, Iulianum propterea negaſſe præuenientis gratiæ adiuuantis neceſſitatem, & ideò admiſiſſe adiuuantem gratiam conſequentem ad creatam voluntatem: quoniam putauit, quòd, ſi gratia adiuuans noſtras præueniret voluntates, & ex nolentibus volentes efficeret, deſtrueret penitus arbitrij humani libertatem. Idem ſenſerunt reliquiæ Pelagianorum etiam in Gallia, præſertim Fauſtus & Caſſianus, vt diſputat. 1. num. 16. & diſputat. 19. numero 1. oſtendimus. Quidam recentiores haec legi ad ſaluandam hominis libertatem dixerunt. Deum regulariter auxilia præueniens, & excitantia gratiæ non conferre nobis, quæ pro viribus naturæ faciùt, quod in ſe eſt: facultatibus autem ex facultate naturæ, quod in ſe eſt, infallibiliter, & exerta lege conferri, vt ea ratione, dum ſumus in via, ſemper in manu liberi arbitrij noſtri poſita eſſet ſalus noſtra

II.

ſtra; per noſque ipſos ſtaret, quòd ad Deum nõ conuerteremur. Sed contra iſtam doctrinam egimus ex profeſſo diſputat. 56. & 58.

III. Gratiæ nomine quid intelligatur. Aug. lib de hæreſ hær. 88. to. 6. S. Tho. 1. 2. q. 109. ar. 9. & 10. in corp. & qu. 110. art. 1. & 2. in corp. q. 111 ar. 2. in corpor. & qu. 112. art. 2. in corp.

Vt autem diuiſiones gratiæ, iuxta doctrinam S. Auguſtini, & S. Thomæ, communiter receptam, explicemus, notandum, nos in præſenti non loqui de gratia, in ea communiſſima acceptione, qua ſignificat, vel comprehendit etiam naturam gratis à Deo creatam: in hac enim ſignificatione, ad decipiendas ſimplices mentes fidelium, vſurpauit Pelagius ſæpiſſimè nomen gratiæ, vt aduertit S. Auguſt. ſed loquimur de gratia in ſignificatione magis ſpeciali, vt diſtinguitur contrà naturam gratis creatam, & ſignificat donum ſupernaturale, ſiue ſit habituale donum, ſicut eſt gratia iuſtificans, ſiue actuale auxilium Dei, mouens nos ad bonum. Vtrumque enim, vt ſæpe docet ſanctus Thomas, gratiæ nomine ſignificatur.

Gratia diuiditur in gratiã gratum faciẽtem, & gratis datam.

PRima ergo concluſio ſit. Gratia, prima ſua diuiſione, diſtribuitur in gratiam gratum facientem, & gratiam gratis datam. Concluſio eſt S. Thom. 1. 2. q. 111. artic. 1. in corpor. quam probat, quia: *Sicut Apoſtolus dicit ad Rom. 13. Quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt. In hoc autem ordo rerum conſiſtit, quòd quædam per alia in Deum reducuntur, vt Dionyſius dicit in lib. cæl. hier. Cùm igitur gratia ad hoc ordinetur, vt homo reducatur in Deum: ordine quodam hoc agitur, vt ſcilicet quidam per alios in Deum reducantur. Secundum hoc igitur duplex eſt gratia. Vna quidem, per quam ipſe homo Deo coniungitur, quæ vocatur gratia gratum faciẽs. Alia verò, per quam vnus homo cooperatur alteri ad hoc, quòd ad Deum reducatur. Huiuſmodi autem donum vocatur gratia gratis data: quia ſuprà facultatem naturæ, & ſupra meritum perſonæ, homini conceditur. Sed quia non datur ad hoc, vt homo ipſe per eam iuſtificetur, ſed potius vt ad iuſtificationem alterius cooperetur, ideo non vocatur gratia gratum faciens. Et de hac dicit Apoſtolus 1. ad Corinthios duodecimo.* Vnicuique datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem, *ſcilicet aliorum.*

IV. Gratia gratum faciẽs, & gratis data qualiter differant.

Ex quo apparet inter gratiam gratum facientem & gratiam gratis datam quadruplicem eſſe differentiam. Prima, & potiſſima eſt, quam in verbis inductis aſſignat ſanctus Thomas: nam gratia gratum faciens, ex natura ſua, & ſecundùm ſe, ordinatur ad vtilitatem illius, cui donatur, vt videlicet filius Dei ſit, & hæres regni cœleſtis. Dicitur enim 2. Petr. 1. *Magna, & pretioſa nobis promiſſa donauit, vt diuinæ eſſemus conſortes naturæ.* Et ad Titum 3. *Vt iuſtificati gratia ipſius, hæredes ſimus ſecundùm ſpem vitæ æternæ.* Gratia autem gratis data, per ſe primò, & immediatè, ſolùm ordinatur ad vtilitatem aliorum, vt colligitur ex illo primæ ad Corinthios duodecimo, *Vnicuique datur manifeſtatio Spiritus ad vtilitatem*, ſcilicet aliorum, vt explicat ſanctus Thomas 1. 2. citata. Et ad Epheſios quarto dicitur: *Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem paſtores, & doctores ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti.* Et 1. Pet. 4. *Vnuſquiſque ſicut accepit gratiam, in alterutrum illam adminiſtrantes*, id eſt, in vtilitatem proximorum.

Secunda differentia eſt: quòd gratia gratum faciens non poteſt ſimul eſſe cum peccato mortali, bene tamen gratia gratis data. Hanc differentiam aſſignat ſanctus Thomas 1. 2. quæſt. 172. artic. 4. Clemens Alexandrinus libro octauo de conſtitutionibus Apoſtolicis, capite primo, vbi in huius doctrinæ confirmationem adducit illud Num. 24. vbi refertur, Balaam fuiſſe Prophetam; & illud, quod dicitur de Caipha Ioan. 11. *Cùm eſſet Pontifex anni illius, prophetauit* & tamen certum eſt, illum fuiſſe magnũ peccatorem. Denique S. Greg. hom. 17. in Ezechielem colligit eandem doctrinam ex illo Matth. 7. *Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus?* quibus tamen reſpondit Dominus: *Neſcio vos, diſcedite à me operarij iniquitatis.*

Tertia differentia eſt, quod gratia gratum faciens ſemper eſt eiuſdem rationis in omnibus, licèt in aliquibus magis, in aliquibus minùs intenſa reperiatur: gratia verò gratis data non eſt in omnibus eadem, ſecundùm ſpeciem, iuxta illud: *Diuiſiones gratiarum ſunt, idem autem Spiritus: & diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus: & diuiſiones operationum ſunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus.* 1. ad Cor. 12. Et poſtquam enumeraſſet omnes gratias gratis datas, ſic concludit: *Hæc autem omnia operatur vnus, atque idem Spiritus, dividens ſingulis, prout vult.* Solus Chriſtus Dominus, qui eſt fons omnium gratiarum, habuit ſimul omnes gratias gratis datas, vt docet S. Thom 3. part. quæſt. 7. artic. 7. & Aug. ep. 57. ad Dardanum.

Quarta differentia eſt, quòd gratia gratum faciens eſt qualitas inhærens animæ per modum habitus, vt 1. 2. quæſt. 110. art. 1. dicit ſanctus Thomas: gratia verò gratis data non ſemper datur per modum habitus; ſed aliquando per modum actus, ſeu motionis, ſicut prophetia, vt docet S. Thom. 2. 2. qu. 171. artic. 2. In Chriſti anima ſanctiſſima propter vnionem ad Verbum fuerunt gratiæ gratis datæ per modum permanentis, vt in noſtris commentariis ſuper capit. 3. Iſai. numer. 26. oſtendimus. Videantur, quæ de gratiis gratis datis docet S. Doctor ſecunda ſecundæ quæſtione 176. & infrà, & 3. cont. Gent. cap. 154.

V. Secunda concluſio. Gratia, ſiue accipiatur pro habituali dono, ſiue pro auxilio actuali, conuenienter diuiditur in gratiam excitantem, & adiuuantem. Concluſio habetur ex ſacris literis, & Conciliis. De gratia enim excitante dicitur Apoc. 3. *Ecce ego ſto ad oſtium, & pulſo, ſi quis aperuerit mihi, introibo, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum.* Et Apoſtolus ait: *Surge, qui dormis & exſurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus.* Epheſ 5. De adiuuante autem ait Pſalmiſta: *Adiuua nos Deus ſalutaris noſter.* Et Pſalm. 118. *Adiuua me, & ſaluus ero.* Et Apoſtolus ad Roman. 8. *Spiritus adiuuat infirmitatem noſtram.* Pſalm. 118. Et alia conſimilia habentur in Scriptura quamplurima propter quæ ſacrum Conc. Trid. ſeſſ. 6. de iuſtific. cap. 5. gratiam diuiſit in excitantem, & adiuuantem, cum ait: *Declarat præterea, ipſius iuſtificationis exordium in adultis à Dei per Chriſtum Ieſum præueniente gratia, ſumendum eſſe: hoc eſt ab eius vocatione, qua, nullis eorum exiſtentibus meritis, vocantur vt qui per peccata à Deo auerſi erant, per eius excitantem atque adiuuantem gratiam ad conuertendum ſe ad ſuam ipſorum iuſtificationem, eidem gratiæ libere aſſentiendo, & cooperando, diſponantur.* Et cap. 6. *Diſponuntur autem ad ipſam iuſtitiam, dum, excitati diuina gratia, & adiuti, fidem ex auditu concipientes liberè mouentur in Deum.* Eandem diuiſionem tradit S. Auguſt. tum in lib. 2. de pecc. merit. & remiſſ. c. 18. *Quòd à Deo*, inquiens, *nos auertimus, noſtrum eſt, & hæc eſt voluntas mala: quod verò ad Deum nos conuertimus, niſi ipſo excitante atque adiuuante, non poſſumus, & hæc eſt voluntas bona* tum etiam in aliis locis diſp. 88. allegandis, vbi manifeſtum fiet, etiam in eo, qui habet habitus infuſos, ad eliciendum actum ſupernaturalem eſſe neceſſarium ſpeciale auxilium non ſolùm excitantis gratiæ, ſed etiam adiuuantis, vbi pro eadem diuiſione plura adducemus loca Sanctorum.

VI. Et ſi fiat argumentum: nam ſanctus Thomas, qui in prima ſecundæ accuratiùs omnibus Doctoribus

Schola

Scholaſticis diuiſit gratiam in ſua membra, nunquam meminit huius diuiſionis: reſpondetur, quòd ſicut gratia operans, & gratia cooperans ſunt idem, quòd gratia præueniens & ſubſequens, vt docet S. Thomas de veritate, quæſt. 27. articulo quinto, ad ſextum, vbi ait, *ſecundum hos modos idem videtur eſſe gratia præueniens & ſubſequens, quod operans & cooperans*, & in 2. ſent. diſt. 26. artic. 5. in corp. idem dicit; quod gratia excitans, & gratia adiuuans non differt a gratia præueniente & ſubſequente. Vnde ſanctus Thomas dum in 1.2.q.111.artic.3. diuiſit gratiam in præuenientem & ſubſequentem; ſub hac diuiſione illam comprehendit, qua Concilium Tridentinum diuiſit gratiam in excitantem, & adiuuantem.

VII. Tertia Concluſio. Gratia conuenienter diuiditur in gratiam operantem & cooperantem. Hanc diuiſionem etiam conſtituit S. Thom 1.2. citata, & 2. ad Corinth. 6. & in 2. ſent. diſtin. 26. art. 5. & de verit. q. 27. art. 5. ad 1. & 2. Colligiturque manifeſtè ex ſacris literis, & Conciliis. Nam de gratia operante dicitur ad Philipp. 2. *Deus eſt enim, qui operatur in nobis & velle, & perficere.* Et Iſa. 26. *Omnia opera noſtra operatus es nobis, Domine.* Vnde S. Auguſt. lib. de gratia, & lib. arbit. c. 17. ait: *Et quis iſtam, & ſi paruam, dare cœperat charitatem, niſi ille qui præparat voluntatem, & cooperando perficit, quod operando incœpit? Quoniam ipſe, vt velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Propter quod ait Apoſtolus: Certus ſum, quoniam qui operatur in vobis opus bonum, perficiet vſque in diem Chriſti Ieſu. Vt ergo velimus, ſine nobis operatur: cùm autem volumus, & ſic volumus, vt faciamus, nobiſcum cooperatur. Tamen ſine illo, vel operante, vt velimus, vel cooperante, cùm volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus. De operante illo, vt velimus, dictum eſt: Deus eſt enim, qui operatur in vobis & velle. De cooperante illo, cùm iam volumus, & volendo, facimus: Scimus, inquit, quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum.*

Philip. 2.

Philip. 2.

Rom. 8.

S. Tho. 1.2. q. 111. ar. 2. Gratia operans, & cooperãs quę dicatur.

Rationem huius diuiſionis, & eius ſufficientiam aſſignat ſanctus Thomas: nam *operatio alicuius effectus non attribuitur mobili, ſed mouenti. In illo ergo effectu, in quo mens noſtra eſt mota, & non mouens ſolus autem Deus mouens, & operatio Deo attribuitur: & ſecundum hoc dicitur gratia operans. In illo autem effectu, in quo mens noſtra & mouet, & mouetur; operatio non ſolum attribuitur Deo, ſed etiam animæ, & ſecundum hoc dicitur gratia cooperans. Eſt autem in nobis duplex actus. Primus quidem interior voluntatis: & quantùm ad iſtum actum, voluntas ſe habet vt mota: Deus autem, vt mouens, & præſertim cùm voluntas incipit bonum velle, quæ prius malum volebat. Et ideo ſecundum quod Deus mouet humanam mentem ad hunc actum, dicitur gratia operans. Alius autem actus eſt exterior, qui cùm a voluntate imperetur, conſequens eſt, quòd, quantùm ad hunc actum, operatio attribuatur voluntati. Et quia etiam ad hunc actum Deus nos adiuuat, & interius confirmando voluntatem, vt ad actum perueniat, & exterius facultatem operandi prabendo, reſpectu huiuſmodi actus dicitur gratia cooperans. Vnde poſt præmiſſa verba ſubdit Auguſtinus: Vt autem velimus, operatur: cùm autem volumus: vt perficiamus, nobis cooperatur. Si igitur gratia accipiatur, pro gratuita Dei motione, qua mouet nos ad bonum meritorium, conuenienter diuiditur gratia per operantem & cooperantem. Si verò accipiatur gratia pro habituali dono: ſic eſt duplex gratia effectus, ſicut & cuiuſlibet alterius formæ, quorum primus eſt eſſe, ſecundus eſt operatio: ſicut caloris operatio eſt facere calidum, & exterior calefactio. Sic igitur habitualis gratia, inquantùm animam ſanat, vel iuſtificat, ſine gratam Deo facit, dicitur gratia operans: inquantùm verò eſt principium operis meritorij, quod ex libero arbitrio procedit; dicitur cooperans.* Quid autem ſit gratia operans, quid cooperans diſputat. 81. erit ex profeſſo explicandum.

VIII. Quarta Concluſio. Similiter etiam gratia recte diuiditur in præuenientem, & ſubſequentem. Concluſio eſt ſancti Thomæ 1.2 quæſt. 111. artic. 3. & ſancti Auguſtini libro de natura, & gratia, capite 31. vbi ait: *Præuenit, vt ſanemur; ſubſequitur, vt ſanati vegetemur. Præuenit vt vocemur; ſubſequitur, vt glorificemur.* Et colligitur ex ſacris literis. Nam de gratia præueniente dicitur Pſalm. 58. *Miſericordia eius præueniet me.* Pſalm. 20. *Quoniam præueniſti eum in benedictionibus dulcedinis.* Ex quibus teſtimoniis præuenientem gratiam probat ſanctus Auguſtinus libro ſecundo contra duas epiſtolas Pelagianorum, capite nono, dicens: *Auertat Deus hanc amentiam, vt in donis eius nos priores faciamus poſteriorem Deum, quoniam: Miſericordia eius præueniet me: & ipſe eſt, cui veraciter, fideliterque cantatur: Quoniam præueniſti eum in benedictionibus dulcedinis.* De eadem gratia præueniente ait Cæleſtinus primus: *Non dubitemus, ab ipſius gratia omnia hominis merita præueniri, per quem ſit, vt aliquid boni & velle incipiamus, & facere.* Et ſanctus Proſper libro contra Collat. capite trigeſimo octauo, Caſſianum impugnãs, qui non omnes, ſed quoſdam gratia Dei præueniri aſtruebat, inquit: *Hac ergo diſcretione, præſcripta erit vt dejmis, in vna Eccleſia iſta diuerſitas: vt Dominus noſter Ieſus Chriſtus, de quo dictum eſt: Et vocabis nomen eius Ieſum: ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum a peccatis eorum, & de quo dictum eſt: Nec enim eſt aliud nomen ſub cœlo datum hominibus, in quo oportet ſaluos fieri; non omnium Chriſtianorum, ſed quorundam ſaluator, quorundam verò ſuſceptor ſit: vt hi tantùm ſaluati, quos ad percipiendam gratiam Deus auerſos, reluctantéſque compulerit: hi autem ſuſcepti ſint, qui vocationem ſpontanea curſus feruore præuenerint: & illis quidem conferatur gratuitum donum: iſtis verò debitum præmium rependatur: illi nullius ſint laudis, ac meriti qui nihil boni habeant, niſi quod acceperint: iſti autem & gloria abundent & remuneratione diteſcant, qui propria facultate denoti, quod non acceperant, obtulerunt: atque ita Ieſus Chriſtus alios liberos inuenerit, alios liberarit; & non ad omnes pertineat quod ait: Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos: ſi ſunt, à quibus, cùm eos non elegiſſet, electus eſt: non ad omnes pertineat: Nemo venit ad me niſi datum ei fuerit à Patre meo: ſi ſunt, qui, non dante Patre ad Filium venire potuerũt: non ad omnes pertineat, quod ait Euangeliſta: Erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, ſi ſunt, qui ante in hunc mundum venerunt, vt non eſſent tenebræ, antequam lux eſſe cœperunt. vt illuminatione veri luminis non egerent: nec de omnibus adoptatis accipiendum ſit quod ait Apoſtolus: Qui eruit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ, ſi quidem ipſi rumpunt vincula ſua, & iugo veteris captiuitatis excuſſo, a dominatione diaboli in regnum Dei, libera ac cæleſti ſtate, tranſcurrunt*: ex quibus colligitur, doctrinam, quæ aſſerit, Deum ſua gratia non omnes præuenire, ſed quoſdam: alios verò ſuis bonis conatibus præuenire ipſam gratiam, petendo, quærendo, & pulſando, & faciendo totum, quod in ſe eſt, ex ſola facultate naturæ; nullatenus eſſe admittendam, vt ex dictis diſputatione quinquageſimaquinta conſtat.

Philip. 1.

Pſal. 58. Pſal. 20. Cæleſt. 1. epiſt. ad omnes Epiſc. Gal. c. 1. 2. Matth. 1. Luc. 1. Act. 4. Ioan 15. Ioan. 6 Ioan. 1. Coloſſ. 1.

IX. De gratia verò ſubſequente dicitur in Pſalm. 22. *Et miſericordia ſua ſubſequetur me.* Vtramque gratiam Concilium Tridentinum his verbis explicauit: *Ipſe Chriſtus Ieſus, tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipſos iuſtificatos ingenter virtutem influit. Qua virtus bona eorum opera antecedit ſemper, & comitatur, & ſubſequitur, & ſine qua nullo pacto Deo grata, & meritoria eſſe poſſent.* Vbi, nomine virtutis

Con. Trid. ſeſſ. 6. de iuſtif. c. 16.

tutis antecedentis, gratiam præuenientem, intelligit, de qua in capite quinto, & sexto sermonem fecerat: nomine autem virtutis concomitantis, & subsequentis, gratiam intellexit subsequentem. Ad cuius maiorem explicationem, notandum est cum sancto Thoma, *quod sicut gratia diuiditur in operantem, & cooperantem, secundum diuersos effectus, ita etiam in præuenientem, & subsequentem, qualitercunque gratia accipiatur. Sunt autem quinque effectus gratiæ in nobis, quorum primus est, vt anima sanetur: secundus, vt bonum velit: tertius est, vt bonum, quod vult, efficaciter operetur: quartus est, vt in bono perseueret: quintus est, vt ad gloriam perueniat. Et ideo gratia secundum quod causat in nobis primum effectum, vocatur præueniens respectu secundi effectus: & prout causat in nobis secundum, vocatur subsequens respectu primi effectus. Et sicut vnus effectus est posterior vno effectu, & prior alio, ita gratia potest dici præueniens, & subsequens secundum eundem effectum, respectu diuersorum. Et hoc est, quod Augustinus dicit in lib. de natura & gratia: Præuenit, vt sanemur: subsequitur, vt sanati vegetemur: præuenit vt vocemur: subsequitur, vt glorificemur.* Ex quo infert S. Doctor, quòd gratia non diuersificatur per hoc, quod est præueniens, & subsequens secundum essentiam, sed solùm secundum effectum, sicut de operante, & cooperante dictum est.

S. Th. 1.2 q. 111 art 3. in corp.

Gratia eadem dicitur præueniés, & subsequens respectu diuersorum Ca. 32 partim à princ. tom 7.

X. Ex eadem doctrina colligimus, gratiam non ex eo dici subsequentem, quia subsequatur ad opera naturæ, vt Pelagiani posuerunt; aut quia in aliquibus hominibus conatus quosdam naturales præsupponat, vt Cassianus sensit, aut quia, regulariter loquendo, hanc gratiam Deus hominibus non conferat, nisi prius ipsi fecerint totum, quod in se est ex sola facultate naturæ, vt quidam arbitrati sunt; sed quoniam ad alium priorem effectum gratiæ subsequitur, vt hac ratione primum initium gratiæ, & nostræ salutis ex Deo sit, & nõ ex nobis. Aliàs enim, vt contra Pelagianos arguit sanctus Augustinus, sequeretur, gratiam secundùm merita nostra dari; & consequenter, gratiam non esse gratiam, vt Apostolus colligit dicens: *Ei autem, qui operatur, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum.* Et iterum: *Si autem gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia.* Hæc autem omnia amplius patebunt ex iis, quæ infrà, de quidditate gratiæ excitantis, & adiuuantis, operantis, & cooperantis, præuenientis, & subsequentis dicenda erunt.

Eod. art ad 2.

Gratia quare dicatur sub eques.

Rom. 4. & 11.

XI. AD argumentum autem factum à principio respondetur, quòd, vt notauit sanctus Prosper, multò verius dici potest destrui nomen gratiæ, si præueniatur a libero arbitrio, quam destrui liberum arbitrium, si gratia ipsum præueniat. Non enim est periculum liberi arbitrij gratia Christi, sed salus: nulli quis velit dicere, naturam destrui, cùm sanatur. Vnde Cælestinus Papa, postquam docuit, a Dei gratia omnia hominis merita præueniri, subdit: *Quo vtique auxilio, & munere Dei non auferitur liberum arbitrium, sed liberatur, vt de tenebroso lucidum de prauo rectum de languido sanum, de imprudente sit prouidum. Tanta enim est erga omnes homines bonitas Dei, vt nostra velit esse merita quæ sunt ipsius dona, & pro his, quæ largitus est, æterna præmia sit donaturus.* Qualiter autem cum hac præueniente, ac præoperante gratia adiuuante, integra semper, atque illæsa nostri arbitrij libertas consistat, iam supra à nobis explicatum est abunde; & infrà erit amplius declarandum, præsertim inter disputandum de legitima, & antiqua nostri arbitrij cum auxiliis diuinæ gratiæ concordia.

S. Prosp li. c. 1. Coll. def. 6.

Celestin. I. in epist. ad quosdam ep Galliæ c 12.

Disp 118 n 22 di p 22 23. & disp. 122.

DISPVTATIO LXXI.

Vtrùm Auxilium gratiæ conuenienter diuidatur in auxilium sufficiens, & auxilium efficax.

NON defuerunt, qui affirmarent, gratiæ distinctionem in sufficientem, & efficacem, esse planè insufficientem, inutilem, & à sacris literis, Conciliis, Patribus, & ratione alienam: & allegant pro se Hieronymum Osorium libro nono, de iustitia, pag. 2 & 3. & Ioan. Antonium Delphium in libro de Iustificatione, inter explicandas partitiones gratiæ. Probant suam sententiam

I. Paulus Bẽnus Paraninus in libro, quem inscripsit, qua ratione diuini possit controuersia de efficaci Dei auxilio, & libero arbitrio, c. 3. 4. & 8.

Primò: nam partitio auxilij in auxilium sufficiens, & auxilium efficax, sub his terminis, non habetur ex sacris literis, nec ex Conciliis, aut Patribus, vel Scholasticis Doctoribus antiquis: quinimò Concilium Tridentinum, quod inter alia accuratius de gratia, & libero arbitrio aduersùs antiquos, & modernos hæreticos tractauit; nullam fecit mẽtionem gratiæ sufficientis, aut efficacis, sed adæquatè diuisit gratiam in excitantem, & adiuuantem: ergo diuisio gratiæ in sufficientem, & efficacem, explodenda est, tanquam noua.

Secundò. Prædicta diuisio quamplurimos habet scopulos, cùm recentiores Theologi tantoperè dissideant in notione, & explicatione sufficientis, & efficacis gratiæ: ergo, ad huiusmodi scopulos euitandos, satius erit, hac noua diuisione reiecta, antiquam excitantis, & adiuuantis gratiæ retinere.

Tertiò. Omnia, quæ Scriptura sacra, Concilia, & Patres de gratia diuina, vel auxilio speciali tradiderunt, possunt Catholicè, & commodè, vna excitantis, & adiuuantis auxilij partitione adhibita, explicari, & intelligi: nam quæ dicit Scriptura: *Ecce sto ad ostium & pulso, si quis mihi aperuerit, introibo ad illum: Vocaui, & renuistis*; & similia: intelliguntur de gratia excitante. Quod autem ait: *Sine me nihil potestis facere: Deus est, qui operatur in nobis & velle, & perficere, &: Omnia opera nostra operatus es in nobis*, & alia huiusmodi, sufficienter intelliguntur de gratia adiuuante: ergo superflue multiplicatur distinctio auxilij diuini in efficax, & sufficiens.

Apoc. 3. Prou. 1. Ioan. 15. Phil. 2. Isai. 26.

Quartò. Reprobi, dum sunt in gratia, operantur plura opera charitatis, virtute auxilij diuini, & tamen non operantur illa opera, virtute auxilij sufficientis: nam auxilium sufficiens est illud, quod tribuit posse, non autem actualiter operari, nec etiam virtute auxilij efficacis: nam hoc auxilium est proprium prædestinatorum, cùm secundum Augustinum, sit auxilium, secundùm propositum miserentis Dei, & potissimum beneficiorum inter illa, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur: ergo insufficiens est distinctio ista, ac proinde non apta, quæ, dubitationibus de Dei auxilio emergentibus enodandis, adhibeatur.

Confirmatur. Qui eliciunt actum attritionis, quæ prærequiritur ad susceptionem sacramenti Pœnitentiæ, adiuuantur aliquo Dei auxilio supernaturali, cum, iuxta Concilium Tridentinum, hæc attritio *sit donum Dei, & Spiritus sancti impulsus, non adhuc quidem inhabitantis, sed mouentis, qui pœnitentem adiuuat, viam sibi ad iustitiam parat.* Et tamen illud auxilium non est sufficiens, aliàs homo resipueret

Con. Trid. sess 14 c. 4. de Sacramento Pœnitentiæ.

auxilium

auxilium illud, nec operaretur aliud cum illo, nec etiam eſt auxilium efficax: aliàs virtute illius peccator infallibiliter conuerteretur, & conſequeretur gratiam iuſtificantem: ergo idem, quod prius.

Quintò. Auxilium efficax, quocunque modo ab eius aſſertoribus explicetur, deſtruit verum auxilium ſufficiens: ergo non rectè diuiditur auxilium gratiæ in auxilium ſufficiens, & auxilium efficax. Probatur conſequentia: quia vnum membrum diuiſionis non debet deſtruere naturam alterius. Antecedens autem probatur: nam, ſi aſſeratur cum Thomiſtis, auxilium efficax eſſe vnum ex antecedenter, & neceſſariò prærequiſitis ad operandum, conſtat, auxilium ſufficiens non eſſe ſufficiens, niſi ſolo nomine. Quomodo enim dici poteſt ſufficiés, ad aliquam operationem illud auxilium, vltra quod neceſſariò prærequiritur aliud auxilium, vt re ipſa talis operatio producatur? Si autem iuxta aliorum Theologorum ſenſum, auxilium ſufficiens ſit illud, quod confertur à Deo incongruo tempore, & in aliis circumſtantiis non accommodatis, in quibus videlicet Deus præſcit, hominem non eſſe conſenſurum, ſi conferatur illi talis gratia; etiam in hac ſententia, auxilium, quod dicitur ſufficiens ad credendum, non eſt reuerà ſufficiens. Si enim medicus ægroto pituita redundanti, ac febri ob huius exceſſum laboranti potionem tribuat, præcipuam illam quidem, ſed quæ pituitæ ſanandæ minimè accommodata ſit, is non ſufficientem medicinam, ſed nec medicinam dediſſe dicendus eſt: & idem contingeret, ſi morbo non malum pharmacum applicaret, ſed alieno tempore, & incongruo, vt cùm, verbi gratia, nondum coctus fuerit humor, ſed cruditate reſiſtat: ergo ſimiliter Deus non cenſetur tribuere auxilium ſufficiens ad ſanandum hominem à peccato, ſi illud auxilium congruum, & attemperatum non ſit homini, cui applicatur, aut conferatur ei tempore inopportuno, quando videlicet Deus præſcit, illum non eſſe conſenſurum.

Sextò eſt argumentum, quod quidem auctores oppoſitæ ſententiæ Lydium lapidem appellant. Sit caſus, quòd vnus, & idem concionator multis peccatoribus de inferni pœnis, aut paradiſi gloria ſermonem faciat, & interim Spiritus ſanctus æquali gratia excitet, ac moueat interiùs cor eorum; euenire poteſt, quòd aliqui eorum conuertantur, aliqui verò non, vt conſtat ex Matth. capite vndecimo vbi ſapientia Verbi incarnati nobis reuelauit, futurum fuiſſe, vt ſi ea ſigna, & virtutes, quas fecit Iudæis, factæ fuiſſent Tyriis, & Sidoniis, hi olim pœnitentiam egiſſent; apertè oſtendens Iudæos eiſdem virtutibus reſtitiſſe, quibus conuerſi eſſent Tyrij, & Sidonij: ergo gratia illa non erat tantùm ſufficiens; aliàs nullus per eam conuerteretur: nec etiam efficax; aliàs omnes conuerteret: ergo aliud genus gratiæ ſtatuendum eſt, nimirum indifferens, cui videlicet pro arbitrij libertate reſiſtere liceat, aut conſentire, vt habetur in Concilio Tridentino: non ergo admittenda eſt illa diſtinctio ſufficientis gratiæ, & efficacis.

Con. Trid. ſeſſ. 6. de iuſtif. c. 5. & can. 4.

Septimò. Vnum membrum diuiſionis non debet includi in alio, quia diuiſio debet dari per oppoſita: ſed gratia ſufficiens includitur in gratia efficaci; nam omnis gratia efficax eſt, à fortiori, ſufficiens. Si enim actu per illam homo operatur, poteſt ſine dubio per eam operari: ergo gratia non rectè diuiditur in ſufficientem, & efficacem.

Octauò. Quia nomen gratiæ efficacis fuit inuentum Caluini, vt patet lib. 2. Inſtitutionum, capite tertio, num. vndecimo, vbi ait: *Neque ſecus accipi ſententia Chriſti poteſt: Omnis, qui audiuit à Patre meo, venit ad me, quam, vt efficacem à ſeipſa Dei gratiam docet*; ergo ſaltem, ne in nominibus cum hæreticis conueniamus, vſurpanda non eſt in ſcholis Theologorum diſtinctio illa gratiæ in ſufficientem, & efficacem.

II. COntrariam ſententiam docent communiter Doctores. Vnde dicendum eſt, auxilium gratiæ conuenienter, & ſufficienter diuidi in auxilium ſufficiens, & auxilium efficax: quæ quidem diuiſio, nedum non eſt inutilis, vel à ſacris literis, Conciliis, Patribus, aut ratione aliena; ſed illis omnibus valdè conformis, ac per conſequens vtilis, & neceſſaria ad ea omnia explicanda, quæ de gratia, & libero arbitrio Catholica ſemper docuit Eccleſia. Et quidem, ſi de re ipſa loquamur, nullus Catholicus poteſt dubitare de illa diuiſione, cùm gratia ſufficiens ſit eadem cum excitante, & gratia efficax ab adiuuante realiter non diſtinguatur, vt ſuprà dictum eſt. Conſtat autem partitionem gratiæ in excitantem, & adiuuantem haberi ex ſacris literis, & Conciliis; præſertim ex Tridentino, & ſanctis Patribus: ergo, quantùm ad rem ipſam, non poteſt reiici diuiſio gratiæ in ſufficientem, & efficacem. Sed probatur, diuiſionem illam eſſe neceſſariò admittendam, ac etiam ſub propriis nominibus haberi ex ſacris literis, Conciliis, & Patribus, ac Doctoribus ſcholaſticis, præſertim ex S. Thoma. Diſp. 70 vi. de diſp. 76

III. Primò probatur hæc diuiſio ex ſacris literis nam de auxilio ſufficiente dicit Apoſtolus: *Omnia poſſum in eo, qui me confortat.* & iterum ait: *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Quibus verbis expreſsè conſtituit gratiam ſufficientem, qua poſſumus pie operari, eamque docet, non in nobis ex nobis, ſed ex Deo eſſe. Vnde Conc. Arauſ. can. 7. & S. Thom. ex his verbis colligit, ſufficientiam gratiæ, dicens: *Licet autem non ſimus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, tanquam ex nobis: tamen habemus aliquam ſufficientiam, quia ſcilicet bonum poſſumus velle, & credere incipiamus, & hoc à Deo eſt*, 1. Cor. 4. *Quid habes, quod non accepiſti?* Accedit, quod idem Apoſtolus ait: *Et ne magnitudo reuelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me colaphizet: propter quod ter Dominum rogaui, vt diſcederet à me, & dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur.* Si ſecundum verbum Domini gratia ſufficit ad omnes tentationes vincendas: ergo datur vera gratia ſufficiens, qua poteſt homo tentationes vincere, & opera pietatis exercere: ergo ſub conceptis terminis habetur gratia ſufficiens ex ſacris literis. Sub aliis autem æquiualentibus habetur expreſſa aliis in locis. Dicitur enim Prou. 1. *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem ſuam, & in capite turbarum clamitat.* Et Actor. 7. vbi ſanctus Stephanus dixit Iudæis: *Vos ſemper Spiritui ſancto reſtitiſtis:* apertè ſignificans, quibuſdam inſpirari bona deſideria, vt conuerti poſſint, quibus tamen ſua malitia reſiſtunt. Si enim per illam vocationem Spiritus ſancti non poſſent conuerti, non fuiſſent à Stephano reprehenſi Iudæi, quia reſtiterunt. Item Iſaiæ 5. ſic loquitur Dominus: *Habitatores Ieruſalem, & viri Iuda, iudicate inter me, & vineam meam. Quid eſt, quod vltra debui facere vineæ meæ, & non feci ei? an quod expectans, vt faceret vuas, & fecit labruſcas?* ex quibus conſtat, Iudæos, quos reprehendit Dominus, gratiam efficacem non habuiſſe, alias feciſſent vtique fructum bonum: habuerunt autem gratiam verè ſufficientem, per quam conuerti potuerunt, & fructus dignos pœnitentiæ facere: alias enim non reprehendiſſet eos Dominus, quòd vuas non protulerint, ſed labruſcas: ergo ex ſacris literis habetur gratia ſufficiens diſtincta ab efficaci. S. Th. lect. 1. ſuper eadem cp. in fin. 2. Cor. 3. 2. Cor. 12.

IV. Idipſum probatur de gratia efficaci ex illo Ezechielis

chielis 36. *Et Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam, vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis, & operemini.* Quo testimonio sæpissime probat sanctus Augustinus contra Pelagianos & Semipelagianos, admittendam esse gratiam efficacem, quæ tribuit vires efficacissimas voluntati, vt patebit infrà.

De eodem auxilio efficaci intelligitur illud Ioannis sexto: *Omnis, qui audit à Patre, & didicit, venit ad me.* Vbi declaratur efficacia vocationis diuinæ, qua vocatus infallibiliter venit; & Ioannis decimo: *Et non rapiet eas quisquam de manu mea, & non peribunt in æternum.* Quod ideo dictum est, quoniam prædestinatos suos efficaci auxilio præuenit, vt infallibiliter saluentur. Item ad Rom. 8. *Quos vocauit, hos & iustificauit*: & capite nono: *Non ex operibus, sed ex vocante, dictum est: Iacob dilexi, Esaü autem odio habui.* Vbi significatur vocatio efficax, de qua idem Apostolus alibi dicit: *His, qui secundùm propositum, vocati sunt Sancti.* Et ad Philipp. 2. *Deus est enim, qui operatur in nobis & velle, & perficere pro bona voluntate.*

V. Respondent primò, hæc, & similia loca Scripturæ procedere contra Pelagium, qui diuino auxilio generali contentus, speciale auxilium, excitantémque gratiam, atque adiuuantem negauit: non autem aliquid probare aduersùs eos, qui necessitatem excitantis gratiæ, & adiuuantis agnoscunt. Hæc tamen solutio vim argumenti non euacuat: tum quia Pelagius admisit gratiam excitantem, vt disputat. 1. visum est, & patebit ampliùs disput. 95. & similiter Iulianus admisit gratiam adiuuantem pedissequam, & subsequentem ad determinationem creatæ voluntatis, vt in eadem 1. disp. num. 11. ostensum est: tum etiam quia non solùm probat argumentum, admittendam esse gratiam excitantem, & adiuuantem, sed etiam concludit, dari gratiam, quæ sit verè sufficiés ad salutem, & gratiam, quæ non solùm sufficiens sit, verùm etiam efficax. Respondent secundò, verba Scripturæ inducta, & similia perseuerantiæ donum indicare. Vnde ex illis non potest probari auxilium efficax: nam donum perseuerantiæ est proprium donum prædestinatorum, gratia autem efficax communis est perseuerantibus finaliter, & iis, qui bonum agunt, sed non perseuerant vsque in finem. Ex quo inferunt, medium genus gratiæ concedendum esse, quòd iis seruiat, qui bona agunt, nec tamen finaliter perseuerant, ac per consequens, diuisionem prædictam esse insufficientem, qua diuiditur gratia in sufficientem & efficacem.

Prima solutio.

Cõfutatio.

Secunda solutio.

Hæc etiam solutio nullam prorsus apparentiam habet. Primò: nam, licèt aliqua loca Scripturæ de prædestinatis, qui perseuerant vsque in finem, intelligantur: aliqua tamen indifferenter loquuntur de prædestinatis, & de illis, qui opera pietatis exercent, etiamsi vsque in finem non perseuerent, sicut est illud Philip. 2. *Deus est, qui operatur in vobis & velle, & perficere.* Ezech. 36. *Faciam, vt in præceptis meis ambuletis*: & illud Ioannis sexto: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum.* Qui enim credit in Christum, & illum diligit, ad Christum venire dicitur, etiamsi finaliter à gratia decidat, & damnetur. Secundò: nam, licèt auxilium gratiæ immediatè diuidatur in auxilium sufficiens, & auxilium efficax: postea tamen auxilium efficax rursus subdiuiditur in auxilium efficax ad credendum, & auxilium efficax ad diligendum, &c. atque in auxilium efficax ad perseuerandum, vt disputat. 84. manifestum fiet. Vnde ex hoc, quòd detur aliquod auxilium efficax proprium prædestinatorum, nempe donum perseuerantiæ, & aliquod auxilium efficax, quod sit commune prædestinatis, & non prædestinatis; illud videlicet, quo quis credit Deum, & illum super omnia diligit; non sequitur, diuisionem gratiæ in gratiam sufficientem & efficacem non esse adæquatam.

VI. Secundò probatur ex definitione Conciliorum: nam in Concilio Arausicano secundo, capite decimonono dicitur: *Cùm sine gratia Dei salutem non possit homo custodire, quam accepit; quomodo sine Dei gratia poterit reparare, quod perdidit?* ergo gratia tribuit posse perseuerare, & posse reparare per pœnitentiam damna, quæ per peccatum incurrit: ergo datur gratia sufficiens ad perseuerandum & pœnitendum. Idem probatur de gratia efficaci ex canone nono eiusdem Concilij, vbi sic dicitur: *Diuini est muneris, cùm rectè cogitamus, & pedes nostros à falsitate, & iniustitia tenemus: quoties enim bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum, vt operemur, operatur.* Et canone vigesimo: *Multa in homine bona fiunt, quæ non facit homo; nulla verò facit homo bona, quæ non Deus præstet, vt faciat homo.* Quibus verbis gratiam efficacem expressit, quæ facit, vt faciamus; & operatur, vt operemur. Et canone vigesimoquinto: *Hoc etiam secundùm fidem Catholicam credimus, quod, accepta per baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante & cooperante, quæ ad salutem pertinent, possint, & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere.* Quibus verbis apertè docet, omnes existentes in gratia, per Dei auxilium, posse perseuerare, si velint, & ea, quæ ad salutem pertinent, adimplere.

Eadem diuisio gratiæ colligitur ex Concilio Tridentino, sessione sexta, de iustificatione, capite vndecimo, vbi ait: *Deus impossibilia non præcipit, sed præcipiendo monet & facere, quod possis, & petere, quod non possis: & adiuuat vt possis.* Et statim subdit, quòd *cum diuino auxilio*, quæ Deus iubet, *præstare possunt*: ergo, secundùm Concilium Tridentinum, datur gratia sufficiens, qua potest homo seruare omnia diuina mandata. Et in canone 1. & 2. definit, sine gratia non posse hominem iustificari, aut vitam æternam promereri, clarè ostendens, gratiam tribuere homini posse iustificari, posse vitam æternam promereri: gratia autem, quæ tribuit posse, est gratia sufficiens, vt suprà dictum est. Et in canone quarto, non obscurè traditur gratia efficax, cùm definit, *liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum*, aliquid *cooperari, assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam iustificationis gratiam, se disponat, ac præparet.* Vbi sermo est de gratia efficaci, quæ facit hominem cooperari Deo excitanti, atque vocanti.

VII. Est ad eandem gratiam efficacem comprobandam insigne testimonium Benedicti Papæ VII. in quadam oratione tenoris sequentis: *Adesto nobis, quæsumus Domine sancte Spiritus, peccati quidem immanitate detentis, sed in nomine tuo specialiter aggregatis. Veni ad nos, & dignare illabi cordibus nostris. Doce nos, quid agamus: quò gradiamur, ostende; quid efficiamus, operare. Esto salus, & suggestor, & effector iudiciorum nostrorum, qui solus cum Deo Patre, & eius Filio nomen possides gloriosum. Non nos patiaris perturbatores esse iustitiæ: qui summa veritatis diligis æquitatem, vt in sinistrum nos non ignorantia trahat, non fauor inflectat, non acceptio muneris, vel personæ corrumpat: sed iunge nos tibi efficaciter, tuius tuæ gratiæ dono, vt simus in te vnum, & in nullo deficiamus à vero: quatenus in nomine tuo collecti, sit in cunctis tenearnus cum moderamine pietatis iustitiam, vt à te in nullo dissentiat sententia nostra, & in futuro pro bene gestis consequamur præmia sempiterna.* Expendatur illud verbum, *efficaciter solius tuæ gratiæ dono*: ergo negari non potest gratia efficax, etiam quantùm ad ipsum nomen.

Oratio Benedicti Papæ VII. in Conc. Salegunstadiensi.

Tertiò probatur auctoritate sanctorum Patrum, præsertim

præſertim S. Aug. qui expreſſis verbis diſtinguit gratiam in ſufficientem, ſine qua pie operari non poſſumus, & efficacem, qua actualiter bene operamur; vt patet ex locis ſuperius inductis. Et præterea ex li. de præd. SS. c. 16. vbi ait: *Vocat enim Deus prædeſtinatos multos filios ſuos, vt eos faciat membra prædeſtinati vnici filij ſui, non ea vocatione, qua vocati ſunt qui noluerunt venire ad nuptias: illa quippe vocatione & Iudæi vocati ſunt, quibus Chriſtus crucifixus ſcandalum eſt: & gentes, quibus Chriſtus crucifixus ſtultitia eſt; ſed ea vocatione prædeſtinatos vocat, quam diſtinxit Apoſtolus, dicens: Ipſis vocatis Iudæis, & Græcis prædicare ſe Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam. Sic enim ait: Ipſis autem vocatis, vt illos oſtenderet non vocatos: ſciēs eſſe quandam certam vocationem eorum, qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt, quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes imaginis filij ſui. Quam vocationem ſignificās ait: Non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei: Quia maior ſeruiet minori. Nunquid dixit, non ex operibus, ſed ex credente? Prorſus etiam hoc abſtulit homini, vt totum daret Deo. Dixit ergo: Sed ex vocante, non quacunque vocatione, ſed qua vocatione ſit credens.* Appellat autem S. Auguſt. vocationem ſecundùm propoſitum eam, quæ procedit ex propoſito, ſeu decreto abſoluto, & efficaci voluntatis diuinæ, conuertendi, vel ad ſe per piam operationem trahendi, vel iuſtificandi hominem, aut etiam ſaluandi, & glorificandi. Vocationem verò non ſecundùm propoſitum eam dicit, quæ procedit ex voluntate Dei antecedente, qua vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Item etiam in libro de corrept. & grat. c. 11. ait: *Tale quippe erat adiutorium, quod deſereret, cùm vellet, & in quo permaneret, ſi vellet, non quo fieret, vt vellet. Hæc eſt prima gratia, quæ data eſt primo Adam: ſed hæc potentior eſt in ſecundo Adam. Prima eſt enim, qua fit, vt habeat homo iuſtitiam, ſi vellet: ſecunda ergo plus poteſt, qua etiam fit, vt velit, & tantam velit, tantoque ardore diligat, vt carnis voluptatem contrariæ concupiſcentem, voluptate ſpiritus vincat.* Et infrà: *Et tanto amplius datur per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, quibus id dare Deo placuit, vt non ſolùm adſit, ſine quo permanere non poſſumus, etiam ſi velimus, verùm etiam tantùm, ac tale ſit, vt velimus. Eſt quippe in nobis, per hanc Dei gratiam, in bono recipiendo, & perſeueranter tenendo, non ſolum poſſe, quod volumus, verùm etiam velle, quod poſſumus.* Quibus verbis, duplex diuinæ gratiæ auxilium diſtinguit; aliud tribuens poſſe, quod eſt auxilium ſufficiens: aliud tribuens nobis velle, quod eſt auxilium efficax. Præterea c. 12. eiuſdem libri: *Ipſa*, inquit, *adiutoria diſtinguenda ſunt. Aliud eſt adiutorium, ſine quo aliquid non fit, & aliud eſt adiutorium, quo aliquid fit.* Et infrà: *Primò itaque homini, quod in eo bono, quo factus fuerat rectus, acceperat poſſe non peccare, poſſe non mori, poſſe ipſum bonum non deſerere; datum eſt adiutorium perſeuerantiæ, non quo fieret, vt perſeueraret, ſed ſine quo per liberum arbitrium perſeuerare non poſſet. Nunc verò ſanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædeſtinatis, non tantùm tale adiutorium perſeuerantiæ datur, ſed tale, vt eis perſeuerantia ipſa donetur: non ſolùm, vt ſine iſto dono perſeueranter eſſe non poſſint, verùm etiam vt per hoc donum nonniſi perſeuerantes ſint.* Quibus verbis apertè diſtinguit adiutorium, ſiue auxilium gratiæ in adiutorium, quod ſolùm tribuit poſſe operari, vel poſſe perſeuerare, quale fuit adiutorium primis parentibus in ſtatu innocentiæ collatum: & in adiutorium, quod non tantùm poſſe tribuit, ſed etiam actualiter piè operari, vel perſeuerare vſque in finem: gratia autem, quæ tribuit poſſe, eſt ſufficiens, quæ autem confert actualiter operari, eſt efficax: ergo.

Luc. 14.

1 Cor. 1.

1 Cor. 1.

Rom. 8.

Rom. 9.

Vocatio ſecundùm propoſitū, quæ dicatur.

VIII. De auxilio efficaci extant vrgentiora teſtimonia apud eundem S. Aug. ex quibus nonnulla ſuperiùs adduximus, ſed præſertim libr. 1. contra duas epiſt. Pelag. c. 20 & lib. de præd. SS. c. 20. & libr. de grat. & lib. arb. c. 14. 16 & 17. quibus in locis adducit, & expendit verba illa Ezech. 36. *Faciam, vt faciatis*; ad probandum donari a Deo auxilium efficax, quo facit, vt faciamus, & operatur, vt operemur. Et libr. de grat. & lib. arb. c. 5. *Vt Paulus de cælo vocaretur, & tam magna, & efficaciſſima vocatione converteretur, gratia Dei erat ſola, quia eius merita erant magna, ſed mala.*

IX. Reſpondent, gratiam illam efficaciſſimam ex priuilegio ſpeciali conceſſam fuiſſe Paulo Apoſt. Vnde non debet trahi in regulam ad probandum, gratiam efficacem dari omnibus piè operantibus, & multò minus poſſe ex ea probari partitionem gratiæ in ſufficientem, & efficacem: alias enim eodem, ac potiori iure diuidenda eſſet gratia in occultiſſimam & patentiſſimam: nam etiam S. Aug. occultiſſimæ gratiæ nomen vſurpat, vt patet lib. 1 de peccat. merit. & remiſſ. c. 9. & de præd. SS. c. 8.

Sed contra hanc ſolutionem vrget argumentum: nā, etiāſi ex prærogatiua ſpeciali collata fuerit Apoſtolo efficaciſſima illa gratia: adhuc autē illa gratia verè fuit efficax, ac diſtincta ab ea, quę tribuitur his, qui non conuertuntur; poſſunt tamen conuerti, quæ ſine dubio eſt gratia ſufficiens: ergo admittenda eſt diuiſio gratiæ in ſufficientem & efficacem. Nec ex hoc ſequitur, diſtribuendam eſſe gratiam, ſecundùm S. Auguſtinum in occultiſſimam & patentiſſimam: nam gratia Dei ſupernaturalis, de qua in præſenti loquimur, ſemper eſt occulta, nec poteſt per experientiam, aut naturalem rationem euidenter cognoſci, vt ſuprà dictum eſt, & patebit infrà. At non omnis gratia eſt efficax, aut efficaciſſima; ſed aliqua eſt tantùm ſufficiens. Vnde non eſt ſimile. Diſput 42. 118. & 119.

Accedit, quòd S. Auguſt. aliis pluribus in locis conſtituit gratiam efficacem communem omnibus, qui piè operantur, aut vitam æternam promerētur, ſed præſertim libr. de gratia, & libero arbitrio, cap. 16. vbi ait: *Certum eſt nos facere, cùm facimus: ſed ille facit, vt faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati, qui dixit: Faciam, vt in iuſtificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obſeruetis, & faciatis.* Ecce, vires efficaciſſimas contra vires ſufficientes diſtinguit, & illas dari omnibus, qui piè operantur, definit: illas verò concedi iis, qui bene operari poſſunt, ſed ſua culpa, operari nolunt. Et libro primo contra duas epiſtolas Pelagianorum, capite vigeſimo, loquens de poteſtate Diuina, quæ ad orationem Reginæ Eſther conuertit Deus cor Regis Aſſueri, & tranſtulit indignationem eius in lenitatem, inquit: *Qui cor Regis, antequam mulieris ſermonem poſcentis audiſſet, occultiſſima, & efficaciſſima poteſtate conuertit, & tranſtulit ab indignatione ad lenitatem: hoc eſt, de voluntate ledendi ad voluntatem fauendi, ſecundùm illud Apoſtoli*: Deus eſt, qui operatur in vobis & velle. Ezech. 36

X. Extat ad eandem diuiſionem comprobandam inſigne S. Cyrilli teſtimonium in libro de adoratione, & cultu in ſpiritu & veritate: vbi narrans hiſtoriam Gen. c. 19. quomodo Loth recepiſſet Angelos hoſpitio, ac poſtea ipſi apprehēderint manum eius, & manum vxoris eius, & filiorum; & myſticè explicans illam apprehenſionem manuum, ait: *Indicium tibi ſit, Palladi valdè manifeſtum, dum non ſolis verbis nos ſtimulat, & adhortationibus menti immiſſis, vt diſcedamus à peccato, ſed tantam benignitatem nobis etiam exhibet vniuerſorum Saluator Deus, vt efficaci ſubſidio adiuuet, ſecundùm quod ſcriptum eſt: Apprehendiſti manum dexteram meam, & in conſilio tuo deduxiſti me. Nam quoniam hominis natura non valdè generoſa eſt, neque ſatis idonea, vt malum effugere* S. Cyrillus. Pſalm 72.

quæat, simul quodammodo nobiscum certat Deus, & duplex concedere beneficium videtur, persuadens admonitionibus, vt sui subsidium inueniamus, & fortius illud præstans, quàm vt malum præsens, & violentum praualere possit. Quibus verbis clarissimè distinguit duplex Dei subsidium, siue auxilium: aliud sufficiens, tribuens posse bene operari: quod per adhortationes menti immissas designauit: aliud autem auxilium fortius, nempe auxilium efficax, præstans homini pie operari, & malum imminens effugere.

XI. Quartò probatur auctoritate Scholasticorum, qui diuisionem gratiæ sufficientis, & efficacis statuerunt: inter quos primum locum tenet S. Thom. nam in tertia sententia dist. 13. q. 2. art. 2. quæstiunc. 2. ad 5. ait: *quòd Christus satisfecit pro tota humana natura sufficienter, non tamen efficienter, quia non omnes illius satisfactionis participes fiunt: quod ex eorum importunitate est, non ex ipsius insufficientia satisfactionis.* d. 19. q. 1. art. 1. quæstiunc. 2. ad 3. vtitur eadem dist. passionem Christi conferens cum medicina, quæ antequam applicetur infirmo, sufficiens est ad sanandum, sed efficientiam, id est, efficaciam non habet, nisi applicetur infirmo. & 3. part. quæst. 79. art. 7. ad 2. ait, *quòd sicut passio Christi prodest quidem omnibus, quantum ad sufficientiam, & ad remissionem culpæ, & adeptionem gratiæ, & gloriæ: sed effectum non habet, nisi in illis, qui passioni Christi coniunguntur per fidem, & charitatem:* ita & sacrificium Missæ, *quod est memoriale Dominicæ passionis, non habet effectum, nisi in illis, qui coniunguntur huic sacramento per fidem, & charitatem.* Et sup. cap. 26. Matth. explicans illud: *Hic est sanguis meus noui Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, ait: *Et pro multis, & pro omnibus, quia si consideretur sufficientia, ipse est propitiatio pro peccatis nostris, & non pro nostris tantùm, sed pro totius mundi. Sed si consideremus effectum, non habet effectum, nisi in his, qui saluantur, & hoc ex culpa hominum.* Ex his desumitur argumentum: Passio Christi satisfecit pro omnibus hominibus, quantùm ad sufficientiam, & pro aliquibus, quantùm ad efficaciam: ergo similiter gratia, quam per passionem nobis meruit, distingui potest, & debet in gratiam sufficientem, per quam potest homo piè operari, aut saluari, & in gratiam efficacem, per quam reipsa piè operatur, vel saluatur.

Passio Christi satisfecit pro omnib. quoad sufficientiã, & pro aliquibus quãtùm ad efficaciam.

1. Ioan. 2.

Sed dicunt, S. Thomam in omnibus prædictis locis nullam prorsus mentionem fecisse efficaciæ passionis Christi, sed solùm docuisse, passionem Christi esse sufficientem pro omnibus: in aliquibus verò efficientem, & in illis habere effectum: ergo ex mente S. Thom. non est distinguenda passio, vel gratia Christi in sufficientem, & efficacem, sed in sufficientem, & efficientem. Hæc tamen obiectio nulla est: nam gratia efficiens apud S. Tho. designat gratiam efficacem: nam significat eam gratiam, quæ facit, vt faciamus, & operatur, vt operemur. Constat autem, hanc esse gratiam efficacem, seu quæ vires efficacissimas, vt Augustinus ait, tribuit voluntati. Præterea etiam S. Th. aliis in locis expressam mentionem facit gratiæ efficacis, vt distinguitur contra gratiam sufficientem: præsertim super cap. 6. Ioan. vbi explicans verba illa: *Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me*, ait: *Attractio Patris efficacissima est, quia omnis qui audiuit à Patre & didicit, venit ad Christum.* Videantur alia loca S. Aug. & S. Tho. quæ pro gratia efficaci, prædeterminante voluntatem creatam ad bonum, adduximus disputatione 23. n. 9. & sequentibus.

XII. Quintò probatur ratione eadem diuisio, & eius sufficientia. Quia, si non daretur gratia verè sufficiens, sequeretur, quòd illi omnes, qui non conuertuntur, aut saluantur, reuera conuerti non possent, aut saluari: quod tamen non potest admitti. Probatur antecedens: nam illi non habent gratiam efficacem, alias enim conuerterentur, aut saluarentur. hæc enim gratia tribuit actualiter bene operari, vel perseuerare vsque in finem: ergo, si non habent gratiam vere sufficientem, quæ tribuit posse, omnes illi conuerti, pie operari, vel saluari non possent, & ita non imputaretur eis ad culpam, quòd non conuerterentur, nec adimplerent diuina mandata; & consequenter Deus irrationabiliter conquereretur de illis, & sine causa eos increparet: quod tamen sacrarum literarum testimonijs videtur repugnare. Dicitur enim Prou. 1. *Quia vocaui, & renuistis: extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret, &c. ego quoque in interitu vestro ridebo, &c.* & Psal. 4. *Filij hominum vsquequò graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Et Christus Dominus in die iudicij sedens pro tribunali, dicet illis, qui à sinistris erunt: *Discedite à me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius: esuriui enim, & non dedistis mihi manducare, &c.* Relinquitur ergo, eos habuisse auxilium sufficiens, quo hæc omnia poterant adimplere: ergo necessariò admittenda est diuisio gratiæ in sufficientem, & efficacem.

Matth. 25.

Denique probatur specialiter, quòd sit constituendum auxilium efficax ab auxilio sufficienti distinctum: nam alias tolleretur certitudo, & infallibilitas prædestinationis, quæ fundatur in efficacia auxiliorum diuinæ gratiæ, quibus certissimè liberatur, quicunque liberantur, vt ait Aug. lib de præd. SS. c. 14. Hæc autem patebunt amplius ex iis, quæ dicentur infra inter disputandum de efficacia auxiliorum præuenientis gratiæ.

Disp. 83. & 91.

XIII. AD primum argumentum iam patet ex dictis, quàm sit conformis sacris literis, Conciliis, & Patribus diuisio gratiæ in sufficientem, & efficacem: & ad id, quod obijcitur ex Concilio Tridentino, respondetur, nomine excitantis, & adiuuantis gratiæ, comprehendisse gratiam sufficientem, & efficacem, vt ex aliis suprà inductis locis eiusdem Concilij apertè constat.

Ad secundum respondetur, quòd eædem ferè difficultates, quas Theologi disputant circa gratiam sufficientem, & efficacem, moueri possunt, circa gratiam excitantem, & adiuuantem. Vnde, si propter illas non esset admittenda diuisio gratiæ in sufficientem, & efficacem; eadem ratione reiicienda esset partitio gratiæ in excitantem, & adiuuantem: quod tamen concedi non potest. Secundò respondetur, difficultates omnes, quæ circa distinctionem gratiæ sufficientis, & efficacis oriuntur, ex principijs Theologicis dissoluuntur quàm facile, ex Scripturis videlicet, Conciliis, & Patribus, vt ex suprà dictis patet, & ex iis, quæ sunt inferiùs dicenda. Dato etiam, quòd, posita eadem distinctione, multa se offerant, quæ plenè non possint à nobis intelligi; aut explicari; non propterea neganda essent, aut reiicienda. Vnde Aug. *Nunquid propterea dicturi sumus, quod ita esse perspicimus, non ita esse, quoniam, cur ita sit, non possumus inuenire. Nunquid ideo negandum est, quod apertum est, quia comprehendi non potest, quod occultum est.* Et in alio loco ait: *Ego autem etiamsi refellere istorum argumenta non valeam, video tamen inhærendum esse iis, quæ in Scripturis sunt apertissima, vt ex iis reuelentur obscura, aui si mens nondum est idonea, quæ possit ea vel demonstrata cernere, vel abstrusa inuestigare, sine vlla dubitatione credantur.* de quo plura in disp. 118. & 119. dicenda sunt.

Aug. lib. de dono perf. cap. 14.

Libro 3. de pecc. mer. & remiss. c. 3. & 4.

Ad tertium respondetur. Quòd cùm gratia sufficiens, & efficax ab excitante, & adiuuante realiter non distinguantur, loca Scripturæ, quæ de gratia, & lib. arb. loquuntur, sicut recte explicantur de gratia excitante,

excitãte, vel adiuuante, ita etiam rectiſſime poſſunt A de gratia ſufficiente, vel efficaci interpretari.

Ad quartum reſpondetur, reprobos, dum ſunt in gratia, operari opera bona, & meritoria vitæ æternæ, virtute gratiæ efficacis: ſed illa gratia eſt quidem efficax ad credendum, vel diligendum Deum, non tamen eſt efficax ad perſeuerandum. Gratia enim efficax diuiditur in diuerſa membra, vt ſuprà dictum eſt. Vnde ex eo, quòd gratia reprobis collata non ſit efficax ad perſeuerandum, non ſequitur, eam non eſſe efficacem, vel quòd ſit conſtituendum medium genus gratiæ a ſufficienti, & efficaci diſtinctum. Gratia autem efficax dicitur gratia ſecundùm propoſitum Dei, ſiue illud propoſitum ſit efficiendi in nobis, atque nobiſcum pios actus fidei, ſpei, & charitatis, vt contingit in reprobis exiſtentibus in B gratia, ſiue ſit etiam propoſitum ſaluandi, ſeu glorificandi, ſicut eſt propoſitum, quod circa electos habet. Cùm ergo S. Auguſt. ait, quòd *prædeſtinatio eſt præſcientia & præparatio beneficiorum Dei quibus certiſſime liberantur, quicunque liberantur*, nomine beneficiorum Dei, comprehendit non ſolum gratiam efficacem, qua homo credit, ſperat, diligit Deum, vel alia opera pietatis exercet, ſed etiam eam gratiã, per quã Deus efficit illum perſeuerantẽ vſque in finem.

Ad confirmationem reſpõdetur, auxilium actuale, quo actus attritionis elicitur, eſſe quidem auxilium ſufficiens, comparatione conuerſionis perfectæ, & ſimul efficax, comparatione attritionis, vel aliorum actuum imperfectorum, qui regulariter antecedunt contritionem perfectam, quia, vt dicetur C diſp. 80. idem auxilium, quod eſt ſufficiens, comparatione vnius effectus, ſimul eſt efficax, comparatione alterius.

Ad quintum reſpondetur, auxilium efficax eſſe vnum ex antecedẽter prærequiſitis, vt homo actualiter bene operetur, ſicut dictum eſt ſuprà. Nec ex hoc ſequitur, nullam aliam gratiam, præter efficacem, eſſe ſufficientem, vt diſputatione 18. num. 10. & diſp. 23. n. 19. oſtenſum eſt.

XIV. Ad ſextum reſpondetur. Stantibus in duobus hominibus omnibus auxiliis prærenientis gratiæ tam externis, quàm internis omnino æqualibus, nunquam contingere, quòd vnus conuertatur, alter non conuertatur, ſed ſemper ille, qui conuertitur, recipit aliquod fortius auxilium prærenientis gratiæ, quod D non recipit ille, qui non conuertitur, vt diſput. 108. manifeſtum fiet: vbi etiam reſpondendum erit ad id, quod ex Matth. 11. cap. obiicitur.

Ad ſeptimum reſpondetur, quòd gratia ſufficiens eminenter includitur in gratia efficaci, non autem formaliter: nam gratia ſufficiens, formaliter loquendo, vt ab efficaci diſtinguitur, eſt illa, quæ ſolùm tribuit poſſe operari illum actum, comparatione cuius dicitur ſufficiens: gratia autem efficax, quamuis tribuat poſſe operari, non tamen confert ſolùm poſſe, ſed etiam actualiter operari, vt dictum eſt.

Secundò reſpondetur, quòd etiam quando conuerſio peccatoris fit in vnico inſtanti, Deus & mouet liberum arbitrium gratia adiuuante, quæ eſt efficax; & ſimiliter per gratiam excitantem, vel ſuffi- E cientem illuminat intellectum, & excitat eius voluntatem, vt liberè conuertatur: quæ quidem excitatio, quamuis ſit in eodem inſtanti temporis, præſupponitur tamen in priori ſigno rationis ad gratiam efficacem.

Diſp. 121. num. 10. Ad octauum reſpondetur, quòd, vt diſp. 3. dicebamus, & patebit etiam inferiùs, Caluinus non erranit, dum gratiam Chriſti eſſe efficacem aſſeruit; ſed quia ita ex ſe efficacem eſſe confinxit, vt cum ea noſtrum arbitrium non cooperetur liberè, ſed ſolùm motu ſpontaneo.

DISPVTATIO LXXII.

Vtrùm in ea diuiſione, qua auxilium gratiæ diuiditur in auxilium efficax, & auxilium inefficax immediatum diuiſum, ſit auxilium ſufficiens.

QVIDAM dixerunt, immediatũ I. diuiſum huius diuiſionis eſſe auxilium ſufficiens; ita videlicet, vt illud auxiliũ ſufficiẽs, ſiue maius, ſiue minus in ſe ſit, efficax dicatur, cum quo arbitrium pro ſua libertate conuertitur; illud verò dicatur inefficax, cum quo arbitrium pro eadem libertate non conuertitur.

Ex quo inferunt, præter auxilium ſufficiens prænenientis gratiæ nullum aliud requiri auxiliũ prænieniens ſecundùm realem virtutem diſtinctum ab auxilio ſufficienti, vt peccator conuertatur, & piè operetur, ſed idem auxilium, quod eſt tantùm ſufficiens, quando homo non vult conuerti, fit efficax, ſi homo velit pro innata ſua libertate, bene vti illo auxilio, & ad Deum conuerti liberè conſentiendo eidem auxilio, & cooperando. Dicunt etiam, quòd, quamuis auxilium efficax, & auxilium ſufficiens nõ diſtinguantur realiter, ſecundùm eorum perfectionem, & virtutem intrinſecam, diſtinguuntur tamen ratione in genere beneficij, & in genere doni, ſicut gladius datus alicui tempore pacis, & tempore belli, realiter idem gladius eſt, tamen in genere doni, & in genere beneficij, maius donum, & maius beneficium recipit ille, cui datur gladius tempore belli, quando vtetur illo, vt ſe defendat ab inimicis, quàm ſi donaretur tempore pacis, quo illi gladius vſui neceſſarius non eſſet.

Primum argumentum, quo ſuam ſententiam corroborare nituntur, deſumitur ex Conc. Trid. ſeſſ. 6. de iuſtif. c. 5. can. 4. vbi habetur, quòd liberum hominis arbitrium excitatum, & motum à Deo, liberè conſentit Deo excitanti, & vocanti, & poteſt diſſentire, ſi velit: ergo, ſtante quocunque auxilio prænenientis gratiæ, homo poteſt illi conſentire, & diſſentire. Sed, poſito in homine auxilio efficaci, non poteſt homo illi diſſentire; aliàs enim non eſſet efficax: ergo huiuſmodi auxilium non eſt prænieniens, nec cõprehenditur ſub auxilio prænenientis gratiæ: ergo ſolum auxilium ſufficiens erit prænieniens; ac per conſequens in ea diuiſione, qua auxiliũ prænenientis gratię diuiditur in auxiliũ efficax, & inefficax, immediatum diuiſum erit auxilium ſufficiens, & nõ aliquid abſtrahens ab auxilio ſufficiente, & efficaci.

Secundò arguitur. Immediatum diuiſum illius diuiſionis, qua auxilium gratiæ diuiditur in efficax, & inefficax, eſt auxilium prænieniens. ſed ſolùm auxilium ſufficiens eſt prænieniens: nam præter auxiliũ ſufficiens, nullum aliud datur auxilium prænenienſ, neceſſariò prærequiſitum ad piam operationem: ergo immediatum diuiſum eiuſdem diuiſionis erit auxilium ſufficiens, cui ſi lib. arb. conſentiat, efficax euadet, ſi autem non conſentiat, erit inefficax.

Tertiò arguitur ex illo celebri teſtimonio Mat. 11. *Vah tibi Corozaim, vah tibi Bethſaida, quia ſi in Tyro, & Sidone facta fuiſſent virtutes, quæ facta ſunt in te, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent.* Ex quibus verbis deſumitur argumentum. Si illud auxilium ſufficiens, quod datum eſt Iudæis cum miraculis, & ſignis factis in Corozaim, non eſſet ſufficiens, vt cum illo ſolo, ſecluſo quocunque alio auxilio prænenientis gratiæ realiter diſtincto, conuerterẽtur

Tyrij,& Sidonij:sequeretur, quòd non esset vera illa conditionalis,quam Christus Dominus protulit: item etiam sequeretur, quòd absque vlla causa obiurgarentur Iudæi,quòd non fuerint conuersi:consequens non est dicendum:ergo. Sequela probatur: nam ad veritatem conditionalis requiritur,quòd sit bona consequentia; ita vt, posito antecedente, infallibiliter ponatur consequens; sed,positis adhuc in Tyriis,& Sidoniis auxilijs datis Iudæis, & miraculis,& virtutibus factis; conuersi non fuissent,nisi Deus dedisset aliud maius auxilium prævenientis gratiæ,videlicet auxilium efficax,realiter distinctum à sufficiente; quod tamen non est datum Iudæis: ergo,si tale auxilium esset necessarium, falsa esset illa cõditionalis:*Si in Tyro,& Sidone facta fuissent,&c.* Quòd verò frustra obiurgarentur Iudæi, probatur: nam possent respondere, non esse datum sibi auxilium efficax necessarium,vt conuerterentur quod si Deus illis dedisset,etiam ipsi conuersi fuissent.

Quartò arguitur. Nullum auxilium præueniens est secundùm se efficax,id est,secundùm suam naturam, neque ex se habet infallibilem connexionem cum consensu arbitrij: ergo id habet dependenter ex libero influxu, & cooperatione eiusdem arbitrij: ergo idem auxilium sufficiens esset efficax, si homo consentiat: & inefficax, si non consentiat; ac per consequens, auxilium sufficiens dicitur efficax, vel inefficax.

Quintò arguitur. Nam sequeretur ex oppolita sententia, quòd conuersio, & alia quæcunque pia operatio non est in libera hominis potestate.Probatur: nam,si auxilium efficax est præueniens, necessariò debet fieri in homine à solo Deo, cùm nullo modo dependeat ab influxu nostri arbit. vt affirmat oppolita sententia: ergo tale auxilium non est in libera potestate hominis. Patet consequentia: nam solum illud est in potestate hominis,quod sit ab homine,& ab illo dependet:ergo neque actus liber,ad quem dicitur esse necessarium tale auxilium, erit in libera potestate hominis;quod tamen nullatenus est asserendum.Consequentia probatur, quia non potest talis actus esse in hominis potestate,nisi in eius potestate sint illa etiam,quæ necessariò requiruntur ad productionem illius actus.

Disp.82. & 90. Sextò argumentantur omnibus rationibus, quibus,vt dicetur infrà, probare contendunt, auxilium efficax,qua efficax est,non esse præueniens, sed pariter cum libero arbitrio in piam operationem influens:ex hoc enim infertur, diuisionem prædictam auxilij solùm ab effectu esse desumendam, non autem ex reali,& intrinseca virtute ipsius auxilij.

II. Contrariam sententiam defendunt consequenter omnes assertores gratiæ,efficienter prædeterminantis liberum arbitrium ad consensum, eámque esse de mente S.Augustini & S.Thom. ac sactis literis, Conciliis,& Patribus conformem affirmant, & ita sine dubio tenendum est; vnde sit

Auxilium efficax inquãtum efficax, est præueniens liberã cooperationẽ arbitrij. PRima Conclusio. Non solùm auxilium sufficiẽs est præueniens, sed etiam efficax, vt efficax est, præuenit ordine rationis, & causalitatis, cooperationem nostræ voluntatis.Hæc conclusio, quòd attinet ad auxilium sufficiens, ab omnibus recipitur: de efficaci verò negatur à multis,qui asserunt, efficaciam physicam diuinæ gratiæ non consistere in aliquo antecedente consensum, ordine causalitatis: sed in actuali influxu, quo Deus simul cum libero arbitrio influit immediatè in operationes supernaturales.Sed nostra cõclusio est S. Augustini & S.Th. vt patebit infrà. Et probatur primò ex Conc. Trid. locis suprà citatis, vbi habetur, quòd per gratiam præuenientem, quam distidit in gratiam excitantem, & adiuuantem, homo disponitur ad suam iu-

Disp 71. A stificationem, eidem gratiæ liberè consentiendo, & cooperando. Sentit ergo Conc. gratiam adiuuantem,quæ est gratia efficax, antecedere ordine rationis,& causalitatis nostrum concursum, & cooperationem. Præterea probatur ex locis S. Augustini & S. Thom.quibus suprà disput 18.ostensum est, actualem influxum primæ causæ, quo adiuuat causas secundas ad operandum, esse influxum immediatum in ipsas causas secundas: ergo antecedit ordine naturæ,& causalitatis,actualem concursum cuiuscumque causæ secundæ: ac per consequens etiam antecedit nostræ voluntatis concursum.Ratione probatur: nam aliquando contingit, quòd Deus in vnico instanti conuertat peccatorem absque dispositionibus tempore antecedentibus, vt contigit in conuersione S.Pauli.Tunc est argumentum. Auxilium, B quo Deus eleuat in tali casu intellectum, & voluntatem peccatoris ad actus supernaturales, debet recipi in potentia antecedenter ad actum; quia sine illo auxilio, intellectus, & voluntas non haberent virtutem sufficientem ad tales actus: ergo tunc auxilium efficax præuenit consensum voluntatis. Patet consequentia: nam in consimilibus casibus ante auxilium efficax non est aliud auxilium sufficiens; per quod intellectus,& voluntas possent producere actus supernaturales, sed eodem auxilio efficaci Deus & tribuit posse, & actualiter operari. Sed de ista conclusione agendum erit ex professo disputatione 81.

Auxilium sufficiens qualiter ab efficaci distinguatur. Secunda Conclusio. Auxilium sufficiens, & efficax non distinguuntur solùm ratione in genere doni, sed distinguuntur per aliquid sibi intrinsecum. C Itaque auxilium efficax, secundum se, & vt venit a Deo,habet saltem intentionaliter aliqualem realem virtutem sibi intrinsecam, quam non habet auxilium,quod est tantùm sufficiens. Hæc conclusio est contra quosdam Theologos,qui tenent, nihil reale intrinsecum habere auxilium efficax, quo à sufficienti distinguatur: & addunt,quod idem auxilium gratiæ in se permanens inuariatum,si conferatur in talibus circumstantiis, erit tantùm sufficiens: quia liberum arb.non erat vsurum tali auxilio: collatum verò eidem homini in alio tempore, in quo Deus præsciebat, ipsum esse vsurum eodem auxilio, erit efficax.

Sed probatur nostra Cõclusio ex illo 1.ad Cor.4. D *Quis enim te discernit?quid autem habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Ex quo desumitur efficax argumentum. Si cum eodẽ auxilio vnus conuertitur, quia vult, alius non,quia non vult:sequitur,quòd ille,qui conuertitur,discernat se ab alio per aliquid proprium, quod non accepit ex auxilio gratiæ. Consequens est contra auctoritatem Apost.ergo.Sequela probatur:nam illi duo homines non discernuntur realiter per gratiam,quam acceperunt antecedenter ad liberam cooperationẽ arbitrij,quia,vt supponitur, auxilia fuerunt omnino æqualia in vtroque. In iis autem, in quibus conueniunt,non discernũtur, vt Aug.docet li.de præd.SS.c.5.ergo discernuntur,quia iste voluit vti tali auxilio ex innata sibi libertate,alter verò noluit:ergo discretio,& differentia vltimatè reducitur E in liberam cooperationẽ huius,vel illius pro innata eius libertate. Vis huius argumenti patebit amplius ex iis,quæ dicẽtur disp.seq & ex dictis disp.36.& 37. de præd. ibi enim varias solutiones auctorum sententiæ aduersæ retulimus,& impugnauimus.

III. Auxilij diuini diuisio in auxiliũ efficax, & inefficax, qualis sit. Tertia Conclusio.Immediatum diuinum diuisionis suprà positæ, est auxilium præueniens, in tota sua latitudine: non autem auxilium solum sufficiens. Hæc conclusio manet probata sufficienter ex dictis. Cùm enim auxilium efficax, qua efficax est, sit

præue

prævenientis, vt ex præmiſſis patet, & diſp. 82. & 90. A conſtabit amplius, relinquitur in immediato diuiſo illius diuiſionis, qua auxilium prævenientis gratiæ in auxilium efficax, & inefficax diuiditur, comprehendi quodcunque auxilium prævenientis; alias diuiſio non eſſet bona: ergo impoſſibile eſt, quòd immediatum diuiſum ſit ſolum auxilium ſufficiens.

Confirmatur. Nam alias diuiſum coincideret cũ vno membrorum diuidentium, quod eſt impoſſibile. Antecedens probatur: nam auxilium ſufficiens, & auxilium inefficax ſunt idem prorſus auxilium: ex eo enim dicitur auxilium ſufficiens; quia ſolùm tribuit poſſe operari, non autem actualiter operari: auxilium autem inefficax dicitur, quia non efficit hominem operari: ergo ſi immediatum diuiſum eſt ſolum auxilium ſufficiens, coincideret diuiſio cum B altero membrorum diuidentium.

IV. Auxilium efficax tacit, quod cum homo poſſit diſſentire, infallibiliter conſentiat.

AD primum argumentum reſpondetur, quòd liberum noſtrum arbitrium excitatum, & motum a Deo libere conſentit, & conſequenter poteſt diſſentire, ſi velit; tamen, quando motio Dei eſt efficax, infallibiliter conſentiet: etenim hoc operatur gratia in libero arbitrio fortiter, & ſuauiter, quod, cum poſſit diſſentire, non diſſentiat. Cuius ratio eſt, quam aſſignat S. Thom. 1. 2. quæſtione 112. articulo tertio in corp. *Nam intentio Dei deficere non poteſt. Vnde, ſi ex intentione Dei mouentis eſt, quòd homo, cuius cor mouet,* conſentiat, & *conſequatur gratiam, infallibiliter eam conſequitur* & neceſſariò neceſſitate infallibilitatis, non autem ex neceſſitate abſoluta, & idem docet 2. 2. q. 24. art. 11. in corp. Dicimus ergo C ad argumentum in forma, quòd ſi homo conſentiat, non facit gratiam efficacem, ſed eſt ſignum à poſteriori, quòd habuerit gratiam efficacem: conſenſus enim liberi arbitrij præſupponit gratiam efficacem, ordine rationis, & cauſalitatis. Si autem non conſentiat Deo vocanti, ſicut fecerunt illi, qui vocati ad nuptias noluerunt venire; non facit etiam gratiam inefficacem, proprie loquendo; ſed eſt ſignum à poſteriori, quòd vocatio Dei non fuerit efficax, vt venit a Deo, ſed ſolùm ſufficiens. Et cùm arguitur: nam vocationem eſſe efficacem, eſt producere conſenſum; reſpondetur negando antecedens, ſi loquamur formaliter; verum tamen eſt cauſaliter: per gratiam enim efficacem Deus efficit, vt liberum arbitrium cooperetur. D

Ad ſecundum argumentum negatur antecedens. Ad probationem reſpondetur, præter auxilium ſufficiens, quòd tribuit poſſe, eſſe neceſſario præ requiſitum ad piam operationem auxilium efficax diſtinctum à ſufficienti, vt inferius patebit, & ex iis, quæ ſupradicta ſunt, conſtat.

V. Propoſitio conditionalis, vt ſit vera, nõ exigit, quod antecedẽs ſit cauſa conſequentis.

Ad tertium argumentum reſpondetur, illam conditionalem Euangelij: *Si in Tyro, & Sidone facta fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in te; pœnitentiam egiſſent,* eſſe veriſſimam. Pro cuius intelligentia ſupponendum eſt ex Dialectica, ad veritatem conditionalis non requiri, vt antecedens ſit cauſa conſequentis, ſed ſufficit, quòd, poſito antecedente, ponatur conſequens, ſiue antecedens ſit adæquata cauſa conſequentis, ſiue effectus illius, ſiue conditio præſupponens aliam cauſam, ex cuius virtute ſequitur conſequens. Verbi gratia, hæc conditionalis eſt vera: Si dies eſt, Sol lucet: & tamen antecedens non eſt cauſa conſequẽtis, ſed effectus illius. Item etiam iſta eſt vera: Si ignis applicatur, calefacit: & tamen applicatio eſt ſolum conditio. Ita dicimus in præſenti, quod ad verificandam illam conditionalem. Si in Tyro, & Sidone facta fuiſſent ea ſigna, & prodigia, quæ fecit Dominus in Corozaim, & Bethſaida, conuerſi fuiſſent, non eſt neceſſarium, quòd antecedens ſit cauſa conſequentis, nec quòd aliquis de facto conuertatur, ſolùm ſignis, & auxiliis ſufficientibus, Iudæis collatis. ſed ſufficit, quòd ſi in Tyro, & Sidone ponerentur illa ſigna, de facto conuerterentur multi ex illis, non quidem ex ſolis ſignis, ſed ex alia cauſa, quam præſupponit Chriſtus, videlicet ex auxilio efficaci, quod Deus ſtatuerat conferre illis; ſi apud eos ſigna illa facta fuiſſent, quæ in Corozain, & Bethſaida Dominus operatus eſt, vt diſp. 7. n. 24. dictum eſt. Ad illud verò, quod in eodem argumento obiicitur, quoniam abſque vlla cauſa obiurgarentur Iudæi, quòd non fuerint ad Chriſtum conuerſi; ſi quidem Deus non dedit illis auxilium efficax ad conuerſionem neceſſarium; reſpondetur, idem argumentum fieri poſſe contra auctores oppoſitæ ſententiæ. Nam, vt ipſi fatentur, vocatio congrua, id eſt, collata in illis circumſtantiis, in quibus præſciebat Deus, hominem eſſe conſenſurum; eſt neceſſaria, vt homo conuertatur: ergo, ſi Deus Iudæis non dedit huiuſmodi gratiam, ſeu vocationem congruam; vt quid Chriſtus Dominus Iudæos increpauit, quòd non fuerint conuerti? Reſpondetur ergo, quòd rationabiliter increpantur; quia ſua culpa impedimentum præſtiterunt, ne gratia efficax illis daretur, vt diſp. 7. n. 24. & diſput. 18. n. 20. dictum eſt.

Iudæos Chriſtus Dominus iuſte increpauit, & quare.

Ad quartum reſpondetur, quòd, vt diſputatione ſequenti ad tertium argumentum, & diſputatione 83. patebit, auxilium gratiæ dicitur efficax ſecundùm ſe, id eſt, ſecundum realem virtutem, quam habet a Deo, quatenus videlicet eſt inſtrumentum Dei abſoluta, & efficaci voluntate, nulla præſuppoſita ſcientia media, volentis hominem, cuius cor mouet, ad ſe conuertere. Vnde nunquam auxilium, quod ſecundùm ſe eſt tantùm ſufficiens, fit efficax ex libera cooperatione arbitrij.

VI. Auxilium gratiæ in quo ſenſu dicatur ſecundum ſe efficax

Ad quintum reſponſum eſt diffuſè diſp. 18. n. 20. diſp. 22. n. 32. & diſp. 24. num. 29.

Ad ſextum patebit diſp. 82. & 90.

DISPVTATIO LXXIII.

Vtrùm diuiſio auxilij prævenientis gratiæ in auxilium efficax, & inefficax, ſolùm ab effectu, qui ſimul à libera cooperatione arbitrij pendet, deſumatur, an etiam ex reali virtute ipſius auxilij.

I. TOTA difficultas huius quæſtionis in hoc conſiſtit: Vtrùm auxilium efficax addat ſaltem intentionaliter aliquam realem virtutem antecedentem piam operationem ſupra auxilium ſufficiens; an verò nihil reale addat, ſed idemmet auxilium, extrinſeca duntaxat denominatione, dicatur efficax, quando E homo cum illo vult cooperari: & ſimiliter dicatur inefficax, quando non vult cooperari.

Quidam dixerunt, diuiſionem auxilij prævenientis gratiæ, in auxilium efficax, & auxilium inefficax, ab effectu, qui ſimul ab arbitrij libertate pendet, ſumi, atque adeò, quòd efficax, aut inefficax ad conuerſionem, ſeu iuſtificationem ſit, pendere à libero conſenſu & cooperatione arbitrij cum illo.

Probant ſuam ſententiam. Primò: nam auxilium efficax, inquantùm efficax, formaliter loquendo, non eſt prævenies liberũ conſenſum noſtri arbitrij, ſed ſolùm concomitans, & pariter cum eo influens in piã operationem: ex eo enim dicitur efficax, quia efficit nobiſcum, eandem operationem: ergo ſolùm

ab effectu dicitur efficax: quia videlicet nobiſcum cooperatur, & eadem ratione dicitur inefficax, quia nihil nobiſcum cooperatur.

Secundò nam, vt docet S. Th. 1. 2. q. 111. art. 3. ad 2. *Gratia non diuerſificatur per hoc, quòd eſt præueniens, & ſubſequens ſecundùm eſſentiam, ſed ſolùm ſecundùm effectum, ſicut & de operante, & cooperante dictum eſt: quia etiam ſecundùm quòd gratia ſubſequens ad gloriam perducit, non eſt alia numero à gratia præueniente, per quam nunc iuſtificamur.* ergo ſimiliter gratia non diuerſificatur ſecundùm eſſentiam, vel ſecundùm realem, & intrinſecam virtutem per hoc, quòd eſt efficax, vel ſufficiens: ſed ſolùm ſecundum effectum: ergo ſolùm ab effectu gratia dicetur efficax, quia liberum arbitrium cooperatur cum illa; & ſimiliter dicetur inefficax, quia pro ſua innata libertate noluit cum ea cooperari.

Tertiò. Nullum auxilium præuenientis gratiæ eſt ex natura ſua inefficax; ergo ſimiliter nullum auxilium præuenientis gratiæ erit ab intrinſeco, & ex natura ſua efficax. Probatur conſequentia: nam in diuiſione per ſe, quando vnum membrum competit ex natura ſua alicui ſubiecto, alterum etiam membrum debet per ſe conuenire alteri, ſicut in diuiſione, qua diuiditur animal in hominẽ, & equum, &c. neceſſariò debet aſſignari aliquod animal, cui per ſe, & ex natura ſua competat eſſe equum; ſicut aſſignatur animal, cui per ſe competit eſſe hominem. Antecedens autem probatur: nam, ſi daretur aliquod auxilium præuenientis gratiæ, quod per ſe, & ex natura ſua eſſet inefficax, ſequeretur, quòd repugnaret eidem auxilio effectum habere, ac per conſequens, liberum arbitrium reuerà non poſſet per illud auxilium operari, & ita nullum relinqueretur auxilium ſufficiens: etenim, vt patebit infrà, auxilium ſufficiens illud dicitur, cum quo liberum arbitrium poteſt operari. Relinquitur ergo, diuiſionem gratiæ in ſufficientem, & efficacem ſolùm ab effectu, qui ſimul à liberi arbitrij cooperatione pendet, eſſe deſumendam.

Quartò, Idem omninò auxilium immutatum in ſeipſo manens, poteſt eſſe ſufficiens, & efficax: ergo hæc diuiſio non deſumitur ex natura, aut virtute intrinſeca ipſius auxilij, ſed ab extrinſeco, ſcilicet ab effectu, quem habet, vel non habet. Antecedens probatur: nam, poſſibili poſito in eſſe, nullum ſequitur inconueniens, ſed ſi hoc poſſibile, homo per auxilium ſufficiens poteſt piè operari, ponatur in eſſe; & de facto piè operetur, in tali caſu idem auxilium, quod dicebatur ſufficiens, erit reuera efficax, nulla facta reali mutatione ex parte eiuſdem auxilij: ergo idem prorſus auxilium abſque aliquâ ſui mutatione, erit ſufficiens, & efficax; & ita ſolùm ab extrinſeco dicetur ſufficiens, vel efficax auxilium. Idem argumentum fieri poteſt de auxilio efficaci; nam, ſignato quocunque auxilio, quantumuis efficaci, adhuc liberum arbitrium poteſt cum illo operari, & non operari, conſentire, & diſſentire, vt definit Concilium Tridentinum. Ponatur ergo, quòd non operetur, ſed diſſentiat, tunc quidem auxilium præuenientis gratiæ, quod dicebatur efficax, erit inefficax; ſiquidem effectum non haberet: ergo idem, quod prius.

Con. Trid. ſeſſ. 6. de iuſtif. c. 5. & can. 4.

Contrariam ſententiam veram eſſe exiſtimo, & ad mentem SS. Auguſt. & Thom. ac ſacri literis, & Conciliis valdè conformem. Pro cujus explicatione ſit

11. Auxilij diuiſio in auxilium ſufficiens, & efficax, nõ ſumitur tãtum ab effectu.

PRima Concluſio. Diuiſio auxilij præuenientis gratiæ in auxilium ſufficiens, ſiue inefficax, & auxilium efficax, non eſt deſumenda ſolùm ab effectu, qui ſimul à liberi arbitrij cooperatione pendet, ſed etiam ex reali, & intrinſeca virtute eiuſdem auxilij, quam habet, vt venit à Deo, quatenus videlicet eſt inſtrumentum voluntatis diuinæ. Itaque auxilium efficax præoperantis gratiæ ſemper habet intentionaliter aliquam realem virtutem ad efficiendum, vt liberum arbitrium cooperetur; quam tamen in ſeipſo non habet auxilium ſufficiens. Probatur primo hæc ſententia auctoritate S. Auguſtini epiſtola 107. ad Vitalem, vbi eius referens ſententiam circa gratiam ſufficientem, quæ dat poſſe, & illam, quæ operatur in nobis velle & perficere, quæ eſt gratia efficax, inquit: *Quomodo dicis, quod te audio dicere, vt rectè credamus in Deum, & Euangelio conſentiamus, non eſſe donum Dei, ſed hoc nobis eſſe à nobis, id eſt, ex propria voluntate, quam nobis in noſtro corde non operatus eſt ipſe? Et ad hoc, cum audieris: quid eſt ergo, quod ait Apoſtolus: Deus in nobis operatur & velle, & perficere? reſpondes, per legem ſuam per Scripturas ſuas, Deum operari, vt velimus, quas vel legimus, vel audimus, ſed eis conſentire, vel non conſentire ita noſtrum eſt, vt ſi velimus fiat: ſi autem nolimus, nihil in nobis operationem Dei valere faciamus. Operatur quippe ille, dicis, quantum in ipſo eſt, vt velimus, cum nobis nota fiunt eius eloquia. ſed, ſi eis acquieſcere nolumus, non vt operatio eius nihil in nobis proficiat, efficimus.* Quibus verbis, Vitalis Carthaginenſis conſtituiſſe videtur diuiſionem gratiæ inefficacis, & efficacis ſolùm ab effectu, qui ſimul à liberi arbitrij cooperatione dependet. Quod indicant illa eius verba: *Sed eis conſentire, vel non conſentire ita noſtrum eſt, vt ſi velimus, fiat, ſi autem nolimus, nihil in nobis operationem Dei valere faciamus.* Quod idem eſt, ac ſi diceret: Gratia præueniens, quæ, accedente noſtro conſenſu, eſt efficax, redditur inefficax, ſi pro noſtra libertate continemus conſenſum. Quam ſententiam impugnans S. Auguſtinus ſubdit: *Quæ, ſi dicis, noſtris orationibus contradicis.* Quod inferius confirmat multis teſtimoniis Scripturæ. Si dicatur, Vitalem nullam admiſiſſe præuenientem gratiam interiorem, ſed ſolam legem externam, atque doctrinam; contra hoc eſt: quia non ſolùm Maſſilienſes, ſed etiam Pelagius in tertio ſtatu ſuæ hæreſis tandem admiſit illuminationem per doctrinam internam, & ſuaſionem; ſiue excitationem ſtupentis voluntatis, vt diſput. 1. n. 6. oſtenſum eſt, & patebit ampliùs diſputat. 95. ſemper tamen negauit adiutorium gratiæ efficacis, quo Deus ex nolentibus volentes efficeret, vt ex diſp. 1. n. 13. & 14. liquidò conſtat.

Secundò probatur: nam, vt ſuprà dictum eſt, auxilium ſufficiens illud eſt, quo poteſt quis operari, ſi velit: auxilium autem efficax eſt illud, quo quis actualiter operatur; ſed maioris virtutis eſt principium tribuens actualiter operari, quàm principium tribuens ſolùm poſſe, eò quòd actus ſecundus nobilior eſt, quàm actus primus, vt infrà patebit: ergo auxilium efficax habet aliquam realem virtutẽ ad efficiendum hominem pie operari, quam tamen non habet auxilium ſufficiens: ergo diuiſio auxilij præuenientis gratiæ in efficax, & ſufficiẽs non deſumitur ſolùm ab effectu, qui ſimul à liberi arbitrij cooperatione pẽdet, ſed etiam ex reali virtute ipſius auxilij. Diſp. 81. n. 12.

Tertiò. Vt docet S. Thomas, in auxilio efficaci eſt intentionaliter virtus Dei, voluntate abſoluta volentis, vt homo, cuius cor mouet, conuertatur, vel piè operetur, quod etiam diſputatione 22. & 23. latiùs oſtendimus. Hæc autem virtus intentionalis non eſt in auxilio ſufficienti, ſeu inefficaci: ergo aliqua realis virtus eſt in auxilio efficaci, quam tamen auxilium ſufficiens non habet: ergo prædicta diuiſio non ſumitur tantùm ab effectu, qui ſimul à noſtri arbitrij cooperatione pendet, ſed etiam ex reali, & intrinſeca virtute ipſius auxilij. Confirmatur. Quando agens, præſertim ſi habeat infinitam virtutem, 111. S. Th. 1. 2. q. 112. ar. 3. in corp. & q. 3. de pot. art. 7. ad 7. Auxilium efficax cõtinet intentionaliter virtutẽ voluntatis diuinæ.

Digitized by Google

tem, vtitur instrumẽto ad aliquid efficiendũ, tribuit A arbitrij cum illo, sed eam habere a solo Deo. Cum enim auxilium, quod est solùm sufficiens, hanc realem efficaciam non habeat, relinquitur, in auxilio efficaci esse aliquam realem virtutem ad permouẽdum liberum arbitriũ, quæ non est in auxilio sufficienti; ac per consequens, diuisionem, seu distinctionem auxilij in auxilium sufficiens, & auxilium efficax, sumendam esse ex reali, & intrinseca virtute, quæ intentionaliter est in vno auxilio, & non in alio. Idem constat ex iis, quæ in conclusione præcedenti dicta sunt.

AD primum ergo respõdetur, auxilium efficax, inquantum efficax, esse præueniens, & ex præmissis patet: non enim ex eo solùm dicitur efficax, quoniam nobiscum efficit piam operationem; sed B etiam quia efficit, vt liberum arbitrium secum cooperetur, ad libere consentiendum ipsum arbitrium prædeterminando.

Ad secundum negatur consequentia, & ratio discriminis est: nam gratia cooperans per se habet quòd simul etiam cooperetur nobiscum; Cæterum gratia sufficiens non habet per se, quòd tribuat illi actualiter operari actum illum, cuius comparatione dicitur sufficiens, vnde non est simile. Et hinc argumentum cùm peccator subitò ad Deum perfectè conuertitur, absque dispositionibus temporis antecedentibus infusionem gratiæ, idem auxilium, quod tribuit actualiter operari, tribuit etiam posse operari cùm in illo non constituantur duo auxilia diuersa, aliud tribuens posse, aliud tribuens operari: ergo in eo casu, auxilium sufficiens, & efficax solùm distinguuntur secundùm diuersos effectus, sicut gratia operans & cooperans, ac per consequens, auxilium gratiæ solùm ab effectu dicetur sufficiens, vel efficax, non autem propter realem distinctionem ipsius auxilij. Respondetur, quòd auxilium efficax continet eminenter omnem perfectionem sufficientis auxilij, sicut omne perfectum alicuius generis eminenter continet, quidquid perfectionis est in quolibet imperfecto eiusdem generis. Vnde non oporteret, quòd auxilium, quod est formaliter efficax & eminenter sufficiens, ad inuicem distinguantur realiter. Cæterum quando auxilium est tantùm formaliter sufficiens, vt solùm tribuat posse, nó autem actualiter operari actum illum, comparatione cuius D dicitur sufficiens; tunc necesse est, vt realiter ab auxilio efficaci distinguatur, hoc est, ex aliqua reali virtute existente intentionaliter in auxilio efficaci, vt venit a Deo, & vt est instrumentum Dei absolutè volentis, hominem, cuius cor mouet, ad se conuertere, quam tamen virtutem in se non habet auxilium sufficiens.

Ad tertium respondetur, quòd auxilium gratiæ potest dupliciter dici efficax ex natura sua. Primò, ita, vt illud verbum ex natura sua, solùm importet physicam entitatem, quam habet in genere entis, qua verè ex natura sua, id est, naturaliter, determinet liberum arbitrium ad operandum. Et in hoc sensu nullum auxilium gratiæ dicitur efficax ex natura sua. Alio modo potest auxilium gratiæ dici efficax ex natura sua, quam habet, vt est instrumentum diuinæ voluntatis, ita vt verbum *ex natura sua*, accipiatur, vt condistinguitur contra auxilium, quod solùm dicitur efficax ab effectu, qui simul dependet ex libera cooperatione nostri arbitrij. Et in hoc sensu datur auxilium efficax ex natura sua, hoc est, ex se, & ex reali virtute intentionali, quam habet a Deo independenter ex libera cooperatione nostri arbitrij. Et in eodem sensu datur auxilium sufficiens ex natura sua, quia videlicet, vt est instrumentum diuinæ voluntatis, solùm tribuit posse, non autem actualiter operari actum illum, comparatione cuius di-

Si dicatur, quòd idem auxilium sufficiens, cum subordinatione, & respectu ad Deum, volentem efficaciter cum illo conuertere hominem, redditur efficax, absque eo quòd tribuatur illi aliqua realis virtus, etiam intentionalis, per quam ab auxilio tantùm sufficienti distinguatur; contra hoc est: nam S. Tho. in 4 sent. dist. 1. q. 1. art. 4. quæstiunc. 1. in corp. ex eo probat, Deum, cùm vtitur sacramentis nouæ legis ad causandam gratiam, tribuere illis intentionaliter quandam realem virtutem causatiuam gratiæ: nam alias ipsa sacramenta reuerà non causarẽt gratiam, sed solus Deus ad eorum præsentiam gratiam produceret: ergo, si Deus, cùm vtitur auxilio creato ad conuertendum hominem, non tribuit illi intentionaliter aliquam realem virtutem, qua faciat hominem consentire, quæ non est in auxilio sufficienti, sequitur, quòd solus Deus conuerteret hominem ad præsentiam auxilij efficacis, & consequenter ipsum auxilium gratiæ reuerà nihil operaretur, aut efficeret ad conuersionem hominis: & ita ipsa conuersio non esset in Dei gratiam referenda. Confirmatur hoc, quia sola relatio, cùm non sit actiua, tribuere non potest virtutem aliquam efficiendi, sed habitudo auxilij sufficientis ad decretum efficax Dei, volentis hominem ad se conuertere, est relatio ergo hæc sola non tribuit virtutem auxilio ad conuertendum hominem: ergo præter illam habitudinem debet auxilium efficax habere intentionaliter aliquam realem virtutem sibi communicatam ab eodem decreto, qua hominem infallibiliter conuertat.

Quartò probari potest hæc sententia omnibus argumentis, quibus supra ostensum est, & constabit infrà, auxilium efficax præuenientis gratiæ non solùm moraliter, sed etiam physicè prædeterminare nostrum liberum arbitrium ad consentiendum, & cooperandum Deo excitanti, & vocanti. Cùm enim auxilium sufficiens, siue ineffícax vim non habeat, qua sic prædeterminet liberum arbitrium ad pie operandum; relinquitur, aliquam realem virtutem esse in auxilio efficaci, quã reuera non habet auxilium sufficiens. Confirmari potest eadem sententia rationibus, quibus disput. 90. manifestum fiet, auxilium præuenientis gratiæ esse efficax independenter a cooperatione nostri arbitrij, eámque ordine E naturæ præuenire. Ex hoc enim per euidentem cõsequentiam deducitur, idem auxilium non dici efficax solùm ab effectu: alias enim, inquantum efficax, non esset præueniens, sed subsequens liberam determinationem eiusdem arbitrij, ab eáque in sua efficacia dependeret.

Secunda Conclusio. Prædicta diuisio sumitur ex reali, & intrinseca virtute, quam habet auxilium, vt venit à Deo. Hæc conclusio probanda erit ex professo disput. 83. & 90. vbi ostendemus, auxilium efficax non pendere in sua efficacia ex influxu liberi

Disp. 23 & disput. 91.

Obiectio.

Auxilium efficax cõtinet eminenter omnem perfectionem sufficientis auxilij.

Auxilium gratiæ in quo sensu dicatur efficax ex natura sua.

citur sufficiens. Et ad impugnationem respondetur, auxiliũ gratiæ non propterea dici inefficax, quia non potuit habere effectum, comparatione cuius dicitur inefficax, sed quia de facto non est illum habiturũ, culpa eius, cui confertur. Cùm enim reuera possit per illud auxilium ad Deum conuerti, aut pie operari, ex culpa sua procedit, quòd non operetur, vt ex supradictis patet.

VI. Possibili posito in esse, absolute id quando nullum sequitur inconueniens.

Ad quartum negatur antecedens. Ad probationem respondetur, quòd, quando aliquid est possibile non solùm in sensu diuiso, sed etiam in sensu cõposito, nullum sequitur inconueniens ex eo, quòd ponatur in esse. Cæterùm, quando est possibile solùm in sensu diuiso, non autem in sensu compositio, tunc sequitur magnum inconueniens, si de facto ponatur in esse, suppositio aliquo, cum quo est incompossibilis talis positio, sicut patet in quolibet prædestinato, qui dum est in via, potest absolute, & in sensu diuiso damnari: quia tamen id est impossibile in sensu compositio, sequeretur magnum incõueniens, si poneretur in esse posito, prout ponitur, illum esse prædestinatum. Sequeretur enim, prædestinationem non esse certam, quantùm ad assequutionem effectus, quod est impossibile, vt ex supradictis patet. Quia ergo liberum arbitrium motum à Deo auxilio efficaci non potest illi dissentire in sensu compositio, sed in sensu diuiso, vt infernus patebit; ideo esset magnum inconueniens, si hoc possibile poneretur in esse. Sequeretur enim, quod voluntas Dei esset inefficax & impedibilis per hominis voluntatem, quod, vt Augustinus dicit, & nos suprà ostendimus, est impossibile.

COnsequẽter agendum est in particulari, de auxilio gratiæ excitãtis, & sufficiẽtis, à quo prædestinatorum iustificatio primò incipit, secundùm illud Apost. *Quos autem prædestinauit, hos & vocauit*, cui consonat Concil. Trident. sess. 6. capit. 5. dicens: *Ipsius iustificationis exordiũ in adultis à Dei, per Christum Iesum, præuenieute gratia sumendum esse, hoc est, ab eius vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis, vocantur.* Et circa hoc se offerunt quinq; disputãda.

I. Vtrùm gratia excitans sit formaliter aliquis actus vitalis liberi arbitrij, an verò aliquid antecedens omnem actum vitalem.

II. Quis sit proprius effectus gratiæ excitantis, inquantùm est formaliter excitans.

III. Vtrùm gratia excitãs sit idem, quod gratia sufficiens.

IV. Vtrùm gratia excitans, quæ secundùm communem modum hominibus confertur, dependeat à ministris Ecclesiæ.

V. Vtrùm dependeat à propria industria, & conatu eius, qui excitatur.

DISPVTATIO LXXIV.

Vtrùm gratia excitans, seu præueniens sit formaliter aliquis actus vitalis liberi arbitrij; an verò aliquid antecedens omnem actum vitalem.

I. QVidam dixerunt, gratiam præuenientem, & excitantem nihil aliud esse formaliter, nisi actiones quasdam vitales, quas Deus in nobis sine nobis operatur; sine nobis, inquã, liberè cooperantibus, non tamen sine nobis vitaliter, & efficienter concurrentibus: & consistere in illustratione, & illuminatione intellectus, atq; excitatione, & suasione voluntatis, quæ quidem efficienter procedunt ab intellectu, & voluntate, non quidem vt libera, sed vt natura est.

Probant hanc sententiam primò ex Concil. Trid. sess. 6. de iustificat. cap. 5. vbi sic ait: *Declarat præterea ipsius iustificationis exordium in adultis, à Dei per Iesum Christum, præueniente gratia sumendum esse; hoc est, ab eius vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis, vocantur, vt qui per peccata à Deo auersi erant, per eius excitãtem, atque adiuuantem gratiam ad conuertendum se ad suam ipsorum iustificationem eidem gratiæ liberè assentiendo & cooperando, disponantur; ita vt tangente Deo cor hominis, per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam & abiicere potest, neque tamen sine gratia Dei mouere se ad iustitiam coram illo libera sua voluntate possit.* Ex quibus verbis habetur, gratiam præuenientem, & excitantem formaliter consistere in Dei vocatione, in tactu, quo Deus cor hominis tangit per illuminationem intellectus, & excitationem voluntatis; sed illuminatio intellectus, & excitatio voluntatis sunt formaliter actiones vitales elicitæ ab intellectu creato, & voluntate, vt natura est; cùm sint actiones indeliberatæ: ergo gratia prçueniens, & excitans sunt formaliter actiones vitales. Et cap. 6 eiusdem sess atque in can. 3. & 4. gratiam excitantem, & præuenientem nunc appellat inspirationem Spiritus sancti, nunc tactum diuinum, per Spiritus sancti illuminationem: nunc diuinam vocationem, quæ omnia constat esse actiones vitales. Vnde Concil. Arausic. II. per hanc illuminationem, & inspirationem ait, Deum trahere homines ad se, & operari in nobis & velle, & perficere pro bona voluntate. Et Cælestinus Papa epistol. 1. ad Episcopos Galliæ, cap. 8. referens quandam epistolam Episcoporum Africæ, in qua laudabant, & ponderabant verba illa Zosimi Papæ: *Nos autem instinctu Dei*, &c. ait: *Quid tam libero fecisti arbitrio, quam quòd vniuersa in nostra humilitatis conscientiam retulisti? & tamen instinctu Dei factum esse, fideliter, sapienterque vidisti. Ideo vtique, quia præparatur voluntas à Domino: & vt boni aliquid agant, paternis inspirationibus, suorum ipse tangit corda fidelium.*

Confirmatur. Pia cogitatio, quæ antecedit primum actum fidei, pertinet ad gratiam præuenientem, cùm antecedat liberum consensum voluntatis, quo quis vult credere mysteriis fidei sibi propositis, & explicatis; item etiam motus indeliberati tam intellectus, quàm voluntatis ex impulsu, & inspiratione Spiritus sancti procedentes, pertinent ad gratiam præuenientem. Cùm ergo cognitio ipsa, & actus indeliberati sint formaliter actiones vitales, ab intellectu, & voluntate efficienter productæ, sine quibus, etiam de potentia absoluta à solo Deo effici non possunt, relinquitur, gratiam præuenientem, & excitantem esse formaliter actiones vitales.

Secundo arguitur auctoritate Augustini, qui de hac gratia præueniente sermonem faciens, semper eam appellat inspirationem, illuminationem, & vocationem Dei: vt videre licet lib. de spiritu, & litera cap. 33. & 34. Et lib. de prædestinatione Sanctorum, cap. 16. & 19. & epistol. 107. Et lib. 1 ad Simplicianũ, q. 2. Eodem modo loquitur Cyrillus Alexandrinus, lib. 4 in Ioan. cap. 7. Et Prosper 2. de vocatione gentium, cap. 26. vbi ait: *Gratia quidem Dei in omnibus iustificationibus principaliter præeminet, suadendo exhortationibus, mouendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inspirando consilium, cõrque ipsum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo.*

II. Tertiò arguitur ratione. Hæc gratia excitans, & præueniens est aliquid inhærẽs animæ, quia per eã, quæ

quæ ſunt extra animam,non excitatur anima, niſi media aliqua re, quæ ipſi animæ inhæreat. Vnde, licet cauſæ,vel obiecta extrinſecùs excitantia poſſint eſſe extra animam,tamen ipſa excitatio formalis neceſſariò debet animæ inhærere, quia neceſſe eſt,vt illam formaliter,imò & vitaliter afficiat: ſed hæc excitatio inhærens animæ, non eſt habitus illius:nam,dum anima eſt tantùm in habitu,eſt quaſi dormiens,vt Ariſtoteles dixit:per hanc autem excitationem hoc in ea fit,vt actu vigilet, & attendat, ac ſi dicatur illi: *Exſurge,qui dormis,& exſurge a mortuis,& illuminabit te Chriſtus*: ergo hæc excitatio fit per motum animæ vitalem,quem propterea neceſſe eſt ab ipſa fieri,& non a ſolo Deo. Epheſ. 5.

Quartò probari poteſt hæc ſententia omnibus argumentis,quibus diſputatione 18.contendebamus probare,concurſum Dei generalem non eſſe influxum immediatum in cauſam ſecundam; neque aliquid præuium ad eius operationem; ſed eſſe influxum immediatum cum cauſa in eius effectum. Ex hoc enim principio non obſcurè colligitur, auxilium ſpeciale præuenientis,& excitantis gratiæ non eſſe aliquid præuium ad actus noſtros vitales, ſed ſupponere pro iiſdem actibus,vt procedunt a Deo, ſupernaturaliter influente, & eleuante ipſos actus vitales ad eſſe ſupernaturale, vt ſint,quales oportet ad ſalutem. Videnda etiam ſunt argumenta adducta diſp.57.ad probandum,quòd ratione maioris conatus liberi arbitrij conſequatur homo auxilia præuenientis & excitantis gratiæ magis intenſa.

III. Hanc difficultatem obiter attigimus diſput.18.& 19.& diſp.57.n.4.& 9. & de illa iterum agendũ erit diſp.120.n. 2. Sed nunc eſt preciſiùs examinanda, vt plenè intelligatur natura,ſiue eſſentia gratiæ præuenientis,& excitantis.Ad cuius explicationem notandum,gratiã in duplici ſenſu poſſe dici præueniẽtem,& excitantem. Vno modo,quia eſt primò præueniens,ante quam ſubinde nulla alia intelligitur gratia inhærens animæ. Alio modo dicitur præueniens,& excitans non quidem primò, ſed reſpectiuè,quia licet ſit præueniens, & excitans in ordine ad vnum actum:non tamen eſt pure præueniens,ſed ſubſequens ad aliam priorem gratiam,vel ad alium priorem actum,quem præſupponit: vt explicat ſan. Thom.1.2.quæſt.111.artic.3.cap. & ad 2. cuius verba diſput.70.num.9.retulimus.

IV. Gratia primò præueniens non eſt formaliter actus vitalis.

PRima ergo Concluſio ſit. Gratia purè præueniens,ſeu quæ primò præuenit nos,non eſt formaliter actus noſter vitalis,ſed cauſaliter. Hanc cõcluſionem docẽt cõmuniter Thomiſtæ; éſtque valde conformis doctrinæ Conciliorum, & probatur. Primò ex Concil.Arauſic.II. can.10 vbi ſic dicitur: *Multa in homine bona fiunt,quæ non facit homo*; quod potiſſimè dixit Concilium propter gratiam præuenientem, qua homo primo a Deo mouetur: ergo gratia primò præueniens,& excitãs non eſt formaliter actus vitalis intellectus noſtri, aut voluntatis, etiã vt natura eſt,ſed aliquid ſupernaturale ad eiuſmodi actus præuium.Reſpondent,ea,quæ Concilũ Arauſicanum dicit fieri in homine,quæ homo non efficit,eſſe tu habitus ſupernaturales infuſos, quos ſolus Deus efficienter producit, tum etiam motus gratiæ præuenientis qui,vt explicatum eſt,non ſunt ab homine cooperãte per intellectum,& voluntatem, quatenus rationem liberi arbitrij ſortiuntur: nam illa ſolùm cenſetur homo facere,quæ per liberum arbitrium,qua liberum arbitrium eſt,efficit. Eſt enim ibi ſermo aduersùs Pelagianos de bonis, quæ ad vitam æternam ſpectant. Cùm enim illi contenderent,hominem per ſuum liberum arbitrium, abſque auxilio gratiæ poſſe,imò re ipſa efficere aliqua eiuſmodi bona,quibus auxilia gratiæ ſibi deneeps, conferenda promererẽtur,definiũt Cõc.Patres,Deũ quidẽ ſine homine cooperãte p ſuũ liberũ arbitriu, efficere in homine aliqua de numero eorum bonorum,hominem verò per ſuum liberum arbitrium, nullum eorum poſſe efficere;niſi Deus illi per ſuam gratiam præſtet,vt illud efficiat. Quare non negant Patres, vel intellectum, vel voluntatem quatenus natura eſt,cooperari ad motus gratiæ præuenientis. Sed contra hanc ſolutionem eſt efficax argumentũ: nam Concilũ non ſolùm intendit Pelagianos damnare,quia dicebant,hominem per ſuum liberum arbitrium ex viribus naturæ mereri poſſe vitam æternam,vel auxilia gratiæ,quibus ad beatitudinẽ peruenirent.ſed etiam,quia ſentiebant,eadẽ auxilia pendere ex natura,vt ex iis, quæ in diſputatione prima & ſecunda diximus,conſtat: ergo Concilium, cum ait: *Multa in homine fiunt bona, quæ non facit homo*, intendit etiam innuere,primũ auxilium prœuenientis gratiæ eſſe efficienter à ſolo Deo,nec pendere in ſuo eſſe à libero arbitrio vitaliter influente, & cauſante idem auxilium,etiam per influxum indeliberatum. Et confirmatur.Si primum auxilium præuenientis,& excitantis gratiæ eſt formaliter actus vitalis,ſequeretur,quod penderet efficienter & aDeo, & a nobis;& ita non dixiſſet Prophera: *Auxilium meum a Domino*,ſed dixiſſet, auxilium meum à Domino, & à me ipſo;ac per conſequens, initium primum noſtræ ſalutis non eſſet reducendum in ſolum Deum,ſed in Deum,& in naturam,quod tamen nullus Theologus concedet. Pſalm 120

V. Secundò probatur ex illis verbis Apoc. 3. *Ecce ego ſto ad oſtium,& pulſo, ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam,intrabo ad illum, & cœnabo cum illo,& ipſe mecum.* Quibus verbis ſignificatur, Deum ſe habere ad inſtar pulſantis ad oſtium, cum peccatores præuenit ſua gratia,vocat, & excitat:ſed pulſatio ſolùm procedit effectiuè à pulſante,& excitante,non autem ab eo,qui excitatur, vel ad cuius oſtium pulſatur: ergo gratia primò præueniens, & excitans non eſt formaliter actus vitalis,procedens effectiuè ab intellectu noſtro,aut voluntate, etiam vt natura eſt, ſed aliquid præuium ad eoſdem actus vitales Reſpondent ad hoc argumentum, eſſe magnam differẽtiam inter oſtij,& cordis pulſationem: nam licet vtraque ea ex parte,qua pulſatio præcise eſt,ſit ſolùm efficienter a pulſante;neque enim motus gratiæ prœuenientis ea ex parte,qua ſunt ab intellectu,& voluntate,ſunt pulſationes,neq; per eas intellectus, aut voluntas ſeipſa pulſant, ſed ſolus Deus eſt,qui per eos intellectum pulſat,& voluntatem,nihilominus ad actionem pulſandi nullo modo concurrit efficiẽter oſtium,ſed ſolus is, qui pulſat,interuẽtu eiuſmodi actionis,efficit ſonum, qui, ſi ad aures perueniat exiſtentis intra domum, auditu percipitur; integrum tamen illi manet aperire, vel non aperire oſtium; ad rem verò,quæ eſt pulſatio cordis, neceſſe eſt, vt efficienter concurrat cor ipſum, vt & percipi valeat,& inde pro ſua libertate ad aperiendum cor Chriſto Domino, homo poſſit moueri. Sed ex hac ſolutione deſumitur efficax argumentum pro noſtra ſententia.Ipſa actio vitalis intellectus, & pia affectio elicita à volũtate per actũ indeliberatum,non eſt ſimpliciter prima gratia prœueniens, ſed ante huiuſmodi actiones neceſſe eſt antecedat aliquod donum gratuitum,receptum in intellectu,& voluntate, quo Deus eleuet huiuſmodi potentias ad eliciendas actiones illas vitales:nam, cùm ſint actiones ſupernaturales,& ad ſalutem non modicum conducant; produci non poſſunt à ſola natura: alias enim primum initium ſalutis eſſet ex natura,& non ex gratia,vt Pelagiani dixerunt: ergo neceſſariò dicendum eſt, primam gratiam præuenien

Conſutatio.

Reſpon. ad

Cordis, & oſtij pulſatio in quo differant

Solutio.

nientem, qua Deus efficit vt homo eliciat eiuſmodi actus vitales indeliberatos, non eſſe formaliter actionem noſtram vitalem, ſed aliquid præuium ad illam, nempe motionem quandam actualem Dei virtuoſam, vt diſputatio. 19. inter diſputandum de cõcurſu Dei generali latiùs diximus. De hac etiam ratione plura dicta ſunt diſputatione 57. num. 3. & 4. vbi etiam alias rationes, quibus hæc noſtra concluſio corroborari poteſt, breuiter attigimus. Denique probatur omnibus argumentis, quibus diſput. 67. oſtenſum eſt, abſque auxilio gratiæ inhærente, ſola aſſiſtentia extrinſeca Spiritus ſancti, non poſſe liber. arbitr. elicere actus ſupernaturales credendi, ſperandi, & diligendi.

Secunda Concluſio. Auxilia excitantis, & præuenientis gratiæ, quæ non ſunt ſimpliciter prima auxilia, ſed in ordine ad vnum effectum gratiæ præueniunt; in alium, ſubſequuntur, non inconuenit, quòd ſint formaliter actiones vitales elicitæ ab intellectu, & voluntate non ſolùm, vt natura, ſed etiam vt voluntas eſt. Hæc concluſio colligitur, ex Sanct. Thom. 1.2. ſuperiùs allegata, & eam probant argumenta facta a principio: ad quæ tamen quatenus intendunt primam noſtram cõcluſionem impugnare, reſpondere oportet.

VI. Vocationis nomine quid intelligat Cõc. Trident.

AD primum reſpondetur, Concil. Trid. nomine vocationis etiam comprehendere motionem illam præuiam Spiritus ſancti, qua efficit, vt homo eliciat pias cogitationes, per quas illuſtratur intellectus, & pias affectiones, per quas allicitur voluntas ad conſentiendum Deo vocanti, & excitanti. Nomine etiam inſpirationis, & tactus Spiritus ſancti pariter comprehendit donum illud præueniens omnem actum noſtrum vitalem: nam ad hoc infundit Deus illud donum, vt in virtute illius poſſit homo actiones vitales ordinis ſupernaturalis elicere, quibus cor eius tangitur, allicitur, & inuitatur ad liberè cooperandum Deo vocanti. Vnde non ſequitur, quòd prima gratia præueniens, vel excitans ſit formaliter actio vitalis. Et per hæc patet ad confirmationem.

Ad ſecundum reſpondetur: Piam cogitationem, & illuſtrationem ſupernaturalem intellectus, quæ fit formaliter per actum, ab eodem intellectu productum, eſſe quidem gratiam præuenientem, comparatione conſenſus liberi, ad quem voluntas excitatur; ſed tamen, comparatione motionis ſupernaturalis, per quam Deus efficit, vt intellectus pias cogitationes eliciat, dicitur gratia ſubſequens: nam, vt dicit Apoſtolus, *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis; ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* 2. Cor. 3.

VII. Ad tertium reſpondetur, primam gratiam præuenientem, & excitantem eſſe aliquid inhærens intellectui, & voluntati; non tamen eſt habitus, vel actus vitalis, ſed quædam motio præuia ad actum vitalem, vt diſputatione decima octaua & decima nona, dictum eſt. Et licèt per actum vitalem excitetur homo formaliter; cauſaliter tamen, ſeu efficienter poteſt etiam excitari per aliquid antecedens ordine naturæ omnem actum vitalem. Cùm ergo nomine gratiæ præuenientis, & excitantis comprehendatur etiam donum illud, quo Deus efficit, vt homo cõſideret, & apprehendat ea, quæ pertinent ad ſalutẽ, vt ex præmiſſis patet; relinquitur, gratiã excitãtẽ nõeſſe ex neceſſitate actũ vitalẽ, formaliter loquẽdo.

Ad quartum iam in diſputatione 18. & 57. ex profeſſo reſponſum eſt & oſtenſum, cõcurſum Dei generalem eſſe influxum immediatum in cauſas ſecundas, auxiliaque præuenientis gratiæ non menſurari ex quantitate conatus præcedentis liberi arbitrij, ſed, ex gratuita Dei voluntate.

DISPVTATIO LXXV.

Quiſnam ſit proprius effectus gratiæ excitantis, inquantùm eſt formaliter excitans.

I. FÆC difficultas etiam erit inferiùs attingenda, cum verſauerimus illam quæſtionem: An gratia excitãs ſit idem, quod gratia ſufficiens. Ex his autem, quæ in præcedenti diſputatione dicta ſunt, facillimum erit ad præſentem difficultatem reſpondere. Ad cuius explicationem notandum, gratiam excitantem comprehẽdere excitationem, tum externam, quæ fit per creaturas, & ſigna ſenſibilia, tum etiam internam, quæ fit a Deo immediate, cum immittit pias cogitationes, & proponit ea, quæ inducere poſſunt liberum arbitrium ad actum fidei, & charitatis, & alias ſupernaturales operationes, vt ex dictis diſp. 70. colligi poteſt. Huius duplicis gratiæ excitantis meminit S. Auguſt lib. de ſpiritu, & litera, cap. 34. cùm ait: *Viſorum ſuaſionibus* (vel, vt alij codices correctiores habent, *binis ſuaſionibus*) *ait Deus, vt velimus, & vt credamus, ſine extrinſecus per Euangelicas exhortationes vbi & mandata legis aliquid agunt, ſi ad hoc admonent hominem infirmitatis ſuæ, vt ad gratiam iuſtificantem credendo confugiat: ſine intrinſecus, vbi nemo habet in poteſtate, quid ei veniat in mentem.* Similia verba habet l. 83. quæſt. 68 *Quoniam*, inquit, *nec velle quiſquam poteſt, niſi admonitus, & vocatus; ſine intrinſecus, vbi nullus hominum videt; ſine intrinſecus per ſermonem ſonantem, aut per aliqua ſigna viſibilia efficitur, vt etiam ipſum velle Deus operetur in nobis.* Quibus verbis duplicem excitationem diſtinguit nempe excitationem, & vocationem externam, quæ fieri poteſt, & ſæpe fit, miniſterio hominum; & vocationem internam, quæ fit à ſolo Deo, per quam nedum intellectum illuminat; ſed etiam voluntatem excitat & mouet, vt bonum ipſum per intellectum propoſitum, exequatur. Vtramque gratiam excitantem, externam videlicet, & internam breui & eleganti ſermone complexus eſt S. Proſper. Explicans enim illud Ioan. 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me traxerit eum*, inquit, *Si ergo nemo venit, niſi attractus, omnes, quocunque modo veniant, attrahuntur. Trahit igitur ad Deum contemplatio elementorum omnium, quæ in eis ſunt, ordinatiſſima pulchritudo.* Inuiſibilia enim eius à creatura mũdi per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur. *Trahit rerum geſtarum cognitio, & diuinorum operum relatura animum audientis inflammant, narrantes laudes Domini, & virtutes eius, & mirabilia eius, quæ fecit, trahit timor: principium enim ſapientiæ timor Domini: trahit lætitia; quoniam:* Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi: in domum Domini ibimus: *trahit deſiderium, quoniam* Concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini. *trahit delectatio lectionis:* Quàm dulcia enim faucibus meis eloquia tua: ſuper mel, & fauum ori meo. *Quis perſpicere, aut enarrare poſſit, per quot effectus viſitatio Dei animum ducat humanum, vt quæ fugiebat, ſequatur; quæ oderat, diligat, quæ faſtidiebat, eſuriat: ac ſubitò cõmutatione mirabili, quæ clauſa ei fuerant, ſint aperta; quæ onoroſa, ſint lenia; quæ amara, ſint dulcia, quæ obſcura ſint lucida? Hæc autem omnia operatur vnus, atque idem Spiritus, diuidens ſingulis, prout vult.* 1. Corinet. 12.

Gratia excitans alia interna. alia externa.

Proſp. lib. cõt Collat. cap 14 pag. 152. tac. 2.

Rom. 1.

Pſalm. 77.

Prouerb. 1. pſalm. 111. pſalm. 83. Pſalm. 118.

1. Cor. 12.

1. Corinet. 2

II. Notandum ſecundò, gratiam excitantem ad actum perfectum conuerſionis in Deum, vel ad actũ charitatis comprehendere diuerſos actus pios, elicitos tum ab intellectu, tum à voluntate, tum etiam ab appetitu ſenſitiuo; ſicut ex verbis Proſperi, quæ nunc induximus, ſatis aperte colligitur ex parte enim

Gratia excitans plures actus includit.

enim intellectus complectitur cognitionem creaturarum, diuinorum operum contemplationem, apprehenſionem credendorum, & cuiuſcunque alterius boni, quod proponitur voluntati, taquam continens ex parte voluntatis complectitur delectationem ſactæ lectionis, pia deſideria, & alios huiuſmodi affectus. Ex parte autem appetitus ſenſitiui complectitur ſenſibilem deuotionem, timorem, & alias huiuſmodi affectiones ſenſibiles, per quas Deus ſolet liberum arbitrium afficere, vt credat, diligat, & alias pias operationes eliciat. Comprehenduntur etiam miracula, & alia facta externa, quibus Deus miſericorditer inducit homines ad bonum. Vnde

S. Auguſt. ad Simplician. q. 1. Luc. 2.

S. Auguſtinus, *Didemus*, inquit, *alios aliter, iſtidem rebus demonſtratis vel ſignificatis, ad credendum moueri, ſicut, exempli gratia, Simeon in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum adhuc infantem paruulum credidit Spiritu ei reuelante, cognoſcens. Nathanael ad vnam ſententiam, quam ab illo audiuit.*

Ioan. 1.

Prius quam te Philippus vocaret, cum eſſes ſub arbore fici, vidi te, *reſpondit.* Rabbi, tu es Filius Dei, tu es Rex Iſrael. *Quod, tantò poſt, quia confeſſus eſt Petrus, meruit audire quod beatus eſset, & quod ei darentur claues regni cœlorum: Miraculo ſuillo in Cana Galilææ, quod initium ſignorum Ieſu Ioannes Euangeliſta commemorat, aqua in vinum conuerſa, crediderunt in eum diſcipuli eius. Multos loquendo inuitauit ad fidem: multi nec, ſuſcitatis mortuis, crediderunt. De cruce, atque morte eius conterriti etiã diſcipuli turbarunt, & tamen latro tunc credidit, cùm eum non præſtantiorem videret in operibus, ſed conſortio Crucis æqualem. Vnus etiam de numero diſcipulorum poſt eius reſurrectionem, non tam vuentibus membris, quam recentibus cicatricibus credidit. Multi ex eorum numero, a quibus crucifixus eſt, qui videntes eum miracula facientem contemſerant diſcipulis eum prædicantibus, & in nomine eius talia facientibus, crediderunt.* Quibus verbis facta exteriora, & ſigna varia diſtinguit, quibus Deus, pro diuerſa hominũ qualitate, eos mouere ſolet ad bonũ, alios quidẽ ſic, alios autẽ ſic, prout in ſua gratuita prædeſtinatione diſpoſuit. Vnde & in li. de dono perſeuerantiæ, c. 14. explicans illud Matth. 11. *Quia ſi in Tyro, & Sidone facta fuiſſent virtutes, quæ facta ſunt in te,* inquit, *non eſſent ergo ſic excæcati oculi, nec ſic induratum cor Tyriorum, & Sidoniorum, quoniam credidiſſent ſi, qualia viderunt, ipſi ſigna vidiſſent. Sed nec illis profuit, quòd poterant credere, quia prædeſtinati non erant ab eo, cuius inſcrutabilia ſunt iudicia, & vnde ingratiles viuunt nec ipſis abſtuſit, quod non poterant credere, ſi prædeſtinati eſſent, vt eos cæcos Deus illuminaret, & induratis cor lapideum vellet auferre.*

Matth. 16 Ioann. 2.

Tertiò notandum. Ad gratiam excitantem non ſolùm pertinere illuſtrationes intellectus, quibus Deus homini oſtendit, quid credere, quid ſperare, quid diligere, quid amplecti debeat, quid reſpuere; ſed etiam pias affectiones voluntatis, quibus liberum arbitrium allicit, & inclinat, vt quod faciendum didicerit, opere adimpleat. Et ratio huius eſt; quia non ſolùm intellectus, dum non cognoſcit, aut non conſiderat ea, quæ cognoſcere, vel conſiderare

Prou. 23.

renebatur; ſed etiam voluntas, dum torpens eſt, & quaſi ſtupens, ſe habet ad modum dormientis. De intellectu namq. ſcriptum eſt: *Et eris, ſicut dormiens in medio maris, & quaſi ſopitus gubernator, & amiſſo clauo: & dixiſti verberauerunt me, & non dolui; traxerunt me, & ego non ſenſi.* Propter voluntatis autem, quem

Pſal. 118.

patiebatur, ſomnum, clamat Propheta: *Dormitauit anima mea præ tædio: cõfirma me in verbis tuis.* Et Prou. 6. *Vſquequo piger dormies? quando conſurges de ſomno tuo? paulùm dormies, paulùm dormitabis, paulùm cõſeres manus tuas vt dormias, & veniet tibi quaſi viator, egeſtas, & paupertas, quaſi vir armatus.* Vnde ſanctus Auguſtinus explicans ſtatum peccatoris, qui

S. Aug. li. 1 confeſſio. cap. 5.

A graui ſomno oppreſſus, excitantem Dominum non audit: *Ego autem, inquit, adhuc terra obligatus, ſimulare tibi recuſabam, & impedimentis omnibus ſic tunc (ut) expediri, quemadmodum impediri tum dormiens, ſic vita ſarcina grauis, velut ſomno aſſolet, dulciter premebar, & cogitationes, quibus meditabar in te, ſimiles erant conatibus expergiſci volentium: qui tamen ſuperati ſopore altitudine, remeant. Et ſicut nemo eſt, qui dormire ſemper velit, omnibusque ſano iudicio vigilare præſtat, differt tamen plerunque homo ſomnum excutere cum grauis torpor in membris eſt cumque iam delectet, quod magis libentius, quamuis ſurgendi tempus aduenerit, ſic certum habebam, eſſe melius tuæ charitati me dedere, quam meæ cupiditati cedere, ſed illud placebat, & vincebat: hoc libebat, & vincebat. Non enim erat quid tibi reſpondere diceris mihi: Surge, qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Chriſtus, & ecce promittebatur vera te dicere non erat omnino quid me ſuper illam veritate conuictus nihil tamen verba eius reſpondebam: nonne modo, ecce modo ſine paululum, ſed modo & modo non habebant modum, & ſine paululum in longum ibat.* Cum ergo tam intellectus hominis, quam voluntas, dum nihil operantur, quaſi dormire videantur, neceſſe eſt, vt vtraque potentia gratia excitetur diuina ad operationes ſupernaturales exequendas.

B

C

D

E

III. Gratiæ excitantis effectus.

His ſuppoſitis, facile erit explicare, quem effectum habeat in homine gratia excitans, inquantùm eſt formaliter excitans. Dicendum eſt enim, Deum per gratiam excitantem efficere, vt homo cuigilet, & attendat ad illa, quæ ad amplectendum bonum, & reſpuendum malum conducere poſſunt. Vt, verbi gratia, cum per peccatum eſt à Deo auerſus, gratia excitante, intellectum eius Deus illuſtrat, vt videat, quàm malum, & amarum eſt reliquiſſe Dominum, in quanto periculo animæ, & corporis ſit conſtitutus, qui funibus peccatorum ſuorum conſtringitur, quot damna peccatum mortale inferat peccatori; & ſimilia. Sic *aperuit Dominus cor* mulieris purpurariæ Thyatirenorum, *vt intenderet ea, quæ à Paulo dicebantur.* Per eandem etiam gratiam excitantem cauſat Deus quoſdam actus ſupernaturales, licet imperfectos, quibus remotè diſponit hominem ad iuſtificationis gratiam conſequendam, vel, ſi iam eſt iuſtificatus per eoſdem actus imperfectos, liberum eius arbitrium inclinat, vt Deo excitanti, & vocanti conſentiat, & cooperetur. Huius generis ſunt ſubitanei motus, quibus timet pœnas inferni, vel ſperat beatitudinem æternam, pia deſideria, & aliæ huiuſmodi affectiones cordis, quę liberum conſenſum antecedunt.

Act. 16.

Ex his ſequitur quod licet actus deliberati fidei, & ſpei, quatenus alliciunt hominem ad actum charitatis, vel ad alias pias operationes, comprehendantur nomine gratiæ excitantis, tamen ſecundum ſe & abſolute conſiderati, effectus ſunt gratiæ adiuuantis. Et ratio eſt: nam per huiuſmodi actus non vocamur à Deo, nec excitamur, vt credamus, vel ſperemus, ſed potiùs non illi vocanti, & excitanti reſpondemus, conſentiendo, & cooperando eoſdem actus ergo, ſimpliciter loquendo, ſunt effectus gratiæ adiuuantis. Iam enim diximus ſuprà, eundem actum ſecundùm diuerſas conſiderationes pertinere poſſe ad gratiam præuenientem, & ſubſequẽtem, ad gratiam excitantem, & adiuuantem.

IV. Obiectio. Aduerte tam ex tractatum pertinent aliqui actus deliberati Solutio.

Et, ſi fiat argumentum: nam ſi per actus liberos, & deliberatos nos reſpondemus Deo vocanti ergo nullus actus deliberatus pertinet ad gratiam excitantem, etiam comparatione aliorum actuum ſubſequentium: gratia enim, inquantùm eſt excitans, non procedit à libero arbitrio, ſed à ſolo Deo: nam ſolus Deus eſt, qui excitat, & vocat: liberum autem arbitrium non excitat, nec vocat ſe ipſum. Reſpondetur,

Digitized by Google

chielis 36. *Et Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam, vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis, & operemini.* Quo testimonio sæpissime probat sanctus Augustinus contra Pelagianos & Semipelagianos, admittendam esse gratiam efficacem, quæ tribuit vires efficacissimas voluntati, vt patebit infrà.

De eodem auxilio efficaci intelligitur illud Ioannis sexto: *Omnis, qui audit à Patre, & didicit, venit ad me.* Vbi declaratur efficacia vocationis diuinæ, qua vocatus infallibiliter venit; & Ioannis decimo: *Et non rapiet eas quisquam de manu mea, & non peribunt in æternum.* Quod ideo dictum est, quoniam prædestinatos suos efficaci auxilio præuenit, vt infallibiliter saluentur. Item ad Rom. 8. *Quos vocauit, hos & iustificauit*: & capite nono: *Non ex operibus, sed ex vocante, dictum est: Iacob dilexi, Esaü autem odio habui.* Vbi significatur vocatio efficax, de qua idem Apostolus alibi dicit: *His, qui secundùm propositum, vocati sunt Sancti.* Et ad Philipp. 2. *Deus est enim, qui operatur in nobis & velle, & perficere pro bona voluntate.*

V. Prima solutio. Respondent primò, hæc, & similia loca Scripturæ procedere contra Pelagium, qui diuino auxilio generali contentus, speciale auxilium, excitantémque gratiam, atque adiuuantem negauit: non autem aliquid probare aduersùs eos, qui necessitatem excitantis gratiæ, & adiuuantis agnoscunt. Cõfutatio. Hæc tamen solutio vim argumenti non euacuat: tum quia Pelagius admisit gratiam excitantem, vt disputat. 1. visum est, & patebit ampliùs disput. 95. & similiter Iulianus admisit gratiam adiuuantem pedissequam, & subsequentem ad determinationem creatæ voluntatis, vt in eadem 1. disp. num. 11. ostensum est: tum etiam quia non solùm probat argumentum, admittendam esse gratiam excitantem, & adiuuantem, sed etiam concludit, dari gratiam, quæ sit verè sufficiẽs ad salutem, & gratiam, quæ non solùm sufficiens sit, Secunda solutio. verùm etiam efficax. Respondent secundò, verba Scripturæ inducta, & similia perseuerantiæ donum indicare. Vnde ex illis non potest probari auxilium efficax: nam donum perseuerantiæ est proprium donum prædestinatorum: gratia autem efficax communis est perseuerantibus finaliter, & iis, qui bonum agunt, sed non perseuerant vsque in finem. Ex quo inferunt, medium genus gratiæ concedendum esse, quòd iis seruiat, qui bona agunt, nec tamen finaliter perseuerant, ac per consequens, diuisionem prædictam esse insufficientem, qua diuiditur gratia in sufficientem & efficacem.

Hæc etiam solutio nullam prorsus apparentiam habet. Primò: nam, licèt aliqua loca Scripturæ de prædestinatis, qui perseuerant vsque in finem, intelligantur: aliqua tamen indifferenter loquuntur de prædestinatis, & de illis, qui opera pietatis exercent, etiamsi vsque in finem non perseuerent, sicut est illud Philip. 2. *Deus est, qui operatur in vobis & velle, & perficere.* Ezech. 36. *Faciam, vt in præceptis meis ambuletis*: & illud Ioannis sexto: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Qui enim credit in Christum, & illum diligit, ad Christum venire dicitur, etiamsi finaliter à gratia decidat, & damnetur. Secundò: nam, licèt auxilium gratiæ immediatè diuidatur in auxilium sufficiens, & auxilium efficax: postea tamen auxilium efficax rursus subdiuiditur in auxilium efficax ad credendum, & auxilium efficax ad diligendum, &c. atque in auxilium efficax ad perseuerandum, vt disputat. 84. manifestum fiet. Vnde ex hoc, quòd detur aliquod auxilium efficax proprium prædestinatorum, nempe donum perseuerantiæ, & aliquod auxilium efficax, quod sit commune prædestinatis, & non prædestinatis; illud videlicet, quo quis credit Deum, & illum super omnia diligit; non sequitur, diuisionem gratiæ in gratiam sufficientem & efficacem non esse adæquatam.

VI. Secundò probatur ex definitione Conciliorum: nam in Concilio Arausicano secundo, capite decimonono dicitur: *Cùm sine gratia Dei salutem non possit homo custodire, quam accepit; quomodo sine Dei gratia poterit reparare, quod perdidit?* ergo gratia tribuit posse perseuerare, & posse reparare per pœnitentiam damna, quæ per peccatum incurrit: ergo datur gratia sufficiens ad perseuerandum & pœnitendum. Idem probatur de gratia efficaci ex canone nono eiusdem Concilij, vbi sic dicitur: *Diuini est muneris, cùm rectè cogitamus, & pedes nostros à falsitate, & iniustitia tenemus: quo ies enim bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum, vt operemur, operatur.* Et canone vigesimo: *Multa in homine bona fiunt, quæ non facit homo; nulla verò facit homo bona, quæ non Deus præstet, vt faciat homo.* Quibus verbis gratiam efficacem expressit, quæ facit, vt faciamus; & operatur, vt operemur. Et canone vigesimoquinto: *Hoc etiam secundum fidem Catholicam credimus, quod, accepta per baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante & cooperante, quæ ad salutem pertinent, possint, & debeant si fideliter laborare voluerint, adimplere.* Quibus verbis apertè docet, omnes existentes in gratia, per Dei auxilium, posse perseuerare, si velint. & ea, quæ ad salutem pertinent, adimplere.

Eadem diuisio gratiæ colligitur ex Concilio Tridentino, sessione sexta, de iustificatione, capite vndecimo, vbi ait: *Deus impossibilia non præcipit, sed præcipiendo monet & facere, quod possis, & petere, quod non possis: & adiuuat vt possis.* Et statim subdit, quòd *cum diuino auxilio*, quæ Deus iubet, *præstare possunt*: ergo, secundùm Concilium Tridentinum, datur gratia sufficiens, qua potest homo seruare omnia diuina mandata. Et in canone 1. & 2. definit, sine gratia non posse hominem iustificari, aut vitam æternam promereri, clarè ostendens, gratiam tribuere homini posse iustificari, posse vitam æternam promereri: gratia autem, quæ tribuit posse, est gratia sufficiens, vt suprà dictum est. Et in canone quarto, non obscurè traditur gratia efficax, cùm definit, *liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum*, aliquid *cooperari, assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam iustificationis gratiam, se disponat, ac præparet.* Vbi sermo est de gratia efficaci, quæ facit hominem cooperari Deo excitanti, atque vocanti.

VII. Oratio Benedicti Papæ VII. in Conc. Salegunstadiensi. Est ad eandem gratiam efficacem comprobandam insigne testimonium Benedicti Papæ VII. in quadam oratione tenoris sequentis: *Adesto nobis, quæsumus Domine sancte Spiritus, peccati quidem immanitate detentis, sed in nomine tuo specialiter aggregatis. Veni ad nos, & dignare illabi cordibus nostris. Doce nos, quid agamus: quo gradiamur, ostende, quid efficiamus, operare. Ipse salus, & suggestor, & effector iudiciorum nostrorum, qui solus cum Deo Patre, & eius Filio nomen possides glorioſum. Non nos patiaris perturbatores esse iustitiæ: qui summæ veritatis diligis æquitatem, vt in sinistrum nos non ignorantia trahat, non faueor inflectat, non acceptio muneris, vel persona corrumpat: sed iunge nos tibi efficaciter, solius tuæ gratiæ dono, vt simus in te vnum, & in nullo deuenius à vero: quatenus in nomine tuo collecti, sic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis iustitiam, vt à te in nullo dissentiat sententia nostra, & in futuro pro bene gestis consequamur præmia sempiterna.* Expendatur illud verbum, *efficaciter solius tuæ gratiæ dono*: ergo negari non potest gratia efficax, etiam quantùm ad ipsum nomen.

Tertiò probatur auctoritate sanctorum Patrum, præsertim

præſertim S. Aug. qui expreſſis verbis diſtinguit gratiam in ſufficientem, ſine qua pie operari non poſſumus, & efficacem, qua actualiter bene operamur; vt patet ex locis ſuperius inductis. Et præterea ex li. de præd. SS. c. 16. vbi ait: *Vocat enim Deus prædeſtinatos multos filios ſuos, vt eos faciat membra prædeſtinati vnici filij ſui, non ea vocatione, qua vocati ſunt qui noluerunt venire ad nuptias: illa quippe vocatione & Iudæi vocati ſunt, quibus Chriſtus crucifixus ſcandalum eſt: & gentes, quibus Chriſtus crucifixus ſtultitia eſt; ſed ea vocatione prædeſtinatos vocat, quam diſtinxit Apoſtolus, dicens: Ipſis vocatis Iudæis, & Græcis prædicare ſe Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam. Sic enim ait: Ipſis autem vocatis, vt illos offenderet non vocatos: ſciēs eſſe quandam certam vocationem eorum, qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt, quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes imaginis filij ſui. Quam vocationem ſignificās ait: Non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei: Quia maior ſeruiet minori. Nunquid dixit, non ex operibus, ſed ex credente? Prorſus etiam hoc abſtulit homini, vt totum daret Deo. Dixit ergo: Sed ex vocante, non quacunque vocatione, ſed qua vocatione ſit credens.* Appellat autem S. Auguſt. vocationem ſecundùm propoſitum eam, quæ procedit ex propoſito, ſeu decreto abſoluto, & efficaci voluntatis diuinæ, conuertendi, vel ad ſe per piam operationem trahendi, vel iuſtificandi hominem, aut etiam ſaluandi, & glorificandi. Vocationem verò non ſecundùm propoſitum eam dicit, quæ procedit ex voluntate Dei antecedente, qua vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Item etiam in libro de corrept. & grat. c. 11. ait: *Tale quippe erat adiutorium, quod deſereret, cùm vellet, & in quo permaneret, ſi vellet, non quo fieret, vt vellet. Hæc eſt prima gratia, quæ data eſt primo Adam: ſed hæc potentior eſt in ſecundo Adam. Prima eſt enim, qua fit, vt habeat homo iuſtitiam, ſi vellet: ſecunda ergo plus poteſt, qua etiam fit, vt velis, & tantam velis, tantoque ardore diligat, vt carnis voluptatem contrarię concupiſcentem, voluptate ſpiritus vincat.* Et infrà: *Et tanto ampliùs datur per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, quibus id dare Deo placuit, vt non ſolùm adſit, ſine quo permanere non poſſumus, etiam ſi velimus, verùm etiam tantùm, ac tale ſit, vt velimus. Eſt quippe in nobis, per hanc Dei gratiam, in bono recipiendo, & perſeuerantèr tenendo, non ſolùm poſſe, quod volumus, verùm etiam velle, quod poſſumus.* Quibus verbis, duplex diuinæ gratiæ auxilium diſtinguit; aliud tribuens poſſe, quod eſt auxilium ſufficiens: aliud tribuens nobis velle, quod eſt auxilium efficax. Præterea c. 12. eiuſdem libri: *Ipſa*, inquit, *adiutoria diſtinguenda ſunt. Aliud eſt adiutorium, ſine quo aliquid non fit, & aliud eſt adiutorium, quo aliquid fit.* Et infrà: *Primò itaque homini, quod in eo bono, quo factus fuerat rectus, acceperat poſſe non peccare, poſſe non mori, poſſe ipſum bonum non deſerere; datum eſt adiutorium perſeuerantiæ, non quo fieret, vt perſeueraret, ſed ſine quo per liberum arbitrium perſeuerare non poſſet. Nunc verò ſanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædeſtinatis, non tantùm tale adiutorium perſeuerantiæ datur, ſed tale, vt eis perſeuerantia ipſa donetur: non ſolùm, vt ſine iſto dono perſeuerantes eſſe non poſſint, verùm etiam vt per hoc donum nonniſi perſeuerantes ſint.* Quibus verbis apertè diſtinguit adiutorium, ſiue auxilium gratiæ in adiutorium, quod ſolùm tribuit poſſe operari, vel poſſe perſeuerare, quale fuit adiutorium primis parentibus in ſtatu innocentiæ collatum: & in adiutorium, quod non tantùm poſſe tribuit, ſed etiam actualiter piè operari, vel perſeuerare vſque in finem: gratia autem, quæ tribuit poſſe, eſt ſufficiens, quæ autem confert actualiter operari, eſt efficax: ergo.

Luc. 14.

1. Cor. 1.

1. Cor. 1.

Rom. 8.

Rom. 9.

Vocatio ſecundum propoſitū, quæ dicatur.

VIII. De auxilio efficaci extant vrgentiora teſtimonia apud eundem S. Aug. ex quibus nonnulla ſuperiùs adduximus, ſed præſertim libr. 1. contra duas epiſt. Pelag. c. 20 & lib. de præd. SS. c. 20. & libr. de grat. & lib. arb. c. 14. 16 & 17. quibus in locis adducit, & expendit verba illa Ezech. 36. *Faciam, vt faciatis*; ad probandum donari à Deo auxilium efficax, quo faciat, vt faciamus, & operatur, vt operemur. Et libr. de grat. & lib. arb. c. 5. *Vt Paulus de cœlo vocaretur, & tam magna, & efficaciſſima vocatione conuerteretur, gratia Dei erat ſola, quia eius merita erant magna, ſed mala.*

IX. Reſpondent, gratiam illam efficaciſſimam ex priuilegio ſpeciali conceſſam fuiſſe Paulo Apoſt. Vnde non debet trahi in regulam ad probandum, gratiam efficacem dari omnibus piè operantibus, & multò minus poſſe ex ea probari partitionem gratiæ in ſufficientem, & efficacem: aliàs enim eodem, ac potiori iure diuidenda eſſet gratia in occultiſſimam & patentiſſimam: nam etiam S. Aug occultiſſimæ gratiæ nomen vſurpat, vt patet lib. 1 de peccat. merit. & remiſſ. c. 9. & de præd. SS. c. 8.

Sed contra hanc ſolutionem vrget argumentum: nā, etiāſi ex prærogatiua ſpeciali collata fuerit Apoſtolo efficaciſſima illa gratia: adhuc autē illa gratia verè fuit efficax, ac diſtincta ab ea, quę tribuitur his, qui non conuertuntur, poſſunt tamen conuerti, quæ ſine dubio eſt gratia ſufficiens: ergo admittenda eſt diuiſio gratiæ in ſufficientem & efficacem. Nec ex hoc ſequitur, diſtribuendam eſſe gratiam, ſecundùm S. Auguſtinum in occultiſſimam & patentiſſimam: nam gratia Dei ſupernaturalis, de qua in præſenti loquimur, ſemper eſt occulta, nec poteſt per experientiam, aut naturalem rationem euidenter cognoſci, vt ſupra dictum eſt, & patebit infra. At non omnis gratia eſt efficax, aut efficaciſſima; ſed aliqua eſt tantùm ſufficiens. Vnde non eſt ſimile. Diſput 42. 118. & 119.

Accedit, quòd S. Auguſt. aliis pluribus in locis conſtituit gratiam efficacem communem omnibus, qui piè operantur, aut vitam æternam promerētur, ſed præſertim libr. de gratia, & libero arbitrio, cap. 16. vbi ait: *Certum eſt nos facere, cùm facimus: ſed ille facit, vt faciamus, prębendo vires efficaciſſimas voluntati, qui dixit: Faciam, vt in iuſtificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obſeruetis, & faciatis.* Ecce, vires efficaciſſimas contra vires ſufficientes diſtinguit, & illas dari omnibus, qui piè operantur, definit: iſtas verò concedi iis, qui bene operari poſſunt, ſed ſua culpa, operari nolunt. Et libro primo contra duas epiſtolas Pelagianorum, capite vigeſimo, loquens de poteſtate Diuina, quæ ad orationem Reginæ Eſther conuertit Deus cor Regis Aſſueri, & tranſtulit indignationem eius in lenitatem, inquit: *Qui cor Regis, antequam mulieris ſermonem poſcentis audiſſet, occultiſſima, & efficaciſſima poteſtate conuertit, & tranſtulit ab indignatione ad lenitatem: hoc eſt, de voluntate ledendi ad voluntatem fauendi, ſecundùm illud Apoſtoli*: Deus eſt, qui operatur in vobis & velle. Ezech. 36.

X. Extat ad eandem diuiſionem comprobandam inſigne S. Cyrilli teſtimonium in libro de adoratione, & cultu in ſpiritu & veritate: vbi narrans hiſtoriam Gen. c. 19. quomodo Loth recepiſſet Angelos hoſpitio, ac poſtea ipſi apprehēderint manum eius, & manum vxoris eius, & filiorum; & myſticè explicans illam apprehenſionem manuum, ait: *Indicium tibi ſit, Palladi, valdè manifeſtum, dum non ſolis verbis nos ſtimulat, & adhortationibus menti immiſſis, vt diſcedamus à peccato, ſed tantam benignitatem nobis etiam exhibet vniuerſorum Saluator Deus, vt efficaci ſubſidio adiuuet, ſecundum quod ſcriptum eſt: Apprehendiſti manum dexteram meam, & in conſilio tuo deduxiſti me. Nam quoniam hominis natura non valdè generoſa eſt, neque ſatis idonea, vt malum effugere* S. Cyrillus. Pſalm. 72.

queat, simul quodammodo nobiscum certat Deus, & duplex concedere beneficium videtur, persuadens admonitionibus, vt subsidium inueniamus, & fortius illud præstans, quàm vt malum præsens, & violentum praualere possit. Quibus verbis clarissimè distinguit duplex Dei subsidium, siue auxilium : aliud sufficiens, tribuens posse bene operari : quod per adhortationes menti immissas designauit : aliud autem auxilium fortius, nempe auxilium efficax, præstans homini piè operari, & malum imminens effugere.

XI. Quartò probatur auctoritate Scholasticorum, qui diuisionem gratiæ sufficientis, & efficacis statuerunt: inter quos primum locum tenet S. Thom. nam in tertia sententia dist. 13. q. 2. art. 2. quæstiunc. 2. ad 5. ait : *quòd Christus satisfecit pro tota humana natura sufficienter, non tamen efficienter, quia non omnes illius satisfactionis participes fiunt : quod ex eorum importunitate est, non ex ipsius insufficientia satisfactionis.* d. 19. q. 1. art. 1. quæstiunc. 2. ad 3. vtitur eadem dist. passionem Christi conferens cum medicina, quæ antequam applicetur infirmo, sufficiens est ad sanandum, sed efficientiam, id est, efficaciam non habet, nisi applicetur infirmo : & 3. part. quæst. 79. art. 7. ad 2. ait, *quòd sicut passio Christi prodest quidem omnibus, quantum ad sufficientiam, & ad remissionem culpæ, & adeptionem gratiæ, & gloriæ : sed effectum non habet, nisi in illis, qui passioni Christi coniunguntur per fidem, & charitatem* : ita & sacrificium Missæ, *quod est memoriale Dominicæ passionis, non habet effectum, nisi in illis, qui coniunguntur huic sacramento per fidem, & charitatem.* Et sup. cap. 26. Matth. explicans illud: *Hic est sanguis meus noui Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, ait: *Et pro multis, & pro omnibus, quia si consideretur sufficientia, ipse est propitiatio pro peccatis nostris, & non pro nostris tantum, sed pro totius mundi. Sed si consideremus effectum, non habet effectum, nisi in his, qui saluantur, & hoc ex culpa hominum.* Ex his desumitur argumentum : Passio Christi satisfecit pro omnibus hominibus, quantùm ad sufficientiam, & pro aliquibus, quantùm ad efficaciam: ergo similiter gratia, quam per passionem nobis meruit, distingui potest, & debet in gratiam sufficientem, per quam potest homo piè operari, aut saluari, & in gratiam efficacem, per quam reipsa piè operatur, vel saluatur.

Passio Christi satisfecit pro omnib. quoad sufficientiã, & pro aliquibus quãtùm ad efficaciam.

1. Ioan. 2.

Sed dicunt, S. Thomam in omnibus prædictis locis nullam prorsus mentionem fecisse efficaciæ passionis Christi, sed solùm docuisse, passionem Christi esse sufficientem pro omnibus: in aliquibus verò efficientem, & in illis habere effectum: ergo ex mente S. Thom. non est distinguenda passio, vel gratia Christi in sufficientem, & efficacem, sed in sufficientem, & efficientem. Hæc tamen obiectio nulla est : nam gratia efficiens apud S. Tho. designat gratiam efficacem: nam significat eam gratiam, quæ facit, vt faciamus, & operatur, vt operemur. Constat autem, hanc esse gratiam efficacem, seu quæ vires efficacissimas, vt Augustinus ait, tribuit voluntati. Præterea etiam S. Th. aliis in locis expressam mentionem facit gratiæ efficacis, vt distinguitur contra gratiam sufficientem : præsertim super cap. 6. Ioan. vbi explicans verba illa : *Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me*, ait: *Attractio Patris efficacissima est, quia omnis qui audiuit à Patre & didicit, venit ad Christum.* Videantur alia loca S. Aug. & S. Tho. quæ pro gratia efficaci, prædeterminante voluntatem creatam ad bonum, adduximus disputatione 23. n. 9. & sequentibus.

XII. Quintò probatur ratione eadem diuisio, & eius sufficientia. Quia, si non daretur gratia verè sufficiens, sequeretur, quòd illi omnes, qui non conuertuntur, aut saluantur, reuera conuerti non possent, aut saluari : quod tamen non potest admitti. Probatur antecedens: nam illi non habent gratiam efficacem; alias enim conuerterentur, aut saluarentur. hæc enim gratia tribuit actualiter bene operari, vel perseuerare vsque in finem: ergo, si non habent gratiam vere sufficientem, quæ tribuit posse, omnes illi conuerti, pie operari, vel saluari non possent, & ita non imputaretur eis ad culpam, quòd non conuerterentur, nec adimplerent diuina mandata; & consequenter Deus irrationabiliter conquereretur de illis, & sine causa eos increparet : quod tamen sacrarum literarum testimonis videtur repugnare. Dicitur enim Prou. 1. *Quia vocaui, & renuistis : extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret, &c. ego quoque in interitu vestro ridebo, &c.* & Psal. 4. *Filij hominum vsquequò graui corde: vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Et Christus Dominus in die iudicij sedens pro tribunali, dicet illis, qui à sinistris erunt : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius : esurijt enim, & non dedistis mihi manducare &c.* Relinquitur ergo, eos habuisse auxilium sufficiens, quo hæc omnia poterant adimplere : ergo necessariò admittenda est diuisio gratiæ in sufficientem, & efficacem.

Matth. 25.

Denique probatur specialiter, quòd sit constituendum auxilium efficax ab auxilio sufficienti distinctum: nam alias tolleretur certitudo, & infallibilitas prædestinationis, quæ fundatur in efficacia auxiliorum diuinæ gratiæ, quibus certissimè liberatur, quicunque liberantur, vt ait Aug. lib. de præd. SS. c. 14. Hæc autem patebunt amplius ex iis, quæ dicentur infra inter disputandum de efficacia auxiliorum præuenientis gratiæ.

Disp. 83. & 91.

XIII. AD primum argumentum iam patet ex dictis, quàm sit conformis sacris literis, Conciliis, & Patribus diuisio gratiæ in sufficientem, & efficacem: & ad id, quod obiicitur ex Concilio Tridentino, respondetur, nomine excitantis, & adiuuantis gratiæ, comprehendisse gratiam sufficientem, & efficacem, vt ex aliis supra inductis locis eiusdem Concilij apertè constat.

Ad secundum respondetur, quòd eædem ferè difficultates, quas Theologi disputant circa gratiam sufficientem, & efficacem, moueri possunt, circa gratiam excitantem, & adiuuantem. Vnde, si propter illas non esset admittenda diuisio gratiæ in sufficientem, & efficacem : eadem ratione reiicienda esset partitio gratiæ in excitantem, & adiuuantem: quod tamen concedi non potest. Secundò respondetur, difficultates omnes, quæ circa distinctionem gratiæ sufficientis, & efficacis oriuntur, ex principiis Theologicis dissoluuntur quàm facile, ex Scripturis videlicet, Conciliis, & Patribus, vt ex suprà dictis patet, & ex iis, quæ sunt inferiùs dicenda. Dato etiam, quòd, posita eadem distinctione, multa se offerant, quæ plenè non possint à nobis intelligi, aut explicari; non propterea neganda essent, aut reiicienda. Vnde Aug. *Nunquid propterea dicturi sumus, quod ita esse perspicimus, non ita esse, quoniam, cur ita sit, non possumus inuenire. Nunquid ideo negandum est, quod apertum est, quia comprehendi non potest, quod occultum est.* Et in alio loco ait : *Ego autem etiamsi refellere istorum argumenta non valeam, video tamen inhærendum esse iis, quæ in Scripturis sunt apertissima, vt ex iis reuelentur obscura, aut si mens nondum est idonea, quæ possit ea vel demonstrata cernere, vel abstrusa inuestigare, sine vlla dubitatione credantur.* de quo plura in disp. 118. & 119. dicenda sunt.

Aug. lib. de dono perf. cap. 14.

Libro 3. de pecc. mer. & remiss. c. 3. & 4.

Ad tertium respondetur. Quòd cùm gratia sufficiens, & efficax ab excitante, & adiuuante realiter non distinguantur, loca Scripturæ, quæ de gratia, & lib. arb. loquuntur, sicut recte explicantur de gratia excitante,

Digitized by Google

excitáte, vel adiuuante, ita etiam rectiſſime poſſunt de gratia ſufficiente, vel efficaci interpretari.

Ad quartum reſpondetur, reprobos, dum ſunt in gratia, operari opera bona, & meritoria vitæ æternæ, virtute gratiæ efficacis. ſed illa gratia eſt quidem efficax ad credendum, vel diligendum Deum, non tamen eſt efficax ad perſeuerandum. Gratia enim efficax diuiditur in diuerſa membra, vt ſupra dictum eſt. Vnde ex eo, quòd gratia reprobis collata non ſit efficax ad perſeuerandum, non ſequitur, eam non eſſe efficacem, vel quòd ſit conſtituendum medium genus gratiæ à ſufficienti, & efficaci diſtinctum. Gratia autem efficax dicitur gratia ſecundùm propoſitum Dei, ſiue illud propoſitum ſit efficiendi in nobis, atque nobiſcum pios actus fidei, ſpei, & charitatis, vt contingit in reprobis exiſtentibus in gratia, ſiue ſit etiam propoſitum iuuandi, ſeu glorificandi, ſicut eſt propoſitum, quod circa electos habet. Cùm ergo S. Auguſt. ait, quòd *præcognitio eſt præſcientia, & præparatio beneficiorum Dei quibus certiſſime liberantur, quicunque liberantur*, nomine beneficiorum Dei, comprehendit non ſolum gratiam efficacem, qua homo credit, ſperat, diligit Deum, vel alia opera pietatis exercet, ſed etiam eam gratiâ, per quâ Deus efficit illum perſeuerantẽ vſque in finem.

Ad confirmationem reſpõdetur, auxilium actuale, quo actus attritionis elicitur, eſſe quidem auxilium ſufficiens, comparatione conuerſionis perfectæ, & ſimul efficax, comparatione attritionis, vel aliorum actuum imperfectorum, qui regulariter antecedunt contritionem perfectam, quia, vt dicetur diſp. 80. idem auxilium, quod eſt ſufficiens, comparatione vnius effectus, ſimul eſt efficax, comparatione alterius.

Ad quintum reſpondetur, auxilium efficax eſſe vnum ex antecedẽter prærequiſitis, vt homo actualiter bene operetur, ſicut dictum eſt ſuprà. Nec ex hoc ſequitur, nullam aliam gratiam, præter efficacem, eſſe ſufficientem, vt diſputatione 18. num. 20. & diſp. 23. n. 29. oſtendimus eſt.

XIV. Ad ſextum reſpondetur. Stantibus in duobus hominibus omnibus auxilijs præuenientis gratiæ tam externis, quàm internis omnino æqualibus, nunquam contingere, quòd vnus conuertatur, alter non conuertatur, ſed ſemper ille, qui conuertitur, recipit aliquod fortius auxilium præuenientis gratiæ, quod non recipit ille, qui non conuertitur, vt diſput. 108. manifeſtum fiet: vbi etiam reſpondendum erit ad id, quod ex Matth. 11. cap. obijcitur.

Ad ſeptimum reſpondetur, quòd gratia ſufficiens eminenter includitur in gratia efficaci, non autem formaliter: nam gratia ſufficiens, formaliter loquendo, vt ab efficaci diſtinguitur, eſt illa, quæ ſolum tribuit poſſe operari illum actum, comparatione cuius dicitur ſufficiens: gratia autem efficax, quamuis tribuat poſſe operari, non tamen confert ſolùm poſſe, ſed etiam actualiter operari, vt dictum eſt.

Secundò reſpondetur, quòd etiam quando converſio peccatoris fit in vnico inſtanti, Deus & mouet liberum arbitrium gratia adiuuante, quæ eſt efficax, & ſimiliter per gratiam excitantem, vel ſufficientem illuminat intellectum, & excitat eius voluntatem, vt liberè conuertatur: quæ quidem excitatio, quamuis ſit in eodem inſtanti temporis, præſupponitur tamen in priori ſigno rationis ad gratiam efficacem.

Diſp. 121. num. 10. Ad octauum reſpondetur, quòd, vt diſp 3. dicebamus, & patebit etiam inferiùs, Caluinus non erranit, dum gratiam Chriſti eſſe efficacem aſſeruit; ſed quia ita ex ſe efficacem eſſe confinxit, vt cum ea noſtrum arbitrium non cooperetur libere, ſed ſolum motu ſpontaneo.

DISPVTATIO LXXII.

Vtrùm in ea diuiſione, qua auxilium gratiæ diuiditur in auxilium efficax, & auxilium inefficax immediatum diuiſum, ſit auxilium ſufficiens.

QVIDAM dixerunt, immediatũ diuiſum huius diuiſionis eſſe auxilium ſufficiens, ita videlicet, vt illud auxilij ſufficiẽs, ſiue maius, ſiue minus in ſe ſit, efficax dicatur, cum quo arbitrium pro ſua libertate conuertitur, illud verò dicatur inefficax, cum quo arbitrium pro eadem libertate non conuertitur. I.

Ex quo inferunt, præter auxilium ſufficiens præuenientis gratiæ nullum aliud requiri auxilij præuenientis ſecundum realem virtutem diſtinctum ab auxilio ſufficienti, vt peccator conuertatur, & pie operetur, ſed idem auxilium, quod eſt tantùm ſufficiens, quando homo non vult conuerti, fit efficax, ſi homo velit pro innata ſua libertate, bene vti illo auxilio, & ad Deum conuerti liberè conſentiendo eidem auxilio, & cooperando. Dicunt etiam, quòd, quamuis auxilium efficax, & auxilium ſufficiens nõ diſtinguantur realiter, ſecundum eorum perfectionem, & virtutem intrinſecam, diſtinguuntur tamen ratione in genere beneficij, & in genere doni, ſicut gladius datus alicui tempore pacis, & tempore belli, realiter idem gladius eſt, tamen in genere doni, & in genere beneficij, maius donum, & maius beneficium recipit ille, cui datur gladius tempore belli, quando vtetur illo, vt ſe defendat ab inimicis, quàm ſi donaretur tempore pacis, quo illi gladius vſui neceſſarius non eſſet.

Primum argumentum, quo ſuam ſententiam corroborare nituntur, deſumitur ex Conc. Trid. ſeſſ. 6. de iuſtif. c. 5. can. 4. vbi habetur, quòd liberum hominis arbitrium excitatum, & motum à Deo, liberè conſentit Deo excitanti, & vocanti, & poteſt diſſentire, ſi velit: ergo, ſtante quocunque auxilio præuenientis gratiæ, homo poteſt illi conſentire, & diſſentire. Sed, poſito in homine auxilio efficaci, non poteſt homo illi diſſentire; alias enim non eſſet efficax: ergo huiuſmodi auxilium non eſt præueniens, nec cõprehenditur ſub auxilio præuenientis gratiæ: ergo ſolum auxilium ſufficiens erit præueniens; ac per conſequens in ea diuiſione, qua auxilij præuenientis gratiæ diuiditur in auxilium efficax, & inefficax, immediatum diuiſum erit auxilium ſufficiens, & nõ aliquid abſtrahens ab auxilio ſufficiente, & efficaci.

Secundò arguitur. Immediatum diuiſum illius diuiſionis, qua auxilium gratiæ diuiditur in efficax, & inefficax, eſt auxilium præueniens ſed ſolùm auxilium ſufficiens eſt præueniens: nam præter auxilij ſufficiens, nullum aliud datur auxilium præueniens, neceſſariõ prærequiſitum ad priam operationem: ergo immediatum diuiſum eiuſdem diuiſionis erit auxilium ſufficiens, cui ſi lib. arb. conſentiat, efficax euadet, ſi autem non conſentiat, erit inefficax.

Tertiò arguitur ex illo celebri teſtimonio Matt. 11. *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethſaidanquia ſi in Tyro, & Sidone facta fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in te, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent.* Ex quibus verbis deſumitur argumentum. Si illud auxilium ſufficiens, quod datum eſt Iudæis cum miraculis, & ſignis factis in Corozaim, non eſſet ſufficiens, vt cum illo ſolo, ſecluſo quocunque alio auxilio præuenientis gratiæ realiter diſtincto, conuerterẽtur

Tyrij,& Sidonij:sequeretur, quòd non esset vera illa conditionalis,quam Christus Dominus protulit: item etiam sequeretur, quòd absque vlla causa obiurgarentur Iudæi,quòd non fuerunt conuersi:consequens non est dicendum:ergo. Sequela probatur: nam ad veritatem conditionalis requiritur,quòd sit bona consequentia; ita vt, posito antecedente, infallibiliter ponatur consequens; sed,positis adhuc in Tyriis,& Sidoniis auxiliis datis Iudæis, & miraculis,& virtutibus factis; conuersi non fuissent,nisi Deus dedisset aliud maius auxilium præuenientis gratiæ,videlicet auxilium efficax,realiter distinctum à sufficiente; quod tamen non est datum Iudæis; ergo,si tale auxilium esset necessarium,falsa esset illa cõditionalis:*Si in Tyro,& Sidone facta fuissent,&c.* Quòd verò frustra obiurgarentur Iudæi, probatur: nam possent respondere, non esse datum sibi auxilium efficax necessarium,vt conuerterentur quod si Deus illis dedisset,etiam ipsi conuersi fuissent.

Quartò arguitur. Nullum auxilium præueniens est secundùm se efficax,id est,secundùm suam naturam, neque ex se habet infallibilem connexionem cum consensu arbitrij: ergo id habet dependenter ex libero influxu, & cooperatione eiusdem arbitrij: ergo idem auxilium sufficiens esset efficax, si homo consentiat: & inefficax, si non consentiat; ac per consequens, auxilium sufficiens dicitur efficax, vel inefficax.

Quintò arguitur. Nam sequeretur ex oppolita sententia, quòd conuersio, & alia quæcunque pia operatio non est in libera hominis potestate.Probatur: nam,si auxilium efficax est præueniens, necessariò debet fieri in homine à solo Deo, cùm nullo modo dependeat ab influxu nostri arbit. vt affirmat oppolita sententia: ergo tale auxilium non est in libera potestate hominis. Patet consequentia: nam solum illud est in potestate hominis,quod fit ab homine,& ab illo dependet:ergo neque actus liber,ad quem dicitur esse necessarium tale auxilium, erit in libera potestate hominis;quod tamen nullatenus est asserendum.Consequentia probatur, quia non potest talis actus esse in hominis potestate,nisi in eius potestate sint illa etiam,quæ necessariò requiruntur ad productionem illius actus.

Disp.82. & 90. Sextò argumentantur omnibus rationibus, quibus,vt dicetur infrà, probare conendunt, auxilium efficax,qua efficax est,non esse præueniens, sed pariter cum libero arbitrio in piam operationem influens:ex hoc enim infertur, diuisionem prædictam auxilij solùm ab effectu esse desumendam, non autem ex reali,& intrinseca virtute ipsius auxilij.

II. Contrariam sententiam defendunt consequenter omnes assertores gratiæ,efficienter prædeterminantis liberum arbitrium ad consensum, eámque esse de mente S.Augustini & S.Thom. ac sacris literis, Conciliis,& Patribus conformem affirmant, & ita sine dubio tenendum est; vnde sit

Auxilium efficax inquàtum efficax, est præueniens liberã cooperationẽ arbitrij. PRima Conclusio. Non solùm auxilium sufficiẽs est præueniens, sed etiam efficax, vt efficax est, præuenit ordine rationis, & causalitatis, cooperationem nostræ voluntatis.Hæc conclusio, quòd attinet ad auxilium sufficiens, ab omnibus recipitur: de efficaci verò negatur à multis,qui asserunt, efficáciam physicam diuinæ gratiæ non consistere in aliquo antecedente consensum, ordine causalitatis: sed in actuali influxu, quo Deus simul cum libero arbitrio influit immediatè in operationes supernaturales Sed nostra conclusio est S. Augustini & S.Th. vt patebit infrà. Et probatur primò ex Conc. Trid. locis supra citatis, vbi habetur, quòd per gratiam præuenientem, quam distinxit in gratiam excitantem, & adiuuantem, homo disponitur ad suam iu-

Disp 71. stificationem, eidem gratiæ liberè consentiendo, & cooperando. Sentit ergo Conc. gratiam adiuuantem,quæ est gratia efficax, antecedere ordine rationis,& causalitatis nostrum concursum, & cooperationem. Præterea probatur ex locis S. Augustini & S. Thom.quibus suprà disput 18.ostensum est, actualem influxum primæ causæ, quo adiuuat causas secundas ad operandum, esse influxum immediatum in ipsas causas secundas: ergo antecedit ordine naturæ,& causalitatis,actualem concursum cuiuscunque causæ secundæ: ac per consequens etiam antecedit nostræ voluntatis concursum.Ratione probatur: nam aliquando contingit, quòd Deus in vnico instanti conuertat peccatorem absque dispositionibus tempore antecedentibus, vt contigit in conuersione S Pauli.Tunc est argumentum. Auxilium, quo Deus eleuat in tali casu intellectum, & voluntatem peccatoris ad actus supernaturales, debet recipi in potentia antecedenter ad actum; quia sine illo auxilio, intellectus, & voluntas non haberent virtutem sufficientem ad tales actus: ergo tunc auxilium efficax præuenit consensum voluntatis. Patet consequentia: nam in consimilibus casibus ante auxilium efficax non est aliud auxilium sufficiens, per quod intellectus,& voluntas possent producere actus supernaturales, sed eodem auxilio efficaci Deus & tribuit posse, & actualiter operari. Sed de ista conclusione agendum erit ex professo disputatione 81.

Auxilium sufficiens qualiter ab efficaci distinguatur Secunda Conclusio Auxilium sufficiens, & efficax non distinguuntur solùm ratione in genere doni, sed distinguuntur per aliquid sibi intrinsecum. Itaque auxilium efficax, secundùm se, & vt venit à Deo,habet saltem intentionaliter aliqualem realem virtutem sibi intrinsecam, quam non habet auxilium,quod est tantùm sufficiens. Hæc conclusio est contra quosdam Theologos,qui tenent, nihil reale intrinsecum habere auxilium efficax, quo à sufficienti distinguatur: & addunt,quòd idem auxilium gratiæ in se permanens inuariatum,si conferatur in talibus circumstantiis, erit tantum sufficiens: quia liberum arb.non erat vsurum tali auxilio: collatum verò eidem homini in alio tempore, in quo Deus præsciebat, ipsum esse vsurum eodem auxilio, erit efficax.

Sed probatur nostra Cõclusio ex illo 1.ad Cor.4. *Quis enim te discernit?quid autem habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Ex quo desumitur efficax argumentum. Si cum eodẽ auxilio vnus conuertitur, quia vult, alius non,quia non vult:sequitur,quòd ille,qui conuertitur,discernat se ab alio per aliquid proprium, quod non accepit ex auxilio gratiæ. Consequens est contra auctoritatem Apost.ergo.Sequela probatur.nam illi duo homines non discernuntur realiter per gratiam,quam acceperunt antecedenter ad liberam cooperationẽ arbitrij.quia,vt supponitur, auxilia fuerunt omnino æqualia in vtroque. In iis autem, in quibus conueniunt,non discernũtur, vt Aug.docet li.de præd.SS. c.5.ergo discernuntur,quia iste voluit vti tali auxilio ex innata sibi libertate,alter verò noluit:ergo discretio,& differentia vltimatè reducitur in liberam cooperationẽ huius,vel illius pro innata eius libertate. Vis huius argumenti patebit amplius ex iis,quæ dicẽtur disp.seq & ex dictis disp.36.& 37. de præd. ibi enim varias solutiones auctorum sententiæ aduersæ retulimus,& impugnauimus.

III. Auxilij diuinum diuisio in auxilium efficax, & inefficax, qualis sit. Tertia Conclusio.Immediatum diuisum diuisionis supra positæ, est auxilium præueniens, in tota sua latitudine: non autem auxilium solum sufficiens. Hæc conclusio manet probata sufficienter ex dictis. Cùm enim auxilium efficax, qua efficax est, sit

præue

præueniens, vt ex præmiſſis patet, & diſp. 82. & 90. conſtabit amplius, relinquitur in immediato diuiſo illius diuiſionis, quæ auxilium præuenientis gratiæ in auxilium efficax, & inefficax diuiditur, comprehendi quodcunque auxilium præueniens; alias diuiſio non eſſet bona: ergo impoſſibile eſt, quòd immediatum diuiſum ſit ſolum auxilium ſufficiens.

Confirmatur. Nam alias diuiſum coincideret cũ vno membrorum diuidentium, quod eſt impoſſibile. Antecedens probatur: nam auxilium ſufficiens, & auxilium inefficax ſunt idem prorſus auxilium: ex eo enim dicitur auxilium ſufficiens; quia ſolùm tribuit poſſe operari, non autem actualiter operari: auxilium autem inefficax dicitur, quia non efficit hominem operari: ergo ſi immediatum diuiſum eſt ſolum auxilium ſufficiens, coincideret diuiſio cum altero membrorum diuidentium.

IV. Auxilium efficax facit, quod cum homo poſſit diſſentire, infallibiliter conſentiat

AD primum argumentum reſpondetur, quòd liberum noſtrum arbitrium excitatum, & motum à Deo libere conſentit, & conſequenter poteſt diſſentire, ſi velit; tamen, quando motio Dei eſt efficax, infallibiliter conſentiet: etenim hoc operatur gratia in libero arbitrio fortiter, & ſuauiter, quod, cum poſſit diſſentire, non diſſentiat. Cuius ratio eſt, quam aſſignat S. Thom. 1.2. quæſtione 112. articulo tertio in corp. *Nam intentio Dei deficere non poteſt. Vnde, ſi ex intentione Dei mouentis eſt, quod homo, cuius cor mouet, conſentiat, & conſequatur gratiam, infallibiliter eam conſequitur* & neceſſariò neceſſitate infallibilitatis, non autem ex neceſſitate abſoluta, & idem docet 2.2.q.24.art.11.in corp. Dicimus ergo ad argumentum in forma, quòd ſi homo conſentiat, non facit gratiam efficacem, ſed eſt ſignum à poſteriori, quòd habuerit gratiam efficacem: conſenſus enim liberi arbitrij præſupponit gratiam efficacem, ordine rationis, & cauſalitatis. Si autem non conſentiat Deo vocanti, ſicut fecerunt illi, qui vocati ad nuptias noluerunt venire; non facit etiam gratiam inefficacem, propriè loquendo; ſed eſt ſignum à poſteriori, quòd vocatio Dei non fuerit efficax, vt venit à Deo, ſed ſolùm ſufficiens. Et cùm arguitur: nam vocationem eſſe efficacem, eſt producere conſenſum; reſpondetur negando antecedens, ſi loquamur formaliter, verum tamen eſt cauſaliter: per gratiam enim efficacem Deus efficit, vt liberum arbitrium cooperetur.

Ad ſecundum argumentum negatur antecedens. Ad probationem reſpondetur, præter auxilium ſufficiens, quòd tribuit poſſe, eſſe neceſſariò præ requiſitum ad piam operationem auxilium efficax diſtinctum à ſufficienti, vt inferius patebit, & ex iis, quæ ſupradicta ſunt, conſtat.

V. Propoſitio conditionalis, vt ſit vera, nõ exigit, quod antecedẽs ſit cauſa cõſequentis.

Ad tertium argumentum reſpondetur, illam conditionalem Euangelij: *Si in Tyro, & Sidone facta fuiſſent virtutes, quæ facta ſunt in te; pœnitentiam egiſſent*, eſſe veriſſimam. Pro cuius intelligentia ſupponendum eſt ex Dialectica, ad veritatem conditionalis non requiri, vt antecedens ſit cauſa conſequentis, ſed ſufficit, quòd, poſito antecedente, ponatur conſequens, ſiue antecedens ſit adæquata cauſa conſequentis, ſiue effectus illius, ſiue conditio præſupponens aliam cauſam, ex cuius virtute ſequitur conſequens. Verbi gratia, hæc conditionalis eſt vera: Si dies eſt, Sol lucet: & tamen antecedens non eſt cauſa conſequẽtis, ſed effectus illius. Item etiam iſta eſt vera: Si ignis applicatur, calefacit: & tamen applicatio eſt ſolum conditio. Ita dicimus in præſenti, quod ad verificandam illam conditionalem, Si in Tyro, & Sidone facta fuiſſent ſigna, & prodigia, quæ fecit Dominus in Corozain, & Bethſaida, conuerſi fuiſſent, non eſt neceſſarium, quòd antecedens ſit cauſa conſequentis, nec quòd aliquis de facto conuertatur, ſolùm ſignis, & auxiliis ſufficientibus, Iudæis collatis. ſed ſufficit, quòd ſi in Tyro, & Sidone ponerentur illa ſigna, de facto conuerterentur multi ex illis, non quidem ex ſolis ſignis, ſed ex alia cauſa, quam præſupponit Chriſtus, videlicet ex auxilio efficaci, quod Deus ſtatuerat conferre illis; ſi apud eos ſigna illa facta fuiſſent, quæ in Corozain, & Bethſaida Dominus operatus eſt, vt diſp. 7. n. 24. dictum eſt. Ad illud verò, quod in eodem argumento obiicitur, quoniam abſque vlla cauſa obiurgarentur Iudæi, quòd non fuerint ad Chriſtum conuerſi; ſi quidem Deus non dedit illis auxilium efficax ad conuerſionem neceſſarium; reſpondetur, idem argumentum fieri poſſe contra auctores oppoſitæ ſententiæ. Nam, vt ipſi fatentur, vocatio congrua, id eſt, collata in illis circumſtantiis, in quibus præſciebat Deus, hominem eſſe conſenſurum; eſt neceſſaria, vt homo conuertatur: ergo, ſi Deus Iudæis non dedit huiuſmodi gratiam, ſeu vocationem congruam; vt quid Chriſtus Dominus Iudæos increpauit, quòd non fuerint conuerſi? Reſpondetur ergo, quod rationabiliter increpantur; quia ſua culpa impedimentum præſtiterunt, ne gratia efficax illis daretur, vt diſp. 7. n. 24. & diſput. 18. n. 20. dictum eſt.

Iudæos Chriſtus Dominus iuſte increpauit, & quare.

Ad quartum reſpondetur, quòd, vt diſputatione ſequenti ad tertium argumentum, & diſputatione 83. patebit, auxilium gratiæ dicitur efficax ſecundum ſe, id eſt, ſecundum realem virtutem, quam habet a Deo, quatenus videlicet eſt inſtrumentum Dei abſolutæ, & efficaci voluntate, nulla præſuppoſita ſcientia media, volentis hominem, cuius cor mouet, ad ſe conuertere. Vnde nunquam auxilium, quod ſecundùm ſe eſt tantùm ſufficiens, fit efficax ex libera cooperatione arbitrij.

VI. Auxilium gratiæ in quo ſenſu dicatur ſecundum ſe efficax

Ad quintum reſponſum eſt diffusè diſp. 18. n. 20. diſp. 22. n. 32. & diſp. 23. num. 19.

Ad ſextum patebit diſp. 82. & 90.

DISPVTATIO LXXIII.

Vtrùm diuiſio auxilij præuenientis gratiæ in auxilium efficax, & inefficax, ſolùm ab effectu, qui ſimul à libera cooperatione arbitrij pendet, deſumatur, an etiam ex reali virtute ipſius auxilij.

I. TOTA difficultas huius quæſtionis in hoc conſiſtit: Vtrùm auxilium efficax addat ſaltem intentionaliter aliquam realem virtutem antecedentem piam operationem ſupra auxilium ſufficiens; an verò nihil reale addat, ſed idemmet auxilium, extrinſeca duntaxat denominatione, dicatur efficax, quando homo cum illo vult cooperari: & ſimiliter dicatur inefficax, quando non vult cooperari.

Quidam dixerunt, diuiſionem auxilij præuenientis gratiæ, in auxilium efficax, & auxilium inefficax, ab effectu, qui ſimul ab arbitrij libertate pendet, ſumi, atque adeò, quòd efficax, aut inefficax ad conuerſionem, ſeu iuſtificationem ſit, pendere à libero conſenſu & cooperatione arbitrij cum illo.

Probant ſuam ſententiam. Primò: nam auxilium efficax, inquantùm efficax, formaliter loquendo, non eſt præueniẽs liberũ conſenſum noſtri arbitrij, ſed ſolum concomitans, & pariter cum eo influens in piã operationem: ex eo enim dicitur efficax, quia efficit nobiſcum, eandem operationem: ergo ſolùm

ab effectu dicitur efficax: quia videlicet nobiſcum cooperatur, & eadem ratione dicitur inefficax, quia nihil nobiſcum cooperatur.

Secundò nam, vt docet S. Th. 1. 2. q. 111. art. 3. ad 2. *Gratia non diuerſificatur per hoc, quòd eſt præueniens, & ſubſequens ſecundum eſſentiam, ſed ſolùm ſecundum effectum, ſicut & de operante, & cooperante dictum eſt: quia etiam ſecundum quòd gratia ſubſequens ad gloriam pertinet, nihil eſt aliud numero a gratia præueniente, per quam nunc iuſtificamur.* ergo ſimiliter gratia non diuerſificatur ſecundùm eſſentiam, vel ſecundum realem, & intrinſecam virtutem per hoc, quòd eſt efficax, vel ſufficiens: ſed ſolùm ſecundum effectum: ergo ſolùm ab effectu gratia dicetur efficax, quia liberum arbitrium cooperatur cum illa; & ſimiliter dicetur inefficax, quia pro ſua innata libertate noluit cum ea cooperari.

Tertiò. Nullum auxilium prævenientis gratiæ eſt ex natura ſua inefficax; ergo ſimiliter nullum auxilium prævenientis gratiæ erit ab intrinſeco, & ex natura ſua efficax. Probatur conſequentia: nam in diuiſione per ſe, quando vnum membrum competit ex natura ſua alicui ſubiecto, alterum etiam membrum debet per ſe conuenire alteri, ſicut in diuiſione, qua diuiditur animal in hominé, & equum, &c. neceſſariò debet aſſignari aliquod animal, cui per ſe, & ex natura ſua competat eſſe equum; ſicut aſſignatur animal, cui per ſe competit eſſe hominem. Antecedens autem probatur: nam, ſi daretur aliquod auxilium prævenientis gratiæ, quod per ſe, & ex natura ſua eſſet inefficax, ſequeretur, quòd repugnaret eidem auxilio effectum habere, ac per conſequens, liberum arbitrium reuerà non poſſet per illud auxilium operari, & ita nullum relinqueretur auxilium ſufficiens: etenim, vt patebit infrà, auxilium ſufficiens illud dicitur, cum quo liberum arbitrium poteſt operari. Relinquitur ergo, diuiſionem gratiæ in ſufficientem, & efficacem ſolùm ab effectu, qui ſimul à liberi arbitrij cooperatione pendet, eſſe deſumendam.

Quartò. Idem omninò auxilium mutatum in ſeipſo manens, poteſt eſſe ſufficiens, & efficax: ergo hæc diuiſio non deſumitur ex natura, aut virtute intrinſeca ipſius auxilij, ſed ab extrinſeco, ſcilicet ab effectu, quem habet, vel non habet. Antecedens probatur: nam, poſſibili poſito in eſſe, nullum ſequitur inconueniens, ſed ſi hoc poſſibile, homo per auxilium ſufficiens poteſt piè operari, ponatur in eſſe; & de facto piè operetur, in tali caſu idem auxilium, quod dicebatur ſufficiens, erit reuerà efficax, nulla facta reali mutatione ex parte eiuſdem auxilij: ergò idem prorſus auxilium abſque aliquâ ſui mutatione, erit ſufficiens, & efficax; & ita ſolùm ab extrinſeco dicetur ſufficiens, vel efficax auxilium. Idem argumentum fieri poteſt de auxilio efficaci; nam, ſignato quocunque auxilio, quantumuis efficaci, adhuc liberum arbitrium poteſt cum illo operari, & non operari, conſentire, & diſſentire, vt definit Concilium Tridentinum. Ponatur ergo, quòd non operetur, ſed diſſentiat, tunc quidem auxilium prævenientis gratiæ, quod dicebatur efficax, erit inefficax; ſiquidem effectum non haberet: ergo idem, quod prius.

Con. Trid. ſeſſ. 6. de iuſtif. c. 5. & can. 4.

Contrariam ſententiam veram eſſe exiſtimo, & ad mentem SS. Auguſt. & Thom. ac ſacri literis, & Conciliis valdè conformem. Pro cuius explicatione ſit.

II. Auxilij diuiſio in auxilium ſufficiens, & efficax, nõ ſumitur tãtum ab effectu.

PRima Concluſio. Diuiſio auxilij prævenientis gratiæ in auxilium ſufficiens, ſiue inefficax, & auxilium efficax, non eſt deſumenda ſolùm ab effectu, qui ſimul à liberi arbitrij cooperatione pendet, ſed etiam ex reali, & intrinſeca virtute eiuſdem auxilij, quam habet, vt venit à Deo, quatenus videlicet eſt inſtrumentum voluntatis diuinæ. Itaque auxilium efficax prævenientis gratiæ ſimpliciter habet intentionaliter aliquam realem virtutem ad efficiendum, vt liberum arbitrium cooperetur; quam tamen in ſeipſo non habet auxilium ſufficiens. Probatur primo hæc ſententia auctoritate S. Auguſtini epiſtola 107. ad Vitalem, vbi eius referens ſententiam circa gratiam ſufficientem, quæ dat poſſe, & illam, quæ operatur in nobis velle & perficere, quæ eſt gratia efficax; inquit: *Quomodo dicis, quod ſe aſſiduo dicere, vt rectè credamus in Deum, & Euangelio conſentiamus, non eſſe donum Dei, ſed hoc nobis eſſe à nobis, id eſt, ex propria voluntate, quam nobis in noſtro corde non operatus eſt ipſe? Et ad hoc, cùm audieris: quid eſt ergo, quod ait Apoſtolus: Deus in nobis operatur & velle, & perficere? reſpondes, per legem ſuam per Scripturas ſuas, Deum operari, vt velimus, quas vel legimus, vel audimus, ſed eis conſentire, vel non conſentire ita noſtrum eſt, vt ſi velimus fiat: ſi autem nolimus, nihil in nobis operationem Dei valere faciamus. Operatur quippe ille, dicis, quantum in ipſo eſt, vt velimus, cùm nobis nota fiunt eius eloquia: ſed, ſi eis acquieſcere nolumus, nec, vt operatio eius nihil in nobis proficiat, efficimus.* Quibus verbis, Vitalis Carthaginenſis conſtituiſſe videtur diuiſionem gratiæ inefficacis, & efficacis ſolùm ab effectu, qui ſimul à liberi arbitrij cooperatione dependet. Quod indicant illa eius verba: *Sed eis conſentire, vel non conſentire ita noſtrum eſt, vt ſi velimus, fiat, ſi autem nolimus, nihil in nobis operationem Dei valere faciamus.* Quod idem eſt, ac ſi diceret: Gratia prævenies, quæ, accedente noſtro conſenſu, eſt efficax, redditur inefficax, ſi pro noſtra libertate contineamus conſenſum. Quam ſententiam impugnans S. Auguſtinus ſubdit: *Quæ, ſi dicis, noſtris orationibus contradicis.* Quod inferius confirmat multis teſtimoniis Scripturæ. Si dicatur, Vitalem nullam admiſiſſe prævenientem gratiam interiorem, ſed ſolam legem externam, atque doctrinam; contra hoc eſt: quia non ſolùm Maſſilienſes, ſed etiam Pelagius in tertio ſtatu ſuæ hæreſis tandem admiſit illuminationem per doctrinam internam, & ſuaſionem; ſiue excitationem ſtupentis voluntatis, vt diſput. 1. n. 6. oſtenſum eſt, & patebit amplius diſputat. 95. ſemper tamen negauit adiutorium gratiæ efficacis, quo Deus ex nolentibus volentes efficeret, vt ex diſp. 1. n. 13. & 14 liquidò conſtat.

Secundò probatur: nam, vt ſuprà dictum eſt, auxilium ſufficiens illud eſt, quo poteſt quis operari, ſi velit: auxilium autem efficax eſt illud, quo quis actualiter operatur; ſed maioris virtutis eſt principium tribuens actualiter operari, quam principium tribuens ſolùm poſſe, eò quòd actus ſecundus nobilior eſt, quàm actus primus, vt infrà patebit: ergo auxilium efficax habet aliquam realem virtutẽ ad efficiendum hominem piè operari, quam tamen non habet auxilium ſufficiens: ergo diuiſio auxilij prævenientis gratiæ in efficax, & ſufficiẽs non deſumitur ſolùm ab effectu, qui ſimul à liberi arbitrij cooperatione pẽdet, ſed etiam ex reali virtute ipſius auxilij. Diſp. 88. n. 12.

III. S. Th. 1. 2. q. 112. ar. 3. in corp. & q. 3. de pot. art. 7. ad 7. Auxilium efficax cõtinet intentionaliter virtutẽ voluntatis diuinæ.

Tertiò. Vt docet S. Thomas, in auxilio efficaci eſt intentionaliter virtus Dei, voluntate abſoluta volentis, vt homo, cuius cor mouet, conuertatur, vel piè operetur, quod etiam diſputatione 22. & 23. latiùs oſtendimus. Hæc autem virtus intentionalis non eſt in auxilio ſufficienti, ſeu inefficaci: ergo aliqua realis virtus eſt in auxilio efficaci, quam tamen auxilium ſufficiens non habet: ergo prædicta diuiſio non ſumitur tantùm ab effectu, qui ſimul à noſtri arbitrij cooperatione pendet, ſed etiam ex reali, & intrinſeca virtute ipſius auxilij. Confirmatur. Quando agens, præſertim ſi habeat infinitam virtutem,

Digitized by

tem, vtitur inſtrumẽto ad aliquid efficiendũ, tribuit
et, in ipſo actuali vſu, virtutem intentionalem ad
effectum illum producendum, vt patet in Sacramẽ-
tis noui legis, quæ, virtute diuina gratiam efficiũt,
quam ſignificant. Sed Deus vtitur auxilio efficaci,
tanquam inſtrumento, ad efficiendum, vt noſtrum
liberum arbitrium actualiter cooperetur Deo excit-
anti, & vocanti: ergo tribuit illi intentionalem vir-
tutem ad huiuſmodi effectum infallibiliter produ-
cendum, quam non tribuit auxilio ſufficienti, quo
Deus efficaci voluntate ſolùm intendit tribuere li-
bero arbitrio poſſe operari; non autem actualiter
operari; ac per conſequens, prædicta diuiſio atten-
ditur ſecundum realem virtutem ipſius auxilij præ-
uenientis gratiæ: non ergo deſumenda eſt ſolùm ab
effectu.

Si dicatur, quòd idem auxilium ſufficiens, cum
ſubordinatione, & reſpectu ad Deum, volentem ef-
ficaciter cum illo conuertere hominem, redditur
efficax, abſque eo quòd tribuatur illi aliqua realis
virtus, etiam intẽtionalis, per quam ab auxilio tan-
tùm ſufficienti diſtinguatur; contra hoc eſt: nam S.
Tho. in 4 ſent. diſt. 1. q. 1. art. 4. quæſtiunc. 1. in corp.
ex eo probat, Deum, cùm vtitur ſacramentis nouæ
legis ad cauſandam gratiam, tribuere illis intentio-
naliter quandam realem virtutem cauſatiuam gra-
tiæ: nam alias ipſa ſacramenta reuerà non cauſarẽt
gratiam, ſed ſolus Deus ad eorum præſentiam gra-
tiam produceret: ergo, ſi Deus, cùm vtitur auxilio
creato ad conuertendum hominem, non tribuit illi
intentionaliter aliquam realem virtutem, qua fa-
ciat hominem conſentire, quæ non eſt in auxilio
ſufficienti, ſequitur, quòd ſolus Deus conuerteret
hominem ad præſentiam auxilij efficacis, & conſe-
quenter ipſum auxilium gratiæ reuerà nihil opera-
retur, aut efficeret ad conuerſionem hominis: & ita
ipſa conuerſio non eſſet in Dei gratiam referenda.
Confirmatur hoc, quia ſola relatio, cum non ſit actiua, tribuere non poteſt virtutem aliquam efficiendi, ſed habitudo auxilij ſufficientis ad decretum
efficax Dei, volentis hominem ad ſe conuertere, eſt
relatio ergo hæc ſola non tribuit virtutem auxilio
ad conuertendum hominem: ergo præter illam ha-
bitudinem debet auxilium efficax habere intentio-
naliter aliquam realem virtutem ſibi communica-
tam ab eodem decreto, quà hominem infallibiliter
conuertat.

Quartò probari poteſt hæc ſententia omnibus
argumentis, quibus ſupra oſtenſum eſt, & conſtabit
infrà, auxilium efficax præuenientis gratiæ non ſo-
lùm moraliter, ſed etiam phyſicè prædeterminare
noſtrum liberum arbitrium ad conſentiendum, &
cooperandum Deo excitanti, & vocanti. Cùm enim
auxilium ſufficiens, ſiue inefficax vim non habeat,
qua ſic prædeterminet liberum arbitrium ad pie
operandum; relinquitur, aliquam realem virtutem
eſſe in auxilio efficaci, quã reuerà non habet auxi-
lium ſufficiens. Confirmari poteſt eadem ſententia
rationibus, quibus diſput. 90. manifeſtum fiet, auxi-
lium præuenientis gratiæ eſſe efficax independen-
ter a cooperatione noſtri arbitrij, eamque ordine
naturæ præuenire. Ex hoc enim per euidentem cõ-
ſequentiam deducitur, idem auxilium non dici ef-
ficax ſolùm ab effectualitate enim, inquantum efficax, non eſſet præueniens, ſed ſubſequens liberam determinationem eiuſdem arbitrij, ab eaque in ſua efficacia dependeret.

Secunda Concluſio. Prædicta diuiſio ſumitur ex
reali, & intrinſeca virtute, quam habet auxilium, vt
venit a Deo. Hæc concluſio probanda erit ex pro-
feſſo diſput. 83. & 90. vbi oſtendemus, auxilium effi-
cax non pendere in ſua efficacia ex influxu liberi

Diſp. 23 & diſput. 91.

II

A arbitrij cum illo, ſed eam habere a ſolo Deo. Cum
enim auxilium, quod eſt ſolùm ſufficiens, hanc rea-
lem efficaciam non habeat, relinquitur, in auxilio
efficaci eſſe aliquam realem virtutem ad permouẽ-
dum liberum arbitriũ, quæ non eſt in auxilio ſuffi-
ciẽti; ac per conſequens, diuiſionem, ſeu diſtinctio-
nem auxilij in auxilium ſufficiens, & auxilium effi-
cax, ſumendam eſſe ex reali, & intrinſeca virtute
quæ intentionaliter eſt in vno auxilio & non in
alio. Idem conſtat ex iis, quæ in concluſione præce-
denti dicta ſunt.

AD primum ergo reſpõdetur, auxilium efficax,
inquantum efficax, eſſe præueniens, ex præ-
miſſis patet: non enim ex eo ſolùm dicitur efficax,
quoniam nobiſcum efficit eam operationẽ; ſed
B etiam quia efficit, vt liberum arbitrium tecum co-
operetur, ad libere conſentiendum ipſum arbitrium
prædeterminando.

Ad ſecundum negatur conſequentia, & ratio dif-
criminis eſt: nam gratia cooperans per ſe habet
quòd ſimul cum illo cooperetur nobiſcum. Cæterum
gratia ſufficiens non habet per ſe, quòd tribuat ac-
tualiter operari actum illum, cuius comparatiõne
dicitur ſufficiens, vnde non eſt ſimile. Et ſi hoc ar-
gumentum cum peccator ſubitò ad Deum perfectè
conuertitur, abſque diſpoſitionibus temporaneis ac-
cedentibus infuſionem gratiæ, idem auxilium, quod
tribuit actualiter operari, tribuit etiam poſſe operari cùm in illo non conſtituantur duo auxilia diuer-
ſa, aliud tribuens poſſe, aliud tribuens operari: ergo
C in eo caſu, auxilium ſufficiens, & efficax ſolum di-
ſtinguuntur ſecundùm diuerſos effectus, ſicut gra-
tia operans & cooperans, ac per conſequens, auxi-
lium gratiæ ſolum ab effectu dicetur ſufficiens, vel
efficax, non autem propter realem diſtinctionem
ipſius auxilij. Reſpondetur, quòd auxilium efficax
continet eminenter omnem perfectionem ſufficiẽ-
tis auxilij, ſicut omne perfectum alicuius generis
eminenter continet, quidquid perfectionis eſt in
quolibet imperfecto eiuſdem generis. Vnde non
oporteret, quòd auxilium, quod eſt formaliter effi-
cax & eminenter ſufficiens, ad minimum diſtinguan-
tur realiter. Cæterum quando auxilium eſt tantùm
malitèr ſufficiens vt ſolum tribuat poſſe, nõ autem
actualiter operari actum illum, comparatione cuius
D dicitur ſufficiens; tunc neceſſe eſt, vt realiter ab au-
xilio efficaci diſtinguatur, hoc eſt ex aliqua reali
virtute exiſtente intentionaliter in auxilio efficaci,
vt venit a Deo, & vt eſt inſtrumentum Dei abſo-
lutè volentis, hominem, cuius cor mouet, ad ſe cõ-
uertere, quam tamen virtutem in ſe non habet au-
xilium ſufficiens.

Ad tertium reſpondetur, quòd auxilium gratiæ
poteſt dupliciter dici efficax ex natura ſua. Primò,
ita, vt illud verbum ex natura ſua, ſolùm importet
phyſicam entitatem, quam habet in genere entis,
qua vere ex natura ſua, id eſt, naturaliter, determi-
net liberum arbitrium ad operandum. Et in hoc
ſenſu nullum auxilium gratiæ dicitur efficax ex na-
tura ſua. Alio modo poteſt auxilium gratiæ dici
E efficax ex natura ſua, quam habet, vt eſt inſtrumen-
tum diuinæ voluntatis, ita vt verbum, *ex natura ſua*,
accipiatur, vt conſtituens entitatem cõtra actualem,
ſolùm dicitur efficax ab effectu, qui tamen dependet
ex libera cooperatione noſtri arbitrij. Et in hoc ſen-
ſu datur auxilium efficax ex natura ſua, hoc eſt ex
ſe, & ex reali virtute intentionali, quam habet ex Deo
independenter ex libera cooperatione noſtri arbi-
trij. Et in eodem ſenſu datur auxilium ſufficiens ex
natura ſua, quia videlicet, vt eſt inſtrumentum di-
uinæ voluntatis, ſolùm tribuit poſſe, non autẽ actu-
liter operari actum illum, comparatione cuius di-
citur

Auxilium efficax habet realem virtutem ad permouendum liberum arbitrium.

Obiectio

Auxilium efficax continet eminenter omnem perfectionem auxilij ſufficientis.

Auxilium efficax in quo ſenſu dicatur efficax ex natura ſua.

citur sufficiens. Et ad impugnationem respondetur, auxiliũ gratiæ non propterea dici inefficax, quia non potuit habere effectum, comparatione cuius dicitur inefficax, sed quia de facto non est illum habiturũ, culpa eius, cui confertur. Cùm enim reuera possit per illud auxilium ad Deum conuerti, aut pie operari, ex culpa sua procedit, quòd non operetur, vt ex supradictis patet.

V I. Possibili posito in esse, absolutè id quà do nullum sequitur inconueniens.

Ad quartum negatur antecedens. Ad probationem respondetur, quòd, quando aliquid est possibile non solùm in sensu diuiso, sed etiam in sensu cõposito, nullum sequitur inconueniens ex eo, quòd ponatur in esse. Cæterum, quando est possibile solùm in sensu diuiso, non autem in sensu compositio, tunc sequitur magnum inconueniens, si de facto ponatur in esse, suppositio aliquo, cum quo est incompossibilis talis positio, sicut patet in quolibet prædestinato, qui dum est in via, potest absolute, & in sensu diuiso damnari: quia tamen id est impossibile in sensu composito, sequeretur magnum incõueniens, si poneretur in esse posito, prout ponitur, illum esse prædestinatum. Sequeretur enim prædestinationem non esse certam, quantùm ad assequutionem effectus, quod est impossibile, vt ex supradictis patet. Quia ergo liberum arbitrium motum à Deo auxilio efficaci non potest illi dissentire in sensu composito, sed in sensu diuiso, vt inferiùs patebit; ideo esset magnum inconueniens, si hoc possibile poneretur in esse. Sequeretur enim, quod voluntas Dei esset inefficax & impedibilis per hominis voluntatem, quod, vt Augustinus dicit, & nos supra ostendimus, est impossibile.

COnsequẽter agendum est in particulari, de auxilio gratiæ excitãtis, & sufficiẽtis, à quo prædestinatorum iustificatio primò incipit, secundùm illud Apost. *Quos autem prædestinauit, hos & vocauit*, cui consonat Concil. Trident. sess. 6. capit. 5. dicens: *Ipsius iustificationis exordia in adultis à Dei, per Christum Iesum, præueniente gratia sumendum esse, hoc est, ab eius vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis, vocantur.* Et circa hoc se offerunt quinq; disputãda.

I. Vtrùm gratia excitans sit formaliter aliquis actus vitalis liberi arbitrij, an verò aliquid antecedens omnem actum vitalem.

II. Quis sit proprius effectus gratiæ excitantis, inquantùm est formaliter excitans.

III. Vtrùm gratia excitãs sit idem, quod gratia sufficiens.

IV. Vtrùm gratia excitans, quæ secundùm communem modum hominibus confertur, dependeat à ministris Ecclesiæ.

V. Vtrùm dependeat à propria industria, & conatu eius, qui excitatur.

DISPVTATIO LXXIV.

Vtrùm gratia excitans, seu præueniens sit formaliter aliquis actus vitalis liberi arbitrij; an verò aliquid antecedens omnem actum vitalem.

I. QVidam dixerunt, gratiam præuenientem, & excitantem nihil aliud esse formaliter, nisi actiones quasdam vitales, quas Deus in nobis sine nobis operatur; sine nobis, inquã, liberè cooperantibus; non tamen sine nobis vitaliter, & efficienter concurrentibus: & consistere in illustratione, & illuminatione intellectus, atq; excitatione, & suasione voluntatis, quæ quidem efficienter procedunt ab intellectu, & voluntate, non quidem vt libera sed vt natura est.

Probant hanc sententiam primò ex Concil. Trid. sess. 6. de iustificat. cap. 5. vbi sic ait: *Declarat præterea ipsius iustificationis exordium in adultis, à Dei per Iesum Christum, præueniente gratia sumendum esse, hoc est, ab eius vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis, vocantur, vt qui per peccata à Deo auersi erant, per eius excitãtem, atque adiuuantem gratiam ad conuertendum se ad suam ipsorum iustificationem eidem gratiæ liberè assentiendo & cooperando, disponantur; ita vt tangente Deo cor hominis, per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam & abiicere potest, neque tamen sine gratia Dei mouere se ad iustitiam coram illo libera sua voluntate possit.* Ex quibus verbis habetur, gratiam præuenientem, & excitantem formaliter consistere in Dei vocatione, in tactu, quo Deus cor hominis tangit per illuminationem intellectus, & excitationem voluntatis; sed illuminatio intellectus, & excitatio voluntatis sunt formaliter actiones vitales elicitæ ab intellectu creato, & voluntate, vt natura est; cùm sint actiones indeliberatæ: ergo gratia prœueniens, & excitans sunt formaliter actiones vitales. Et cap. 6 eiusdem sess atque in can. 3 & 4. gratiam excitantem, & præuenientem nunc appellat inspirationem Spiritus sancti, nunc tactum diuinum, per Spiritus sancti illuminationem: nunc diuinam vocationem, quæ omnia constat esse actiones vitales. Vnde Concil. Arausic. II. per hanc illuminationem, & inspirationem ait, Deum trahere homines ad se, & operari in nobis & velle, & perficere pro bona voluntate. Et Cælestinus Papa epistol. 1. ad Episcopos Galliæ, cap. 8. referens quandam epistolam Episcoporum Africæ, in qua laudabant, & ponderabant verba illa Zosimi Papæ: *Nos autem instinctu Dei, &c.* ait: *Quid tam libero feciſtis arbitrio, quam quòd vniuersa in nostræ humilitatis conscientiam retulistis? & tamen instinctu Dei factum esse, fraterne, sapienterque vidistis. Ideo vtique, quia præparatur voluntas à Domino: & vt boni aliquid agant, paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda fidelium.*

Confirmatur. Pia cogitatio, quæ antecedit primum actum fidei, pertinet ad gratiam præuenientem, cùm antecedat liberum consensum voluntatis, quo quis vult credere mysteriis fidei sibi propositis, & explicatis; item etiam motus indeliberati tam intellectus, quàm voluntatis ex impulsu, & inspiratione Spiritus sancti procedentes, pertinent ad gratiam præuenientem. Cùm ergo cognitio ipsa, & actus indeliberati sint formaliter actiones vitales, ab intellectu, & voluntate efficienter productæ, sine quibus, etiam de potentia absoluta à solo Deo effici non possunt, relinquitur, gratiam præuenientem, & excitantem esse formaliter actiones vitales.

Secundo arguitur auctoritate Augustini, qui de hac gratia præueniente sermonem faciens, semper eam appellat inspirationem, illuminationem, & vocationem Dei: vt videre licet lib. de spiritu, & litera cap. 33. & 34. Et lib. de prædestinatione Sanctorum, cap. 16. & 19. & epistol. 107. Et lib. 1. ad Simplicianũ, q. 2. Eodem modo loquitur Cyrillus Alexandrinus, lib. 4. in Ioan. cap. 7. Et Prosper 2. de vocatione gentium, cap. 26. vbi ait: *Gratia quidem Dei in omnibus iustificationibus principaliter præeminet; nudando exhortationibus, mouendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inspirando consiliũ, cõrque ipsum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo.*

Tertiò arguitur ratione. Hæc gratia excitans, & præueniens est aliquid inhærẽs animæ, quia per ea, quæ

II.

quæ ſunt extra animam,non excitatur anima, niſi media aliqua re, quæ ipſi animæ inhæreat. Vnde, licet cauſæ,vel obiecta extrinſecùs excitantia poſſint eſſe extra animam,tamen ipſa excitatio formalis neceſſariò debet animæ inhærere, quia neceſſe eſt,vt illam formaliter,imò & vitaliter attingat: ſed hæc excitatio inhærens animæ, non eſt habitus illius:nam,dum anima eſt tantùm in habitu,eſt quaſi dormiens,vt Ariſtoteles dixit:per hanc autem excitationem hoc in ea fit,vt actu vigilet, & attendat, ac ſi dicatur illi: *Exſurge,qui dormis,& exſurge a mortuis,& illuminabit te Chriſtus*: ergo hæc excitatio fit per motum animæ vitalem,quem propterea neceſſe eſt ab ipſa fieri,& non à ſolo Deo.

Ephes. 5.

Quartò probari poteſt hæc ſententia omnibus argumentis,quibus diſputatione 18.contendebamus probare,concurſum Dei generalem non eſſe influxum immediatum in cauſam ſecundam; neque aliquid prævium ad eius operationem; ſed eſſe influxum immediatum cum cauſa in eius effectum. Ex hoc enim principio non obſcurè colligitur, auxilium ſpeciale prævenientis,& excitantis gratiæ non eſſe aliquid prævium ad actus noſtros vitales, ſed ſupponere pro iiſdem actibus,vt procedunt à Deo, ſupernaturaliter influente, & eleuante ipſos actus vitales ad eſſe ſupernaturale, vt ſint,quales oportet ad ſalutem. Videnda etiam ſunt argumenta adducta diſp.57.ad probandum,quod ratione maioris conatus liberi arbitrij conſequatur homo auxilia prævenientis & excitantis gratiæ magis intenſa.

III. Hanc difficultatem obiter attigimus diſput.18.& 19.& diſp.57.n.4.& 9. & de illa iterum agendũ erit diſp.120.n.2. Sed nunc eſt preſsiùs examinanda, vt plenè intelligatur natura,ſiue eſſentia gratiæ prævenientis,& excitantis. Ad cuius explicationem notandum,gratiã in duplici ſenſu poſſe dici prævenientem,& excitantem. Vno modo,quia eſt primò præveniens,ante quam ſubinde nulla alia intelligitur gratia inhærens animæ. Alio modo dicitur prævenies,& excitans non quidem primò, ſed reſpectivè,quia licèt ſit præveniens, & excitans in ordine ad vnum actum:non tamen eſt purè præveniens,ſed ſubſequens ad aliam priorem gratiam,vel ad alium priorem actum,quem præſupponit: vt explicat ſan. Thom.1.2.quæſt.111.artic.3.cap. & ad 2. cuius verba diſput.70.num.9.retulimus.

IV. Gratia primò prævenies non eſt formaliter actus vitalis.

PRima ergo Concluſio ſit. Gratia purè prævenies,ſeu quæ primò prævenit nos,non eſt formaliter actus noſter vitalis,ſed cauſaliter. Hanc cõcluſionem docẽt cõmuniter Thomiſtæ; éſtque valde conformis doctrinæ Conciliorum, & probatur. Primò ex Concil.Araſic.II. can.10 vbi ſic dicitur: *Multa in homine bona fiunt,quæ non facit homo*; quod potiſſimè dixit Concilium propter gratiam prævenientem, qua homo primò a Deo mouetur: ergo gratia primò prævenies,& excitãs non eſt formaliter actus vitalis intellectus noſtri, aut voluntaris, etiã vt natura eſt,ſed aliquid ſupernaturale ad eiuſmodi actus prævium. Reſpondent,ea,quæ Concilio Araſicanum dicit fieri in homine,quæ homo non efficit,eſſe tu habitus ſupernaturales infuſos, quos ſolus Deus efficienter producit, tum etiam motus gratiæ prævenientis, qui,vt explicatum eſt,non ſunt ab homine cooperãte per intellectum, & voluntatem, quatenus rationem liberi arbitrij ſortiuntur: nam illa ſolùm cenſetur homo facere,quæ per liberum arbitrium,qua liberum arbitrium eſt,efficit. Erit enim ibi ſermo aduersùs Pelagianos de bonis, quæ ad vitam æternam ſpectant. Cùm enim illi contenderent,hominem per ſuum liberum arbitrium, abſque auxilio gratiæ poſſe,imò re ipſa efficere aliqua eiuſmodi bona,quibus auxilia gratiæ ſibi deinceps, conferenda promererẽtur,definiũt Cõc.Patres,Deũ quidẽ ſine homine cooperãte p ſuũ liberũ arbitriu, efficere in homine aliqua de numero eorum bonorum,hominem verò per ſuum liberum arbitrium, nullum eorum poſſe efficere;niſi Deus illi per ſuam gratiam præſtet,vt illud efficiat. Quare non negant Patres, vel intellectum, vel voluntatem quatenus natura eſt,cooperari ad motus gratiæ prævenientis. Sed contra hanc ſolutionem eſt efficax argumentũ: nam Concilũ non ſolum intendit Pelagianos damnare,quia dicebant,hominem per ſuum liberum arbitrium ex viribus naturæ mereri poſſe vitam æternam,vel auxilia gratiæ,quibus ad beatitudinẽ peruenirent.ſed etiam,quia ſentiebant,eadẽ auxilia pendere ex natura,vt ex iis, quæ in diſputatione prima & ſecunda diximus,conſtat: ergo Concilium, cum ait: *Multa in homine fiunt bona, quæ non facit homo*, intendit etiam innuere,primũ auxilium prævenientis gratiæ eſſe efficienter à ſolo Deo,nec pendere in ſuo eſſe à libero arbitrio vitaliter influente, & cauſante idem auxilium,etiam per influxum indeliberatum. Et confirmatur.Si primum auxilium prævenientis,& excitantis gratiæ eſt formaliter actus vitalis,ſequeretur,quod penderet efficienter & a Deo, & a nobis;& ita non dixiſſet Propheta: *Auxilium meum à Domino*,ſed dixiſſet,auxilium meum à Domino, & à me ipſo;ac per conſequens, initium primum noſtræ ſalutis non eſſet reducendum in ſolum Deum,ſed in Deum,& in naturam,quod tamen nullus Theologus concedet.

Cõfutatio.

Pſalm 120

Solutio.

V. Secundò probatur ex illis verbis Apoc. 3. *Ecce ego ſto ad oſtium,& pulſo, ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam,intrabo ad illum, & cœnabo cum illo,& ipſe mecum.* Quibus verbis ſignificatur, Deum ſe habere ad inſtar pulſantis ad oſtium, cùm peccatores prævenit ſua gratia,vocat, & excitat:ſed pulſatio ſolum procedit effectiuè à pulſante,& excitante,non autem ab eo,qui excitatur, vel ad cuius oſtium pulſatur: ergo gratia primò prævenies, & excitans non eſt formaliter actus vitalis,procedens effectiuè ab intellectu noſtro,aut voluntate, etiam vt natura eſt, ſed aliquid prævium ad eoſdem actus vitales. Reſpondent ad hoc argumentum, eſſe magnam differẽtiam inter oſtij,& cordis pulſationem: nam licet vtraque ea ex parte,qua pulſatio præciſe eſt,ſit ſolùm efficienter à pulſante;neque enim motus gratiæ prævenientis ea ex parte,qua ſunt ab intellectu,& voluntate,ſunt pulſationes,neq; per eas intellectus, aut voluntas ſeipſa pulſant, ſed ſolus Deus eſt,qui per eos intellectum pulſat,& voluntatem,nihilominus ad actionem pulſandi nullo modo concurrit efficiẽter oſtium,ſed ſolus is, qui pulſat,interuẽtu eiuſmodi actionis,efficit ſonum, qui, ſi ad aures perueniat exiſtentis intra domum, auditu percipitur; integrum tamen illi manet aperire, vel non aperire oſtium: ad rem verò,quæ eſt pulſatio cordis, neceſſe eſt, vt efficienter concurrat cor ipſum, vt & percipi valeat,& inde pro ſua libertate ad aperiendum cor Chriſto Domino, homo poſſit moueri. Sed ex hac ſolutione deſumitur efficax argumentum pro noſtra ſententia. Ipſa actio vitalis intellectus, & pia affectio elicita à volũtate per actũ indeliberatum, non eſt ſimpliciter prima gratia prævenies, ſed ante huiuſmodi actiones neceſſe eſt antecedat aliquod donum gratuitum,receptum in intellectu,& voluntate, quo Deus eleuet huiuſmodi potentias ad eliciendas actiones illas vitales:nam, cum ſint actiones ſupernaturales,& ad ſalutem non modicum conducant; produci non poſſunt à ſola natura: alias enim primum initium ſalutis eſſet ex natura,& non ex gratia,vt Pelagiani dixerunt: ergo neceſſariò dicendum eſt, primam gratiam prævenien

Reſpon.

Cordis, & oſtij pulſatio in quo differant

Cõfutatio

enim intellectus complectitur cognitionem creaturarum, diuinorum operum contemplationem, apprehenſionem credendorum, & cuiuſcunque alterius boni, quod proponitur voluntati, taquam conueniens ex parte voluntatis complectitur delectationem factæ lectionis, pia deſideria, & alios huiuſmodi affectus. Ex parte autem appetitus ſenſitiui complectitur ſenſibilem deuotionem, timorem, & alias huiuſmodi affectiones ſenſibiles, per quas Deus ſolet liberum arbitrium allicere, vt credat, diligat, & alias pias operationes eliciat. Comprehenduntur etiam miracula, & alia facta externa, quibus Deus miſericorditer inducit homines ad bonum. Vnde

S. Auguſt. in 1. ad Simplician. q. 2. Luc. 2. S. Auguſtinus, *Diuersis*, inquit, *alius alter, isdem rebus admonitoris vel ſignificatis, ad credendum mouetur; ſicut, exempli gratia, Simeon in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum adhuc infantem paruulum credidit Spiritu ei reuelante, cognoſcens. Nathanael ad vnam ſententiam, quam ab illo audiuit.* Priùs quam te Philippus vocaret, cùm eſſes ſub arbore fici, vidi te; *reſpondit.* Rabbi, tu es Filius Dei, tu es Rex Iſrael. *Quod tanto poſt, quia confeſſus eſt Petrus, meruit audire, quod beatus eſset, & quod ei darentur claues regni cœlorum. Miraculo facto in Cana Galilææ, quod initium ſignorum Ieſu Ioannes Euangeliſta commemorat, aqua in vinum conuerſa, crediderunt in eum diſcipuli eius. Multos loquendo inuitauit ad fidem multis nec, ſuſcitatis mortuis, credidérunt. De cruce, atque morte eius conterriti etiã diſcipuli turbarunt, & tamen latro tunc credidit, cùm eum non præſtantiorem videret in operibus, ſed conſortio Crucis æqualem. Vnus etiam de numero diſcipulorum poſt eius reſurrectionem, non tam viuentibus memoriis, quam recentibus cicatricibus credidit. Multi ex eorum numero, a quibus crucifixus eſt, qui videntes eum miracula facientem contempſerant diſcipulis eum prædicantibus, & in nomine eius talia facientibus, creauerunt.* Quibus verbis facta exteriora, & ſigna varia diſtinguit, quibus Deus, pro diuerſa hominũ qualitate, eos mouere ſolet ad bonũ, alios quidẽ ſic, alios autẽ ſic, prout in ſua gratuita prædeſtinatione diſpoſuit. Vnde & in li. de dono perſeuerantiæ, c. 14. explicans illud Matth. 11. *Quia ſi in Tyro, & Sidone facta fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in te*, inquit, *non erant ergo ſic excecati oculi, nec ſic induratum cor Tyriorum, & Sidoniorum, quorum cor ſi eis eſſent, ſi aquilæ viderunt, ſi ſigna vidiſſent. Sed nec illis profuit, quod poterant credere, quia prædeſtinati non erant ab eo, cuius inſcrutabilia ſunt iudicia, & inueſtiga biles viæ ejus: ejus effectus eſt, quod non poterant credere, ſi prædeſtinati eſſent, ut eos cæcos Deus illuminaret, & indurati cor lapideum vellet auferre.*

Matth. 16. Ioann. 2.

Ioan. 1.

Tertiò notandum. Ad gratiam excitantem non ſolùm pertinere illuſtrationes intellectus, quibus Deus homini oſtendit, quid credere, quid ſperare, quid diligere, quid amplecti debeat, quid reſpuere; ſed etiam pias affectiones voluntatis, quibus liberum arbitrium allicit, & inclinat, vt quod faciendum didicerit, opere adimpleat. Et ratio huius eſt; quia non ſolùm intellectus, dum non cognoſcit, aut non conſiderat ea, quæ cognoſcere, vel conſiderare tenebatur; ſed etiam voluntas, dum torpens eſt, & quaſi ſtupens, ſe habet ad modum dormientis. De intellectu namq. ſcriptum eſt: *Et eris, ſicut dormiens in medio mari, & quaſi ſopitus gubernator, & amiſſo clauo: & dices: Verberauerunt me, & non dolui; traxerunt me, & ego non ſenſi.* Propter voluntatis autem, quem patiebatur, ſomnum, clamat Propheta: *Dormitauit anima mea præ tædio: confirma me in verbis tuis.* Et Prou. 6. *Vſquequo piger dormies? quando conſurges de ſomno tuo? paulùm dormies, paulùm dormitabis, paulùm ſeres manus tuas vt dormias, & veniet tibi quaſi viator, egeſtas & paupertas, quaſi vir armatus.* Vnde ſanctus Auguſtinus explicans ſtatum peccatoris, qui graui ſomno oppreſſus, excitantem Dominum non audit: *Ego autem, inquit, adhuc terra obligatus, minime tibi recuſabam, & impedimentis omnibus ſic tuebar, ne expedirí, quemadmodum impedior non modò ſpinis ſæcularibus ſæcus, velut ſomno aſſolet, dulcíter premebar, & cogitationes, quibus meditabar in te, ſimiles erant conatibus expergiſci volentium: qui tamen ſuperati ſopore altitudine remerguntur. Et ſicut nemo eſt, qui dormire ſemper velit, omnimque ſano iudicio vigilare præſtat, diſſerí tamen plerunque homo ſomnum e cubito cum grauis torpor in membris eſt cúmque iam diſplicentem expiſcibentius, quamuis ſurgendi tempus adueneriit, ita eorum habebam, eſſe melius tua charitate me cedere, quam mea cupiditate cedere, ſed illud placebat, & hoc libebat, & vincebat. Non enim erat, quid tibi reſpondere diceres mihi: Surge, qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Chriſtus. Tunc quippe ſalubriter vera te dicere non erat omnino quid reſpondere veritate conuictus niſi tantum verba cenſa: modo, ecce modo ſine paululum, ſed mora non habebant modum, & ſine paululum in longum ibat.* Cum ergo tam intellectus hominis, quàm voluntas, dum nihil operantur, quaſi dormire videantur, neceſſe eſt, vt vtraque potentia gratia excitetur diuina ad operationes ſupernaturales exequendas.

A

B

C

D

E

Prou. 6.

Pſal. 118.

S. Aug. li. 2. confeſſio. cap. 5.

III. Gratiæ excitantis effectus.

His ſuppoſitis, facile erit explicare, quem effectum habeat in homine gratia excitans, inquantum eſt formaliter excitans. Dicendum eſt enim, Deum per gratiam excitantem efficere, vt homo euigilet, & attendat ad illa, quæ ad amplectendum bonum, & reſpiendum malum conducere poſſunt. Vt, verbi gratia, cum per peccatum eſt à Deo auerſus, gratia excitante, intellectum eius Deus illuſtrat, vt videat, quam malum, & amarum eſt reliquiſſe Dominum, in quanto periculo animæ, & corporis ſit conſtitutus, qui funibus peccatorum ſuorum conſtringitur, quot damna peccatum mortale inferat peccatori, & ſimilia. Sic *aperuit Dominus cor* mulieris purpurariæ Thyatirenorum, *vt intenderet ea, quæ à Paulo dicebantur.* Per eandem etiam gratiam excitantem cauſat Deus quoſdam actus ſupernaturales, licet imperfectos, quibus remotè diſponit hominem ad iuſtificationis gratiam conſequendam, vel, ſi iam eſt iuſtificatus per eoſdem actus imperfectos, liberum eius arbitrium inclinat, vt Deo excitanti, & vocanti conſentiat, & cooperetur. Huius generis ſunt ſubitanei motus, quibus timet pœnas inferni, vel ſperat beatitudinem æternam, pia deſideria, & aliæ huiuſmodi affectiones cordis, quę liberum conſenſum antecedunt.

Act. 16.

Ex his ſequitur quod licet actus deliberati fidei, & ſpei, quatenus alliciunt hominem ad actum charitatis, vel ad alias pias operationes, comprehendantur nomine gratiæ excitantis, tamen ſecundum ſe & abſolutè conſiderati, effectus ſunt gratiæ adiuuantis. Et ratio eſt: nam per huiuſmodi actus non vocamur à Deo, nec excitamur, vt credamus, vel ſperemus, ſed potiùs non illi vocanti, & excitanti reſpondemus, conſentiendo, & cooperando eoſdem actus ergo, ſimpliciter loquendo, ſunt effectus gratiæ adiuuantis. Iam enim diximus ſuprà, eundem actum ſecundum diuerſas conſiderationes pertinere poſſe ad gratiam præuenientem, & ſubſequẽtem, ad gratiam excitantem, & adiuuantem.

IV. Obiectio. Actus tam ex parte pertinent quàm actus deliberati. Solutio.

Et, ſi fiat argumentum: nam ſi per actus liberos, & deliberatos nos reſpondemus Deo vocanti ergo nullus actus deliberatus pertinet ad gratiam excitantem, etiam comparatione aliorum actuum ſubſequentium: gratia enim, inquantùm eſt excitans, non procedit à libero arbitrio, ſed à ſolo Deo: nam ſolus Deus eſt, qui excitat, & vocat: liberum autem arbitrium non excitat, nec vocat ſe ipſum. Reſpondetur,

detur, quòd, ſicut vltima diſpoſitio ad gratiam, inquantum eſt diſpoſitio,non tribuitur homini, quauis ab eo eliciatur per liberum arbitrium , ſed ſolùm Deo infundenti gratiam, eo quòd diſpoſitio, inquantum diſpoſitio , tribuitur agenti , inducenti formam;ita etiam actus deliberati fidei,& ſpei , inquantum excitant hominem,& illũ alliciunt ad obſeruantiam mandatorũ,non tribuuntur homini, qui excitatur,ſed Deo vocanti,& excitãti. Vnde ſub hac ratione non comprehenduntur nomine gratiæ adjuuantis,ſed ad gratiam excitãtem reuocantur.

DISPVTATIO LXXVI.

Vtrùm gratia excitans ſit idem,quod gratia ſufficiens.

1. PRo parte negatiua eſt primum argumentum. Gratia ſufficiens verè tribuit libero arbitrio vires ſufficientes,quibus poſſit ad Deum conuerti , & piè operari : hac enim ratione dcitur ſufficiens. quia tribuit poſſe operari; ſed gratia excitans non tribuit libero arbitrio vires ſufficientes,quibus poſſit ad Deum conuerti , & piè operari : ergo gratia excitans non eſt idem , quod gratia ſufficiens. Minor probatur : nam , qui excitat hominem infirmum , vel claudum à ſomno , per talem excitationem non tribuit illi vires naturales ad currendum,vel exercendum opera hominis ſani , eò quòd per talem excitationem nullo modo ipſum ſanat ſed ſolùm efficit,vt euigilet,& ad pericula , quæ ſibi imminent , attendat:ergo eadem ratione , cùm Deus excitat ſtupentem hominem, non tribuit illi per gratiam excitantem vires ſufficientes , quibus poſſit ſe in Deum conuertere , & opera arbitrij ſani, præſertim ſupernaturalia , exercere : nam etiam gratia excitans nullo modo ſanat arbitrium;ſed ſolum efficit,vt euigilet , & attendat ad ea,quæ ſibi conueniunt.

Secundò : nam , cùm voluntas fuerit magis læſa per peccatum,quàm intellectus , vt dictum eſt ſupra,magis indiget,vt roboretur , & confortetur per gratiam ad exercendum opera virtutum , ea præſertim,quæ finem eius naturalem excedunt,ſed per gratiam excitantem non roboratur voluntas , neque eleuatur ad virtutum opera exercenda , ea præſertim,quæ finem naturalem excedunt : nam gratia excitans eſt in intellectu,ac ſubinde nihil reale intrinſecum ponit in voluntate,quo eleuetur ad prædicta virtutum opera exercenda : ergo idem , quod priùs. Si dicatur , gratiam excitantem ponere in voluntate quaſdam repentinas affectiones,ſeu motus primò primos,& pia deſideria imperfecta,quæ ſunt aliquid inhærens eidem voluntati,ac ſubinde,per huiuſmodi motus , procedentes ex impulſu Spiritus ſancti, eleuari,& confortari voluntatem,vt reuerà poſſit,ſi velit,elicete actus ſupernaturales fidei,ſpei,& charitatis;contra hoc eſt

Tertium argumentum. Actus indeliberati , quantumuis ſupernaturales , non poſſunt eſſe formalia principia actuum deliberatorum fidei,ſpei,& charitis nam vnus actus alicuius potentiæ non eſt principium formale effectiuum alterius , ſed potiùs terminus principij formalis. Cùm ergo motus indeliberati efficienter producantur ab intellectu,& voluntate;relinquitur, eos non eſſe formalia principia actiua,etiam ſufficientia,comparatione actus ſupernaturalis deliberati ; ſed potiùs terminũ productum à principio formali ſupernaturali , ſcilicet à prima gratia præueniente.

Confirmatur. Actus deliberati ſupernaturales ſunt perfectiores actibus indeliberatis ergo actus inpeliberati eſſe non poſſunt formale principium effectiuum actus ſupernaturalis deliberati. Probatur conſequentia nam effectus eſſe non poteſt nobilior, ſeu perfectior ſua cauſa efficiente;cùm omnis perfectio cuiuſcunque effectus debeat in ſua cauſa efficiente præexiſtere;quia vnumquodque operatur,inquantum eſt actu.

Quartò,Ad conuerſionem inDeum,vltra gratiam excitantem,neceſſaria eſt gratia adiuuans,vt ex Tridentino conſtat : ergo gratia excitans non eſt ſufficiens ad conuerſionem:illud enim dicitur ſufficiens ad aliquem effectũ ,vltra quod non requiritur aliud ad eundem effectum producendum. Sess.6.ca.5.

II.

Pro parte autem affirmatiua eſt argumentum: nã Concilium Tridentinum ſufficienter diuiſit præuenientem gratiam in excitantem,& adiuuantem:ergo gratia ſufficiens,cùm verè ſit gratia præueniens, debet ad aliquod membrum ex his duobus reuocari. Sed non reuocatur ad gratiam adiuuantem:nam gratia adiuuans ſemper eſt efficax,qui enim adiuuatur, aliquid agit , vt Auguſtinus dicit : ergo gratia ſufficiens reuocari debet ad gratiam excitantem,alias illa diuiſio eſſet inſufficiens , ſiquidem membra diuidentia non exhaurirent totam confuſionem diuiſi: ſequitur ergo,gratiam excitantem eandem eſſe cum gratia ſufficiente. Conc. Trid. Sess.6.de iuſtif.c.5. Auguſt.

Pro reſolùtione huius difficultatis ſupponendũ eſt,gratiam excitantem aliam eſſe externam , aliam internã,&hæc poteſt eſſe ſolùm ex parte intellectus, & illa poteſt eſſe ex parte intellectus , & voluntatis. Et quia de iis membris diuidentibus excitantem gratiam iam egimus diſp.70.& ſeqq.non oportet exemplis vnumquodque ampliùs explicari.

III.

SIt ergo prima Cõcluſio. Gratia excitãs exterior non eſt eadẽcum gratia ſufficiente , ſimpliciter loquendo. In haconcluſione omnes Catholici conueniunt. Probatur. Gratia ſufficiens tribuit libero arbitrio vires ſufficientes : quibus reuerà poſſit ad Deum conuerti, aut piè operari : ſed gratia excitans exterior , non tribuit ſufficientes vires libero arbitrio,quibus poſſit ad Deum conuerti,aut piè operari:ergo.Minor probatur:nã gratia excitans exterior, ſi purè externa ſit , nihil reale intrinſecum ponit in lib. arbit. ergo non tribuit illi vires ſufficientes ad piè operandum.Etenim vt diſputation.67.oſtenſum eſt , liberum arbitrium eleuari non poteſt ad opera, quæ naturales eius vires excedunt , præſertim ſi ſupernaturalia ſint , niſi per aliquid ſupernaturale eidem arbitrio inhærens eleuetur ad illa opera exercenda. Confirmatur:quia , vt diſputatione prima dictum eſt , Pelagius in ſecundo ſtatu ſui erroris aſſeruit , ſolam prædicationem, & excitationem externam,per quam Deus docet,quid faciendum,quidve ſit fugiendum , abſque interiori gratia ſufficere, vt homo per liberum arbitrium omnia poſſit adimplere mandata , & vitam æternam conſequi : ergo ſententia,quæ aſſerit,ſolam gratiam excitantem exterioré eſſe gratiam ſufficientẽ, non debet admitti. Gratia excitans exterior non eſt eadem cum gratia ſufficiente.

Dixi in concluſione,*ſimpliciter loquendo* : nam,ſecundum quid,non eſt inconueniens concedere,gratiam excitantem exteriùs eſſe ſufficientem ad ſalutem,in ſuo genere , videlicet in ratione prædicationis,vel alterius ſuationis,& excitationis externæ Et ratio huius eſt,nam excitatio exterior talis eſſe poteſt , vt ex parte illius , nihil ampliùs requiratur ad credendum , vel piè operandum, ac vitam æternam conſequendam : ergo talis excitatio exterior dicì terit ſufficiens in ſuo genere,& ſecundùm quid.

IV.

Secunda Concluſio. Etiam gratia excitans,qua illuſtratur,vel mouetur ſolus intellectus,non eſt idẽ, quod gratia ſufficiens , ſimpliciter loquendo : ſed ſolùm

solùm secundum quid, vt in præcedenti conclusione dictum est. Probatur hæc conclusio ex dictis: quia non solùm intellectus, sed etiam voluntas indiget motione diuina, & præueniente gratia, qua potens reddatur ad opera pietatis exercenda; eò quòd voluntas magis corrupta est per peccatum, quam intellectus, vt supra dictum est: ergo sola gratia excitans in intellectu recepta, non est gratia sufficiens ad salutem, vel ad pietatis opera exequenda.

Secundò probatur. Ad salutem non solùm est necessarium, vt intellectus cognoscat, quid faciendum sit, quidve fugiendum, sed etiam oportet, quòd voluntas velit bonum amplecti, & malum fugere, ac Deũ super omnia diligere sed per gratiam excitantem in solo intellectu receptam, non potest voluntas aliquid velle, quod sit ad salutem conducens, nec Deum super omnia diligere; quia gratia existens in intellectu, extrinseca est voluntati; ac per consequens non tribuit illi sufficiens principium, quo possit pietatis opera exercere: ergo sola gratia excitans in intellectu recepta, non est gratia sufficiens ad salutem.

Confirmatur. Sola virtus existens in vna potentia non tribuit alteri potentiæ sufficiens principium ad operandum; eò quòd virtus operatiua superaddita potentiæ, concurrit cùm illa ad operandum, vt principium, quo, ipsius operationis: ergo gratia excitans, quæ recipitur in solo intellectu, non est se sola sufficiens, vt voluntas per eam possit exercere opera, quæ vires naturales illius excedunt.

Tertiò probatur à simili: nam si homo claudus, vel infirmus in aliquo magno periculo constitutus dormiat, & excitetur ab alio, vt sibi imminentia pericula videat, & fugiat, per talem excitationem non tribuit illi principium sufficiens, quo possit currere, & in loco tuto se ipsum constituere; eò quòd adhuc excitatus claudus manet, vel infirmus: nam excitatio illa nullo modo illum sanat, aut tribuit vires ad currendum: ergo similiter, cum peccator dormit, per hoc solùm, quòd excitetur à Deo eius intellectus, vt attendat, & videat, quàm malum, & amarum est reliquisse Dominum, & quàm multis periculis sit expositus, per hanc excitationem tantùm, non tribuitur illi sufficiens principium, quo à diabolo fugere, & ad Deum currere valeat, ac per consequens, gratia excitans in solo intellectu recepta, præscindendo omnem motionem supernaturalem voluntatis, non erit, simpliciter, & absolutè loquendo, gratia sufficiens ad salutem.

V.

Gratia excitans, quæ identificatur cũ gratia sufficiẽte qualis esse debeat.

Tertia Conclusio. Gratia excitans, vt complectitur non solùm illuminationem externam, & internam intellectus, sed etiam motionem supernaturalem receptam in voluntate; idem est realiter, quod gratia sufficiens: ita vt omnis gratia prædicto modo excitans sit gratia sufficiens, comparatione effectus, ad quem excitat, vt si excitet ad credendum, erit gratia sufficiens comparatione actus fidei; & si excitet ad diligendum Deum super omnia, erit gratia sufficiens respectu actus dilectionis Dei: & idem dicendum proportionabiliter de aliis piis operationibus. Hanc conclusionem probat efficaciter argumentum factum in contrarium. Præterea probatur. Qui prædicto modo excitatur à Deo ad credendum tempore, quo currit præceptum fidei, peccat, si non credat: ergo talis excitatio erat sufficiens ad credendum. Probatur consequentia, quia, si ille non haberet sufficiens auxilium ad credendum, non peccaret contra fidem, non credendo sed esset duntaxat infidelis negatiuè, vt suprà dictum est: ergo huiusmodi gratia excitans ad credendum, est gratia sufficiens, qua reuerà potest homo credere, si velit. Ad argumenta facta à principio respondetur, quod solùm probant primam conclusionem: quatenus verò procedunt contra tertiam, singulis est occurrendum.

VI.

AD primum respondetur, gratiam excitantem, quæ non solùm recipitur in intellectu, sed etiam in voluntate, tribuere homini vires sufficientes, quibus ad Deum conuerti possit, vel pie operari, si velit. Licèt enim huiusmodi gratia excitans non sanet formaliter hominem, nec illum liberet à peccato, initiatiue tamen, & dispositiuè illum sanat; cùm sit initium quoddam, & dispositio remota iustificantis gratiæ & sanantis, seu initium eiusdem dispositionis nam hæc gratia excitans ad pœnitentiam perfectam, semper habet coniunctos, ex parte intellectus, & voluntatis, aliquos actus supernaturales, vt est timor inferni, attritio propter turpitudinem peccati, vel propter pœnas inferni, vel alios huiusmodi actus, qui ad perfectam conuersionem non pertingunt. Vnde, sicut gratia sufficiens est quidem sufficiens, comparatione conuersionis perfectæ; licèt semper sit efficax respectu alicuius effectus, vt disp. 80. manifestum fuit; ita gratia excitans, de qua in tertia nostra conc. loquebamur, est sufficiens comparatione eiusdem conuersionis perfectæ; sed respectu actuum imperfectorum supernaturalium, quos in intellectu, & voluntate producit, est efficax, siue illi actus deliberati sint, siue indeliberati.

Ad secundum respondetur, quòd voluntas est magis læsa per peccatum, quàm intellectus, vt 1.2. q. 109. art. 2. ad 3 docet S. Thom. Vnde, vt conuertatur, magis indiget gratia sibi inhærente, quàm intellectus. Vnde gratia excitans, quæ simpliciter est ad conuersionem sufficiens, includit motionem supernaturalem, non solùm in intellectu receptam, sed etiam in ipsa voluntate, vt dictum est.

Ad tertium respondetur, quòd, vt disp. 74. dicebamus, gratia primò excitãs nõ consistit formaliter, & essentialiter in illis actibus indeliberatis: nam huiusmodi actus non ex necessitate antecedunt perfectam conuersionem: gratia autem excitans semper antecedit, saltem ordine naturæ cõuersionem perfectam; vt patebit disp. 88. sed consistit in quadam motione diuina à solo Deo in nobis producta, per quam efficaciter quidem efficit, vt intellectus noster, & voluntas producat aliquem supernaturalem actum imperfectum, & sufficienter nos mouet ad actus perfectos charitatis, vel pœnitentiæ, vel alios huiusmodi actus supernaturales. Sed est notandum quòd aliquis actus supernaturalis potest dici imperfectus respectu vnius, & perfectus respectu alterius; sicut actus fidei informis est imperfectus, comparatione fidei formatæ, sed comparatione aliorum actuum, qui fidem etiam informem regulariter antecedunt, sicut est, accedere ad Ecclesiam animo audiendi verbum Dei: attentas aures præbere his, quæ à prædicatoribus dicuntur, expendere ea, quæ credenda sunt, &c. censendus est actus perfectus, & idem proportionabiliter de aliis actibus sentiendum est.

Ad quartum respondetur. Gratiam excitantem non esse omnibus modis sufficientem ad perfectam conuersionem, sed in genere gratiæ, quæ tribuit homini posse piè operari, si velit, sicut disputatione 23. numero 31. de gratia sufficiente dictum est, & disputat. 79. num. 2. dicetur latiùs.

***

Digitized by Google

DISPVTATIO LXXVII.

Vtrùm Gratia excitans, quæ secundùm communem modum hominibus confertur, dependeat à Ministris Ecclesiæ.

I. Nonnulli Theologi defendunt partem affirmatiuam: dicunt enim, internam Dei vocationem ad fidem; licet donum Dei sit, multùm tamen à ministris, & conatu Ecclesiæ pendere. Addunt tamen, illam dependentiam à conatu Ecclesiæ solum esse, tanquam a conditione, sine qua non illuminaremur, & vocaremur a Deo, secundum communem cursum diuinæ prouidentiæ. Probant suam sententiam

Act. 16. Primò, ex visione illa Troade ostensa Paulo: *Vir Macedo quidam erat stans, & deprecans eum, dicens: Transiens in Macedoniam, adiuua nos.* Quibus verbis significauit, ex prædicatione, & industria Pauli, vocationem eorum ad fidem, & salutem dependere. Item etiam Lucæ 7. cùm septuaginta duos discipulos Christus mitteret binos ante faciem suam, dixit: *Messis quidè multa, operarij autem pauci: rogate ergo dominum messis, vt mittat operarios in messem suam*; clare indicans, hdem, & salutem hominum quam per messem significauit, ex operariis Ecclesiæ multum pendere.

Secundò: nam Deus non consueuit vocare ad fidem, immittendo singulis per se ipsum species intelligibiles, vel notitias eorum, quæ ad fidem spectant; sed facta prædicatione externa. Dicit enim

Rom. 10. Apostolus: *Quomodo credent ei, quem non audierunt; quomodo autem audient sine prædicante? quomodo vero prædicabunt nisi mittantur? ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi*: ergo gratia præueniens, seu vocatio interior ad fidem, pendet à ministris Ecclesiæ, & eorum conatu, saltem vt à conditione, sine qua homines ad fidem regulariter non vocarentur.

Confirmatur. Vocatio interior ad fidem pendet ex speciebus intelligibilibus, & notitiis eorum, quæ credenda sunt, sed huiusmodi species, & notitiæ secundùm communem cursum, pendent ex ministris, & conatu Ecclesiæ: nam propter corruptionem, debilitatem, & miseriam naturæ humanæ post peccatum, regulariter loquendo, nullus facit totum, quod in se est, ex solis viribus naturæ, Deum cognoscendo, colendo, eique obtemperando, vt supra communem cursum, aut præter leges ordinarias, supernaturaliter ab eo immediate illuminetur: ergo, de primo ad vltimum, gratia præueniens, seu vocatio interior ad fidem pendet à conatu, & ministris Ecclesiæ.

II. Tertiò, nullum præiudicium præuenienti gratiæ Dei infertur, nec in aliquo minuitur ratio gratuitæ vocationis internæ per hoc, quòd asseratur, eam pendere à ministris, & conatu Ecclesiæ, vt a conditione, sine qua non: ergo reuerà pendet ab illis. Antecedens probatur, quia semper Deus gratis omnino vocat ad se homines, siue ipsa vocatio interna dependeat à ministris Ecclesiæ, siue non, eò quòd conatus ministrorum non sunt merita interioris gratiæ vocantis, quæ confertur à Deo, sed solùm conditio, sine qua regulariter homines non vocarentur à Deo.

Confirmatur. Quia non infertur præiudiciù gratiæ vocanti per hoc, quòd asseratur, eam multùm pendere à conatu, & industria eius, qui vocatur: siquidem reuerà dependet à speciebus intelligibilibus, & notitiis, propria industria, vel alterius ministerio acquisitis, eò quòd Deus non semper infundit nouas A species, vel notitias credendorum eis, quos ad fidem vocat, sed supponit eas aliunde acquisitas: ergo multò minus infertur præiudicium gratiæ excitanti, & vocanti per hoc, quod alteratur, eam pendere a conatu, & industria ministrorum Ecclesiæ.

III. Pro resolutione huius difficultatis notandum, quòd dupliciter potest intelligi, præuenientem gratiam, seu vocationem internam pendere à Ministris, & conatu Ecclesiæ. Primo modo ita, vt ipsi conatus Ministrorum Ecclesiæ, vt externa prædicatio, miraculorum operatio, & similia, quibus infideles ad fidem, & fideles ad opera pietatis suaderi solent, nomine gratiæ præuenientis, vel excitantis comprehendantur: nam, vt dictum est suprà, non solùm interiùs, sed etiam exterius Deus mouet, & excitat infideles ad fidem, & fideles peccatores ad pœnitentiam. Secundo modo, potest vocatio Dei interior pendere à Ministris, & conatu Ecclesiæ, vt à conditione, sine qua non, ita vt ipse conatus, & industria Ministrorum Ecclesiæ non comprehendantur nomine præuenientis gratiæ, sed ad illam, vt conditio, sine qua non, ex parte naturæ supponantur. Et in hoc secundo sensu videntur suam sententiam auctores superiùs allegati intelligere: nam eodem modo loquuntur de conatu, & industria Ministrorum Ecclesiæ, quo de conatu, & industria eius, qui à Deo vocatur. Constat autem ex his, quæ superiùs notata sunt, & dicentur infrà, in eorum sententia, conatus eius, qui C vocatur, antecedentes internam gratiam excitantem, non comprehendi nomine gratiæ præuenientis, & excitantis, sed ad illam supponi ex ipsa natura, tanquam conditionem, sine qua regulariter homines interiùs non vocarentur, nec excitarentur à Deo. Vnde, & consequenter affirmant, facienti totum, quod in se est, ex solis viribus naturæ, Deum conferre gratiam præuenientem, qua id, vt ad salutem oportet, exequatur, vt disp. 76. visum est.

Grata excitans qualiter depédeat à Ministris Ecclesiæ.

PRima ergo Conclusio sit: Si nomine gratiæ præuenientis, & excitantis comprehendantur conatus Ecclesiæ, & Ministrorum eius, quibus Deus ad fidem homines vocare solet, concedi potest, & debet, internam vocationem, seu gratiam excitantem, regulariter loquendo, pendere à Ministris, & conatu Ecclesiæ, vt a conditione, sine qua Deus regulariter D nó eos interiùs vocaret. Hæc cóclusio nobis certa videtur, nec putamus negari, aut impugnari à Catholicis Doctoribus. Ea probant, si quid probant, argumenta facta à principio.

Præterea probatur; Quoniam sæpe Deus statuit, medio conatu, & industria Ecclesiæ, interiùs vocare homines infideles ad fidem, peccatores ad pœnitentiam, & non aliter: id, quod ex locis Scripturæ suprà inductis non obscure colligitur: ergo interior hominis vocatio, secundùm communem ordinem diuinæ prouidentiæ, pendet aliquo modo ex industria, & conatu Ecclesiæ. Confirmatur: nam, vt 1. 2. q. 112. ar. 2. ad 2. docet S. Thom. iustificatio, regulariter loE quendo, pendet ex dispositionibus, tempore antecedentibus infusionem gratiæ, eò quòd secundùm cómunem cursum Deus non iustificat peccatorem, absque prædictis dispositionibus, quamuis aliquando absque illis, in vnico instanti, in progressu peccati existentem ad se perfectè conuertat, sicut conuertit Paulum: ergo etiam vocatio interna hominis pendet ex conatu, & industria Ecclesiæ, seu Ministrorum eius. Probatur consequentia: nam regulariter loquendo, Deus non vocat interiùs homines ad fidem, vel peccatores ad pœnitentiam, nisi medio conatu, & industria Ecclesiæ, & Ministrorum eius.

Secunda Conclusio. Hæc dependentia vocationis hominis internæ à conatu, & industria Ecclesiæ, & Ministrorum eius, non est solum dependentia,

vt à

vt à conditione, ſine qua non, cócomitanter, vel per accidens ſe habente, ſed vt à cauſa exteriùs proponente, & ſuadente quæ moraliter mouet, exterius inuitando, & alliciendo voluntatem, vt proſequatur bonum propoſitum. Ad cuius euidentiam conſiderandum eſt, quòd, vt colligitur ex ſancto Thoma quarto ſententiarum diſtinct. 1. quæſt. 1. art. 4. quæſtiunc. 1. capit. & 5. Metaphyſicæ, lectio. ſexta, in principio, Cauſa, ſine qua non, eſt in duplici differentia. Alia eſt, quæ *nihil omnino facit, ad inducendum effectum, vel diſponendo, vel meliorando, quantùm ad rationem cauſandi*, & hæc nihil habet, comparatione effectus *ſupra cauſas per accidens, ſicut album eſt cauſa domus, ſi ædificator ſit albus.* Secundo modo dicitur conditio ſine qua non, id, *quod, licèt non ſit principalis cauſa rei, eſt concauſa, & cooperatur aliquo modo ad productionem effectus, ſicut reſpirare* eſt cauſa, ſine qua non, vitæ animalis reſpirantis, *quia ſine reſpiratione viuere non poteſt: ipſa enim reſpiratio, etſi non ſit cauſa vita, eſt tamen concauſa, inquantùm cooperatur ad contemperamentum caloris, ſine quo non eſt vita: & ſimiliter eſt de cibo, ſine quo animal viuere non poteſt, inquantum cooperatur ad reſtaurationem deperditi, & impedit totalem conſumptionem humidi radicalis, quod eſt cauſa vitæ.* Hoc ergo ſecundo modo poteſt conatus, & induſtria Miniſtrorum Eccleſiæ dici cauſa, ſine qua, regulariter loquendo, homines non vocarentur interiùs à Deo: non autem primo modo. Probatur: nam cauſa, ſine qua non, in prima acceptione ſumpta eſt cauſa per accidens, & nihil omnino cooperatur ad effectum principalis agentis, ac per conſequens, non cadit ſub conſideratione ſcientiæ: quod enim eſt per accidens, omittitur ab arte: ſed conatus, & induſtria Miniſtrorum Eccleſiæ aliquid cooperatur ad vocationem internam, diſponendo ſubiectum, aut ſuadendo, vel remouendo impedimenta: ergo non eſt cauſa, ſine qua non, in prima acceptione, ſed in ſecunda. Minor probatur: nam vnus Miniſtrorum Eccleſiæ, imo & Eccleſiæ poſt Chriſtum fundator: 2. Cor. 6. *Adiuuantes*, inquit, *exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Vbi illud verbum, *adiuuantes*, ſignificat, Miniſtros Eccleſiæ ſua prædicatione, & induſtria, ad finem intentum, quodammodo Deum adiuuare, non quidem vires illi miniſtrando ad aliquid agendum, ſed mandata eius exequendo, & in hoc ſenſu explicat S. Thom. illud 1. ad Corint. 3. *Dei adiutores ſumus.* Confirmatur ex illo Pſalm. *Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa.* & iterum ait: *Dabit voci ſuæ vocem virtutis*: vbi non obſcure ſignificatur, Deum tribuere quandam virtutem prædicatorum verbis, vt cor auditorum emolliant, & ad bonum exequendum inclinent; cui conſonat illud Apoſtoli: *Non erubeſco Euangelium: virtus enim Dei eſt in ſalutē omni credenti.* Vnde Chryſoſtomus: *Humana corpora*, inquit, *curantibus diuerſa ſuppetunt medicamenta, itémque & inſtrumentorum apparatus varij, & cibi agrotantibus congrui, plerumque autem & ſola aëris natura ſatis fuerit ad ſanitatem laboranti reſtituendam: aliàs enim ſomnus, qui opportunè obrepſerit, medicum ipſum, labore omni leuat, liberátque. At verò hîc nihil huiuſmodi comminiſci licet, ſed vna quædam, poſt operum præſtationem, ars, ac curationis vitæ tenenda, ſequendáque eſt, nempe per ſermonem Euangelicum doctrina: ſiquidem hoc demùm inſtrumentum eſt, hoc cibus, hoc aëris temperamentum optimum, hoc medicamenti inſtar, hoc ignis loco, hoc ferri vicem ſi vel vrere, vel ſecare opus, hoc ipſo vti neceſſe, atque hoc, ſi nihil profuerit, reliqua omnia euanida pereant, oportet. Hoc & iacentem animam ſuſcitamus, & tumeſcentem, cateráque omnia conficimus, quæ ad animi conferunt incolumitatem. At ſanè, vt vitam quam optimè conſtituas, alterius hominis vita te, ad idem exemplum, emulationémque parem pertrahere poſſit. At cùm humanus animus decretorum minimè verorum, ſententiarúmque à fide abhorrentium morbis laborauerit, hîc demùm Euangelici ſermonis vſus magnopere neceſſarius, non ſolùm, vt qui tibi domeſtici ſunt, robores, atque cõfirmes; verùm etiam, vt cum externis bellum geras, ac manus cõſeras.* & alia quæ proſequitur in hunc modum. Hinc ſanctus Auguſtinus ad attentè, & reuerenter audiendum verbum Dei filios ſuos exhortans ait: *Interrogo vos, fratres, vel ſorores. Quid vobis plus eſſe videtur, verbum Dei, an corpus Chriſti? Si verum vultis reſpondere, hoc vtique dicere debetis, quòd non ſit minus verbum Dei, quàm corpus Chriſti. Et ideo quanta ſollicitudine obſeruamus, quando nobis corpus Chriſti miniſtratur, vt nihil ex ipſo de noſtris manibus in terram cadat, tanta ſollicitudine obſeruemus, ne verbum Dei, quod nobis erogatur, dū aliquid aut cogitamus, aut loquimur, de corde noſtro pereat. Quia non minùs reus erit, qui verbum Dei negligenter audierit, quàm ille, qui corpus Chriſti in terram cadere negligentia ſua permiſerit.* Ergo prædicatores verbi Dei comparatione vocationis internæ, non ſunt cauſa, ſine qua non, in prima acceptione, qua conditio, ſine qua non per accidens ſe habet, & nihil conducit ad productionem effectus.

S. Tho. 6. metaph. lect. 9.

S. Aug homil 26. & refertur 1. q. 1. ca. Interrog.

Tertia Concluſio. Conatus, & induſtria Eccleſiæ ac Miniſtrorum eius per quos infideles inducuntur ad fidē, & fideles ad pietatis opera exequēda, cōprehenduntur nomine gratiæ præuenientis. Itaque gratiæ Dei, & ſingularis cuiuſdam prouidentiæ eius donum eſt, quòd quis habeat prædicatores, & ſuaſores ad bonum. Hæc concluſio eſt expreſſa S. Aug. ſententia lib. 1. de peccatorum merit. & remiſ. cap. 22. cuius verba iam adduximus & expendimus diſp. 56. numero 13. idem docet ſuper Pſal. 134. in expoſitione myſtica, vbi explicans illud: *Suſcitans nubes ab extremo terræ, fulgura in pluuiam fecit. Quas nubes?* inquit, *prædicatores verbi veritatis ſuæ: de quibus nubibus, alio loco iraſcens vineæ ſuæ, dicit*: Mandabo nubibus meis ne pluant ſuper illam imbrem, &c. *De ipſis autem nubibus quid oſtendatur? fulgura in pluuiam fecit, minas ad miſericordiam flexit, de terroribus irrigauit. Quando tibi minatur Deus per Prophetam, & per Apoſtolum, & times; nónne coruſcatio terruit te? ſed, cùm pœnitendo corrigeris, & agnoſcis hoc miſericordia fieri, in pluuiam vertitur fulguris terror.* Idem dicit ſuper Pſalmum 87. vbi ſic loquitur: *Nimis occulta Dei gratia eſt, qua hominum mentes quodammodo reuiniſcunt, poſſint à quibuſlibet eius miniſtris præcepta ſanctitatis audire, &c.* & poſt pauca: *Propterea*, inquit, *dixi vobis: Quia nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo: vt oſtenderet, eam ipſam fidem, qua credis, & ex morte ſuſcordis anima reuiniſcit, dari nobis à Deo. Quantumlibet ergo exiſtant excellentes verbi prædicatores, & veritatis, etiam per miracula ſua fortes, tanquam magni medici agant cum hominibus, ſi mortui ſunt, & ſua gratia non reuixerint: Nſiquid mortuis facies mirabilia, aut medici exſuſcitabunt, & hi, quos exſuſcitabunt, confitebuntur tibi?* Et homilia 23. *Hæc tibi dicit Deus tuus: Regebam te mihi, ſeruabam te mihi, vt adulterium non committeres, ſuaſor defuit: & vt ſuaſor deeſſet, ego feci: locus, & tempus defuit; & vt hæc deeſſent, ego feci. Adfuit ſuaſor, non defuit locus, non defuit tempus: vt non conſentires, ego terrui. Agnoſce ergo gratiam eius, cui debes, & quòd non admiſiſti. Nullum eſt enim peccatum, quod fecit homo, quod non poſſit facere alter homo, ſi deſit rector, à quo factus eſt homo.* Idem ferè eſt dem verbis dicit in Soliloquiis 3. capite 15. & 16. Fauet ſanctus Gregorius, *Idem*, inquiens *ſæpe Doctori verbum pro gratia tribuitur auditoris, & ſæpe propter*

V. Gratiæ Dei eſt, quod quis habeat prædicatores.

Iſaiæ. 5.

Chryſ tom. 3. lib 4 de ſacerdotio, poſt medium.

Grego. lib. 20. Moral. c. 18.

Matth. 23. *tulpam ſubtrahitur ſermo doctori. Pro auditoris namque* A *gratia datur bonus etiam magis ſermo doctoribus: ſicut ponerunt Ananiæ ſapphiræ verba prædicationis ac quibus ſcripsum eſt.* Omnia, quæcunque dixerint vobis, ſeruate & facite: ſecundum autem opera eorum nolite facere. *Propter auditorū verò reprobationē, bonis* Ezech. 3. *etiā Doctoribus ſermo ſubtrahitur, ſicut ad Ezechielem contra ipſum dicitur.* Linguam tuam adhærere faciam palato tuo, & eris mutus, nec quaſi vir obiurgans, quia domus exaſperans eſt. *Aliquando autem ſermo prædicationis propter vtroſque datur, aliquādo propter vtroſque ſubtrahitur. Propter vtroſque enim datur, ſicut diuina voce Paulo apud Corinthios dicitur:* Noli
Act. 18. timere, ſed loquere. *Propter vtroſque ſubtrahitur: ſicut Heli ſacerdos,* & *prauam filiorum cognouit* B
1. Reg. 3. *actionem, & dignam increpationis non exercuit vocem, cum profectò futurum eſſet, vt in mortis ſupplicio, & iſtos reatus plagæ, & illum ſilentij pœna maneret.* Quibus verbis expreſsè docent, gratiam fieri auditoribus, cum eis a Deo prædicatores mittuntur ergo conatus Miniſtrorum Eccleſiæ, & eorum prædicatio no nine præuenientis gratiæ debet comprehendi. Confirmari poteſt hæc cõcluſio ex iis, quæ in proœmio huius operis notauimus. ibi enim oſtendimus, auxilia externa, huc extrinſeca a libero arbitrio, per quæ homo inducitur ad Dei amorem, nomine gratiæ excitantis comprehendi.

V I. Ad gratiam pręuenientē pertinet aliquid dupliciter.

Quarta Concluſio Interior vocatio, & excitatio hominis non pendet ex induſtria, & conatu Miniſtrorum Eccleſiæ, quaſi talis induſtria ſupponatur ex natura, & nullo modo ſub nomine gratiæ præuenientis comprehendatur. Colligitur hæc concluſio ex præcedenti. Ad cuius maiorem explicationem notandum, aliquid poſſe ad gratiam pertinere dupliciter. Primo quidem modo quia ſecundum ſuam eſſentiam, & entitatem eſt aliquid ſupernaturale, ſicut eſt habitus gratiæ, & charitatis auxilium internum ſpeciale, quo Deus efficienter mouet liberū arbitrium ad pia operationem: hæc enim ſunt dona Dei gratuita ſupernaturalia, ſecundum ſuam entitatem. Secundo modo poteſt aliquid ad gratiam, ſeu donum gratuitum pertinere, quia, licet ſecundum ſuam phyſicam entitatem non ſit quid ſupernaturale, ordinatur tamen ad ſalutem, & finem ſupernaturalem a Deo, qui illud aſſumit, tanquā medium ad excitandum interius, vel mouendum liberum arbitrium, vt tendat in finem ſupernaturalem. Huius generis eſt excitatio, qua per creaturas ſenſibiles, aut per externum prædicatorem, vel ſuaſorem, Deus mouet, & inclinat infidelem ad fidem, & peccatorem ad pœnitentiā: illa enim externa prędicatio ſecundùm ſuā entitatem non eſt intrinſecè aliquid ſupernaturale, præſertim ſi fiat propter vanā gloriam, vel propter aliquem finem, qui ſit peccatū mortale; nihilominus ſecundum quòd ordinatur a Deo ad conuertendum ad ſe peccatores, ordinem ſupernaturalem ingreditur, & ſub nomine gratiæ excitantis, qua Deus præuenit liberum eius arbitrium, comprehenditur, ac per conſequens ad gratiam excitantem in tota ſua latitudine ſumptam nõ E
præſupponitur, etiam vt conditio, ſine qua Deus homines ad ſe vocare non conſueuit. Probatur hoc.

V I I. Actus exterior vt pẽdens a voluntate. pertinet ad genus moris.

Actus exteriores, quamuis ſecundùm ſuam eſſentiā, & entitatem non ſint intrinſecè actus morales; in exercitio tamen, ſecundum quòd procedunt ex imperio voluntatis, & ad eius finem ordinantur, verè pertinent ad genus moris, vt 1. 2. q. 20. a. 1. & 2. docent communiter Thomiſtæ: ergo ſimiliter exterior prædicatio, & induſtria Miniſtrorum Eccleſiæ, quāuis ſecundum ſuam entitatem non ſint actiones ſupernaturales, tamen ſecundum quod ordinantur à Deo ad ſalutem eius, qui vocatur, vere comprehenduntur ſub vocatione diuina, & ſub ratione gratiæ præuenientis.

AD primum, & ſecundum argumentum ex factis a principio, facilis eſt ſolutio ex dictis: ſolum enim probant, vocationem internam regulariter pendere ex vocatione externa, quæ etiam nomine gratiæ præuenientis comprehenditur. Id quod Matth. 9. ex locis Scripturæ eiſdem argumentis inductis non Rom. 10. obſcurè colligitur: nã in illis expreſsè aſſeritur, Deū ipſum, qui peccatores iuſtificat, mittere prædicatores, vt ſalutem conſequantur, quotquot ſunt præordinati ad vitam æternam. Ait enim, Dominum meſſis mittere operarios in meſſem ſuam, &: *Quomodo prædicabunt, niſi mittantur.* Deus ergo eſt, qui ſua miſericordia prædicatores mittit: non ergo prædicatorum, & Miniſtrorum Eccleſiæ induſtria, ad Dei præuenientem gratiam, etiam vt conditio, ſine qua non, interiùs homines vocarentur, præſupponitur ex natura.

Ad tertium, cum ſua confirmatione, diſp. ſequenti reſpondebo.

DISPVTATIO LXXVIII.

Vtrùm Gratia excitans, quæ regulariter hominibus confertur, dependeat à conatu & induſtria eius, qui excitatur.

C

ILLI doctores, qui sētiūt vocationē, & excitatione Dei internā pēdere, vt à conditione, ſine qua non, ex induſtria, & conatu Eccleſiæ, & Miniſtrorum eius; docent conſequenter etiam pendere ex conatu, & induſtria eius, qui excitatur & vocatur. Primum & potiſſimum argumentum huius ſententiæ eſt illud, quod in confirmatione tertij argumenti diſputationis præcedentis tetigimus. Quia Deus regulariter non infundit nouas ſpecies, aut notitias credendorum iis, quos ad fidem vocat; ſed ſupponit eas alinnde acquiſitas: atqui ad acquirendas neceſſariò requiritur propria induſtria, & conatus eius, qui vocatur, D
vt quòd ad audiendum Verbum Dei, animo intendendi his, quæ dicuntur, accedat, quòd libros ſacros vnde huiuſmodi ſpecies, & notitias acquirat, attentè legat ergo. I.

Secundò arguitur: nam Deus regulariter non confert hominibus gratiam præuenientem, & excitantem, niſi ipſi priùs faciant, quod in ſe eſt ex ſolis viribus naturæ, vt diſp. 56. n. 2 & 3. contendebant probare: ſed ad faciendum quod in ſe eſt ex viribus naturæ; requiritur propria induſtria, & conatus: ergo gratia excitans interior regulariter pendet ex propria induſtria, & conatu eius, qui vocatur, ſaltem vt à conditione ſine qua regulariter nõ vocaretur à Deo.

Tertiò arguitur, deſtruendo fundamentum potiſſimum oppoſitæ ſententiæ: ex eo enim probat, vocationem internam nullo modo pendere, etiam vt à conditione, ſine qua non, à conatu, & induſtria eius, qui vocatur, quia tunc vocatio interior non eſſet gratuita, ſed debita: quod eſt contra rationem gratiæ; hæc autem ratio eſt nulla: ergo. Minor probatur: nam conditio ſine qua non, nullo modo deſtruit, aut minuit rationem gratiæ, quia talis conditio non eſt alicuius valoris, nec importat meritum, cui ex debito correſpondeat gratia; aliàs vſus rationis, qui in adultis præſupponitur ad infuſionem gratiæ, tolleret, aut minueret rationem

gratiæ:

Digitized by Google

gratiæ: quia etiam eſt conditio, ſine qua non iuſtificarentur.

II. Vocatio interior non dependet ab induſtria & conatu naturali eius, qui vocatur.

HVius difficultatis reſolutio facilis eſt, ſuppoſitis iis, quæ diſp. præcedenti, & diſputat. 56. dicta ſunt. Si enim loquamur de conatu, & induſtria eius, qui vocatur, procedente ex ſolis naturæ viribus; dicendum eſt, excitationem internam eius, qui vocatur, non pẽdere, etiam vt a conditione, ſine qua non, ab illius induſtria. idque propter rationes, quibus diſputatione 56. oſtenſum eſt, falſam eſſe eorum ſententiam, qui dicunt, ſecundùm communem modum, quem Deus ſeruat, non dare alicui auxilia præuenientis gratiæ, niſi prius ipſe faciat quod in ſe eſt ex facultate naturæ. Eiſdem quippe argumentis, efficaciter probatur, vocationem internam non pendere, etiam vt à conditione, ſine qua non, ab induſtria, & conatu eius qui vocatur. Si autem loquamur de induſtria, & conatu procedente ex priori auxilio excitantis, & præuenientis gratiæ, nullum eſt incõueniens fateri, quòd ſicut vnus effectus gratiæ dependet ab alio, ita vna excitatio interior dependeat ex alia, & eam præſupponit ſecundum communem modum, quem Deus ſeruat in excitandis hominibus, & vocandis. Sicut excitatio ad actum pœnitentiæ dependet ab excitatione ad actum timoris pœnarum inferni, qui regulariter præcedit perfectam contritionem: & idem dicendum proportionabiliter de piis cogitationibus, deſideriis, & petitionibus, quæ antecedunt actum pœnitentiæ, vel charitatis. Excitationem enim ad hos actus præcedit excitatio diuina & motio per auxilium ſpeciale ad pias cogitationes, deſideria, & orationes, quibus peccator puſſat ad oſtium diuinæ miſericordiæ. Omnes enim huiuſmodi actiones procedunt ex auxilio ſpeciali præuenientis gratiæ, vt ſuprà oſtenſum eſt. Vnde præueniendum eſt tandem ad primam excitationem, ſiue ad gratiam præuenientem primam ſimpliciter, quæ a conatu, & induſtria eius, qui vocatur, etiam vt a conditione, ſine qua non, etiam ſecundum communem modum, quem in vocandis hominibus Deus ſeruat, maximè dependeat: vt ſic primum initium ſalutis in ipſum Deum auctorem gratiæ, & non in facultatem naturalem noſtri arbitrij reducatur.

Vocatio interior dependet quandoq; ab alia, & eam præſupponit.

Gratia primo præueniens non pendet a conatu arbitrij etiam vt a conditione, ſine qua non.

III. Aug. lib. de prædeſt. SS. c. 2. S. Tho. 1. p. q. 23. art. 5. ad 6.

PER hæc reſpondetur ad primum argumentum, quòd illæ notitiæ, quæ antecedunt actum credendi, procedunt ex ſpeciali impulſu Spiritus ſancti, vt S. Auguſtinus & ſanctus Thomas probant ex illo 2. Corinth. 3. *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid a nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Quibus verbis Apoſtolus, ipſum cogitare myſteria fidei; vt credantur, ex Deo eſſe contendit, atque ex motione illius ſpeciali.

Ad ſecundum reſpondetur, antecedens non eſſe admittendum, vt diſputatione 56 oſtenſum eſt.

IV. Rationis vſus nequaquam ſenſu præſupponatur ad gratiam in adultis.

Ad tertium iam conſtat ex dictis eadem diſput. 56. qualiter ratio gratiæ lædi videatur, ſi affirmet quis, vocationem internam pendere ab induſtria, & conatu eius, qui vocatur. Et ad inſtantiam propoſitam reſpondetur, quòd ſi loquamur de vſu rationis actuali, ex ſola facultate naturali procedente; eadem ratio eſt de vſu rationis, & de induſtria, & conatu eius, qui vocatur. Si autem ſermo ſit de vſu rationis, quali in habitu; talis vſus rationis tenet ſe ex parte ſubiecti & ideo quòd præſupponatur ad iuſtificationem in adultis, non deſtruit rationem gratiæ, quia ratio gratiæ tunc tantum euertitur, quando datur propter aliquod opus naturæ, ſecundum illud, quod dicit Apoſtolus: *Si ex operibus, iam gratia non eſt gratia.*

Ratio.

POſt hæc diſputandum eſt de gratia ſufficienti. Circa quam duo pro nunc ſunt examinanda.

A I. Quódnam auxilium dicatur verè ſufficiens ad ſalutem.

II. Vtrùm omne auxilium ſufficiens ſecundùm aliquam rationem ſit efficax.

DISPVTATIO LXXIX.

Quódnam auxilium gratiæ dicatur verè ſufficiens.

AD hanc difficultatem reſpondent communiter Theologi, illud auxilium gratiæ dici ſufficiens ad aliquem actum, quo verè poteſt quis illum actum exercere, ſicut auxiliũ ſufficiens ad credendum eſt illud, quo homo poteſt credere; & auxilium ſufficiens ad pœnitendum eſt illud, quo homo poteſt pœnitere; & ſic proportionabiliter de aliis actibus virtutum. Ex quo inferunt, auxilium ſufficiens ad ſalutem eſſe illud, quo homo poteſt ſaluari. Colligunt hoc ex S. Auguſtino lib. de correpț. & gratia, c. 11. & 12. cuius verba diſput. 71. num. 7. adduximus. Sed recentiores Theologi vlteriùs inquirunt, quidnam ſit neceſſarium ex parte auxilij diuini, vt per illud dicatur homo poſſe credere, poſſe diligere, aut poſſe perſeuerare. Quidam enim exiſtimant, quòd vt aliquod auxilium gratiæ dicatur verè ſufficiens, quo poſſit credere, diligere, aut perſeuerare, neceſſarium eſt, quòd ſit ita ſufficiens, vt ex parte principij actiui, ſiue ex parte præuenientis auxilij nullum aliud auxilium ſit neceſſariò prærequiſitum, vt actualiter credat, diligat, aut perſeueret. Probant ſuam ſententiam: I. C Diſp. 18. n. 30. & diſp. 23. nu. 32.

Primò ex ipſa etymologia nominis: illud enim dicitur ſufficiens, vltra quod non requiritur aliud: ſi enim aliud neceſſarium requireretur, illud ſolum auxilium, quod dicitur ſufficiens, reuerà non eſſet ſufficiens: ergo illud auxilium eſt ſufficiens ad credendum, vltra quod nullum aliud auxilium antecedens cooperationem arbitrij ad actum credendi eſt neceſſarium, vt actualiter homo credat.

Secundò arguitur à ſimili: nam ſi ad aliquam electionem canonicam eſſent ſimpliciter neceſſaria duodecim ſuffragia, & Petrus, verbi gratia, ſolùm haberet octo ſuffragia, non diceretur habere ſufficientia ſuffragia ad illam electionem: ergo ſimiliter, ſi vltra illud auxilium, quod dicitur ſufficiens ad credendum, eſt ſimpliciter neceſſarium aliud auxilium, illud primum auxilium reuerà non erit ſufficiens, comparatione actus credendi, ſed ſolo nomine diceretur ſufficiens. D

Tertiò. Inter auxilium ſufficiens ad credendum, & actum ipſum credendi, nullum aliud auxilium mediat; ergo illud eſt auxilium ſufficiens ad credendum, vltra quod nullum aliud auxilium eſt neceſſarium, vt homo actualiter credat. Probatur conſequentia: nam aliàs iam daretur auxilium medium inter auxilium ſufficiens, & actum ipſum credendi. Antecedens autem probatur; quia non poteſt explicari, quidnam ſit illud medium: non enim eſt habitus, aut qualitas: nam habitus eſt aliquid permanens; medium autem illud non poteſt eſſe permanens, nec etiam eſt actus; aliàs enim inter auxilium ſufficiens ad credendum, & actum ipſum credendi mediaret alius actus credendi, quod eſt impoſſibile: ergo tale auxilium medium nihil eſt. E

Confirmari poteſt hæc ſententia omnibus argumentis, quibus diſp. 98. contendemus probare præter auxilium ſufficiens, non eſſe conſtituendum tanquam neceſſarium ad credendum auxilium efficax, ab auxilio ſufficiente realiter diſtinctum: ex hoc II.

enim euidenter ſequitur, illud eſſe auxilium ſufficiens ad aliquam operationem, vltra quod nullum aliud auxilium præueniens eſt neceſſarium.

Contrariam ſententiam docent omnes doctores, qui ſentiunt præter auxilium ſufficiens, quod tribuit homini poſſe credere, poſſe diligere, aut poſſe perſeuerare, neceſſarium eſſe aliud auxilium efficax præuenientis gratiæ, quo Deus efficit, vt homo actualiter credat, diligat, aut perſeueret. Hi enim doctores cum neceſſitate talis auxilij efficacis ſaluant veram ſufficientiam auxilij ſufficientis, vt ex parte dicebamus diſputat. 18. nu. 20. diſp. 23. num. 32. ex S. Tho. Pro cuius explicatione ſupponendum eſt cum Caietano, & Ferrarienſe, & M. Medina, quòd dupliciter intelligitur, liberum arbitrium poſſe per aliquod auxilium producere aliquem actum. Primo modo abſolute, & ſimpliciter, hoc eſt, ſine addito, ſicut cùm aſſerimus, hominem per potentiam viſiuam poſſe videre, quia videlicet, quantum eſt ex parte potentiæ, per quam conſtituitur in actu primo ad videndum, non requiritur, vt verè dicatur poſſe videre, quòd ſuperaddatur illi aliqua alia potentia, aut virtus tribuens in actu primo ipſum poſſe videre; quamuis vltra potentiam viſiuam alia plura requirantur, vt quis actu videat; vnde ex ſola potentia non poteſt inferri vſus, ſeu operatio illius in actu exercito. Et in hoc ſenſu aſſerendum eſt, per auxilium ſufficiens vere poſſe hominem operari actum illum, comparatione cuius dicitur ſufficiens, etiamſi nunquam ſit operaturus, niſi Deus auxilio efficaci efficiat, vt illud poſſe reducatur ad actum ſecundum. Secundo modo id poteſt intelligi de principio ſiue auxilio, quo poteſt complete operari ita videlicet, vt non ſolum habeat quis principium, quo vere poſſit operari, ſed etia habeat cõplementum, diſp. 18. nu. 10. & diſputat. 19. num. 5. intimuatum, quo in ipſo exercitio operetur, & velit; de quo diſp. 23. nu. 32. aliqua diximus.

Perr. 3. cõm. gent. c. 155. Caiet. 1. 2. q. 109. art. 10 Medin. eod. art.

III. Auxilium gratiæ quod dicatur vere ſufficiens.

PRima ergo Concluſio ſit. Illud auxilium dicitur complete in hac ſecunda acceptione ſufficiés ad aliquam operationem, vltra quod nullum aliud auxilium eſt abſolutè neceſſarium, vt illa operatio actu producatur. In hac cõcluſione conueniunt auctores vtriuſque ſententiæ, & eam probant efficaciter argumenta facta à principio.

Secunda concluſio. Illud auxilium dicitur verè ſufficiens in prima acceptione ad aliquam operationem, quod tribuit poſſe, comparatione eiuſdem operationis, ita videlicet, vt nullum aliud auxilium ſit abſolutè neceſſarium, vt homo vere dicatur poſſe illam operationem producere, ſicut auxilium ſufficiens ad credendum eſt illud, quo homo poteſt credere: & auxilium ſufficiens ad perſeuerandum eſt illud, quo poteſt perſeuerare, ſi velit. In hac etiam concluſione nulla eſt controuerſia inter doctores: eſt enim conceptis verbis aſſerta ab Auguſtino locis ſuperius allegatis, quam etiam probant efficaciter argumenta facta à principio.

IV.

Tertia Concluſio. Hæc duo ſimul ſunt compoſſibilia, quod ſcilicet præter auxilium ſufficiens, quod tribuit poſſe, ſit abſolutè neceſſarium aliud auxilium præuenientis gratiæ efficacis, tribuens actualiter pie operari, & nihilominùs auxilium illud, quod dicitur ſufficiens, ſit vere ſufficiens. Itaque, vt auxilium præuenientis gratiæ ſit ſufficiens, non requiritur, quòd ſit ita ſufficiens, vt ad operandum actualiter non ſit neceſſarium ſimpliciter auxilium ordine cauſalitatis præueniens ipſam operationem. Hanc concluſionem ſtatuit Caiet. Ferrar. & M. Medina locis citatis, & probatur. Primò: nam plura ſunt neceſſaria, vt quis actu operetur, quàm vt poſſit operari, vt ex præmiſſis patet. ergo bene ſtat, quòd aliquis habeat omnia prærequiſita, quibus reuera poteſt operari, abſque eo, quòd habeat omnia neceſſariò prærequiſita, vt actualiter operetur: ergo verè ſaluatur auxilium ſufficiens, quo homo poteſt credere, diligere, aut perſeuerare, ſi velit, etiam ſi aſſeratur, vt homo actualiter credat, diligat, aut perſeueret, eſſe ſimpliciter neceſſarium aliud auxilio præuenientis gratiæ, quo Deus efficiat hominẽ credere, diligere, aut perſeuerare. Reſpondent auctores oppoſitæ ſententiæ, ea, quæ neceſſariò requiruntur ad actualẽ operationem, nempe actualem concurſum Dei generalem, vel concurſum gratiæ adiuuãtis, nõ eſſe ex prærequiſitis antecedenter ad piam operationem, ſed ex concomitantibus, & ſimul concurrentibus cum libero arbitrio ad eandem operationem. Sed hæc ſolutio ſatis manet impugnata ex dictis diſp. 18. & 23.

Reſponſio.

Cõfutatio.

Oſtenſum eſt enim, concurſum Dei generalem eſſe influxum Dei immediatum in cauſa ſecundas, eaſque præmouere, ac prædeterminare ad ſuas operationes vnamquamque iuxta modum proprium naturæ: ergo connumerari debet inter præ requiſita antecedenter, non quidem ordine temporis, ſed rationis & cauſalitatis ad piam operationem.

V.

Secundò probatur. Potentia viſiua eſt principium ſufficiens ad videndum, etiamſi actualis viſio nunquam fiat, niſi antecedente lumine, & cauſa vniuerſali eam mouente: ergo ſimiliter auxilium ſufficiens ad credendum eſt vere ſufficiens in ſuo genere; quàuis vltra illud ſit ſimpliciter neceſſarium auxilium efficax, quo Deus efficit, vt homo credat.

Tertiò idipſum probari poteſt: nam, vt diſp. 86. manifeſtum fiet, Deus per auxilia gratiæ efficacis, verè efficienter facit nos cooperari, eidem gratiæ liberè conſentiendo, ergo prædictum auxilium efficax eſt ex prærequiſitis, & antecedentibus, non quidem ordine temporis, ſed ordine rationis, & cauſalitatis ad operandum.

AD primum argumentum reſpondetur, illud dici auxilium ſufficiens, vltra quod non requiritur aliud auxilium, tribuens poſſe operari; non tamen inconuenit, quòd vltra auxilium ſufficiens, ſit neceſſarium aliud auxilium tribuens actualiter operari.

Ad ſecundum argumentum reſpondetur, quòd vt quis poſſit eligi ad aliquod officium, ſufficit, quòd poſſit habere ſuffragia, quæ ſecundùm ius Pontificium ad electionem canonicam requiruntur. Vt autem eligatur de facto, requiritur in actu poſito, quòd habeat pro ſe duodecim ſuffragia. Et eodem modo, vt quis poſſit credere, requiritur, quod habeat in ſe receptum auxilium ſufficiens tribuens poſſe: vt autem actualiter credat, neceſſarium eſt, vt habeat auxilium efficax, quo fiat actualiter credens. Ad cuius maiorem explicationem notandum, quòd, vt quæſtione ſexta de veritate, artic. 3. ad ſeptimum, docet ſanctus Thomas, *dupliciter dicitur aliquid poſſe in aliquid. Primo modo, conſiderando potentiam, quæ eſt in illo; ſicut dicimus, quòd lapis poteſt moueri deorſum. Alio modo, conſiderando id, quòd ex parte alterius eſt, ſicut ſi dicerem quòd lapis poteſt moueri ſurſum per potentiam proiicientis.* Sic ergo dicendum eſt, quòd, qui actualiter mouetur à Deo ad credendum auxilio ſufficienti, inhærente intellectui & voluntati, dicitur poſſe credere per potentiam formalem, & proximam, quæ eſt in ipſo. Sed, ſi nullo modo à Deo mouetur ad credendum, ſicut ſunt infideles negatiuè, qui nihil de Euangelio audierunt; illi dicuntur poſſe credere, tum per potentiam, quæ eſt in alio, quia poſſunt moueri à Deo auxilio ſufficienti, quod tribuit poſſe; tum etiam per radicalem potentiam, quæ eſt in creato arbitrio: quia, dum eſt via, flexibile eſt à malo in bonum.

Digitized by Google

bonum. Et hac ratione S. Thom. 3. p. q. 8. a. 3. ad primum docet, Chriſtum eſſe caput etiam infidelium: quia *fideles, etſi actu non ſint de Eccleſia, ſunt tamen de Eccleſia in potentia, quæ quidem potentia in duobus fundatur. Primo quidem, & principaliter in virtute Chriſti, quæ eſt ſufficiens ad ſalutem totius humani generis. Secundario in arbitrij libertate*: quia, videlicet quilibet homo dũ eſt in via, habet liberũ arbitriũ vertibile à malo in bonum, eò quòd in malo nullus viator eſt totaliter obſtirmatus: hoc enim ſolùm competit dãnatis, qui ſunt in termino.

Ad tertium reſpondetur, quòd inter auxilium ſufficiens ad credendum, & actum credendi mediat auxilium efficax, prædeterminans liberum arbitrium ad actum ipſum credendi, vt ſuprà oſtenſum eſt. Et ad impugnationem dicendum, illud auxilium non eſſe habitum, vel qualitatem, nec actum noſtrum, ſed motionem virtuoſam ad actum, vt diſp. 18. & 19. latiùs explicuimus.

Diſp 19. n. 11. & diſp. 22. n. 22.

DISPVTATIO LXXX.

Vtrùm omne auxilium ſufficiens ſecundùm aliquam rationem ſit efficax.

I. PRima ratio dubitandi eſt: nam auxilium ſufficiens, & efficax eſſentialiter, & ſpecificè inter ſe diſtinguuntur: ergo etiam ſecũdùm diuerſas rationes, vel comparatione diuerſorum, non poſſunt ſimul eidem auxilio conuenire. Probatur conſequentia: nam ſpecies ex æquo diuidentes genus, non poſſunt ſimul eidem conuenire: impoſſibile eſt enim, idem animal ſimul eſſe hominem, & equum, quia homo, & equus ſunt ſpecies animalis inter ſe diſtinctæ.

Secundò. Vt ſuprà dictum eſt, auxilium ſufficiens tribuit poſſe operari: auxilium autem efficax tribuit actualiter operari: ſed poſſe operari, & actualiter operari non ſunt idem: ergo auxilium ſufficiens, & auxilium efficax non ſunt idem: impoſſibile eſt ergo, quòd idem auxilium ſimul ſit efficax & ſufficiens, etiam comparatione diuerſorum.

Tertiò. Habitus, eò quòd ſpecificatur per actus, & actus per obiecta, non poteſt eſſe principium ſufficiens reſpectu vnius actus, & efficax reſpectu alterius, niſi actus ille ad eandem ſpeciem pertineat, vt patet in habitu temperantiæ, cui contingit eſſe principium efficax actus temperantiæ circa carnes, & principium ſufficiens actus temperantiæ circa ova: at verò impoſſibile eſt; quòd ſit principiũ ſufficiẽs, comparatione actus temperantiæ: & principium efficax, comparatione actus alterius virtutis, vt putà fortitudinis, vel iuſtitiæ. Sed ſimiliter auxilium actuale ſpecificatur per actus, ad quos ordinatur, & actus per obiecta: ergo impoſſibile eſt, quòd idẽ auxiliũ ſimul ſit efficax comparatione vnius actus, & ſufficiens, comparatione alterius, niſi actus illi ſint eiuſdem ſpeciei; ac per conſequens auxilium ſufficiens, reſpectu contritionis perfectæ, efficax eſſe non poterit, comparatione timoris pœnarum inferni, vel alterius actus, ſpecie diſtincti ab actu contritionis perfectę. Et ſi hoc admittatur, idẽ eſſe dicere, aliquod auxilium eſſe ſufficiens, comparatione vnius actus, & efficax, comparatione alterius, ac ſi diceretur, aliquod auxilium eſſe ſufficiens, comparatione vnius actus fidei, & ſimul efficax comparatione alterius actus eiuſdem virtutis fidei, quod etiam eſt impoſſibile.

Quartò. Auxilium actuale non eſt aliquid permanens in anima, ſed tranſiens, & effluens cum ipſa operatione: ergo, ſi eſt efficax reſpectu vnius actus, nó poteſt eſſe ſufficiens reſpectu alterius. Probatur conſequentia: nam, tranſacta illa operatione, reſpectu cuius eſt efficax, iam habuit omnem effectum, quem poteſt habere, & totaliter deſinit eſſe, ac per conſequens non poterit dici amplius auxilium ſufficiens, reſpectu alicuius operationis. Confirmatur. Auxilium actuale identificatur realiter cum operatione, ad quam datur, ſicut motus identificatur realiter cum ſuo termino: ſed nullum auxilium actuale identificari poteſt cum duabus actionibus ſpecie diſtinctis; alias illæ operationes identificarentur realiter inter ſe: nam quæ ſunt idem realiter vni tertio, ſunt idem realiter inter ſe: ergo impoſſibile eſt, quòd idem auxilium actuale ſit ſufficiens reſpectu vnius actus, & efficax reſpectu alterius.

II. Auxilium ſufficiens cõparatione vnius actus ſemper eſt efficax cõparatione alterius.

His tamen non obſtantibus, dicendum eſt, omne auxilium ſufficiens comparatione vnius actus, ſemper eſſe efficax, reſpectu alterius, ad quem efficiendum decreto abſoluto diuinæ voluntatis deſtinatur. Vt verbi gratia, auxilium ſufficiens ad actum fidei efficaciter producit in homine pias cogitationes, & notitias credendorum, vel pia deſideria habendi fidem, & alios huiuſmodi actus imperfectos, qui regulariter loquẽdo, antecedunt aſſenſum fidei. Similiter auxilium ſufficiens ad actum contritionis producit efficaciter in homine conſiderationem pœnarum inferni, aut bonitatis diuinæ, vel turpitudinis peccati, timorem inferni, vel attritionem, aut alios huiuſmodi actus imperfectos; qui regulariter perfectam contritionem antecedunt. Hanc ſententiam docent communiter recentiores Thomiſtæ, præſertim M. Medina 1. 2. q. 109. a. 10. circa finem. Et probatur:

Primò ex illo Iſaiæ 55. *Et quemodo deſcendit imber, & nix de cælo, & illuc vltrà non reuertuntur, ſed inebriat terrã, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat ſemen ſerenti, & panem comedenti. ſic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo. Non reuertetur ad me vacuum, ſed faciet quæcunque volui, & proſperabitur in his, ad quæ miſi illud.* Quibus verbis ſignificatur, vocationem internam, qua Deus alloquitur animam, vacuam non eſſe, aut ſine fructu; ſed ſemper habere in homine aliquem effectum, illum videlicet, quem Deus efficaciter vult vt habeat; quamuis eadem vocatio interior, comparatione actus perfecti, ad quem vltimatè ex voluntate Dei antecedente ordinabatur, ſit ſufficiens ergo idem auxiliũ quod eſt ſufficiẽs, comparatione alicuius actus perfecti, ſimul eſt efficax, comparatione aliorum actuũ imperfectorum, qui perfectum actum regulariter antecedunt, & ad illum ordinantur.

III. Secundò probatur; quoniam auxilium actuale nunquam reperitur in intellectu hominis, aut voluntate abſque operatione eiuſdem intellectus, & voluntatis: in hoc enim diſtinguitur ab habituali auxilio: nam habitus eſt aliquid permanens in anima, etiam quando nihil operatur: auxilium autem actuale eſt aliquid fluens, ſicut & operatio; vnde & cum ipſa operatione tranſit: ergo auxilium ſufficiẽs actuale ſemper habet coniunctam aliquam operationem quam producit: ergo reſpectu eiuſdem operationis, tale auxilium erit efficax, quamuis comparatione vlterioris actus perfecti, ad quem vltimatè ordinabatur, ſit ſufficiens.

Tertiò probatur: nam Deus per auxilium ſufficiens excitat animam, vt ſuprà dictum eſt, ſed impli-

Excitatio animæ nõ fit absque eius operatione.

cat contradictiorium, quòd anima excitetur formaliter, niſi per actum vitalem à ſe elicitum, cùm eiuſmodi excitatio ſit vitalis, quæ ſine actu vitali fieri non poteſt: ergo auxilium ſufficiens ſemper producit in homine aliquem actum vitalem, falſum: deliberatum: ergo comparatione illius, tale auxilium ſemper eſt efficax.

IV. Quartò. Impoſſibile eſt, quòd Deus actualiter moueat animam, & anima non moueatur actualiter, cùm mouens, & motum dicantur correlatiuè; ſed per auxilium ſufficiens actuale, Deus mouet animã: ergo anima mouetur actualiter: ergo per aliquem actum à ſe elicitum, anima enim nunquam mouetur actualiter, niſi eliciendo aliquem actum: ergo auxilium ſufficiens erit ſemper efficax, comparatione illius actus.

Quintò. Sicut gratia diuiditur in gratiã ſufficientem, & efficacem, ita etiam diuiditur in præuenientem, & ſubſequentem, vt 1. 2. q. 111. artic. 1. docet S. Thom. ſed gratia, reſpectu vnius effectus, poteſt eſſe præueniens, & ſubſequens reſpectu alterius, vt in corp. eiuſdem articuli docet S. Thomas: ergo ſimiliter idem auxilium actuale poterit eſſe efficax comparatione vnius effectus, & ſufficiens comparatione alterius.

Confirmatur. Idem habitus eſt ſimul ſufficiens in ordine ad vnum effectum, & efficax in ordine ad alium: habitus enim gratiæ efficaciter iuſtificat animam, & eam ſanat & ſimul eſt ſufficiens radix comparatione operis meritorij: ſimiliter etiam habitus charitatis efficaciter facit hominem dilectore Dei, & ſimul eſt principium habituale ſufficiens, comparatione dilectionis Dei actualis: ergo ſimiliter idem auxilium actuale poterit ſimul eſſe auxilium ſufficiens, comparatione vnius effectus, & efficax reſpectu alterius.

Sextò probatur. Magis diſtant inter ſe album, & nigrum, quam auxilium ſufficiens, & auxilium efficax, cum illa duo ſint inter ſe contraria, non autem hæc: ſed idem ſubiectum, reſpectu diuerſorum, poteſt eſſe album ſimpliciter, & nigrum ſecundum quid: ergo ſimiliter idem auxilium poterit eſſe ſimpliciter ſufficiens, & ſecundum quid efficax, reſpectu diuerſorum effectuum.

V. AD primum argumentum reſpondetur primò, quod ſicut gratia non diuerſificatur ſecundùm eſſentiam per hoc, quòd eſt præueniens, & ſubſequens, operans, & cooperans, ſed ſolùm ſecundum diuerſos effectus; ita proportionabiliter auxilium actuale non ſemper diuerſificatur ſecundùm eſſentiam per hoc, quod eſt ſufficiens, & efficax; ſed quandoque diuerſificatur ſolum ſecundum diuerſos effectus. Dicitur enim efficax comparatione effectus, ſiue actus imperfecti, quem producit, & ſufficiens comparatione actus perfecti, quem poteſt producere, & ad quem vltimatè ordinatur. Secundò reſpondetur facilius. Auxilium, quod eſt abſolutè, & ſimpliciter efficax, diſtingui realiter, & ſecundùm eſſentiam ab auxilio, quod eſt ſolùm ſufficiens, non tamen inconuenit, quòd auxilium efficax ſecundum quid, identificetur realiter cum auxilio, quod ſimpliciter eſt ſufficiens.

Ad ſecundum argumentum reſpondetur, ſolùm concludere, quòd idem auxilium non ſit ſufficiens, & efficax reſpectu eiuſdem, ſed ſolùm reſpectu diuerſorum.

A Ad tertium reſpondetur, quod actus imperfecti non ſpecificant habitum, ſed ſolum actus perfecti, quia imperfecti actus ordinatur ad actus perfectos. Vnde idem habitus poteſt eſſe principium actuum in eſſe naturæ differentium ſpecie, præſertim ſi vnus ad alium ordinetur, dum tamen in genere moris ad eandem ſpeciem pertineant, ſicut temperata comeſtio carnium, & temperata comeſtio piſcium diſtinguuntur ſpecie in eſſe naturæ: cùm tamen in genere moris certum ſit, ad eandem ſpeciem virtutis pertinere. Similiter etiam colligere pecunias ad reſtitutionem faciendam, & velle reſtituere ſunt actus ſpecie diſtincti, & tamen quia vnus ordinatur ad alium, poteſt eadem virtus iuſtitiæ eſſe principium vtriuſque actus. Cùm ergo actus imperfecti, quos de facto B producit in nobis auxilium ſufficiens, ordinentur, tanquam ad finem, ad vlteriorem actum perfectum; nõ inconuenit, quòd idem auxilium ſit efficax, comparatione actuum imperfectorum, & ſimul ſit ſufficiens, comparatione actus perfecti, ad quem vltimatè dirigitur. Nec eſt eadem ratio de habitu, comparatione actus temperantiæ, & fortitudinis, vel iuſtitiæ: nam huiuſmodi actus ſunt perfecti, quorũ vnus non ordinatur per ſe ad alium: & ideo non poteſt idem habitus eſſe principium ſufficiens, comparatione actus temperantiæ, & principium efficax, comparatione actus iuſtitiæ, vel fortitudinis. Secundò reſpondetur, quòd etiam habitus ſuo modo eſt principium efficax reſpectu vnius, & principium ſufficiens, reſpectu alterius: nam, vt ſupra dictum eſt, C habitus efficaciter conſtituit potentiam in actu primo, tribuens illi virtutem operatiuam, ipſamque qualificans, & ſimul eſt principium ſufficiens, reſpectu operationis, quam poteſt producere.

Habitus eſt principium actuum in eſſe naturæ differẽtiũ ſpecie.

Ad quartum reſpondetur, quòd toto illo tempore, quo auxilium ſufficiens potentiam afficit, ſimul producit efficaciter actus illos imperfectos, de quibus diximus ſuprà, & eſt principium ſufficiens in ſuo genere, comparatione actus perfecti, ad quem ordinatur. Quòd ſi de facto liberum hominis arbitrium per illud auxilium actum perfectum non producit, id ex eius culpa procedit; quia noluit bene vti eodem auxilio; ſed, illi reſiſtendo, impedimentũ poſuit, ne Deus ſua gratia progrederetur vlteriùs, hominem adiuuando, vt perfectum actum produceret. D *Deus enim* vt S. Thomas docet, *quãtum in ſe eſt, paratus eſt omnibus gratiam dare. Vult enim, omnes homines ſaluos fieri, & ad cognitionem veritatis venire, vt dicitur* 1. ad Timoth. 2. *Sed illi ſoli gratia priuantur, qui in ſeipſis gratiæ impedimentum præſtant; ſicut Sole mundum illuminante, in culpam imputatur ei, qui oculos claudit, ſi ex hoc aliquod malum ſequatur, licet videre non poſſit, niſi lumine Solis præueniatur.*

VI.

S. Thom. 1. cont. Gent. cap. 159.

Ad confirmationem reſpondetur auxilium actuale tam ſufficiens, quàm efficax diuinæ gratiæ realiter diſtingui ab operatione, ad quam ordinatur, vt diſp. 19. n. 8 dictum eſt.

In calce huius tractatus de gratia excitante, & ſufficiente, ſe offerebat grauis difficultas examinanda: Vtrum auxilium ſufficiens diuinæ gratiæ detur omE nibus hominibus etiam reprobis & obduratis. Sed de hoc agendum erit ex profeſſo infrà, inter diſputandum de reprobatione. Et hæc de gratia excitante, & ſufficiente dicta ſufficiant.

Diſp. 111.

Finis Libri Octaui.

DE AVXILIIS DIVINÆ GRATIÆ, ET HVMANI ARBITRII VIRIBVS, ET LIBERTATE, AC LEGITIMA EIVS CVM EFFICACIA eorundem Auxiliorum concordia,

Liber Nonus,

IN QVO AGITVR DE AVXILIO GRATIÆ, Operantis, & Cooperantis, Adiuuantis, seu Efficacis.

CONSIDERATIS auxiliis gratiæ excitantis,&sufficiẽtis,restat, vt de auxiliis gratiæ adiuuantis,operantis,& cooperantis,seu efficacis disputemus. Cùm autem hęc auxilia possint dupliciter considerari.videlicet secundùm se,& per comparationem ad auxilia gratiæ excitantis, & sufficientis; primò agẽdum est de his auxiliis secundùm se;postea cõsiderãdũ de illis per comparationem ad auxilia gratiæ excitãtis, & sufficientis Circa primum 14.sunt examinanda.

I. Quid sit gratia operans, quid cooperans,& quomodo à gratia operante distinguatur.

II. Vtrùm gratia cooperans,inquantum cooperans,seu adiuuans, sit præueniens, seu præmouens liberum arbitrium ad consensum;an solum simultanee cũ libero arbitrio in eundẽ consensum influat.

III. Quid sit auxilium efficax, & in quo eius efficacia consistat.

IV. Quotuplex sit auxilium efficax.

V. Vtrùm auxilium gratiæ adiuuantis, cooperantis, vel efficacis, & liberum arbitrium in ordine ad piam operationem sint duæ causæ partiales,sicut duo trahentes nauim.

VI. Vtrùm Deus per auxilium efficax præoperantis gatiæ faciat efficienter propriè, siue ad modũ causæ physicæ,quòd liberum arbitrium suum adhibeat influxum in consensum;an solùm moraliter id efficiat,suadendo,inuitando,alliciendo.

VII. Vtrùm auxilium efficax actuale subiaceat nostri arbitrij potestati,quantùm ad vsum,sicut subiacent habitus,quibus vtimur,cùm volumus.

VIII. Vtrùm in eo,qui habet habitus infusos ad eliciendũ actũ supernaturalẽ,sit necessariũ auxilium speciale non solùm excitãtis, sed etiã adiuuãtis gratiæ, ab auxilio habitus infusi realiter distinctum.

IX. Vtrùm liberum arbitrium creatum sit prima causa,vel prima radix suæ determinationis.

X. Vtrùm auxilium gratiæ in ratione efficacis auxilij dependeat ex libero influxu arbitrij creati cũ illo:an verò sit efficax secundùm se,& vt venit à Deo antecedenter ad liberum consensum eiusdẽ arbitrij. Vbi expenduntur quidam modi loquendi circa naturam auxilij efficacis.

XI. Vtrùm Deus per auxiliũ efficax præoperantis gratiæ prædeterminet liberum arbitrium ad consensum.

XII. Vtrùm liberum arbitrium, motum à Deo auxilio efficaci, possit etiam in sensu composito idem auxilium abiicere,dissentire, & non conuerti. Vbi expenduntur & explicantur quædam decreta Concilij Tridentini,& Senonensis.

XIII. Vtrùm possit liberum hominis arbitrium resistere efficaci auxilio.

XIV. Quomodo explicandus sit,& intelligendus sensus compositus,& diuisus,cùm asserìtur, liberum hominis arbitrium,à Deo motũ auxilio efficaci non posse in sensu composito dissentire,aut non conuerti,sed solùm in sensu diuiso.

DISPVTATIO LXXXI.

Quid sit gratia operans,quid cooperans,& quomodo inter se distinguantur.

I. IVvis difficultatis resolutio valde necessaria est, ad intelligendam,& explicãdam naturam,&proprietatem efficacis gratiæ, atque ad aperiendam mentem Sanctorum Augustini, & Thomæ circa eiusdem gratiæ virtutem,&efficacitatem,& concordanda varia loca eiusdem Augustini,quæ primo aspectu inter se videntur contraria. Sunt tot sententiæ in hac parte,quot capita sed quæ magis circunferuntur apud Theologos, reducuntur ad quatuor. Prima est asserentium, quòd gratia dicitur operans in ordine ad actus interiores cooperans autem in ordine ad actus exteriores. Probant suam sententiam:

Primò

Primò ex S.Tho. 1.2.q.111.a.2.vbi ait,quòd,quãtùm ad actum interiorem,voluntas ſe habet,vt mota:& ideo,ſecundùm quòd Deus mouet voluntatem ad hunc actum, dicitur gratia operans: & inferiùs ſubdit quòd reſpectu actus exterioris dicitur gratia cooperans.Idem dicit in 2.d.26.quæſtione 2. articulo 5.

Secundò arguitur auctoritate S.Aug. lib. de gratia,& lib.arb.c.17. vbi explicans illud ad Philippenſes 2.*Deus eſt,qui operatur in vobis & velle,& perficere pro bona voluntate*,inquit:*Ipſe,vt velimus,operatur,incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens*; & mox ſubdit:*Vt velimus, ſine nobis operatur: cùm autem volumus, & ſic volumus, vt faciamus, nobiſcum cooperatur.*Quibus verbis ipſum velle,qui eſt actus internus, tribuit gratiæ operanti; opus autem externum, quod verbum *facere*,ſignificat, tribuit gratiç cooperanti.

S Bern.lib. de grat. & lib arb circa finem.

Confirmatur auctoritate S.Bernardi,qui eundem locum ad Philippẽſes 2 explicans,inquit,quòd,cùm tria ſint,bene cogitare,bene velle, & bene operari, duo priora ſunt ipſius Dei,tertium verò diciturDei, & noſtrum.Vbi actum ipſum internum, ſcilicet bene cogitare,& bene velle,tribuit gratiæ operanti: actum autem externum bonum refert in Deum nobiſcum cooperantem.

II. Secunda ſententia eſt quorundam ex recentioribus Theologis, qui affirmant, gratiam operantem eandem eſſe cum gratia excitante, alliciente, inuitante,ſeu moraliter mouente liberum arbitrium ad actus ſupernaturales:cooperantem verò identificari cum gratia coadiuuante, ſeu pariter cum libero arbitrio in piam operationem influente. Dicunt enim vna.n,&eandem numero gratiam,quatenus excitat, allicit, & inuitat arbitrium noſtrum ad actus credendi,ſperandi, diligendi, aut pœnitendi, appellari præuenientem, ac excitantem gratiam; eáque conſideratione prænenire arbitrium noſtrum ad eiuſmodi actus;quatenus verò cõſentiẽte iam noſtro arbitrio,& cooperante actus,ad quos illa inuitat,&allicit,ipſa quoque nouo influxu & actione cooperatur eoſdem actus;appellari adiuuantem,& cooperãtem gratiam.Et pro hac ſententia eſt

Tertium argumentũ, quod eius auctores ſæpius inculcant, & ſumitur ex Concilio Tridentino, ſeſſ. 6.de iuſtificat.capite quinto,cuius verba diſputatione 74. numero primo adduximus, vbi Concilium eandem appellat præuenientem,excitantem, & adiuuantem gratiam, eidémque gratiæ aſſentiendo, & cooperando, ait, liberum arbitrium ad iuſtificationem diſponi. Diſpoſitio ergo illa fit cooperante, & conſentiente libero arbitrio cum gratia præueniente, ac excitante;ac proinde cooperante ſimul cum eodem gratia illa,quæ actum liberum prçuenit, & ad eiuſmodi actum excitauit. Non ergo ſunt diſtinctæ gratiæ præueniens, & cooperans, atque adiuuans.ſed vna, & eadem, quæ ſpectata, antequam liberum arbitrium cum ea cooperetur, eliciátque actum liberum, per quem ad iuſtificationem diſponatur,dicitur præueniens:ſpectata verò, prout cooperante iam cum illa libero arbitrio,ipſa etiam cooperatur,& influit in eundem actum, dicitur cooperans,& adiuuans.

III. Confirmatur ex verbis illis canon.4.eiuſdem ſeſſ. *Si quis dixerit,liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum,nihil cooperari, aſſentiendo Deo excitanti, &c.*Vbi vides, Concilium affirmare, liberum arbitrium cooperari cumDeo excitante,dum aſſentitur, ac ſe ad gratiã iuſtificantẽ diſponit ac proinde Deũ per gratiam excitantem cooperari etiam cum illo ad eandem diſpoſitionem: cooperans enim cooperanti dicitur cooperans: ergo gratia operans idem eſt, quod gratia excitans;&gratia cooperans,idem,quod adiuuans.

Quartò,idem probant auctoritate S. Auguſt. lib. 1.de gratia,& libero arbitrio, capite 16. dicente: *Certum eſt nos mandata ſeruare,ſi volumus:ſed quia præparatur voluntas à Domino,ab illo petendum eſt,vt tantum velimus,quantum ſufficit,vt volendo faciamus.Certum eſt,nos velle,cùm volumus, ſed ille facit,vt velimus bonum,de quo dictum eſt: Præparatur voluntas à Domino,& à Domino greſſus hominis dirigentur.&: Deus eſt, qui operatur in vobis, & velle, & perficere. Certum eſt,nos facere, cùm facimus, ſed ille facit, vt faciamus, prabendo vires efficaciſſimas voluntati, qui dixit: Faciam,vt in iuſtitiis meis ambuletis.* Et capite 17. *Quis* inquit,*iſtam,etſi parnam,dare cœperat charitatem, niſi ille, qui præparat voluntatem, & cooperando perficit, quod operando incœpit. Quoniam ipſe,vt velimus, operatur,incipiens,qui volentibus cooperatur,perficiens. Vt ergo velimus, ſine nobis operatur. cùm autem volumus, & ſic volumus,vt faciamus,nobiſcum cooperatur; tamen ſine illo,vel operante,vt velimus,vel cooperante;cùm volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.* Ex quo teſtimonio colligitur,gratiam operãtem eſſe illam, qua præparatur voluntas à Domino, & hanc eandem eſſe,qua dicitur Deus facere vt velimus, vel vt faciamus. Conſtat autem, hoc fieri à Deo in nobis per gratiam excitantem: per illam enim nos illuminando,dirigit greſſus noſtros,quod huic gratiæ operanti ibidem Auguſtinus tribuit,&alliciendo voluntatem,eam præparat,vt ſuauiter velit credere, amare,aut operari: ergo ſecundùm Auguſtinum gratia operans eadem eſt cum excitante, & cooperans eadem eſt cum adiuuante. Pſalm. 36. Philip. 2. Ezech. 16.

Quintò, Deus non ideo dicitur operari in nobis, vt velimus,quia ipſe ſolus faciat in nobis ipſum velle,ſed quia ipſe eſt, qui operatur in nobis initiũ bonæ voluntatis, quæ non perficitur ſine nobis hoc enim eſt,quodAuguſtinus ait:*Ipſe,vt velimus,operatur, incipiens, qui volentibus cooperatur, perficiens.* Non operatur autẽ Deus in nobis initium ſalutis,niſi per excitantem gratiam,vt ex Concilio Tridentino cõſtat:eſt ergo idem munus operátis,& excitantis gratiæ,& conſequenter idem erit etiam cooperantis,& adiuuantis.

Sextò,Probatur ex ipſa nominum ſignificatione: nam denominatio cooperantis gratiæ per ſe notiſſima eſt, & apertiſſime quadrat gratiæ adiuuanti, quæ ſtudiis cooperatur humanis, vt rectè Ambroſius dixit libro ſecundo in Lucam. Et (quod valde notandum eſt)indicatur in illa voce quædam ſimultanea coniunctio voluntatis,& gratiæ adiuuantis ad eundem actum,vel actionem,ad quam mutuò cooperari dicuntur,ita vt ſub ea ratione neutra alteram antecedat,vel impellat, ſed ſolùm ſimul operentur. Operans autem gratia vocatur, quantùm ex Auguſtino colligitur,vel quia per eam Deus in nobis ſine nobis operatur,vel quia per eam Deus, etiam ſolus, & ſine nobis,vt velimus,operatur, iuxta illud Concilij Arauſ. II. capite vigeſimo ex Auguſtino libro ſecundo contra duas epiſtolas Pelagianor. capite 8. *Multa in homine bona fiunt, quæ non facit homo: nulla verò facit homo bona,quæ non Deus præſtet,vt faciat homo:* ergo.

Septimò:nam ſæpe S.Auguſtinus cooperationem tribuit adiutorio Dei,id eſt,gratiæ adiuuati, operationem verò vocationi,id eſt,gratiæ excitanti:vocat enim Deus per excitantem gratiam, vt Concilium Tridentinum dixit: & per eandem operatur in nobis bonam voluntatem. Hoc enim ſignificant illa verba S.Aug.*Aliter enim Deus præſtat,vt velimus,aliter verò,quòd voluerimus:vt velimus enim, & ſuum eſſe voluit, & noſtrum; ſuum vocando, noſtrum ſequendo.*

Quòd

Quod autem volumus, ſolus præſtat, id eſt, poſſe bene agere, & ſemper beate viuere. Vbi eodem modo tribuit vocationi Dei, id eſt, gratiæ excitanti, vt ſit id, quo Deus operatur in nobis, vt velimus, quamuis ipſum velle non fiat ſine nobis.

V. Tertia ſententia eſt, quòd opus bonum, quatenus procedit à Deo, tanquam à cauſa principali, vocatur gratia operans ſecundùm verò quòd procedit à noſtro libero arbitrio, appellatur cooperans. Ratio potiſſima huius ſententiæ eſt, quoniam nos cooperamur Deo, vt definitur in Concilio Tridentino. ergo operatio Dei dicitur gratia operans, noſtra verò cooperatio erit gratia cooperans.

Cõc. Trid ſeſſ. 6. deiuſtif. can. 4.

Quarta ſententia eſt Caiet. 1. 2. q. 111. art. 2. & M. Soti lib. 1. de natura, & gratia, cap. 16. quòd ſcilicet gratia dicitur operans, ſecundùm quòd in nobis cauſat intentionem finis: cooperans verò ſecundum quòd nobiſcum cooperatur rectam electionem mediorum. Quam ſententiam defendunt multi recentiores Thomiſtæ, & videtur expreſſa ſententia S. Th. 1. 2. q. 111. art. 2. citato, vbi ait: *Eſt autem in nobis duplex actus. Primus quidem interior voluntatis: & quantum ad iſtum actum voluntas ſe habet, vt mota, Deus autem vt mouens; & præſertim cùm voluntas incipit bonum vel e, quæ prius malum volebat. Et ideo ſecundum quòd Deus mouet humanam mentem ad hunc actum, dicitur gratia operans.* Quod probat ibi auctoritate S. Aug. ſuprà inducta dicentis: *Vt autem velimus, operatur: cum autem volumus, vt perficiamus, nobis cooperatur.* Et in ſolut. ad 3. ſubdit: *Cooperari dicitur aliquis alicui non ſolum ſicut ſecundarium agens principali agenti, ſed ſicut adiuuans ad præſtitum finem: homo autẽ per gratiam operantem adiuuatur à Deo, vt bonum velit. Et ideo præſuppoſito iam fine, conſequens eſt, vt gratia nobis cooperetur.*

VI. Pro reſolutione tamen huius difficultatis ſupponendum eſt primò cum S. Tho. art. 2. citato, *quòd operatio alicuius effectus nõ attribuitur mobili, ſed mouẽti. In illo ergo effectu, in quo mens noſtra eſt mota, & non mouens, ſolus autem Deus mouens, operatio Deo attribuitur: & ſecundum hoc dicitur gratia operans. In illo autẽ effectu in quo mens noſtra & mouet, & mouetur, operatio non ſolum attribuitur Deo ſed etiam animæ: & ſecundum hoc dicitur gratia cooperans.* Idem docet q. 17. de verit. art. 5.

Voluntas ſe mouet moraliter, & phyſicè. Notandum ſecundò, quòd voluntas poteſt ſeipſam mouere dupliciter. Primo modo moraliter, quod contingit quando ex prævia volitione finis ſe applicat ad electionem mediorum. Secundò poteſt ſe mouere phyſicè, quando ſcilicet liberè producit actum; etiamſi non deliberet propriè de illo: poteſt enim aliquis actus eſſe liber, etiam ſi non ſit deliberatus, ſicuti contingit in volitione finis. Etenim, cùm quis appetit ſanitatem, tanquam finem, vel per actum charitatis ſe conuertit in Deum, tanquam in vltimum finem; certum eſt, quòd talis actus eſt abſolutè liber, cùm ſit meritorius vitæ æternæ; non tamen dicitur deliberatus, quia non præſupponit aliquam deliberationem rationis. Deliberatio enim non eſt de fine, vt finis eſt, ſed de mediis ad finem, atque adeò in illo non ſe mouet voluntas moraliter, ſed ſolum phyſicè.

Notandum tertiò, quòd voluntas in omni operatione libera, ſiue ſit circa finem, ſiue circa media, ſemper ſe mouet phyſicè, quoniam (vt ſuprà dictum eſt, & inferiùs patebit ampliùs) de ratione actus voluntarij eſt, quòd procedat efficienter à principio intrinſeco ſe mouente ſaltem phyſicè, non tamen eſt neceſſe, quòd in omni ſua operatione, etiam libera, ſe moueat moraliter per deliberationem, vt patet in volitione finis. Cuius ratio eſt: nam, vt docet ſanctus Thomas prima ſecundæ, quæſtione 13. articulo tertio, & quæſtione 14. articulo 2. deliberatio & conſilium non eſt circa finem, ſed ſolum circa media. ergo cum quis vult finem, vt finis eſt, non ſe mouet moraliter: vt enim ſe moraliter moueat, oportet quod deliberet, & conſilietur circa exercitium actus. Dixi, *cum vult finem vt finis eſt*: nam ſi finis intermedius conſideretur, quatenus habet rationem medij in ordine ad vlteriorem finem, bene poteſt voluntas ſe mouere moraliter, cùm appetit illum. Ratio eſt: nam finis quatenus induit rationem medij, eſt obiectum deliberationis, & conſilij: poteſt enim aliquis deliberare, vtrum in ordine ad conſequutionem vitæ æternæ expediat ſibi habere perfectam ſanitatem quamuis ſanitas, vt eſt finis medicinæ, ſub conſultatione, & deliberatione non cadat.

Voluntas cõparatione tantum mediorum ſe mouet moraliter.

VII. Prima ergo concluſio noſtra ſit. Gratia operans moraliter, eadem eſt cum gratia excitante. Hanc concluſionem damus auctoribus ſecundæ ſententiæ, quam ſolum probant, ſi quid probant, argumenta pro ea adducta. Praterea probatur: nam gratia operans moraliter eſt illa quæ alliciendo, inuitando, & ſuadendo facit, vt faciamus, & operatur, vt operemur, vt ex ſupradictis patet ſed totum hoc competit gratiæ excitanti: per illam quippe Deus illuſtrat intellectum, & allicit voluntatem, vt ſequatur bonũ, ſicut dictu eſt ſuprà ergo, &c. Quo fit, vt gratia cooperans ſolùm moraliter, à gratia excitante non differat: qui enim excitat alium, & ſuadet illi bonum, eſt cauſa moralis eiuſdem boni. ergo moraliter cooperatur illi ad tale bonum volendum, vel exequendum: ergo gratia cooperans ſolùm moraliter, eſt eadem cum gratia excitante. Verùm, quia ſacra Scriptura, Concilia, & Patres, præſertim SS. Auguſtin. & Thom. non loquuntur ſolùm in hoc ſenſu de gratia operante, vel cooperante, ſed in alio altiori, videlicet de gratia, quæ phyſicè, ſeu verè efficienter facit nos operari; & ſic operatus, vt operemur; ideo ſit

Gratia operans moraliter eadem eſt cũ gratia excitante.

VIII. Secunda concluſio. Gratia operans phyſicè diſtincta eſt realiter à gratia excitante. Concluſio eſt contra auctores ſecundæ ſententiæ, qui, vt ſuprà viſum eſt, & patebit infrà, nullam admittunt operantem gratiam, quæ verè efficienter, ſeu phyſicè prædeterminando voluntatem, faciat nos facere & omnia loca Scripturæ, Conciliorum, ſancti Auguſtini, & ſancti Thomæ, quæ in contrarium adducuntur, expleant de gratia præoperante moraliter. Noſtram tamen concluſionẽ docent omnes recentiores Thomiſtæ, quam prius non obſcurè tradiderunt ſancti Auguſtinus & Thomas, vt dicetur ex profeſſo diſputatione 86. vbi multis teſtimoniis ſacrarum literarum, definitionibus Conciliorum, præſertim Concilij Araſicani, & ſanctorum Patrum Auguſtini, & Thomæ apertiſſimis locis, ac rationibus Theologicis manifeſtum fiet, Deum per auxilium præoperantis gratiæ facere vt faciamus & operari, vt operemur, non ſolùm ſuadendo, allicicndo, inuitando, aut aliter etiam interiùs moraliter attrahendo: ſed etiam verè efficienter, & efficaciter faciendo, ipſum arbitrium cooperari, & liberè conſentire Deo mouenti & vocanti. Ex hoc enim euidenter concluditur, gratiam hanc operantem realiter ab excitante diſtingui; cùm gratia excitans huiuſmodi effectum non habeat, vt auctores ſententiæ oppoſitæ fatentur. Nec ſatis eſt reſpondere, gratiam excitantem, culpa eius qui mouetur, & excitatur, huiuſmodi effectus non habere, quia liberum arbitrium cooperari non vult, nec conſentire Deo mouenti, & excitanti. Contendimus enim, Deum per gratiam operantem, de qua nunc loquimur, certò & infallibiliter ſibi ſubijcere humanam voluntatem, ac facere ex nolentibus volentes, ex repugnantibus conſentientes: quod tamen

Diſp. 4. & 86.

Gratia operans phyſicè diſtinguitur realiter à gratia excitante.

men per ſolam gratiam excitantem non efficit, vt
Diſp. 15. patet ex his, quæ de effectibus gratiæ excitantis ſuperiùs dicta ſunt.

Secundò, idem probatur. Gratia cooperans realiter diſtinguitur ab excitante: ergo & gratia operans. Probatur conſequentia: nam gratia operans, & cooperans non ſunt diſtinctæ, ſed eadem ſecundùm diuerſos effectus, vt 1.2.qu.111. art. 2. in corp. & ad 4. docet S. Thomas. Antecedens probatur: nam gratia cooperans attingit effectiuè piam operationem: gratia autem excitans non producit eandem operationem efficienter, ſeu phyſicè: ſed ſolùm moraliter attingit conſenſum voluntatis; ac per cónſequens, quando producitur pia operatio, ſæpe non exiſtit talis gratia excitans: vnde efficienter operari non poteſt, quia quod non eſt, non operatur, cùm vnumquodque operetur, inquantùm eſt actu; ergo gratia operans realiter diſtinguitur ab excitante.

Præterea probatur noſtra concluſio omnibus argumentis, quibus diſp. 22. & 23. oſtenſum eſt, Deum per motionem præoperantis gratiæ phyſicè prædeterminare liberum arbitrium ad cooperandum, & conſentiendum Deo vocanti: cum ergo gratia excitans non ſic prædeterminet liberum arbitrium ad operandum, ſed illud ita indeterminatum relinquat, vt cum ipſa gratia excitante ad cõſenſum ſimul ſtet eiuſdem arbitrij diſſenſus; relinquitur, talem gratiã excitantem realiter à gratia operante diſtingui.

Gratia operãs, & cooperans cõcurrit ad quamlibet piam operationem.

Tertia concluſio, ad quãcunque piam operationem, ſiue ſit intentio finis, ſiue electio mediorũ, ſiue ſit actus interior, ſiue exterior, ſemper concurrit gratia operans, ſaltè phyſicè, & gratia cooperans. Probatur: nam gratia operans phyſicè eſt, qua Deus operatur, vt operemur, prædeterminando voluntatem noſtram ad conſenſum cooperans autem gratia illa eſt, qua Deus nobiſcum piam operationẽ operatur; ſed in quacunque pia operatione Deus vere efficienter per ſuam gratiam facit nos operari, & ſimiliter operatur nobiſcum ipſam operationẽ, vt conſtat ex definitione illa Conc. Araus. can. 9. *Quoties bona agimus, Deus in nobis, atque nobiſcum, vt operemur, operatur.* Vbi illud verbum *in nobis*, denotat effectum gratiæ operantis, ſicut illud verbum, *nobiſcum*, denotat effectum gratiæ cooperantis: ergo ad omnem piã operationem concurrit gratia operans in nobis, qua videlicet Deus operatur, vt operemur, faciens nos facere, id quod ipſe ſolus efficit, vt ſuprà oſtenſum eſt, & gratia cooperans, qua videlicet ipſam piam operationem efficit nobiſcum.

Secundò probatur. Noſtrum liberum arbitrium non operatur aliquem actum ſupernaturalem, niſi motum à Deo, vt habetur in Tridentin. ſeſſ. 6. de iuſtificat. canon. 3. & 4. ergo in omni operatione ſupernaturali liberum arbitrium & mouetur à Deo, & ſe mouet ſaltem phyſicè: ergo eſt ibi vtraque gratia operans ſcilicet, & cooperans. Probatur conſequentia: nã ſecũdùm S. Th. gratia operãs dicitur in ordine ad illum effectum, reſpectu cuius volũtas noſtra ſolùm ſe habet, vt mota: cooperans autem dicitur in ordine ad effectum, in quo mota ſe mouet.

Confirmatur. Voluntas noſtra in ordine ad motionem præuiam, qua mouetur à Deo ad actus ſupernaturales, habet ſe paſſiuè, cùm talis motio non producatur actiuè à noſtro libero arbitrio, ſed ſolũ à Deo, à quo eſt auxilium præoperantis gratiæ: ergo in ordine ad talem effectum gratia ſola operatur, & ità erit gratia operans. Rurſus voluntas mota à Deo producit actiuè, & liberè operationes ſupernaturales meritorias vitæ æternæ, & alias operationes ſupernaturales liberas ergo ibi concurrit gratia cooperans.

A Tertiò probatur apertiſſimis ſancti Auguſtini teſtimonijs, in quibus noſtram docet ſententiam, ſed præſertim libro de gratia, & libero arbitrio, capite 16. vbi ait: *Certum eſt nos velle, cùm volumus; ſed ille facit, vt velimus bonum.* & infra: *Certum eſt nos facere cum facimus; ſed ille facit, vt faciamus: præbendo vires efficaciſſimas voluntati.* Quibus verbis in omni pia operatione duo diſtinguit ſanctus Doctor. Primum eſt facere nos velle, quod de vera efficientia ad modum cauſæ phyſicæ, vt patebit infrà, intelligendum
Diſp 26. eſt: & hoc ſoli Deo tribuit, ac per conſequens gratiæ operanti: nam gratia dicitur operans comparatione illius effectus, in quo voluntas ſe habet tantùm, vt mota: ſolus autem Deus mouet, vt ſuprà dictum
B eſt. Secundum eſt ipſum velle voluntatis noſtræ, cuius non ſolùm Deus, vel ſola gratia eius eſt cauſa efficiens, ſed etiam noſtrum liberum arbitrium cum illa, iuxta verbum Apoſt. *Abundantiùs omnibus laborauí, non autem ego ſolus, ſed gratia Dei mecum.* Vnde
1. Cor. 15. comparatione huius effectus mens noſtra non eſt ſolùm mota à Deo, ſed ſimul etiam ſe mouet ſaltem phyſicè; ac per conſequens, talis effectus neceſſariò debet attribui gratiæ cooperanti. Sentit ergo ſanctus Auguſtinus ad quamcunque piam operationem concurrere gratiam operantem, & cooperantem. Quod magis confirmant verba illa eiuſdem libri, capite decimoſeptimo. *Vt velimus, ſine nobis operatur; cùm autem volumus, & ſic volumus, vt*
C *faciamus, nobiſcum operatur. Tamen ſine illo operante, vt velimus, vel cooperante, cùm volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus*: quod probat auctoritate Apoſtoli cùm ſubdit, *Deus operante illo, vt velimus, dictum eſt: Deus eſt enim, qui operatur in vobis & velle.* Philip 2
De cooperante illo, cùm iam volumus; & volendo facimus: Scimus, inquit, quoniam diligentibus Deum omnia
Rom. 8. *cooperantur in bonum.* Et libro primo ad Simplicianum quæſtione ſecunda, circa medium: *Aliter*, inquit, *Deus præſtat, vt velimus, aliter præſtat, quod voluerimus. Vt velimus enim, & ſuum eſſe voluit, & noſtrum: ſuum vocando noſtrum ſequendo: quòd autem voluerimus, ſolus præſtat*, ac ſi diceret: Nos volumus cum Deo, ſed ſolus Deus facit nos velle: de quo plura in diſp. 100. dicenda erunt. Denique lib. de don. perſe. ca.
13. ſic concludit: *Nos ergo volumus, ſed Deus in nobis*
D *operatur & velle: nos ergo operamur, ſed Deus in nobis operatur etiam operari pro bona voluntate. Hoc nobis expedit & credere & dicere: hoc eſt pium, hoc verum, vt ſit humilis, & ſubmiſſa confeſſio, & detur totum Deo.*

Reſpondent ad primum teſtimonium de gratia, & libero arbitrio, Auguſtinum dixiſſe, Deum facere vt velimus, etiamſi nos velimus, cùm volumus, & facere, vt faciamus, etiamſi nos faciamus, cùm facimus, quia tali vocatione ſecreta, noſtram præparat voluntatem, vt conſenſum facilè eliciat: in ſecundo etiam, & reliquis teſtimoniis idem omnino, & nihil aliud docere voluiſſe.

Hæc tamen ſolutio ambigua eſt, & noſtræ poteſt, & illorum adaptari ſententiæ. Vnde contra illam ſic argumentamur: nam, cùm inquiunt, Deum facere, vt velimus, & vt faciamus, quia tali vocatione ſecreta, noſtram præparat voluntatem, &c. vel per talem vocationem ſecretam intelligunt vocationẽ, qua Deus ſolùm ſuadendo, alliciendo, inuitando, aut aliter, etiam interiùs moraliter attrahendo, facit nos velle, & operari. Et hoc doctrinæ ſancti Auguſtini minimè congruit, quia in eius ſentẽtia Deus per gratiam præoperantem, quam vocationem altam, atque ſecretam ſæpius appellauit, non ſolùm moraliter modo explicato id facit, ſed etiam verè efficienter, ſiue ad modum cauſæ phyſicæ, efficit, nos cooperari, & liberũ influxum in conſenſum adhibere,

hibere, vt diſputatione 86. manifeſtum fiet. Si autem intelligant vocationem altam & ſecretam; quæ vtroque modo, videlicet moraliter, & phyſice, ſiue ad modum cauſæ phyſicæ, facit nos cooperari, conſentiunt noſtræ ſententiæ: ac per conſequens fateri tenentur, Deum per auxilium præparatum gratię phyſicè determinare voluntatem ad quamcunque piam operationem in particulari cum omnibus ſuis circumſtantiis, vt diſputatione 22. & 23. nos diximus, & patebit amplius diſputatione 91. Præterea cùm adiiciunt, Deum vocatione ſecreta noſtrâ præparare voluntatẽ, vt conſenſum facilè eliciat, difficultatẽ facit illud verbũ facilè, vt quid enim hoc verbũ interponunt: An verò non erat integer ſenſus, vt conſenſum eliciat? nã vt diſp. nonageſimaoctaua manifeſtum fiet, auxilium gratiæ non eſt ſolùm neceſſarium, vt facilè, ſed vt ſimpliciter liberum arbitrium conſenſum in piam operationem eliciat.

Si dicatur, Deum efficienter, ac phyſicè facere, vt faciamus, quia videlicet phyſicè, ac efficienter producit in intellectu, & voluntate illuminationes, & excitationes indeliberatas hoc fine, & hac intentione, vt faciamus, contrà: nam hoc eſt phyſicè efficere in nobis motiones illas indeliberatas, quibus moraliter tantùm, ſiue per modum ſuadentis, & inuitantis facit voluntatem cooperari; non autem ſaluatur per hoc, quòd Deus ſua gratia præoperante verè efficienter, ſeu phyſicè faciat nos cooperari.

X. Quartò probatur: nam ad quamcunque piam operationem duo ſunt neceſſaria, ſcilicet & cõcurſus Dei, & concurſus arbitrij creati; ſed concurſus Dei eſt prior, vtpote primæ cauſæ, quæ ſua operatione influit in omnes cauſas ſecũdas priùs ratione, & cauſalitate, quàm illæ ſuos attingant effectus, vt diſputatione 18. oſtenſum eſt: ergo in quacunque pia operatione inuenitur aliquid, quod ſoli Deo, & gratiæ operanti tribuitur, ſcilicet influxus in liberum arbitrium, vt in cauſam, quo præparatur, ſeu præderminatur ad piè operandum, & ipſa pia operatio à Deo, & à libero arbitrio procedens, quæ ſubinde attribui debet gratiæ cooperanti.

Iuxta hanc doctrinam intelligenda eſt ſententia Caietani, M. Soti, & aliorum Thomiſtarum: non enim intendunt negare hanc tertiam concluſionẽ, ſed ſolùm docere, in intentione finis voluntatem noſtram non mouere ſeipſam moraliter per deliberationem rationis, ſed moueri ſolùm à Deo, quantùm ad ſpecificationem actus; ac per conſequens, gratiam dici operantem comparatione finis, modo ſuperiùs explicato, cooperantem verò reſpectu mediorum. In eodem ſenſu poteſt intelligi prima ſententia: nam per actum interiorem voluntatis ſignificat intentionem finis, & per actum exteriorem, electionem mediorum, in qua acceptione ſumitur actus interior & exterior à ſancto Thoma, prima ſecundæ, quæſtione 18. artic. 6. in corpore, cum ait: *In actu voluntario inuenitur duplex actus, ſcilicet actus interior voluntatis, & actus exterior: & vterque horum actuum habet ſuum obiectum: finis autem propriè eſt obiectum interioris actus voluntarij.* Quibus verbis, vt ibi explicat Caietanus, per actum interiorem voluntatis intelligit intentionem, quę eſt circa finem; ac per conſequens, per actum exteriorem intelligit electionem: vnde in ſolutione ad ſecundum eiuſdem articuli ait, quòd ordinari ad talem finem, etſi accidat exterioti actui, non tamen accidit actui interiori voluntatis, qui comparatur ad exteriorem, ſicut formale ad materiale.

Actus interior voluntatis ſignificat intentionem finis, exterior electionem mediorũ.

PEt hæc patet ſolutio ad primum, & ſecundum argumentum cum ſua confirmatione facta pro prima ſententia.

XI. Ad tertium pro ſecunda ſententia reſpondetur, primum, & remotum initiũ iuſtificationis in adultis ſumi à gratia excitante; proximum autem à gratia adiuuante, quæ gratiam operantem, & cooperantem includit, per quam Deus in nobis, atque nobiſcum, vt operemur, operatur. Vnde negandum eſt, Concilium Tridentinum in verbis inductis ſignificaſſe, gratiam operantem, de qua in tertia concluſione loquuti ſumus, eandem eſſe cum gratia excitante: neque enim gratia excitans concurrit efficienter cum libero arbitrio ad piam operationem, ſed ſolùm moraliter, vt ex præmiſſis patet. Gratia autem adiuuans eſt, quæ in libero arbitrio & cum illo eandem piam operationem efficit; & hęc gratia, quatenus mouet liberum arbitrium, & illud phyſicè præderminat ad conſentiendum, dicitur operans, eo quòd comparatione huius effectus, voluntas noſtra eſt mota, & non mouens: ſolus autem Deus eſt mouens. Quatenus verò cum libero arbitrio ſic moto à Deo producit effectiuè piam operationem, dicitur gratia cooperans; quia in hoc effectu voluntas noſtra & mouet ſe, & mouetur: & ideo operatio non ſolùm attribuitur Deo, ſed etiam animæ. Vnde gratia adiuuans, quatenus mouet, & determinat liberum arbitrium ad operandum, dicitur operans; quatenus verò cum libero arbitrio moto à Deo producit piam operationem, dicitur cooperans. Et hic eſt legitimus ſenſus Concilij Tridentini, vt patet ex cap. 4. inducto, vbi antecedenter ad liberum conſenſum non ſolùm requirit excitationem, per quam Deus moraliter facit, vt faciamus, ſed etiam motionem efficacem, per quam verè efficienter Deus efficit nos conſentire: quam quidem prędeterminantem motionem gratiã phyſicè operantem appellamus. Et per hæc patet ad confirmationẽ.

Ad quartum reſpondetur, loca illa Auguſtini noſtram ſententiam efficaciter confirmare, & contrariam penitus euertere: ex illis enim habemus primò, quòd, quamuis liberum homipis arbitrium liberè velit; ſolus tamen Deus eſt, qui facit eum velle, non ſolùm moraliter ſuadẽdo per gratiam excitantem, ſed etiam verè efficienter per gratiam operantem, faciendo, vt ipſum arbitrium conſentiat, & cooperetur, & ſimul tempore nobiſcum cooperando ipſum conſenſum. Habemus ſecundò, Deum duobus modis præparare voluntatem vt conſentiat. Primò, ſuaſione quadam morali, quæ eſt per gratiam excitantem. Secundò, per motionem prædeterminantem voluntatem ad conſenſum, quod fit per gratiam operantem, qua operans eſt. XII.

Ad quintum reſpondetur, quòd Deus ideo dicitur operari in nobis, vt velimus, quia ipſe ſolus facit, nos velle: licet enim homo liberè velit, non tamen facit, ſe velle, ſed ſolus Deus per gratiam operãtem id efficit, vt diſputatione 100. ex diuerſis locis ſancti Auguſtini, & aliorum Patrum oſtendemus. Deus autem facit nos velle, & operatur in nobis initium bonæ voluntatis non ſolùm moraliter ſuadendo, ſed etiam verè efficienter, & efficaciter faciendo nos liberè conſentire; & ratione huius effectus dixit Auguſtinus: *Ipſe vt velimus, operatur incipiens.* Quia verò etiam nos liberè cooperamur, ideo ſubdit: *Qui volentibus cooperatur perficiens.* Vnde quamuis idem ſit munus gratiæ operantis moraliter ipſum velle, & gratiæ excitantis; non tamen eſt idem munus gratiæ operantis phyſicè, & gratiæ excitantis; & conſequenter iſtæ duæ gratiæ realiter inter ſe diſtinguuntur.

Ad textum reſpondetur, quòd ex ipſa nominum ſignificatione nos colligimus noſtram ſententiam: operari enim ſolùm moraliter, non eſt propriè operari, ſed metaphoricè, vt ſuprà oſtenſum eſt. Vnde, cùm Aug. ait, quòd ſolus Deus operatur incipiens, XIII.

vel quòd ipſe ſolus operatur, vt velimus; non eſt intelligendus de ſola operatione morali, ſeu de operatione, qua ſolum moraliter primò incipit ipſum velle, ſed etiam de operatione phyſica, per quam Deus primò inchoat noſtrum velle, faciendo, vt illi cooperemur, & liberè conſentiamus. Neque admittimus, gratiam adiuuantem, ſeu cooperantè, qua ratione adiuuans eſt, influxu dumtaxat ſimultaneo concurrere cũ noſtro libero arbitrio ad piam operationem: nam vt diſputatione ſequenti manifeſtum fiet, gratia adiuuans, & cooperans, quamuis ſimul tempore ſit cum influxu arbitrij, illum tamen ordine rationis, & cauſalitatis præcedit.

Ad ſeptimum reſpondetur, quòd illis verbis nomine vocationis S. Aug. non ſolùm comprehendit gratiam excitantem, quæ moraliter operatur, vt velimus, ſed etiam gratiam, qua Deus verè efficienter facit nos facere, vt dictum eſt. Vnde S. Tho. 1. 2. qu. 113. art. 1. ad 3. nomine vocationis intelligit auxilium gratiæ excitantis, & mouentis, id eſt efficaciter adiuuantis. Sic enim ait: *Vocatio refertur ad auxilium Dei interius mouentis, & excitantis mentem ad deſerendum peccatum: quæ quidem motio Dei non eſt ipſa remiſſio peccati ſed cauſa eius.*

DISPVTATIO LXXXII.

Vtrùm gratia cooperans, inquantùm cooperans, ſit præueniens, ſeu præmouens liberum arbitrium ad conſenſum, an ſolùm pariter, & ſimultaneè cum illo in piam operationem influens.

I. HAnc difficultatem breuiter attigimus diſp. 74. concl. 2. ſed nunc operoſius diſcutienda eſt, & explicanda: quoniam ex eius intelligentia efficacia auxiliorum gratiæ, quam iuxta doctrinam SS. Auguſt. & Tho. defendere nitimur, lucidior apparebit.

Quidam ergo recentiores Theologi ſentiunt, gratiam cooperantem, qua ratione cooperans eſt, non præuenire influxum, ſeu liberam cooperationem noſtri arbitrij, ſed pariter, & coinſtantaneè influere cum illo in operationes credendi, ſperandi, diligendi, &c. Probant ſuam ſententiam

Primò auctoritate S. Bernardi, lib. de gratia, & libero arbitrio, vbi explicans gratiæ operantis, & cooperantis naturam, ſic ait: *Ipſa liberum excitat arbitrium, cùm ſeminat cogitatum: ſanat, cùm immutat affectum: roborat, vt perducat ad actum: ſeruat, ne ſentiat defectum. Sic autem iſta cum libero arbitrio operatur, vt tantùm illud in primo præueniat, in cæteris comitetur. Ad hoc vtique præueniens, vt iam ſibi deinceps cooperetur: ita tamen quod à ſola gratia cœptum eſt, pariter ab vtroque perficitur: vt mixtum, non ſingillatim, ſimul, non viciſſim, per ſingulos profectus operetur. Nõ partim gratia, partim liberum arbitrium: ſed totum ſingula opere indiuiduo peragunt.* Quibus verbis expreſsè docet, gratiam Dei ſolùm præuenire liberum arbitrium, cùm illud excitat: in cæteris enim, inquit, quòd gratia comitatur liberum arbitriũ, cùm videlicet cooperatur illi. Et cùm ait, *quòd à ſola gratia cœptum eſt, pariter ab vtroque perficitur*, clariſſimè oſtendit, auxilium gratiæ cooperantis nõ eſſe præueniens, ſed pariter cum voluntate noſtra in piam operationem influens: quod etiam docet Chryſoſt. homil. 12. ſuper epiſtolam ad Hebræos, cùm ait: *Non antecedit noſtras voluntates, ne lædatur liberum arbitrium*: quæ verba intelligenda ſunt de gratia cooperante: nam de gratia excitante in aliis locis docuerat; præuenire idem arbitrium.

Secundò. Cooperari alteri ad aliquem effectum, eſt pariter cum illo eundem effectum producere: cooperans enim, vt patet ex ipſa nominis ſignificatione, dicit reſpectum ad alterum ſimul operans: ergo gratia cooperans, inquantùm cooperans, nullo modo antecedit liberum influxum, & cooperationem noſtri arbitrij, ſed eſt ſimul, & natura, & tempore cum illa.

Confirmatur. Ille, cui cooperatur alter, aliquid agit, vt Auguſtinus docet; ſed ante proprium influxum noſtrum liberum arbitrium nihil agit, cùm operatio arbitrij abſque eius influxu eſſe non poſſit, neque intelligi: ergo ante talem influxum Deus non cooperatur libero arbitrio; ac per conſequens gratia cooperans non eſt præueniens influxum eiuſdem arbitrij. Aug. locis allegandis diſput. 96. num. 1.

II. Tertiò. Cooperatio gratiæ ad noſtram conuerſionem, vel quamcunque aliam piam operationem, pendet ex libera operatione noſtri arbitrij, non ſecus atque concurſus, & influxus habituum virtutum ad noſtras operationes, pendet à cooperatione ipſarum potentiarum: id quod cauſa eſt, vt habitibus vtamur ad noſtras operationes, quando pro arbitrio noſtro volumus operari; eiſque non vtamur, quando ab operatione pro eodem arbitrio ceſſare volumus: ergo gratia cooperans non præcedit, ſed comitatur liberum influxum & cooperationem noſtri arbitrij, ſicut influxus habitus in operationem concomitatur influxum potentiæ. Probatur conſequentia: nam quod dependet ab alio, non præcedit illud, etiam ordine naturæ: quia id, quod eſt prius, non dependet à poſteriori.

Quartò. Gratia cooperans, & liberum arbitrium ſunt duæ cauſæ partiales ſupernaturalis conſenſus, ſicut duo trahentes nauim: ſed cauſæ partiales trahentes nauim, vel concurrentes ad alium effectum producendum, ita concurrunt ſimul ad illum effectum, vt neutra alteram præcedat, ſed à ſe inuicem in productione illius effectus pendent: ergo gratia cooperans non præcedit, nec præuenit cooperationem noſtri arbitrij, ſed ſimul omnino eſt cum illa.

Quintò. Qui cooperatur, aliquid cooperatur; ſed auxilium diuinæ gratiæ in illo priori ſigno rationis, vel inſtanti naturæ, antequam liberum arbitrium influat in conſenſum, nihil coperatur: quia non cooperatur ipſum conſenſum, alias ante cooperationem arbitrij intelligeretur conſenſus ipſe productus à ſola gratia, & ita liberum arbitrium merè paſſiue ſe haberet in cooperatione eiuſdem conſenſus, quod eſt cõtra definitionẽ Concilij Tridentini, nec cooperatur in illo priori aliquid aliud, quia non eſt ſignabile, quid ſit illud: ergo ante liberu influxum noſtri arbitrij nõ intelligitur gratia cooperans; ac per conſequens, talis gratia non præcedit etiam ordine naturæ eundem influxum, vel cooperationem arbitrij. Si dicatur, quòd gratia cooperãs, eatenus eſt præueniens ordine naturæ liberam cooperationẽ noſtri arbitrij, quatenus Deus per illam facit, vt faciamus, & operatur, vt operemur; quod quidem antecedenter ad influxum eiuſdem arbitrij facit Deus in nobis, & ex hac parte gratia cooperãs eſt præueniens, quamuis comparatione ipſius piæ operationis ſimul concurrat cum libero arbitrio. contra hoc eſt Cõc. Trid. ſeſſ. 6. de iuſtif. cap. 5. can. 4.

III. Sextum argumentum. Gratia Dei, quatenus facit, vt faciamus, non eſt gratia cooperans, ſed gratia operans phyſicè, vt diſp. præcedenti dictum eſt: nam comparatione huius effectus voluntas noſtra non ſe mouet, ſed ſolùm mouetur à Deo: ergo gratia cooperãs, formaliter loquendo, inquantùm cooperans,

rans,non eſt præueniens , ſed concomitans liberum influxum noſtri arbitrij.

In contrarium eſt. Quia nos cooperamur gratiæ Dei ſubſequendo:ergo gratia Dei cooperatur nobis antecedendo , ac per conſequens gratia cooperans præuenit ordine naturæ cooperationem noſtri arbitrij.Antecedens eſt expreſſum Gelaſij Papæ I. in epiſt.5.ad vniuerſos Epiſcopos per Picenum;vbi explicans illud 1.ad Cor.15. *Non autem ego , ſed gratia Dei mecum* ait: *Quis autem audeat dicere Chriſtianus, aliquid habere boni ſine gratia? quando Magiſter gentium clamat,cuncta breuiter in ſe dona concludens:Gratia Dei ſum, id, quod ſum , & gratia eius in me vacua non fuit:vt oſtenderet,quia donum gratiæ non ipſe præceſſerit,ſed fuerit ſubſequutus, atque monſtraret,cooperatorem ſe eſſe gratiæ ſubſequendo? Sed plus omnibus,inquit, illis laboraui. Ac rurſus veritus , ne de ſe præſumere videretur,adiunxit:Non ego, ſed gratia Dei mecum. Non dixit:Ego,& gratia Dei mecum , ſed præpoſuit gratiam præcedentem ſe , atque ſubiunxit : Quid autem habeti poſſit ſine gratia,cum ſit fides ipſa per gratiam?* Conſequentia verò probatur , quia verificari non poteſt, quòd liberum arbitrium cooperetur gratiæ , ſubſequendo, niſi gratia cooperetur eidem arbitrio , influxum illius ordine cauſalitatis antecedendo.

Gelaſius.

Pro explicatione huius difficultatis notandum eſt , quòd in præſenti non loquimur de antecedentia,ſeu prioritate ſecundum ordinem temporis.Certũ eſt enim apud omnesTheologos,gratiã cooperãtem eſſe in eodem inſtanti temporis cum influxu, ſeu cooperatione arbitrij creati. Nec etiam loquimur de prioritate ſecundùm dignitatem : nam omnes fatentur , cooperationem Dei excellentiorem eſſe, & magis principalem cauſam piæ operationis, quàm cooperatio liberi arbitrij; id quod etiam Semipelagiani,præſertim Fauſtus,ingenuè fatebantur, vt diſp.2.num.8.viſum eſt Loquimur ergo de antecedentia , vel prioritate ſecundùm ordinem rationis ,& cauſalitatis. Et controuerſia eſt : An gratia cooperans , formaliter loquendo , præueniat ordine rationis , & cauſalitatis cooperationem noſtri arbitrij, ita videlicet , vt iſta cauſalis ſit vera : Quia Deus cooperatur , liberum arbitrium cooperatur; hæc autem ſit falſa : Quia liberum arbitrium cooperatur , Deus cooperatur : de qua quidem cauſali agendum erit ex profeſſo diſp.98.& 99.

V.

Secundò ſupponendum eſt ex dictis diſputatione præcedenti,gratiam cooperantem diſtingui realiter ab excitante : hoc enim eſt vnum ex potiſſimis fundamentis noſtræ ſententiæ.Recolẽda ſunt etiam, quæ circa concurſum generalem , & modum , quo Deus concurrit cum cauſis ſecundis ad ſuas operationes,dicta ſunt diſput.18. 22.23. & quæ circa dependentiam cooperationis liberæ eiuſdem arbitrij à Deo , præſertim in actibus ſupernaturalibus ſcripſimus diſp.36.& quæ de eadem re dicemus diſp.85. & 86.diſp. 96. & ſeq.vſque ad diſputationẽ 100. Ex iis enim, quæ in prælegatis diſputationibus dicta ſunt , & dicentur , reſolutio præſentis difficultatis facilè colligi poterit.

VI.

Gratia cooperans eſt præueniés concurſum lib.arb.

PRima ergo concluſio ſit.Gratia cooperans,quatenus ab excitante diſtinguitur' , eſt præueniens liberam cooperationem arbitrij creati. Concluſio eſt contra auctores primæ ſententiæ : eam tamẽn docet expreſsè Magiſter Medina , prima ſecundæ,quæſt.111.articulo 2. §.hæc doctrina,vbi ait: *Gratia operans,ſiue præueniens duplex eſt.Vna,qua præuenit peccatorem , vt reſurgat:altera , qua peccator præuenienti Deo aſſentiens,iam reſurgit. Vtraque voluntatem præuenit Deus , ſed priorem ſubminiſtrando,ſolus operatur ſepenumerò. dum immittit in corda noſtra bonum cogitatum & excitat nos. In altera voluntas noſtra, Deum præuenientem ſubſequens, ei per velle , ſeu aſſenſum,cooperatur,dum excitata,& mota à Deo , incipit bene operari.* Quibus verbis aperte docet, gratiam adiuuantem, ſeu cooperantem eſſe præuenientem , & cooperationem noſtri arbitrij ſubſequi ordine cauſalitatis ad eandem gratiam. Quod circa medium commenti magis explicat dicens. *Itaque velle pœnitere,velle reſipiſcere,velle accipere remiſſionem peccatorum, non eſt a ſola voluntate,ſed illud nobiſcum operatur Deus,dum immutando malenolam voluntatem, eam facit beneuolam, & ſuæ voluntati conſentientem:Vnde voluntatem quidem noſtram Deus immutat gratia ſua operante,& ſic operatur in nobis velle ; ſed tamen quia voluntas inuita mutari nequit,Deo cooperatur,dum ei conſentit.* Ecce ait,gratiam, qua Deus operatur in nobis velle quam diſtinguit ab excitante, eſſe præuenientem.Eandem ſententiam defendunt omnes aſſertores , & propugnatores efficacis gratię , phyſicè prędeterminantis liberum arbitrium ad conſenſum , & eſt certa, ac valde conformis ſacris literis , decretis Summorum Pontificum , & Conciliorum , ac dictis ſanctorum Patrum , præſertim Auguſtini , & Thomæ. Probatur ex illo ad Philip. 2. *Deus eſt enim,qui operatur in nobis & velle,& perficere.* Et Iſaiç 26. *Omnia opera noſtra operatus es in nobis , Domine.* Dicens enim *operatur in nobis*,quandam anteceſſionem ſignificat, qua Deus per gratiam cooperantem eadẽ opera efficit nobiſcum. Vnde ſanctus Proſper in epiſt. ad Auguſtinum , propter huiuſmodi anteceſſionem , & prioritatem ſecundùm ordinem cauſalitatis , eandem gratiam *præoperantem* appellat. Idem probari poteſt aliis locis Scripturæ , & definitionibus Conciliorum,quibus diſputatione 86.manifeſtum fiet, Deum per auxilium efficax præoperantis gratiæ facere actiuè propriè , ſiue ad modum cauſæ phyſicæ , vt liberum arbitrium ſuum adhibeat influxum , & cooperationem in conſenſum. Præterea idem confirmat auctoritas Gelaſij Papæ, argumento in contrarium inducto.

S. Proſper.

Secundò probatur auctoritate ſancti Thomæ, prima ſecundæ,quęſtione 111.articul.2.in corp.vbi ait: *In illo effectu , in quo mens noſtra & mouet , & mouetur , operatio non ſolum attribuitur Deo , ſed etiam animæ , & ſecundùm hoc dicitur gratia cooperans.* Quibus verbis apertè docet,mentem noſtram, ſeu liberum arbitrium,comparatione effectus , qui gratiæ cooperanti attribuitur , & moueri à Deo ,& mouere ſeipſum : ergo gratia cooperans , inquantùm cooperans & mouet liberum arbitrium , & ſimul cum illo moto à Deo piam operationem producit:ſed omne mouens , inquantùm mouens præcedit ſaltem ordine naturæ motum mobilis : ergo gratia cooperans præcedit ordine naturæ cooperationem liberi arbitrij creati , qua ſeipſum mouet, & liberè conſentit Deo mouenti.

Confirmatur ex definitione illa Conc. Trid ſeſſ. 6.de iuſtif.can.4. *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium, à Deo motum , & excitatum nihil cooperari , aſſentiendo Deo excitanti , atque vocanti , &c. anathema ſit.* Ecce ait,liberum hominis arbitrium cooperari; motum tamen à Deo:quod vtique non ſolùm fit per gratiam excitantem , ſed etiam per adiuuantem , & cooperantem,quàm in cap. 5. eiuſdem ſeſſ. præuenientem eſſe non obſcurè docuerat , vt ſuperiùs declaratum eſt.

Tertiò probatur.Quodcunque opus meritorium filiorũ Dei eſt effectus gratiæ cooperantis,vt 1.2. q. 114.in proœmio docet S.Thomas , cùm ait : *Deinde conſiderandum eſt de merito , quòd eſt effectus gratia cooperantis* : ſed in quocunque opere meritorio voluntas noſtra nõ ſolùm ſe mouet phyſicè,ſed etiã mouetur à Deo, vt patet ex illo Rom.8. *Qui ſpiritu*

VII.

Dei aguntur, hi sunt filij Dei. Ex quibus verbis colligit sanctus Augustinus locis disputatione 18. num. 16. allegatis, quòd filij Dei *aguntur vt agant, non vt ipsi nihil agant*: ergo prius est, quòd filij Dei agantur, seu moueantur a Deo, quam quòd ipsi aliquid agant. Aguntur autem physicè per gratiam adiuuantem, seu cooperantem: nam per gratiam excitantem solùm mouentur moraliter ad liberum consensum, vt suprà dictum est, & inferiùs patebit ampliùs: ergo gratia adiuuans, seu cooperans præuenit ordine naturæ, & causalitatis liberam cooperationem arbitrij.

Quartò. Gratia cooperans, seu ipse Deus, per gratiam cooperantem influens, & liberum arbitrium, non sunt duæ causæ partiales piæ operationis, sed totales; quarum vna, scilicet liberum arbitrium intrinsecè subordinatur alteri, & ab ea, tanquam à superiori, & priori causa efficiente, non solùm in esse, sed etiam in sua cooperatione, dependet, vt disp. 85. 96. & 97. manifestum fiet: ergo gratia cooperans præcedit ordine rationis, & causalitatis

VIII. Responsio. cooperationẽ arbitrij. Probatur consequentia: nam vbi est realis dependẽtia vnius ab alio, est ordo prioris, & posterioris secundùm ordinẽ naturæ. Respondent, quòd sicut vnum relatiuũ pendet ab alio correlatiuo, non tamen est prius, aut posterius illo, sed simul natura, vt Arist. docet in prædicamento relationis, & à se inuicem pendent, ita vt posito vno relatiuo, ponatur aliud in rerum natura, & eo ablato, necesse sit alterum auferri: ita proportionabiliter, quamuis cooperatio liberi arbitrij subordinetur cooperationi diuinæ; neutra tamen est prior altera, sed à se inuicem pendent, & simul natura ponuntur

Cõfutatio. in re, vel auferuntur. Facilè tamen impugnatur hæc solutio: nam vnum correlatiuum non subordinatur alteri tanquam causæ per se efficienti, sed tanquam termino, in ordine, ad quem essentialiter definitur: & propterea non potest intelligi vnum relatiuum sine altero, ac per consequens sunt simul natura. Cæterùm cooperatio nostri arbitrij dependet à Deo cooperante, tanquam à priori causa per se efficiente, vt supra dictum est, & inferiùs patebit. Vnde necesse est, quòd diuina cooperatio ordine naturæ, & causalitatis creati arbitrij cooperationem præcedat.

Quintò probatur: nam Faustus Regiensis, vt disp. 2. num. 5. & 8. visum est, asseruit, gratiam, & liberum arbitrium pariter sociari in his, quæ pertinent ad salutem, eámque esse comitem, non præuiam humanorum meritorum, qui tamen primas partes soli gratiæ in opere nostræ salutis tribuebat, & loquebatur de gratia adiuuante, siue cooperante: nam, vt patet ex dictis in disputatione 2. num. 6. & 7. ille non negauit, sed expresse concessit à gratia excitante humanas præueniri voluntates in operationibus piis, quæ fidem sequuntur, quamuis asseruerit, fidem esse in nobis ex nobis: & tamen sancti, qui contra illum scripserunt, contendunt gratiam adiuuantem, seu cooperantem, nedum esse comitem, sed etiam præ-

IX. uiam humanorum meritorum: ergo.

Secunda conclusio. Gratia cooperans, inquantùm cooperans, præcedit ordine rationis, & causalitatis cooperationem arbitrij creati cum illa. Hæc conclusio sequitur ex precedenti: nam gratia cooperans quatenus ab excitante distinguitur, est præueniens, vt ostensum est; sed inquantùm cooperans, est realiter distincta à gratia excitante; vt ex præmissis patet: ergo inquãtùm cooperans, est præueniens influxum creati arbitrij. Hæc conclusio ampliùs patebit ex solutione vltimi argumenti.

S Bern. auctoritas. AD primum ergo argumentum respondetur; sensum S. Bernardi esse, quòd in sola excitatione præueniat gratia cooperationem arbitrij, secundum ordinem temporis na, regulariter loquendo, gratia excitans tempore antecedit liberum consensum arbitrij. Cum autem subdit, quod *in cæteris comitatur*, loquitur de concomitantia secundùm instans temporis, non autem secundum instans naturæ: nam in eodem contextu non obscure fatetur, cooperationem gratiæ ordine naturæ, & causalitatis præcedere cooperationem arbitrij: nam statim subdit: *Non partim gratia partim liberum arbitrium; sed totum singula opere indiuiduo peragunt. Totum quidem hoc, & totum ex illa sed vt totum in illo, sic totum ex illa.* Ac si diceret; quamuis gratia & liberum arbitrium pariter, & simul tempore piam operationẽ producant; ordine tamen naturæ, & causalitatis gratiæ cooperatio præcedit. Id quod illa verba à S. Bernardo bis repetita designant: nempe totum ex illa: quibus designat, cooperationem arbitrij ex cooperatione gratiæ pendere; ac per consequens gratiam, eiusdem arbitrij cooperationem ordine causalitatis præcedere. Iuxta hanc doctrinam intelligenda est auctoritas Chrysostomi in eodem argumento inducta, de qua plura dicta sunt disputat. 22. numero 22. & 23.

Ad secundum argumentum respondetur, quòd X. cooperari alteri ad aliquem effectum, est simul tempore cum illo eundem effectum producere; non tamen est necesse, quòd simul natura, seu causalitatis ordine vterque concurrat.

Ad confirmationem respondetur, quòd, vt gratia libero cooperetur arbitrio, sufficit, vt in eodem instanti temporis, in quo gratia cooperatur, cooperetur etiam ipsum arbitrium, liberè influendo in consensum; quamuis secundùm instans naturæ cooperatio gratiæ præcedat. non quidem eliciendo piam operationem sine nobis, sed faciendo, quòd nos liberè, & infallibiliter consentiamus.

Ad tertium argumentũ respondetur, quòd, quamuis cooperatio gratiæ non sit, nisi in eodem instanti tẽporis adsit libera cooperatio arbitrij: non tamen dependet ab illa, sicut Sol non dependet ex radio, quãuis nunquam sit sine illo. Nec est eadem ratio de cooperatione, & influxu habituũ, & influxu gratiæ cooperantis: nam habitus non prædeterminat potẽtiam, quantùm ad exercitiũ actus, cùm actualis vsus illius subiaceat potestati arbitrij vtimur enim habitibus, cùm volumus. Cæterùm gratia cooperans non subiacet, quantùm ad vsum, potestati nostræ voluntatis, sed potiùs eam sibi subiicit, & obsequentem facit, vt disp. 87. perspicuum fiet. Vnde cooperatio gratiæ præcedit ordine naturæ cooperationem nostri arbitrij: influxus autem habitus in opera pietatis non præcedit ordine naturæ, sed comitatur influxum potentiæ, eadem opera producentis.

Habitus, & auxilij actualis differentia.

Ad quartum negatur antecedens, de quo ex professo in disp. 85. agendum erit.

Ad quintum respondendum erit latiùs disputatione 98. Nunc breuiter dicimus, quòd instans naturæ non est instans, in quo, sed instans, à quo. Vnde non oportet, quòd pro aliquo instanti assignetur aliquid productum à sola gratia cooperante, & non à libero arbitrio; sed sufficit, quòd intelligatur dependentia, quam influxus arbitrij habet à cooperatione gratiæ. Vnde non sequitur, quòd liberum arbitrium merè passiuè se habeat, recipiendo consensum à sola gratia productum.

Secundò respondetur, quòd, quamuis consensus liberi arbitrij non procedat effectiuè à sola gratia, sed à gratia, & libero arbitrio; primum tamen initium eiusdem consensus à sola gratia adiuuante procedit: ipsa enim est, quæ supposita gratia excitante, primò inchoat nostrum cõsensum, mouendo, & appli

ea gratiam cooperãte expẽditur.

Digitized by Google

& applicando liberum arbitrium ad operandum, vt in eadem disputatione 98.patebit.

Ad sextum respondetur, quòd effectus proprius gratiæ operantis est mouere tantùm: nam, vt ex S.Thoma dictum est, gratia dicitur operans, comparatione illius effectus, *in quo mens nostra est mota, & non mouens, solus autem Deus mouens*; effectus autem gratiæ cooperantis est ille, in quo mens nostra & mouet, & mouetur. Nec ex hoc sequitur, quòd gratia dicatur operans, & cooperans comparatione eiusdem effectus; alius enim effectus gratiæ est mouere tantùm voluntatem; alius verò, eandem voluntatem mouendo, piam operationem simul tempore cum illa producere. Primus quidem effectus gratiæ operanti, secundus autem gratiæ cooperanti attribuitur: vnde non solùm gratia operans, sed etiam gratia cooperans, inquantum cooperans, est præueniens.

Gratię operantis, & cooperatis effectus.

DISPVTATIO LXXXIII.

Quid sit Auxilium efficax præoperantis gratiæ, & in quo eius efficacia formaliter consistat.

I. PRo intelligentia legitima status huius controuersiæ supponenda sunt & recolenda quæ in principio disputationis 23.circa titulum quæstionis obseruauimus, ne vocibus ambiguis, & quæ ingenerare confusionem pollunt, veritas, quam ex animo inquirimus, occultari contingat. Ad hanc ergo quæstionem quidem doctores respondent, eiusmodi efficaciam non consistere in vno tantùm, sed in tribus, quæ ad illam constituendam sunt necessariò requisita. Primum est entitas motionis diuinæ tam ex parte intellectus quàm voluntatis, qua videlicet Deus intellectum illuminat, & voluntatem mouet interius, eam inclinando, & alliciendo per modum suadentis, vt Deo excitanti, & vocanti consentiat. Secundum est congruitas illius motionis cum tali subiecto sic disposito, & in talibus circumstantiis constituto: aliqua enim motio præuenientis gratiæ est congrua respectu vnius qui habet talem complexionem, & inclinationem, vel minora peccata, aut tentationibus dæmonis, vel stimulis carnis non vexatur; quæ tamen non est congrua respectu alterius, eò quòd duram complexionem habeat, vel maiora peccata, aut quia tentationibus dæmonis, vel carnis assiduè vexatur. Ex quo inferunt, aliquam gratiam præuenientem esse congruam, & efficacem, si in tali tempore, & in talibus circumstantiis alicui conferatur, quæ tamen non esset ei congrua, neque efficax, si eidem alio tempore, vel in aliis circumstantiis donaretur. Tertium est præscientia media, qua Deus, antecedenter ad decretum efficax conuertendi hominem, certò præscit, vt aiunt, motionem illam ita aptari, & congruere voluntati huius hominis in particulari, vt si per illam præmoueretur in talibus circumstantiis, esset infallibiliter consensurus.

II. Dicunt ergo primò, omnimodam efficaciam huius vocationis in hoc consistere, quòd Deus infinita sua sapientia præuidens, quid vnaquæque causa, seu voluntas in omni iuuentu, & occasione operatura sit, si in ea constituatur; etiam cognoscit, quando, & cui vocationi sit vnaquæque voluntas assensum præbitura, si ei detur. Vnde, quando vult hominem conuertere, vult etiam illum vocare illo tempore, & modo, quo nouit illum consensurum: & talis vocatio appellatur efficax,

Auxilii præuenientis gratiæ efficacia in quo consistat secundùm aliquos.

quia licet ex se non habeat infallibilem effectum; tamen, vt subest tali scientiæ diuinæ, infallibiliter est illum habitura: quod interdum poterit accidere cum speciali congruitate, & efficacia morali talis vocationis, interdum sine illa, cooperante libero arbitrio cum generali influxu gratiæ Dei: & vtroque modo gratia erit efficax, quamuis vna sit copiosior, quàm alia.

Hinc inferunt, hanc efficaciam non esse physicam, sed moralem, neque esse spectandam ex ipsa vocatione secundùm se, id est, secundum illam entitatem, vel motionem, quam ponit in homine, sed prout progreditur à Deo, & est sub intentione, ac scientia, seu directione eius. Et per scientiam intelligunt scientiam mediam, de qua in disp.7.mentionem fecimus.

Iuxta hanc efficacitatis modum, intelligendam esse aiunt doctrinam Aug & rationem reddunt, quia non considerauit tantùm congruitatem, quàm vocatio secundum se habet cum ingenio, vel natura hominis, quę est congruitas quasi in actu primo; sed etiam, ac præcipuè, proportionem illam considerauit, quæ in hoc consistit, quòd vocatio tunc datur, quando operatura est, quæ propriè consistit in actu secundo, & maximè congrua dici potest; quia maximè congruit homini, cui melius est vocari, quando respensurus est, etiamsi remissè vocetur, quàm fortiter vocari, cùm consensurus non est. Probant hanc sententiam

Primò auctoritate S. Augustini, qui ad gratiam efficacem, quam sæpius vocat gratiam secundum propositum, præter entitatem motionis in intellectu & voluntate receptæ, prædictam congruitatem requirit: sic enim ait: *Illi enim electi, qui congruenter vocati, illi autem, qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi, non electi; quia non sequuti, quamuis vocati.* Et post pauca: *Non volentis, inquit, neque currentis sed miserentis est Dei qui hoc modo vocauit, quomodo aptum erat eis, qui sequuti sunt vocationē. Nam cuius miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei cōgruere, vt vocantem non respuat.* Et ad idem videtur alludere lib.de spiritu, & lit cap.34 dicens; *Horum suasionibus agit Deus, vt velimus, & vt credamus, siue extrinsecus per Euangelicas exhortationes, siue intrinsecus, vbi nemo habet in potestate, quid ei veniat in mentem; sed consentire, vel dissentire propriæ voluntatis est.* Et statim subdit: *His ergo modis Deus agit cum anima rationali, vt credat.* Quibus verbis apertè significat Deum facere, vt credamus per moralem suasionem. Item etiam lib.2, de peccatorum meritis & remiss cap.17.explicans, in quo consistat efficacia vocationis, inquit: *Nolunt homines facere, quod iustum est, siue quia latet, an iustum sit, siue quia non delectat. Tanò enim quidque vehementius volumus, quanto certius, quàm bonum sit, nouimus, támque delectamur ardentius. Vt autē innotescat, quod latebat, & suaue fiat, quod non delectabat, gratia Dei est; qua hominum adiuuat voluntates.* Et tract.26.in Ioannem, explicans illud, *Nisi Pater, qui misit me, traxerit eum,* intelligit hoc de tractione morali: ait enim: *Voluntate credo, si trahor: parum est voluntate, etiam voluptate traheris, non necessitate.* Et post pauca; *Nuces puero demonstrantur, & trahitur, & amando trahitur. Si verum est: Trahit sua quemque voluptas, non trahet reuelatus Christus à Patre?* Quibus verbis, per moralem suasionem trahi hominem ad Christum significat. Et epistol. 105 ait, per illam vocationem altam, atque secretam, *sic Deum agere sensum, vt ei accommodet assensum*, in illis enim particulis, *sic*, & *vt*, significat, in hac vocatione seruare Deum modum vnicuique accommodatum, vt in assensum, seu consensum inducatur. Idē indicat lib.de præd.Sanct.c.8.dicēs: *Valde*

Aug. lib 2. quæst. ad Simplicianum, q 2. tom.4.

Ioan.6.

remota est à sensibus carnis hæc schola, in qua Pater sic docet, nec agit hoc cum carnis aure, sed cordis. Item etiam libro de dono perseuerantiæ, capit. 14. cùm de Tyriis, & Sidoniis dixisset: *Quoniam, vt crederent non eis datum, etiam vnde crederent, est negatum,* subdit: *Ex quo apparet, habere quosdam in ipso ingenio diuinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moueantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant*, &c. Quibus verbis ad efficaciam gratiæ requirere videtur congruitatem vocationis, quæ consistit in quadam proportione inter talem illuminationem, vel inspirationem, tali modo a Deo effectam in homine talis complexionis, naturæ, & conditionis.

III. Secundò probatur, etiam eiusmodi congruitatem non satis esse ad illam efficaciam, quam Augustinus tribuere intendit tali vocationi, nimirum quòd omnino infallibiliter consequatur effectum. Nam hæc infallibilitas tanta esse debet, vt implicet contradictionem aliquando deficere, sed ex vi illius congruitatis solius non potest esse tanta infallibilitas: ergo illa non sufficit ad efficaciam vocationis. Maior patet: nam hæc vocatio est medium accommodatum intentioni Dei efficaci: implicat autem contradictionem, voluntatem Dei efficacem non impleri: ergo non potest illa vocatio esse proportionatum medium, nisi sit ita infallibilis, vt prorsus repugnet, & contradictionem implicet, non consequi effectum suum. Minor verò probatur: nam tota illa congruitas ex se solùm inducit quandam moralem certitudinem, cui absolutè non repugnat, vt vocationi sic congruæ liberum arbitrium resistat, adeò vt Anselmus dixerit, potuisse Paulum resistere suæ vocationi quamtumuis efficacissimæ: sic enim ait Matth. 6. circa illa verba, *Fiat voluntas tua. Licet sit percussus Paulus, tamen voluntas eius erat libera, vt resisteret, si vellet.* Propter quod Chrysost. homil. 31. & 56. in Matth. agens de vocatione Matthæi, & Pauli, dicit, non prius Deum illum vocasse, quia prænouit, tunc vocationem fuisse penetraturam eius animam. Sentit ergo, non sufficere efficaciam, quam poterat habere vocatio ex peculiari congruitate ad ingenium, vel conditionem Pauli, aut Matthæi; sed oportuisse, vt Deus etiam obseruaret tempus, in quo præsciret, vocationem illam fuisse effectum habituram, si ei daretur.

Tertiò id probant, quia propterea S. Aug. efficaciam huius vocationis non ponit in necessitate, sed in infallibilitate, & certitudine, vt significaret, ad eandem efficaciam esse necessitatem præfatam Dei præscientiam, necessitas enim ad causam, certitudo autem, & infallibilitas ad præscientiam spectant, vt alias Capreolus notauit 1. dist. 40. quæst. 1. art. 1. ad 1. contra 2. conclusionem. Vnde Augustinus de bono perseuer. capit. 14. hanc vocationem ait pertinere ad ea beneficia, *quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur.* Propterea etiam nunquam dixit, voluntatem non posse resistere tali vocationi, sed solùm nunquam ei restituram, vt patet lib. de prædest. SS. cap. 8. quia præscientia non aufert potestatem simpliciter faciendi oppositum eius, quod præuisum est.

IV. Hunc etiam modum efficacitatis vocationis significasse aiunt Chrysostomum citatis locis, & eumdem indicasse Ambrosium, vel qui sub nomine eius exponit verba illa ad Rom. 8. *Iis, qui secundùm propositum vocati sunt Sancti*, dicens: *Ij secundùm propositum vocantur, quos credentes præscuit Deus futuros sibi idoneos: vt antequam crederent, scirentur.* Et pro eadem sententia referunt Origenem ad Rom. 9. dicentem: *Certum est, Deum non solùm scire vnius-*

cuiusque propositum, sed etiam præscire. Sciens, & antè præsciens, tanquam bonus dispensator, & iustus, vnius-cuiusque motibus, & proposito vtitur ad ea perficienda, quæ vnicuiusque animus, & voluntas elegit: ergo, &c.

Confirmant eandem sententiam omnibus argumentis disput. 7. adductis, quibus persuadere nituntur, esse in Deo constituendam scientiam illam mediam, qua ante omne liberum decretum suæ voluntatis, Deum certò præscire existimant, quid ex sua innata libertate arbitrium nostrum esset operaturum ex hypothesi, quòd cōstitueretur a Deo in talibus circumstantiis, & tali vel tali excitatione moueretur.

Quartò id probant ratione, quia nullo alio conuenienti modo potest efficacia auxilij gratiæ declarari: & hic modus est sufficientissimus, & aptissimus tum ad conciliandam libertatem cum gratia, tum ad declarandum, quomodo efficacia gratiæ, quæ consequitur effectum, non excludat sufficientiam eius, quæ effectum non consequitur: tum denique ad conciliandas varias dicta sanctorum de diuina prædefinitione, seu prædestinatione circa hominem. Probant antecedens: nam alius modus efficaciæ, qui consistit in physica prædeterminatione voluntatis ad consentiendum, & cooperandum Deo excitanti, & vocanti, & repugnat libertati, & tollit sufficientiam gratiæ ab iis, quibus hæc gratia physicè prædeterminans non datur. Nec oporteret Deum obseruare tempus, & modum excitandi, & vocandi eum, quem vellet conuertere, quia prædeterminatio hæc physica semper, & necessario habebit effectū, si adhibeatur. Vnde neque, vt homo feruentiùs conuertatur, quidquam referret maior vocatio, seu excitatio, quia Deus potest prædeterminare liberum arbitrium, prout voluerit, & totum pendet ex hac prædeterminatione. Quòd autē hic modus sit sufficientissimus, & aptissimus ad conciliandā libertatē cum gratia: probatur, quoniam illa causalitas vocationis est moralis: nam fit per modu suationis & inductionis: moralis autem persuatio, & inductio libertati arbitrij non repugnat, vt per se cōstat, neque etiam infallibilitas, quæ oritur ex præscientia; quia illa, vt ita, non est ex causa, seu ex suppositione antecedente, sed ex suppositione ipsius rei futuræ, in ratione obiecti veri, & cognoscibilis. Et hinc consequenter facile intelligitur, quomodo sine hac efficacia gratiæ possit esse gratia sufficiens in his, qui non conuertuntur; quia potest id prouenire ex sola voluntate eorum, qui potest non cōsentire, etiamsi gratia in actu primo habeat omnem sufficientiam: & ita loquitur Scriptura; *Quoties volui congregare filios tuos, & noluisti*: & sæpe alias. Matth. 23.

V. Quintò. Gratia, quæ est efficax respectu vnius, est inefficax respectu alterius; & similiter eadem gratia comparatione eiusdem personæ est efficax, si conferatur in hoc tempore, & in talibus circumstantiis, & inefficax, si conferatur in aliis: ergo efficacia gratiæ non consistit in aliqua motione physicè prædeterminante liberum arbitrium ad consensum: hæc enim gratia prædeterminans quocunque tempore, & in quibuluis circumstantiis collata, suum infallibiliter sortitur effectum: ergo consistit in motione congrua, & attemperata complexioni, qualitati, & dispositioni subiecti, quam Deus præscit habituram effectum, si ei conferatur. Antecedens probatur, quia in naturalibus propter diuersam dispositionem, vel resistētiam mobilis eadem prorsus motio est efficax ad mouendum vnum subiectum: & inefficax ad mouendum aliud. Si enim quis virtute motiua, vt quatuor, intendat mouere subiectum resistens, vt octo, non mouebit illud: quoniam, vt dicit Aristoteles, à proportione minoris inæqualitatis non fit actio: si autem moueat subiectum

resistens

reſiſtens, vt duo, efficaciter mouebitur: quoniam reſiſtentia paſſi minor eſt motione mouentis. Sed ſimiliter contingit in actionibus liberis, etiam ſupernaturalibus: contingit enim vnum ſubiectum habere maiorem reſiſtentiam, quam aliud; quia videlicet eſt duræ complexionis, prauæ inclinationis, aut pluribus eſt inuolutum peccatis; quod etiam cõtingere poteſt comparatione eiuſdem ſubiecti pro diuerſis temporibus; nam in vno tempore eſt bene affectum ad diuina, minoraque habet peccata, nulliſque tentationibus dæmonis incitatur ad malum; in alio autem tempore eſt duræ ceruicis, malè diſpoſitum, vel affectum ad res diuinas, & pluribus peccatis conſtrictum, atque vehementi aliqua tentatione vexatum: ergo eadem motio præuenientis gratiæ erit efficax comparatione vnius ſubiecti, & inefficax comparatione alterius: & idem erit dicendum de gratia præueniente reſpectu eiuſdem ſubiecti pro diuerſis temporibus in quibus contingit diuerſimodè eſſe affectum.

Confirmari poteſt hoc argumentum omnibus rationibus diſp. 108. adducendis, quibus auctores oppoſitæ ſententiæ probare contendunt, exiſtentibus in duobus hominibus auxiliis præuenientis gratiæ omnino æqualibus, contingere, quòd vnus conuertatur, perſeueret in gratia, & ſaluetur; alter verò in peccato permaneat, & damnetur. Ex hoc enim principio, ſi ſemel admittatur, deducitur, gratiam præuenientem non eſſe efficacem ſecundùm ſuam realem, & intrinſecam virtutem: ſed ex congruitate prædicta ſimul cum præſcientia, qua Deus ſcit; quòd, ſi liberum arbitrium per eam præmoueatur, ſit infallibiliter præſtiturum conſenſum.

VI. In contrarium eſt. Nam, vt ex præmiſſis patet, Deus, inquantum eſt auctor naturæ, per concurſum generalem, ad modum cauſæ phyſicæ, prædeterminat omnes cauſas ſecundas, etiam liberas, ad ſuas operationes, iuxta modum propriæ naturæ: ergo inquantum eſt auctor gratiæ per auxilium ſupernaturale prædeterminat, ad modum cauſæ phyſicæ, noſtrum liberum arbitrium ad conſentiendum Deo excitanti, & vocanti.

Diſput. 18. 22. & 23.

Huius difficultatis reſolutio ex iis, quæ in lib. 3. de concurſu Dei generali dicta ſunt, colligi poteſt, & præſertim ex notatis diſput. 18. 22. 23. & duabus ſequentibus, in quibus fundamenta ſententiæ, quæ aſſerit, Deum per auxilium efficax præoperantis gratiæ, ad modum cauſæ phyſicæ prædeterminare voluntatem noſtram, vt liberè, & infallibiliter cooperetur Deo excitanti, & vocanti, ſtabilita ſunt.

VII. Sed pro maiori explicatione huius difficultatis, ſuponendum eſt primò, quòd in omnium ſententia ad auxilium efficax præoperantis gratiæ præſupponitur motio moralis, ſeu per modum ſuadentis, quæ fit per obiecti propoſitionem congruam, per quam apparet obiectum illud amabile, & conueniens voluntati. Cuius ratio eſt. Quia cùm nihil ſit volitum, quin præcognitum, voluntas non poteſt aliquid appetere, niſi priùs per intellectum ei proponatur, tãquam conueniens. Ex hoc autem, quod ſic proponitur obiectum, vt amabile; inclinatur moraliter voluntas; allicitur, & quaſi inuitatur, vt illud velit. Quia verò voluntas, dum eſt in via, non poteſt efficaciter moueri ab aliquo obiecto, vt expreſsè docet S. Thomas; hinc eſt, quòd motio illa moralis ſola, quantumuis perfecta, non poteſt inducere infallibiliter conſenſum voluntatis: vnde ex alio capite prouenire debet infallibilitas futuri conſenſus ſuaſio enim non cogit inuitum, vt ex S. Auguſt. docet S. Tho. q. 3. de malo art. 3. in corpore.

Auxilij diuini efficacia præſupponit motionẽ moralem.

S. Tho 1 p. q. 106 ar. 2. in corp. & q. 111.

Gratia efficax ſemper eſt cõgrua.

Supponendum eſt ſecundò, quòd in omnium ſententia, gratia efficax eſt congrua, qua ita moueatur voluntas, vt ſit infallibiliter præſtitura conſenſum. Cùm enim Deus attingat à fine vſque ad finem fortiter, & diſponat omnia ſuauiter, ſi mouet efficaciter voluntatem, vt conſentiat, congruè mouet; & vt congruit naturæ voluntatis. Vnde S. Thom. p. 2. q. 10. art. 4. inquit, *quòd magis repugnaret diuinæ motioni, ſi voluntas per eam neceſſario moueretur, quod non competit ſuæ naturæ, quam ſi moueretur libere, prout congruit ſuæ naturæ.* Difficultas ergo eſt, vnde proueniat talis congruitas gratiæ, an illam ſecum afferat ipſum auxilium, quod dicitur efficax, ita vt cuicumque homini tribuatur, & in quibuſuis circumſtantiis ſit congruum ad mouendum efficaciter voluntatem: an verò hæc congruitas ſit extrinſeca, vel deſumatur ex circumſtantiis extrinſecis ipſi auxilio efficaci, ita videlicet, vt varietur, ſecundùm diuerſas circumſtantias, & qualitates ſubiecti: atque adeo motio, quæ eſt congrua reſpectu vnius, non ſit congrua reſpectu alterius, & ſimiliter motio, quæ eſt congrua reſpectu vnius in tali tempore, & in talibus circumſtantiis, non ſit congrua reſpectu eiuſdem in alio tempore, & in aliis circumſtantiis.

vt per illã operetur lib. arb.

Gratiæ efficacis congruitas eſt ab intrinſeca.

VIII. PRima igitur concluſio ſit. Auxilium efficax præoperantis gratiæ ſecundùm ſuam realem virtutem, & perfectionem intrinſecam, quam habet, vt venit à Deo, eſt congruum, vt per illum efficaciter moueatur voluntas in quibuſcumque circumſtantiis tribuatur illi. Itaque illa congruitas auxilij non dependet ex complexione naturali ſubiecti, neque ex aliis accidentibus illius, nec variatur ex diuerſitate illorum, qui per motionem efficacem adjuuantur. Probatur hæc concluſio. Nam, vt diſputatione præcedenti & diſputatione 73 oſtenſum eſt, auxilium præoperantis gratiæ non dependet in ſua efficacia ex libero influxu, & cooperatione arbitrij creati cum eodem auxilio, etiam vt à conditione, ſine qua efficax non eſſet, ſed ab intrinſeco habet, quòd ſit efficax, ſcilicet à reali virtute, & perfectione, quam ſecum affert, vt venit a Deo, & quatenus videlicet eſt inſtrumentũ voluntatis Dei, nulla præſuppoſita ſcientia media, efficaciter volentis hominem, cuius cor mouet, ad ſe conuertere: ergo cuicumque tribuatur, & in quibuſcumque circumſtantiis eſt congruum, vt virtute illius liberum arbitrium ſit infallibiliter conſenſurum, & cooperaturum Deo excitanti, & vocanti. Confirmatur. Nam, vt diſp. 87. patebit, poſtquam Deus excitauit hominem, non expectat voluntatem eius, vt purgari velit, ſed per auxilium efficax præoperantis gratiæ actiuè propriè efficit, vt velit; id quod ex profeſſo diſp. 95. & ſeq. latiùs oſtenſuri ſumus: ergo ſecundùm ſe & prout venit à Deo, eſt congruum, vt, ſi liberum hominis arbitrium in quibuſlibet circumſtantiis poſitum per illud præmoueatur, ſit infallibiliter conſenſurum.

Diſp. 87.

IX. Secundò probatur. Quando agens infinitæ virtutis mouet aliquod ſubiectum, tale ſubiectum infallibiliter mouetur, quia tunc reſiſtentia paſſi non ſuperat, nec adæquat virtutem agentis. Sed Deus eſt agens infinitæ virtutis: dicitur enim Eſther 13. *Domine, Domine, Rex omnipotens: in ditione enim tua cuncta ſunt poſita, & non eſt, qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati, ſi decreueris ſaluare Iſraël.* Vnde ſanctus Thomas 2. 2. quæſtione 24. articulo 11. in corp. ait, quòd *Spiritus ſanctus infallibiliter operatur quocumque voluerit.* & 1. 2. quæſt. 112. articulo 3. in corp. inquit: *Si ex inuentione Dei mouentis eſt, quòd homo, cuius cor mouet, gratiam cõſequatur, infallibiliter ipſam conſequitur, ſecundum illud Ioan. 6. Omnis, qui audit à Patre, didicit & venit ad me*: quod etiam ex profeſſo oſtendit S. Aug. in Enchirid. ad Laur. c 95. &

Voluntas Dei eſt efficaciſſima.

Digitized by Google

in aliis locis disput. 31. & 32. à nobis inductis: ergo motio Dei efficax respectu cuiuscunque hominis, in quibuslibet circumstantiis positi, erit medium congruum, & aptum, vt infallibiliter inducat effectum, ad quem ex Dei intentione datur: faciatque subinde hominem libere consentire, & pie operari: alias per voluntatem hominis voluntatis diuinæ impediretur effectus; quod esse impossibile, supra ostendimus. Respondent, quòd Deus non habet absolutum, & efficax decretum conuertendi hominem, nisi suppositâ scientia media, qua ante decretum suæ voluntatis certò cognouit, quòd si Petrus moueretur tali auxilio, in talibus circumstantiis, sit ex

Confutatio. innata eius libertate infallibiliter consensurus. Sed hæc solutio falsò innititur fundamento. Iam enim suprà disp. 7. ex professo ostendimus, scienti um illam mediam, quam ante liberum decretum voluntatis eius constituunt non dari etiam in Deo.

Tertiò probatur. Quoniam sequeretur, quòd vltima ratio differentialis, propter quam auxilium gratiæ est congruum, respectu huius subiecti, & consequenter efficax, sit reducenda ad aliquid naturale, videlicet in particularem complexionem huius individui, aut in aliquam constellationem cœlestem, aut verò in aliquam sumptionem cibi, aut potus; consequens est falsum: nam esset reducere gratiam in naturam: ergo. Sequela probatur: nam, iuxta auctores oppositæ sententiæ, idem auxilium Dei datum homini in talibus circumstantiis, in quibus habet cor lætum, aut etiam tali complexione dispositum, auxilium est congruum; illi & alias non esset congruum; sed talis complexio, aut dispositio potest prouenire ex constellatione cœlesti, vel ex alia causa naturali: ergo.

X. Confirmatur hæc ratio auctoritate S. Augustini libro de prædestinatione Sanctorum cap. 5. vbi reiicit omnia naturalia, cùm agitur de gratia Christi: sic enim ait: *In hac Apostoli euidentissima intentione, qua contra humanam superbiam loquitur, ne quisquam in homine, sed in Domino glorietur dona Dei naturalia suspicari, sine ipsam totam, perfectámque naturam, qualis in prima conditione donata est, sine vitiatæ naturæ qualescumque reliquias, nimis quantùm existimo, absurdum est.* Idem dicit quæst. 2. ad Simplicianum,

Solutio. verbis disputatione 55. num. 8. inductis. Nec satis est respondere, quòd S. Augustinus in his locis solùm intendit docere, non dari ex parte naturæ aliquod meritum, rationem, vel conditionem, propter quam Deus conferat alicui gratiam congruam, vel attemperatam eius complexioni, vel dispositioni; non tamen negat dari ex parte naturæ, seu complexionis, aut dispositionis eius aliquam conditionem, sine qua gratia præueniens, quâ pro sua sola, & gratuitâ liberalitate, Deus confert tali subiecto, non esset illi attemperata, nec congrua, vt si per illam præmoueatur, sit infallibiliter consensurum: cùm in aliis locis supra inductis, non obscurè videatur

Confutatio. docere contrarium. Hæc enim solutio sufficienter, vt arbitror, impugnata est supra, cùm de gratuita

Disp. 57. Dei prædestinatione ageretur. Ibi enim ostensum est, iuxta doctrinam Sancti Augustini, etiam non dari ex parte nostra rationem, vel conditionem, sine qua ratio ordinis mediorum in finem in Deo præexistens, non haberet rationem prædestinationis, comparatione huius, vel illius hominis: ergo similiter dari non potest ex parte nostra aliqua ratio, vel conditio, sine qua gratia præueniens non esset congrua, vel efficax comparatione huius, vel illius hominis: eadem quippe argumenta procedunt de ipsa prædestinatione, & de gratia congrua, & efficaci, quæ est illius effectus.

XI. Quartò probatur. Congruitas auxilij prævenientis gratiæ, vel eius efficacia non expectat humanam voluntatem, vt purgari velit: sed efficit eam velle, vt disp. 95. patebit, neque obseruat, vel requirit necessariò circumstantias temporis, aut loci, vel dispositiones alias se tenentes ex parte subiecti, vt patet ex S. Prospero lib. de ingratis cap. 15. vbi ait:

At vero Omnipotens hominem cum gratia saluat:
Ipsa suum consummat opus, cui tempus agendi
Semper adest, quæ gesta velit; non mora vllis
Fit mora, non causis anceps suspenditur vllis;
Nec, quod sola potest, curæ officióque ministri
Exequitur, famulisve vicem committit agendi.

Gratiæ efficacia non pendet ex circumstantiis subiecti, loci, temporis, &c.

Quibus sanè verbis docet, gratiam Dei ita esse ex se congruam, & efficacem ad exequendum, quòd Deus vult per eam operari, vt quocunque tempore conferatur, & in quibuscunque circumstantiis id perficiat, ad quod ex efficaci Dei voluntate, & intentione destinatur, cui opportunitatem agendi, neque confert, neque aufert lib. arb. qualitcunque dispositio, vel complexio: ergo congruitas eiusdem gratiæ præuenientis non pendet, etiam vt à conditione, sine qua non, ex tali, vel tali cõplexione, vel dispositione subiecti, aut ex aliis circumstantiis, in quibus conferatur; ac per consequens ipsa gratia efficax secundum suam realem virtutem, & prout venit à Deo, secum affert congruitatem, quæ ad eius efficaciam requiritur.

XII. Secunda conclusio. Efficacia auxilij prævenientis gratiæ non pendet, etiam vt à conditione, sine qua non, ex præscientia media, siue ex præuisione boni vsus liberi arbitrij per eandem scientiam mediam à Deo præcogniti, neque vllo modo eam in Deo præsupponit. Hæc conclusio probatur omnibus argumentis, quibus disp. 7. ostendimus, scientiam illam mediam non subsistere, & consequenter non esse in Deo.

Gratiæ efficacia non pendet ex præscientia boni vsus liberi arb.

Tertia concl. Deus per auxilium efficax gratiæ, physicè, siue ad modum causæ physicæ, prædeterminat arbitrium creatum, vt liberè, & infallibiliter consentiat, & cooperetur Deo excitanti, & vocanti. Hanc conclusionem defendunt omnes Thomistæ, quam arbitror esse expressam doctrinam S. Tho. & S. Augustini, & aliis Patribus, verbis æquipollentibus traditam. Et probatur omnibus argumentis, quibus disp. 23. ostensum est, Deum inquantùm est auctor naturæ, per concursum generalem prænia motione inhærente prædeterminante, ad modu causæ physicæ, quamlibet causam secundam, etiam liberam ad omnes actus bonos in particulari, cum omnibus circumstantiis salua proprietate, & natura earundem causarum. Ex hoc enim principio sequitur à fortiori, Deum, inquantùm est auctor gratiæ, per concursum specialem gratiæ efficacis, siue adiuuantis, eodem modo prædeterminare arbitrium creatum ad actus supernaturales salua eius proprietate, & libertate.

Gratia efficax prædeterminat lib. arb. ad cooperandum.

XIII. Præterea probatur. Auxilium gratiæ adiuuantis est ex se efficax, prout venit à Deo antecedenter ad liberam cooperationem nostri arbitrij, cùm ab illa in sua efficacia non pendeat, etiam tanquam à conditione, sine qua non, vt ex supradictis patet: ergo physicè prædeterminat voluntatem ad consensum. Probatur consequentia: nam, vt fatentur aliqui ex auctoribus oppositæ sententiæ, auxilium, seu prædeterminatio ex se efficax, & auxilium physice prædeterminans idem significant, neque est hærendum in voce.

Disp. 72. & 73.

Secundò probatur. Auxilium efficax adiuuantis gratiæ, qua efficax, & adiuuans est non est, influxus Dei immediatus cum nostro libero arb. in operationem vtriusq;, sed est influxus immediatus in ipsum arbitrium, tanquam in causam, vt patet ex his, quæ

in disp.

Digitized by Google

in disp. 18. de concursu Dei generali dicta sunt: ergo physicè prædeterminat liberum arbitrium ad cooperandum Deo excitanti, & vocanti. Probatur consequentia: nam huiusmodi influxus Dei immediatus in liberum arb. vt in causam, esse non potest, neque intelligi absque physica prædeterminatione. Vnde auctores oppositæ sententiæ, qui huiusmodi prædeterminationem impugnant, docent consequenter, auxilium gratiæ adiuuantis, seu efficacis, inquantùm est adiuuans, non esse influxum Dei immediatum in liberum arb. vt in causam, sed influxum simultaneum, & coinstantaneum cum libero arbitrio in eius effectum, vt vidimus disp. 82.

XIV. Tertiò, Deus per auxilium efficax gratiæ adiuuantis non solùm suadendo, inuitando, alliciendo; aut aliter, etiam interius moraliter attrahendo, facit, vt faciamus, sed etiam verè efficienter id efficit, vt disp. 86. probandum est: quod etiam patebit amplius disp. 96. 97. & 100. vbi manifestum fiet, ipsum influxum, seu cooperationem liberi arbitrij cum gratia non producere à sola, & innata eius libertate; sed tandem esse reducendam in ipsum Deū, & eius adiutorium, tāquā in priorem causam per se efficiētem: ergo physicè prædeterminat liberū arbitrium ad consensum. Probatur consequentia: nam physicè prædeterminare nihil aliud est, quam verè efficienter facere, vt ipsum arbitrium liberè, & infallibiliter cooperetur Deo excitanti, & vocanti, vt patet ex ipsa nominis significatione.

Confirmatur: nam qui efficit, vt liberum arbitrium se determinet, ipsum ad operandum prædeterminat: nam prædeterminare est priùs in signo rationis determinare, vel efficere, vt aliquid se determinet; sed Deus per auxilium efficax verè efficit, quòd liberum arbitrium se physicè determinet cooperando, & consentiendo Deo vocanti: ergo physicè prædeterminat.

Quartò. Auxilium efficax gratiæ adiuuantis non subiacet, quantùm ad vsum, potestati nostri arbitrij, sicut subiacent habitus, quibus vtimur, cùm volumus, sed potiùs subiicit sibi ipsum arbitrium, vt disp. 87. patebit: ergo physicè prædeterminat illum ad consentiendum, & cooperandum.

Quintò. Liberum arbitrium creatum non est simpliciter prima causa suæ determinationis, præsertim comparatione actuum supernaturalium, nec primò inchoat ipsam determinationem, vt disput. 89. late ostendemus: ergo prædeterminatur ab alia priori causa, scilicet à Deo: hæc autem prædeterminatio, comparatione actuum supernaturalium, fit per auxilium efficax: ergo Deus per auxilium efficax physicè prædeterminat liberum arbitrium ad influendum in actus supernaturales.

Sextò. Auxilia efficacia præuenientis gratiæ, sicut & prædestinatio diuina, certò, & infallibiliter inducunt effectum, ad quem dantur, vt disp. 30. & 41. ostensum est: sed hæc certitudo, & infallibilitas non fundatur in præscientia media: nam, vt ex dictis disp. 7. constat, eiusmodi scientia media non datur à parte rei etiam in Deo, nec eius obiectum est scibile ante decretum voluntatis diuinæ: ergo necessariò debet fundari in prædeterminatione, qua Deus suo absoluto, & æterno decreto, atque in tempore per eadem auxilia liberum arbitrium prædeterminat ad cooperandum gratiæ Dei. Probatur consequentia: nam sublata certitudine, & infallibilitate proueniente ex scientia media, siue ex futura cooperatione liberi arb. à Deo præcognita per eandem scientiam, nullum aliud restat fundamentum, in quo fundari possit talis certitudo, nisi prædeterminatio, qua Deus per auxilium efficax physicè prædeterminat liberum arbitr. ad cooperandum eidem gratiæ, vt fatentur auctores oppositæ sententiæ; nam sola determinatio moralis non facit infallibiliter liberum arbitrium consentire, cùm possit pro sua libertate, etiam in sensu composito, cuicunque suasioni dissentire: ergo necessariò asserendum est, Deum per auxilium efficax gratiæ physicè prædeterminare liberum arbitrium ad consentiendum, & cooperandum eidem gratiæ.

Confirmatur, & aperitur magis vis huius argumenti, ad cuius explicationem considerandum est, quòd, vt docet Aristot. & alij philosophi, artes sunt in duplici differentia, quædam dicuntur demonstratiuæ; quædam verò coniecturales. Artes demonstratiuæ sunt illæ, quæ, si adhibeantur media secundùm regulas artis, infallibiliter consequuntur finem intentum, eò quòd omnia necessariò prærequisita ad consequutionem finis sunt in potestate artificis, vt patet in arte domificatiua, per quam infallibiliter constituitur domus apta, vt homines defendat à pluuia: quia in potestate artificis sunt omnia media, quibus ad istum finem peruenitur. Artes verò coniecturales illæ dicuntur à Philosopho, quæ licet procedant secundùm regulas artis, non tamen assequuntur infallibiliter finem intentum, eò quòd non habent in sua potestate omnia media, quibus consequitur finis per artem illam intentus. Est exemplum in arte medicandi. Licèt enim medicus applicet omnia medicamenta infirmo secundum regulas medicinæ, apta infirmitati curandæ, vt sanet infirmum; non tamen assequitur infallibiliter istum finem, quia non habet in sua potestate virtutem naturæ, seu calorem naturalem ipsius infirmi, sine quo medicamenta non cooperantur ad sanitatem illius. Similiter etiam ars oratoria non est demonstratiua, sed coniecturalis, quia, licèt vtatur omnibus mediis secundùm regulas perfectissimi oratoris ad permouendam voluntatem Petri, vt diligat inimicum, non tamen assequitur infallibiliter istum finem, quia voluntas Petri, quæ necessaria est, vt orator vincat, & assequatur istum finem, non est in potestate oratoris, nec potest eam efficaciter immutare, aut inclinare quo voluerit. Hoc supposito, sic arguitur: Ars supremi medici, hoc est, Christi Domini, qui *venit quærere, & saluare, quod perierat*, non est coniecturalis, sed demonstratiua, atque adeò infallibiliter consequitur finem, quem absolutè, & efficaci voluntate intendit, vt ex dictis disputatione 30. & 41. constat: sed non assequeretur infallibiliter finem intentum, videlicet conuersionem peccatoris, & salutem eius vltimam, nisi haberet in sua potestate voluntatem eiusdem peccatoris, & posset eam efficaciter per suam gratiam inclinare, & determinare, quò voluerit, quia conuersio, & salus peccatoris absque concursu liberæ voluntatis illius non fit, iuxta dictum Augustini: *Qui fecit te sine te, non saluabit te sine te*: ergo Deus per gratiam efficacem prædeterminat physicè seu efficienter voluntatem ad consentiendum & cooperandum cum gratia adiuuante.

Artes sunt in duplici differentia.

Matth. 18.

Quid autem sit auxilium gratiæ physicè prædeterminans; quomodo ab auxiliis solùm moraliter prædeterminantibus distinguatur, & qualiter cum eadem prædeterminatione arbitrij nostri libertas, & actualis vsus illius cohæreant, abundè satis in disp. 18. 22. & 23. explicatum est, in quibus etiam plura adducimus testimonia, S. Augustini S. Thom aliorum Patrum, & Scholasticorum, qui nostram sententiam docuerunt, quæ propterea in præsenti disputatione consultò omittimus.

XV. Auxilij diuini efficacia non est

Quarta conclusio. Efficacia auxilij præoperantis gratiæ, qua ratione præuenit ordine causalitatis cooperationem nostri arbitrij, non est solum efficacia mora

solùm moralis, sed etiam physica.

cia moralis, sed etiam physica, quæ ad modũ causæ physicæ liberum arbitrium præmouet efficaciter ad consentiendum, vel pie operandum, aut etiam ad perseuerandum vsq; in finem. Conclusio est contra auctores primæ sententiæ: sequitur tamen per euidentem consequentiam ex præmissis: nam efficacia solùm moralis est illa quæ solùm suadẽdo, alliciendo, inuitando, aut aliter etiam interiùs moraliter attrahendo, facit, liberum arbitrium cooperari Deo excitanti, & vocanti; sed auxilium efficax præoperãtis gratiæ, non solùm prædictis modis facit liberum arbitrium cooperari, sed etiam verè efficienter id efficit, vt disp. 86. ostensum est: ergo efficacia eiusdem auxilij non est solùm moralis, sed etiam physica, siue ad modum causæ physicæ.

Secundò. Efficacia moralis non prædeterminat physice nostram voluntatem ad operãdum, sed eam indeterminatam, & ita indifferentem relinquit, vt, si vult, operetur, si non vult, nihil operetur: sed efficacia auxilij præuenientis gratiæ, siue Deus, per ipsum auxilium efficax, physicè prædeterminat nostram voluntatem ad operandum, vt concluſ præc. & disp. 21. ostensum est. ergo efficacia auxilij gratiæ adiuuantis non est solùm moralis.

Tertiò nam sequeretur, quòd Deus per suam gratiam nõ alia efficacia traheret nos ad bonum, quàm diabolus sua malitia trahit peccatores ad malum: nam etiam diabolus moralı quadam efficacia facit homines peccare, in quo sensu dicitur in Scriptura, quòd Draco, id est, Lucifer, cauda sua, id est, morali suasione, & exemplo, traxit in terram, tertiam partem stellarum. Consequens autem, licèt ab aliquibus auctoribus contrariæ sententiæ concedatur, non videtur posse admitti: ergo.

Apoc. 12.

Efficacia sola moralis non inducit infallibiliter effectum.

Quartò Vt fatentur auctores oppositæ sententiæ, sola moralis efficacia vel determinatio, quantumuis summum gradum perfectionis attingat, non facit certitudine metaphysica voluntatem infallibiliter consentire ita videlicet, vt ex suppositione talis efficaciæ, impossibile sit in sensu composito, voluntatem motam morali efficacia non consentire, aut dissentire: sed prædeterminatio, atque efficacia auxilij præoperantis gratiæ ita certò, & infallibiliter facit voluntatem consentire Deo excitanti, & vocanti, vt, etiam metaphysicè loquendo, sit impossibile in sensu composito, voluntatem non consentire, aut dissentire, vt disp 92 & duabus seqq. manifestum fiet: ergo. Confirmatur idem antecedens ratione sexta facta pro conclusione prœced. & aliis argumentis disp. 23. nu. 16. 17. & 18 adductis.

Ex his sequitur quinta conclusio directè respõsiua ad quæstionem. Efficacia auxilij præuenientis, seu præoperantis gratiæ consistit formaliter in quadam motione in intellectu, & voluntate recepta, qua Deus verè efficienter, siue ad modum causæ physicæ præmouet liberum hominis arbitrium, & facit ipsum liberè, & infallibiliter cooperari Deo excitanti, & mouenti. Quam quidem motionem sæpe S. August appellat vocationem altam, atque secretam, vocationem secundùm propositum, non quidem hominis, sed Dei absoluta, & efficaci voluntate volentis hominem, cuius cor mouet, per piam, & liberam eius operationem ad se conuertere, nulla præsuppositа præscientia media eiusdem cooperationis futuræ etiam ex hypothesi, quòd tali excitatione tangeretur, & moueretur. Et quoniam ex prædicto decreto Dei prædestinantis, communicatur intentionaliter motioni efficaci præuenientis gratiæ quædam specialis virtus, quæ non est in auxilio gratiæ excitantis, vel sufficientis ideo S Aug. docet, hac motione Deum tribuere *vires efficacissimas vo-*

Aug. lib. de gratia & li.

tibus consentientes, duritiam cordis auferre, ipsum emollire, & ad se conuertere; quamuis hoc non fiat sine nobis simul tempore, sed posteriùs ordine rationis, & causalitatis liberè consentientibus, & cooperantibus. Hæc omnia manent satis probata ex dictis tum in præcedentibus conclusionibus, tum etiã in disput. 18. 22. 23. 73. & 82. & patebunt ampliùs ex his, quæ disp. 86. 90. & tribus sequentibus dicenda sunt. Et si quis interroget: An eiusmodi auxilium efficax præoperantis gratiæ sit qualitas. Respondetur, non esse qualitatem, sed motionem Dei virtuosam, quæ tribuit libero arbitrio vltimum complementum actus primi, sicut de concursu generali, quo prima causa præmouet, & determinat causas secundas ad operandum, dictum est disp. 19.

lib. 6. c. 17. & lib. de prædest. SS. c. 8.

XVI.

AD primum argumentum respondetur. Gratiã efficacem, iuxta mentẽ S. Aug. esse congruã, non quidem congruitate, quæ dependeat ex aliqua dispositione naturali liberi arbitrij, vel ex aliis circumstantiis extrinsecis loci, & temporis; sed quam secum affert ipsum auxilium efficax, vt in 1. concluſ. huius disp. & disp. 7. n. 8. dictum est. vbi auctoritatẽ inductam S. Augustı. ex quæstione 2. ad Simplicianum explicuimus. Ad alium locum ex cap. 34. de spiritu, & litera respondetur, S. Augustı. ibi non asserere, quòd solùm visorum suasionibus, vel his tantùm modis agit Deus, vt velimus. Hoc enim est expresè contra doctrinam ipsius S. Doctoris lib. de gratia Christi contra Pelag & Cælestı. cap. 7. & 10. & multis aliis in locis, in quibus præter suasiones externas, & internas aliquid aliud requirit ex parte gratiæ, vt credamus & piè operemur. Sed docet, quòd visorum, seu binis suasionibus mouet Deus ad ndem, videlicet exteriùs, & interiùs suadendo, & proponendo obiectum, quod verissimum est: sed præter hanc motionem ipse Augustı. in eodẽ loco aliam constituit, ex parte potentiæ, per quam Dèus actiuè propriè facit, vt faciamus, & operatur, vt operemur. Nam in c. 35. seq. ait, quòd *hoc nullo modo facit homo, nisi illo donante, & operante*: & loquitur de operatione propriè dicta, non autem de operatione tantùm morali, vt patet ex aliis locis eiusdem S. Aug. suprà inductis, & infrà adducendis. Secundò respondetur, quòd aliquando S. Aug. nomine suasionis, vel doctrinæ, intelligit efficacem motionem prædeterminantem liberum arbitrium ad consensum, quæ ita suadet, vt persuadeat, & inducat infallibiliter effectum, vt constat ex eodem Aug. lib. de gratia Christi contra Pelag. & Cæleſt. cap. 13. dicente: *Hæc gratia, si doctrina dicenda est, certè sic dicatur, vt alitus, & interiùs eam Deus cum ineffabili suauitate credatur infundere, non solùm per eos, qui plantant, & rigant exterinsecùs, sed etiam per seipsum, qui incrementum suum ministrat occultus: ita vt non ostendat tantummodo veritatem, verùm etiam imperiat charitatem. Sic enim docet Deus eos, qui secundum propositum vocati sunt, simul donans, & quid agant, scire, & quid scinnt agere.* Et per hæc patet solutio ad alia loca S. Augustini, quæ in eodem argumento adducuntur ex epistola 107. & cap. 8. de prædestinatione Sanctorum.

Augustı. auctoritas visorum suasionibus expendıtur.

Disp. 22. 23. & 86.

Suasionis nomine quid intelligat Aug.

Ad aliud testimonium ex cap. 14. de dono perseuerantiæ, respondetur, S Augustı. non intendere, quòd illis tantùm signis exterioribus, virtuti naturali intellectus congruis, credidissent Tyrij, & Sidonij, si apud eos facta fuissent: sed loquitur manifestè de his, quæ ex parte propositionis obiecti requiruntur ad fidem: & sensus est, quòd aliqui habent intellectum naturalem ita dispositum, vt quantùm est ex parte obiecti, magis alliciantur, & moueantur obiectiuè per hæc signa, aut facta, quàm per alia.

Augustini sententia, ex quo appareat, &c. explicatur.

Digitized by Google

per alia. Sed præter hanc motionem, aliam requirit A ipse Aug. ex parte potentiæ, vt homo actu credat: & hæc est auxilium efficax voluntatem prædeterminans ad consentum. Quæ explicatio colligitur ex eodem contextu: subdit enim: *Sed nec illis profuit*, scilicet Tyrio & Sydonio, *quod poterant credere, quia præcæcati non erant ab eo, cuius inscrutabilia sunt iudicia, & inuestigabiles viæ; nec ipsis obfuit*, id est, Iudæis, *quod non poterant credere, si prædestinati essent, vt eos cæcos Deus illuminaret, & induratis cor lapideum vellet auferre.* & post pauca: *Audiunt enim hæc, & faciunt, quibus datum est: non autem faciunt, siue audiant, siue non audiant, quibus non datum est.*

Disp. 7. nu. 16. & seqq.

XVII. Ad secundum argumentum respondetur, concinnitatem, quam ex mente sancti Augustini gratia efficax secum affert, talem esse, vt contradictionem B implicet, illam aliquando deficere, & non conuerti ad Deum cor hominis, cui confertur. Licet enim, absolute loquendo, & in sensu diuiso, potuit liberum hominis arbitrium dissentire vocationi efficaci; id tamen est impossibile in sensu composito, vt disp. 92. manifestum fiet. Vnde, vt vocatio efficax infallibiliter sortiatur effectum, non prærequiritur, nec præsupponitur in Deo præscientia media futuræ cooperationis arbitrij, nec quod Deus expectet, vel obseruet opportunitatem loci, & temporis, vt ex supradictis patet. Scit enim, vocationem efficacem certo, & infallibiliter habituram esse effectum, quocunque tempore, & in quibuslibet circumstantiis homini conferatur, vt suprà dictum est. Cum ergo ait Anselmus, quòd volantas Pauli C poterat resistere vocationi efficaci, si vellet, intelligitur absolute loquendo, & in sensu diuiso, non autem in sensu composito. Et intelligit de resistentia communiter dicta, secundum quod resistere idem significat, quod dissentire: de quo disp. 93. agendum erit. Vel dicendum, quòd verbum Anselmi est intelligendum sub conditione voluntatis: hæc enim conditionalis est vera: S. Paulus potuit resistere vocationi efficaci, si vellet: in quo sensu S. Thom. q. 1. de potentia, art. 6. ad 3. explicat verbum illud Philosophi, lib. 4. Topicorum, cap. 5. *Potest Deus & contraria prauè agere*, inquit enim, *quod verbum Philosophi est intelligendum sub conditione voluntatis. Etsi enim conditionalis sit vera: Deus potest prauè agere, si velit. Nihil enim prohibet conditionalem esse veram, licèt antecedens, & consequens sint impossibilia, vt patet in hac: Si homo volat, habet alas.* Itaque S. Paulus poterat resistere, si vellet, vocationi Dei efficacissimæ, sed ipsa gratia effecit, vt non resisteret. Ad locum autem Chrysost. respondetur, eum intelligendum de præscientia, quæ sequitur decretum diuinæ voluntatis, quæ Deus id quod prædestinauit, impleuit; non autem de præscientia boni vsus liberi arbitrij, antecedente idem decretum, vt disp. 7. dictum est. Vnde non sequitur, quòd ad efficaciam auxiliorum gratiæ sit necessaria scientia media.

Disp. 7. n. 26.

Ad tertium argumentum respondetur, S. Aug. non solùm in infallibilitate, & certitudine effectus, sed etiam in natalitate auxilij constituisse efficaciam vocationis, vt disp. 25. 30. & 41. ostensum est. E Sicut enim certitudo, & infallibilitas, quæ sumitur ex præscientia, non aufert a libero arbitrio liberam facultatem, qua absolutè loquendo, & in sensu diuiso, potest non operari, si velit; ita & necessitas ex suppositione decreti absoluti voluntatis diuinæ, seu efficacis auxilij eandem facultatem non aufert, vt suprà ostensum est. Ad illud autem, quod obijcitur, quòd necessitas ad causam, certitudo autem, & infallibilitas ad præscientiam spectant; respondetur, quòd certitudo ordinis mediorum ad finem spectat ad causam, vt disp. 41. diximus ex S. Thoma, cum de certitudine prædestinationis ageretur. Verba autem Chrysostomi, Ambrosij, & Origenis, quæ ad probandam necessitatem scientiæ mediæ adducuntur, iam à nobis superiùs explicata sunt.

Libertatem actus non tollit necessitas ex suppositione decreti diuini.

Disp. 18 n. 23.

Ad confirmationem abundè in disput. 7. satisfecimus.

Ad quartum negatur antecedens. Ad probationem respondetur, modum explicandi efficaciam gratiæ, qui à nobis est traditus, nullo modo repugnare libertati, nec tollere sufficientiam gratiæ, vt supra ostensum est, quia talis efficacia, si adhibeatur, habebit quidem effectum necessariò, necessitate conditionata, siue ex suppositione, non antecedente necessitate absoluta, vt disp. 23. ostensum est; quinimo modus explicandi efficaciam gratiæ, quæ in præscientia media fundatur, multa secum affert incommoda, quæ partim attigimus disp. 7. & latiùs infra disp. 120. declaranda erunt.

Disp. 22. n. 5. & disp. 23. nu. 24.

Ad quintum negatur antecedens. Ad probationem respondetur, quòd, quando agens est infinitæ virtutis, sicut est Deus mouens per gratiam efficacem, superat quamcunque resistentiam passi, eò quod nulla creatura potest illi resistere, aut impedire, ne effectus, quem vult producere, consequatur, vt disp. 31. & 32. dictum est, & dicetur ampliùs disp. 93.

Ad confirmationem, satisfaciendum erit disp. 108. vbi ex professo tractabitur quæstio, quæ in eadem confirmatione tangitur.

DISPVTATIO LXXXIV.

Quotuplex sit Auxilium efficax Præuenientis gratiæ.

I. QVI actus, ad quos auxilium efficax tribuitur, sint diuersi, meritò potest in dubium reuocari: an iuxta diuersitatem actuum supernaturalium sint auxilia efficacia distinguenda, ita videlicet, vt auxilium efficax ad credendum, specie distinguatur ab auxilio efficaci, quo diligitur Deus; sicut distinguuntur actus credendi, & diligendi. Et eadem difficultas procedit de aliis actibus tam naturalibus, quàm supernaturalibus. D

Et ratio prima dubitandi est. Auxilium sufficiens non distinguitur specie iuxta diuersitatem actuum, ad quos confertur: potest enim idem auxilium sufficiens esse principium actuum specie differentium, sicut desiderandi, timendi, &c. qui cùm eliciantur à diuersis potentiis, necesse est, vt specie distinguantur: ergo nec auxilium efficax.

Secundò. Non sunt multiplicanda auxilia efficacia sine necessitate, sed nulla apparet necessitas constituendi tot auxilia efficacia, quot sunt actus supernaturales, aliàs essent penè infinita eiusmodi auxilia: nam actus supernaturales sunt penè innumeri: ergo.

Tertiò: nam aliàs sequeretur, quòd ad credendum essent plura auxilia efficacia necessaria: consequens est contra communem Theologorum sententiam: ergo. Sequela probatur: nam ad actum credendi concurrunt plures actus specie distincti; scilicet cogitare credenda, desiderare, velle, credere, id à Deo petere, & actus ipse credendi. Velle autem credere, & actu credere, sunt actus specie diuersi, cùm à diuersis potentiis sint eliciti: ergo, si iuxta diuersitatem specificam actuum distinguenda sunt auxilia efficacia, sequitur, quòd ad vnum actum credendi sint plura auxilia efficacia necessaria.

II. Illi auctores disputatione 71. inducti, qui vanam esse

Paulus Bénius de auxiliis, c. 3. in princ.

esse & inutilem arbitrantur diuisionem auxilij in auxilium sufficiens, & auxilium efficax, sentiunt, quòd proprie loquendo, dici non potest auxilium efficax, nisi illud, quo quis perseuerat vsq, in finem, & saluatur; ac per consequens non esse quærendam distinctionem inter auxilia efficacia: quod probatur sequentibus rationibus, vnde sit in ordine

Quartum argumentum, Gratia efficax est illa, per quam aliquis certò, & infallibiliter liberatur, vt patet ex Augustino dicente: *Prædestinatio est præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur quicunque liberantur*: sed, qui non perseuerant vsque in finem, quantumuis in discursu vitæ suæ sint in gratia, & in operibus charitatis se exerceant, non liberantur, proprie loquendo, sed damnãtur: ergo verè, & proprie nullum habuerunt auxilium efficax, ac per consequens vnicum duntaxat erit auxilium efficax; scilicet donum perseuerantiæ.

Aug. lib. de præd. SS. c. 14.

Confirmatur: nam gratia efficax est effectus diuini amoris, quo gratiam istam recipiẽtes ad vitam æternam perducuntur: dicit enim Apostolus: *Quos autem prædestinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iustificauit: quos autem iustificauit, illos & magnificauit*: ergo gratia efficax solùm prædestinatis confertur: ergo nullum aliud auxilium præter donum perseuerantiæ dicendum est proprie auxilium efficax.

Rom 8.

Quintò. Vocatio efficax non semel ab Augustino dicitur vocatio secundùm propositum, qui modus loquendi sumitur ex illis verbis Apostoli: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his, qui secundùm propositum vocati sunt Sancti*; quod non de proposito hominis, sed de proposito Dei intelligẽdum est, misericorditer volentis, quos vocauit, saluare; vt in aliis locis idem Aug. explicat. Sed sola vocatio, siue auxilium, quo prædestinati saluantur, est vocatio secundùm propositum gratiæ Dei: ergo hoc auxilium duntaxat dicendum est efficax.

Eod. cap.

Aug. lib. 1. cont. duas epist. Pelag. c. 9. & li. de correp. & gratia, c. 7.

Sextò, idipsum probari potest: nam auxilium, quod solùm est sufficiens, comparatione vlterioris effectus, ad quem principaliter ordinatur, quamuis sit efficax comparatione alterius, non dicitur simpliciter auxilium efficax, sed cum addito, & secundùm quid, vt ex dictis in disp. 80. colligitur, sed omne auxilium gratiæ ordinatur principaliter ad consequutionem vitæ æternæ; cùm vita æterna sit finis vltimus, ad quẽ debent media principaliter ordinari. Cùm ergo solum donum perseuerantię sit efficax respectu consequutionis vitæ æternæ; relinquitur, nullum aliud auxilium posse dici simpliciter auxilium efficax.

In contrarium est nam iuxta diuersitatem specificam actuum, specie distinguuntur habitus eò quòd habitus specificantur per actus, & actus per obiecta; sed similiter auxilia efficacia specificãtur per actus, ad quos ordinantur, cum sint principia actiua, quibus nostrum liberum arbitrium eosdem actus operatur: ergo iuxta diuersitatem specificam actuum debent auxilia efficacia specie distingui.

III. Disp 18. & 23. Auxilia efficacia vnde sumant distinctionem numericam.

De hac difficultate parum, aut nihil in Doctoribus Scholasticis scriptum reperi; ideo solùm ex principiis Theologicis erit dissoluenda. Ad cuius euidentiam considerandum est, quòd, cùm auxilium efficax sit aliquid inhærens potentiæ, præuium ad eius operationem, vt ex supradictis patet, eius differentia desumi potest non solùm ex parte obiecti, sed etiam ex parte subiecti, & aliarum circumstãtiarum loci, & temporis. Ex parte quidem subiecti sumitur differentia numerica, sicut in aliis accidentibus. Vnde auxilium efficax collatum Petro ad credendum, differt numero ab auxilio efficaci, quod confertur Paulo, ad eundem actum; eò quòd hæc auxilia sunt A in diuersis subiectis. Similiter etiam auxiliũ efficax collatum Petro in vno tempore ad diligendũ Deũ, differt numero ab auxilio efficaci, quod alio tẽpore eidem Petro confertur ad eliciendum actum dilectionis. Sicut enim ad diuersitatem numericam motus sufficit diuersitas temporis, vt dicitur in libris physicorum: ita etiam sufficit ad distinctionem numericam efficacis auxilij, eò quòd auxilium efficax est quædam motio fluens cum actu, ad quem confertur, vt ex dictis in disp. 18. & 19. colligitur. Et in hoc, vt arbitror, nulla est controuersia inter Theologos. Maior difficultas est de distinctione specifica efficacis auxilij, & consistit in hoc: Vtrùm omnia auxilia efficacia sint eiusdem, vel diuersæ speciei, & vnde sit desumenda eiusmodi vnitas, vel diuersitas. Pro cuius explicatione sit

B PRima Conclusio. Non solùm perseuerantiæ donum dicendum est auxilium efficax, sed etiã plura alia auxilia sunt simpliciter, & absolutè efficacia nuncupanda, vt auxilium, quo reprobi conuertũtur ad Deum, vel gratiam iustificantem consequuntur. Hæc conclusio est certissima, & expressa S. Aug. & S. Thom. communitérque à Theologis recepta, quam probo. Primò: nam auxilium, quo Deus facit, vt faciamus; & operatur, vt operemur quamcunque operationem piam, est auxilium efficax, vt suprà dictum est, & constat ex verbis Ezech. 36. *Faciam, vt faciatis*: Et Philip. 2. *Deus est enim, qui operatur in nobis & velle, & perficere*: Et Conc. Arausi. *Quoties bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum, vt operemur, operatur*; quæ testimonia de auxilio efficaci à sanctis Patribus, præsertim August. semper intellecta sunt: sed Deus sua gratia non solùm facit, vt prædestinati faciant pias operationes, sed etiam id efficit in reprobis, qui non habent donum perseuerãtiæ, ergo præter donum perseuerantiæ dantur alia auxilia simpliciter efficacia.

IV. Præter donum perseuerantiæ, dãtur plura alia auxilia efficacia.

C6c. Arausican. 9.

C

Secundò. Gratia habitualis, qua iustificantur reprobi, & ad tempus sunt Dei amici, est vera gratia absolutè, & simpliciter loquendo, vt patet ex definitione illa Conc. Trid. sess. 6. decr. de iustif. can. 17. *Si quis iustificationis gratiam non nisi prædestinatis ad vitam contingere, dixerit, reliquos verò omnes, qui vocantur, vocari quidem, sed gratiã non accipere: vtpote diuina potestate prædestinatos ad malum; anathema sit.* ergo similiter auxiliũ, quo Deus efficit, vt operẽtur opera pietatis, est absolutè verum auxilium gratiæ efficax.

D Tertiò probatur: nam, vt disp. 71. ostensum est, auxilium gratiæ sufficienter diuiditur in auxilium sufficiens, & auxilium efficax: sed auxilium, quo reprobi, dum sunt in gratia, operantur opera meritoria vitæ æternæ, non est auxilium solùm sufficiens: ergo est verè, & propriè auxiliũ efficax. Minor probatur: nam, vt disp. 79. dicebamus, auxilium sufficiens est illud, quod solùm tribuit posse piè operari; efficax autem est, quod tribuit actualiter piè operari: sed auxilium, quo reprobi operantur opera meritoria vitæ æternæ, non tribuit solùm posse piè operari, sed ipsam piam operationem: ergo non est auxilium solùm sufficiens: relinquitur ergo, quòd sit verè, & propriè auxilium efficax, & per consequens, præter donum perseuerantiæ, quod est proprium prædestinatorum, assignanda sunt alia auxilia efficacia. Quæ autem sint hæc auxilia, & quomodo inter se distinguantur, ex conclusione sequenti patebit.

E

Secunda Conclusio. Auxilium efficax, quo liberũ arbitrium credit, est distinctum specie ab auxilio efficaci, quo diligit Deum super omnia, vel alios actus supernaturales producit. Ad euidentiam huius conclusionis supponendum est, quòd cùm fides, etiã informis, sit donum Dei, vt 2. 2. q. 6. ar. 2. docet S. Th. & nos ex parte ostendimus disp. 49. vt exeat in actum, necessa

V. Auxilia efficacia, vnde sumant distinctionem specificam.

Digitized by Google

in actum, necessariò requiritur auxiliũ efficax. Vnde S. Aug. lib. de præd. SS. c. 16. explicans illud Rom. 9, *Non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia maior seruiet minori*; ait: *Nunquid dixit: Non ex operibus, sed ex credente: prorsus etiam hoc abstulit homini, vt totum daret Deo. Dixit ergo: sed ex vocante, non quacunque vocatione, sed qua vocatione fit credens*, non obscurè docens, dari à Deo auxilium efficax, quo hominem credentem efficit. Quo suppositò probari potest in primis nostra conclusio argumento in contrarium suprà facto.

Præterea probatur. Auxilium efficax est illud, quo liberum arbitrium actualiter operatur, vt suprà dictum est: ergo auxilium efficax ad credẽdum specie distinguitur ab auxilio efficaci ad diligendum. Probatur consequentia: nam principium actiuum, quo actum credendi operamur; non est eiusdem speciei cum principio actiuo, quo actum diligendi producimus; cùm principia actiua penes terminos distinguantur.

Secundò. Motus ad terminos specie distinctos, distinguuntur specie, vt 3. Physic. docet Arist. sed auxilium efficax est motus quidam, seu motio, qua Deus mouet liberum arbitrium ad terminos specie distinctos, scilicet ad actus pios diuersæ speciei: ergo iuxta distinctionem actuum debent auxilia efficacia specie distingui.

Tertiò. Vt asserit quorundam Theologorum opinio, quam disp. 19. discussimus, auxilium efficax non distinguitur realiter, tanquam res à re ab actu qui per ipsum producitur, sed solùm formaliter: ergo auxilium, quo credimus, est idem entitatiuè cum actu credendi, & auxilium, quo diligimus Deum, erit idem entitatiuè cum actu diligendi; sed actus credendi, & diligendi specie distinguuntur: ergo auxilium, quo credimus, specie distinguitur ab auxilio, quo Deum diligimus: & idem erit proportionabiliter dicendum de aliis actibus.

VI. Et, si fiat argumentum: nam id, quod non est directè in genere vel in specie, non potest ab alio specie distingui; sed auxilium efficax non est directè in aliquo genere, vel specie, cùm sit quid incompletum, & fluens, sicut est motus, vt disputat. 18. & 19. ostensum est: ergo vnum auxilium non potest specie distingui ab alio.

Respondetur Quòd eo modò, quo auxilium efficax reponitur in genere, vel specie, poterit specie distingui ab alio auxilio, sicut motus ad qualitatem distinguitur specie à motu ad quãtitatem; quamuis non sit directe in aliquo genere, vel specie; sed reductiuè pertineat ad speciem sui termini: sicut imperfectum reducitur ad speciem sui perfecti, quemadmodum embryo hominis ad speciem hominis: & embryo equi ad speciem equi reducitur, vt q. 3. de potentia, art 9 ad 10. docet S. Thomas.

VII. AD primum argumentum ex factis à principio respondetur, idem esse sentiendum de auxilio sufficienti, quod de efficaci dictum est. Ad cuius euidentiam aduertimus, auxilia sufficiẽtia præuenientis gratiæ esse in duplici differentia. Quædam enim primò præueniunt nos, ante quæ subinde nullum aliud præcessit auxilium; & cùm huiusmodi auxilia non sint formaliter actus vitales, sed quid præuium ad actum vitalem, vt disp. 74. ostẽdimus; necesse est, vt iuxta diuersitatem specificam actuum vitalium, quos in nobis efficiunt, specie etiam distinguantur. Iam enim in disp 8. diximus, omne auxilium sufficiens esse efficax secundùm quid, comparatione videlicet illius effectus, quem actualiter in nobis producit. Alia verò sunt auxilia sufficientia, quæ non præueniunt primò voluntatem, sed præueniuntur à prioribus auxiliis, & induunt rationem auxilij sub-

Auxilium sufficiens quotuplex sit.

A sequentis, comparatione vnius effectus, & præuenientis comparatione alterius; & hæc auxilia sunt formaliter actus vitales, vt in prælegata disp. 74. dictum est. Vnde necesse est, quòd specie distinguãtur secundùm diuersitatem specificam obiecti formalis; sicut illustratio intellectus specie distinguitur à pia affectione voluntatis, physicè loquendo. Si tamen huiusmodi actus imperfecti considerentur moraliter, eorum vnitas specifica, vel differentia attendenda est ex parte actus perfecti, ad quem ordinantur, sicut, verbi gratia, illustratio intellectus circa res fidei, cogitatio credendorum, desiderium credendi, petitio, & pia affectio voluntatis circa eadem obiecta, & alij huiusmodi actus, quamuis in esse naturæ specie distinguantur, vtpote à diuersis potentiis eliciti: nihilominùs in genere moris sunt eiusdem speciei, quia ordinantur ad eundem finem, nempe ad producendum actum fidei, & idem proportionabiliter dicendum est de aliis consimilibus actibus.

B

Ad secundum negatur minor. Ad probationem respondetur, auxilia efficacia non esse infinita, sed determinata secundùm speciem: quamuis secundùm numerum possint in infinitum multiplicari.

Ad tertium, negatur sequela. Ad probationem respondetur, quòd omnes illi actus imperfecti tempore antecedentes ipsum actum fidei, seu liberum assensum circa credenda, comprehenduntur sub auxilio sufficienti ad credendum, & pertinent ad eandem speciem auxilij, in genere moris, quamuis in

C esse naturæ specie distinguantur, vt dictum est.

VIII. Ad quartum, quod probare intendit, nullũ aliud dari auxilium efficax, præter donum perseuerantiæ, respondetur, gratiam efficacem esse illam, per quam aliquis certò & infallibiliter liberatur: non tamen est necessarium ad gratiam efficacem, quòd ille, cui tribuitur, ab æterna damnatione liberetur: sed sufficit, quòd liberetur, secundùm præsentem iustitiam, aut quòd per eam liberetur à peccato, quod committeret, si in contrarium actum prorumperet.

Auxilium efficax qualiter sit effectus diuini amoris.

Ad confirmationem respondetur, gratiam efficacem esse effectum diuini amoris, siue ille amor attendatur secũdum æternam prædestinationem, siue secundùm præsentem iustitiam, siue sit simpliciter

D supernaturalis, siue secundùm quid; quod dixerim propter eos, quibus, dum in peccato mortali existũt, Deus donat fidem, vel spem actualem: hos enim nõ diligit Deus amore supernaturali, simpliciter loquendo, cùm absolutè sint eius inimici, sed secundùm quid. Et quidem, quòd eos diligat amore supernaturali, ex eo patet: nam Deus, diligendo creaturas, communicat illis bonum, quod habent, vt 1. p. q. 20. art. 2. in corp. docet S. Th. Vnde quale fuerit illud bonum, talis debet esse amor Dei, à quo procedit. Donum autem fidei est donum supernaturale: vnde necesse est, amorem, quo Deus diligit peccatorem fidelem, inquantùm est fidelis, esse supernaturalem. Peccatores autem non diligit Deus amore

E supernaturali, absolutè loquendo, quin potiùs simpliciter eos odio habet, iuxta illud Sap. 14. *Odio sunt Deo impius, & impietas eius.* Relinquitur ergo, quòd secundùm quid eos diligat, cùm aliquod donum supernaturale illis communicat.

Ad quintum respondetur, quamcunque vocationem efficacem esse secundùm propositum gratiæ Dei, quo absolutè vult creaturam rationalem ad vitam æternam perducere, vel ad aliquod bonum supernaturale efficaciter mouere.

IX. Ad sextum respondetur, quòd, quando actus supernaturales sunt imperfecti, & ex natura sua ordinantur ad alios actus, sicut cogitare, desiderare, & petere; tũc auxiliũ, quod dicitur efficax cõparatione

Digitized by Google

horum actuum, non debet dici efficax simpliciter, sed secundùm quid, vt disp. 80. dictum est. Cæterùm, quando actus sunt perfecti in suo genere, sicut sunt actus fidei, & charitatis, tunc auxilium, quod est efficax comparatione horum actuum, debet simpliciter, & absolutè dici efficax; quamuis postmodum ille, cui confertur, cadat in peccatum mortale, & damnetur. Secundò respondetur, quòd, vt docet S. Th. dupliciter potest aliquid dici simpliciter tale, vnò modò secundùm quòd simpliciter idem est, quod absolutè; sicut simpliciter dicitur, quod nullo addito dicitur, vt Philosophus dicit 2. Topic. & hoc modo auxilium efficax, quo credimus, vel diligimus Deum, dicitur efficax simpliciter; etiamsi ille, cui tribuitur, non perseueret vsque in finem. Alio modo simpliciter idem est, quod omnibus modis, vel totaliter, & in hoc sensu solum donum perseuerantiæ potest dici simpliciter efficax: quia solum hoc donum omnibus modis, & totaliter facit hominem bonum operari, ità vt à fine supernaturali non recedat.

S. Th. 3. p. q. 50. ar. 5. in corp. & 2. 2. q. 58. art. 10. ad 2.

A

B

DISPVTATIO LXXXV.

Vtrùm Deus, seu auxilium efficax, & liberum arbitrium sint duæ causæ partiales supernaturalis consensus, sicut duo trahentes nauim.

C

I. QVIDAM recentiores Theologi partem defendunt affirmatiuam. Quam vt explicent, dicunt, quòd totus effectus, & à Deo est, & à causis secundis; sed neque à Deo, neque à causis secundis, vt à tota causa, sed vt à parte causæ, quæ simul exigit concursum, & influxum alterum, non secus ac cùm duo trahunt nauim, totus motus proficiscitur ab vnoquoque trahentium, sed non tanquam à tota causa motus, siquidem quiuis eorum simul efficit cum altero omnes, ac singulas partes eiusdem motus. Extendunt hanc doctrinam ad actus supernaturales, in quibus efficiendis sentiunt, Deum suo concursu, & liberum arbitrium esse duas causas partiales eorundem actuum, sicut duo trahentes nauim, comparatione motus nauis. Probatur hæc sententia.

D

Primò: quia secundùm Fidem Catholicam in Conc. Trid. contr. Lutheran. definitam, non solùm Deus, vel sola gratia est causa efficiens supernaturalis consensus, sed etiam liberum arbitrium est vera causa illius efficiens, ac Deo cooperans: ergo Deus, & liberum arbitrium sunt causæ partiales eiusdem actus liberi, sicut duo trahentes nauim. Probatur consequentia: nam causa partialis comparatione alicuius effectus, est illa, quæ habet consortium alterius causæ, sicut causa totalis illa dicitur, quæ alterius causæ consortium non habet.

Secundò, Deus, & liberum arbitrium non eodem E influxu influunt in actum liberum, sed tam Deus, quàm liberum arbitrium habet suum influxum proprium & peculiarem ad eundem effectum necessarium, alias liberum arbitrium non esset causa secunda principalis actuum supernaturalium, sed merum instrumentum; quia non haberet propriam vim actiuam, nec propriam actiuitatem, & influxum respectu illorum actuum, sed solùm operaretur per influxum principalis agentis, sicut penicillus operatur imaginem; cuius contrarium disput. 68. ostensum est. ergo Deus, & liberum arbitrium partialitate causæ, vt aiunt, verè sunt duæ causæ partiales eiusdem effectus.

Tertiò probatur auctoritate Theologorum, qui expressè docent, Deum, & lib. arb. esse duas causas partiales eiusdem effectus: sic enim loquitur Capr. in 2. sent. d. 28. q. 1. art. 3. ad 12. contra 3. conclusionem, vbi ait: *Non solum iuuat Deus ad bonum, partialiter coefficiendo, qui est modus communis, quo concurrit ad cuiuslibet agentis effectum, &c.* Et eadem formalia verba habet Greg. Arimin. eadem dist. ad 12. Similiter Gabr. in 2. d. 1. q. 2. art. 1. *Deus*, inquit, *producens effectum in causa secunda est causa partialis, sicut & causa secunda.* Et d. 37. q. 1. art. 1. ad argumentum de quarta via: *Deus volendo causat omnia; non tamen ideo est causa totalis, quia vult secum cõcurrere alias causas.* S. Bonau. in 1. d. 40. q. 1. art. 2. ait: Prædestinatio, inquantùm dicit rationem causæ, non necessariò ponit effectum, quia non est causa per necessitatem. Et iterum: Non est tota causa, sed cum alia causa contingente, scilicet cum libero arbitrio. Oleoth in 2. q. 1. ar. 3. in princ. inquit: *Imaginandum est, quòd Deus, & creaturæ sunt duæ causæ partiales.* Lychetus in 1. sent. d. 37. q. 2. §. ad solut. ait, quòd licèt voluntas diuina semper concurrat ad omnem actionem nostram, *vt causa partialis*, vult tamen causam secundam sibi cooperari. Raphaël Venustius li. 2. de præd. & libero arbitrio, vbi argumentando contra Lutherum, ait: *Non aduertit, Deum esse causam operis nostri partialem, & totalem, sed non totaliter influentem.* Denique Thomas Elysius Ord. Prædic. sacræ Theologiæ Magister tractatu de donis Spiritus sancti, pag. 478. *Sufficientia*, inquit, *dispositionum est à Deo, & à nobis, vt à duabus causis partialibus facientibus vnam totalem.* Cùm ergo tot graues auctores Catholici fateantur Deum, & liberum arbitrium, & quamcunque aliam causam secundam esse causas partiales, seu partialiter cõcurrere ad eundem effectum producendum, relinquitur, hanc sententiã, & modum loquendi esse ad minùs valde probabilẽ.

Venustius fol. 80. pag. 2. & f. 160. pag. 1.

Quartò. Idipsum potest suaderi omnibus argumentis superiùs adductis ad probandum, Deum suo influxu non prædeterminare physicè liberum arbitrium, & alias causas secundas, ad operandum, neque efficere, vt secum cooperentur: ex hoc enim principio euidenter sequitur, Deum, & liberum arbitrium esse causas partiales eiusdem effectus, sicut duo trahentes nauim. quamuis hæc similitudo non teneat in omnibus, sed in hoc, quòd Deus, & liberum arbitrium habent proprium conatum, & influxum in actum liberum, sicut duo trahentes nauim comparatione motus ipsius nauis.

Disp. 18. n. 6. & 13.

Et confirmari etiam potest hæc sententia argumentis disput. 97. adducendis, quibus contendunt probare, influxum arbitrij, quo Deo excitanti, & mouenti liberè cooperatur, procedere efficienter à sola, & innata eius libertate; nec esse reducendum in Deum, vel in auxilium efficax gratiæ, tanquam in priorem causam, per se efficientem. Ex hoc enim, si semel statuatur, infertur, Deum & liberum arbitrium esse causas partiales consensus liberi, sicut duo trahentes nauim, in sensu ab auctoribus, cum quibus disputamus, intento.

II. Causæ partiales supernaturalis actus, in quo sensu dicantur gratia, & lib. arb.

Contrariam sententiam docet expressè S. Th. 4. cont. Gent. c. 7. n. 16. & lib. 3. c. 70. in fine, quam priùs docuit S. Aug. locis infrà allegandis: & in aliis, quæ disp. 100. adducemus ad probandum collationẽ auxilij efficacis esse adæquatã, & solam causam efficientem, vt liberum arbitrium conuertatur, & piè operetur. Hanc sententiam sequuntur omnes Thomistæ, inter quos est M. Bañes 1. p. q. 23. art. 3. dub. 2. ad 3. argum. & 2. 2. q. 10. art. 1. dub. 2. doctr. 3. §. ex dictis. Ad cuius euidentiam, vt separemus ea, in

quibus

Digitized by Google

quibus auctores vtriusque sententiæ conueniunt, & id, in quo dissentiunt, aperiamus, notandum est, quod dupliciter possunt aliquæ duæ causæ dici, vel esse partiales, comparatione alicuius effectus. Primo modo, quia quælibet illarum in productione eiusdem effectus habet consortium alterius causæ cooperantis, & influentis in eundem effectum: & in hoc sensu auctores vtriusque sententiæ, vnanimi consensu fatentur, Deum, & liberum arbitrium esse duas causas partiales supernaturalis consensus. Et idem docent de concursu Dei, & aliarum causarum secundarum, etiam contingentium comparatione effectuum naturalium, quia non solus Deus producit efficienter illum effectum, sed etiam causa secunda effectiue eundem effectum producit, vt 3. cont. Gent. c. 69. & 70. ostendit S. Thom. contra positionem eorum, qui rebus naturalibus proprias subtrahebant actiones. Quod etiam specialiter probat de electionibus voluntatis humanæ, c. 89. 90. & 91. eiusdem lib. Secundo modo possunt duæ causæ dici partiales, quia licet vna tribuat alteri potentiam, seu virtutem actuam in actu primo, qua possit cum altera producere effectum, tamen qualibet illarum, ita ex se ipsa adhibet proprium conatum, quo influit cum altera in effectum, vt illum conatum, & influxum actualem non accipiat ab altera in genere causæ propriæ efficientis. Sicut si ponamus duos equos, quorum vnus genitus est ab altero, mouere currum: quilibet adhibet proprium conatum, & influxum in illum motum, neque vnius influxus dependet ab alio, vt a causa efficiente, quamuis dependeat ab eo, tanquam a causa tribuente virtutem seu potentiam motiuam. In hoc ergo sensu asserunt auctores primæ sententiæ, Deum per auxilium gratiæ & liberum arbitrium esse causas partiales in supernaturalem actum partier influentes; quia quamuis Deus conferat libero arbitrio esse potentiæ volitiuæ, & auxilium sufficiens, vel habitum, quo possit proximè in actum supernaturalem influere; tamè influxus actualis, & conatus, quo liberù arbitrium gratia excitante motum, vel habitu supernaturali adiutum, elicit actus supernaturales, ita dicunt tribuendum esse libero arbitrio, vt causæ efficienti, atque influenti pro sua innata libertate: vt a Deo vel ab auxilio efficaci, tanquam a causa prior; & per se efficiente non dependeat, sed solum tanquam a causa alliciente, inuitante, suadente, aut aliter etiam interiùs moraliter attrahente: alias existiment, arbitrij nostri libertatem illæsam conseruari non posse. Contra hanc sententiam sit

Simile.

III. Deus & lib. arbit. non sunt proprie causæ partiales supernaturalis operationis.

PRima Conclusio. Deus, seu gratia eius efficax, & liberum arbitrium nó sunt causæ partiales actus credendi, sperandi, & diligendi, & aliorum actuum supernaturalium, sicut duo trahentes nauim, sed quælibet est causa totalis in suo genere: quarum vna scilicet liberum arbitrium, in suo influxu & cooperatione subordinatur alteri, scilicet Deo, vt causæ priori, non solùm suadenti, seu moraliter mouenti interius, sed etiam, tanquam causæ vere efficienti, vt ipsum liberum arbitrium secum concurrat, & cooperetur. Hanc conclusionem esse expressam doctrinam SS. Patrum præsertim S. Augustini, & S. Thom. & aliorum doctorum, qui eorum sententiam defendunt, sequentia testimonia demonstrant.

In primis S. Augustin. explicans illud ad Rom. 9. *Non est volentis, neque currentis: sed Dei miserentis*, & quandam explicationem impugnans eorum; qui asserebant, propterea dictum esse, non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei, quia videlicet ex vtroque fit, partialiter, id est, ex voluntate hominis, & misericordia Dei; infert ex hac explicatione, è contrario etiam rectè dici posse, non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, quia id misericordia Dei sola non implet. Vnde sic concludit S. Doctor: *Porrò si nullus Christianus dicere audebit: non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, ne Apostolo apertissimè contradicat: restat, vt propterea recte dictum intelligatur, non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, vt totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam & præparat adiuuandam, & adiuuat præparatam.* Et lib. de præd. SS. cap. 2. impugnans asserentes, Deum, & liberum arbit. esse causas partiales actus supernaturalis fidei, sic loquitur: *Nolens ergo his tam claris testimoniis repugnare, & tamen volens, a seipso sibi esse, quod credidit, homo quasi componat cum Deo, vt partem fidei sibi vendicet, atque illi partè relinquat: & quod est clarius, primam tollit, sequentem dat illi: & in eo quod dicit, esse amborum, priorem se facit, posteriorem Deum. Non sic pius atque humilis doctor ille sapiebat, cuius primum beatissimum loquor, qui dixit, in nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit. Quod vt ostenderet, adhibuit Apostolum testem dicentem: Quid autem habes, quod non accepisti?* Et c. 7. eiusdem libri, ait: *Quidquid igitur, & antequam in Christum crederet, & cùm crederet, & cùm credidisset, bene operatus est Cornelius; totum Deo dandum est, ne forte quis extollatur.* Et c. 16. inquit: *Apostolus ait: Non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: Quia maior seruiet minori. Nunquid dixit, non ex operibus, sed ex credente? Prorsus etiam hoc abstulit homini, vt totum daret Deo. Dixit ergo: Sed ex vocante, non quacunque vocatione, sed ea vocatione, qua credens fit.* Et libro de dono perseuerantiæ, c. 6. sic concludit: *Tutiores igitur viuimus, si totum Deo damus: non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus.* Et c. 13. eiusdem libri: *Nos ergo volumus, sed Deus in nobis operatur & velle. Nos ergo operamur, sed Deus in nobis operatur, & ipsum operari pro bona voluntate. Hoc nouis expedit & credere, & dicere. Hoc est pium, hoc verum, vt sit humilis, & subiuncta confessio, & detur totum Deo.* Quibus verbis sanctus Augustinus ex eo probat, Deo totum esse tribuendum; quia licèt homo liberè velit, & operetur; Deus tamen sua gratia efficit, vt homo velit & operetur: vnde libro de præd. SS. c. 2. idem Aug. ait: *Ipse ergo fidem gentium fecit, qui potès est facere quod promisit. Porrò si operatur Deus fidem nostram, miro modo agens in cordibus nostris, vt credamus; nunquid metuendum est, ne totum facere non possit & ideo homo sibi primas eius vendicat partes, vt nouissimas ab illo accipere mereatur. Videte, si aliud agitur isto modo, nisi vt gratia Dei secundùm merita nostra detur, quolibet modo & sic gratia non sit gratia.*

Idem docet S. Chrysost. quem etiam ipse Iulianus Pelagianus honorabiliter, teste August. commemorat, & sicut sanctum, eruditúmque laudat, atque testimonium, & gloriã de consortio veritatis suscepisse affirmat. Is enim super secunda epistola ad Corinth. c. 3. explicans illa verba: *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis,* ait: *Quasi dicat Paulus planiùs: Non ita dicebam, fiduciam habemus vt partem sit nostrum, partim sit Dei, sed totum illi tribuo, acceptúmque fero.* & homil. quarta super secunda epistola ad Thessalonicenses capite secundo. *Ego*, inquit, *sanè dixi, totum verò Dei est.* Et homilia decimaquinta, super Acta Apostol. *Hoc solùm nobis curæ sit*, inquit, *quemodo vincamus diabolum, imò verò non nostri opus est, sed diuinæ gratiæ totum est.* Eodem modo contra Pelagianos sanctus Hieronymus loquitur super capite decimooctauo Ieremiæ, vbi explicans illud: *Ecce, sicut lutum in manu figuli*; postquam docuerat, gratiam, & liberum arbitrium saluari in operationibus piis, subdit: *Nec statim totum erit hominis,* quod

August. lib. 1. cont. Iulia. c. 2.

quod euenies, ſed eius gratia, qui cuncta largius eſt: ita enim liberias arbitrij reſeruanda eſt, vt in omnibus excellat gratia largioris, iuxta illud Propheticum:
Pſal.126. *Niſi Dominus ædificauerit domum: in vanum laborauerunt, qui ædificant eam. Niſi Dominus custodierit ciuitatem in vanum vigilauit, qui custodit eā. Non enim*
Rom.9. *volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* Et S.
S. Baſil. Baſilius homil.22 de humilitate. *Nihil*, ait, *tibi relictum est, o homo, de quo gloriari poſſis.* Et S. Ambroſ. lib. 2. de Abraham, c.7. inquit, *non eſt volentis, neque currentis, ne te ipſum inſtipicares, ſed omnia tribueres Deo, qui te vocauit*, vocatione ſcilicet efficaci, qua, vt operemur, operatur. Subſcribit Paulus Orosius in hunc
Paulus Oroſius. Apologiæ de arbitrij libertate, quam aduersus Pelagium adhuc viuentem conſcripſit, vbi explicans illud Ioan.15. *Ego ſum vitis, vos palmites*, ait, *quocunque habet palmes, ſcilicet de vite habet. Non enim,*
Rom.11. *inquit Apoſtolus: Tu radicem portas, ſed radix te? quid ſe ergo exoltit in fructibus, qui videntur in eo, cùm totum pertineat ad vitem non ſolum vt poſſit verum etiam vt ſit? Alioquin excideretur, & in ignem mitteretur. Non enim palmes, eò vitis poteſt, vt quod vitis poteſt, palmes oſtendat. Suffecit ergo vnicuique, vt habeat. At vero vbi, & vnde habeat, & humiliter agnoſcat, & patienter expectet, ne, dum non habet, & habere ſe credit, idipſum,*
S. Cyprianus *quod habet, auferatur ab eo.* S. Cyprianus de ieiunio, & tentatione, ait: *Deo totum acbemus, quod petimus,*
S. Anſelm. *quòd monemur quod ſumus.* Et S. Anſelmus lib. de conc. præd. & liberi arbitrij, paulo poſt principium, *Totum*, inquit, *imputandum eſt gratiæ quia, vt volentis eſt, quod vult neque currentis quod currit, ed miſerentis eſt Dei.* Et ſuper c.1. epiſt. ad Philem. in illa verba:
C *Gratia eſtis ſaluati per fidem, & hoc non ex vobis, &c. Dei donum eſt ipſa fides, vel vocatio veſtra, & non partim, ſed pure donum Dei; quia non ex operibus veſtris, id eſt, non eſt ibi admiſtio operum, vt ne quis glorietur.* Quibus verbis non obſcure docet, Deum, & liberum arbitrium non eſſe cauſas partiales actus fidei, & aliorum ſupernaturalium, ſicut duo trahentes nauim, quod indicant illa verba: *Non partim, ſed pure*, & illa: *Non eſt ibi admiſtio operum*. Significant enim, influxum, ſeu cooperationem arbitrij eſſe tandem referendum in ipſum Deum, tanquam in cauſam efficientem, vt fides non partim, ſed purè ſit donum Dei. Sentit ergo, Deum, & liberum arbitrium non eſſe cauſas partiales piæ operationis, ſicut duo trahentes nauim. Id.m docent Gregorius Nazianzenus, Cyprianus, & Bernardus, quorum teſtimonia adduximus diſp.62.num 6. Praeterea idem
D S. Damaſc. ſentit S. Damaſc. in hiſt. de Balaam & Ioſaphat viris illuſtribus, inquiens: *Qui plus virtutis habebat, totum Dei gratiæ adſcribebat.*

S. Thomas. Denique S. Thom. 1. 2. q.111. art 2. ad 2. eandem doctrinam amplectitur: ait enim, *quod Deus non ſine nobis nos iuſtificat, quia per motum liberi arbitrij, dū iuſtificamur, Dei iuſtitiæ conſentimus. Ille tamen motus non eſt cauſa gratiæ ſed effectus; vnde tota operatio pertinet ad gratiam.* Et clarius 1. cont. Gent. c.70. in hunc, idipſum docet his verbis: *Non ſic eadem effectus cauſæ naturalis & diuinæ virtutis attribuitur, quaſi partim à Deo, & partim à naturali agente fiat, ſed totus ab vtroque, ſecundum alium modum ſicut idem effectus totus attribuitur inſtrumento, & principali agenti etiam totus.*
E Sed agens principale, & inſtrumétum non ſunt duæ cauſæ partiales effectus, cùm inſtrumentum ſubordinetur in ſuo influxu principali agenti: ergo, ſecundùm S. Thom. Deus, ſeu gratia efficax, & liberum arbitrium non ſunt cauſæ partiales ſupernaturalis conſenſus, ſicut duo trahentes nauim.

IV. Confirmari poteſt hæc ſententia ex verbis illis
Iacobi 1. Iacobi: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens à Patre luminum.* Cum ergo cooperatio liberi arbitrij conſentientis Deo vocanti, ſit aliquid optimum, & perfectum; relinquitur, eſſe Deo tribuendum, ac per conſequens, Deum non eſſe cauſam partialem, ſed totalem, in quam ipſa cooperatio arbitrij, tanquam in priorem cauſam efficientem, reducenda eſt, propter quod Eccleſia Catholica, in quadam oratione inquit: *Deus cuius eſt totum, quod eſt optimum*, &c. Quibus verbis ſignificatur, Deum non partialem cauſum eſſe, ſed in ſuo genere totalem cuiuſcumque actus ſupernaturalis noſtri arbitrij, vel alterius effectus producti, etiam interuentu cauſæ ſecundæ.

Reſpondent ad omnia hæc argumenta Deum eſſe quidem cauſam totalem, totalitate effectus, quia videlicet totus effectus producitur à Deo, ſicut etiam totus producitur à cauſa ſecunda: non tamen totalitate cauſæ, quia non ſolus Deus producit in nobis effectiue actum liberum, ſed cooperante ſimul libero arbitrio, & partier cum illo in ipſam piam operationem influente. Sicut, cum duo trahunt nauim, quilibet producit totum effectum, nec eſt aſſignabilis aliqua pars motus nauis, quæ producatur ab vno, & non ab altero, neuter tamen eſt totalis cauſa motus nauis, ſed partialis, quia non producit illum motum, niſi adiutus ab altero ſimul influente, & producente eundem motum.

Contra hanc tamen ſolutionem eſt efficax argu- V. S. Thom. 4. cont. Gēt. c.7.n.16.
mentum. Nam, vt docet S. Thomas 4. cont. Gent. quando multa agentia partialiter trahunt nauim: *Quia vis tus cuiuſlibet imperfecta eſt, & inſufficiens ad ipſum effectum, ex diuerſis virtutibus congregatur vna virtus omnium, quæ ſufficiens ad habendum nauim.* Sed virtus Dei non eſt imperfecta, ſed infinita, vt 1. cont. Gent. cap.42. oſtendit idem S. Thomas: ergo Deus, & liberum arbitrium, non ſunt cauſæ partiales actus ſupernaturalis, ſicut duo trahentes nauim: aliàs virtus Dei eſſet inſufficiens, & imperfecta, & indigeret virtute alterius, ad aliquem effectum producendum.

Secundò probatur, deſtruendo potiſſimum fundamentum oppoſitæ ſententiæ. Nam ſi propter aliquam rationem Deus, & liberum arbitrium eſſent cauſæ partiales actionis ſupernaturalis credendi, ſperandi, & diligendi, &c maxime, quia non ſolus Deus, ſed ſimul etiam liberum hominis arbitrium eiuſmodi actus producit; ſed hæc ratio eſt nulla: ex illa enim ſequeretur, Patrem, & Filium partialiter D producere Spiritum ſanctum, ſicut duo trahentes nauim; etenim nec ſolus Pater producit Spiritum ſanctum, nec ſolus Filius, ſed Pater, & Filius ſimul illum producunt; conſequens autem non eſt admittendum, vt 4. cont. Gent. ſuperius allegato oſtendit S. Thomas: ergo, etiamſi Deus, & liberum arbitrium ſimul producant actum ſupernaturalem, non ſequitur ex hoc, eſſe cauſas partiales eiuſdem actus, ſicut duo trahentes nauim.

Tertiò probatur, nam, vt ſupra oſtenſum eſt, ipſa cooperatio, & influxus liberi arbitrij in piam operationem, procedit efficienter a Deo, ſiue ab auxilio gratiæ efficacis: propter quod, vt infrà dicemus, Diſp.100. Deus, ſeu collatio efficacis auxilij eſt adæquata cauſa, quæ efficit, vt homo conuertatur, vel piè operetur: ergo Deus, & liberum arbitrium non ſunt cauſæ partiales eiuſdem operationis, ſicut duo trahentes nauim. Probatur conſequentia: nam in huiuſmodi cauſis partialib. quælibet habet influxū, & conatum ita ibi propriū, vt neutra ab altera, vt à cauſa proprie efficiente, illum recipiat, vt ſupra dictum eſt.

Quartò probatur. Omnibus argumentis, quibus diſp.96 & 97. manifeſtum fiet, liberum arbitr. dum conſentit Deo excitanti, & mouenti nihil ex ſeipſo operari, quod a Deo non acceperit, vt a priori cauſa

per

per se efficiente, ac per consequens eius cooperationem cum gratia non procedere a sola, & innata eius libertate. Ex hoc enim euidenter concluditur, Deũ, & hoc eum arbitrium non esse causas partiales supernaturalis consensus, sicut duo trahentes nauim, sunt partiales causæ motus ipsius nauis. Et confirmari potest hoc argumentum: nam actus credendi, sperandi, & diligendi Deum, vt est auctor gratiæ, sunt quantum ad substantiam, & omnem suam entitatem actus supernaturales, vt disp. 65. ostensum est: ergo voluntas secundum se, & suam naturalem virtutem, cùm sit potentia inferioris ordinis, habere non potest virtutem aliquam sibi connaturalem, qua tales actus, etiam vt causa partialis effectiue talis haberet ex se, & ex natura sua connexionem, & proportionem sibi connaturalem cum ordine gratiæ; ac per consequens ordo gratiæ non esset supra totum ordinem naturæ, quod tamen admitti non potest. A B

VI. Idipsum probant argumenta, quibus disp. 18. & 23. ostensum est, concursum Dei generalem tam naturalis, quam supernaturalis ordinis esse influxum Dei immediatum in causas secundas, etiam liberas, eásq; efficienter præmouere ad proprias operationes, vnamquamque iuxta modum suæ naturæ, quod tamen non competit causis partialibus, seu partialiter concurrentibus ad productionem eiusdem effectus, vt ex supradictis constat.

VII. AD primum argumentum respondetur, quòd, quamuis sola gratia non producat supernaturalem operationem hominis, sed simul etiam ad eam concurrat effectiuè liberum arbitrium, cooperando gratiæ Dei; nihilominus solus Deus, & sola gratia efficit, vt liberum arbitrium cooperetur, vt supra ostensum est: & ideo non est causa partialis, sed totalis in suo genere cuiuslibet actus supernaturalis. Nam ad causam partialem partialitate causæ, vt aiunt, non sufficit, quòd habeat consortium alterius causæ simul influentis in effectum, sed vltra hoc requiritur, quòd quælibet per se, & seorsum sumpta, sit imperfecta, habeatque virtutem imperfectam, cooperatione eiusdem effectus, vt dictum est. Et præterea etiam requiritur, quòd influxus, & conatus vnius causæ non sit efficienter ab altera, quod tamen in præsenti non contingit. C

Liberi arbitrij influxus qualiter sit ab proprius. tom 2. epis. ad Ccesiphontem, c. 3.

Ad secundum argumentum respondetur, liberã hominis arbitrium habere quidem proprium influxum in actum supernaturalem procedentem a principio intrinseco, eleuato per gratiam, sed hunc eundem influxu actualem accipit a Deo, vt a causa vere efficiente, vt ostensum est. Dicit enim Hiero. *Meum est velle & currere, sed ipsum meum sine Dei semper auxilio nõ erit meum.* Vnde quamuis per propriam formam idem arbitrium producat actus supernaturales, non vt merum instrumentum, sed vt causa principalis, iuxta ea, quæ disp. 68. dicta sunt, nihilominùs tam ipse Deus, quam liberum arbitrium est causa totalis in suo genere eorundem actuum; non autem partialis partialitate causæ, vt dictum est. Videantur pro confirmatione huius solutionis, quæ disp. 62. n. 8. dicta sunt. D

Ad tertium argumentum respondetur, Doctores Catholicos, qui docent, Deum esse causam partialem effectuum, quos per causas secundas producit, esse intelligendos, de causa partiali cõmuniter sumpta, quatenus significat causam habentem consortium alterius causæ concurrentis effectiue ad productionem eiusdem effectus, vt ex verbis eorum indubiis non obscure colligitur. Quòd si forsitã vnus, aut alter loquutus est in hac parte minùs proprie; asserendo, Deum, & liberum arbitr. esse duas causas partiales, facientes vnam causam totalem, non propterea recedendum est a sententia, & modo loquen- E

S. Augustin. & S. Thomæ, & aliorum Patrum, qui, vt supra ostensum est, affirmãt, Deum non esse causam partialem, sed totalem, a qua non solum ipsum velle nostrum, sed etiam cooperatio, & influxus nostri arbitrij, tanquam a priori causa efficiente dependet, vt ostensum est, & in disputat. sequenti patebit ampliùs.

Ad ea verò, quæ in quarto argumento tanguntur, iam in disp. 22. 23. & 24. abunde satis responsum est. Ad confirmationem patebit disp. 97.

DISPVTATIO LXXXVI.

Vtrùm Deus per auxilium efficax præoperantis gratiæ verè efficienter faciat, vt faciamus, an solùm suadendo, inuitando, & alliciendo, aut aliter, etiam interiùs moraliter attrahendo.

I. QVÆ nõ solùm apud S. Augustin. sed etiã in sacris literis, & Cõciliis habentur expressa Deum facere, vt faciamus, & operari, vt operemur, vt luce clariùs loca inferiùs allegãda comminent, nullus Catholicus est, qui verbis neget, Deum per auxilium gratiæ facere, vt faciamus, & operari, vt cooperemur. Differentia tamen est inter Theologos circa modum, quo Deus id faciat.

Quidam namque licèt fateantur, Deum per auxilium efficax gratiæ vere efficienter, ac physicè efficere vnà cum libero arbitrio actũ supernaturalem: negant tamen, ipsum Deum per auxilium efficax gratiæ præuenientis vere efficienter facere, vt nostrum arbitrium influat, & cooperetur Deo vocãti, & mouenti; vnde omnia loca Scripturæ, Conciliorum, & sanctorum Patrum, quæ asserunt, Deum per suam gratiam præuenientem facere, vt faciamus, quatenus aliqua ratione soli Deo, & gratiæ præuenienti tribuitur, explicant de efficientia tantum morali, seu metaphorica, quæ fit tantummodo suadendo, alliciendo, inuitando, & proponẽdo interiùs congruè, & opportunè obiectum, eo modo, quo Deus præscit, voluntatem creatam præstituram consensum. Potissimum fundamentum eorum est: nam alias existimant, arbitrij nostri libertatem illæsam conseruari non posse: quia si antequam voluntas creata eliciat suum actum, aut cooperetur Deo mouenti, necesse est, vt priùs ratione, & causalitate Deus efficiat, vt ipsa voluntas velit, non erit in potestate eiusdem voluntatis velle, aut nolle, quando sibi placuerit; sed solum in potestate Dei, qui efficit nos velle, aut nolle, quãdo sibi placet, & ita libertas erit solùm in Deo, non autẽ in voluntate creata. D

Fundamẽtum primæ sententiæ.

Præterea probari potest hæc sententia nam Deus facit, vt faciamus, operando in nobis sine nobis initium bonæ voluntatis, quæ non perficitur sine nõbis: dicit enim Aug. lib. de grat. & lib. arb. cap. 17. *Sine nobis operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiẽs*: sed Deus nõ operatur in nobis sine nobis initiũ bonæ volũtatis, nisi tantùm moraliter suadendo, alliciendo, inuitando: nam physicè efficere non potest sine nobis initium actus voluntatis, quia, cùm sit actus vitalis, produci à solo Deo non potest sine concursu, & cooperatione creatæ voluntatis: ergo Deus solùm moraliter facit, vt faciamus: non autem verè efficienter, seu physicè. E

Confirmatur. Quia initium physicum actus bonæ voluntatis est homini liberum: aliàs totus actus non esset homini liber, cùm enim actus voluntatis

tatis ſit inſtantaneus, ſi eius initium non eſſet liberum reſpectu hominis, etiam totus actus non eſſet eidem homini liber, ſed ſolum Deo, ſed impoſſibile eſt, quòd actus liber, vel aliquod eius phyſicum nutium producatur ſine libero conſenſu, & cooperatione noſtræ voluntatis: ergo impoſſibile eſt, quòd Deus per gratiam operantem, ſeu præuenientem, qua ratione præueniens eſt, phyſice, ſeu verè efficienter faciat, vt faciamus: ergo ſolùm id efficit moraliter.

Secundò. Tota cauſalitas præuenientis gratiæ, qua Deus facit, vt faciamus, reducitur ad motionem finis: nam per hãc gratiam facit Deus, vt obiectum, quod amandum proponitur, honeſtius appareat, & amore dignius; & quod timendum, horribilius, & quod odio habendum, turpius; & ſic de cæteris: ſed cauſalitas finis ſolùm eſt moralis, non autem verè, & propriè efficiens, aliàs cauſa efficiens, & finalis confunderentur, & coinciderent: ergo Deus per gratiam præuenientem ſolùm moraliter facit, vt faciamus, non autem vere efficienter.

Confirmatur: nam per gratiam præuenientem, qua Deus facit, vt faciamus, mouet Deus hominem, vt homo eſt, ad operandum, ac per conſequens eum mouet, vt operetur libere, iuxta modum ſuæ naturæ, ſed homo, vt homo, monetur ad operandum ex fine præconcepto, vt 1.2.q.1.art.1. docet S. Th. vnde actiones humanæ ſumunt ſuam ſpeciem a fine, vt in eadem q.ar.3. dicit: ergo per gratiam præuenientem ſolùm moraliter facit Deus, vt faciamus.

II. Tertiò. Operari, vt velimus, ſeu facere, vt velimus, nihil aliud eſt, quàm operari in nobis aliquid, quo diſponamur, vel inclinemur ad volendum, & eo animo, & intentione, vt velimus: ſed hoc totum pertinet ad genus cauſalitatis moralis, nec includit intrinſecè veram efficientiam, comparatione actus volendi: ergo ex eo, quòd, iuxta Scripturam ſacram, Concilia, & Patres, Deus operetur in nobis, vt velimus, & faciat, vt faciamus, non ſequitur, quod verè efficienter faciat nos velle, ſed omnes illæ loquutiones, quatenus ſoli Deo tribuuntur, poſſunt, & debent intelligi de efficientia moali, ſeu metaphorica. Minor probatur: nam excitans, & præmouens interiùs hominem ad diligendum, aliquid operatur, quo voluntatem diſponit, & inclinat ad amandum: operatur enim illuſtrationem intellectus, & inſpirationem, per quam præparatur voluntas, & mouetur ad diligendum: nam etiam diabolus præparat voluntatem, & eam ſuadendo mouet ad peccandum, illi proponendo amabilitatem obiecti, ſimiliter vnus homo poteſt ſuadendo præparare, & inclinare voluntatem alterius, ad aliquid faciendum, & tamen diabolus non facit verè efficienter vt homo peccet, ſed ſolùm moraliter, ſicut etiam vnus homo ſolùm moraliter facit, vt alius homo velit: ergo.

Confirmatur. Aliud eſt facere in nobis velle, aliud verò facere, vt velimus: qui enim rogat, vel præcipit alteri, vt velit, facit, vt ille velit, non tamen operatur in illo actum volendi: ergo ſimiliter per gratiam præuenientem, vt præueniens eſt, facit Deus ſuadendo, vt velimus, abſque eo, quòd per eandem gratiam, vt præuenit liberam cooperationem noſtri arbitrij, efficiat in nobis ipſum velle.

Quartò. Actionis nõ eſt actio, aliàs ad illam priorem actionem neceſſaria eſſet alia actio, & ad illam alia, & ſic in actionibus, & in cauſis efficientibus daretur proceſſus in infinitum: ergo ante actionem, & cooperationem liberi arbitrij nulla præintelligitur actio diuina, per quam Deus phyſicè, ſeu verè efficienter faciat liberum arbitrium cooperari, ac per conſequens per gratiam præuenientem efficacem ſolùm moraliter facit, vt faciamus.

Quintò. Idipſum probari poteſt omnibus argumentis ſuprapoſitis, quibus auctores multæ ſententiæ ſuadere contendunt, Deum ſuo auxilio efficaci non prædeterminare liberum arbitrium ad operandum, ſed actualem determinationem eiuſdem arbitrij procedere a ſola, & innata eius libertate. Ex hoc enim principio, ſi eſſet verum, euidenter deducitur, Deum per auxilium efficax præuenientis gratiæ ſolum moraliter facere, vt faciamus, non autem phyſice, ſeu vere efficienter. Diſp.22. & 23

III. Deus per auxilium efficax præuenientis gratiæ & moraliter, & efficienter facit nos cooperari.

His tamen non obſtantibus, certiſſimè tenendum eſt, Deum per auxilium efficax præuenientis gratiæ facere, vt faciamus, & operari, vt operemur, non ſolùm ſuadendo, alliciendo, inuitando, aut aliter, etiam interiùs moraliter attrahendo, ſed etiam vere efficienter, atque efficaciter faciendo, vt ipſum arbitrium a Deo motum, & excitatum ſe libere determinet ad bene operandum, & operetur. Hæc eſt expreſſa ſententia S. Aug. & S. Th. vt patet ex locis ſupra adductis, & ex iis, quæ adducentur infra.

Probatur primò manifeſtiſſimis teſtimoniis ſacrarum literarum, inter quæ præcipuum eſt illud Ezech. 36. *Et dabo vobis cor nouum & ſpiritum nouum ponam in medio veſtri, & auferam cor lapideũ de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum, & ſpiritum meum ponam in medio veſtri & faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea cuſtodiatis, & operemini.* Quo teſtimonio S. Aug. ſæpe vrgebat Pelagianos, & Semipelagianos, contra eos concludens, Deum facere, vt faciamus, & operari, vt operemur, idque non ſolum ſuadendo, alliciendo, inuitando, aut aliter etiam interiùs moraliter attrahendo, ſed etiam verè efficiẽter, & efficaciter faciendo, vt noſtrum arbitrium cooperetur. Sed præſertim in li de præd. SS. cap. 11. *Ideo*, inquit, *hæc & nobis præcipiuntur, & dona Dei eſſe monſtrantur, vt intelligatur, quod & nos ea faciamus, & Deus faciat, vt illa faciamus, ſicut per Prophetam Ezechielem apertiſſimè dicit: Ego faciam, vt faciatis. Locum ipſum Scripturæ ſuperius commemoraui attendite, & videbitis, illa Deum promittere facturum ſe, vt faciant, quæ iubet, vt fiant.* Et lib. de grat. & lib arb. cap. 16. *Certum eſt, nos mandata ſeruare, ſi volumus, ſed quia præparatur voluntas à Domino ab illo petendum eſt, vt tantum velimus, quantum ſuffecit, vt volendo faciamus. Certum eſt, nos velle, cum volumus, ſed ille facit vt velimus bonum, de quo dictum eſt, quod paulo ante poſui, quòd præparatur voluntas à Domino, de quo dictum eſt: A Domino* Pſal. 36. *greſſus hominis dirigentur; & viam eius volet: de quo dictum eſt: Deus eſt, qui operatur in vobis & velle, & operari. Certum eſt, nos facere, cùm facimus; ſed ille facit, vt faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati, qui dixit Faciam, vt in iuſtificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obſeruetis & faciatis. Cùm dicit, faciam, vt faciatis, quid aliud dicit, niſi auferam à vobis cor lapideum vnde non faciebatis, & dabo cor carneum, vnde faciatis? Et hoc quid eſt, niſi auferam cor durum, vnde non faciebatis, & dabo cor obediens, vnde faciatis? ille facit, vt faciamus, cui dicit homo: Pone Domine cuſtodiam ori meo, hoc eſt enim dicere, fac, vt ponam cuſtodiam ori meo: quod beneficium Dei iam fuerat conſequutus, qui dixit: Poſui ori meo cuſtodiam.* Eundem locum Ezechielis in eodem ſenſu expliceat contra Collatorem ſanctus Proſper, & ſanctus Fulgentius, ex verbis Prophetæ ſic concludens: *Dat ergo Deus cor nouum vt in iuſtificationibus eius ambulemus, quod pertinet ad bona voluntatis initium. Dat etiam, vt iudicia eius obſeruemus, & faciamus, quod pertinet ad bona operationis effectum. Hinc cognoſcimus Dei eſſe, vt bonum facere velimus, & vt bonum facere valeamus.* Et paulò inferiùs explicans illud: *In Deo faciemus virtutem*, ſubdit. *Hoc autem in Deo faciemus,*

Aug. lib. de præd SS. c. 11. & 20. li. de gratia, & lib. arb. ca. 14. 16. 17. lib 1. cont. duas epiſt. Pelag. c. 10

Philipp. 2.

Ezech. 36.

Pſal. 140.

Pſal. 38. Proſp. c. 8. Collat. c. 2. Fulg. lib. 1. ad Monimum. paulo poſt init.

Pſal. 59.

Digitized by Google

cimus,quod Deo in nobis faciente detur nobis,vt faciamus. Heb.13. *Quod euidenter in epistola ad Hebræos ostenditur: vbi cùm de Deo dictum esset. Aptet vos in omni bono, vt faciatis voluntatem eius:continuò sequitur: Faciens in vobis quod placeat coram se per Iesum Christum.Omne igitur opus,quod in Deo fit, Deus in nobis facit. Ex ipso enim, & per ipsum,& in ipso sunt omnia. Ex ipso ergo est,& voluntas bona, & operatio bona. Quod Doctor gentis his verbis affirmat: Deus est enim,qui operatur* Philip.2. *in vobis & velle,& perficere pro bona voluntate.* Eandem sententiam docuit S.Tho.locis superiùs allegatis præsertim 3.cont.Gent.c.88.vbi ex loco inducto ad Philip.2. *Deus est,qui operatur in vobis & velle, & perficere,pro bona voluntate*: & Prou. 21. *Cor Regis in manu Domini,quocunque voluerit,vertet illud*, probat solum Deum *posse mouere voluntatem per modum agentis* idest,vere efficienter, vt distinguitur contra solam motionem moralem, vt colligitur ex quinta ratione,vbi explicans, quid sit moueri per modum agentis,ait: *Dico autem moueri ab extrinseco principio, quòd moueat per modum agentis, & non per modum finis.* Et in cap.89.referens, & impugnans intelligentiam eorum qui male interpretabantur loca inducta Scripturæ, ait: *Quidam verò non intelligentes, qualiter motum voluntatis Deus in nobis causare possit,absq; præiudicio libertatis, conati sunt has auctoritates male exponere,vt scilicet dicerẽt,quòd Deus causat in nobis velle,& perficere, inquantum dat nobis virtutem volendi, non autem sic, quòd faciat nos velle hoc, vel illud, sicut Origenes exponit in 3. Periarchon,liberum arbitrium defendens contra auctoritates prædictas. Ex hoc processisse videtur opinio quorundam, qui dicebant,quod prouidentia non est de his, quæ subsunt libero arbitrio, scilicet de electionibus: sed prouidentia refertur ad exteriores euentus. Non enim quis elegit aliquod consequi,vel perficere,puta ædificare, vel ditari,semper poterit ad hoc peruenire.& sic euentus actionum nostrarum non subiacent libero arbitrio, sed prouidentia disponuntur. Quibus quidem auctoritatibus sacræ Scripturæ euidenter. Dicitur enim Isai.26. Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine. Vnde non solum virtutem volendi a Deo habemus, sed etiam operationem. Preterea ipsum, quod Salomon dicit: Quocunque voluerit, inclinabit illud, ostendit, non solum diuinam causalitatem ad potentiam voluntatis extendi,sed etiam ad actum ipsius. Item, Deus non solum dat rebus virtutem,sed etiam nulla res potest propria virtute agere, nisi agat in virtute ipsius,ut supra ostensum est.ergo homo non potest virtute voluntatis sibi data vti, nisi inquantum agit in virtute Dei. Illud autem, in cuius virtute agens agit,ex causa non solum virtutis, sed etiam actus: quod in artifice apparet, in cuius virtute agit instrumentum, etiam quod ab hoc artifice propriam formam non accipit, sed solum ab ipso applicatur ad actum. Deus igitur est causa nobis non solum voluntatis,sed etiam volendi.* In quo testimonio expendat Lector verba illa S. Thomæ, *non autem sic,quòd faciat nos velle hoc, vel illud*: quibus impugnat asserentes, quòd Deus non facit nos velle,hoc vel illud quia nõ intelligebãt,qualiter hoc facere posset absque præiudicio libertatis.Sentit ergo,Deum vere efficienter facere nos velle hoc in particulari,vel illud. Nam, si intelligeretur tantùm de efficiẽtia morali,seu metaphorica, nulla poterat esse ratio etiam leuissima, quæ moueret Origenem,& alios, per talem Dei causalitatẽ præiudicari arbitrij nostri libertati:loquitur ergo S.Tho.de vera efficiẽtia,quæ physica appellari solet,qua Deus efficit non solum actũ volendi cũ homine volente, Cã etiam efficit, vt velit; quod indicant verba illa sancti Thomæ: *Deus igitur est causa nobis non solum voluntatis,sed etiam volendi.*

Secundò probatur ex Concil. Arausic. can.9.vbi dicitur. *Quoties bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum,vt operemur,operatur.* Quibus verbis non obscurè docet,Deum non solum nobiscum efficienter operari bona opera, sed etiam in nobis, efficiendo videlicet,nos cooperari cum Deo.Si enim Deus solum influxu simultaneo operaretur nobiscum bona opera,non autẽ efficeret,vt nos cooperemur,solum dixisset: *Quoties bona agimus, Deus nobiscum operatur*: nec necessarium fuisset addere illud verbum, *vt operemur,operatur.* Et in can.20.subditur: *Multa in homine bona fiunt,quæ non facit homo: nulla vero facit homo bona,quæ non Deus præstet,vt faciat homo.*

Ad hæc omnia argumenta dupliciter respondent auctores oppositæ sententiæ. Respondent primò, Deum facere,vt faciamus,& operari, vt operemur, non quidem physicè, seu verè efficienter prædeterminando voluntatem,vt bene operetur,sed interiùs suadendo,& alliciendo eandem voluntatem,& moraliter attrahendo eo modo, quo præscit voluntatem esse cõsensurã,& in hoc sensu dicunt esse intelligenda loca Scripturæ,Concilhorum, & sanctorum Patrum suprà inducta. IIII.

Hæc tamen solutio non videtur satisfacere testimoniis inductis.Primò:nã absolute docẽt, Deum operari,vt operemur.Operari autẽ solùm moraliter suadendo,non est proprie operari, sed solùm metaphoricè, vt quæst.3.de malo,artic.3.in corp.docet S. Thomas.Secundò: nam S. Augustinus expresse loquitur de efficientia physica, vt distinguitur contra causalitatem, quæ est tantùm moralis, vt patet ex libro de corrept.& grat.c.11. & 12. cuius verba disp. 71.num.7.adduximus. Assignat enim differentiam inter gratiã, Adæ collatam, & eam,quæ nobis confertur per Christum.nam gratia primi status solum faciebat,vt homo haberet iustitiam,si vellet,& operaretur bonum,ac perficeret in illo,si vellet: gratia autem Christi est potentior: nam per eam Deus efficit,vt homo velit. Et vt sanctus Augustinus falsam intelligentiam de sola causalitate morali,superiùs assignatam excluderet, vsus est verbo efficiendi,quod veram efficientiam significat.Tertiò: nam, vt suprà ostensum est, Pelagiani & Semipelagiani admiserunt præuenientem gratiam interiorem,quę consistit in illuminatione intellectus, & suasione, atque excitatione stupentis voluntatis, per quã Deus moraliter tantum,seu metaphoricè facit, vt velimus, & eam abnegarunt, quæ verè efficiẽter id operatur: vt ex dictis in 1.& 2.disputatione constat:ergo cùm sanctus Augustinus, & Concilia aduersus Pelagianos docent,Deum per gratiam efficacem facere, vt faciamus & operari,vt operemur; loquuntur de efficientia physica,& non de illa,quæ est tantum moralis,seu metaphorica.

Respondent secundò, Augustinum, & Concilia etiam loqui de efficientia physica: nam cùm Deus tribuit auxilium efficax,aliquid physicum influit,& causat verè efficienter in ipso intellectu,& voluntate,nempe illuminationem internam,quæ est aliquid reale,& physicum, ac excitationem, piamque affectionem voluntatis, quæ similiter est aliquid reale, & physicum in eadem voluntate receptum:& si voluntas nostra pro innata sibi libertate voluerit seipsam determinare ad operandum actum pium, ad quem mouetur per gratiam excitãtem, etiam Deus per eandem gratiam concursu simultaneo vere efficienter producit nobiscum piam operationem:& in hoc sensu fatentur, Deum physicè, seu verè efficienter facere, vt faciamus, & operari, vt operemur. V.

Facile tamen impugnatur hæc explicatio. Etenim Concilia, & Patres non solùm intendunt statuere cõtra Pelagiũ & Semipelagianos, Deum efficienter

Digitized by Google

operari aliquid physicum in intellectu nostro, & voluntate, quando facit, vt faciamus. hoc enim Pelagiani, vt dictum est, non negarunt. Nec etiam intendunt solum docere, Deum simul cooperari physicè actum pium cum voluntate nostra, si ipsa voluerit se ad operandum determinare: nam etiam hoc Pelagiani, vt supra dictum est, non negabant: ergo aliquid ampliùs definire voluerunt, Deum nempe sua gratia vere efficienter facere, vt ipsa voluntas libere se determinet. & cooperetur Deo vocanti, ita vt ipsa cooperatio & determinatio, seu influxus creatæ voluntatis sit effectus operationis diuinæ in genere causæ vere efficientis, quia videlicet sua gratia Deus efficit nos cooperari, liberè eidem gratiæ assentiendo. Accedit ad hoc, quòd quamuis Deus efficienter aliquid causet in intellectu, & voluntate, cùm excitat liberum arbitrium ad operandum, nempe illuminationes & excitationes internas; per has tamen, solum moraliter suadendo facit, vt voluntas se determinet, non autem verè efficienter, sicut etiam vnus homo cum suadet alteri, quod bonum est, operatur aliquid verè efficienter, & physicè: nam illa suasio aliquid reale est, effectiue procedens a suadente: sed per illud non efficit, nisi moraliter, vt alter consentiat; nec facit illum volentem ex nolente, aut consentientem ex repugnante; quod tamen efficit Deus in nobis per gratiam præuenientem, vt sæpè docet Augustinus.

Disput. 1 & 2.

V I.

Nec satisfacit id, quod in eadem solutione adducit de influxu, seu concursu Dei simultaneo: nam per illum operatur Deus nobiscum, si volumus; non tamen efficit, nos velle. Sanctus autè Augustinus locis inductis contendit, Deum non solum nobiscum cooperari, cùm volumus; sed etiam operari in nobis, vt velimus. Vnde in libro de gratia, & libero arbitrio, capite decimoseptimo, inquit: *De operante illo vt velimus, dictum est. Deus est enim, qui operatur in vobis & velle. De cooperante illo cùm iam volumus, & volendo faciamus: scimus*, inquit, *quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum.* Et quæstione secunda ad Simplicianum, art. 1: *Deus enim est, qui operatur in vobis & velle, & operari pro bona voluntate: vbi satis ostendit, etiam ipsam bonam voluntatem in nobis operante Deo fieri: nam si propterea solum dictum est, non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei: quia voluntas hominis sola non sufficit, vt inde recteque viuamus, nisi adiuuemur misericordia Dei, profectò & hoc modo dici. Igitur non miserentis est Dei, seu volentis est hominis: quia misericordia Dei sola non sufficit nisi consensus nostræ voluntatis addatur. At illud manifestum est, frustra nos velle, nisi Deus misereatur. Illud autem nescio quomodò dicatur, frustra Deum misereri, nisi nos velimus. Si enim Deus misereretur eò vt velimus: ad eandem quippe misericordiã Dei pertinet vt velimus. Deus est enim qui operatur in nobis & velle, & operari pro bona voluntate.* ergo secundum Augustinum, ipsum operari nostrum est effectus operationis diuinæ; in eo genere, & tam propriè causalitatis, quo est a nostro libero arbitrio. Et libro de prædestinatione Sanctorum, capite octauo: *Quare*, inquit, *non omnes docet? Si dixerimus quia nolunt discere, quos non docet, reprehendit nobis, & vbi est, quod ei dicitur: Domine in conuertem viuificabis nos, nisi ipse non faceret ex nolentibus Deus, quod sunt Ecclesiæ secundum præceptũ Domini propè perfectorum fructus?* Est igitur ita manifestum in sententia Augustini, Deum adiutorio præoperatis gratiæ vere efficienter facere, vt faciamus, & operari, vt operemur, vt superfluum sit in hoc immorari. Videatur eadem Augustinus lib. de gratia, & lib. arbit. c. 19 & 21. vbi inter alia, quæ ad nostrum propositum faciũt, *Age*, inquit, *omnipotes in cordibus hominũ, etiã motum voluntatis eorũ, vt per eos agas, quod per eos agere ipse voluerit, qui iniustè aliquid velle non nouit.*

Phil. 2.

Rom. 8.

Aug. q. 2. ad Simplic. post med.

Tertiò probatur ratione. Illuminationes internæ intellectus, & excitationes voluntatis, & suasiones, quantumcunque sint perfectæ, & multiplicentur, eiis possunt in nolente: ergo per solam motionem moralem non facit Deus efficaciter, vt velimus: ergo, præter huiusmodi excitationes & suationes continuè est auxilium efficax, per quod Deus vere efficiètèr facit, nos facere, & operetur, vt operemur.

VII.

Quarto, Deus per gratiam præuenientem operatur in nobis bona opera non permissiuè tantùm, sed propriè, & per se; vt definit Concilium Tridentinum, eos anathematizans, qui dixerint *mala opera vt bona Deum operari, non permissiuè solùm, sed etiã propriè, & per se. adeo vt sit proprium eius opus non minus prodire Iudæ, quam vocatio Pauli.* Quibus verbis constituit differentiam inter mala opera, & bona: quia, vt docet S. Thomas, *Deus dicitur causa bonarũ operationum, non solum quantum ad essentiam actus, sed etiam quantum ad perfectionem, secundum quam bona dicuntur: vtrumque enim agentis influit, & vt agat, & vt bene agat sed in malis actionibus, quamuis sit causa earum, quantum ad essentiam, non tamen est causa quantum ad defectum: & ideo absolutè dicendus est causa bonorum operum, non autem peccatorum.* Ergo, secundùm definitionem Concilij, Deus propriè, & per se est causa efficiens influens agenti, vt bene operetur: ergo non solùm moraliter, sed etiã verè efficiètèr facit, vt faciamus: causa enim moralis nõ est causa per se, sed metaphoricè dicitur causa, vt docet S. Thom. cùm ad illam non sequatur effectus, neque incipiat motus ab ea, nec influat agenti ipsum agere.

Concil Trid. sess. 6. de iust. c. can. 6.

S. Thom. 2. sent. dist. 37. q. 2. artic. 2. ad 3.

Quintò. Idipsum confirmat: potest omnibus argumentis, quibus disputat. 96. & 97. manifestum fiet liberi arbitrij determinationem, & cooperationem non procedere efficienter à sola, & innatâ eius libertate; sed reducendam esse, tanquã in priorẽ causam per se efficientem, in decretum absolutum, & efficax voluntatis diuinæ, quamuis eam non efficiat sine nobis liberè consentientibus & cooperãtibus.

S. Thom. q. 3. de malo art. 3.

Denique ad idem probandum adduci potest locus Apostoli 1. ad Corint. 4. *Quis enim te discernit? quid autem habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Si enim Deus per suam gratiam efficacem, vere efficienter non facit, vt faciamus sed homo, suppolita gratia excitante, pro sua & sola innata libertate se ipsum determinaret ad priam operationem, posset in seipso gloriari aduersus alterum, in illa determinatione, & per illam se ipsum differeret ab eo, qui in peccato pertinsit, vel Deo vocanti, & excitanti nõ cooperatur. Vt S. Augustinus arguit loco citato, disput. 62. num. 6.

VIII.

AD fundamentum sententiæ contrariæ respondetur, solum concludere, ipsum velle non esse primò, & per se in potestate creatæ voluntatis, sed in potestate Dei, qui solus habet primum, & absolutum dominium cuiuscunque actionis creatæ, vt disputat. 119. patebit. Nam libertas per efficientiam solum reperitur in Deo: in creaturis autem intellectualibus inuenitur libertas, & dominiũ per participationẽ a primo libero, & a primo domino, vt à causa efficiètè dependens, etiã in vsu eiusdem dominij.

Ad primum argumentum factum in confirmationem eiusdem sententiæ respondetur, Deum non solùm moraliter, sed efficienter operari in nobis prius natura intrinsecam bonæ volũtatis, quamuis non prius tempore sed simul influente, & libere cooperante eadem voluntate, vt suprà dictum est. Et per hæc patet solutio ad confirmationem.

Ad secundum respondetur, quòd quamuis tota causalitas moralis præuenientis gratiæ ad motionem finis reducatur: non tamen reducitur ad solam

Psal. 84.

lam motionem finis cauſalitas illa auxilij efficacis, qua Deus efficit, vt homo conuertatur, ſed vere pertinet ad genus cauſæ efficientis, vt dictum eſt. Vnde per gratiam prævenientem, non ſolùm moraliter, ſeu motione ex parte obiecti, vel finis, ſed & verè effectiuè facit Deus, vt faciamus.

Ad confirmationem reſpondetur, quòd homo, vt homo, ad operandu mouetur tũ moraliter ab obiecto, fine à fine præconcepto, tum etiá efficienter à Deo, tanquam à primo mouente, vt 1.2. q. 9. art. 1. & 4. docet S. Thom. & vtraque motione indiget ad operandum, vt diſput. 91. patebit.

Deſi operari, vt velimus quid ſit.

Ad tertium argumentum reſpondetur, quòd operari, vt velimus, eſt operari in nobis aliquid, quo diſponamur, & efficaciter inclinemur & determinemur ad volendum: hoc autem non pertinet ſolùm ad genus cauſalitatis moralis, cùm ſola ſuaſio non trãſmutet voluntatẽ ab vno in aliud. vt ex S. Auguſtino, & Thoma ſuprà dictum eſt. Vnde, præter internam illuſtrationem intellectus, & excitationem ſtupentis voluntatis, requiritur, quòd Deus verè efficienter faciat, vt faciamus: aliàs nõ inclinabit efficaciter liberum arbitrium ad volendum: ſed ſolùm ſufficiẽter; ſicut diabolus non facit efficaciter hominem peccare, vt quæſt. 3. de malo, artic. 3. in corp. docet S. Thomas: & aſſignat rationem: quia ſolùm ſuadendo præparat, & inclinat voluntatem eius ad peccandum.

Ad confirmationem reſpondetur. Aliud quidem eſſe facere, vt velimus, aliud facere ipſum velle; dicimus tamen Deum verè efficiẽter per gratiã ſuam facere vtrumque. Primum videlicet, ſine nobis facientibus, nos velle: ſecundum autem operatur nobiſcum ſimul tempore conſentientibus, & cooperantibus, vt dictum eſt. Nec eſt eadem ratio de homine, vel Angelo, qui rogat vel præcipit alteri, vt velit: ille enim non propriè, ſed metaphoricè facit eum velle, vt ex præmiſſis conſtat.

Ad quartum reſpondetur, quòd auxilium efficax, quo Deus facit vt faciamus, & operatur, vt operemur, non pertinet directè ad prædicamentum qualitatis, quia eſt motio, qua liberum arbitrium applicatur ad agendum, & dicitur motio virtuoſa, vt diſput. 19. oſtenſum eſt: vnde non ſequitur, quòd in actionibus, vel in cauſis efficientibus detur proceſſus in infinitum.

Ad quintum argumentum patet per ea, quæ in diſputatione vigeſimaſecunda, & duabus ſequentibus dicta ſunt.

DISPVTATIO LXXXVI.

Vtrùm auxilium efficax actuale ſubiaceat noſtri arbitrij poteſtati, quantùm ad vſum, ſicut ſubiacent habitus, quibus vtimur, cùm volumus.

I. PARTEM affirmatiuam defendunt conſequenter omnes auctores, qui negant, auxilium efficax phyſicè prædeterminare liberum arbitrium ad conſenſum, quod probant omnibus argumentis ſuprà factis, quibus eiuſmodi prædeterminationem impugnant. Diſput. 22. & 23.

Præterea probatur auctoritate S. Thom. 1. parte quæſt. octuageſimaquarta, articulo primo, ad quintum, vbi cùm propoſuiſſet quintum argumentum ad probandum, hominem non eſſe liberi arbitrij, in hunc modum: *Philoſophus dicit 3. Ethic. capite quinto, Qualis vnuſquiſque eſt, talis finis videtur ei. Sed non eſt in poteſtate noſtra aliquales eſſe, ſed hoc nobis eſt à natura: ergo naturale eſt nobis, quòd aliquem finem ſequamur: non ergo ex libero arbitrio*; reſpondet, quòd inclinationes, vel diſpoſitiones proueniẽtes ex quacunque impreſſione corporearum cauſarum, non præiudicant libertati arbitrij, quia ſubiacent iudicio rationis, cui obedit inferior appetitus. Et paulo antè præmiſerat, quòd homo naturaliter appetit vltimũ finem ſcilicet beatitudinem, & non liberè; quia appetitus naturalis non ſubiacet libero arbitrio. Sentit ergo S. Thomas, quòd, vt aliqua inclinatio, vel diſpoſitio non præiudicet arbitrij libertati, neceſſe eſt, vt quantùm ad vſum ſubiaceat iudicio rationis, ac poteſtati liberi arbitrij: ergo, ſi auxilium efficax non ſubiacet, quantùm ad vſum, poteſtati noſtri arbitrij, deſtruet eius libertatem.

Secundò arguitur: nam habitus ſupernaturales fidei, ſpei, & charitatis, quamuis inclinent potentias ad alteram partem, videlicet ad producendos actus virtutum ſibi proportionatos, quantum ad vſum tamen actualem, ſubiacent arbitrij poteſtati; nam habitibus vtimur, cùm volumus: ergo & auxilia efficacia diuinæ gratiæ, quamuis inclinent potentias ad ſimiles actus producendos; tamen quantùm ad vſum actualem, ſubiacere debent poteſtati noſtri arbitrij, atque illi ſubdi. Probatur conſequentia; nam eadem omnino ratio eſt de auxilio, quæ eſt de habitu, cùm auxilium ad ſpeciem habitus reducatur.

Tertiò. Auxilium efficax diuinæ gratiæ non habet effectum in nobis, abſque libera cooperatione noſtri arbitrij; aliàs produceret in nobis piam operationem ſine nobis liberè conſentientibus, & cooperantibus: quod repugnat decretis Conc. Tridentini: ergo quantùm ad productionem actualem eiuſdem effectus; ac per conſequens, quantùm ad vſum actualem, ſubiacet poteſtati noſtri arbitrij: vſus enim auxilij conſiſtit in actuali productione actus, ad quem datur. Cõc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 5. & can. 4. de iuſtif.

Quartò. Voluntas creata non vtitur neceſſariò auxilio efficaci prævenientis gratiæ: aliàs neceſſariò operaretur, & non liberè: cum non aliter vtatur auxilio, niſi operando: ergo vtitur libere eodem auxilio, ac per conſequens poterit eo vti, & non vti; ergo, quantum ad vſum, ſubiacet poteſtati noſtri arbitrij.

Quintò. Auxilium, cui liberum arbitrium poteſt reſiſtere, non ſubdit ſibi liberum arbitrium; quin potiùs eidem arbitrio ſubditur, quantum ad vſum; ſed auxilio efficaci poteſt liberum arbitrium reſiſtere: dicitur enim in Conc. Senon. *Nec tale eſt Dei volentis auxilium, cui reſiſti non poſſit*: ergo huiuſmodi auxilium ſubditur poteſtati liberi arbitrij, quantùm ad vſum. Concil. Senon. decreto Fidei 15.

II. Contrariam ſententiam defendunt etiam conſequenter omnes Thomiſtæ, & alij auctores, qui ſentiunt, Deum ſua gratia efficaci phyſicè prædeterminare hominis voluntatem, vt conſentiat, & piè operetur. Et quoniam hæc ſententia eſt certa, ac ſacris Conciliis, & ſanctis Patribus valdè conformis,

Pro eius explicatione, & vt titulus quæſtionis manifeſtus fiat, atque id, in quo diſſentiunt à nobis auctores, cũ quibus diſputamus, intelligatur, præmittere oportet, omnes Catholicos in hoc conuenire contra Lutherum, & Caluinum, quòd homo concurrit liberè cum auxilio efficaci, cooperando & aſſentiendo Deo excitanti, & mouenti, & per conſequens poteſt abſolutè loquendo, non operari, & diſſentire, ſi velit. Id quod in Tridentino Concilio ſeſſ. 6. can. 4. ſub anathemate definitur, & capite quinto eiuſdem ſeſſionis docet ſancta Synodus, hominem per liberum arbitrium abiicere poſſe inſpirationem,

rationem, quam à Deo recipit. Vnde, ſi in præſenti diſputatione, nomine vſus auxilij efficacis, intelligatur cooperatio arbitrij cũ illo, ſeu terminus, ad quẽ idẽ auxiliũ mouet liberũ arbitriũ, ſcilicet operatio; abſque dubio talis vſus ſubiacet noſtri arbitrij poteſtati, vt moti à Deo: tum propter rationem tactam ex Tridentino: nam liberum arbitrium etiam quando mouetur auxilio efficaci ad pie operandum, reuerà poteſt, abſolutè loquẽdo, & in ſenſu diuiſo, inſpirationem illã abiicere, & diſſentire, ſi velit; quãuis non ſtet ſimul cũ auxilio efficaci, quod de facto illud abiiciat, aut diſſentiat. Sed quoniam vti aliqua re, ſtrictè loquendo, & propriè eſt eam applicare, & determinare ad operandum, vel ad effectu, ad quem ordinatur, vt ſtatim dicemus, difficultas eſt: Vtrùm auxiliũ efficax actuale ita ſubiaceat poteſtati noſtri arbitrij, quãtùm ad vſum, vt voluntas noſtra pro ſua libertate applicet, ac determinet auxiliũ efficax ad ſecum cooperandum; ac per conſequens ſtent, aut ſtare poſſint hæc duo ſimul, quòd auxilium illud, cõſideratum ſecundùm omnẽ ſuã realẽ virtutẽ, quam habet à Deo, ſit in homine; & homo nõ cooperetur actum illum, ad quẽ mouet; quia non vult vti eodẽ auxilio, ſicut contingit in habitibus, quibus vtimur, cùm volumus: & quia nõ ſẽper volumus vti habitu, ſtat ſimul habere habitũ, & nihil operari cũ illo.

Vſus rei quid ſit.

Notandum eſt ergo ſecundò, quòd, vt dicit S. Tho. 1.2.q.16.artic. 1. *Vſus rei alicuius importat applicationem rei illius ad aliquam operationem. Vnde & operatio, ad quam applicamus rem aliquam, dicitur vſus eius: ſicut equitare eſt vſus equi, & percutere eſt vſus baculi.* Vnde quia voluntas vtitur aliis potẽtiis tã interioribus, quàm exterioribus, cõſequenter vti eſt actus voluntatis, tãquã primi mouẽtis, rationis autẽ tanquã dirigentis: ſed aliarũ potẽtiarũ, tanquam exequẽtium, quæ cõparantur ad voluntatem, à qua applicantur ad agendum, ſicut inſtrumenta ad principale agens. Quo fit, vt auxilium efficax diuinæ gratiæ ſubdi non poſſit aut ſubiacere, quantum ad vſum, poteſtati liberi arbitrij, niſi ab eo applicetur, & determinetur ad actualiter operandum.

Auxilium efficax gratiæ, non ſubditur arbitrio, ſed illud ſibi ſubdit.

Dicendum eſt ergo, Auxilium efficax præoperãtis gratiæ nõ ſubdi in hoc ſecundo ſenſu, quãtũ ad vſum, poteſtati noſtri liberi arbitrij, ſicut ſubiiciuntur habitus, quibus vtimur, cùm volumus: ſed potiùs è conuerſo, ipſum auxilium fortiter, & ſuauiter humanam ſibi ſubiicere voluntatẽ, & obſequentẽ facere: ac per cõſequẽs hæc duo ſimul eſſe impoſſibilia, quòd auxilium efficax conſideratum ſecundum omnem realem virtutem, quam habet, vt venit à Deo, ſit in homine, & homo non cooperetur cum illo; quamuis poſſit, ſi velit, non cooperari.

Probatur primò: nam, ſi liberum arbitrium vtitur auxilio efficaci, ita vt pro ſua libertate determinet illud ad ſecum concurrendum; ſequeretur, quod ipſum auxilium, ſiue adiutorium gratiæ ſubiungeretur humilitati, aut obediẽtiæ humanæ, quod ſic oſtenditur. Nam, ſi quando voluntas vult obedire, & cooperari, tunc auxilium efficax concurrit cũ illa, & non aliter, & voluntas obedientis eſt, quæ applicat auxilium ipſum ad ſecum concurrendum, & ſi non vult obedire, auxilium ipſum non efficit in nobis, aut nobiſcum piam operationem: ergo adiutorium gratiæ ſubiungitur humilitati, aut obediẽtiæ humanæ. Conſequens autẽ eſt contra Concil. Arauſic. can.6. vbi dicitur: *Si quis humilitati, aut obediẽtiæ humanæ ſubiũgit gratiæ adiutoriũ, nec, vt obediẽtes & humiles ſimus, ipſius gratiæ donum eſſe conſentit, reſiſtit Apoſtolo dicẽti, quid habes, quod non accepiſti? Et, gratia Dei cũ id quod ſũ.* Quibus verbis determinat Concilium, adiutoriũ gratiæ nõ ſubiungi humilitati, aut obediẽtiæ humanæ: Si dicatur, ſẽſũ Concilij eſſe gratiæ adiutoriũ non ſubiungi humilitati, aut obediẽtiæ humanæ ex ſolis viribus naturæ habitæ, ſicut de prima vocatione dixerut Semipelagiani, aſſerentes, Deum ſuam gratiam præueniente conferre quærentibus, pulſantibus, conatibus ex viribus naturæ, non autem dehinc aliquid contra eos, qui dicunt, quòd, poſtquam Deus ſua gratia excitauit liberum arbitrium, atque ipſum miſericorditer præuenit, eadem gratia ſubdatur, aut ſubiungatur libero arbitrio. Contra hoc militant omnia argumenta, quibus diſp. 95. oſtendemus, quòd etiam poſt primã excitationem gratiæ nõ expectat Deus voluntatem noſtram, vt purgari velimus. Videatur Auguſtinus lib. de corrept. & gratia, cap. 11. & 8. vbi ait: *Voluntas humana non licentiate conſequitur gratiam, ſed gratia potius libertatem, &c.* id eſt gratia adiuuans facit, vt ſubſequatur libera cooperatio arbitrij.

Secundò probatur: nam S. Auguſtinus, vt diſputatione ſeptuageſimatertia numero ſecundo, viſum eſt, epiſtola centeſima ſeptima, ad Vitalem, docet, noſtris orationibus contradicere eos, qui dicunt vocationi Dei *conſentire, vel non cõſentire, ita noſtrum eſſe, vt ſi velimus fiat: ſi autem nolimus, nihil in nobis operationem Dei valere faciamus.* Sentit ergo S. Auguſtinus orationibus Eccleſiæ contradicere eos, qui dicunt, adiutorium gratiæ ita ſubdi, quantum ad vſum poteſtati noſtri arbitrij, vt, ſi velimus, cooperemur cum illo: ſi autem nolimus, nihil in nobis adiutorium illud valere faciamus.

Confirmatur vt ſæpe docet Auguſt. Deus per auxilium gratiæ efficacis efficit ex nolentibus volentes, ex repugnantibus conſentientes: ergo per idem auxilium ſubiicit ſibi humanas voluntates: non ergo ſubditur ipſum auxilium, quantùm ad vſum, voluntatibus humanis.

S. Proſper epiſt. ad Auguſt. poſt medium.

Tertiò probatur. Nam S. Proſper referens ſententiam Maſſilienſium, ait, eos ſenſiſſe, *quòd voluntas hominis diuinæ gratiæ ſibi pariat opem: non gratia ſibi humanam ſubiiciat voluntatem.* quam ſententiam impugnans libro primo de vocatione gentium, capite vigeſimoquinto, ait, *Nunquid illa virtus gratiæ, quæ ſibi quos voluit, ſubdidit, conuertere eos, qui inconuertibiles permanſêre, non potuit.* Quibus verbis aperte docet, auxilium efficax diuinæ gratiæ humanas ſibi ſubdere, ac ſubiicere voluntates: ergo neceſſe eſt dicere, quòd gratia ipſa ſubiiciat ſibi liberum arbitrium, quantùm ad rectum vſum: non ergo eſt è contrà aſſerendum, quòd gratia efficax ſubiiciatur, quantùm ad exercitium, poteſtati arbitrij creati.

Quartò probatur. Id, quod eſt potentius & fortius in agendo, ſuperat, ac ſubiicit ſibi id, quod in agendo, aut reſiſtendo eſt minùs potẽs: dicitur enim Lucæ 11. *Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt omnia, quæ poſſidet: ſi autem fortior illo ſuperueniens vicerit eum, vniuerſa arma eius auferet, in quibus confidebat & ſpolia eius diſtribuet.* Sed voluntas Dei efficax eſt multò potentior in agendo, quàm ſit liberum hominis arbitrium in reſiſtendo: dicit enim Auguſtinus: *Cui volenti ſaluum facere, nullum hominis reſiſtit arbitrium: ſic enim velle, & nolle in nolentis, aut volẽtis eſt poteſtate, vt diuinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem. De his enim qui faciunt, quæ non vult facit ipſe, quod vult.* Et poſt pauca: *Non eſt itaque dubitandum Dei voluntati, qui in cœlo, & in terra omnia, quæcunque voluit, fecit: & qui etiam illa, quæ futura ſunt, fecit humanas voluntates non poſſe reſiſtere, quò minùs faciat ipſe, quod vult; quandoquidem etiam de ipſis hominum voluntatibus quod vult, cùm vult, facit:* & infrà: *Deus*, inquit *magis habet in poteſtate voluntates hominum, quàm ipſi ſuas.* Et in Enchirid. ad Laurẽtium, c. 95. *Deus*, inquit, *noſter in cœlo ſurſum, in cælo, & in terra, omnia quæcunque voluit, fecit. Quod vtique non*

Aug. lib. de corr. ep. & gratia, c. 14 tom. 7.

2. Conc. 4. Ibidem 15.

Digitized by Google

eſt verum, ſi aliqua voluiſſem, & non feci. Et, quod eſt indig- A *nius, nihil non feci, quoniam ne fierem, quod volebam Omnipotens, voluntas hominis impedit.* Et infrà: *Hæc, niſi credamus, periclitatur ipſum noſtræ fidei confeſſionis initium, qua nos in Deum Patrem omnipotentem credere confitemur. Neque enim veraciter ob aliud vocatur Omnipotens, niſi, quia quidquid vult, poteſt, nec voluntate cuiuſpiam creaturæ, voluntatis Omnipotentis impeditur effectus*: ergo gratia efficax ſubdit ſibi liberum arbitrium, quantùm ad vſum: non ergo ſubditur eidem arbitrio.

Confirmatur. Gratia efficax emollit liberũ hominis arbitrium, duritiã eius aufert, & ſuperat reſiſtẽtiam; dicit enim Auguſtinus: *Hæc itaque gratia, quæ occulte humanis cordibus diuina largitate tribuitur, à nullo duro corde* * *recipitur. Ideo quippe tribuitur, vt cordis duritia primitus auferatur.* Et Dominus per Prophetam dit: *Et dabo eis cor vnum, & ſpiritum nouum tribuam in viſceribus eorum, & auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum, vt in præceptis meis ambulent, & iudicia mea cuſtodiant faciántque ea.* Et cap. 36. *Et ſpiritum meum ponam in medio veſtri, & faciam, vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea cuſtodiatis, & operemini*: ergo gratia efficax ſubdit ſibi liberum arbitrium, quantùm ad vſum, & non è contrà.

Aug. lib. de prædeſt. SS. cap. 8. * ab reſpuitur. B

Ezech. 11.

Quintò probatur: quoniam aliàs ſequeretur, quòd gratia efficax non applicet liberum arbitrium ad operandum, ſed è conuerſo liberum arbitrium applicet gratiam efficacem, vt ſecum cooperetur: Conſequens eſt contra ſupradicta: ergo. Sequela probatur: nam, vt docet S. Thom. 1. 2. quæſt. 16. citata, vti aliqua re, eſt illam ad operandum applicare: ergo, ſi gratia efficax ſubiicitur libero arbitrio, quantùm ad vſum, ſequitur, quòd ipſum arbitrium applicet gratiam efficacem ad operandum. Confirmatur hæc ratio omnibus argumentis, quibus diſput. 23. oſtenſum eſt, Deum per auxilium efficax premouere, applicare, ac prædeterminare humanas voluntates ad operandum. Idem concludunt argumẽta, quibus diſp. 21. oſtendimus, concurſum Dei generalem non eſſe ſecundùm ſe indifferentem.

Diſput. 23. nu. 9. & 10. C

III. AD primum argumentum reſpondetur, quòd S. Thom optimè deducit qualitates, vel diſpoſitiones prouenientes ex impreſſione cauſæ corporalis, non lædere arbitrij libertatem, quamuis aliqualiter inclinent voluntatem ad alteram partem, ex eo quòd huiuſmodi qualitates, & inclinationes ſubiacẽt iudicio rationis, inquãtùm in nobis eſt, tales qualitates acquirere vel cauſaliter, vel diſpoſitiuè, vel à nobis excludere, ex hoc tamen non ſequitur, quòd, ſi in noſtra poteſtate non ſit acquirere cauſaliter vel diſpoſitiuè gratiam efficacem; vel, ſi eadem gratia efficax poteſtati noſtri arbitrij, quantum ad actualem vſum, non ſubiiciatur, pereat eiuſdem arbitrij libertas. Ad hoc enim, quòd maneat libertas in homine ad operandum, vel non operandum; ſufficit, quòd abſolutè, & in ſenſu diuiſo poſſit abiicere gratiam efficacem, & diſſentire, ſi velit, quamuis in ſenſu compoſito eam abiicere non poſſit, aut diſſentire, vt ſuprà dictum eſt, & inferiùs patebit ampliùs. D E

Diſput. 25. 92. 93. & 111.

Ad ſecundum negatur conſequentia: & ratio diſcriminis eſt: nam habitus tribuit tantùm poſſe, vel illud perficit; auxilium autem efficax tribuit potentiæ actualiter operari. Vnde habitus non ſubdit ſibi liberum arbitrium, quantùm ad vſum actualem, ſed illi ſubditur, ſecundùm quòd actuali motione mouetur a Deo: auxilium autem efficax ſubdit ſibi voluntatem creatam, & eam obſequentem efficit, vt dictum eſt.

IV. Auxilium efficax quos effectus cauſet in nobis

Ad tertium reſpondetur, auxilium efficax habere duplicem effectum in nobis, ſeu duplicem modum cauſandi, quorum vnus conſequitur ad alterum. Primus eſt, influere immediatè in liberum arbitrium, vt in cauſam illud mouendo, applicando, prædeterminando, & efficiendo, vt cooperetur & conſentiat: & iſtum effectum operatur in nobis antecedenter ad cooperationem noſtri arbitrij; non quidem priori tate temporis, ſed rationis, & cauſalitatis, vt ſuprà dictum eſt, & ſecundùm hoc nullo modo ſubditur poteſtati arbitrij noſtri, ſed ſolùm poteſtati Dei: nã ſolus Deus mouet nos, & facit, vt faciamus, vt ſuprà oſtenſum eſt. Secundus eſt, producere cum voluntate, quam mouet, liberum conſenſum; & ſecundùm hoc ſubditur poteſtati noſtri arbitrij ex parte termini, ſcilicet ex parte actus liberi, ad quem datur: quia ipſe actus eſt ſub poteſtate noſtri arbitrij à Deo moti & excitati: ipſum autem auxilium etiam vt influit in conſenſum liberum, non eſt propriè in noſtra poteſtate: quia, licèt auxilium ipſum non influat in conſenſum, ſine nobis liberè concurrentibus: tamen liberum noſtrum arbitrium non facit, vt auxilium influat, ſed è conuerſo, Deus per idem auxilium efficit, vt noſtrum arbitrium concurrat.

Ad quartum reſpondetur, quòd voluntas noſtra liberè vtitur ſeipſa, quatenus mota, & applicata à Deo, ſiue à gratia adiuuante, ſeipſam libere mouet, & applicat, vt cauſa proxima ad operandum, & operatur: non tamen vtitur voluntas auxilio, propriè loquendo, cùm non applicet, aut determinet illud ad operandum: vnde non ſequitur, quòd neceſſariò, vel liberè vtitur illo, niſi in ſenſu explicato in primo fundamento. Sed dices: Si auxilium applicat voluntatem ad operandum: ergo voluntas non applicat ſeipſam, ac per conſequens, nec operatur libere, ſed neceſſariò. Reſpondetur, conſequens non ſequi, ſed ſolùm ſequitur, quòd voluntas creata non ſit ſimpliciter primum ſe mouens, primum ſe applicans, aut primum ſe determinans, vt ſuprà dictum eſt.

Obiectio. Soluțio. Diſputat. 18. 22. & 23.

Ad quintum reſpondetur, quòd ſi auxilium efficax conſideretur ſecundùm phyſicam entitatem auxilij, præſcindendo à decreto efficaci diuinæ voluntatis, cuius virtutem continet intentionaliter, poteſt voluntas ei reſiſtere: ſi verò conſideretur, vt eſt inſtrumentum Dei volentis hominem ad ſe conuertere, non poteſt ei reſiſtere, propriè de reſiſtentia loquendo, ſicut non poteſt reſiſtere voluntati beneplaciti Dei, vt ſuprà dictum eſt, & patebit infrà. Si autem largo modo de reſiſtentia loquamur, vt complectitur potentiam diſſentiendi, & non operandi, poteſt quidem liberum arbitrium ſimpliciter, & in ſenſu diuiſo reſiſtere, hoc eſt, diſſentire auxilio efficaci, non tamen in ſenſu compoſito, quia auxilium efficax non compatitur ſecum actualem arbitrij diſſenſum; quamuis compatitur ſecum potentiam diſſentiendi, vt in diſputatione decimaoctaua numero vigeſimotertio, & diſputatione vigeſimaquinta dictum eſt.

Diſput. 31. & 93.

DISPV

DISPVTATIO LXXXVIII.

Vtrùm in eo, qui habet habitus infusos ad singulos actus supernaturales, sit necessarium auxilium speciale, non solùm excitantis, sed etiam adiuuantis gratiæ, ab auxilio habitus infusi realiter distinctum.

I PRIMA sententia affirmat, sufficere habitum fidei ad actus supernaturales fidei producendos, nec esse necessarium auxilium speciale gratiæ excitantis, vel adiuantis. Et idem dicit hæc sententia de aliis actibus supernaturalibus. Ita sentiunt aliqui Theologi, qui de hac re sic loquuntur. Postquam verò habitus est infusus, is cum cócursu generali Dei, satis est ad eliciendos actus credendi supernaturales, fini supernaturali accommodatos; quamuis negandum non sit per illustrationes, & auxilia particularia, collata per dona Spiritus sancti, sapientiæ, intellectus, consilij, pietatis, & timoris, &c. multum adiuuari habitum fidei, & cæterarum virtutum supernaturalium ad eliciendos suos actus feruentiores & præstantiores.

Probatur primò hæc sententia auctoritate S. Thomæ 1.2.q.113.artic.8.in corpore, vbi ait, quòd, quando iustificatur impius, *ipsa Dei mouentis motio est gratiæ infusio*: & ex hoc infert, quòd, *naturali ordine primum* in iustificatione impij *est gratiæ infusio, secundum motus liberi arbitrij in Deum, tertium est motus liberi arbitrij in peccatum, quartum verò est remissio culpæ*, ad quam tota ista transmutatio ordinatur, sicut ad finem. Et articulo sexto eiusdem quæstionis in corpore, ait, *quòd quatuor enumerantur, quæ requiruntur ad iustificationẽ impij, scilicet gratiæ infusio, motus liberi arbitrij in Deum per fidem, & motus liberi arbitrij in peccatum, & remissio culpæ.* & post pauca: *Ex parte igitur motionis diuinæ accipitur gratiæ infusio.* Quibus verbis, præter infusionem gratiæ, & habituum supernaturalium, nullum aliud auxilium speciale ab eisdem habitibus realiter distinctum requirit Sanctus Thomas, tanquam necessarium, vt liberum arbitrium actus supernaturales fidei, charitatis, & contritionis eliciat.

Confirmatur: nàm in articulo septimo eiusdem quęstionis in corpore, inquit, *quòd tota iustificatio impij originaliter cõsistit in gratiæ infusione: per eam enim, & liberũ arbitrium mouetur, & culpa remittitur.* Quibus verbis apertè docet, per gratiæ infusionem, seu per infusam gratiam, Deum mouere liberum arbitrium ad actus supernaturales, quibus ad iustificationem disponitur. Sentit ergo, in eo, qui habet habitus infusos, non esse simpliciter necessarium aliquod auxilium speciale adiuuantis, vel excitantis gratiæ: nam ipse habitus habet rationem adiutorij diuini, vt colligitur ex illis verbis Concilij Mileuitani, canone tertio. *Quicunque dixerit gratiam Dei, qua iustificamur per Iesum Christum Dominum nostrum, ad solam remissionem peccatorum valere, non etiã ad adiutoriũ, vt nõ committantur anathema sit.*

II Secundò. Auxilium speciale excitantis & adiuuantis gratiæ ex eo est necessarium, vt actus credendi, sperandi, & diligendi, & alij huiusmodi actus, qui, quantùm ad eorum substantiam, possunt produci a libero arbitrio ex solis viribus naturæ, fiant supernaturales, & quales oportet ad salutem: sed per habitus infusos, seu per concursum eorundem habituum supernaturalium sufficienter eliciantur prædicti actus, vt sint supernaturales ad hoc enim infunduntur a Deo huiusmodi habitus potentiis operatiuis, vt in seipsis habeant principium formale actiuum supernaturalis ordinis, huiusmodi actibus proportionatum: ergo in his, qui habent habitus infusos, nullum aliud auxilium speciale, ab eisdem habitibus realiter distinctum, est simpliciter necessarium, vt ipsæ potentiæ eleuatæ per habitus, actus supernaturales eliciant.

Tertiò. Auxilium speciale excitantis, & adiuuantis gratiæ non est simpliciter necessarium in eo, qui habet habitus infusos, vt potentiam constitutam in actu primo physicè prędeterminet ad operandum: tum quia talis prædeterminatio, cùm tollat indifferentiam ad operandum, & non operandũ, in qua essentialiter libertas arbitrij consistit, cum libertate eiusdem arbitrij cohærere non potest; tum etiam: nam habitibus vtimur, cùm volumus, ac per consequés, vt quis vtitur habitu fidei, vel charitatis sibi à Deo infuso, vt vnum, aut alterum actum fidei, & charitatis eliciat, præter innatam arbitrij libertatem, non erit necessarium aliud speciale auxilium excitantis, vel adiuuantis gratiæ: nec etiam est tale auxilium speciale simpliciter necessarium, vt Deus simul cooperetur cum potentia, & habitu supernaturali in supernaturales actus. nam ad id sufficit cõcursus generalis, quo Deus simul cócurrit cum omnibus aliis causis secundis, constitutis in actu primo per formas proportionatas cum suis effectibus: cùm non sint multiplicandi tot Dei concursus absque necessitate: ergo superfluè ponitur, tanquam necessarium ad operandum actus supernaturales, auxilium speciale excitantis, vel adiuuantis gratiæ in eo, qui habet iam potentiam perfectam per supernaturales habitus.

III Secunda sententia est aliorum Theologorum, qui sentiunt, ad actus supernaturales, qui ab habitibus infusis eliciuntur, esse quidem simpliciter necessariam gratiam excitantem illis proportionatam, & concursum simultaneum ordinis gratiæ præter hæc autem nullam aliam adiuuantem gratiam esse simpliciter necessariam ad eliciendum supernaturalem actum; sed vt plurimùm vtilem, vt faciliùs, suauius, magisque perseueranter fiat, si Deus velit illam conferre, quia auget vires ad operandum. Addit tamen hæc sententia, quòd, quamuis noua gratia adiuuans non sit necessaria homini iustificato ad singulos actus supernaturales præstandos: tamen homini existenti in statu naturæ lapsæ necessaria est, vt in gratia diu perseueret: nam ad perseuerandum in gratia necessarium est speciale auxilium, vt Concilia definiunt; seu perseuerantiæ donum, quod & gratiam excitantem, & adiuuantem includit. Conuincuntur hi auctores sequentibus argumentis.

Reuerendiss. Mascareñas tract. de auxilijs disput. 1. p. 3 num. 51 pag. 40.

Quartò: nam ex doctrina sancti Thomæ prima secundæ, quæst. 109. articulo primo, secundo & tertio, plane colligitur, nullam aliam gratiam adiuuantem, præter concursum ordinis gratiæ, esse simpliciter necessariam in eo, qui habet habitus infusos, vt actus supernaturales eliciat.

Quintò. Per habitum habet potẽtiã sufficientem vittutem in ratione causæ proximæ, & per concursum supernaturalem habet illa causa proxima sufficiens adiutorium causæ primæ in illo ordine: quid ergo aliud esse potest necessariu? Si dicatur fortasse requiri actuale complementum, vt aiunt, quod non datur sufficienter per solum habitum, quia actus secundus est perfectior, & magis actualis, quàm primus. Potentia autem cũ habitu est solùm constituta in actu primo: & ideo nondum habet completã virtutẽ ad eliciendu actũ, donec aliam gratiam actualem, quasi fluentem recipiat, vt perfectè cõpleatur.

Contra

Digitized by Google

Contra hoc est sextum argumentum. Si hæc ratio esset alicuius momenti, non solum in actibus gratiæ, sed etiã in actibus naturalibus probaret, potentiam cu habitu non habere sufficientem vim ad connaturalem actum, cum tamen omnes Philosophi dicant, non solùm sufficientem, sed etiam superabundantem vim habere: & ideo non tantum posse, sed etiam faciliter, & delectabiliter posse suum actum exercere. Deinde idem dicendum esset de qualibet vi actiua naturali, quantùuis perfecta, quod falsum esse constat rationibus disp. 18. factis ad probandum cõcursum Dei generalem non esse influxum immediatum in causas secundas. Tandem idem dicendu esset de illa qualitate fluente, quam alij fingunt: nam illa qualitas non est actus vitæ ab anima elicitus, vt ipsi etiam fatentur, sed est à solo Deo præinfusa ordine naturæ ad eliciẽdum actum: ergo illa etiã cõparatur ad actionẽ, vt primus actus ad secundu, & in hoc est minùs perfecta, quòd non constituit formaliter potentiam in vltimo actu, sicut actio ipsa, seu actus secundus. Erit ergo etiã illa incõpleta virtus, & indigebit alio cõplemento: & sic procederetur in infinitũ, quia semper illud cõplementũ est tantum actus primus; si constituatur differentia inter habitum, & illã qualitatem, quod habitus est separabilis ab actu secundo, non verò qualitas illa fluens; cõtra arguitur

IV. 2 Septimò. Nam hoc in primis nihil iuuat, quia inseparabilitas non tollit illam differẽtiã inter actum primum, & secundum: sicut lumen gloriæ habet etiã inseparabilem visionẽ, & charitas illi coniuncta habet inseparabilẽ amorem: & nihilominùs sunt actus primi, adeò vt etiã in illis auctores oppositæ sẽtẽtiæ prærequirant prædictã qualitatẽ fluentẽ. Quocirca ex illa differentia solùm sequitur, illam qualitatem esse actum primum naturaliter agentem tanta necessitate, vt voluntatem etiam secum rapiat, & consequenter etiam tollat liberum operandi vsum.

Octauò. Actus primus, præsertim supernaturalis, simpliciter est perfectior, quam actus secundus, quia non solùm dat faciliùs operari, sed etiã tribuit simpliciter posse: actus verò secundus solùm secundum quid, dicitur perfectior, quia est vltimus, & nõ relinquit vlteriorem potentiam: nihil autẽ obstat, quominùs quod est simpliciter perfectius, efficiat id, quod absolute inferius est, & minùs perfectũ; quãuis secũdum quid, videatur excedere: ergo ruit fundamentũ contrariæ sententiæ, quo, ex eo quòd actus secũdus est simpliciter perfectior, quam habitus, infert, potẽtiã elevatã per habitũ indigere speciali auxilio adiuuantis gratiæ, quo, ad operandũ præmoueatur: ergo sine tali auxilio poterit cum solo habitu actus supernaturales elicere.

Confirmant hanc sententiam omnibus argumentis supra adductis, quibus probare contendunt, concursum Dei generalem, & similiter gratiam adiuuantem, qua ratione adiuuans est, non esse influxum Dei immediatũ in liberum arbitrium, vt in causam, neque illud ad operandũ præmouere, aut prædeterminare; sed solùm esse influxum immediatum cum causa secunda in eius effectum. Disp. 18. 23. & 82.

V. Tertia nihilominùs sententia est S. Augustini, & S. Thomæ, & nobis indubitata, quam defendunt cõmuniter Thomistæ, qui asserunt, in eo, qui habet habitus infusos, præter ipsos habitus, & concursum simultaneum eiusdem ordinis cum gratia esse simpliciter necessarium, ad singulos actus supernaturales, speciale auxiliu gratiæ tu excitãtis, tum etiam adiuuantis ab ipsis habitibus realiter distinctum, quo liberum arbitrium per habitus infusos in actu primo constitutum, in sua virtute actiua compleatur, & ad operandum præmoueatur & determinetur. Vnde ad resolutionem huius difficultatis tres conclusiones statuendæ sunt, & probandæ.

Auxilium speciale excitantis, & adiuuantis gratiæ est ad singulos actus supernaturales necessariũ.

Prima conclusio. Etiam in eo, qui habet habitus infusos, est simpliciter necessarium ad singulos actus supernaturales, speciale auxilium gratiæ excitantis, vel adiuuãtis. Itaque nunquam producet per solum habitum actum supernaturalem, nisi speciali auxilio excitetur, vel adiuuetur à Deo. Loquimur in præsenti conclusione disiunctiuè de auxilio speciali gratiæ excitantis, vel adiuuantis: nam in sequẽtibus conclusionibus explicandũ erit: Vtrum ad singulos actus vtrumque auxilium sit necessarium. Cõclusio est cõtra primam sententiam, sed probari potest in omnibus argumentis, quibus disp. 20. ostensũ est, cõcursũ generalẽ, quo Deus concurrit cũ libero arbitrio eleuato per habitus supernaturales ad actus fidei, spei, & charitatis, esse cõcursũ ordinis supernaturalis, & diuersæ rationis ab eo, quo cũ causis secũdis naturalibus ad effectus mere naturales cõcurrit.

Præterea probatur ex illo Ioan. 15. *Sine me nihil potestis facere*. quod Apostolis dictum est, qui sine dubio erant iusti & Psalm. 26. dicitur in persona iustorum: *Adiutor meus esto, ne dereliquas me*. Ex quibus testimoniis S. Aug lib. de corrept. & gratia cap. 1. concludit, quòd etiam cùm quis fuerit à peccati damnatione liberatus adhuc indigeat ad operandum bonum sui Liberatoris auxilio. Nec potest explicari Augustinus de concursu Dei generali nam loquitur de auxilio Saluatoris, quod nobis confertur per Christũ. Hoc autem constat esse auxilium speciale: etenim concursus generalis non est auxilium Redemptoris, sed Creatoris Dei, commune omnibus creaturis etiã irrationalibus, & insensibilibus, quæ redemptionis Iesu Christi capaces non sunt ergo præter habitum infusum, necessarium est ad singulos actus supernaturales actuale auxilium excitantis, vel adiuuantis gratiæ. Item etiam Psal. 126. de hominibus iustificatis dicitur: *Nisi Dominus custodierit ciuitatẽ, frustra vigilat, qui custodit eam*, Quæ verba S. Ambros. & Hilarius de anima iusti interpretantur, quæ sine protectione, & auxilio Dei non potest, bonum operando, tentationibus resistere. Ambrosius lib. 2 in Lucam. Hilarius super eundẽ psalm.

Secundò probatur ex Cælestino Papa, epist. ad Episcopos Galliæ, c. 8. vbi docet, instinctu Dei iustos bona opera facere, *ideo viuere quia præparatur*, inquit, *voluntas a Domino, & vt bona aliquid agamus, paternis inspirationibus suorũ ipse tangat corda fidelium. Quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt: vt nec nostrum deesse sentiamus arbitrium, & in bonis quibusquè voluntatibus humane singulis motibus magis illius valere non dubitemus auxilium*. Et c. 10. *De fructibus*, inquit, *mandatorum Dominus loquebatur, vbi non ait: Sine me nihil difficultatis potestis facere, sed ait: Sine me nihil potestis facere*, & loquitur de auxilio actuali. Sentit ergo, præter gratiam iustificantem, esse necessarium speciale auxilium ad quodlibet opus bonum, & meritorium, non solùm faciliùs, vt dicebat Pelagius, sed etiam simpliciter efficiendum. Rom. 8 Ioan. 15.

Tertiò probatur ex definitione Conciliorum; sed præsertim ex Conc. Arausic. can. 10. vbi dicitur: *Adiutorium Dei, etiam renatis, ac sanctis, semper est implorandum, vt ad finem bonum peruenire, vel in bono possint opere perdurare*. Vbi non solùm ad perseuerandu vsque in finem, sed etiã ad bonum opus perseueranter præstandum, necessariũ esse docet gratiæ adiutoriũ, quod clariùs declarat in can. 25. *Hoc etiam*, inquiens; *secundùm fidem Catholicam credimus, quòd accepta per baptismum gratia, omnes baptizati Christo auxiliante, & cooperante, quæ ad salutem pertinent, possint, & debeant, si fideliter laborare voluerint; adimplere*. Quibus verbis, præter gratiam habitualem ad opera bona quibus adimplentur mandata, speciale auxilium docet esse necessarium. Et in Concilio Tridentino sess. 6.

ſeſſ.6.de iuſtif.cap.decimoſexto, docet S. Synodus, quòd *ipſe Chriſtus ſemper tanquam caput ad membra, & tanquam vitis in palmites, in ipſos iuſtificatos iugiter virtutem influat, quæ virtus bona eorum opera ſemper antecedit, & comitatur, & ſubſequitur, & ſine qua, nullo pacto Deo grata & meritoria eſſe poſſent.* Quibus verbis ad quodlibet opus meritorium, præter iuſtificantem gratiam, & habitus infuſos, auxilium ſpeciale, quod nomine virtutis explicuit, docet eſſe ſimpliciter neceſſarium.

1. Cor. 12. Ioan 15.

Aug epiſt. 106.

Quartò probatur. Vt fatetur Auguſtinus, in pluribus Conciliis antiquis contra Pelagium definitum eſt, gratiam Dei ad ſingulos actus dari, hoc eſt, ad ſingulos actus pios eſſe ſimpliciter neceſſarium ſpeciale Dei auxilium: de hoc enim loquebantur Patres, dum vrgebant Pelagium, vt ex ſupra dictis conſtat. Vnde ipſe Pelagius, vt refert Auguſtinus epiſt. 106. in Concilio Paleſtino, ne damnaretur & ipſe, anathematizauit id, quod aſſeruerat, gratiam Dei, id eſt actuale auxilium, ſiue adiutorium gratiæ non eſſe ad ſingulos actus pios neceſſarium: & ipſe S. Auguſtinus in epiſt. 107. *Hæc eſt*, inquit, *illa Pelagianorum mala, male diffamata, meritóque reprobata, & ab ipſo etiam Pelagio timente damnata, in Orientalium Epiſcoporum iudicio damnata ſententia qua dicunt, gratiam Dei non ad ſingulos actus dari, ſed in libero arbitrio eſſe, vel in lege atque doctrina.* Et poſt pauca, ex multis locis Scripturæ, noſtram probat concluſionem, ſic concludens *Non eſt igitur gratia Dei in natura libero arbitrio, & in lege atque doctrina, ſicut Pelagiana perueriitas deſipit ſed ad ſingulos actus illius voluntate danda, vt in Deum credamus, & pie viuamus.* Idem probat libro primo de gratia Chriſti contra Pelagian. capite ſecundo & tertio. Subſcribit ſanct. Proſper in libro reſponſionum ad capitula Gallorum, reſponſ. 8. vbi hanc ipſam doctrinam iudicio ducentorum quatuordecim Sacerdotum ſancitam eſſe docet. Idem proſequitur latiſſime contra Pelagianos S. Hieronymus, epiſt. ad Creſiphontem, ita inquiés: *Deo gratiam ponunt, vt non per ſingula opera, eius miramur & regamur auxilio, &c. & non intelligunt iſta dicentes, quòd per os eorum intolerabilem blaſphemiam diabolus ſibilet.* Quod etiam ibi probat multis teſtimoniis Scripturæ, & libro tertio dialog. contra Pelagianos & ſuper epiſt. ad Galat. capite tertio, in illa verba *Qui ergo tribuit vobis ſpiritum* Et ſuper c... ad Epheſ. expli cans illud: *ipſius enim ſumus factura.* Et ſuper capite 25. Ieremiæ. & ſuper capite 31. in illa verba *Conuerte me Domine, & conuertar.* Denique Vincentius Lyrinen in libro aduerſ. profanas hæreſeon nouitates, pag. 22. in impreſſione Louan. ait: *Quis vnquam ante profanum illum Pelagium tantam virtutem liberi præſumpſit arbitrij vt ad hoc in bonis vſus per actus ſingulos adiuuandum, neceſſarium Dei gratiam non putarit?* Hæc concluſio amplius patebit ex rationibus, quæ pro duabus ſequentibus concluſionibus adducentur.

A

B

C

D

E

VI. Secunda concluſio. Homo iuſtus, præter habitus infuſos, ad bona opera tam interna, quàm externa facienda, indiget noua gratia excitante. Hæc concluſio eſt contra aliquos Theologos, aſſerentes, quòd homo iuſtus poteſt, quando vult, iuſtitiam tam internam, quam externam exercere, id eſt, bona opera facere, ac præcepta diuina ſeruare; neque indiget ordinarie noua gratia excitante, ſed ſolùm adiuuante. Probatur tamen noſtra concluſio ex dictis in præcedenti concluſione.

Gratia excitans etiam in homine iuſto eſt ad ſingulos actus meritorios neceſſaria.

Præterea probatur. Primò ex Conc. Trid. ſeſſ. 6. de iuſtificatione capite quinto, vbi declarat, ipſius iuſtificationis exordium in adultis à Dei, per Chriſtum Ieſum, præuenitæ gratia, ſumendum eſſe, hoc eſt, ab eius vocatione, qua, nullis eorum exiſtentibus meritis, vocantur; vt qui per peccata à Deo auerſi erant, *per eius excitantem, atque adiuuantem gratiam* ad cõuertendum ſe ad ſuam ipſorum iuſtificationem, eidem gratiæ libere aſſentiendo, & cooperando diſponantur. Et c. 6. ſubdit, homines diſponi ad ipſam iuſtitiam, dum, *excitati diuina gratia, & adiuti*, fidē ex auditu concipientes, libere mouentur in Deum: ergo ſicut ad actus ſupernaturales, qui ante iuſtificationē eliciuntur, neceſſaria eſt gratia excitans, iuxta doctrinam Concilij Tridentini; ita etiam erit neceſſaria eadem gratia ad actus ſupernaturales, qui poſt iuſtificationem eliciuntur. Probatur conſequentia: nā, ſicut præparatur voluntas, & mouetur a Domino, vt eliciat actus ſupernaturales fidei, ſpei, & charitatis, quibus ad iuſtificationem diſponitur; ita etiam præparatur a Domino, vt conſimiles actus poſt iuſtificationem producat. Cùm ergo huiuſmodi præparatio fiat per auxilium ſpeciale gratiæ excitantis, & adiuuantis, relinquitur, eam gratiam neceſſariam eſſe ad actus ſupernaturales eliciendos, etiam in eo, qui habet habitus infuſos. Idem probatur ex Concil. Arauſ. can. 25. vbi Patres Concilij, *hoc*, inquiunt, *ſalubriter profitemur, & credimus, quòd in omni opere bono nos non incipimus, & poſtea per Dei miſericordiã adiuuamur. ſed ipſe nobis nullis præcedentibus meritis fidē, & amorem ſui prius inſpirat vt poſt eum ipſius adiutorio, quæ ſibi ſunt placita, implere poſſimus.* Vbi præter auxilium gratiæ adiuuantis, quod ad impletionem mandatorum ſupernaturalium requiritur, nempe ad fidem, & amorem Dei, docet eſſe neceſſariam gratiam excitantē, quam per inſpirationem diuinam ſignificauit Concilium.

Confirmatur. Vt diſp. 90. n. 6. patebit, liberum arbitrium etiam in actu primo conſtitutu indiget, vt operetur motione moali ex parte ſui. Sed in actibus ſupernaturalibus hæc motio moalis fit a Deo per gratiam excitantē, ſicut motio phyſica eſt ab eo per gratiam adiuuantem: ergo in ſingulis actibus ſupernaturalibus liberis excitatur voluntas a Deo, vt eiuſmodi actus eliciat.

Secundò probatur auctoritate Auguſtini, cuius videtur expreſſa hæc noſtra concluſio nam lib. 2. de pec. merit. & remiſſ. c. 18. ait: *Quòd à Deo nos auertimus, noſtrum eſt & hæc eſt voluntas mala: quòd verò ad Deum nos conuertimus niſi ipſo excitante, & adiuuante non poſſumus, & hæc eſt voluntas bona.* vbi indifferēter loquitur de cõuerſione ad Deum per actu bonū, ſiue ante infuſionem, ſiue poſt infuſionem habitus fiat, & hanc docet fieri non poſſe, niſi Deo excitante. Sentit ergo, præter habitus infuſos, ad ſingulos actus ſupernaturales dari gratiam excitantem. Idem docet libro de ſpiritu, & litera, c. 34. in hæc verba: *Viſorum ſuaſionibus agit Deus, vt eligimus & vt credamus, ſiue extrinſecus per Euangelicas exhortationes, vbi & mandata legis aliquid agunt, ſi ad hoc admonent infirmitatis ſuæ, vt ad gratiam iuſtificantem credēdo confugiat, ſiue intrinſecus, vbi nemo habet in poteſtate, quid ei veniat in mentem, ſed conſentire, vel diſſentire, propria voluntatis eſt.* Et lib. 83. quæſtionum quæſt. 68. ait generaliter de omnibus actibus bonis. *Nec velle quiſquam poteſt, niſi admonitus, & vocatus.* Denique in q. 2. ad Simpl. *Quis*, inquit, *poteſt credere, niſi aliqua vocatione, hoc ex aliqua rerū teſtificatione tangatur? quis habet in poteſtate, tali viſo attingi mentem ſuam, quo eius voluntas moueatur ad fidem.* Idē docet S. Proſp. lib. 2. de voc. gent. c. 16. Gratia inquiés, *Dei principaliter præuenit, ſuadendo exhortationibus, mouendo exēplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inſpirando conſilium, cùmque ipſum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo. Sed etiam voluntas hominis ſubiungitur, atque coniungitur, quæ ad hoc præditis eſt excitata præſidiis, vt diuino in ſe cooperetur operi.*

Tertiò

Digitized by Google

Tertiò probatur ratione: Voluntas nunquam operatur aliquod opus bonum, niſi per intellectum fuerit illi propoſitum: eò quòd nihil eſt volitum, quin præcognitum, vt Auguſtinus dicit. Sed illa propoſitio, qua per intellectum proponitur voluntati bonum ſupernaturale, vt proſequendum, & amandum, tanquam ſibi conueniens, pertinet ad gratiam excitantem, cum per illam ſuadeatur voluntas, alliciatur, & inuitetur, vt proſequatur illud bonum: ergo quamuis ſit homo iuſtus, & habeat habitus infuſos, adhuc indiget gratia excitante ad ſingulos actus ſupernaturales.

Confirmatur. In homine iuſto illuſtratio intellectus, qua proponitur voluntati bonum ſupernaturale, vt proſequendum, & amandum, etiamſi per quandà recordationem, vel memoriam præcedentis excitationis diuinæ fiat, non procedit ex ſolis viribus naturæ, alias primum initium boni operis in nobis eſſet ex nobis: ergo procedit ex auxilio gratiæ excitantis: ergo præter habitus infuſos eſt ſimpliciter neceſſarium ſpeciale auxilium excitantis gratiæ ad ſingulos actus ſupernaturales. Reſpondent ad hæc argumenta, ipſum habitum gratiæ, & charitatis, & alios habitus infuſos in homine iuſto habere rationem gratiæ excitantis, eò quòd inclinat liberum arbitrium ad ſupernaturales actus, vnde ſicut poteſt homo, nondum iuſtificatus, ex ſemine bonæ inſpirationis producere fructum conuertionis, & operum pœnitentiæ, multò magis ex ſemine gratiæ gratum facientis producere poterit fructum iuſtitiæ, & bonorum operum abſque vlla noua gratia excitante.

Soluitio.

Cõfutatio.

Sed contra hanc ſolutionem eſt argumentum: nã quamuis gratia, & alij habitus infuſi inclinent liberum hominis arbitrium habitualiter ad ſupernaturales actus eliciendos, non tamen illud inclinant actualiter, niſi per gratiam excitantem, & adiuuantem actualiter moueatur ad eaſdem operationes elicrendas ergo ſolus habitus infuſus nó ſupplet vices ſpecialis auxilij excitantis gratiæ.

VII. *Auxilium ſpeciale gratiæ adiuuantis eſſe etiam in homine iuſto ex ſe ad ſingulos actus neceſſarium.*

Tertia concluſio. In homine iuſto præter gratiã excitantem, & concurſum ſupernaturalem ſimultaneum, quo Deus vnà cum libero arbitrio & habitibus infuſis actus ſupernaturales producit, requiritur neceſſariò ad ſingulos actus ſpeciale auxilium gratiæ adiuuantis. Concluſio eſt contra auctores ſecundæ ſententiæ, eſt tamen expreſſa S. Auguſt. lib. de nat. & grat. capite vigeſimoſexto, vbi ait: *Sicut oculus corporis etiam plenißime ſanus, niſi candore lucis adiutus, non poteſt cernere: ſic homo etiam perfectißime iuſtificatus, niſi æterna luce iuſtitiæ diuinitus adiuuetur, recte non poteſt viuere. Sanat ergo Deus, non ſolum vt deleat, quod peccauimus ſed vt præſtet etiam, ne peccemus.* Et lib. de gratia, & libero arbitrio, c. 6. idipſum confirmat multis teſtimonijs Scripturæ, ſed præſertim ex illo Canticorum 8. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit dealbata, incumbens ſuper dilectum ſuum? Alba facta*, inquiés, *bene ambulat: ſed ſi ſuper eum, à quo dealbata eſt, perſeueranter incũbat propter quod & ipſe Ieſus ſuper quem incumbit dealbata, dixit diſcipulis ſuis Sine me nihil poteſtis facere.* Eadem eſt ſententia S. Th. 1.2. q. 109. articul. primo, in corpore, vbi ait, quòd *quantumcunque natura aliqua corporalis vel ſpiritualis ponatur perfecta, non poteſt in ſuum actum procedere, niſi moueatur à Deo.* Et idem docet articulo nono. Nec poteſt explicari ſanctus Thomas de ſola gratia excitante: nam per illam Deus non mouet phyſicè liberum arbitrium ad pias operationes ſed ſolùm moraliter: & multò minùs poteſt exponi de ſolo concurſu ſimultaneo, vt ſupra oſtenſum eſt; ſed neceſſariò debet intelligi de gratia adiuuante, per quam liberum arbitrium præmouetur, & prædeterminatur, ad operandum. Eandem ſententiam docet S. Thom. locis ſuperius allegatis. Et probari poteſt in primis argumentis factis pro concluſione præcedenti.

Præterea probatur ex definitione illa Concil. Arauſic. can. 9. *Quoties bona agimus, Deus in nobis, atq; nobiſcum, vt operemur, operatur.* Vbi vniuerſaliter loquitur de omnibus operibus bonis, etiam hominis iam iuſtificati: & ad huiuſmodi opera neceſſarium eſſe docet ſpeciale auxilium gratiæ adiuuantis, quo non ſolum nobiſcum ſimul operetur opus bonum, ſed etiam in nobis, efficiendo videlicet per idõ auxilium, vt nos libere cooperemur Deo, vt ex ſupra dictis conſtat, vbi in hoc eodem ſenſu expendimus verba Concilij. Alias enim dixiſſet Quoties bona agimus, Deus nobiſcum operatur; neque oportuiſſet addere illud verbum, *Deus in nobis, atque nobiſcum.* Confirmatur ex Innocentio I. in reſcripto ad Concilium Carthaginenſe, vbi ait: *Omnes Sancti ſine adiutorio Dei, nihil ſe agere poſſe teſtantur.* Et in reſcripto ad Concilium Mileuitanum *Neceſſe eſt*, inquit, *vt reſtituta nobis priſtini ſtatus libertate per gratiam, eam gratiam quæramus; quæ ſi deſit qui neque alias diaboli tentationes & machinas niſi gratia adiuuante, poſſumus euitare.* Et Cæleſtinus primus epiſtola ad omnes Epiſcopos Galliæ, cap 8. & 9. decernit, gratiam ad ſingulos actus eſſe neceſſariam, & refert Zoſimum Papam aſſerentem in epiſtola ad totius orbis Epiſcopos. *quod in bonis quæ huius voluntatis humanæ ſingulis motibus magis illius velle non dubitemus auxilium,* quòdque *omnis fanctæ cogitationis, omniſque motus bona voluntas ex Deo ſit, quia per illam aliquid in Deum poſſumus, ſine quo nihil poſſumus.* Et loquitur de ſpeciali auxilio gratiæ adiuuantis, per quod agit Deus in nobis, vt quod vult, & velimus, & agamus, vt dicit idem Cæleſtinus, capit. 12. eiuſdem epiſtolæ. Propter hæc teſtimonia M. Medina 1.2. quæſt. 109. artic. 9. concluſ. 3. hanc noſtram ſententiam adeò veram, & certam exiſtimat, vt contrariam docere, putet eſſe improbabile.

Secundò. Solus Deus eſt, qui etiam in hominibus iuſtificatis primò inchoat phyſice, ſeu vere efficienter quodcunque opus bonum, vt ſupra oſtenſum eſt: ſed hæc inchoatio fit à Deo per ſpeciale auxilium gratiæ adiuuantis, quatenus videlicet per tale auxilium præmouet liberum arbitrium, & efficit, vt ſecum cooperetur: ergo præter habitus infuſos, neceſſarium eſt ad ſingulos actus in hominibus iuſtis ſpeciale auxilium gratiæ adiuuantis, non ſolùm ſimultaneum, ſed etiam præuium ad cooperationem arbitrij & eam ordine cauſalitatis præueniens.

Tertiò. Ab eo, quod eſt ad vtrumlibet, non ſequitur aliqua actio, niſi ab aliquo alio determinetur ad vnum, vt 2. Phyſic. tex. 48. dicit Commentator, ſed liberum hominis arbitrium, etiam habitu ſupernaturali perfectum, ſe habet ad vtrumlibet, ſcilicet ad operandum, & non operandum: cùm habitus non determinet potentiam, quãtum ad exercitium actus, ſed ſolùm quantum ad ſpecificationem: ergo nunquam prorumpet in actum partículatem niſi determinetur à Deo ad producendum hic, & nunc talem actum ſupernaturalem: ſed hæc determinatio fit à Deo per auxilium ſpeciale gratiæ adiuuantis, vt ſupra oſtenſum eſt: ergo ad quemliber actum ſupernaturalem indigent etiam iuſti ſpeciali auxilio gratiæ adiuuantis.

Quartò. Concurſus generalis tam ordinis naturæ, quàm ordinis gratiæ, quo Deus concurrit cum cauſis ſecũdis cõſtitutis in actu primo, per formas ſuis effectibus proportionatas, eſt influxus immediatus in cauſas ſecũdas eas cõplens & perficiens, vt actualiter operẽtur, vt diſp. 18. 19. & 23. oſtenſũ eſt: ergo ſpeciale auxiliũ gratiæ adiuuãtis, neceſſariũ ad ſingulos actus

supernaturales, non consistit in solo concursu simultaneo, quo Deus vnà cum libero arbitrio eleuato per habitum influit in actum supernaturalem; sed etiam in motione præuia, qua Deus efficit, vt liberum arbitrium secum concurrat: ergo ad singulos actus supernaturales præter habitus infusos indigent homines iusti speciali auxilio gratiæ adiuuantis.

VIII. AD primum argumentum respondetur, sanctum Thomam expressè docere nostram sententiam multis in locis, sed præsertim prima secundæ, quæst. 109. articulo 9. vbi dicit, quòd etiam ille, qui iam consequutus est gratiam, vltra habituale donum, per quod natura humana corrupta sanatur, & eleuatur ad operanda opera meritoria vitæ æternæ, *indiget auxilio gratiæ secundum alium modum, vt scilicet à Deo moueatur ad rectè agendum.* Per quod auxilium intelligit S. Thomas speciale auxilium adiuuantis gratiæ, non solùm simultaneum, sed etiam præuium. Neque in locis inductis docet contrarium, quoniam infusionis gratiæ nomine comprehendit tum gratiã habitualẽ, per quam formaliter fit homo iustus, tum etiam auxilium speciale, seu actuale, quo liberum arbitrium mouetur, vt actus, quibus ad iustificationem disponitur, eliciat; quod quidem auxilium inseparabiliter comitatur in adultis primam infusionem gratiæ habitualis. Vnde cùm in articulo sexto citato ait; quòd ex parte motionis diuinæ accipitur gratiæ infusio (quibus verbis significare videtur, Deum per infusionem gratiæ mouere liberum arbitrium in ipsa iustificatione ad supernaturales actus) non intelligit, quòd per solam gratiam habitualem id efficiat, sed etiam per speciale auxilium actuale: per gratiam quidem radicaliter, siue habituaLiter, per auxiliũ autem speciale actualiter & formaliter. Et per hæc patet ad confirmationem, & similiter ad Concilium Mileuitanum: intelligitur enim de adiutorio habituali, non excludendo motionem actualem: nam gratia iustificans non solùm remittit peccata, sed tribuit vires mediis aliis habitibus, seu virtutibus infusis, quibus homo possit deinceps non peccare, sed in bono perseuerare, si velit: sed vltra hoc adiutorium habituale, esse necessarium speciale auxilium actuale, quo in exercitio bene operetur, aut perseueret, summi Pontifices, & Concilia suprà adducta docent.

Ad confirmationem.

IX. Ad secundum respondetur, auxilium speciale non esse solùm necessarium, vt actus credendi, sperandi, & diligendi Deum sit supernaturalis; sed etiam, vt simpliciter sit, & in exercitio producatur a libero arbitrio, vt ex suprà dictis colligitur. Nec admittendũ est, eosdem actus posse, quantùm ad substantiã produci ex solis viribus naturæ, vt ex dictis disp. 65. constat. Et quamuis per habitus infusos liberum arbitrium sufficienter eleuetur in actu primo ad supernaturales actus eliciendos: nihilominùs, vt in exercitio eliciat de facto eiusmodi actus, necessarium est speciale auxilium excitantis, & adiuuantis gratiæ, propter rationes superiùs assignatas.

Auxiliũ speciale gratiæ nõ est solũ necessariũ, vt actus sit supernaturalis.

Ad tertium respondetur, speciale auxilium gratiæ adiuuantis esse necessarium, tum vt potentiam per habitum supernaturalem constitutam in actu primo prædeterminet ad operandum, nec ex hoc sequitur, destrui libertatẽ arbitrij, vt disp. 18. & 23. ostẽsum est, & inferiùs clariùs patebit: tum etiam, vt Deus simul cum potentia eleuata per habitum efficiat operationem supernaturalem: nam quando causa secunda est supernaturalis, etiam concursus Dei generalis debet esse supernaturalis, vt disp. 20. ostensum est.

Ad quartum pro secunda sententia respondetur, quòd, iuxta doctrinam S. Th. concursus supernaturalis, qui ex parte Dei requiritur ad supernaturales actus, non est solùm simultaneus, seu pariter cum libero arbitrio influens in eosdem actus, sed etiam præuius, & immediatus in ipsum arbitrium, vt ex supradictis disp. 18. & 23. constat.

Ad quintum respondetur, potentiam habere quidem per habitum supernaturalem efficientem virtutem sufficientem, qua vere possit actus supernaturales elicere, si velit, sed non tribuitur illi per solum habitũ, vt actu velit: aliàs quamdiu haberet habitũ, semper actualiter operaretur. Vt ergo actu operetur per habitum, necessariò requiritur speciale auxilium gratiæ adiuuantis, quo ad operandum moueatur, & prædeterminetur, vt suprà dictum est: nam concursus simultaneus non prædeterminat liberum arbitrium ad operandum, & secum concurrendum, sed præsupponit ipsum ex sua innata libertate velle vti habitu supernaturali, & operari cum illo.

Ad sextum respondetur, illam non esse solam, aut potissimam rationem, propter quam necessarium esse dicimus, etiã in hominibus iustis, speciale auxiliũ gratiæ adiuuantis ad singulos actus supernaturales: sunt enim aliæ vrgentiores rationes ex locis Scripturæ, Summorum Pontificum, & Conciliorum depromptæ, quibus efficaciùs id probauimus. Fatemur tamen, illam rationem magnam etiam vim habere. Et ad eius impugnationem dicendum, potentiam cum habitu habere quidem vim sufficientem, & superabundantem, qua possit operari, si velit, non tamen habet virtutem efficacem, qua actualiter operetur: vnde ad id necessarium est, quòd per concursum Dei actualem supernaturalis ordinis moueatur, & ad operandum prædeterminetur, vt latiùs ostensum est suprà. Et idem dicendum proportionabiliter de quacunque virtute actiua naturali permanente quantumuis perfecta, vt ex S. Th. 1. 2. q. 109. a. 2. & 9. colligi potest, & ex iis, quæ disp. 18. & 23. dicta sunt.

Ad confirmationem respondetur, illud auxilium speciale, seu motionem per modum transeuntis non indigere alia motione Dei, per quam ad operandum moueatur, vel prædeterminetur, sicut indigent potentiæ perfectæ, aut eleuatæ per habitus. Et rationem discriminis assignat sanctus Thomas: nam licèt per gratiam, & alios habitus infusos sanetur homo, quantùm ad mentem, & perficiatur in actu primo ad operandum; adhuc remanet in eo corruptio & infectio, quantùm ad carnem, per quam seruit legi peccati, vt dicitur ad Roman. 7. Remanet etiam quædam ignorantiæ obscuritas in intellectu, secundum quam, vt etiam dicitur Roman 8. *Quid oremus, sicut oportet, nescimus*: ac per consequens per solam gratiam habitualem, non adhæret immobiliter bono neque ad illud actu prosequendum, & amãdum prædeterminatur: & ideo adhuc indiget speciali auxilio adiuuantis gratiæ, quo indeclinabiliter & insuperabiliter ad bonum operandum moueatur. Hæc autem ratio non procedit de eo, qui habet speciale auxilium adiuuantis gratiæ, vel donum perseuerantiæ. Vnde non sequitur, quòd adhuc indigeat alio auxilio, vel quòd detur processus in infinitum. Et cùm arguitur: nam etiam illud speciale auxilium gratiæ adiuuantis, seu motio fluens comparatur ad actum supernaturalem, sicut actus primus ad secundum: respondetur, quòd illud auxilium, seu motio præuia, nec est formaliter actus primus, neque actus secundus, sed complementum actus primi, & mediũ quoddam inter eundem actum primum, & secundũ, vt disp. 18. & 19. dictum est.

S. Tho. 1. 2. q. 109. art. 9 in corp. & ad 3.

Ad septimum respondetur, ex differentia assignata inter habitum, & speciale auxilium gratiæ adiuuãtis non sequi, idem auxiliũ naturaliter agere tanta necessitate, vt voluntatem secũ rapiat: nec enim per

gratiam

gratiam mouetur voluntas motu raptus, vt Lutherus dixit: sed tantùm sequitur, habitum non efficere, vt voluntas libere, & infallibiliter secum cooperetur; quod tamen efficit Deus per speciale auxilium adiuuantis gratiæ, quia mouet voluntatem conformiter ad propriam naturam, vt supra dictum est. Vnde auxilium speciale non solùm nó destruit, sed mirum in modum perficit arbitrij libertatem: nam tribuit illi actualem vsum eiusdem libertatis, vt ex præmissis patet.

XII. Actus est simpliciter nobilior potentia, vel habitu.

Ad octauum respondetur actum secundum, simpliciter loquendo, esse magis perfectum, quàm sit habitus, quamuis secundùm quid habitus sit præstantior. Ita docet S. Th. 1. 2. q. 71. a. 3. in corp. & in solut. ad 1. & ad 3. & 1. p. q. 25. a. 1. ad 2. Richardus in 4. dist. 49. a. 1. q. 4. Sotus eadem dist. q. 1. a. 2. circa primam conclusionem. Et Ægydius quodlib. 4. quæ. 19. fauet Caiet. 1. p. q. 27. a. 1. circa finem, vbi ait, quòd actus est præstantior habitu in ratione actualitatis. Et ratio est: nam actus secundus magis participat de actualitate, & consequenter agens per illum magis assimilatur Deo, quàm per habitum, qui potentialitatem quandam, & imperfectionè includit. Et præterea: nã habitus ordinatur ad actum, tanquam ad finem, propter quẽ est necessarius ipse habitus. Vnde beatitudo, secundùm communem sententiam Theologorum, consistit essentialiter in actu, & non in habitu, vt patet 1. 2. q. 3. a. 2. & in 4. sent. dist. 49. ergo operatio, cùm sit vltimus actus, est simpliciter perfectior quàm habitus. Beatitudo enim formalis, cùm sit vltimus actus hominis, debet consistere in eo, quod est perfectius, & magis actuale. Neque obstat, quòd habitus est causa efficiens actus: ex hoc enim non sequitur quòd sit simpliciter perfectior actu, sed solùm secundùm quid: nam habitus non est causa principalis ipsius actus, sed instrumentalis: causa autem instrumentalis, non oportet quòd sit simpliciter perfectior suo effectu, præsertim quando effectus est finis, ad quem ipsa causa ordinatur. Quia ergo actus secundus, est simpliciter perfectior, quàm habitus, oportet, quòd potentia eleuata per habitum moueatur à Deo per auxilium speciale, seu actuale adiuuantis gratiæ, vt actum sibi proportionatum eliciat.

Beatitudo nostra cõsistit formaliter in actu.

Ad confirmationem iam disp. 18. satisfactum esse existimo: ibi enim ad omnia argumenta, quibus probatur, concursum Dei generalem non esse influxum immediatum in causam secundam, abundè satis, vt arbitror, responsum est.

DISPVTATIO LXXXIX.

Vtrùm liberum arbitrium creatum sit prima causa, vel prima radix suæ determinationis.

I. Alia quæstio consimilis discutienda erit infrà disp. 98. vbi disputabitur: An suppositâ gratia excitante, consensus, vel cooperatio liberi arbitrij sit primò inchoanda à volũtate creata: an verò à voluntate diuina, siue ab auxilio efficaci præoperantis gratiæ. Sed propter diuersos modos loquendi, quibus nonnulli recentiores Theologi vtuntur in hac parte, necessarium duxi quæstionem propositam ex professo pertractare. Quidam dixerunt, quòd voluntas creata, quantùm ad determinationem actionis, est quodammodo prima radix: fatentur etiam, omnem voluntatem liberam posse in suo genere dici primam radicem suæ determinationis: dicunt tamen, Deum suo concursu ad eandem voluntatis determinationem simul concurrere.

Alij verò Theologi distinguũt inter conuersionẽ voluntatis, & determinationem eiusdem voluntatis, & asserunt, quòd quamuis conuersio, & consensus voluntatis sit ab ipsa voluntate, & a Deo simul cum voluntate, eandem conuersionem, & consensum efficiente: determinatio tamẽ voluntatis, quæ vtrobique fit, est ab ipsa voluntate, pro sua innata libertate se liberè applicãte, ac determinate ad cõsensu, aut dissensum, & non à Deo, sua omnipotentia illam determinante. Addũntque non esse concedendum, Deum cum voluntate seipsam determinante simul eam determinare; sicut conceditur, Deum cum voluntate simul natura producere effectum. Probatur hæc sententia

Primò. Voluntas creata in illo priori naturæ, antequã se determinet, est omnino indeterminata, & nullam habet necessitatem influendi, neque simpliciter, neque ex suppositione alterius actus sui ipsius, sed ex sola sua indifferentia libertatis actũ inchoat, quando, & qualem vult: ergo in eandem voluntatem tanquam in primam radicem, & causam, debet eiusmodi determinatio reuocari.

Confirmari potest hoc argumentum: quia licèt voluntas creata in suo esse dependeat ab alia causa priori per se efficiente, scilicet à Deo, & propterea non possit appellari simpliciter prima causa: comparatione tamen determinationis sui actus, non habet aliam causam priorem per se efficientem, cum talis determinatio procedat à sola, & innata eius libertate, vt disp. 96. 97. & 98. probabitur: ergo in hoc genere, seu comparatione talis determinationis, appellari potest prima causa. Probatur consequentia: nam, secundùm hanc rationem, prima causa alicuius determinationis illa dicitur, quæ non habet aliam causam ptiorem eiusdem determinationis.

II. Secundò arguitur. Liberum arbitrium creatum habet absolutum dominium sui actus; vt videtur docere S. Aug. & S. Th. locis disp. 117. n. 1. & 2. allegandis. In cuius confirmationem plures ibi adducentur rationes: ergo determinatio actionis in ipsum arbitrium, tanquam in primam causam per se efficientem, debet referri. Probatur consequentia: nam homo non dicitur propriè habere dominio eius quod pendet à voluntate alterius, quantum ad vsum, cum dominium sit propria facultas vtendi re in omnes vsus lege permissos.

Tertiò. Repugnat omnino libertati, quòd determinatio sui actus insit sibi ab alio, vt patet ex sanct. Thoma in secundo sententiarum, dist. 25. quæst. 1. art. 1. ad primum, vbi ait, quòd in Deo saluatur liberum arbitrium, quantùm ad hoc, quòd determinatio sui actus non est sibi ab alio, sed à seipso; & ex hoc infert, Deum esse verè Dominum sui operis. Cùm ergò veram habeat libertatem voluntas, vt ex Tridentino constat, relinquitur, quòd determinatio voluntatis nostræ ad talem, vel talem actum non sit illi ab alio, sed à seipsa; ac per consequens poterit dici, in suo genere prima causa, seu prima radix suæ determinationis.

Quartò probatur, Deum non determinare voluntatem, etiãm simul cum eadẽ voluntate seipsam determinante, nec concurrere efficienter ad talem determinationem: nam influxus Dei, si esset adhibendus ad determinandum voluntatem, esse deberet immediatè in voluntatem, quò voluntas applicaretur, atque moueretur ad consentiendum, seu ad determinandum se ad consensum: sed impossibile est dari talem influxum immediatum in voluntatem ad actionem, vel determinationem liberam producendam, vt patet ex argumentis disputatione 18. in principio propositis: ergo Deus neque concursu

Digitized by Google

generali, neque aliquo alio concursu, etiam simultaneo, est causa determinationis voluntatis, ac per cõsequens voluntas creata dicenda est prima, & sola causa eiusdem determinationis.

Quintò. Determinatio voluntatis non est actio voluntatis, secundum omnem sui considerationem, sed est ipsa actio. prout habet rationem influxus solius volutatis, qui determinatio voluntatis dicitur, quatenus ita voluntas eò influit, cooperatur, & consentit; vt in potestate ipsius situm sit non ita influere, non cooperari, & non consentire: ergo nihil aliud constituẽdum est, quòd sit cooperatio Dei ad ita determinandam voluntatem, vnà cum ipsamet voluntate: ergo sola voluntas ex sua innata libertate se determinat, ac per consequens erit prima, & sola causa suæ determinationis.

Confirmant hoc omnibus argumentis quibus, vt patebit disputatione 96. & 97. probare contendunt, bonum vsum auxiliorum gratiæ, vt emanat a libero arbitrio, procedere à sola, & innata eius libertate: cùm enim determinatio voluntatis ad actus supernaturales nihil aliud sit, quàm prædictus bonus vsus, vt emanat à libero arbitrio; relinquitur, determinationem voluntatis in solam, & innatam eius libertatem esse referendam; ac per consequens, voluntatem creatam esse primam, & solam causam suæ determinationis.

Sextò. Posita quacunque actione, vel cooperatione Dei ad voluntatẽ determinandã ad consensum, adhuc voluntas potest se non determinare, & non consentire ergo per eam actionem, seu cooperationem non determinatur, sed adhuc restat, vt voluntas se ipsam determinet, aut, non determinet, & consentiat, aut non consentiat: ergo nulla actio, & cooperatio Dei est determinatio voluntatis, ac per consequens voluntas est prima, & sola causa suæ determinationis.

III. Voluntas creata non est sola, aut prima causa suæ determinationis.

Secunda sententia docet, determinationem voluntatis esse referendam in Deum, tanquã in priorem causam per se efficientem, vt disputatione septuagesimaquinta, & octuagesimasexta visum est, & dicetur latiùs disputatione nonagesimasexta, quamnis Deus non efficiat in nobis eandem arbitrij determinationem sine nobis simul tempore, sed posteriùs ratione liberè concurrentibus, & cooperantibus, vt sacrum Concilium Tridentinum docet, ac per consequens, voluntatem creatam esse non posse, aut dici primam radicem, vel primam causam efficientem suæ determinationis. Hanc sententiam sequuntur omnes defensores gratiæ efficacis, physicè prædeterminantis liberum arbitrium ad consensum, quorum testimonia in disputatione vigesimasecunda, & vigesimatertia sunt adducta. Et arbitror, eam esse ita certam, vt opposita omni probabilitate careat. Vt autem expendamus variós modos loquendi, quibus nonnulli Theologi vtuntur, & quid sentiendum sit de illis, explicemus: præmittenda sunt, & supponenda ea, in quibus auctores vtriusque sententiæ conueniunt, nec de illis vllus vnquam Theologorum dubitauit. Conueniunt primò, voluntatem creatam, seu liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum esse proximam causam, nedum piæ operationis, sed etiam suæ determinationis, qua ad pie operandum se determinat alias enim merè passiuè se haberet, recipiendo operationem à solo Deo productam; quod repugnat Concilio Tridentino: neque eius actiones essent liberæ, & consequenter non essent meritoriæ, vel demeritoriæ. Conueniunt secundò, quòd liberum arbitrium creatum verè se ipsum mouet, & determinat, dum liberam actionem producit: nam de ratione operationis liberæ est, quòd procedat,

Assertiones in quibus conueniũt auctores vtriusque partis.

tanquam à causa proxima à principio intrinseco se mouente, & determinante, vt disputatione 127. fiet manifestum, & ex parte ostensum est supra disputatione decimaoctaua, & decimanona. Conueniunt tertiò cum addito, & secundùm quid, posse concedi, liberum arbitrium, esse primam, & solam causam suæ determinationis, vel piæ operationis; nempe in genere causæ secundæ proximæ eandem operationem elicientis: nam in hoc genere nullum habet consortium alterius causę proximę, seu secundæ, quæ simul cum ipsa voluntate eandem determinationem, vel piam operationem efficiat. Difficultas ergo est, an voluntas creata dicenda sit prima radix, vel prima causa efficiens suæ determinationis; ita vt nullam habeat aliam causam, quæ priùs causalitate, vel simul cum voluntate creata, eandem determinationem efficiat.

IV. Causa prima alicuius effectus dicitur dupliciter.

Pro cuius explicatione notandum est, quòd dupliciter potest aliquid dici prima causa alicuius effectus: primo modo positiuè; quia videlicet per virtutem non acceptam ab alia superiori causa producit illum effectum: & hoc modo solus Deus est prima causa cuiuscunque effectus creati, siue illum producat immediatè per se ipsum, siue media alia causa secunda. Alio modo potest dici prima causa negatiuè, quia videlicet non habet aliam causam priorem per se efficientem, à qua concursus eiusdem causæ, quo effectum illum producit dependeat.

PRima ergo conclusio sit. Voluntas creata non potest dici prima radix, vel prima causa suæ determinationis in hoc vltimo sensu à nobis explicato. Conclusio est sancti Thomæ in secundo sententiarum dist. 37. quæstione secunda, articulo secundo, in corpore, & probatur eius ratione, quam adduximus disp. 18. num. 14. & in disp. 24. num. 19. nam aliàs voluntas creata comparatione suæ determinationis haberet rationem primi principij, & ita essent admittenda duo prima principia; quod non est dicendum.

Respondent, voluntatem creatam non habere simpliciter rationem primi principij, comparatione propriæ determinationis, quia licet possit se ipsam determinare, & determinet absque influentia prioris agentis eam prædeterminantis; non tamen habet esse à seipsa, nec potest operari absque concursu generali simultaneo primi agentis, quod tamen est necessarium, vt rationem primi principij haberet. Sed hanc solutionem impugnat ex professo S. Tho. loco allegato, & manet satis exclusa ex iis, quæ dicta sunt disp. 18. & 24. adductis.

Secundò probatur. Determinatio, qua voluntas se determinat, nihil aliud est, quàm ipsa libera volitio, vt procedit efficienter ab eadem voluntate, tanquam à causa proxima: sed sub hac ratione talis determinatio non reducitur in voluntatem creatam vltimatè, sed in Deum, tanquam in priorem causam per se efficientem; vt disputatione 56. ostensum est, & latiùs patebit disputatione 96. & duabus sequentibus: ergo voluntas creata non est prima causa, etiam negatiuè, suæ determinationis. Probatur consequentia: nam illa dicitur prima causa negatiuè, comparatione alicuius effectus, quæ non habet aliam causam priorem, in quam talis effectus reducatur. Cùm ergo determinatio voluntatis, seu actus liber, etiam vt emanat à voluntate, reducatur in Deum, tanquam in priorem causam per se efficientem, relinquitur, quòd voluntas creata dici nó possit prima causa, vel prima radix suæ determinationis.

Tertiò probatur. Sicut voluntas creata non est simpliciter primum se mouens, ita non est simpliciter primum se determinans, vt constat ex dictis

disputatione

disputatione vigesimasecunda, & vigesimatertia: alias esset simpliciter primum deliberans, & primum libecum; si eius determinatio in aliam priorem causam efficientem non reduceretur: ergo non est prima causa suæ determinationis. Respondent, esse magnam differentiam inter libertatem Dei, & libertatem creatæ voluntatis: Deus enim non solùm est liber, sed etiam est per se, & essentialiter liber; & vsum libertatis habet non solùm absque dependentia ab alio, sed etiam absque vlla potentialitate, compositione, aut imperfectione, & ideo infinitam perfectionem ad illum modum libertatis requirit. quæ propterea secundum illum modum nulli creaturæ communicabilis est. Participatio autem eius libertatis, & indifferentiæ cum vero dominio sui actus communicari potest creaturæ, absque infinita perfectione; atque adeò, vt potentia ex se indifferens vnum actum determinate efficiat potius, quam alium, non ex determinatione alterius, sed sua sponte, & intrinseca vi; quamuis non sine concursu alterius non requirit infinitam perfectionem. Quapropter non sequitur, voluntatem liberam sic operantem, vel primò se determinantem, esse primum liberum, nisi in hac voce sit magna æquivocatio. Nam primum liberum proprie dicitur, quod est per essentiam liberum; vel quod libertatem habet prorsus ab alio independentem: neutrum autem horum conuenit voluntati creatæ, cùm non habeat libertatem, nisi participatam à libertate Dei, & ab eadem in suis determinationibus pendentem. Si autem primum liberum dicatur illud agens, a quo in suo genere primò est determinatio libera, sic verum est, omnem voluntatem liberam posse in suo genere dici primam radicem suæ determinationis: quia scilicet sine illa fieri non potest, nec aliter, quàm ex intrinseca, & libera applicatione eius. Addunt, hanc esse impropriissimam acceptionem huius vocis, & ideo illa vtendum non esse, nec voluntati creatæ attribuendam. Sed contrà hoc est: nam, vt arguit sanctus Thomas in secundo sententiarum, dist. 37. quæst. 1. articulo 2. quamuis per hanc responsionem euitaretur, quòd voluntas nostra non esset primum ens simpliciter, non tamen posset euitari, quin esset primum agens, si eius actio, & determinatio in aliquod prius agens non reduceretur, tanquam in causam efficientem.

V. Solutio. Libertatis increatæ, & creatæ differentia.

Cõfutatio.

Præterea ex eadem solutione desumitur efficax argumentum contra auctores oppositæ sententiæ: nam qua ratione voluntas creata impropriissimè dicitur primum liberum, eadem etiam debet dici impropriissime prima causa suæ determinationis; ac per consequens, non est hac voce vtendum, nec voluntati creatæ attribuenda. Sed dicunt, hanc vocem non esse simpliciter voluntati creatæ attribuendam, nisi in actibus malis: in bonis autem, præsertim supernaturalibus, non posse nos simpliciter ita loqui: quia licet in tali determinatione libera voluntas suas partes habeat, tamen primum initium eius non est ab ipsa, sed ex Deo, qui eam præparat, & adiuuat, vt se determinet. Sed contra hoc est: nam ii auctores huius solutionis intelligant, primum initiū determinationis liberæ non esse efficienter ab ipsa voluntate, sed ex Deo; tenentur consequenter nobiscum fateri, talem determinationem non esse reducendam, tanquam in primam causam efficientem, in voluntatem creatam, sed in solum Deum, qui per auxilium gratiæ adiuuantis verè efficienter, & efficaciter facit, vt se determinet. Si autem intelligant, primum initium suæ determinationis esse à Deo solùm moraliter, quatenus per gratiam excitantem alliciendo, inuitando, & suadendo, mouet voluntatem ad consensum; videtur sequi, voluntatem creatam cum omni proprietate dicendam esse primam causam efficientem physicam suæ determinationis: neque esse addendam in eadem locutione illam particulam, *in suo genere*, *vel quodammodo*, sed absolute licere fateri, quòd, licet voluntas creata rationem primi principij non habeat, vere tamen est prima causa suæ determinationis: quod tamen nec ipsi auctores solutionis, quam impugnamus, concedunt.

Secunda conclusio. Negari non potest, Deum concurrere efficienter ad determinationem, qua voluntas creata se determinat. Hanc cõclusionem probant à fortiori argumenta facta pro conclusione præcedenti: nam alias sequeretur, illam determinationem solùm esse tribuendam creatæ voluntati, non autem Deo, & consequenter Deus non esset primus auctor, & causa omnium entium, quæ pertinent ad ordinem naturæ, vel gratiæ. Respondent, eatenus determinationem voluntatis ad actus bonos posse auctori naturæ aliquo modo tribui, quatenus emanat à facultate arbitrij ad ita libere se determinandum ab eodem naturæ auctore collata, cò quòd non sit abusus liberi arbitrij, sicut est determinatio ad actum peccati, & quatenus idem auctor naturæ sæpe ad eam determinationem adiuuat, & inuitat arbitrium peculiaribus suis donis, & auxiliis: simpliciter tamen eandem determinationem ipsi arbitrio esse tribuendam. Sed hæc solutio impugnatione non indiget: nam iuxta illam, voluntatis determinatio ad actus bonos solùm reduceretur in Deum, tanquam in causam, sine qua non, quia videlicet, nisi ipse liberum arbitrium creasset, eius determinatio ad talem, vel talem actionem non extitisset in rerum natura, vel solùm reduceretur in Deum, tanquam in causam moralem, non autem vt in causam efficientem physicam: quod quidem, quàm sit falsum, ex dictis disp. 36. & 86. liquidò constat.

VI.

VII. Solutio.

Determinatio volũtatis qualiter Deo tribuatur.

Cõfutatio.

Præterea: nam libera potentia qua voluntas nostra seipsam potest libere determinare, tribuitur Deo, tanquam primæ causæ efficienti ergo etiam actualis determinatio eiusdem voluntatis erit Deo tribuenda, vt primæ causæ per se efficienti; alias profectò vt arguit sanctus Augustinus, quod est minus perfectum, Deo; id autem, quod est magis perfectum, non Deo, sed libero tribueremus arbitrio: quod tamen pugnat cum verbis Iacobi Apostoli dicentis: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est à Patre luminum*. constat enim actualem determinationem ad bonum esse quid perfectius potentia se determinandi, sicut actus est simpliciter perfectior habitu, vt dicit S. Thom. 1. 2. quæst. 71. art. 3. ad primum, & tertium: & prima parte, quæst. 25. art. 1. ad secundum: quod etiam docet Arist. 9. Metaph. tex. 19. dicens: *Qualibet potentia melior est eius actus*, & nos idem probauimus disputatione præcedenti, numero 12.

Lib. de præd. sanct. 55. c. 2.

Iacobi 1.

Præterea probatur conclusio, destruendo potissimum fundamentum sententiæ contrariæ: ex eo enim probat, Deum etiam simul cum voluntate non efficere determinationem illius: nam alias destrueretur libertas arbitrij, respectu eiusdem determinationis, quæ non esset libera, si Deus simul cum voluntate eam efficeret. Hæc autem ratio supponit falsum: ergo, &c. Minor probatur: nam volitio voluntatis, & quælibet alia pia eius operatio verè est libera, etiam si Deus simul cum eadem voluntate illam operationem efficiat: ergo similiter determinatio voluntatis erit libera etiamsi Deus simul cum voluntate eius determinationem efficiat. Probatur consequentia: quia non magis repugnat libertati, quòd Deus simul cum voluntate eius operationem producat; quàm quòd efficiat eius determinationem simul cum voluntate seipsam determinante. Respondent;

VIII. Determinatio volũtatis qualiter sit libera.

Solutio.

negando cõsequentiam,& assignant rationem discriminis: nam influxus Dei in actionem est immediatus in actionem ipsam,& non in voluntatem, & per voluntatem ab eo motam in actionem: influxus verò Dei,si esset adhibendus ad determinandam voluntatem,esse deberet immediatè in voluntatè, quò volũtas applicaretur,ac moueretur ad consentiẽdũ, seu ad determinandũ se ad consensum:& ideo cõcedendum non est,Deum cõcurrere effectiuè simul cũ voluntate ad eius determinationem,sicut concurrit ad actionem ipsam. Ex dictis tamen in disp.18.22. & 23.manet sufficienter impugnata hæc solutio ostensum est enim,concursum Dei generale tam ad actus ordinis naturalis,quàm supernaturalis esse influxum Dei immediatum in causam,quo eam mouet, applicat,& prædeterminat ad operandum: & per talem influxum, nedum non lædi, sed mirum in modum perfici libertatem arbitrij creati.

Cõfutatio.

IX. AD primum argumentum respondetur, voluntatem creatam in illo priori naturæ,antequam se determinet,esse quidem indeterminatam in actu secundo,seu determinatione,quæ sit formaliter per actum ipsius voluntatis: non tamen est indeterminata præuia determinatione,siue quantùm ad complementum actus primi, quæ sit per auxilium Dei efficax,vt disp.22.ostensum est. Et licet voluntas in illo priori nullam habeat necessitatem absolutam influendi,neque ex suppositione alterius actus producti ab eadem voluntate:habet tamen necessitatem conditionatam influendi, siue ex suppositione voluntatis diuinæ,& auxilij efficacis,vt disp.25 ostensum est,quæ quidem necessitas est necessitas secundum quid,ac propterea non repugnat libertati,vt ex dictis in eadem disputatione constat.

Voluntas prius natura quam se determinet, qualiter intelligatur indeterminata.

Ad confirmationem respondetur,quòd voluntas creata non solùm in suo esse, sed etiam in sua cooperatione,& influxu dependet à Deo,vt a causa prima,per se efficiente,vt dictum est, & patebit amplius disp.96.97.& 98.vbi argumenta,quæ in contrarium solent adduci,dissoluentur. Vnde etiam comparatione suæ determinationis non potest dici prima causa efficiens,sed proxima,& secunda.

Ad secundum argumentum respondetur,liberum arbitrium creatum habere quidem dominium sui actus,non tamen primum,& absolutum dominium, vt disp.117 perspicuum fiet,vbi testimonia S. Aug. & S. Thom.quæ insinuantur in argumento,fiet satis.

X. Ad tertium argumentum respondetur,repugnare quidem potentiæ liberæ, quod determinatio sui actus insit sibi ab alio, eadem potentia mere passiuè se habente: non tamen repugnat potentiæ liberæ, quòd determinatio sui actus sit sibi ab alio,dum tamen ipsa potentia ad determinationem sui actus cõcurrat ex se,hoc est, ex principio intrinseco actiuo non determinato per modum naturæ, vel naturaliter ad vnum, sed retinente veram facultatem ad vtrumlibet, quam retinet liberum arbitrium etiam prædeterminatum à Deo,vt disp.18.n.11.dictum est. Et per hæc respondetur ad auctoritatem inductam S. Thomæ,quæ latius in disp.119.erit explicanda.

Libera potentia quid requirat.

Ad quartum negatur minor: etenim concursus Dei est influxus immediatus in voluntatem,vt disp. 18.& 19.ostensum est.

Ad quintum respondetur, determinationem voluntatis,de qua loquimur,esse ipsam actionem,prout habet rationem influxus,non quidem solius voluntatis, sed voluntatis motæ, & prædeterminatæ per Dei influxum, vt se determinet ad liberè operandum,& cooperetur,vt ex dictis disp.18.& 19.liquidò constat.

Ad confirmationem disp.96.& 97.respondebo ex professo.

A Ad septimum dicendum,quòd,posita actione Dei prædeterminante voluntatem ad consensum,voluntas non potest in sensu composito se non determinare,quamuis absolutè possit,& in sensu diuiso, vt disput. 25. dictum est,& disp. 92.93.& 94.dicetur latius.

DISPVTATIO XC.

Vtrùm auxilium gratiæ, in ratione efficacis auxilij, dependeat ex libero influxu arbitrij creati cum illo,an verò sit efficax secundùm se, & vt venit à Deo antecedenter ad liberam cooperationem eiusdem arbitrij.

HANC difficultatẽ obiter attigimus disp.72 &73.inter disputandum de qualitate diuisionis auxilij gratuiti in auxilium sufficiens,& auxilium efficax:nunc autem est de illa operatiõis disputandum. I.

Quidam recentiores Theologi docent, auxilium gratiæ nõ esse efficax ex se,siue ex sola vi,& virtute intrinseca ipsius auxilij, sed dependenter ex libera cooperatione arbitrij creati cum illo. Ex quo inferunt, liberum nostrum arbitrium pro innata eius libertate efficere posse, vt idem auxilium inuariatum in se ipso manens, fiat efficax, vel inefficax. Probant suam sententiam argumentis in præallegata disp.73. propositis.

Præterea idem probant:quoniam homines instadio huius vitæ constituti, positi sunt in manu consilij sui, vt ad quod voluerint, porrigant manum, vt patet ex illo Ecclesiast.15.' *eus ab initio constituit hominem. & reliquit illum in manu consilij sui,&c.* Sed reuerà non esset constitutus in manu consilij sui,nisi pro sua innata libertate efficere posset, vt auxilium, quod est efficax ad præmouendum, sit inefficax,illi non consentiendo,& vt illud,quod est inefficax, fiat efficax illi consentiendo,strenuéque cum illo cooperando:ergo pro sua libertate id poterit efficere,ac per consequens nullum datur auxilium,quod sit efficax ex natura sua antecedenter,vel independenter à libera cooperatione nostri arbitrij. Probatur consequẽtia:nam si esset efficax ex natura sua,arbitrium nostrum non posset illud reddere inefficax; imò & Deus hoc facere non posset,quia non est in eius potestate naturam, siue essentiam rei immutare; sicut non potest per vllam potentiam fieri, quòd aliquid sit homo,& non sit animal rationale;quoniam animal rationale est ipsamet essentia hominis.

Secundò. Auxilium efficax nihil aliud est, quàm auxilium, actu piam volitionem vel operationem efficiens,vt patet ex ipsa nominis significatione,sed nullum auxilium efficit ex natura sua volitionem, vel piam operationem antecedenter ad liberum influxum, & cooperationem arbitrij nostri cum illo, aliàs liberum arbitrium merè passiuè se haberet,recipiendo piam operationem à solo Deo productam, quod tamen apertè definitioni Concilij Tridentini repugnat,ergo nullum auxilium est efficax ex natura sua,siue independenter ex libera cooperatione arbitrij,ac per consequens solùm erit efficax ab euentu,vel ab effectu,qui simul à liberi arbitrij cooperatione dependet. II.

Conc.Trid. sess. 6. de iust. ca.5. & can. 4.

Tertiò

Digitized by Google

Tertiò arguitur. Nullum auxilium gratiæ est efficax naturaliter; alias naturaliter, & non libere facere hominem cooperari: ergo nec erit efficax ex natura sua. quod enim ex natura sua est tale, naturaliter cẽsetur esse tale: ergo erit efficax accidentaliter, & ab extrinseco, scilicet ex libera cooperatione arbitrij.

Quartò. Auxiliũ gratiæ solùm est efficax, vt subest præscientiæ, & voluntati Dei, qui per tale auxilium, in talibus circumstantiis tali homini collatum, vult illum ad se conuertere: ergo solùm extrinseca denominatione erit efficax. Probatur consequentia: nam præscientia, & voluntas Dei sunt quid extrinsecum ad ipsum auxilium: non ergo est efficax per aliquam realem, & intrinsecam virtutem existentem in ipso auxilio efficaci, quæ nó sit in auxilio sufficiente.

Quintò. Quia tollitur omnino libertas arbitrij, si constituatur auxilium gratiæ efficax ex natura sua, siue ex reali, & intrinseca virtute ipsius auxilij: ergo non est constituendum. Antecedens probatur: nam si est efficax ex natura sua, & ab intrinseco: ergo liberum arbitrium non poterit cum illo non operari: ergo per tale auxilium destruitur facultas arbitrij ad operandum, & non operandum: ac per consequens peribit eius libertas, quæ in facultate ad vtrumlibet consistit.

III. Confirmant suam sententiam omnibus argumentis disput. 23. propositis, quibus probare contendunt, Deum per auxilium efficax non prædeterminare ad modum causæ physicæ voluntatem creatam ad consensum; sed eam omnino indifferentem, atque indeterminatam relinquere, vt si vult, operetur; si non vult, non operetur. Ex hoc enim principio consequitur, nullum auxilium gratiæ esse ex se ipso, & ab intrinseco efficax, sed solùm ab effectu: nam auxilium, quod ex se, & ab intrinseco est efficax: habet vim prædeterminandi physicè liberum arbitrium ad consensum. Huc etiam tendunt argumenta disputatione 18. & 85. proposita, quibus probare nituntur, concursum Dei generalem tam naturalis ordinis, quàm supernaturalis, non esse influxum immediatum in causam secundam, sed in eius effectum, & consequenter, Deum, & liberum arbitrium esse duas causas partiales piæ operarationis, sicut duo trahentes nauim sunt causæ partiales motus nauis. Ex hoc enim sequitur per euidentem consequentiam, auxilium gratiæ non esse efficax ab intrinseco, vel ex natura sua.

IV. Hæc tamen sententia non videtur posse admitti. Vnde contrariam defendunt omnes Thomistæ, & alij Doctores, qui sentiunt, efficaciam auxilij præoperantis gratiæ non esse solùm efficaciam moralem, sed etiam physicam, atque ad modum causæ physicæ, nostrum arbitrium ad libere consentiendum prædeterminare. Sed in modo loquendi non omnes conueniunt. Quidam enim dicunt esse efficax ex se: alij asserunt esse efficax ex natura sua: alij istum loquendi modum impugnant, eo quòd duriusculè sonare videatur; & volunt, quòd dicatur efficax antecedenter ad liberam cooperationem arbitrij, & independenter ab illa. alij denique nullũ modum loquẽdi ex prædictis approbant: & credunt, auxilium gratiæ esse dicendum efficax, non secundùm se, vel ex seipso, aut ex natura sua; sed vt est instrumentum decreti absoluti, & efficacis voluntatis Dei, excluſa scientia media, volentis, quòd liberum arbitrium cooperetur Deo mouenti, & consentiat.

Vt autem sententiam meam circa rem ipsam, & circa prædictos modos loquendi in medium proferam, aduertere oportet, quòd, cùm dicitur auxilium gratiæ efficax ex se, prout venit à Deo: illa particula, ex se, potest accipi dupliciter: primò, vt præscindit à decreto absoluto, & efficaci Dei volentis, vt homo hic, & nunc conuertatur, vel pie operetur: & in hoc sensu nullus Catholicus dixit, auxilium gratiæ esse efficax secundùm se, vel ex seipso: nam lumine naturæ est per se notum, nihil fieri in rerum natura, nisi Deo volente, aut permittente, cum per intellectum, & voluntatem ipse sit causa omnium, quæ quomodolibet habent esse, vt disputatione 26. ostensum est. Secundo modo potest auxilium gratiæ dici efficax ex se, ita vt particula, *ex se*, vel *secundum se*, importet independentiam a libera cooperatione nostri arbitrij. Itaque idem est dicere, auxilium gratiæ esse efficax secundùm se, vel ex seipso, ac si diceretur esse efficax antecedenter, & independenter à libera cooperatione nostri arbitrij: & in hoc sensu intelligunt prædictam propositionem eius assertores, in quo etiam verissima est, vt patebit infra. Similiter etiam, cum asseritur, auxilium gratiæ esse efficax ex natura sua, verbum, *ex naturâ suâ*, potest accipi dupliciter: primò, vt significat idem, quod naturaliter, ac si diceretur, Deum per auxilium efficax facere hominem naturaliter operari: & in hoc sensu illa propositio est falsa, neque intenta ab auctoribus Catholicis, cùm aduersus Lutheranos, & Caluinianos expresse docent, hominem non naturaliter, sed libere cooperari Deo excitanti, & mouenti. Quidam tamen volunt prædictam propositionem defendere, sane intellectam, & pie, quatenus significat naturaliter, siue ex natura sua competere auxilio efficaci, esse medium, quo Deus efficit hominem liberè, atque infallibiliter operari: sicut enim motioni efficaci, qua Deus causas secundas naturales applicat ad operandum naturaliter, competit esse medium; quo ipse Deus efficit causas secundas naturales naturaliter operari, & absque vlla libertatis; ita non reputant inconueniens concedere, quòd ex natura sua, seu naturaliter competat auxilio efficaci diuinæ gratiæ, esse medium, quo Deus efficit, hominem libere cooperari, & consentire vocationi diuinæ: nam ita intrinsecè, & essentialiter auxilium efficax gratiæ facit causas liberas libere operari, sicut concursus Dei generalis facit causas naturales naturaliter operari. Cuius ratio est, quam assignauimus supra: nam concursus Dei facit causas secundas operari, vnamquamque iuxta propriam naturam, vt 1. part. quæstione 19. articulo 8. docet sanctus Thomas. Posset quidem in hoc sensu prædictus modus loquendi tolerari; sed quia valde ambiguus est, nec constat an illud verbum, *ex natura sua*, seu *naturaliter*, in propositione illa determinet verbum, competit, in prælegato modo loquendi expressum, vel subintellectum, ita vt sensus sit competere naturaliter auxilio efficaci, facere hominem operari, & liberè operari: an verò determinet verbum, *operari*, ac si diceretur, Deum per auxilium efficax facere hominem naturaliter operari; ne quis ex ignorantia, vel inaduertentia illam propositionem in hoc secundo sensu, qui hæreticus est, intelligat, vel accipiat; ideo non est eo vtendum, præsertim cùm non desint alia verba, quibus clarissimè, & propriissimè, atque sine vllo periculo ostentionis possit efficacia auxilij præoperantis gratiæ explicari, & defendi, vt ex his, quæ dicentur infrà, constare poterit. Secundò, potest accipi illud verbum, *ex natura sua*, vt significat idem, quod ex reali, & intrinseca virtute, quam habet à solo Deo antecedenter, ad liberam cooperationem arbitrij, etiam præcognitam per scientiam, quam vocant mediã: & in hoc sensu intelligitur illa propositio à Catholicis, qui eam proferũt, qui sensus Catholicus est. Quia verò ille modus loquẽdi, vt dictum est, æquiuocatione non caret, ideo melius erit

alias

Auxilium gratiæ qualiter sit efficax ex se, vel ex natura sua.

aliis verbis infrà designandis, efficaciam auxilij diuinæ gratiæ explicare.

V. Gratiæ efficacis nomẽ quid significet.

Secundò aduertendum est, quòd hoc nomen efficacia, in præsenti disputatione non accipitur pro actuali efficientia, qua auxilium gratiæ simul cum voluntate piam operationem efficit, sed pro reali, & intrinseca virtute, quam ipsum auxilium habet a Deo ad permouendum liberum arbitrium, & efficiendum, vt libere cooperetur, & consentiat: in quo sensu loquutus est S. Aug. de efficacia gratiæ, cùm dixit: Certum est nos facere cùm facimus: sed ille facit, vt faciamus, *præbendo vires efficacissimas voluntati, qui dixit: Faciam, vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis, & operemini.* Vbi per vires efficacissimas virtutem realem, & intrinsecam voluit intelligi, quam à Deo habet auxilium efficax ad efficiendum, vt liberum arbitrium cooperetur Deo. & consentiat: & idem intelligit per adiutorium *potentius, & fortius*: quo verbo etiam vsus est S. Cyril ad explicandam efficaciam gratiæ, vt patet ex verbis illius disp. 71. n. 10. inductis. Quia verò aliqui ex recentioribus Theologis sumunt etiam efficaciam pro actuali efficientia; ad abundantiam doctrinæ, opportunum erit de ipsa efficacia in vtraque significatione pertractare.

Lib. de grat. & lib. arb. c. 16.

Ezech. 36.

Lib de correp. & gratia, cap. 11

Tertiò. Notandum, quòd, cùm auxilium efficax sit influxus Dei immediatus in liberum arbitrium, vt in causam, & cum libero arbitrio in operationem illius, vt constat ex dictis disp. 18. 22. & 23. duplicem inducit effectum: quorum vnus subordinatur alteri, & sequitur ad illum. Primò enim præmouet, & efficit vt liberum arbitrium cooperetur, & consentiat, vt disp. 86. ostensum est, & hoc illi competit, quatenus est influxus Dei immediatus in liberum arbitrium, vt in causam. Secundò producit simul tempore cum ipso arbitrio moto à Deo piam operationem, qui effectus eidem auxilio efficaci tribuitur, quatenus est influxus cum libero arbitrio in operationem, quæ ab vtroque dependet.

Quartò. Notandum, quòd, vt fatentur auctores oppositæ sententiæ, dependentia, proprie loquendo, in causis efficientibus importat quandam subordinationem, & inferioritatem eius, qui dependet ab illo, à quo dependet. Vnde, quamuis prima causa operans ad extra, mediis causis secundis, non producat earum effectus sine influxu, & cooperatione causarum secundarum; nihilominùs operatio diuina in productione talium effectuum, proprie loquendo, non pendet a cooperatione, & influxu causarum secundarum, sed potiùs è conuerso ipsa cooperatio, & influxus cuiuslibet causæ secundæ pendet ab operatione Dei, vt disp. 86. dictum est, & patebit amplius disp. 96. & 97. Tota ergo dependentia attribuenda est causæ secundæ cõparatione primæ, à qua in suo esse, & in suo influxu, & cooperatione dependet, & similiter piæ operationi, quæ à libero arbitrio, vt à causa proxima, & à Deo, vt à prima causa per se efficiente, dependet.

VI. Gratiæ efficacia non pendet ex lib. cooperatione arbitrij.

PRima ergo conclusio sit. Si loquamur de efficacia auxilij diuinæ gratiæ in prima, & propria significatione, quatenus videlicet importat realem, & intrinsecam virtutem auxilij, per quod Deus efficit, vt liberum arbitrium cooperetur, & consentiat; dicendum est, eiusmodi efficaciam non pendere ex libera cooperatione arbitrij, sed illam præuenire ordine rationis, & causalitatis. Hæc conclusio facilè probari potest ex dictis in disputationibus præcedentibus: nam auxilium efficax est influxus Dei immediatus in liberum arbitrium, vt in causam, vt disp. 18. ostensum & Deus per idem auxilium applicat, & physicè prædeterminat ipsum arbitrium ad cooperandum, & consentiendum, vt ex disp. 22. & 23. constat, & patebit amplius disputatione 91. ergo eius efficacia non dependet ex influxu, & cooperatione arbitrij.

Secundò. Id, quod est prius, non dependet a posteriori, sed efficacia gratiæ est prior cooperatione arbitrij, cùm gratia efficax, siue adiuuans, inquantum adiuuans, & cooperans, sit præueniens, vt disp 82. ostensum est, influxus autem & libera cooperatio arbitrij est posterior, cùm sit effectus eiusdem efficacis auxilij, vt constat ex dictis disp. 86. & ex iis, quæ dicentur disp. 96. & 97. ergo efficacia auxilij præuenientis gratiæ non pendet ex libera cooperatione arbitrij.

Tertiò. Collatio efficacis auxilij est adæquata causa faciens, quòd liberum arbitrium cooperetur, vt disput. 100. patebit: ergo efficacia eiusdem auxilij non dependet ex libero influxu, & cooperatione ipsius arbitrij. Probatur consequentia nam efficacia causæ non dependet ab eius effectu, sed potiùs è conuerso, effectus dependet ex virtute, & efficacia suæ causæ. sicut efficacia, quam habet ignis ad calefaciendum, non dependet ex calefactione, vel calore producto, sed è contrà ipsa calefactio, & calor productus pendet ex virtute intrinseca, & efficacia ignis.

Quartò. Auxilium, quod in sua efficacia pendet ex libero influxu, & cooperatione arbitrij cum illo, solùm est efficax ab effectu: sed auxilium gratiæ adiuuantis non est solùm efficax ab effectu, sed ex reali virtute, quam habet, vt venit à Deo, antecedenter ad eandem cooperationem arbitrij, vt disp. 73. ostensum est: ergo auxilium efficax, qua efficax est, non dependet ex libero influxu, & cooperatione arbitrij creati cum illo.

VII. Secunda conclusio. Si efficacia auxilij diuinæ gratiæ accipiatur pro eius efficientia, qua efficit, vt liberum arbitrium influat cum ipsa gratia, & cooperetur; talis efficacia, seu efficientia non dependet ex libero influxu, & cooperatione eiusdem arbitrij. Probatur hæc conclusio rationibus factis pro conclusione præcedenti. Præterea probatur, quia sola gratia efficit in nobis hunc effectum: licet enim homo liberè velit, solus tamen Deus est, qui tribuit vires efficacissimas voluntati, & per gratiæ auxilium efficit, vt cooperetur, & velit, sicut in disp. 86. ostensum est, & patebit amplius disp. 100. ergo huiusmodi efficientia gratiæ præintelligitur ante liberam cooperationem arbitrij, ac per consequens non dependet ab illa.

Gratiæ actualis efficientia nõ est sine libera cooperatione arbitrij, non tamen dependet ab illa.

Tertia conclusio. Si efficacia auxilij gratuiti accipiatur pro efficientia actuali, qua nobiscum efficit ipsum velle, seu piam operationem: talis efficacia, seu efficientia non est sine libera cooperatione arbitrij: non tamen dependet ab illa proprie loquendo. Primam partem huius conclusionis indubitanter recipiunt auctores vtriusque sententiæ, & ratio euidens est: nam alias liberum arbitrium mere passiuè se haberet, recipiendo piam operationem à sola gratia productam, quod definitioni Concilij Tridentini repugnat. Secundam verò partem auctores primæ sententiæ non admittunt: sed probatur rationibus factis pro prima conclusione, & ex his, quæ in fundamento quarto dicta sunt: nam dependentia in causis efficientibus importat quandam subordinationem, & inferioritatem eius, qui dependet ab illo, à quo dependet: sed efficacia gratiæ, etiamsi pro ipsa efficientia gratiæ accipiatur, non est inferior ad cooperationem arbitrij, nec subijcitur illi, sed potiùs ipsa gratia efficax subijcit humanam voluntatem, & eam sibi obsequentem facit vt disp 87. ostensum est: ergo efficacia gratiæ, & eius efficientia non dependet à libera cooperatione arbitrij.

VIII. Præterea probatur: quoniam alias esset in potestate nostri arbitrij, auxilia gratiæ reddere efficacia, cooperando

Lib. arb nõ reddit efficacia auxilia diuinæ gratiæ.

cooperando cum illis; vel inefficacia, continendo
A conſenſum: quod tamen eſt impoſſibile, vt diſp. 73.
oſtenſum eſt, & oſtendetur amplius diſp. 108. Confirmatur: nam ſequeretur ex oppoſita ſententia, quòd auxilia efficacia ſolùm haberent à Deo vim, qua poſſint actualiter efficere: actualem autem efficiétiam mendicarét à libero arbitrio actualiter efficiente, ſi per illius influxum, & cooperationem efficitur efficax auxilium gratiæ, quod ſecúdùm ſe non erat efficax, ac per conſequens noſtrum arbitrium tribueret auxiliis gratiæ efficaciam, quam habent.

Solutio.

Reſpondent, quod, quando aſſeritur, conſenſum noſtrum efficacia reddere auxilia gratiæ, non ita id intelligendum eſt, quaſi arbitrium noſtrum vim aliquam, aut efficacitatem tribuat auxiliis ipſis: nam
B potiùs auxilia vim & propenſionẽ arbitrio tribuunt ad conſenſum eliciendum, arbitriũ ipſum ad id inuitando, alliciendo, atque adiuuando. Sed in hoc ſenſu, inquiunt, id dicimus, quòd, cùm auxilium eſſe efficax, non aliud ſit, quàm momento, & inuitatione ſua, quam naturæ neceſſitate, quatenus gratia præueniens eſt, habet, permouere arbitrium ad conſentiendum, ſeu cooperandum, ſecum ad contritionem, aut actum alium, ad quem præueniens gratia inuitat; permouere autem arbitrium, vt conſentiat, ſeu cooperetur cum gratia præueniente ad contritionem, ab innata arbitrij libertate pendeat, qua talem conſenſum, & cooperationem elicere vult, aut non vult; vtique quod auxilium gratiæ præuenientis efficax
C ſit, hoc eſt, effectum illum habeat, ad quem arbitrium inuitat; ab ipſo arbitrio libere conſentiente, & cooperante ſecum pendet, tanquam à parte cauſæ, quæ ſecum producere debet talem effectum, comparatione cuius ſi producatur, dicitur auxilium efficax; ſi verò non producatur, quia arbitrium non vult conſentire, & cooperari, dicitur inefficax. Ex quo inferunt, quòd, arbitrium priùs natura motum, & excitatum per auxilium gratiæ præuenientis, conſentire libere, & cooperari cum eodem auxilio, non ſit efficacitatẽ illi tribuere, ſed adhibere conditionem, ſine qua tale auxilium non habebit rationem efficacis per comparationem ad talem effectum; neque rationem gratiæ coadiuuantis arbitrium ad contritionem per nouum eiuſdem auxilij influxum in contritionem, quo eam cum arbitrio cooperetur; eò quòd deſit libera cooperatio arbitrij ſecum concurrentis ad eandem contritionem. Itaque iuxta hanc ſolutionem, quamuis tota ſupernaturalis efficacia, & efficientia ſit ab auxilio gratiæ, nihilominus talis efficacia, vel efficientia pendet ex libera cooperatione arbitrij, vt a conditione ſine qua non haberet rationem efficacis per comparationem ad talem effectũ.

IX. Cõfutatio

In hac tamen ſolutione multa inuoluuntur, quæ ſuperius ſatis ſunt impugnata, & in ſequentibus etiam impugnabuntur. In primis namque falſum eſt id, quod aſſerit, quòd auxilium eſſe efficax nihil aliud ſit, quàm effectum illum habere, ad quem arbitrium allicit, & inuitat. Iam quippe oſtenſum eſt ſuprà, auxilium præoperantis gratiæ potiſſime eſſe, & dici efficax à reali, & intrinſeca virtute, per quam Deus efficit ad modum cauſæ phyſicæ, vt liberum arbitrium cooperetur, illud ad talem cooperationem prædeterminando. Falſum eſt etiam id, quod aſſerũt, nempe efficacitatem auxilij pendere, vt à conditione, ſine qua nõ, ex libera cooperatione arbitrij. Nam conditio, ſine qua non, antecedit, ſaltem in ſigno rationis, effectum illum, qui ab ea dependet, ſed libera cooperatio arbitrij non antecedit, etiam in ſigno rationis, efficaciam gratiæ, ſed potius è conuerſo efficacia gratiæ ordine naturæ, & cauſalitatis præcedit liberam cooperationem arbitrij, cùm auxilium efficax, quatenus efficax, & adiuuans, ſit præueniens,
vt diſputat. 82. & 89. oſtenſum eſt: ergo impoſſibile
A eſt, quòd efficacia gratiæ pendeat, etiam vt a conditione, ſine qua non, ex libera cooperatione arbitrij. Confirmatur primò: nam ſi cooperatio arbitrij eſt conditio, ſine qua gratia actualis non eſſet efficax; ergo talis cooperatio, ſeu influxus arbitrij præcedit ordine naturæ efficacitatem gratiæ, ſicut applicatio ignis præcedit actionem, qua ignis combuſſit lignũ; ergo cooperatio, ſeu cõſenſus arbitrij non eget efficacitate gratiæ, quidem præintelligitur ante illam. Ex quo rurſus ſequitur, quòd gratia efficax, inquantùm efficax, ſit ſubſequens ad influxum, & cooperationem arbitrij, quod tamen non poteſt admitti.

X. Prædeſtinatio non dependet ex libera cooperatione arbitrij.

Confirmatur ſecundò. Nam alias ſequeretur, di-
B uinam prædeſtinationem, qua per hæc, & illa auxilia homines ad vitam æternam efficaciter ordinantur, pendere ex libera cooperatione arbitrij illorum, vt a conditione, ſine qua non, haberet rationem prædeſtinationis, comparatione talium hominum, ſed retineret ſolùm rationem communis prouidentiæ ſupernaturalis: conſequens autem eſt expreſsè contra doctrinam ſancti Auguſtini, vt diſput. 37. oſtenſum eſt. ergo. Sequela probatur: nam prædeſtinatio includit auxilia efficacia, eò quòd prædeſtinatio, vt ex Auguſtino diximus ſuprà, eſt præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicunque liberantur: ergo ſi efficacia eorundem auxiliorum pendet, vt à conditione, ſine qua non, ex libera cooperatione arbitrij cum illis; ſequitur, diuinam prædeſtinationem ab eadem cooperatione libera pendere, tanquam à conditione, ſine qua non.

Diſput. 55.

XI. Homo qualiter dicatur conſtitutus in manu conſilij ſui.

AD primum argumentum reſpondetur, quòd homo non ex eo dicitur conſtitutus in manu conſilij ſui, quia poſſit reddere efficax auxilium, quod alias eſſet inefficax; ſed quia habet electionem ſui actus, & poteſt operari, & non operari. Licet enim ex ſuppoſitione, quòd moueatur efficaciter a Deo ad conſenſum, non poſſit in ſenſu compoſito non conſentire, vt probatum eſt diſp. 25. abſolutè tamen & in ſenſu diuiſo ſemper poteſt diſſentire, ſi velit, de quo latius erit agendum diſp. 92. 93. & 94. Videantur etiã ea eandem auctoritatem, quæ diſp. 21. n. 11. & diſp. 23. num. 44. dicta ſunt.

Ad ſecundum reſpondetur, quòd auxilium gratiæ
D eſſe efficax, non eſt ſolùm piam operationem efficere, ſed liberum arbitrium ad cooperandum, & conſentiendum phyſicè prædeterminare, efficiendo, vt actu concurrat cum ipſa gratia, & hoc efficit priùs in ſigno rationis, quam liberum arbitrium cooperetur, vt dictum eſt. Secundò reſpondetur, quòd etiam ſumendo efficaciam pro actuali efficientia auxilij, adhuc non dependet à libera cooperatione arbitrij, quia licèt ſit in eodem inſtanti temporis cum illa: eam tamen ordine rationis, & cauſalitatis præcedit, non quidem efficiendo conſenſum ſine libera cooperatione arbitrij, ſed applicando ipſum arbitrium, vt liberè cooperetur, &
F influat in conſenſum.

Ad tertium argumentum patet ſolutio per ea, quæ ſuperiùs dicta ſunt.

XII. Auxilium efficax, vt ſub eſt decreto Dei volentis hominem cõuertere, addit nouam virtutem ſuper auxilium ſufficiens.

Ad quartum reſpondetur, quòd auxilium gratiæ eſt quidẽ efficax, vt ſubeſt decreto abſoluto, & efficaci Dei volentis, antecedenter ad omnem præſcientiã futuræ cooperationis arbitrij noſtri, hominem, cuius cor mouet, ad ſe conuertere. Sit licèt illud decretum, vt importat formaliter actum diuinæ voluntatis, ſit quid extrinſecum auxilio efficaci; vt tamen importat effectum illius decreti, nõ eſt extrinſecum eidem auxilio: nam, vt ex præmiſſis diſputatione 19. 31. 32. & 74. conſtat, ponit in illo virtutem quandam intentionalem Dei, ſicut eſt virtus artis in inſtrumento artificis, dum ab eo mouetur; quæ quidem

quidem virtus deficere non poteſt, aut per humanam voluntatem impediri, ne effectus, quem Deus, per illud auxilium efficere intendit, ſubſequatur, nedum quátùm ad ſubſtantiam, ſed etiam quantum ad modum libertatis, voluntati creatæ congruentem.

Ad quintum negatur antecedens. Ad probationẽ reſpõdetur, quòd vt diſp. 25. oſtẽſum eſt, & dicetur latiùs diſp 92. & 93. ille, qui mouetur a Deo auxilio efficaci, poteſt quidem, abſolute loquendo, & in ſenſu diuiſo diſſentire, & non operari, quamuis ſecundùm quid, & in ſenſu compoſito diſſentire non poſſit, aut non operari. Ad libertatem autem noſtri liberi arbitrij ſufficit, quòd abſolute loquendo, & in ſenſu diuiſo poſſit non operari, nec requiritur, quòd in ſenſu compoſito poſſit non operari, de quo plura dicenda erunt diſp 115. 116. & 121.

Ad confirmationem ſam in diſputationibus ibidem allegatis ſufficienter, vt arbitror, ſatisfactum eſt.

DISPVTATIO XCI.

Vtrùm Deus per auxilium efficax præoperãtis gratiæ ad modum cauſæ phyſicæ, id eſt, verè efficienter, prædeterminet liberum arbitrium ad conſenſum.

I. QVAMVIS, dum ageretur in genere de concurſu Dei generali, præſens difficultas ſatis diffusè agitata fuerit diſp. 22. & duabus ſequẽtibus, & præterea diſp 71. 83. & 90. vbi quædam de auxiliis gratiæ prædeterminantibus liberum arbitrium ad conſenſum breuiter attigimus; ad maiorem tamen explicationem doctrinæ vtilis eſt, poſt tot determinatas quæſtiones, quæ huic non modicam lucem afferre poſſunt, propoſitam difficultatem de auxilijs gratiæ ſpecialiter pertractare. Ad cuius euidentiam conſiderandum eſt, quòd, vt diſp. 23. præmiſimus, duplex eſt determinatio, alia moralis, alia phyſica, hoc ad modum cauſæ phyſicæ. Moralis prædeterminatio eſt illa, quæ fit ſuationibus, quibus exteriùs, vel interiùs voluntas humana inuitatur, allicitur, & ex parte obiecti inclinatur, vt bonum ſibi propoſitum, tanquam conueniens, proſequatur. Hæc autem prædeterminatio, vt auctores, cum quibus diſputamus, fatentur non poteſt eſſe tam perfecta, vt certò, & infallibiliter illum inducat effectum, ad quem prædeterminat voluntatem, niſi certitudine morali, cui, abſolutè loquendo, non repugnat ſubeſſe fallum. Et ratio huius eſt: nam, vt ſupra ex ſancto Auguſtino, & ſancto Thoma dicebamus, ſuatio non cogit inuitum, nec efficit ex nolente volentem. Vnde etiã ſuppoſita quacunque ſuatione, vel prædeterminatione morali ad vnum actum, adhuc poteſt voluntas etiam in ſenſu compoſito operari oppoſitum, aut nõ operari. Prædeterminatio phyſica, ſiue ad modum cauſæ phyſicæ, illa dicitur, qua Deus non ſolum moraliter ſuadendo, allíciendo, inuitando, ſed etiam verè efficienter facit, vt noſtrum liberum arbitrium liberè ſe determinet, & cooperetur. Vnde in hoc differunt prædeterminatio moralis, & phyſica: nam illa ſolum moraliter facit, vt faciamus, ſicut qui rogat, ſuadet, vel conſilit: hæc verò id efficit phyſicè, ſeu verè efficienter, vt diſputatione 89. oſtenſum eſt. Ex hac differentia ſequitur alia: nam prædeterminatio moralis non inducit infallibiliter effectum, ad quem mouet, prædeterminatio autem phyſica illum infallibiliter inducit: nam eſt vera cauſa efficiẽs illius; cauſa autem, vt Ariſtoteles ait, eſt, ad quam ſequitur effectus. Tertia differentia eſt: nam prædeterminatio moralis non eſt ſimpliciter, & abſolutè prædeterminatio, ſed ſecundùm quid; ſicut efficientia moralis eſt ſecundum quid efficientia, vt ex ſupradictis patet: prædeterminatio autem phyſica eſt ſimpliciter, & abſolutè prædeterminatio, ſicut efficientia phyſica eſt abſque vllo addito diminuente vera, & realis efficientia.

Determinatio moralis, & phyſica qualiter differant.

Prædeterminatio moralis, & phyſica in quo differant.

Per hanc doctrinam excluſa manet illorum ſententia, qui dicunt, in hoc potiſſimè differre prædeterminationem moralem a prædeterminatione phyſica, quòd moralis prædeterminatio relinquit potentiam ad oppoſitum, etiam in ſenſu compoſito: & propterea, etiamſi præueniat, ſeu antecedat vſum liberum, non impedit libertatem: prædeterminatio autem phyſica non relinquit potentiam ad oppoſitum, compoſitione facta, quæ cùm ſit ex ſuppoſitione prorſus antecedente, & cauſa rei, libertati repugnat. Hæc enim differentia impugnata eſt diſputatione decimaoctaua & vigeſimatertia, vbi oſtenſum eſt, prædeterminationem phyſicam ad vnum actum non tollere potentiam eiuſdem arbitrij ad oppoſitum; ſed ſolum efficere, quòd, cùm poſſit homo ex ſua innata libertate diſſentire, ſi velit, non diſſentiat; ſed libere, & infallibiliter conſentiat.

II. Prima ergo ſententia dicit primò, nullam prædeterminationem etiam moralem eſſe ad liberum conſenſum, ſeu ſupernaturalem actum efficiendum neceſſariam. Dicit ſecundò, prædeterminationem phyſicam, nedum non eſſe neceſſariam ad actus bonos etiam ſupernaturalis ordinis; ſed neque compoſſibilem cum eorum libertate; ac per conſequens, Deum per auxilium efficax gratiæ non prædeterminare phyſicè liberum arbitrium ad ptam operationẽ.

Primum ar. gum. orũ.

Probant hoc. Primò, quoniã alias nulla gratia excitans, quæ non efficeret in homine hanc moralem determinationem, eſſet in ſuo ordine auxilium ſufficiens ad conuerſionem, vel actum ſupernaturalem efficiendum. Sequela patet, quia illa gratia excitans dicitur ſufficiens, quæ in ſuo ordine ſatis eſt ad effectum, ad quem ſufficere dicitur: hoc enim ipſa vox ſufficientis ſignificat. Si ergo maior excitatio neceſſaria eſt illa, quæ minor fuerit, non poterit vere appellari auxilium ſufficiens in ratione gratiæ excitantis. Conſtat autem, cæteris paribus, ſeu reſpectu eiuſdem, maiorem, ſeu vehementiorem excitationẽ requiri ad determinandam moraliter voluntatem, quam ad mouendam, & inclinandam illam abſque tali determinatione: ergo ſi excitatio moraliter determinans neceſſaria eſt, omnis alia minor, quæ non fuerit ſufficiens ad prædeterminandam moraliter voluntatem, non erit etiam ſufficiens ad conuerſionem eius: conſequens autem eſt plane fallum alioquin, vel nullus, vel certe pauciſſimi ex his, qui ſufficienter excitantur, vt credant vel pœnitẽtia agant, repugnarent vocationi: vel e contrario, moraliter loquendo, ſi in ſecundum id, quod frequentius accidit, omnes, qui de facto non credunt, vel non conſentiunt, quando vocantur, non ſufficienter vocantur; quod nullus Catholicus audebit concedere: quia alias pauciſſimi aut fere nullus peccarent, non credendo, aut pœnitentiam non agendo, vt conſtat ex ſuperiùs dictis de gratia ſufficiente.

Confirmatur. Voluntas moraliter prædeterminata ad conſenſum, aut nunquam, aut vix, & raro diſſentit, quamuis poſſit: ergo poſita hac prædeterminatione, etiam reſpectu actuum ſupernaturalium, regulariter aut fere ſemper fiunt: ergo, ſi illa eſt ſimpliciter neceſſaria ad ſupernaturalem actum, cum regulariter

gulariter homines illam non habeant, neque habere possint, regulariter etiam non habebunt auxilium sufficiens.

Secundò. Voluntas ex se, vt liberè operetur actus naturales, non indiget illa morali determinatione antecedente, neque absoluta, neque morali necessitate: ergo neque in actibus supernaturalibus illa indigebit. Antecedens constat tum experientia: quia frequentiùs homo operatur cum morali indifferentia, & ad summum intercedit illa moralis determinatio, quando ex habitu, vel ex vehementi affectu concupiscentiæ, aut timoris, aut ex clara notitia, seu forti iudicio obiecti prosequendi, operatur: tum etiam ratione, quia, proposito obiecto sub ratione sufficiente, vt in eum feratur voluntas, est in homine proxima potentia physica, vt per voluntatem in id feratur, quæ potentia non est aliunde impedita, vt supponitur: ergo, licèt non sit ampliùs determinata nec physicè, nec moraliter, potest & physicè, & moraliter operari, vel non operari, & eligere hoc medium, vel illud.

Tertio. Diuina voluntas eligit hunc hominem ad gloriam potiùs, quam illum, vel creationem huius mundi potiùs, quàm alterius, non ex prædeterminatione aliqua physica, vel morali, sed ex sua libertate: ergo etiam poterit voluntas nostra, absque tali prædeterminatione operari per participatam libertatem suam. Si dicatur, eiusmodi prædeterminationem esse necessariam, non quidem simpliciter, sed regulariter loquendo: contra hoc arguitur

III. Quartò. Absque omni prædeterminatione physica, vel morali concurrere possunt omnes causæ physicæ necessariæ ad talem actū, tum ex parte obiecti, & intellectus, tum ex parte Dei excitantis sufficienter, & suum adiutorium offerentis; & nullū ex necessitate interuenit impedimentum, quod voluntati obsit, aut difficultatem magnam ingerat, ne libertate sua moraliter vti possit, & sese coniungere cæteris causis ad supernaturalem actum eliciendum: ergo per se loquendo, non est, cur moralis hæc determi...tio necessaria sit, etiam moraliter, & regulariter loquendo, quamuis per accidens sit necessaria in aliquo subiecto ob eius maximam indispositionem, vt in hominibus obduratis.

Quintò. Probant specialiter, prædictum auxilium efficax physicè prædeterminans non esse necessarium ad consensum liberum, & supernaturalem præstandum: nam auxilium, quod dicitur sufficiens, est verè, & realiter ad hoc sufficiens, si liberum arbitrium cum diuina gratia cooperari velit: ergo aliud non est simpliciter necessarium. Vel è contrario, si huiusmodi auxilium hoc sensu efficax, vt physicè, & ex se nostram voluntatem prædeterminet, sit simpliciter necessarium ad supernaturalem actum humanum, seu ad liberum consensum supernaturalem; sequitur, eos, qui non conuertuntur, non habere sufficiens auxilium, vt conuertantur, seu vt conuerti possint. Probatur consequentia: quia auxilium sufficiens includit aliquo modo, quidquid est necessarium ad effectum, ad quem dicitur sufficiens: sed auxilium datum ei, qui non conuertitur, nullo modo includit motionem physicè, & efficaciter prædeterminantem liberum arb. ergo si hæc præmotio physica est necessaria, illud auxilium non est sufficiens.

Confirmatur: quia Lutherani, & Caluiniani videntes, per consequentiam irrefragabilem tolli sufficientem gratiam, si asseratur, auxilium gratiæ physicè prædeterminans, esse necessarium ad consentiendum vocationi diuinæ, cùm ipsi ex alia parte auxilium efficax constituant in simili motione, ac determinatione voluntatis humanæ à diuina, consequenter negant, relinqui auxiliū sufficiēs pro his, quibus non datur auxilium efficax. Nam, quomodo, inquiunt, sufficiens esse potest, cui aliquid necessarium deest? Ita referunt Catholici auctores, qui his temporibus contra eos scripserunt, qui eos non impugnant, eò quòd malè inferant, sed eò quòd hæreticum dogma ex falso principio inferant: neque putant, se posse illis satisfacere, illationem inficiando, sed negando, auxilium efficax physicè prædeterminans esse ad conuersionem, vel piam operationem necessariū. Si dicatur, huiusmodi auxilium non esse necessarium, vt homo possit conuerti, sed vt de facto conuertatur: plura enim requiruntur, vt quis actu operetur, quàm vt operari possit, sicut ex supradictis constat; contra hoc est

Solutio.

IV. Impugnatio.

Sextum argumentum: quia, vel hoc auxilium efficax est necessarium per modum principij, aut per modum concursus immediati in ipsum actum. Si dicatur primum, vt necessariò dicere debent auctores oppositæ sententiæ, quia non ponunt, hoc auxilium esse immediatè in effectum, seu actum, sed in causam, id est, in voluntatem, vt eliciat actum: si hoc, inquam, dicatur, sequitur, hoc auxilium esse necessarium ad posse velle, & non tantum ad velle, quia sine illo nondum est constitutum sufficiens principium, nec sufficiens potentia ad agendum; ac per consequens implicat intelligere sufficiēs auxilium sine efficaci auxilio: sufficiens enim dicitur illud principium comparatione alicuius effectus, vltra quod nō requiritur aliud principium actiuum. Si verò hoc auxilium efficax dicatur tantùm necessarium per modum concursus, verum quidem est, tale auxilium, vt actu collatum, & exhibitum, esse necessarium ad agendum, vel volendum, & non ad posse; quia tale auxilium hoc modo consideratum, non est aliud, quàm nostra actio, vt manans à Deo. Nihilominùs tamen, vt homo ante exhibitum hoc auxilium in actu secundo sit simpliciter potens, & habeat auxilium sufficiens, ad talem actum eliciendum, necessarium est, vt habeat illud auxilium ita præparatum, seu oblatum ex parte Dei, vt sit in manu, & potestate hominis habere illud, si voluerit. Item etiam auxilium, quod datur per modum concursus, non est influxus in potentiam, sed in effectum: ergo non potest eam physicè ad consentiendum prædeterminare.

Septimò arguitur contra eandem prædeterminationem: quia, licèt gratis demus, aliquid esse necessarium ad actionem, quod non est necessarium ad potentiam, quod quidem est verum in concursu actuali, non in actu primo; tamen ad potētiam simpliciter, scilicet proximè expeditam ad agendum, cum omnibus prærequisitis, necessarium est, vt homo, saltem in actu primo, seu in potestate sua habeat quidquid ad actionem est necessarium: quia aliàs potentia non erit proxima, & præsertim moralis, sed tantùm remota, & insufficiens: ergo, si auxilium efficax est necessarium ad velle, oportet, vt saltem sit in potestate hominis habere illud: alioquin nullo modo dici potest homo habere auxilium sufficiens, & moralem potentiam ad eliciendos hos actus: & consequenter nec voluntati eius poterit attribui, quod illos non eliciat.

V.

Octauò probatur, quòd non sit possibilis, vel saltem non detur de facto alicui huiusmodi gratia physicè prædeterminans: nam omnis gratia actualis, vel est excitans, vel adiuuans; operans, vel cooperās; sed nulla gratia ex istis physicè prædeterminat voluntatem ad liberum consensum: ergo nedum non est necessaria talis gratia, sed nec possibilis. Maior patet ex his, quæ disputatione 7o. circa diuisionem auxiliorum gratiæ dicta sunt. Minor, quòd

Digitized by Google

attinet ad gratiam excitantem, est apud auctores vtriusque sententiæ manifestum: nam gratia excitans, vt suprà visum est, non mouet hominem ad consensum, nisi vel illuminãdo intellectum, qua ex parte tota hæc motio reducitur ad obiectum; vel afficiendo, aut terrendo affectum per imperfectos, quosdam, & indeliberatos motus timoris, affectionis, vel gaudij: sed neuter ex his modis mouendi voluntatem sufficiens est ad illam physicè determinandam: ergo gratia excitans non determinat physicè voluntatem. Minor, quoad priorem partem, per se constat, quia extra visionem beatificam, nullum particulare obiectum determinat voluntatem, præsertim quoad exercitium actus. Quoad alteram verò partem, probatur eadem minor; quia illi motus gratiæ excitantis, qui in voluntate oriuntur, seu inspirantur, in suo ordine sunt imperfecti, & simplices quidam affectus, seu velleitates quædam: ergo ex intrinseca illorum vi non potest voluntas physicè determinari ad plenum, & absolutum consensum præstandum: nam voluntas ex vi vnius actus non determinatur ad alium, nisi quando habent inter se necessariam connexionem, vt est inter electionem vnici medij, & efficacem intentionem finis. At verò efficax, & absoluta voluntas non habet huiusmodi connexionem cum simplici, & imperfecta velleitate; immò, si talis connexio necessaria ibi intercederet, cùm motus gratiæ excitantis non sit liber, sed necessarius; etiam consensus, qui cũ illo esset necessariò coniunctus, nó esset liber, sed simpliciter necessarius. Nó est ergo, vnde sola gratia excitans ex se possit volũtatẽ physicè determinare.

Idem probant de gratia operante: nam gratia operans iuxta mentem S. August. nihil aliud est, quàm gratia excitans, vt loca disputat. 81. adducta ostendere videntur: ergo, si gratia excitans non prædeterminat physicè voluntatem ad liberum consensum, nec gratia operans prædeterminabit illã. Quòd autem gratia adiuuans, seu cooperans non prædeterminet physicè eandem voluntatem, probatur: nam gratia hæc, inquantùm est adiuuans & cooperans, non est præueniens liberam determinationem arbitrij, sed pariter cum illo in piam operationem influens: ergo non prædeterminat physicè liberum arbitrium ad consensum. Id enim, quod habet vim physicè prædeterminandi aliquam potentiam ad suam operationem, oportet, quòd immediatè influat in ipsam potentiam, & eius determinationem præueniat.

In confirmationẽ eiusdõ sentẽtiæ proferũt omnia argumenta disp. 22. 23. & 24. propolita, quibus probare nitũtur, Deũ, vt est auctor naturę, neque decreto extrinseco suæ voluntatis; neque auxilio intrinseco, seu motione inhærente prædeterminare physicè voluntatem ad liberos actus bonos suæ naturæ proportionatos, neque ad actum peccati, inquantùm actus est. Ex iis quippe fundamentis deducunt, Deũ, vt est auctor gratiæ, non prædeterminare physicè eandem voluntatem ad supernaturales actus. Et inter alia sæpius inculcant argumentum illud, pluries in superioribus repetitum: nam per physicam prædeterminationẽ tollitur indifferentia, quę est de essentia libertatis, ac per consequẽs de medio tollit ipsã libertatẽ, saltẽ, quantùm ad vsum actualẽ illius.

M Fr. Petrus de Lorca Cõplutensis 1 2. disp. 20. de gratia membro 1. pag. 671.

Secunda sententia est aliorum Theologorũ, qui mediam quandam viam sequuntur. Dicunt enim, quòd Deus efficaci physica motione prædeterminat voluntatem ad aliquos actus supernaturales, videlicet ad actum pium, quod infidelis ad fidem, & peccator ad Deum conuertitur, & similiter vt perseueret vsque in finem, & hac ratione efficit; vt operemur, sẽlua, & illæsa libertate. Quã sententiam A sentiunt esse S. Thomæ, atque indubitatam doctrinam. Addunt tamen, esse possibile, & sæpe contingere, vt auxilium efficax sit aliquod motiuum moraleineũ, & extra à Deo propositum, & eius protectio, & gubernatione: nec esse necessarium, vt semper Deus physica motione præueniat voluntatem, eam efficaciter ad singulos actus supernaturales prædeterminando. Probant suam sententiam sequentibus argumentis. Vnde sit in ordine

Nonum argumentum. Quia nec S. August. nec S. Thom. vnquam docuerunt, voluntatem creatam indigere præuia Dei motione prædeterminante ad omnes actus, nedum naturales, sed neque etiam supernaturales, sed potiùs pluribus, in locis non obscurè insinuant contrariu ergo. Antecedens probatur: nam S. Thom. 1. 2. quæstione nona, articulo sexto ad 3. inquit, *quòd Deus mouet voluntatem hominis, sicut vniuersalis motor ad vniuersale obiectum voluntatis, quod est bonum, & sine hac vniuersali motione homo non potest aliquid velle: sed homo per rationẽ determinat seipsum ad volendum hoc, vel illud quod est verè bonum, vel apparens bonum; quamuis interdum Deus moueat aliquos ad aliquid determinatè volendum, sicut in his, quos mouet per gratiam.* Ecce, determinationem ad particularia obiecta ab ipsa voluntate ex iudicio rationis, à Deo vniuersim esse negatur. Nec enim potest dici, hanc determinationem voluntatis esse priùs à Deo, quia subdit, Deũ aliquãdo determinare ad aliquid determinatè volendum: quod ergo aliquãdo dicit fieri, negat sẽper esse necessariũ, secus nó erat quare diceret aliquãdo à Deo fieri, si sẽper fit, & à voluntate, nisi, Deo præueniente, fieri non potest.

Confirmant hoc ipsum auctoritate Caietani, & Conradi: nam Caietanus ita præallegatum locum S. Thomæ interpretatur, vt asserat, illam vniuersalem motionem, quam S. Thomas necessariã docet, esse motionem ad quemdam actum volitionis boni in communi, qui præcedit omnem actum voluntatis, quo actu supposito, voluntas ad particulares actus à seipsa, & non a Deo determinatur. An hæc interpretatio vera sit, quoad illum actum priorem volitionis boni in cõmuni, prima facie discuti solet, & nihil refert, satis est Caietan. auctoritate confirmasse, non esse necessarium, vt voluntas ad omnem actum determinetur à Deo. Conradus verò, exponens eandem solutionem, inter alia profert hæc verba: *Si aliquem Deus determinat ad bonum mouet, non est generale, sed gratuitum.*

Decimò id probant auctoritate sancti Thomæ 1. 2. quæst. 10. artic. 4. vbi ait. *Sic Deus mouet voluntatem, quod non ex necessitate ad vnum determinat.* Et q. 80. artic. 1. ad tertium, ait, *quòd Deus est vniuersale principium omnis motus interioris humani, sed quòd homo determinetur ad malum, hoc directè quidem est à voluntate humana, & indirectè à diabolo per modum suadentis, vel appetibilis proponentis.*

Vndecimò arguunt rationibus, quas in disputationibus 22. & 23. tetigimus, & ideo satis erit in præsenti eas innuere. Et prima ratio est: nam sequeretur, Deum prædeterminare voluntatem ad actum peccati, inquantùm actus, & ens est. Secunda, quia si necessarium est, Deum inchoare omnem actionem volũtatis, superflua, & otiosa esset omnis causa moralis ad determinationem voluntatis, nempe causæ consulentes, præcipientes, suadentes, comminantes, & si quæ sunt aliæ. Etenim si expectanda est diuina præmotio, quæcunque causæ morales voluntati applicentur, nihil agent ad eius determinationem, quia licèt multæ interueniant, id solùm fiet, ad quod Deus mouerit, & determinauerit, quòd æquè fieret ipsis absentibus.

Duodecimò id specialiter probãt de actibus supernaturalibus.

naturalibus. Nam ſententia, quæ aſſerit prædictum auxilium efficax præmouens, & prædeterminans liberum arbitrium ad quamlibet piam, & ſupernaturalem operationem, nullum fundamẽtum habet in doctrina Patrum, & definitionibus Eccleſiæ. Etenim quandocunque Patres, & Concilia agunt de neceſſitate gratiæ ad opera pietatis, nullam aliam rationem aſſignant, propter quam natura non ſufficiat, & gratia requiratur, quàm læſionem liberi arbitrij poſt peccatum, & multiplices occaſiones peccandi, quæ hominem impugnant ob appetitus rebellionem, & tentationes diaboli, & mundi illecebras, vt patet ex epiſtolis Innocentij, Zoſimi, & Cæleſtini ſæpius allegatis, & Conciliis Mileuitano, & Arauſicano, & ex Auguſtino frequenter: nunquam tamen dixerunt ideo gratiam eſſe neceſſariam, quia creatura pendet à Creatore in omni ſua operatione, vt ab eo præmoueri, & prædeterminari debeat: nec huius rationis aliquod veſtigium apud eos inuenitur.

Decimotertiò argumentatur nam ſequeretur ex oppoſita ſententia, quod nullum ſit auxilium verè ſufficiens in eo, qui non habet in ſe auxilium efficax: nam, ſi cauſa ſecunda operari non poteſt actus ſupernaturales, niſi à Deo efficaciter moueatur, & prædeterminetur, quidquid aliud abſque hac motione conferatur, non erit ſufficiens, ſiquidem non habet totum id, quod requiritur ad piè operandum.

VI. Voluntas ad operandum indiget motione ex parte finis, & ex parte potentiæ.

Tertia ſententia eſt Thomiſtarum, quam ego exiſtimo eſſe expreſſam ſanctorum Auguſtini, & Thomæ. Pro cuius explicatione ſupponendum eſt, liberum arbitrium creatum indigere duplici motione, vt actualiter operetur. Altera ſe tenet ex parte obiecti, & finis: nam vt 1. 2. quæſt. prima, articulo primo & 2. docet ſanctus Thomas, proprium eſt naturæ rationalis agere propter finem, ſe mouendo in ipſum finem. Vnde oportet, vt ab ipſo fine præconcepto moueatur, & determinetur ad determinatum effectum producendum: aliàs enim non produceret potiùs iſtam actionẽ, quàm illã. Altera verò motio ſe tenet ex parte potentiæ, qua videlicet mouetur à Deo verè efficiẽter, & applicatur ad operandũ: tum quia, cùm ſit in potentia ad operandum hoc, vel illud, vel etiam ad non operandum, oportet, quòd ex parte potentiæ moueatur, & reducatur in actum à Deo, qui eſt purus actus: tum etiam propter alias rationes diſputatio. 18. 22. & 23. à nobis adductas. Prima motio commmuniter dici ſolet motio moralis; quia, licèt in ſeipſa ſit aliquid reale, & phyſicum, tamen non mouet potentiam efficienter ad actum liberum, ſed ſolùm per modum ſuadentis. Secunda verò motio dicitur phyſica: nam Deus per illam phyſicè, ſeu verè efficienter mouet, & applicat liberum arbitrium ad operandum, vt diſputat. 23. dictum eſt. Vtramque motionem ſtatuit S. Thomas quæſt. 3. de malo, artic. 3. in corpore, & 1. par. quæſt. 106. artic. 2. & quæſt. 111. artic. 2. Vnde idem ſanctus Doctor 1. 2. quæſt. 9. poſtquam in artic. 1. explicuit, qualiter voluntas moueatur à fine, ſtatim in artic. 4. explicat, qualiter ex parte potentiæ moueatur à Deo, vt à cauſa efficiente. Sit ergo

Prædeterminatio moralis eſt ad ſingulos actus ſupernaturales neceſſaria. Aug. tract. 26. in Ioã.

PRima concluſio. Prædeterminatio moralis, quæ ſe tenet ex parte obiecti, & finis, eſt neceſſaria ad ſupernaturales actus eliciendos. Hæc concluſio potiùs explicatione indiget, quàm probatione. Ad cuius euidentiam conſiderandum eſt, hanc prædeterminationem moralem fieri poſſe, vel per ſuaſionem, quæ moraliter loquendo inducat effectum, vel per propoſitionem, etiam internam, obiecti ita conueniẽtis, vt delectatione ſua ipſam volũtatem ad ſe trahat, iuxta illud, quod dicit S. Aug. *Si Poëta dicere licuit: Trahit ſua quẽq; voluptas, nõ neceſſitas, ſed voluptas; non obligatio, ſed delectatio quãdo fortiùs nos dicere debemus, trahi hominem ad Chriſtum, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur iuſtitia, delectatur ſempiterna vita, quod totus Chriſtus eſt?* & infra: *Ramum viridem oſtendis oui, & trahis illam: nuces puero demonſtrantur, & trahitur: & quod currit, trahitur; amando trahitur; ſine læſione corporis trahitur, cordis vinculo trahitur. Si ergo iſta, quæ inter delicias & voluptates terrenas reuelantur amantibus, trahunt, quoniam verum eſt: Trahit ſua quemque voluptas, non trahet reuelatus Chriſtus à Patre?* Idem proſequitur libro de ſpiritu, & litera c. 34. li. 83. q. 68. & lib. 1. ad Simpliciã. quæſt. 2. cuius verba adduximus diſputatione 75. num. 1. & 2. Præterea etiam in eadem quæſt. 2. ad Simplicianum, circa finem, ait: *Quis poteſt credere niſi aliqua vocatione, hoc eſt, aliqua rerũ teſtificatione, tangatur? Quis habet in poteſtate, tali viſo attingi mentem ſuam, quo eius voluntas moueatur ad fidem? Quis autem animo amplectitur aliquid, quod eum non delectat? Aut quis habet poteſtatem, vt vel occurrat, quod eum delectare poſſit, vel delectet, cum occurrerit? Cum ergo nos ea delectant, quibus proficiamus ad Deum, inſpiratur hoc, & præbetur gratia Dei.* Et paulò inferiùs: *Voluntas ipſa, niſi aliquid occurrerit, quod delectet, atque inuitet animum, moueri nullo modo poteſt. Hoc autem, vt occurrat, non eſt in hominis poteſtate. Quid volebat Saulus, niſi vt inuaderet, & traheret, vinciret, & necaret Chriſtianos? Quàm rabida voluntas, quàm furioſa, quàm caca, qui tamen vna deſuper voce proſtratus, occurrente vtique tali viſo, quo mens illa, & voluntas, refracta ſanitia, retorqueretur, & corrigeretur ad fidem, repentè ex Euangelij mirabili perſequutore, mirabilior prædicator effectus eſt.* Quibus verbis non obſcurè docet, prædeterminationem moralem, quæ fit per delectationem & conuenientiam obiecti propoſiti, neceſſariam eſſe, vt homo de facto ad Deũ cõuertatur, & piè operetur.

S Proſper libro con. Collator. c. 14.

Idem probat ſanctus Proſper multis locis Scripturæ, præſertim ex illo Ioannis ſexto: *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum*, vt patet ex verbis illius diſputat. 75. num. 1. inductis. Nec tamen ex iis licet colligere, efficaciam auxilij præuenientis gratiæ conſiſtere ſecundùm Auguſtinum, & Proſperum in ſola motione, & tractione morali: licèt enim eiuſmodi motio præſupponatur ad efficaciam phyſicam, qua Deus verè efficienter facit, vt faciamus, tamen ſola prædeterminatio, vel motio moralis non inducit infallibiliter effectum iuxta ſententiam ſancti Auguſtini, & S. Proſperi, niſi vt coniuncta cum efficacia, ſeu præmotione phyſica, vt diſputat. 83. num. 7. & ſequentibus oſtenſum eſt. Solet etiam Deus mouere, & prædeterminare moraliter liberum ad conuerſionem, vel obſeruantiam mandatorum per timorem pœnarum, præſertim inferni, quarum conſideratio vehementer ſolet imperfectos mouere, vt declinent à malo, & faciant bonum. Demùm aliquando aliis diuerſis modis fieri conſueuit eiuſmodi prædeterminatio moralis, quæ prærequiritur, vt liberum arbitrium ſe moueat ad rectè operandum.

His ſuppoſitis, probatur concluſio ex dictis: quia, vt ex locis ſancti Thomæ inductis conſtat, creata voluntas ad operandum indiget determinari à fine præconcepto. Sed hęc prædeterminatio eſt moralis: quia fit per modum ſuaſionis & propoſitionis obiecti conuenientis: ergo ad ſingulos actus neceſſaria eſt prædeterminatio moralis.

Secundò probatur nam, vt diſputatione 88. concluſione 1. & 2. oſtenſum eſt, etiam in homine iuſtificato, præter virtutes infuſas, eſt ad ſingulos actus ſupernaturales neceſſarium ſpeciale auxilium gratiæ excitantis, ſed eiuſmodi auxilium mouet & prædeterminat moraliter liberum arbitrium, vt

Digitized by Google

piè operetur: nam prædeterminatio moralis est, quæ fit suasione, & propositione obiecti conuenientis, quo allicitur, & quasi inuitatur liberum arbitrium ad prosequendum illud bonum, constat autem id fieri per gratiam excitantem: ergo.

Secunda conclusio. Datur de facto auxilium efficax physicè prædeterminans liberum arbitrium ad actus supernaturales. Istam conclusionem statuût assertores secundæ sententiæ, & illam admittunt aliqui ex auctoribus primæ, asserentes, ciusmodi auxilium collatum fuisse ad maiorem abundantiam quibusdam Sanctis eximiis: illud tamen non esse simpliciter necessarium ad opera supernaturalia producenda. Hoc secundum impugnandum erit in seq. concluſ. nunc autem probatur primum: Nam

Christi Domini anima erat prædeterminata ad bonum, salua eius libertate. Luc. 1.

anima Christi Domini erat physicè præderminata ad bonum, quia peccare non poterat, vel à bono deficere; similiter etiam anima beatissimæ Virginis, saltem in illis actionibus, quæ opus Redemptionis nostræ concernebant, vt cùm dixit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*, & similibus, prædeterminabatur per auxilium gratiæ ad eosdem actus eliciendos: alias ordo diuinæ prouidentiæ circa salutem generis humani potuisset per cõtrariam Virginis voluntatem impediri, vel cassari, quod est impossibile, vt ex supradictis constat: ergo, &c.

VII. S. Pauli conuersio fuit miraculosa.

Confirmatur. Conuersio Apostoli Pauli, cùm fuerit miraculosa, atque in vnico instanti completa, vt 1.2.q.112.artic.2.ad secundum, docet sanctus Thomas per physicam prædeterminationem gratiæ, qua ex persequutore factus est vas electionis, consummata est, quod innuere videntur verba illa Act. 9. *Durum est tibi contra stimulum calcitrare*, ac si diceretur: Quantumuis libero arbitrio efficacissimæ Dei vocationi coneris resistere, frustra niteris, & nihil efficies: nã per gratiam Dei, in bono firmaberis. Idẽ argumentũ potest confici de confirmatis in gratia: qui per dona supernaturalia ita firmantur in bono, vt ab eo excidere nequeant, sicut

Augustlib. de corrept. & gratia, c. 8.

de fide Petri docet August libro de correptione, & gratia, capite octauo, & capit. 12. loquens de dono

Eod. li. c. 12

perseuerantiæ, inquit: *Nunc verò Sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis, non tantùm tale adiutorium perseuerantiæ datur, sed tale vt eis perseuerantia ipsa donetur, non solùm, vt sine isto dono perseuerantiæ esse non possint: verùm etiam, vt per hoc donum non nisi perseuerantes sint.* Id autem non efficeret donum perseuerantiæ, vel confirmationis in gratia, nisi haberet vim prædeterminandi physicè voluntatem ad

Eod. cap. 12.

bonum: nã vt ait August. *Si in tanta infirmitate vitæ huius, in qua tamen infirmitate propter elationem reprimendam, perfici virtutem oportebat, ipsis relinqueretur voluntas sua, vt in adiutorio Dei, sine quo perseuerare non possent, manerent, si vellent, nec Deus in eis operaretur, vt vellent: inter tot, & tantas tentationes, infirmitate sua voluntas ipsa succumberet: & ideo perseuerare non possent, quia deficientes infirmitate, nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis, vt possent.* Ergo dicendum est, per huiusmodi dona physicè prædeterminari voluntatem nostram ad prosequendum bonum, & tenendum. Hæc conclusio patebit ampliùs concluſ. seq.

VIII. Auxilium efficax prædeterminãs liber. arbit. ad bonum. est ad singulos actus supernaturales necessarium.

Tertia conclusio. Auxilium gratiæ, physicè prædeterminans liberum arbitrium ad bonum exequendum, est simpliciter necessarium ad singulos actus supernaturales eliciendos, ita videlicet vt nunquam de facto voluntas creata producat aliquem actum supernaturalem, nisi auxilio efficaci prærnoueatur physicè, & prædeterminetur ad eundem actum efficiendum. Conclusio est directè contra auctores superiùs allegatos, sed probatur

Primò: nam præter habitus infusos, est ad singulos actus simpliciter necessarium auxilium speciale gratiæ adiuuantis, vt disputat. 88. concluſ. 3. ostensum est; sed huiusmodi auxilium physicè prædeterminat liberum arbitrium ad cooperandum gratiæ Dei: ergo ad singulos actus est simpliciter necessarium auxilium physice prædeterminans. Minor probatur: nam auxilium gratiæ adiuuantis prœuenit ordine naturæ, & causalitatis liberam cooperationem arbitrij, eíque immediatus Dei influxus in ipsum arbitrium, vt in causam, applicans illud ad operandum, sicut in disput. 18. 22. & 23. ostensum est: ergo ad singulos actus est necessarium auxilium gratiæ, physice prædeterminans voluntatem nostram ad consensum. Probatur consequentia: nam auxilium, quo Deus influit immediatè in voluntatem, vt in causam, eam applicando, vt operetur, est auxilium physicè illam prædeterminans ad operandum.

Secundò. Auxilium illud, per quod Deus non solùm suadendo, alliciendo, inuitando, vel aliter etiam interiùs moraliter attrahendo, sed verè efficienter, & efficaciter facit nos operari, physicè prædeterminat liberum arbitrium ad cooperandum: nam prædeterminare, vt ex supradictis patet, nihil aliud est, quàm efficere, vt ipsum arbitrium se determinet: sicut præmouere physicè liberum arbitrium nihil aliud est, quam motione inhærente, verè efficienter facere, vt ipsum arbitrium se moueat. Sed ad singulos actus supernaturales necessariò requiritur auxilium gratiæ efficacis, per quod Deus non solùm suadendo, alliciendo, inuitando, vel aliter etiam interiùs moraliter attrahendo, sed verè efficienter & efficaciter facit nos operari, vt disputatione octuagesimasexta ostensum est: ergo ad singulos actus supernaturales est necessarium auxilium gratiæ physicè prædeterminans liberum arbitrium ad operandum.

Tertio. Auxilium, quòd non subditur, quantùm ad vsum, potestati nostri arbitrij, sicuti subiacent habitus, quibus vtimur, cùm volumus, sed potiùs subiicit sibi ipsum arbitrium, & obediens efficit; physicè illud prædeterminat ad operandum; sed auxilium efficax diuinæ gratiæ non subditur, quãtùm ad vsum potestati nostri arbitrij, sicut subiiciuntur habitus, sed potiùs subiicit sibi ipsum arbitrium, & humanam voluntatem obsequentẽ facit, vt ex præmissis in disputat. 87. liquidò constat: ergo auxilium efficax gratiæ physicè prædeterminat liberum arbitrium ad operandum: cùm ergo ad singulos actus supernaturales sit necessarium simpliciter auxilium efficax gratiæ præuenientis: relinquitur, quòd ad eosdẽ actus sit necessariũ simpliciter auxiliũ physicè prædeterminans liberum arbitriũ ad cooperandum.

Quartò. Auxilium, quod est efficax de se, independenter ex libera cooperatione arbitrij, physicè illud prædeterminat ad operandum: nam, vt fatentur auctores oppositæ sententiæ idem est, auxilium esse efficax de se, & esse physicè prædeterminans, sed auxilium præoperantis gratiæ est efficax de se independenter ex libera cooperatione arbitrij, vt disputatione præcedenti ostensum est: igitur physicè prædeterminat liberum arbitrium ad consensum. Cùm ergo ad singulos actus supernaturales sit necessarium auxilium præoperantis gratiæ, vt ex præmissis in disput. 88. constat, relinquitur, ad singulos actus supernaturales esse necessarium auxilium efficax physicè prædeterminans nostram voluntatem ad consensum. IX.

Quintò. Impossibile est, quòd auxilium inhærens libero arbitrio ex sola reali, & intrinseca virtute, quam habet, vt venit à Deo, exclusa scientia media, inducat certò, & infallibiliter consensum, nisi habeat virtutẽ physicè prædeterminandi voluntatẽ ad eundem

Digitized by Google

eundem conſenſum eliciendum : etenim ſecluſa determinatione phyſica , & præſcientia conſenſus futuri ex hypotheſi , quòd liberum arbitrium conſtituatur in talibus circunſtantiis , non eſt aliquod fundamentum,cui certitudo, & infallibilitas futuri conſenſus inniti poſſit,vt ſupra dictum eſt ; ſed auxilium efficax præoperantis gratiæ ex ſua virtute reali,& intrinſeca,quam habet , vt venit à Deo,excluſa ſcientia media, inducit certò , & infallibiliter conſenſum voluntatis : nam illa ſcientia media admittenda non eſt , vt ex præmiſſis in diſputatione ſeptima conſtat , ac per conſequens in illa fundari non poteſt infallibilitas futuri conſenſus arbitrij: ergo auxilium efficax habet virtutem phyſicè prædeterminandi voluntatem ad conſenſum eliciendũ.

Confirmatur.Nam diuina prouidentia,& prædeſtinatio, quantùm ad exequutionem effectus intenti,eſt certa,& infallibilis certitudine ordinis,& cauſalitatis mediorum,vt ex ſupradictis,patet:ergo media,& auxilia efficacia,quibus hæc infallibilitas innititur , habent virtutem phyſicè prædeterminandi voluntatem ad conſenſum ,quem Deus vult produci ab homine.

Diſput. 30. 31. 32. & 42.

Confirmatur ſecundò. Illud auxilium , cum quo non poteſt ſimul ſtare in libero arbitrio diſſenſus, phyſicè prædeterminat liberum arbitrium ad conſenſum,vt fatentur auctores oppoſitæ ſententiæ:ſed cum auxilio efficaci præoperantis gratiæ non poteſt ſimul ſtare diſſenſus arbitrij , vt ex præmiſſis conſtat , & patebit ampliùs diſputat. 92. & duabus ſequentibus:ergo eiuſmodi auxilium , quod ad ſingulos actus neceſſarium eſt , phyſicè prædeterminat liberum arbitrium ad conſenſum.

Denique probari poteſt eadem concluſio locis Scripturæ,Conciliorum,& ſanctorum Patrum,præſertim Auguſtini,& Thomæ,quorum teſtimonia diſputat.18.22.& duabus ſequentibus adducta ſunt, & præſertim ex lib.de correptione, & gratia , cap.2.& aliis in locis adductis diſput. 18. num. 16.in quibus aſſerit , quòd qui filij Dei ſunt , *agũtur , vt agant*: quod quidem non fit abſque præuia motione prædeterminante ad agendum:nam Auguſtinus loquitur de motione,ad quam ſequitur effectus , vt patet ex verbis illis : *Agis & ageris,& tunc bene agis,ſi ab eo agaris:Spiritus enim Dei,qui te agit,agentibus adiutor eſt.*His addo alium ſpecialem locum S.Auguſtini in lib. de geſtis Pelagij contra aduerſarios gratiæ Domini noſtri Ieſu Chriſti , ad ſanctum Aurelium Epiſcopum. Hunc librum inter ſuos refert idem Auguſt.libro ſecundo retractationum , capite 47. ſed non extare putabatur , vt doctores Louanienſes annotarunt in calce lib.de natura , & gratia. Poſtmodũ verò repertus eſt manuſcriptus in Bibliotheca S.Bartholomæi Feſulanæ diœceſis Ordinis Canonicorum Regularium Lateranenſium , cuius copia Romæ ad manus meas peruenit.Igitur in cap. 3. eiuſdem libri,explicãs illud Apoſtoli: *Quotquot Spiritu Dei aguntur, hi ſunt filij Dei*, & Pelagium impugnans contendẽtem,omnes voluntate propria regi, ſic loquitur:*Nam proculdubio plus eſt agi , quàm regi. Qui enim regitur,aliquid agit,& à Deo regitur,vt rectè agat. Qui enim agitur , agere aliquid ipſe vix intelligitur:& tamen tantum præſtat voluntatibus noſtris gratia Saluatoris , vt non dubitet Apoſtolus dicere : Quotquot Spiritu Dei agũtur hi sũt filij Dei:nec aliquid in nobis libera volũtas melius agere poteſt,quàm, vt illi ſe agẽdã cõmendet,qui malè agere nõ poteſt.& hoc cùm fecerit , ab illo ſe,vt faceret,adiutã nõ dubitet , cui dicitur in Pſalmo: Deus meus,miſericordia eius præueniet me.* Et infrà explicans illud:*Inuocani , & venit in me Spiritus ſapientiæ*,ait:*Hoc enim ſpiritu, non viribus propria volũtatis regũntur,& agũtur qui filij Dei ſunt.*Sentit ergo

Aug. ſerm. 23. de verbis Apoſtoli poſt medium.

Rom. 8.

Pſalm. 58. Sapien. 7.

Aug.Deũ per gratiã adiuuantẽ,præmouẽre, & prædeterminare efficiẽter noſtrã voluntatẽ ad ſingulos actus ſupernaturales.Quod etiam lib.de corrept. & gratia c.8.confirmat, loquens de fide Petri , pro qua Chriſtus Dominus ne deficeret,orauit;ſic enim ait: *Quando rogauit ergo,ne fides eius deficeret , quid aliud rogauit,niſi vt haberet in fide liberrimã.fortiſſimã inuictiſſimam , & perſeueramiſſimam voluntatem?* Et cap. 11.eiuſdem libri : *Tale quippe erat adiutoriũ,quod deſereret,cùm vellet,& in quo permaneret,ſi vellet, nõ quo fieret,vt vellet.Hæc eſt prima gratia , qua data eſt primo Adam:ſed hæc potentior eſt in ſecundo Adam. Prima eſt enim,qua fit,vt habeat homo iuſtitiam,ſi velit : ſecunda ergo plus poteſt,qua etiam fit,vt velis,& tantũ velit, tãtoque ardore diligat , vt carnis voluntatẽ cõtraria concupiſcentem voluntate ſpiritus vincat.*Et c.12. *Subuentum eſt igitur infirmitati voluntatis humanæ,vt diuina gratia indeclinabiliter,& inſeparabiliter ageretur:& ideo quãuis infirma, nõ tamẽ deficeret neq;aduerſitate aliqua vinceretur.*Certè hæc & alia, quæ de gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti dicit Auguſt. quamplurima, non competunt præuenienti gratiæ excitanti dumtaxat, aut moraliter ſuadenti. Hæc enim ſola non eſt gratia potentior , quàm gratia Ádæ collata : neque illa ſola tribuit vires efficaciſſimas,nec facit, vt volũtas noſtras inuictiſſimè,indeclinabiliter, & inſuperabiliter operetur bonum,quæ tamen omnia competũt auxilio efficaci præoperantis gratiæ , phyſicè præmouenti , & applicanti voluntatem noſtram ad piè operandum:ergo ſecundum Auguſtinum eiuſmodi auxilium eſt ad ſingulos actus ſupernaturales neceſſarium. Vnde Auguſt.lib.de gratia Chriſti , cap. 23.ait:*Magnum profectò adiutorium Diuinæ gratiæ.vt cor noſtrum , quò voluerit Deus ipſe declinet.*Sed declinare cor , eſt illud determinare , vt operetur quod Deus voluerit:ergo,&c.

Vltimò probatur noſtra concluſio contra auctores ſecundæ ſententiæ. Ipſi enim fatentur auxilium efficax præueniens (& loquuntur de auxilio efficaci prædeterminante) requiri,vt homo conuertatur ab infidelitate ad fidem , & vt cõuertatur à peccato ad iuſtitiam , & vt in bono vſque in finem perſeueret: adeò vt illis ſolis contingat,hos effectus aſſequi,qui hoc auxilio præuenti fuerint , & non aliis. Quod probant ex illo Ioan. 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit eum.*Et Ioan.10.*Propterea vos non creditis,quia non eſtis de ouibus meis.* Et 2. Theſ.3. *quia non omnium eſt fides.* Et de pœnitentia dicitur 2.ad Timoth.2. *Ne quando det illis Deus pœnitẽtiam, & reſipiſcant à diaboli laqueis.* Hierem. 31. *Conuerte me Domine ad te , & conuertar , poſtquam enim conuerſus me,egi pœnitentiam.* Et de perſeuerantia dicitur in Conc.Trident.ſeſſ.6.cap.13.quod *aliunde haberi non poteſt,niſi ab eo qui potens eſt eum,qui ſtat, ſtatuere.*Et idem habetur can. 16. Sed hæc teſtimonia, & alia conſimilia , etiam procedunt eadem ratione de omnibus operationibus ſupernaturalibus , præſertim quando ſunt meritoriæ vitæ æternæ: ergo.

Pater Alorca ubi ſuprà membro ſecundo.

Confirmatur : nam Scriptura ſacra in multis locis indiſtinctè,& abſolutè affirmat,auxilium efficax præueniens eſſe neceſſarium,etiam in iuſtificatis ad opera pietatis exequenda : dicitur enim Ezech. 36. *Ego faciam,vt in præceptis meis ambuletis , &c.* Et ad Philippenſ. 2. *Deus eſt , qui operatur in nobis velle,& perficere pro bona voluntate.*Et ad Rom. 9. *Non eſt volentis,neque currentis,ſed Dei miſerentis.* Vnde Conc. Arauſicanum can. 9. vniuerſaliter intellexiſſe videtur prædicta teſtimonia , cùm ait : *Quoties bona agimus, Deus in nobis,atque nobiſcum,vt operemur , operatur.*Et can.20.*Nullum bonum facit homo.quod nõ Deus præſtet,vt faciat homo.*Hæc autem, & alia conſimilia teſtimonia in confirmationem huius ſententiæ à

nobis inducta disp.88.num.5. & seqq. intelligunter de auxilio efficaci præoperantis gratiæ: nam facere, vt faciamus, & operari, vt operemur, ad eiusmodi auxilium pertinet: ergo. **Solutio.** Respondent auctores secundæ sententiæ, posse testimonia hæc exponi, si intelligamus, significari, necessarium esse hoc donũ saltem mediate, quatenus ab eo dependet prima iustificatio, & fides, sine qua non contingeret alicuius boni supernaturalis operatio: non tamen intelligamus negari, possibile esse aliquod bonum supernaturale, homine semel iustificato, absque speciali efficaci auxilio. Addunt, hanc solutionem colligi posse ex S. August. libro primo ad Simplicianũ, quæst. 2. vbi agens de conuersione Latronis dicit: *Consequerentur enim bona opera eius, si percepta gratia, diu inter homines viueret, sed non præcesserunt, vt gratiã mereretur*; & infrà: *Præcipitur, vt rectè viuamus: sed quis potest rectè viuere, & operari, nisi iustificatus ex fide? præcipitur, vt credamus, &c. Sed quis potest credere, nisi aliqua vocatione tangatur?* in quibus verbis, semel accepta iustificatione, videtur concedere, possibilem esse bonã operationem. **Confutatio.** Facilè tamen impugnari potest hæc solutio, & explicatio: nam eadem ratione posset quis loca Scripturæ, & Conciliorũ, in quibus asseritur, esse necessarium speciale auxilium, seu donum ad perseuerandum vsque in finem, explicare, quod sit necessarium mediatè, quatenus videlicet prima iustificatio dependet ab auxilio speciali præuenientis gratiæ efficacis, & similiter fides, sine qua non contingeret alicui perseuerantia vsque in finem, quod tamen admitti non potest.

AD primum argumentum respondetur, gratiam excitantem esse in suo ordine sufficientem gratiam, etiamsi nõ prædeterminet efficaciter liberum arbitrium ad consensum: nam eiusmodi prædeterminatio non est necessaria, vt quis reuerà possit conuerti, vel piè operari, sed vt de facto conuertatur, vel piè operetur, sicut de auxilio physicè **Disp.23.** prædeterminante dictum est. Et per hæc patet ad confirmationem. Addimus præterea; quòd, licet homo aliquando non habeat excitationem, quæ illum moraliter prædeterminet ad piè operandum, nihilominùs quádiu est in via, potest eã habere, sicut de prædeterminatione physica superiùs dictum est.

Voluntas mouetur ab obiecto. Ad secundum argumentum respondetur, voluntatem creatam nunquam elicere actum suæ naturæ proportionatum, nisi prædeterminetur moraliter ab obiecto, vel proponente obiectum, vt delectabile, & conueniens eidem voluntati: idque propter rationes superiùs adductas, quæ non solùm procedunt de actibus supernaturalibus, sed etiam naturalibus; cùm in vtrisque, vt voluntas operetur, necessarium sit, quòd appareat in obiecto aliquid eam delectans, alliciens, & trahens, vt obiectum illud prosequatur: quod vtique absque morali determinatione non fit.

Voluntas creata præsupponit bonitatem obiecti, nõ autem voluntas diuina. Ad tertium, negatur consequentia, & ratio discriminis est: nam, vt docet S. Thom. prima parte, quæstione vigesima, articulo secundo, in corp. volũtas nostra non est causa bonitatis rerum, sed ab ea mouetur, sicut ab obiecto. Voluntas autem diuina non mouetur à bonitate, quę præsupponatur in obiecto creato: sed eam causat per actum amoris, & ideo non oportet, quòd voluntas Dei prædeterminetur moraliter ab ipso obiecto, vt habeat actum amoris circa illud, quod tamen requiritur in voluntate creata. Est & alia differentia: nam voluntas diuina est purus actus habens libertatem per essentiam: vnde non oportet, quòd physicè, vel moraliter prædeterminetur ab alio: sed ipsa voluntas diuina se determinat ad obiectum, ad quod habet habitudinem non necessariã, vt 1.p.q.19.art. 3. ad 5. dicit S. Tho. Voluntas autem creata non est purus actus, sed habet libertatem participatam, quæ includit aliquid potentialitatis: & ideo, vt exeat in actum, necesse est, quòd præmoueatur, & prædeterminetur physicè a Deo, & moraliter ab obiecto.

Voluntas diuina est purus actus, non autem voluntas humana.

Ad quartum respondetur, negando antecedens: vna enim ex causis prærequisitis, vt quis actualiter bene operetur, est prædeterminatio moralis, & physica, vt dictum est, quarum altera physicè attingit actum, altera verò solùm moraliter.

Ad quintum iam ex professo ostensum est suprà disputatione decimaoctaua, vigesimasecunda, & vigesimatertia, qualiter auxilium sufficiens dicatur, & sit verè, & realiter sufficiens ad conuersionem, vel piam operationem, etiam si vltra illud sit necessarium aliud auxilium physicè prædeterminans, vt homo de facto piè operetur. **XIV.**

Ad sextum respondetur, hoc auxilium efficax esse necessarium per modum principij, seu vltimi complementi actus primi, vt supra dictum est. Vnde sine illo datur quidem auxilium simpliciter sufficiens ad conuersionem, vel piam operationem; non tamen omnibus modis sufficiens, vt disp. 23. num. 32. explicatum est. **Disput. 18. & 19.**

Ad septimum respondetur, quòd, vt disp. 112. patebit, Deus tribuit omnibus pro loco, & tempore auxilium sufficiens, quo bene operari possint, & simul offert auxilium efficax, quo actualiter bene operentur, sed ex eorum culpa procedit, quòd tale auxilium efficax non recipiant: & ideo voluntati eorum tribuendum est, quod piam operationem non eliciant; de quo plura diximus disp. 18. & 23.

Ad octauum respondetur, solam gratiam excitantem non prædeterminare physicè liberum arbitrium ad consensum, vt argumentum factum euidenter probat, sed id efficit gratia adiuuans, quæ gratiam physicè operantem, & cooperantem includit. Et ad impugnationem dicendum, gratiam operantem non esse confundendam cum gratia excitante: nam ab ea realiter distinguitur, vt suprà ostensum est. Ad id verò, quod obiicitur de gratia adiuuante seu cooperante, dicendum est, huiusmodi gratiam, inquantùm cooperans est, esse præuenientem liberum influxum nostri arbitrij, vt disput. 82. dictum est. Vnde bene potest physicè liberum arbitrium ad consensum prædeterminare.

Ad alia argumenta, quæ ibidem insinuantur, ad ea præsertim, quæ contendunt per physicam prædeterminationem destrui libertatem arbitrij, seu indifferentiam quæ est de essentia eiusdem libertatis, iam in superioribus disputationibus sufficiẽter, vt arbitror, responsum est, & in sequentibus amplius de eodem argumento dicentur plura, inter explicandam definitionem liberi arbitrij. **Disput.82. & 83. Disp.115. & 116.**

Ad nonum argumentum factum pro secunda sententia respondetur facile per ea, quæ in superioribus dicta sunt, sanctos Augustinum, & Thomam satis apertè docuisse, voluntatem creatam, quãtumuis per habitum supponatur perfecta, indigere præuia Dei motione efficaci ad singulos actus bonos præsertim supernaturales, vt patet ex locis disput. decimaoctaua, & vigesimatertia, & in hac eadem disp. adductis. Nec alicubi S. Thom. docuit, aut insinuauit contrarium. Ad locum adductum ex 1. 2. quæst. 9. articulo sexto, ad tertium iam suprà disput. 22. numero 39. responsum est, & nunc breuiter dicimus, quòd cùm S. Doctor inquit, quòd interdum Deus mouet aliquos ad aliquid determinatè volendum, sicut in iis, quos mouet per gratiã, non excludit, sed potiùs præsupponit motionẽ generalẽ, qua Deus mouet omnes causas secundas ad suas operationes, sicut aliis in locis docet; & solùm affirmat, quòd

quòd Deus auxilio ſpeciali mouet per gratiam liberum arbitrium ad aliquid determinatè volendum, quod eſt verè bonum, quæ aſſertio cùm ſit doctrinalis, æquiualet vniuerſali: ac ſi diceret, Deum ſemper ſpeciali auxilio mouere ad aliquid determinatè volendum eos, quos mouet per gratiam: quo quidem auxilio non mouet ſemper liberum arbitrium, quia videlicet ad opera ordinis naturalis non mouetur liberum arbitrium à Deo auxilio ſpeciali, ſed alia motione generali, quæ communis eſt omnibus cauſis ſecundis, quamuis moueat vnamquamque conformiter ad eius naturam.

Ad confirmationem reſpondetur, quòd, quando voluntas mouetur a Deo ad bonum in communi, ita mouetur, quòd non ſe mouet per deliberationem, vt ſuprà dictum eſt. Cæterùm comparatione boni particularis, ſeu reſpectu mediorum, & mouetur a Deo, & ſe mouet per deliberationem, & iuxta hanc doctrinam intelligenda ſunt, quæ docent Caietanus, & Conradus.

Ad decimum reſpondetur, verba illa S. Thomæ, ſic Deus mouet voluntatem, quòd non ex neceſſitate ad vnum determinat, non eſſe ſic accipienda, quaſi diceret, non eſſe neceſſarium, quod Deus moueat voluntatem ad alteram partem, vt voluntas operetur, vt innuere videtur argumentum: ſed ſenſus eſt, quòd, licèt Deus determinet ſua motione voluntatem creatam ad operandum in ſingulis operationibus bonis, non tamen eam determinat ad operandum ex neceſſitate, ſicut determinat cauſas naturales, ſed ad operandum liberè, ſeu cum modo libertatis, ſicut congruit eius naturæ, vt diſp. 22. & 23. oſtenſum eſt. Quæ explicatio clarè colligitur ex ipſo contextu totius articuli S. Thomæ, & ex argumento ad quod reſpondet. Ad alium locum ex q. 80. reſpondetur, ſolùm probare, quòd Deus non moueat, nec determinet voluntatem creatam ad malum: ex hoc tamen non bene infertur, quòd eam non moueat efficaci auxilio ad ſingulos actus bonos præſertim ſupernaturales, vt ex ſupradictis conſtat.

Diſp. 24. num. 37.

Ad vndecimum reſpondetur, omnes rationes in eo congeſtas, tactas eſſe iam, & ſolutas in ſuperioribus. Ad primam enim duplicem ſolutionem adhibuimus diſp. 24. Altera eſt admittendo, quòd Deus præmoueat phyſica motione ad actum peccati, inquantùm actus, & ens eſt, vt ex mente S. Th. oſtenſum eſt diſp. eadem. Altera ſolutio eſt, ex eo, quòd Deus moueat, & prædeterminet voluntatem creatam ad ſingulos actus bonos, præſertim ſupernaturales, non ſequi, quòd eam præmoueat ad actus malos, etiam inquantum actus ſunt, vt in eadem diſp. 24. n. 37. explicatum eſt. Ad ſecundam rationem reſponſum eſt diſp. 23. n. 33. & ſi aliquid concluderet etiam procederet contra auctores primæ ſententiæ: ipſi enim admittunt, eſſe neceſſarium auxilium efficax prævenies, & præmouens voluntatem ad aliquos actus ſupernaturales, nempe ad actum fidei, & contritionis, qua quis reſurgit à peccato, & ad perſeuerandum vſque in finem. Sicut ergo non ſunt otioſæ, aut ſuperfluæ exhortationes, & præcepta comparatione iſtorum actuum, etiamſi expectanda ſit præmotio Dei efficax, vt voluntas de facto eos eliciat; ita etiam non erunt otioſæ comparatione aliorum actuum ſupernaturalium, etiamſi fateamur, expectandam eſſe motionem Dei efficacem, vt liberum arbitrium hominis iam iuſtificati quemlibet illorum producat.

Ad duodecimum argumentum negatur antecedens. Ad probationem reſpondetur, quòd S. Th. 1. 2. q. 109. art. 9. in corp. duas rationes aſſignat, propter quas ille, qui iam ſequutus eſt gratiam iuſtificatem, indiget adhuc, quòd à Deo moueatur ad rectè agendum. *Primò quidem ratione generali propter hoc, quod, ſicut ſupra dictum eſt, nulla res creata poteſt in quemcunque actum prodire, niſi virtute motionis diuinæ.* Art. 2. eiuſ. dē quæſt. *Secundò ratione ſpeciali propter conditionem ſtatus humanæ naturæ, quæ quidem, licèt per gratiam ſanetur, quantum ad mentem, remanet tamen in ea corruptio, & infœlio, quantùm ad carnem, per quam ſeruit legi peccati, vt dicitur ad Rom. 7. Remanet etiam, quædam ignorantiæ obſcuritas in intellectu. ſecundùm quam, vt etiam dicitur Rom. 8. quid oremus ſicut oportet, neſcimus. Propter varios enim rerum euentus, & quia etiam nos ipſos non perfectè cognoſcimus, non poſſumus ad plenum ſcire quid nobis expediat ſecundùm illud Sap. 9. Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ noſtræ. Et ideo neceſſe eſt nobis, vt à Deo dirigamur, & protegamur, qui omnia nouit, & omnia poteſt.* Et licèt Sancti Patres, & Concilia, dum contra Pelagium ſtatuerunt, eſſe neceſſarium ad rectè operandum ſpeciale adiutorium gratiæ, aſſignauerint multoties ſecundam rationem, ſæpe etiam aſſignauerunt primam, vt patet ex locis tum in hac diſputatione, tum in diſp. 18. & 23. inductis.

Ad tertiumdecimum argumentum reſpondetur primò, quòd, ſi quid probaret contra noſtram doctrinam, etiam procederet contra auctores ſecundæ ſententiæ: ipſi enim admittunt, eſſe neceſſarium auxilium efficax præmouens liberum arbitrium, vt ab infidelitate ad fidem, & vt à ſtatu peccati ad Deum per pœnitentiam conuertatur: & tamen ipſi non negabunt, nec negant, dari verum auxilium ſufficiés ad fidem, & ad pœnitentiam, etiam illis, qui non habent in ſe auxilium efficax, nec conuertuntur ad Deum per actum fidei, aut contritionis: ergo nullam ſpecialem difficultatem habet argumentum factum in ſententia, quæ aſſerit, auxilium efficax præmouens liberum arbitrium eſſe neceſſarium, etiam in homine iuſtificato ad ſingulos actus ſupernaturales, quæ non procedat in ſententia contraria. Reſpondetur ſecundò, quòd auxilium efficax non eſt neceſſarium, vt homo reuerà poſſit operari actus ſupernaturales, ſed vt de facto operetur. Vnde, etiamſi homo non recipiat auxilium efficax, quo piè operetur, adhuc ſaluatur in eo verum auxilium ſufficiés, quo reuerà poſſit piè operari, ſi velit, vt diſp. 18. n. 10. explicatum eſt.

Vnum tamen argumentum reſtat diſſoluendum pro complemento huius, & præcedentis diſputationis, quo aliqui doctores probare nituntur, gratiam efficacem non prædeterminare liberum arbitrium ad conſenſum: nam efficacia eiuſdem auxilij, quâuis non dependeat ex libera cooperatione arbitrij cum gratia præueniente; pendet tamen ex quadam eius diſpoſitione negatiua, hoc eſt, ex non reſiſtentia: ergo auxilium efficax non prædeterminat verè efficienter liberum arbitrium ad conſenſum. Probatur conſequentia: quoniam auxilium prædeterminans nullam præſupponit in libero arbitrio diſpoſitionem etiam negatiuam, aut non reſiſtentiam, cùm ex ſe ſolo habeat ſuperare quamcunque reſiſtentiam, & facere, vt liberum arbitrium infallibiliter conſentiat. Antecedens autem videtur S. Thom. 3. cont. Gent. c. 159. vbi ait, eſſe *in poteſtate liberi arbitrij impedire diuinæ gratiæ receptionē vel non impedire.* Et ex hoc infert, quòd *non immeritò in culpam imputatur ei, qui impedimentum præſtat gratiæ receptionis.*

Confirmatur: quia vix ſaluari poteſt arbitrij innata libertas comparatione actuum ſupernaturalium, niſi ex parte arbitrij ſupponatur ad efficaciam gratiæ prævenientis eiuſmodi negatiua diſpoſitio, ſeu non reſiſtentia, qua ſinat ſe à gratia efficaci præmoueri ad conſentiendum.

Digitized by Google

Hoc argumentum dissoluendum est ex professo disp.105. vbi de efficacia doni perseuerantiæ agendum est. Pro nunc dicimus, efficaciam auxilij non pendere ex prædicta dispositione negatiua, seu non resistentia arbitrij, nec eam præsupponere ex facultate naturæ. Eadem quippe inconuenientia, & forsitan maiora sequerentur, si semel admittatur, efficaciam auxilij præuenientis gratiæ pendere ex prædicta dispositione negatiua: quæ, vt suprà ostendimus, sequuntur ex eo, quòd asseratur, eandem efficaciam pendere ex positiua dispositione, aut libera cooperatione arbitrij cum gratia excitante. Id quod disp.104. allegata probandum erit.

DISPVTATIO XCII.

Vtrùm liberum arbitrium motum à Deo auxilio efficaci possit in sensu composito eidem auxilio dissentire, & non conuerti.

1. DVBIAM dixerunt, quòd, stante in homine quocunque auxilio præuenientis gratiæ, secundùm omnem realem virtutem, & perfectionem, quam habet, vt venit à Deo; possit etiam in sensu composito dissentire, & non conuerti. Probant hanc tententiam:

Primò ex Conc. Trid. sess. 6. de iustific. c. 5. vbi dicitur, quòd homo liberè assentitur gratiæ excitanti, atque adiuuanti, ita vt *tangente Deo cor hominis per Spiritus S. illuminationẽ*, homo aliquid agat, *inspirationem illam recipiens: quippe qui illam & abiicere potest.* Quibus verbis aperte videtur docere, hominem posse in sensu composito abiicere gratiam efficacem. Illa enim verba, *tangente Deo cor hominis*, & illa, *quippe qui illam & abiicere potest*, manifeste loquuntur de inspiratione, qua actualiter homo tangitur, & mouetur: & hanc dicit posse hominem abiicere. Sentit ergo, quòd etiam ex suppositione eiusdem motionis possit homo in sensu composito dissentire, illam inspirationem abiiciendo. Et in can. 4. eiusdem sess. definitur: *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum, nihil cooperari, assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam iustificationis gratiam se disponat, ac præparet, neq; posse dissentire, si velit, sed velut inanime quoddam nihil omnino agere, meréque passiuè se habere, anathema sit.* ergo, secundùm definitionem Concilij, postquam homo excitatus est, & motus à Deo, potest dissentire: ergo in sensu composito, suppositâ videlicet motione efficaci, id potest.

Confirmatur hoc ex definitione Conc. Senonen. decreto fidei quintodecimo, vbi loquens de auxilio efficaci, quo homo trahitur à Deo, vt iustificetur, inquit: *Nec tale est Dei trahentis auxilium, cui resisti non possit*, vbi etiam videtur loqui in sensu composito, & ex suppositione talis auxilij: quod ex eo patet: nam postquam Concilium contra Pelag. docuit, voluntatem indigere gratiæ præuenientis auxilio, vt se conuertat in Deum, subdit contra Lutherum: *Neque tamen tanta gratiæ necessitas libero præiudicat arbitrio, cùm illa semper sit in promptu, nec momentum quidem praetereat, in quo Deus non stet ad ostium, & pulset, cui si quis aperuerit ianuam, intrabit ad illum, & cœnabit cum illo: nec denique tale sit eiusmodi trahentis Dei auxilium, cui resisti non possit.* Et vt id probet, adducit locum Matth. 23. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alis, & noluisti?* Et quod dixit S. Stephanus Iudæis Act. 7. *Vos Spiritui sancto semper restitistis.* Sentit ergo Concilium, hominem motum auxilio efficaci dissentire posse etiam in sensu composito eidem auxilio, & actualem dissensum simul componere cum tota entitate, & virtute intrinseca eiusdem auxilij.

II. Secundò, illa verba, *dissentire, resistere, abiicere*, quibus vtuntur Concilia, referuntur ad rem præsentem, id est, ad excitationem actu existentem, cui homo potest dissentire: non enim homo dicitur propriè dissentire tentationi, qua realiter non tangitur: ergo dissensus, de quo Concilium determinat, quòd possit homo dissentire motioni Dei, accipitur respectu motionis actu existentis in homine: ergo potest illi dissentire in sensu composito.

Tertiò nam dicere, quòd ante consensum nostræ voluntatis ponatur in nobis tale auxilium, & tali auxilio posito, non possint homines dissentire, sed necessariò operari ex suppositione talis auxilij; est dicere, quòd ex suppositione eiusdem auxilij non operentur libere, atque adeò, quòd non habeant vsum libertatis: ergo.

Confirmatur. Si Deus vellet sua potentia absoluta necessitate voluntatem ad aliquem actum, non alia ratione id faceret, nisi imprimendo illi talem motionem, qua posita, voluntas non posset non operari talem actum: ergo, si posita in homine motione efficaci, voluntas non potest dissentire in sensu composito; sequitur, quòd necessitetur ad consensum: hac enim ratione beati necessitantur in patria ad amandum Deum, quia posita visione beatifica, non possunt non diligere Deum: ergo.

Quartò. Vt refert Albertus Pighius Campensis, hoc fuit expressum dogma Caluini: asserebat enim, suppositâ motione efficaci hominem non posse dissentire. Verba enim Caluini sunt hæc: *Voluntatem nostram mouet, scilicet Deus, non qualiter multis saculis traditum est, & creditum, vt nostra postea electionis sit motioni eius obtemperare, aut refragari, sed illam efficaciter afficiendo*: ergo sententia, quæ asserit, non posse voluntatem dissentire auxiliis efficacibus in sensu composito, coincidit, saltem in verbis, cum errore Caluini.

Quintò. Concilium aduersùs Lutheranos, & Caluinianos duo definit: alterum est, quòd liberum arbitrium excitatum, & motum à Deo non se habeat merè passiuè, sed liberè cooperetur motioni diuinæ: alterum verò est, quòd possit dissentire, si velit, sed primum planè intelligitur in sensu composito: ergo & secundum; aliàs esset æquiuocatio in verbis Concil. quæ habentur in eodem contextu, quod tamen nullatenus est admittendum, quia definitio illa esset valdè ambigua.

Confirmatur, quia Lutherani, & Caluiniani nunquam dixerũt, hominem non posse dissentire diuinæ motioni efficaci in sensu diuiso, id est, si auferatur motio Dei efficax: sed loquuti sunt in sensu composito, id est, suppositâ motione. Ridiculum enim esset dicere, eos sensisse, hominem non posse gratiæ efficaci dissentire, si auferatur gratia efficax à subiecto. sed docuerunt, hominem non posse dissentire gratiæ in sensu composito, suppositâ videlicet, quòd per eam gratiam moueatur à Deo: ergo Concil. definiens contra eosdem hæreticos, intelligit, quòd possit homo dissentire gratiæ efficaci, etiam in sensu composito.

III. Sextò. Concilium non potuit definire, hominem posse dissentire gratiæ efficaci in sensu diuiso: ergo sentit, quòd possit illi dissentire in sensu composito. Antecedens probatur: nam dicere, hominem posse dissentire gratiæ efficaci, in sensu diuiso, significat, hominem

hominem posse carere motione efficaci, qua si careat, dissentiet. Sed hic sensus manifestam inuoluit implicationem: nam hoc ipso, quòd aliquis vocatione careat, impossibile est, quòd illi dissentiat positiue, moraliter loquendo.

Confirmatur. Concilium non loquitur de potentia metaphysica, & remota, sed de potentia physica, & proxima, quæ potest moraliter reduci ad actum per libertatem hominis, etiam stante motione ipsa efficaci; alias non magis, neque in alio sensu esset vera hæc propositio. Homo potest dissentire auxilio efficaci, quo tangitur: quàm ista: Homo cæcus potest videre: nam etiam in sensu diuiso, hoc est, facta diuisione, & separatione cæcitatis ab homine, non implicat, illum videre.

Septimò Actus qui est necessarius ex suppositione aliqua antecedente consensum liberum nostræ voluntatis, est necessarius absolutè, & non liber, vt patet ex doctrina expressa S. Anselm. lib. de concor. c. 1. & lib. 2. cur Deus homo, c. 17. & 18. vbi distinguit duas suppositiones, vnam antecedentem nostram voluntatem, alteram consequentem; & inquit, illam tollere libertatem, quotiescunque ex eius suppositione actus eius est necessarius, non autem secundum. Etenim homo liberè sedet, quamuis ex suppositione, quòd sedeat, necessarium sit, ipsum sedere: ergo cùm suppositio auxilij efficacis sit suppositio antecedens omnino liberum influxum nostræ voluntatis, vt allerit opposita sententia, sequitur, actum voluntatis, qui est necessarius ex suppositione talis auxilij, esse absolutè necessarium, & non liberum.

IV.

Locis cit. disp. 25. n. 4.

Contraria sententia vera est, & de mente S. Tho. omniúmque doctorum, quos disput. 25. adduximus. Pro cuius explicatione supponendum primò ex S. Thoma, duplicem esse modalem propositionem: Prima est composita, quæ alio nomine appellatur modalis de dicto Secunda est diuisa, quæ solet dici modalis de re. Modalis composita est illa, in qua dictum subiicitur, & modus prædicatur, vt Prædestinatum damnari, est impossibile. Modalis autem diuisa est illa, in qua modus interponitur dicto: vt, Sortem impossibile est currere. Similiter etiam est modalis diuisa, quando modus se tenet ex parte verbi, vt Homo albus potest esse niger. Hoc fundamentum communiter recipitur ab omnibus Dialecticis: illud docet Ferr. 1. contra Gentes, c. 67. circa finem. Sotus lib. 1. summularum, cap. de modalibus.

Propositio modalis est duplex.

Secundò notandum est, quòd formæ importatæ in propositione modali per extrema dicti, aliquando significant actum primum, seu potentiam; vt quando dicimus, risibile esse flebile est possibile: aliquando important actum secundum; vt, si dicamus, ridentem flere est impossibile. Quando ergo extrema dicti significant actum secundum, ad veritatem modalis compositæ de possibili sufficit, vt requiratur, quòd vterque actus significatus per extrema dicti, sit simul compossibilis in eodem subiecto, pro eodem instanti. Etenim hæc propositio. Album esse nigrum est possibile; in sensu composito est falsa; quia albedo, & nigredo non possunt simul compati in eodem subiecto. Quando autem extrema significant actum primum, sufficit, & requiritur ad veritatem modalis compositæ de possibili, quòd ipsæ potentiæ sint compossibiles in eodem subiecto. Vt in hac propositione: Risibile esse flebile est possibile; ad eius veritatem sufficit, & requiritur, quòd potentia ridendi, & potentia flendi possint esse simul in eodem subiecto: nec requiritur, quòd actus ridendi, & actus flendi simul sint compossibiles in eodem.

Quando autem vnum extremum dicti importat actum primum, alterum verò extremum importat actum secundum; tunc ad veritatem modalis compositæ de possibili sufficit, & requiritur, quòd ille actus primus, & actus secundus importati per extrema dicti, simul esse possint in eodem: hæc enim propositio. Risibile esse album est possibile; ideo est vera, quia potentia ridendi, & albedo simul compatiuntur in eodem subiecto.

V.

Propositio modalis vera est necessaria, & falsa est impossibilis.

Tertiò nota, quòd propositio modalis, si vera est, est necessaria; & si est falsa, est impossibilis: ita docet Sotus vbi suprà, & S. Thomas locis disput. 7. num. 7. allegatis. Ad veritatem autem modalis affirmatiuæ de possibili sufficit, & requiritur, quòd eius de inesse, sit possibilis. Verbi gratia, hæc est vera: Album currere est possibile, quia eius de inesse, id est, album currit, est possibilis. Ex quo infero, quòd sensus cõpositus propositionis modalis non est ille, quo vna forma ex importatis per dictum componitur cum subiecto, vt falsò arbitrantur auctores oppositæ sententiæ, sed quo duæ formæ importatæ per extremum dicti simul componuntur in eodem subiecto.

Prima ergo conclusio sit: Quando Theologi, aut Dialectici dicunt, aliquid esse possibile in sensu composito, nihil aliud significant, quàm modalem compositam, modificatam modo de possibili esse veram: similiter etiam, quando dicunt, aliquid esse impossibile in sensu composito, significant, modalem compositam de possibili esse falsam. Verbi gratia, quando dicitur; prædestinatum non posse damnari, in sensu composito, significatur, quòd esse prædestinatum, & actualis damnatio non possint simul eidem competere. Impossibile est enim, quòd aliquis simul sit prædestinatus, & damnetur. Vnde in præsenti controuersia, quando dicitur, hominem motum auxilio efficaci non posse dissentire in sensu composito, nihil aliud significatur, nisi quòd motio illa efficax, & actualis dissensus non sint simul compossibiles in eodem homine; non autem est sensus, quòd motio efficax, & potentia ad dissentiẽdum sint incompossibiles in eodem. Hæc conclusio sic explicata est S. Thomæ 1. parte citata, & 1. contra Gentes, cap 67. & in primo, distinct 38. quæst. vnica, art. 5. ad 3. & Ferrar. vbi suprà. Et probatur ex dictis: nam sensus compositus est proprius modalis compositæ: ergo, vt hæc propositio verificetur: Motus auxilio efficaci potest dissentire in sensu composito; oportet, quòd modalis composita sit vera; sed ad veritatem modalis compositæ requiritur necessariò, quòd extrema importata per dictum simul sint compossibilia in eodem subiecto: ergo ad veritatem huius propositionis: Excitatus auxilio efficaci, potest dissentire in sensu composito, requiritur, quòd motio illa efficax, & actualis dissensus possint esse simul in eodem: sed impossibile est, quòd motio Dei efficax ad cõsentiendum, & actualis dissensus compatiantur simul in eodem: ergo. Minor probatur. nã alias motio Dei efficax non esset efficax. Et confirmatur eadem minor auctoritate expressa S. Thom. q. 23. de verit. art. 5. ad 5. cuius verba referam sequenti conclusione.

Impossibile in sensu composito quid dicatur.

VI.

Lib arb dũ est sub vno actu, retinet simul potentiam ad oppositum.

Secunda conclusio. Si compositio fiat vnius actus cum potentia ad oppositum, verissimè affirmatur, quòd, Motus à Deo auxilio efficaci simul retinet potentiam, qua potest dissentire, si velit. Hæc conclusio colligitur apertè ex S. Th. q. 23. de verit. art. 5. ad 5. vbi ait, quòd, quamuis non esse effectus diuinæ voluntatis, non possit simul stare cum diuina voluntate; tamen potentia efficiendi effectum simul stat cum diuina volũtate: non enim sunt ista incompossibilia: Deus vult istum damnari, & iste potest saluari: sed hæc sunt incompossibilia: Deus vult istum saluari, & iste damnatur. Et idem dicit aliis in locis,

locis,disp.18.num.23.inductis. Proportionabiliter nos dicimus, hæc esse simul compossibilia : Petrus mouetur à Deo auxilio efficaci,& Petrus potest dissentire,si velit : hæc tamen duo sunt incompossibilia:Petrus mouetur auxilio efficaci,& dissentit.Probatur hoc.Auxilium efficax , & potentia ad dissentiendum non opponuntur inter se ; sed solùm repugnant ad inuicem auxilium efficax ad consentiendum , & actualis dissensus : ergo simul sese compatiuntur in eodem subiecto auxilium efficax , & potentia ad dissentiendum. Antecedens probatur: nam auxilium efficax mouet hominem, vt conuertatur liberè:ergo efficit,vt ita conuertatur infallibiliter,vt etiam possit,si velit,non conuerti:hoc enim est de ratione libertatis,quòd scilicet potentia, quæ fertur ad vnum oppositorum , retineat facultatem, qua possit facere actum oppositum,si velit:eò quòd potentia libera se habet indifferenter ad vtrumlibet,vt patebit disp.115.& 116.ergo auxilium efficax non opponitur potentiæ dissentiendi , sed simul compatitur cum illa. Confirmatur : nam sedere , & posse stare non opponuntur inter se : etenim homo per hoc,quòd sedet , non destruit in se aliquam potentiam realem , sed solùm opponuntur sedere , & stare simul.Item forma ligni , qua actuatur materia prima,non est incompossibilis cum potentia,quam habet eadem materia prima ad formam ignis , vel ad aliam formam substantialem ; sed solum est incompossibilis cum alia forma in eadem materia; aliàs materia ligni non haberet appetitum alterius formæ,& ita lignum esset incorruptibile, & similiter esset incorruptibile quodcunque aliud ens naturale , quod tamen Philosophiæ , experientiæque repugnat : ergo similiter motio Dei efficax , & potentia dissentiendi non opponuntur : ergo possunt esse simul.

VII. Auxilio efficaci non potest lib. arb. resistere in sensu cõposito.

Tertia conclusio.Si fiat compositio auxilij efficacis cum actuali dissensu , impossibile est in sensu composito , quòd motus à Deo auxilio efficaci ad consentiendum,dissentiat auxilio gratiæ , vel illud abiiciat.Hæc conclusio est S.Aug.& S Thom. Nam S.Th. 1.par.& q.23.citata de veritate, expresse affirmat , prædestinatum non posse damnari in sensu composito,quia scilicet repugnat , hæc duo esse simul vera,quòd aliquis sit prædestinatus, & damnetur.Similiter & S.Aug.in Ench.ad Laur.c.95.expressè docet , esse impossibile , quòd Deus velit aliquid fieri;& tamen illud non fiat, humana resistente, vel impediente voluntate. Verba August.sunt: *Deus autem noster in cœlo sursum , in cœlo , & in terra , omnia, quæcunque voluit, fecit : Quod vtique non est verum, si aliqua voluit,& non fecit : & quod est indignius , ideo non fecit, quoniam ne fieret, quod volebat Omnipotens, voluntas hominis impediuit.* Et infra: *Neque enim veraciter ob aliud vocatur Omnipotens ,nisi quia quidquid vult.potest;nec voluntate cuius piam creatura voluntatis Omnipotentis impeditur effectus.* Ratione probatur: nam aliquid esse impossibile in sensu composito,nihil aliud est , quàm modalem compositam de possibili non esse veram , vt patet ex fundamentis positis, sed hæc modalis compositа non est vera , nempe,Motum à Deo auxilio efficaci dissentire est possibile:ergo. Minor probatur:nam ad veritatem modalis compositæ de possibili sufficit , & requiritur, vt eius de inesse sit possibilis : sed propositio de inesse prædictæ modalis non est possibilis , scilicet motus auxilio efficaci dissentit:habet enim eandem impossibilitatem, quam ista:Prædestinatus damnatur:ergo.

Solutio.

Respondent ad hoc, quòd, quamuis auxilium efficax, inquantùm efficax , & actualis dissensus non compatiantur simul in eodem;tamen auxilium efficax consideratum in sua entitate,& secundùm suam virtutem intrinsecam , quam habet , & actualis dissensus simul compatiuntur in eodem. Arbitrantur enim , nullum auxilium diuinæ gratiæ esse efficax ab intrinseco , & antecedenter ad nostrum liberum consensum.Sed hæc solutio iam impugnata est disput.18.& 23. & 91. vbi ostensum est, auxilium efficax habere aliquam realem virtutem, secundùm quòd est instrumentum Dei volentis hominem ad se conuertere : quam tamen non habet auxilium,quod est tantùm sufficiens. Cõfutatio.

Quarta Conclusio.Quando Concilium Tridentinum,& Senonen.determinant , hominem excitatum , & motum à Deo posse dissentire , si velit,loquuntur in sensu diuiso , si sermo sit de auxilio efficaci. Itaque iuxta determinationem Concilij , cuicunque auxilio præuenientis grãtiæ potest homo, absolutè loquendo,dissentire,si velit:non tamen est necesse , quòd cuicunque auxilio præuenientis gratiæ possit homo dissentire in sensu composito. Pro expositione huius conclusionis notandum , quòd aliqui Theologi dicunt, Conc.Trid. loqui de auxilio sufficienti, non de efficaci : mihi tamen videtur dicendum cum aliis,quòd loquitur etiam de efficaci.Loquitur enim de auxilio , quod homo habet in instanti iustificationis , quod constat esse auxilium efficax.Est tamen differentia:nam si sermo sit de auxilio sufficienti,homo excitatus tali auxilio , potest illi dissentire , etiam in sensu composito : nam dissensus actualis,& auxilium sufficiens simul compatiuntur in eodem. Si autem loquamur de auxilio efficaci , liberum arbitrium motum tali auxilio potest dissentire absolutè,& in sensu diuiso,non autem in sensu composito : & iuxta hanc doctrinam loquuntur Concilia.Probatur primò:nam dictæ propositiones Conciliorum non sunt modales compositæ , nec habent formam modalis compositæ , sed diuisæ : ergo faciunt sensum diuisum. Antecedens probatur:nam , vt suprà diximus ex S. Thom. tunc modalis est composita,quando subiicitur dictum,& prædicatur modus, vt in hac propositione : Album esse nigrum,est possibile. Sed in prædictis propositionibus non subiicitur dictum , quoniam modus interponitur inter partes dicti, sicut fit in modali diuita:Cõcil.enim ait , liberum arbitrium motum à Deo, & excitatum posse dissentire,si velit : vbi modus ponitur inter extrema dicti : ergo loquitur in sensu diuiso. Secundò probatur : nam hæc propositio:Album potest esse nigrum:Prædestinatus potest damnari , vt iacet; non est modalis composita , nec facit sensum compositum:aliàs esset falsa ; quod est contra S.Th. locis suprà citatis : ergo similiter ista: Motus à Deo auxilio efficaci potest dissentire ; non est modalis composita ; nec facit sensum compositum,sed diuisum.Tertiò idem probatur ex intentione Conciliorum : nam in illis locis intendunt damnare hæresim Lutheranorum asserentium , per præuidentiam diuinam , & per gratiam efficacem destrui libertatem arbitrij ; sed ad hoc damnandum sufficiebat definire,quòd in instanti,in quo liberum arbitrium mouetur à Deo efficaciter , manet in eo libera,& expedita facultas , qua potest non operari, si velit:hoc enim sufficit ad libertatem,quantùm ad exercitium actus:ergo non fuit mens Conciliorum definire,motum à Deo auxilio efficaci posse dissentire in sensu composito.Confirmatur:nam,vt suprà dicebamus,impossibile est in sensu composito,quòd motus à Deo auxilio efficaci dissentiat:hæc enim est impossibilis : Motus auxilio efficaci dissentit : ergo definitio Concilij Tridentini intelligi non potest in sensu composito. Quod etiam colligitur ex verbis Concilij; nam inquit,quòd liberum arbitrium excitatum , & motum à Deo , auxilio videlicet efficaci, aliquid

VIII. Con. Trid. cùm definit , hominem posse dissentire auxilio gratiæ , loquitur etiam de auxilio efficaci.

Digitized by Google

aliquid operatur, assentiendo Deo vocanti, licèt possit dissentire, si velit. In quo & efficaciam gratiæ, & libertatem designant arbitrij. Efficaciam quidem gratiæ: nam virtute illius homo semper consentit, quia gratia ipsa efficax facit ipsum consentire. Libertatem autem arbitrij: nam, licet nunquam stet dissensus cum gratia efficaci, cum eadem tamen gratia simul stat vera, & expedita facultas, qua possit dissentire, si velit, in quo consistit vera libertas arbitrij, vt disp. 115. & 116. patebit.

IX. Necessitas ex suppositione non tollit, nec minuit libertatem.

Quinta conclusio. Necessitas ex suppositione decreti diuini absoluti, & efficacis, vel necessitas ex suppositione auxilij efficacis præoperantis gratiæ nec tollit, nec minuit libertatem arbitrij, quantùm ad exercitium actus, sed eam potiùs perficit, & corroborat. Et idem dicendum est de necessitate conditionata, consequentiæ, & infallibilitatis; & de necessitate in sensu composito. Hæc concl. est S. Tho. qui sub terminis formalibus fatetur, libertatem arbitrij stare simul cum necessitate ex suppositione conditionata, cum necessitate consequentiæ, & infallibilitatis. Id, quod etiam docet S. Augustinus, & communiter Doctores, vt disput. 23. ostensum est ex professo. Præterea probatur. Quoniam etiam auctores oppositæ sententiæ, cùm premuntur argumentis, admittunt necessitatem ex suppositione alicuius antecedentis. Et cum obicitur, quòd tolleretur libertas, respondent per illam distinctionem, de necessario in sensu composito, vel diuiso. Explicantes enim libertatem Christi Domini in adimpletione præceptorum, dicunt, & bene, quòd Christus Dominus libere adimplebat præcepta, quamuis ex suppositione præcepti non potuerit non adimplere in sensu composito. Et loquentes de confirmatione B. Virginis, inquiunt, quòd liberè operabatur bona opera, quamuis ex suppositione gratiæ confirmantis, non potuerit, in sensu composito, non bene potuerit, instante præcepto, aut peccare. Si ergo ipsi hac distinctione vtuntur ad soluendum argumenta, quæ illis obiciuntur contra libertatem arbitrij, & dicunt, eam optimè cohærere cum necessitate ex suppositione gratiæ confirmantis; licebit etiam nobis eadem distinctione vti, & saluare arbitrij libertatem cum necessitate ex suppositione præoperantis gratiæ efficacis. Præterea probatur ratione: nam in sacris literis habentur quamplurima, quæ concordari non possunt, nisi per communem distinctionem de sensu composito, & diuiso. Dicit enim Ioan. *Qui natus est ex Deo, non peccat, sed nec peccare potest*, quod ab omnibus intelligitur in sensu composito, quia videlicet non stant simul hæc duo, quòd quis habeat gratiam habitualem, quæ est semen gloriæ, & peccet mortaliter. Vnde idem S. Ioann. subdit: *Quia semen Dei manet in illo*, quasi dicat, quia non possunt esse simul semen Dei, & peccatum mortale. Denique probatur, ostendendo implicationem sententiæ oppositæ, cuius dicta non consonant inter se. Etenim ex vna parte contendit necessitatē ex suppositione alicuius antecedentis, quod non est in facultate nostra, sed à solo Deo producitur effectiuè, tollere libertatem arbitrij: & ex alia parte consimilem necessitatem admittit. Docet enim, ex suppositione gratiæ congruæ præcognitæ à Deo, per scientiam mediam, quòd talis gratia sit habitura effectum, necessariò conuerti hominem necessitate consequentiæ, & infallibilitatis. Tunc est argumentum. In eorum sententia, illa gratia congrua antecedit nostrum consensum, & talis gratia effectiuè producitur à solo Deo: non enim est in facultate nostri arbitrij, quòd Deus det nobis illam gratiam, tali tempore, vel tali, sed ipse Deus pro sua mera libertate eam tribuit, quibus vult, & quando vult: ergo in eorum sententia tollitur libertas per gratiam illam congruam, vel si non tollitur, etiam non tollitur per gratiam efficacem, quam nos statuimus, quamuis ex suppositione illius non possit homo non conuerti in sensu composito, vt explicatum est. Hæc doctrina amplius patebit ex solutionibus argumentorum.

A B C D E

AD primum argumentum respondetur, Concilium quidem loqui de homine actu excitato, & moto per gratiam efficacem, & de illo determinare, quòd possit dissentire, si velit: sed ex hoc non concluditur, Concilium loqui in sensu composito. Ad impugnationem respondetur ex dictis, quòd sensus compositus illius propositionis non est ille, quo auxilium efficax componitur, & coniungitur cum subiecto, videlicet cum libero arbitrio, vt argumentum intendit. sed quo auxilium efficax, & actualis dissensus simul coniunguntur in eodem subiecto. Et eodem modo respondetur ad confirmationem ex Concilio Senonensi, de quo in disputationibus sequentibus latiùs erit agendum.

Ad secundum respondetur, quòd actu dissentire motioni Dei, & actu abnere illam, dicit quidem respectum ad motionem, & inspirationem præsentem, qua liberum arbitrium actu tangitur, & mouetur à Deo, & de illa dicimus nos, quòd possit homo dissentire illi, si velit: sed nunquam dissentiet, vt constat ex dictis, sicut homo albus potest esse niger, sed tamen quamdiu est albus, nunquam erit niger. Secundò respondetur, quòd quamuis actualiter dissentire dicat relationem ad motionem præsentem, tamen posse dissentire non dicit solum relationem ad motionem præsentem sed ad præsentem, vel possibilem, quia verbum, potest, ampliat ante se, & post se omnes terminos ad possibilia. Vnde non solùm potest liberum arbitrium dissentire motioni Dei, qua actu tangitur, sed etiam illi, qua tangi potest, & moueri: actualis tamen dissensus hominis semper est respectu motionis, qua actu excitatur.

X. XI.

Ad tertium respondetur, quod etiam posito auxilio efficaci in voluntate, componitur cum illo potentia ad dissentiēdum, quamuis nulla sit potētia ad comungendum actualem dissensum cum auxilio efficaci nam, vt dictum est, auxilium efficax non opponitur potentiæ dissentiendi, sed actuali dissensui: aliud est enim posse dissentire, aliud verò actu dissentire. Vnde per tale auxilium non læditur in aliquo, neq; impeditur vsus actualis nostræ libertatis.

Deus quamlibet potest necessitare voluntatē ad aliquem actum.

Ad confirmationem respondetur, quod, si Deus vellet necessitare voluntatem ad aliquem actum, ita vt in exercitio non esset liber ea libertate, quæ requiritur ad meritum, vel demeritum, posset id facere imprimendo voluntati talem qualitatem, seu motionem præuiam, vt per illam naturaliter, siue ad modum naturæ, determinaretur ad vnum, medio iudicio, naturaliter determinato ad vnum, quo videlicet intellectus iudicaret, bonum, propositum voluntati, habere necessariam connexionem cum bono in communi, ad quod naturaliter est determinata voluntas. Et isto modo necessitatur voluntas in patria ad diligēdum Deum. Cuius ratio est, quia per visionem beatificam expletur tota capacitas creaturæ intellectualis, & aufertur, respectu illius obiecti, indifferentia iudicij, in quo fundatur libertas voluntatis: intellectus enim non potest in patria proponere voluntati, vt bonum, cessationem ab actu dilectionis beatificæ. Vnde respectu talis actus necessitatur volūtas ea licitissima quadam necessitate. Hæc autem ratio non procedit de auxilio efficaci, respectu piæ operationis, quæ habetur in via: nam per tale auxilium non aufertur potestas, qua intellectus potest proponere volūtati, vt bonum, cessare ab illo

Digitized by Google

ab illo actu, nec etiam à voluntate auferetur facultas, qua poteſt non operari, ſi velit. Sed contra hoc vrget argumentum: nam etiam dilectio beatifica ſolùm eſt neceſſaria ex ſuppoſitione luminis gloriæ: etenim, ſi auferatur lumen gloriæ, nulla remanebit neceſſitas diligendi Deum: ergo eadem prorſus neceſſitate eſt neceſſaria dilectio beatifica, ſicut in via eſt neceſſarius actus charitatis. Reſpondetur ex dictis diſp. 22. n. 43. quòd, quamuis amor beatificus ſit neceſſarius, ſuppoſito lumine gloriæ, & ſtatu beatifico; nihilominus eſt neceſſarius ſimpliciter, & non neceſſitate dūtaxat ſuppoſitionis. Et ratio eſt, quoniam in illo ſtatu manet expleta tota capacitas intellectualis naturæ. Vnde non ſolùm non habebit actum contrarium viſioni, aut dilectioni beatificæ, ſed nec etiam poterit illum habere: ſicut materia cœli non ſolùm non habebit aliam formam ab ea, quam actu habet, ſed neque poteſt illam habere; quia per formam, quam habet, expletur tota capacitas illius. Hæc autem ratio non procedit de actu charitatis, qui habetur in via. Vnde dilectio beatifica eſt neceſſaria abſolutè, & non libera libertate ſufficienti ad meritum. Conuerſio autem peccatoris eſt ſimpliciter libera, quamuis ſecundùm quid, ſit neceſſaria neceſſitate ſuppoſitionis, vt diſput. 22. 23. & 25. explicatum eſt.

Obiectio.

Solutio.

XII. Amor beatificus eſt ſimpliciter actus neceſſarius, & non liber.

XIII. Pelagius, & Caluinus eodem argumento conuicti in contrarios errores incidérunt.

Ad quartum reſpondetur, quòd Pelagius, & Caluinus, & Lutherus eadem via, atque eodem argumento conuicti in contrarios errores inciderunt; exiſtimantes enim, hanc conſequētiam eſſe euidentem: Datur gratia efficax præueniens, per quam Deus facit nos facere: ergo per illam tollitur libertas noſtri arbitrij: vnus illorum, videlicet Lutherus cum ſequacibus concedendo gratiam efficacem, impiè aſſeruit, per illam deſtrui libertatem arbitrij, atque adeò liberum arbitrium eſſe in homine rem de ſolo titulo. Alter verò, hoc eſt, Pelagius cum Semipelagianis argumentati ſunt ex oppoſito conſequentis ad oppoſitum antecedentis: Eſt in homine liberum arbitrium: ergo non eſt admittenda gratia efficax præueniens, per quam Deus facit, vt faciamus. Vnde concedentes liberum arbitrium, impiè dixerunt, gratiam eſſe rem de ſolo titulo, negantes adiutorium gratiæ efficacis præuenientis. Verum eſt, fuiſſe differentiam inter Lutherum, & Caluinū, quòd Lutherus aſſeruerit, liberum arbitrium merè paſſiuè ſe habere, recipiendo dumtaxat opera tam bona, quàm mala, quæ dicebat fieri à ſolo Deo in nobis, vt patet ex definitione Conc. Trid. facta contra illum, ſeſſ. 6. c. 5. & can. 4. Caluinus autem, vt ſuprà aduertimus, moderatus, vtcunque errorem Lutheri aſſeruit, hominem actiuè concurrere ad ſuum actum. non tamen liberè, ſed ſponta neè, quia non contradicebat, ſicut equus, & mulus, cùm ducitur à ſeſſore, & non recalcitrat. Nos autem aſſerimus, conſequentiam illam eſſe peſſimā, atque adeò optimè componi, & ſaluari libertatem arbitrij cum efficacia præoperantis gratiæ. Neque errauit Caluinus, quia dixit, Deum per gratiam efficacem operari in nobis velle: id enim docet Apoſtolus; ſed quoniam aſſeruit, ita operari Deum in nobis velle, vt liberum arbitrium non producat liberè ipſum velle. Nos autem dicimus, quòd Deus operetur in nobis velle, & nos libere cooperemur Deo, producendo ipſum velle, virtute motionis efficacis.

Diſp. 3 n. 9.

XIV. Ad quintum reſpondetur, quòd ſenſus compoſitus, vel diuiſus eſt proprius modalis compoſitæ, vel diuiſæ: illa autem propoſitio: Liberum arbitr. excitatum, & motum à Deo, non ſe habet merè paſſiuè, ſed liberè cooperatur; non eſt modalis propoſitio, ſed ſimplex, quæ in communi modo loquendi ſemper accipitur eodem modo, altera verò propoſitio, nempe: Liber. arb. motum à Deo poteſt diſſentire, ſi velit, vere eſt modalis, & cum habeat formā modalis diuiſæ, facit ſenſū diuiſum, vt ſuprà oſtenſum eſt.

Ad confirmationem reſpondetur, quòd Lutherani, & Caluiniani arbitrati ſunt cum auxilio efficaci non poſſe eſſe ſimul potentiam ad oppoſitum actum nec facultatem, qua homo poſſit diſſentire, ſi velit: nos autem aſſerimus, quòd cum auxilio efficaci ſtat ſimul potentia ad oppoſitum actum, ſcilicet ad diſſentum. Hoc docet expreſsè S. Aug. tum in locis citatis, tum etiam lib. de dono perſeu. c. 6. vbi ait: *Quomodo poteſt amitti, per quod ſit, vt non amittatur, etiam quòd poſſit amitti?* Et loquebatur de dono perſeuerantiæ. Proportionabiliter dicimus nos, quòd diſſenſus actualis non ſtat ſimul cū auxilio efficaci: nā ipſum auxilium efficit, quòd homo nō diſſentiat, etiam ſuper liberum arbitr. poſſit diſſentire, ſi velit.

Ad ſextum argumentum negatur antecedens. Ad probationem reſpondetur, quòd hæc propoſitio: Petrus motus auxilio efficaci poteſt diſſentire: accepta in ſenſu diuiſo, habet legitimum, & planum ſenſum: verificatur enim ſic: Petrus mouetur, vel poteſt moueri à Deo auxilio efficaci, & Petrus poteſt diſſentire, ſi velit. Vtraque enim propoſitio eſt verillima, quemadmodum hæc propoſitio: Petrus albus poteſt eſſe niger, in ſenſu diuiſo accepta verificatur ſic: Petrus eſt, vel poteſt eſſe albus, & Petrus eſt, vel poteſt eſſe niger: ergo Petrus albus poteſt eſſe niger. Ratio huius eſt, quoniam verbum, *poteſt*, amplıat ante ſe, & poſt ſe ad poſſibilia.

Con Trid. circa gratiā efficacem expēditur.

XV. Et, ſi fiat argumentum quoniam illa propoſitio: Petrus poteſt diſſentire auxilio efficaci, eſt falſa: quia ſua de meſſe, per quam immediate regulatur, eſt impoſſibilis, videlicet illa: Petrus diſſentit auxilio efficaci: nam, vt dictum eſt, implicat, hæc duo ſimul eſſe vera, quòd videlicet auxilium efficax ſit in Petro, & Petrus diſſentiat.

Reſpondetur, illam propoſitionem eſſe veram, & ad impugnationem dicimus, quòd, vt verificetur illa propoſitio, non requiritur, hæc duo ſimul eſſe vera, quod auxilium efficax ſit in Petro, & Petrus diſſentiat. Etenim, cùm dicimus: Petrus diſſentit auxilio efficaci, non eſt ſenſus, quòd diſſentiat auxilio efficaci, quod actualiter eſt in Petro: ſed quòd apponat impedimentum efficaci auxilio, quod ſibi offertur à Deo, cùm mouetur per gratiam ſufficientem: quemadmodum ſupremus gradus albedinis præſtat impedimentum cuicunque gradui nigredinis, nō quidem exiſtenti in ſubiecto, ſimul cum ſumma albedine; quia nullus gradus nigredinis eſt compoſſibilis cum albedine in ſummo: ſed qui exiſteret, mihi impediretur per ſummam albedinem. Sed vrget adhuc argumentum, quia lib. arb. non ſolùm poteſt reſiſtere, aut diſſentire auxilio efficaci ſibi oblato, ſed etiā auxilio efficaci, quod in ſe recipit: ergo propoſitio illa de meſſe erit poſſibilis: Liberū arbit. reſiſtit, vel diſſentit auxilio efficaci, quo actu mouetur, ac per conſequens, auxilium efficax, & actualis diſſenſus poterunt componi, ſeu ſimul poni in eodem ſubiecto. Reſpondetur, quòd illa propoſitio: Liberū arb. poteſt diſſentire auxilio efficaci, quo actualiter mouetur à Deo, eſt quidem vera, abſolutè loquendo, & in ſenſu diuiſo, non autem in ſenſu compoſito. Sed non debet, nec poteſt regulari, aut probari per propoſitionem de ineſſe, propter connotationem virtualem, ſeu modum, qui ſe tenet ex parte prædicati, & æquialenter reducitur ad connotationem ex parte ſubiecti, ratione cuius ſi reduceretur ad propoſitionem, de ineſſe, faceret ſenſum compoſitum, & haberet eundem ſenſum, quem facit propoſitio de ineſſe modalis compoſitæ. Vnde prædicta propoſitio non aliter debet regulari, aut probari, quam

Obiectio.

Solutio.

per

per simplicem conuenientiam extremorum. Quia ergo posse dissentire auxilio efficaci competit libero arbitrio, moto eodem auxilio ad operandum, ideo illa propositio est vera in sensu diuiso.

Ad confirmationem, fatemur, Concilium loqui de potentia physica, quæ potest reduci in actum, absolutè loquendo: sed tamen illa potentia nunquam reducetur in actum, stante in homine auxilio efficaci, quia ipsum auxilium facit, quod illa potentia non reducatur in actum eidem auxilio repugnantem. Sicut potentia, quam habet materia ligni ad formam ignis, physica est, & realis, sed nunquam reduceretur in actum, perseuerante in eadem materia forma ligni alias eadem materia simul a tuaretur duabus formis substantialibus, scilicet forma ligni, & forma ignis: & ita haberet duplex esse substantiale, quod est impossibile.

Ad vltimum argumentum iam patet ex dictis disputatione 25. qualiter possit esse simul libertas nostri arbitrij cum necessitate ex suppositione voluntatis diuinæ, vel auxilij efficacis. Et ad impugnationem iam disputatione 22. numer 40. respondimus, vbi luce clarius ostendimus, Anselmum non a suersari, sed potiùs fauere nostræ sententiæ, & legitimum sensum illius in verbis inductis explicuimus.

DISPVTATIO XCIII.

Vtrùm Liberum Arbitrium creatum possit resistere auxilio efficaci, propriè loquendo de resistentia.

I. QVæ in superioribus explicatum sit, in quo sensu possit liberum arbitrium dissentire Deo vocanti, & mouenti: & præuenientem gratiam abiicere, reliquum est, vt explicemus, Vtrùm, proprie loquendo, possit auxilio efficaci resistere, an verò, sicut non potest Deo resistere, ac voluntati eius consequenti iuxta ea, quæ disp. 31. & 32. dicta sunt, ita etiam auxilio efficaci resistere non valeat.

Auctores, qui negát, Deum suo auxilio efficaci efficere actiuè propriè, vt liberum hominis arbit. piè cooperetur; docent consequenter, quòd, quamuis creata volũtas non possit resistere Deo, aut eius voluntati beneplaciti, nihilominùs verè potest resistere cuicunque motioni creatæ, & cuicunque auxilio, quantumuis efficaci. Probari potest hæc sententia

Primò: nam in Concilio Trid. expressè definitur, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum (& loquitur etiam de arbitrio moto auxilio efficaci) posse dissentire eidem auxilio: dissentire autem idem est, quod resistere. non enim resistit arbitrium auxilio, nisi dissentiendo, & non operando actum, ad quem mouetur, aut etiam operando actum oppositum. Et in Concil. Senon. decr. fidei 15. definitur: *Nec tale est Dei trahentis auxilium, cui resisti non possit*: ergo.

Secundò arguitur auctoritate S. Thom quodl. 1. art. 7. ad 2. vbi ait, quòd *Deus mouet omnia secundum modum eorum, & id quod diuina motio inquibusdam participatur cum necessitate, in natura autem rationali cum libertate, propter hoc, quòd virtus rationalis se habet ad opposita: & ideo sic Deus mouet mentem humanam ad bonum, quod tamen potest huic motioni resistere.* Quibus verbis S. Thomas ex eo probat, voluntatem hominis moueri à Deo liberè, quia motioni eius potest resistere. Sentit ergo, voluntatem hominis resistere posse motioni efficaci: alias enim non moueretur ab ea liberè.

Tertiò. Causa, quæ habet æqualem, vel maiorem virtutem, potest resistere alteri habenti minorem virtutem, vel actiuitatem, sed liberum arbitr. habet maiorem virtutem quacunque motione, vel entitate in eo recepta: nam talis motio est inferior arbitrio, & subiacet, quãtùm ad vsum, potestati eiusdem arbitrij, sicut subiacent habitus, quibus vtimur, cùm volumus: ergo potest cuicunque motioni Dei, quantumuis efficaci resistere.

II. Auxilium efficax potest dupliciter considerari, scilicet secũdùm suam entitatem, & vt est instrumẽtũ diuinæ voluntatis.

Ad hanc quæstionem sub distinctione respondent Doctores, qui sentiunt ex mente S. Aug. & S. Tho n. Deum suã gratia efficaci, non solùm moraliter, sed etiam propriè efficere, vt liberum arbitrium cooperetur, & consentiat Deo vocanti, & excitanti; quorum sententiam veram esse reputo, & sacris Scripturis, & Conciliis valde conformem. Ad cuius euidentiam obseruandum est, quòd auxilium efficax potest dupliciter considerari. Primò, secũdùm suam entitatem præcisè, quatenus videlicet est quædam realis motio, seu entitas creata in intellectu, & voluntate recepta. Et secũdùm istam rationem, nulla est controuersia inter auctores vtriusque sententiæ, cùm omnes fateantur, liberum arbitrium resistere posse auxilio efficaci, si secundùm suam entitatem præcisè consideretur. Alio modo potest considerari secundùm omnem realem virtutem, quam habet, vt venit a Deo, & vt est instrumentum voluntatis Dei, volentis efficaciter hominem, cuius cor mouet, ad se conuertere. Et secundùm istam rationem dicendum est, liberum arbitrium creatum resistere non posse auxilio efficaci, propriè loquendo de resistentia, sicut non potest resistere Deo, aut eius voluntati. Probatur hoc omnibus locis Scripturæ, testimoniis SS Patrum, & rationibus Theologicis, quibus disp. 31. & 32. ostensum est, liberum arbitrium Deo resistere non posse, aut voluntati eius efficaci. Idem enim probant de auxilio efficaci arbitrio creato inhærente, secundùm quòd est instrumentum voluntatis diuinæ, quæ per illud auxilium operatur quæcunque vult: & possumus formare argumentum in hunc modum: Auxilium efficax, vt est instrumẽtum voluntatis diuinæ, cõtinet intentionaliter virtutem Dei: nam virtus principalis agentis est in instrumento, secundùm quendam modum incompletum, vt q. 3. de potentia, art. 7. ad 7. & in 4. sent. d. 1. q. art. 4. q 1. c. docet S. Thom. sed liberum arbitrium creatum non potest Deo resistere, aut eius voluntati absolutæ, vt disp. 31. & 32. ostensum est: ergo nec motioni efficaci, vt est instrumentum Dei, volentis hominem ad se conuertere. Probatur consequentia: nam resistere instrumento, inquantùm actu mouetur à principali agente, est resistere virtuti principalis agentis, cùm omne instrumentum operetur in virtute agentis principalis, neque habeat, inquãtùm instrumentum, aliam actionem, nisi ipsam actionem principalis agentis, quod per instrumentum operatur, & in eo limitat suam virtutem ad causandum per tale instrumẽtum ipsum effectum, & non aliter.

Auxilio efficaci, vt est instrumẽtũ diuinæ voluntatis, nullus potest resistere.

Confirmatur: nam S. Th. 1. 2 q. 112. art 3. in corp. ex eo, quòd intentio Dei, quæ est in motione eius, vel auxilio efficaci, deficere non potest: concludit, quòd, *si ex intentione Dei mouentis est, quòd homo, cuius cor mouet, gratiam consequatur, infallibiliter ipsam consequitur, secundùm illud Ioann. 6. Omnis qui audit à Patre, & didicit, venit ad me.* Et idem probat 1. 2. q. 24. art. 11. in corp loquens de actu charitatis: ergo sicut liberum arbitrium creatum, resistere non valet intentioni voluntatis diuinæ: ita etiam non potest

rit resistere auxilio efficaci, inquantùm continet intentionaliter, & secundum modum quendam incompletum virtutem eiusdem intentionis diuinæ.

Confirmatur auctoritate S. Hieron. qui explicans illud ad Ephesios 1. *Prædestinati secundùm propositum eius, qui vniuersa operatur, secundùm consilium voluntatis suæ*, inquit: *Prædestinatio, & propositum simul posita sunt iuxta quæ operatur omnia Deus, secundum consilium voluntatis suæ, quo vniuersa, quæ facit, consilio facit, & voluntate, quòd scilicet & ratione plena sint, & potestate faciendis. Nam homines pleraque volumus facere consilio, sed nequaquam voluntatem sequitur effectus. Illi autem nullus resistere potest, quin omnia, quæ voluerit faciat.*

III. Resistere, & dissentire posse auxilio gratiæ differunt inter se.

AD primum argumentum ex Conc. Trid. & Senonen. iam in disputatione præcedenti, & aliàs sufficienter, vt arbitror, responsum est. Nunc autem dicimus, Conc. Trid. quod formaliùs de gratia, & libero arbitrio loquutum est, nunquam vsum fuisse verbo illo, *resistere*, sed verbo *dissentire*, & *abiicere*, vt insinuaret, non esse idem formaliter, resistere, seu posse resistere auxilio efficaci, & posse dissentire, seu abiicere gratiam vocationis, nisi verbum, *resistere*, in generali quadam significatione accipiatur, vt significat idem, quod *dissentire*. Etenim, si strictè verba hæc, *dissentire*, & *resistere* accipiantur; differunt in hoc, quòd *posse dissentire*, conuenit intrinsecè potentiæ liberè consentienti, eò quòd facultas ad opposita, scilicet ad operandum, & non operandum, est de intrinseca ratione potentiæ liberæ, vt patebit infrà. Vnde eo ipso quòd Deus decreuit, & ordinauit, vt liberum arbitrium liberè consentiat Deo excitanti, & vocanti, consequenter ordinauit, vt ita consentiat, quòd possit dissentire, si velit; ac per consequens ex hoc, quòd liberum arbitrium possit dissentire Deo mouenti, non sequitur, quòd possit Deo resistere, aut eius voluntati efficaci; sed potiùs infertur, quòd exequatur diuinam voluntatem, secundùm modum, quem eidem arbitrio creato constituit, vt explicat S. Thom. 1. 2. q. 10. art. 4. ad 1. & 1. part. q. 19. art. 8. præsertim in solut. ad 1. & q. 83. art. 1. Cæterùm verbum, *resistere*, in sua formali significatione importat quandam renitentiam, quæ respectu Dei non potest competere alicui creaturæ propter rationes disp. 31. & 32. assignatas. Vnde, licèt arbitrium motum auxilio efficaci ad consentiendum, possit dissentire, si velit, non tamen potest Deo resistere, vel auxilio eius efficaci: secundùm quòd est instrumentum voluntatis diuinæ. Et iuxta hæc, dicendum est ad Concilium Senonen. quòd, cùm inquit: *Liberum arbitrium posse resistere Dei trahentis auxilio*, loquitur de auxilio, secundùm quòd est entitas, & causa quædam particularis, non autem secundùm quòd in illo est intentio voluntatis diuinæ, quæ est causa vniuersalis omnium entium: nam, si sub hac ratione posset resistere auxilio efficaci, etiam posset voluntati Dei resistere, cuius contrarium ostensum est suprà. Habet hæc doctrina, siue expositio magnum fundamentum in S. Tho. 1. p. quæst. 103. art. 8. in corp. vbi inquiens, an aliquid possit reniti contra ordinem gubernationis diuinæ, respondet, nihil posse contraniti ordini diuinæ gubernationis, secundùm quòd progreditur a causa vniuersali gubernatiua totius, bene tamen secundùm quòd progreditur à causa particulari, quæ est exequutiua diuinæ gubernationis. Sed de hoc iam disp. 31. & 32. egimus ex professo. Vel potest explicari Concilium de resistentia, in generali quadam acceptione, quatenus posse resistere, significat idem quod posse dissentire, si velit, vt loquitur sacrum Concilium Tridentinum. Aut, si magis placet, dicat Theologus,

IV. Conc. Senon. doctrina circa gratiam efficacè expenditur.

A Conciliũ Senonense loqui de auxilio efficaci oblato à Deo, non autem de auxilio efficaci recepto in ipso arbitrio: quæ explicatio colligitur ex ipso contextu. Nam loca Scripturæ adducta à Concil. ostendunt, ipsum loqui de auxilio efficaci oblato, cui restiterunt Iudæi.

Ad secundum argumentum ex auctoritate S. Th. respondetur per ea, quæ dicta sunt ad Conc. Senon.

Ad tertium respondetur, quòd liberum arbitrium habet maiorem virtutem quacunque motione in eo recepta, si consideretur illa motio secundum suam entitatem, præscindendo à decreto voluntatis diuinæ, cuius est instrumentum, non autem si consideretur, secundùm quòd est instrumentum Dei, volentis efficaciter hominem ad se conuertere, & quatenus in se continet intentionaliter virtutem voluntatis diuinæ, cui nulla creatura valet resistere. Nec talis motio secundùm istam rationem subiacet, quantùm ad vsum, potestati arbitrij creati, sed potiùs voluntatem humanam sibi subiicit, & obsequentem facit, vt disp. 78. ostensum est.

DISPVTATIO XCIV.

Quomodo explicandus sit, & intelligendus sensus compositus, & diuisus, cùm asseritur liberum arbitrium à Deo motum auxilio efficaci, non posse in sensu composito dissentire, aut non conuerti, sed solùm in sensu diuiso.

MANC difficultatem breuiter attigimus disp. 18. & 23. & de illa iterum agendum erit disp. 115. nunc autem est ex professo discutienda, & explicanda, quoniam aliqui doctores, etiam ex illis, qui fatentur, concedendum esse auxilium efficax physicè prædeterminans nostram voluntatem ad actus supernaturales salua eius libertate, dicunt, quòd sensus compositus in prædicta propositione, idem est, ac posito, & explicato auxilio: diuisus autem est considerando voluntatem absolutè, & sine auxilio. Ita dicit F. Petrus Alorca Doctor Complutensis 1. 2. q. 111. artic. 3. circa finem. Similiter etiam illi, qui arbitrantur, destrui libertatem arbitrij, si asseratur, voluntatem nostram non posse in sensu composito dissentire vocationi, seu motioni Dei efficaci; ex eo id asserunt, quia non rectè explicant sensum istum compositum. Dicunt enim, hanc propositionem: Liberum arbitrium, motum à Deo auxilio efficaci, non posse dissentire in sensu composito, nihil aliud significare, nisi quòd quamdiu illa motio efficax est in homine, non possit illi dissentire; ablata verò motione, possit dissentire, ac si motio illa existens in voluntate auferret ab ea potentiam ad dissentiendum, si velit; Et istum sensum impingunt doctoribus, qui prædictam propositionem admittunt, cùm tamen ab eorũ mente sit omnino alienus. Probant suam sententiam: nam sensus cõpositus est ille, quo motio efficax, vel alia forma ponitur in subiecto, seu simul componitur cum illo, vt patet ex ipsa nominis etymologia. Sensus autem diuisus est, quo eadem forma separatur à subiecto, & diuiditur ab illo: ergo dicere, liberum hominis arb. non posse in sensu composito dissentire motioni efficaci, sed solùm in sensu diuiso, nihil aliud est, quàm asserere, quòd toto tẽpore, quo motio illa est in homine, reuerà non possit illi dissentire. Separata verò, & diuisa

I.

eadem

eadem motione ab homine, poſſit diſſentire, vel non operari.

11. Lutherani, & Caluiniani non penetrantes prædictam diſtinctionem de neceſſitate in ſenſu compoſito, vel diuiſo, nec eam admittentes, de medio abſtulerant libertatem arbitrij. Cùm enim in ſacris literis, & Patribus, præſertim in S. Auguſtino expreſsè haberi fateantur, nominem non poſſe aliud facere (quod in ſenſu compoſito intelligendum eſt, niſi illud, quod abſoluto, & efficaci decreto Deus voluit ab homine fieri, & ad quod faciendum impulerit, & conſequenter id negare non poſſint, aſſeruerunt, liberum arbitrium eſſe rem de ſolo titulo, aut eſſe titulum ſine re, quia capere non potuerunt, qualiter cum prædicta efficacia decreti, & motionis diuinæ, cui in ſenſu compoſito voluntas creata non poteſt reſiſtere, ſimul ſtet eius libertas.

Vt ergo viam facilem aperiamus, qua Lutherani, & Caluiniani ad Eccleſiam Catholicam poſſint redire, & veram intelligentiam ſenſus compoſiti, & diuiſi, de quo nunc agimus, ſtatuamus; ſupponenda eſt imprimis legitima definitio liberi arbitrij, quam diſputat. 115. ſubiiciemus, & explicabimus, vbi alia quamplurima, quæ ad præſentem nodum diſſoluendum non parum conducunt, explicanda erunt.

Senſus compoſitus, & diuiſus à peritur.

Secundò ſupponendum eſt, in libero arbitrio ſimul eſſe potentiam ad oppoſita, non autem eſſe in illo potentiam ad oppoſita ſimul habenda. Etenim in libero arbitrio ſimul eſt potentia ad aſſentiendum, & diſſentiendum, quę ſunt oppoſita contraria; ad operandum, vel non operandum, quæ opponuntur contradictorié: non tamen eſt in illo potentia, ad aſſentiendum, & diſſentiendum ſimul; vel ad operandum ſimul, & non operandum. Cuius ratio eſt: nam potentia ad vnum actum non opponitur potentiæ ad actum contrarium: duo autem actus contrarij ſunt incompoſſibiles in eodem ſubiecto, nec poſſunt ſimul de eodem viuificari, ſicut nec duę contradictoriæ verificantur de eodem. Hoc ſub aliis terminis explicare poſſumus, ſi dicamus cum Capreolo, in libero arbitrio eſſe ſimultatem potentiæ ad oppoſita, non autem potentiam ſimultatis; id eſt, potentiam ad oppoſita ſimul habenda.

Capreol.

Lib. arb. non poſſe in ſenſu cõpoſito diſſentire auxilio efficaci, quid ſit

Igitur, quando S. Thomas, vel eius diſcipuli dicunt, liberum hominis arbitrium motum à Deo auxilio efficaci, non poſſe in ſenſu compoſito diſſentire aut non operari, nihil aliud ſignificatur, quam motionem illam efficacem, & actualem diſſenſum non poſſe ſimul poni in eodem arbitrio: qui ſenſus eſt Catholicus, ac per conſequens propoſitio illa eſt Catholica. Et in hoc ſenſu aliqui ex antiquis, gratiam efficacem phyſice prædeterminantem impugnantibus, explicant illam propoſitionem: Prædeſtinatus poteſt damnari, quæ in ſenſu diuiſo eſt vera; in ſenſu autem compoſito falſa, & impoſſibilis, quia ſignificat, quòd ad hoc ſe libertas extendat, vt poſſit ſimul in vnum coniungere damnationem cum prædeſtinatione, quod eſt impoſſibile. Et ad argumentum, quod ſolet obijci: nam prædeſtinatio eſt ſuppoſitio antecedens noſtram voluntatem ergo ſi ſuppoſita prædeſtinatione, non poteſt quis damnari in ſenſu compoſito, ſequitur, quòd neceſſariò ſaluetur, & non liberè reſpondent, negandam eſſe conſequentiam ſimpliciter, & aſſignant rationem, quia ad libertatem abſolutè, & ſimpliciter ſufficit hæc poteſtas, quæ vocatur in ſenſu diuiſo: nam in prædeſtinato vere, & realiter manet poteſtas ad vtrumque, non obſtante prædeſtinatione Dei, eò quòd, etiam ſi ſupponatur perſona prædeſtinata, ad hanc vere retinet poteſtatem peccandi, & perſeuerandi in peccato, ſi voluerit, quamquam hæc poteſtas nunquam ſit reducenda in actum prædeſtinationi contrarium. Et hæc eſt communis intelligentia Doctorum, vt ex dictis diſp. 43. colligi poteſt. Probatur hoc enim ſenſus compoſitus non eſt ille, quo forma importata per vnum extremum ponitur in ſubiecto, ſed quo duæ formæ importatæ per vtrumque extremum, ſimul ponuntur in eodem ſubiecto. Sicut cum dicimus: Album poteſt eſſe nigrum, in ſenſu compoſito, non ſignificamus, quòd albedo ſit aut eſſe poſſit ſeorſum in aliquo ſubiecto, vel nigredo ſit, aut eſſe poſſit in aliquo ſubiecto: ſed ſenſus eſt, quòd albedo, & nigredo ſimul ſunt compoſſibiles in eodem ſubiecto: & propterea propoſitio illa in ſenſu compoſito eſt falſa, quia impoſſibile eſt, quòd aliquid ſit nunc album, & nigrum: ergo ſimiliter cum aſſeritur, liberum arbitrium, motum à Deo auxilio efficaci, non poſſe in ſenſu compoſito diſſentire, non ſignificatur ſolùm, quòd auxilium efficax ſit, aut eſſe poſſit in libero hominis arbitrio, vel quod ſenſus ſit, aut eſſe poſſit in libero hominis arbitrio, vel quòd diſſenſus ſit, aut eſſe poſſit in libero arbitrio, ſed quòd auxilium efficax, & diſſenſus actualis non poſſint eſſe ſimul in eodem.

Confirmari poteſt hæc doctrina argumento ad hominem contra auctores oppoſitæ ſententiæ nam cum vi argumentorum premuntur, quibus probari ſolet, cum infallibilitate præſcientiæ diuinæ cohærere nõ poſſe arbitrij noſtri libertatem. nam ſuppoſita præſcientia, qua Deus præſciut, Petrum eſſe conſenſurum, impoſſibile eſt, quòd diſſentiat; reſpondetur, id eſſe impoſſibile in ſenſu compoſito, quia videlicet repugnat, hæc duo ſimul eſſe vera, quòd ſciuerit Deus ſcirat, Petrum cõſenſurum, & nihilominùs Petrus non cõſentiat, ſed diſſentiat; aliàs falſificaretur ſcientia diuina, quod eſt impoſſibile. Neque aliter poſſunt & ipſi ſenſum compoſitum explicare: ergo ſimiliter, quando nos aſſerimus, liberum arbit. motum a Deo auxilio efficaci ad conſentiendum non poſſe in ſenſu compoſito diſſentire; ſenſus eſt, implicare contradictionem, hæc duo ſimul eſſe vera; quòd nempe auxilium efficax ad conſentiendum ſit in homine, & homo diſſentiat. Ex quo rurſus nos concludimus, quòd, ſicut præſcientia, qua Deus nouit, Petrum conſenſurum, non aufert ab eo potentiam, qua poteſt diſſentire, ſi velit, ſed ſolum tollit ab eo actum diſſentiendi; ac per conſequens talis præſcientia nullo modo aufert, vel impedit arbitrij noſtri libertatem, etiam quantùm ad actualem vium illius: ita æternum, abſolutum, & efficax decretum voluntatis diuinę, quo Deus per auxilium efficax præoperantis gratiæ efficit Petrum conſentire; non aufert ab eo potentiam, qua vere poteſt diſſentire, ſi velit, ſed ſolum facit, quòd, eum per libertatem arbitrij diſſentire poſſit Deo vocanti; non tamen diſſentiat: de quo plura diximus diſp. 18. n. 23. diſp. 24. per tot. Reſpondẽt, non eſſe eandem rationem de neceſſitate in ſenſu compoſito, ſiue ex ſuppoſitione præſcientiæ diuinæ, ac de neceſſitate in ſenſu compoſito, ſiue ex ſuppoſitione auxilij efficacis gratiæ liberum arbitr. phyſicè prædeterminantis ad conſenſum: nam illa neceſſitas eſt conſequens ipſam liberam operationem liberi arbitrij futuram: hæc autem eſt antecedens: ac propterea, iuxta doctrinam Anſelmi, illa neceſſitas libertatem non lædit, hæc autem omnino illi repugnat. Sed hæc obiectio tacta fuit, & ſoluta diſputatione vigeſimaſecunda, numero quadrageſimo, & quadrageſimoprimo, vbi expendimus doctrinam Anſelmi, & oſtendimus neceſſitatem in ſenſu compoſito, ſiue ex ſuppoſitione decreti efficacis voluntatis diuinæ, antecedentis in ſigno rationis præſcientiam cooperationis arbitrij futuræ,

Vide diſp. 115. n. 4. & 5.

Solutio.

Cõfutatio.

futuræ, etiam ex hypothesi, quòd in talibus circumstantiis constituerentur, non esse necessitatem antecedentem, de qua loquitur Anselm. Vnde non oportet, quæ ibi dicta sunt, in præsenti disp. repetere.

IV. EX his facilè poterit Theologus respondere ad omnia argumenta, quibus, efficacia gratiæ à nobis explicata, aut libertas arbitrij, quasi cum illa cohærere non possit, impugnatur. Ad obiectionem autem in principio huius disp. propositam respondetur, sensum compositum non esse illum, quem argumentum intendit, sed quem nos in discursu huius disputationis, atque aliis in locis explicuimus.

DEinde agèdum est de auxilio grâtiæ adiuuantis, & efficacis per comparationem ad auxilium gratiæ excitantis, & sufficientis, circa quod octo sunt consideranda.

I. Vtrum postquam Deus misericorditèr excitauit arbitrium creatum, expectet liberum eius consensum, vt purgari, aut iustificari velit. Vbi expenditur decretum Conc. Arausi. can. 4.

II. Vtrùm liberum aliquid ex seipso operetur, quando consentit Deo excitanti, & vocanti.

III. Vtrum bonus vsus, seu cooperatio, & influxus liberi arbitrij, quo Deo excitanti consentit, procedat a sola, & innata eius libertate.

IV. Vtrùm, suppositâ gratia excitante, consensus, vel cooperatio liberi arbitrij sit primò inchoanda à voluntate creata, an verò à voluntate diuina, siue ab auxilio efficaci præoperantis gratiæ.

V. Vtrùm ista causalis sit vera: Quia homo præuentus gratia excitante vult conuerti, ideo adiuuatur à Deo, & conuertitur: an è contra, ideo conuertatur, quia à Deo adiuuatur.

VI. Vtrùm collatio efficacis auxilij sit adæquata causa, quòd liberum arbitrium a Deo excitatum, & motum conuertatur.

VII. Vtrùm hæc causalis sit vera, Quia homo non adiuuatur à Deo, ideo non conuertitur, sed in peccato persistit.

VIII. Vtrùm hæc causalis similiter vera sit, Quia homo excitatus à Deo, non vult rectè vti gratia sufficienti; ideo non adiuuatur a Deo, nec conuertitur.

DISPVTATIO XCV.

Vtrùm, postquam Deus misericorditer excitauit Arbitrium creatum, expectet liberum eius consensum, vt purgari, aut iustificari velit.

I. QVIDAM Doctores partem defendunt affirmatiuam, quâ probât Primò ex illo Apoc. 3. *Ecce ego sto ad ostium, & pulso. si quis audierit vocem meam, & aperuerit ianuã, intrabo ad illum*, &c. Quibus verbis duo significantur, alterum, in quo Deus voluntatem hominis non expectat, sed eam præuenit, scilicet excitatio diuina, qua Deus stare ad ostium dicitur, & pulsare: alterum verò, quod Deus à nobis expectat, scilicet audire vocem eius, aperire ianuam, & intrare ad illum. Hoc enim à nobis exigit, quia per liberum nostrum arbitrium exequendum est.

In confirmationem eiusdem sententiæ afferri potest illud testimonium Isaiæ 5. *Expectaui, vt faceret vuas, & fecit labruscas.* Et c. 30. *Propterea expectat Dominus, vt misereatur vestri.* Quibus verbis non obscurè significatur, quòd, postquam Deus misericorditer excitauit voluntatem, expectat liberum eius consensum, vt misereatur nostri, & iustificantem gratiam nobis infundat. A

Secundò argumentantur auctoritate S. Ambros. serm. 19. in Psal. 118. vbi explicans illa verba, *Præuenerunt oculi mei ad te diluculo*, ait: *Vult Io præuenire Solis iustitia, & vt præueniatur expectat*, non vt præueniatur ante vocationem, sed vt præueniatur per dispositionem, antequam ingrediatur ad inhabitandum hominem per iustitiam. Vnde subdit Ambros. *Audi, quemadmodum expectet, & capiat præueniri. Dicit Angelo Pergami Ecclesiæ Scribe. Pœnitentiam age, &c. Et Angelo Laodiceæ, Pœnitentiam age. Ecce ego sto ad ostium & pulso, &c.* In quibus locis constat, vocationẽ Dei præcedere, & expectare nihilominus Deum dispositionem liberam hominis, antequam per gratiam illum inhabitet. Quod latius prosequitur idem Ambr. eod. serm. circa illa verba, *Prope es tu, Domine.* B Apoc. 2. & 3.

Confirmatur hoc auctoritate S. Aug. li. 83. quæst. q. 68. dicentis: *Parum est velle, nisi Deus misereatur; sed Deus non misereturi qui ad pacem vocat, nisi voluntas præcesserit; tamen quia nec velle quisquam potest nisi admonitus, & vocatus, efficitur vt etiam ipsum velle Deus operetur in nobis*; & ita seipsum idem Augustinus exposuit libro 1. retractat. capite vigesimo sexto.

Tertiò arguitur. Deus non præuoluit, neque prædeterminauit absoluta omnino, & efficaci voluntate, vt Petrus v. g. consentiret, & cooperaretur Deo excitanti, & vocanti, sed quasi sub conditione subintellecta, si ipse vellet liberè consentire; alias enim tolleretur libertas arbitrij, quia consensus, vel dissensus non relinqueretur in eius potestate: ergo, postquam Deus sua præueniente gratia excitauit liberum hominis arbitrium, expectat liberam determinationem voluntatis eius, vt, si vult, consentiat, si non vult, non consentiat. C

Confirmatur: Deus sua gratia efficaci non prædeterminat physicè hominis voluntatem ad consensum, sed solùm eam mouet moraliter, suadendo interius, inuitando, & alliciendo, vt consentiat, alias tolleretur eius libertas, quæ consistit in vera indifferentia, seu facultate ad vtramque partem contradictionis, scilicet ad volendum, & nolendum: ergo post primam excitationem, seu vocationé, expectat nostram voluntatem, vt purgari velimus, & sanari.

D COntrariam sentẽtiam defendunt omnes Theologi, qui sentiunt, efficaciam gratiæ nullo modo pendere ex libera cooperatione nostri arbitrij à Deo præcognita per scientiam, quam vocant mediam: aut quouis alio modo ab eo præuisa. Quam sententiam existimo esse S. Augustini, & S. Thomæ, ac verissimam, & probatur ex Conc. Arausi. can. 4. *Si quis, vt à peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit; non autem, vt etiam purgari velimus, per S. Spiritus infusionem, & operationem in nos fieri confitetur, resistit ipsi Spiritui S. per Salomonem dicenti: Præparatur voluntas à Domino.* & Apost. salubriter prædicanti: *Deus est, qui operatur in nobis & velle, & perficere pro bona voluntate.* In qua definitione videtur docere sacrum Conc. Deum, etiam postquam excitauit liberum hominis arb. non expectare E voluntatem, seu liberum eius consensum, vt purgari velit, sed per suam gratiam efficaciter facere, vt ipsum arbitrium purgari velit, & saluari: nullus enim dicitur expectare, quod ipse est facturus. Respondent, sensum Concil. esse, Deum ante primam vocationem non expectare peccatoris dispositionem, & liberam operationem, vt in eo inchoet iustificationem, per quam à peccato purgatur: quod probant ex ratione Concilij scilicet, quia is, qui dicit, Deum expectare voluntatem nostram, vt à

II. Voluntatem nostram, vt purgari velimus, Deus non expectat. Cõc. Arausi. can. 4. expenditur.

Prou. 8. Philipp.

III. Responsio.

Digitized by Google

vt à peccato purgemur, contradicit Spiritui S. dicenti: *Præparatur voluntas a Domino.* At qui dicit, Deu expectare cõsensum liberum hominis, postquã illum excitauit, & vocauit, nõ negat præparari voluntatem a Domino: ergo solus ille hoc negat, qui ante primam vocationem dicit eum expectare voluntatem hominis, vt in eo iustificationem inchoet. Hæc tamen explicatio non videtur satisfacere verbis Conc. Arausi. vt in commentariis nostris super c. 10. Isa. n. 12. dicere cœpimus. Nam definitio Conc. procedit contra Massilienses, asserẽtes quòd, postquam Deus vocat peccatorem ad pœnitentiam, expectat eius voluntatem, vt ipse, si vellet, consentiret vocationi: autem efficiebat, vt homo efficaciter, & infallibiliter præberet assensum. Id quod non obscurè constat ex epistolis SS. Prosperi & Hilarij ad Aug. & ex eodem Augustino, qui explicans illud Psal. 36. *A Domino gressus hominis diriguntur, & viam eius volet* inquit, *Non dixit, & viam eius discet, aut tenebit, aut ambulabit, aut aliquid huiusmodi: quod posset dicere; A Domino quidem dari, sed hominis iam volentis, vt scilicet beneficium Dei, quo gressus hominis dirigit, vt viam eius discat, teneat, gradiatur, sua bona voluntate præcedat, & hoc Dei donum præcedente sua voluntate meretur. Sed ideo dixit: A Domino gressus hominis diriguntur, & viam eius volet: vt intelligeremus, ipsam voluntatem bonam, qua incipimus velle credere (quoniam Dei via quid est, nisi fides recta?) illius esse donum, qui gressus nostros propterea dirigit primitus, vt velimus. Non enim ait Scriptura: A Domino gressus hominis diriguntur, quia viam eius voluit: sed diriguntur, inquit & volet. Non igitur, quia voluit, diriguntur, sed quia diriguntur, volet.* Et referens quorundam explicationem, quam Vitalis amplectebatur, subiungit: *Hic iterum forsitan dicturus es: Hoc fieri a Domino, dum doctrina eius legitur, vel auditur, si homo veritati quam legit, vel audit, sua consentiat voluntate. Si enim lateret eum, inquis, doctrina Dei, non dirigerentur gressus eius quibus directis vellet viã Dei. Ac per hoc tantum putas a Domino gressus hominis dirigi ad eligẽdam viam Dei, quia sine doctrina Dei nõ est potest innotescere veritas, cui propria voluntate consentiat. Cui si cõsentis, inquis, quod in eius libero arbitrio constitutum est, recte vtique dicuntur ab illo dirigi gressus eius, vt viam eius velit, cuius doctrinam suasione præcedẽte subsequẽte consensione sectatur, quod libertate naturali si vult facit; si non vult non facit, pro eo quod fecerit, præmium, vel supplicium recepturus.* In quibus verbis animaduertat Theologus, quod iuxta sententiam Vitalis Carthaginensis, & aliorum, qui sentiebant cum eo, illuminatio intellectus, quę fit per doctrinam etiam internam, & suasio voluntatis, atque eius excitatio præcedat liberum consensum voluntatis; quæ post excitationem, vel suationem præcedentem ex libertate naturali, si volebat homo sequebatur: si non volebat, non sequebatur: quod apertè ostẽdut illa verba: *Cuius doctrinam suasione præcedente subsequẽte consensione sectatur, quod libertate naturali si vult facit; si non vult, non facit.* Et idem constat aperte ex principio eiusd. epist. cuius verba disp. 74. n. 2. adduximus. Et tamen S. Aug. hanc doctrinam statim impugnat: *Hæc*, inquiens, *est illa Pelagianorum mala, male diffamata, meritòque reprobata, & ab ipso etiam Pelagio tristi nomine damnari; in Orientalium Episcoporum iudicio damnata sententia, qua dicunt, gratiam Dei non ad singulos actus dari, sed in libero arbitrio esse, vel in lege, atque doctrina:* ergo necessariò dicendu est, quòd Deus nedum non expectat voluntatem nostram, vt nos excitet: sed etiam est asserendum, quòd adhuc, postquam illuminauit intellectum, & stupentem voluntatem excitauit, non expectat voluntatem nostram, vt si purgari velimus, purgemur à peccatis; si autem nolimus, non purgemur. Etenim Conc. Arausi. & S. August. propterea docent, Deum non expectare nostram voluntatem, vt purgari velimus, quia Deus operatur in nobis ipsum velle purgari, licet non sine nobis libere consentientibus, & cooperantibus. Hoc autem velle, & perficere non operatur Deus in nobis per solam gratiam excitantem, sed potissimè id operatur per adiuuantem, vt patet ex verbis illius Conc. Trid. *Si quis per peccata a Deo auersi erant, per eius excitamem atque adiuuantem gratiam ad conuertendum se ad suam ipsorum iustificationem, eidem gratia libere assentiendo & cooperando, disponantur* & can. 3. *Si quis dixerit, sine præueniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, &c. anathema sit.* Quibus verbis Concilium vtrumque coniunxit, nempe excitationem, seu inspirationem, & adiutorium gratiæ, vt innueret, quòd etiam, postquã Deus nos excitauit, adhuc indigemus adiutorio præuenientis gratiæ, vt credamus, & alias pias operationes exerceamus. Igitur, postquam Deus nos excitauit, non expectat voluntatem nostram, vt purgari velimus; sed potiùs nos excitati expectare debemus, & petere a Deo adiutorium gratiæ, quo piã operationem per gratiam excitantem inspiratam, efficaciter producamus. Vnde S. Aug. in eadem epist. ad Vitalem sic concludit: *Quomodo Deus expectat voluntates hominum, vt præueniant eum, quibus det gratiam cum gratias ei non immerito agimus de iis, quibus non ei credentibus, & eius doctrinã a voluntate impia persequentibus misericordiam præroganit eosque ad se ipsum omnipotentissima facilitate conuertit, ac volentes ex nolentibus fecit: vt quid ei inde gratias agimus si hoc ipse non fecit?* Quibus verbis, ex eo probat August. Deum non expectare hominis voluntatem, vt purgari velit, quoniam ipse per suam gratiam adiuuantem efficit, hominem velle ergo nedu Deus ante primam vocationem, sed etiam post eam nõ expectat hominis voluntatem, vt purgari velit. Licet enim homo sua libera voluntate velit iustificari, & saluari; Deus tamen sua præuenienti gratia adiuuate, non solùm moraliter suadendo, allliciendo, & inuitando sed etiam verè efficienter, & efficaciter facit hominem velle, vt disp. 80 ex professo ostendimus.

Confirmatur, & aperiuntur magis vires huius argumenti. Nam Cõcilium non ait, Deum non expectare humanam voluntatem, vt nos præueniat sua gratia excitãte, sed inquit, non expectare humanam voluntatem, *vt purgari velimus*, & assignat rationem, quia videlicet ipsa voluntas, qua purgari volumus, fit in nobis per S. Spiritus infusionem, & operationem, secundùm illud Apost. *Deus est, qui operatur in nobis & velle, & perficere pro bona voluntate*: vbi Cõcilium per verbum, *operatur*, non intellexit solùm operationem moralem, seu per modum suadentis, etiam interiùs: hæc enim metaphoricè operatio, & non proprie, vt supra ostensum est, dicitur, sed operationem physicam, siue ad modum causæ physicæ, id est, veram operationem, & propriam, sicut Conc. Ephes. disp. 22. n. 2. inductum, per *physicam vnionem* intellexit vnionem veram, & realem: neque inquit, Deus est, qui operatur nobiscum velle, & perficere; sed *qui operatur in nobis*, vt antecessionem quandam, & prioritatem causalitatis diuinæ operationis designaret. Non enim concurrunt Deus, & liberum arb. ad piam operationem, tanquam duæ causæ partiales, quarum neutra alteram ad secum concurrẽdum prædeterminat, vt auctores oppositæ sententiæ, quos supra impugnauimus, sentiunt, sed quælibet in suo genere est causa totalis; ita tamen, vt liberum hominis arb. prœmoueatur a Deo ad concurrendum cum illo, vt pluribus in locis supra ostensum est.

Cõfutatio

Aug. epist 107. ad Vital. paulo post princ. tom. 2.

Con. Trid. sess. 6. de Iustific. c. 5.

Aug. epist. ad Vital. circa fin.

Philip. 2.

Disp 85.

IV. Secundò probatur. Nam, vt disp. 89. ex professo ostendimus,& patebit amplius disput. 98. Deus non solùm remotè primò inchoat nostram iustificationem excitando hominis voluntatem,sed etiam verè efficiendo,vt liberum arb.cooperetur,aliàs initium remotum iustificationis tribueretur Deo, proximum autem vsurparet sibi homo, quod, vt suprà ostensum est,dici non potest:ergo etiam, postquam Deus primò excitauit peccatorem,nõ expectat eius voluntatem,seu liberam cooperationem,vt purgari velit.Sed dicunt, Deum expectare voluntatem nostram, vt liberè consentientem, & se disponentem cum diuino adiutorio, vt à peccato purgemur; eò quòd sicut Concilium Tridentinum definit, Deus non iustificat peccatorem absque libera dispositione,ac proprio influxu, & cooperatione liberi arbitrij. Concilium autem Arausicanum solùm eos damnat,qui sentiunt, Deum expectare nostram voluntatem, vt liberè consentientem, & se disponentem absque diuino adiutorio, vt à peccato purgemur. Hæc tamen solutio ambigua est, & non euacuat vim argumenti.Cùm enim asserunt,Deum expectare voluntatem nostram, vt liberè consentientem, & se disponentem cum diuino adiutorio, vel nomine adiutorij diuini, intelligunt adiutorium concomitans, ac pariter, & simultaneè cum libero arbitrio,ex sua innata libertate se determinante, in operationem piam influens; & tunc non videtur fieri satis argumento. Nam Conc.docet, Deum per adiutorium gratiæ operari,vt velimus; ac per consequens per tale adiutorium influere non solùm pariter cum libero arbitrio in eius effectum,sed etiam immediatè in ipsum arbitrium, vt in causam, illud mouendo & applicando ad concurrendum cum gratia, vt ex præmissis constat; atque adeò adiutorium gratiæ non esse solùm concomitans liberam cooperationem arbitrij, sed etiam ordine rationis, & causalitatis eam præuenire. Si autem admittant, sicut reuerà admittendum est, adiutorium gratiæ, quo Deus ex nolentibus volentes efficit,esse præueniens;tunc affirmari non potest,etiam post primam vocationem,Deum expectare nostram voluntatem, vt liberè consentientem cum adiutorio diuino:cùm Deus ipse per tale adiutorium efficiat hominem liberè consentire.

Solutio.

Con Trid. sess. 6. de Iustific.c.5. & can.4.

Tertiò probatur, Causa efficiens non expectat suum effectum, sed illum efficitatqui Deus per auxilium præoperantis gratiæ est causa efficiens,quòd homo velit purgari,& saluari: ergo etiam post primam excitationem,non expectat hominis voluntatem,qua purgari vult, & saluari. Si dicatur,causam efficientem non expectare suum effectum, quando illum producit absque interuentu, & concursu, seu cooperatione alterius causæ liberæ: si autem illum effectum producat,interueniente concursu,& cooperatione alterius causæ liberæ, sine qua effectus non produceretur in rerum natura;tunc necesse est, vt vna causa expectet cooperationem alterius causæ liberè se determinantis,vt illum effectum producat; contra hoc est efficax argumentum. Quia non solùm ipsum velle nostrum,& pia operatio,sed etiã ipsa libera cooperatio,& actualis influxus nostri arbitrij est effectus operationis diuinæ:nam, vt disp. 97.patebit, talis cooperatio, & determinatio nostri arbitrij non procedit ex sola & innata eius libertate,sed necessariò debet reduci in Deum tanquam in priorem causam efficientem,arbitrium concurrere; ergo Deus post primam vocationem, nedum non expectat nostrum velle,sed nec etiam expectat liberum influxum, & cooperationem nostri arbitrij, vt purgari velimus.

Quartò,Sequeretur ex opposita sententia, quòd gratia diuina non subiceret sibi humanam voluntatem,sed potiùs subiungeretur illi,& esset pedissequa illius: consequens autem etiam ab auctoribus sententiæ contrariæ non admittitur: nam videtur contra can.6.Conc.Arausi. vbi dicitur:*Si quis humilitati, & obedientiæ humanæ subiungi gratiæ adiutoriũ, nec vt obedientes, & humiles simus, ipsius gratiæ donum esse consentit, resistit Apost. dicenti: Quid habes, quod non accepisti?* Item etiam sequeretur, quòd ideo quis adiuuetur,quia voluit;non ideo, quia adiuuatur, velit: consequens non potest admitti, vt disp. 1. ostensum est,& disp.99.clariùs patebit:ergo.

V. Ad primum argumentum respondetur, ex illis locis Scripturę solùm haberi,hominem liberè cooperari,consentire,& aperire Deo excitanti, vocanti,& pulsanti; sed ipsum consentire, & aperire, debet tandem reduci in Deum, vt in causam priorem per se efficiẽtem,vt dictum est. Nec enim Deus exigit à nobis liberum consensum, qui sit in nobis ex nobis,sed qui est etiam donum Dei, vt verax inueniatur,qui dixit: *Quæ de manu tua accepimus, reddimus tibi.* Vnde & Cæleſt. PP. *Tanta*, inquit, *est erga omnes homines bonitas Dei, vt nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona, & pro his, quæ largitus est, æterna præmia sit donaturus. Agit quippe in nobis, vt quod vult & velimus, & agamus.* Sed specialiter ad loca ex Isaia inducta respondetur, quòd, cùm ait: *Expectat vt Dominus, vt misereatur vestri: Expectauit, vt faceret vuas*,& similia,non est sensus,quòd Deus expectet à peccatore liberam cooperationem, vel influxum, quem priùs non acceperit ex dono gratiæ, efficaciter præmouentis, & prædeterminantis voluntatem ad concurrendum cum Deo:sed per hæc verba designauit liberam cooperationẽ hominis, quam Deus exigit à peccatore,vt illum iustificet. Vnde Isaias,in eodem contextu,vt hanc interpretationem insinuaret,postquam dixerat,*expectat Dominus, vt misereatur vestri*,ne quis sibi piam operationem,& consensum tribueret,sed agnosceret,a quo nó solum posse bonum,sed & ipsum bonum velle acceperit,subdit: *Beati omnes,qui expectant eum*, vt sciamus, quoniam si expectat Dominus,vt misereatur nostri, profectò expectat dona sua, & beneficia sua, quibus nos dignatur liberare.sicut de præscientia dicit Aug. Expectat tempus,in quo prædefiniuit, sua liberali voluntate peccatoribus misericordiam præstare.Expectat ordinem a sua diuina prouidentia statutum, secundùm quem ea,quæ prædestinauit,impleuit. Iuxta hanc doctrinam explicanda sunt, & intelligenda verba Ambrosij in secundo arg.facto à principio inducta,vt colligitur ex ipso contextu:nam paucis interiectis, subdit: *Ipse prius in tui cordis illuxerit arcano: ipse tibi dicenti: De nocte vigilat ad te spiritus meus, matutinum lumen temporibus faciet splendere nocturnis, si mediteris verba Dei*, &c.

1. Paralip. 29.D. Cæleſt.epi. ad quosdã Galliæ Epiſc.c.12.

Qualiter expectet Deus, vt misereatur nostri.

VI. Ad 2.arg.

Isaiæ 26

Quod verò ad S.Aug.attinet,iã ex verbis eius suprà inductis patet,ipsum nostram sententiam apertè docuisse,quã etiam in quæst.illa 68. subindicat,cùm ait,quòd etiam ipsum velle Deus operatur in nobis, quod de operatione proprie dicta intellexit. Accedit,quòd iuxta sentẽtiam S.Aug adiutorium gratiæ non consistit in solo cõcursu simultaneo,quo Deus pariter cum libero arb.influit in eius operationem, sed etiam in concursu prævio,quo idem liber arbit. ad cooperandum, & consentiendum præmouet, & applicat, vt ex suprà dictis patet. Neque in libro 2. retractationum aliquid dicit,quod in fauorem contrariæ sententiæ possit afferri; quin potiùs ibi nobis fauet. Nam commemorans, & explicans verba inducta ex q.illa 68 subdit: *Hoc dictum est post pœnitentiam: nam est misericordia Dei, etiam ipsum præueniens voluntatem, qua si non esset, non præpararetur*

Ad confir.

voluntas

voluntas à Domino : & ad eam miſericordiam pertinet & ipſa vocatio, qua etiam priùs præuenit. Vbi nomine vocationis non intelligit ſolam excitationé, quia per hanc ſolam non præparatur voluntas à Domino, ſed potiſſimè præparatur per gratiam adiuuantem, vt ex Concilio Tridentino, & eodem Auguſtino oſtenſum eſt diſp. 82.

Ad tertium argumentum reſpondetur, Deum, nulla præſuppoſita, aut ſubintellecta conditione, antecedenter ad præſcientiam futuræ cooperationis liberi arbitrij creati præuoluiſſe, & prædeterminaſſe efficaci, & abſoluta voluntate omnes actus bonos, qui in tempore fiunt, eos præſertim, per quos prædeſtinati ad vitam æternam perueniunt: nec per talem volitionem, vel prædeterminationem vllo pacto læditur eiuſdem arbitrij libertas, vt diſp. 22. & 23. ex profeſſo oſtendimus, vbi etiam explicuimus, qualiter cum eadem prædeterminatione ſtet timul indifferentia, & vera facultas ad vtramque partem contradictionis, quæ eſt intrinſeca libertati: de quo etiam agendum erit latiùs diſp. 115. & 116. vbi explicabimus quidditatem liberi arbitrij, & per hæc reſpondetur ad confirmationem.

DISPVTATIO XCVI.

Vtrùm liberum Arb. ex ſeipſo aliquid operetur, quando conſentit excitanti & vocanti.

I. VT titulus quæſtionis manifeſtus fiat; & id in quo conſiſtit difficultas, aperiamus, notándum eſt, quòd vt colligitur ex S. Tho. dupliciter poteſt intelligi, liberum arbitrium moueri, vel aliquid operari ex ſeipſo. Primò, ita vt moueri ex ſe idem ſignificet, quod moueri à principio intrinſeco. Secundò, ita vt moueri, vel aliquid operari ex ſe idem ſignificet, quod operari, non ab alio priori agente, vel ab alia cauſa extrinſeca per ſe efficiente, quod ipſum arbitrium cooperetur.

S. Tho. 1. p. q 105. ar. 4. ad 1.

Illi ergo Theologi, qui arbitrantur, influxum liberi arbitrij cum gratia, quatenus emanat à libero arbitrio, non procedere effectiuè ab ipſa gratia, vel à Deo operante eundem influxum per gratiam, tenent conſequenter, liberum arbitrium, dum conſentit Deo vocanti, aliquid ex ſe influere in hoc ſecundo ſenſu; ita videlicet, vt ipſum influere liberi arbitrij non procedat à Deo, tanquam à priori cauſa per ſe efficiente, quòd liberum arbitrium conſentiat. Probari poteſt hæc ſententia

Primò: nam qui adiuuatur à Deo, aliquid ex ſe agit, vt patet per Aug. in illud Pſal. 78. *Adiuua nos Deus ſalutaris noſter*; vbi ait: *Cùm adiuuari nos vult, neque ingratus eſt gratiæ, neque tollit liberum arbitrium: qui adiuuatur, etiam per ſeipſum aliquid agit.* Et tract. 4. in epiſt. Ioan ait. *Si dicis: Adiutor meus eſto; aliquid agis: nam ſi nihil agis, quomodo ille adiuuat?* Idem docet de verbis Apoſt. ſerm. 11. & de perfectione iuſtitiæ, contra Cæleſtium. Sed liberum arbitrium adiuuatur à Deo ad conſenſú, vt definitur in Cõc. Trid. ergo aliquid ex ſe agit, dum conſentit Deo vocanti.

Agit aliquid qui ab alio adiuuatur.

Secundò. Liberum dicitur illud, quod eſt à principio intrinſeco ſe mouente ex ſeipſo, ſed noſtrum arbitrium liberè conſentit Deo excitanti, ita vt poſſit diſſentire, ſi velit; vt habetur in Concil. Trid. ergo conſenſus ille procedit à principio intrinſeco ſe mouente ex ſe ipſo, ac per conſequens liberum arbitriú, dum cõſentit Deo, aliquid à ſeipſo operatur.

Cõc. Trid. ſeſſ. 6. de iuſtific. ca. 5. & can. 4.

A Tertiò. Si liberum arbitrium nihil ageret à ſe ipſo, dum conſentit Deo vocanti, ſequeretur, quod in iuſtificatione merè paſſiue ſe haberet, recipiendo operationẽ cauſatam a ſolo Deo, ſicut baculus, dum mouetur ab alio, merè paſſiuè ſe habet, recipiendo motum à cauſa extrinſeca productum. Conſequens autem eſt contra definitionem expreſſam Concil. Trid. ergo liberum arbitrium aliquid agit à ſeipſo.

II. Quartò. Voluntas creata hoc habet ex natura ſua, vt eius inclinatio non ſit ei ab alio, ſed à ſeipſa, vt S. Thom. docet, q 22. de verit. art. 4. in corp. vbi conſtituit differentiam inter appetitum brutorũ, & rationalis creaturæ, in hoc, quòd *inclinatio* brutorum, *non eſt in poteſtate ipſius animalis, quod inclinatur, ſed eſt aliunde ei determinata; ſed naturæ rationalis habet in poteſtate ipſam inclinationem. vt non ſit ei neceſſarium inclinari ad appetibile apprehenſum; ſed poſſit inclinari, vel non inclinari: & ſic ipſa inclinatio non determinatur ei ab alio, ſed a ſeipſa*: ergo quando liberum arbitrium conſentit Deo vocanti, aliquid operatur à ſeipſo, id eſt, non ab alia cauſa extrinſeca per ſe efficiente.

B Quintò. Motus liberi arbitrij in Deum non poteſt eſſe violentus, cùm voluntati nulla poſſit inferri violẽtia, aut coactio, vt ſæpe docet S. Thom. ergo, quando conſentit Deo vocanti, motus illius non ineſt ei ab aliqua cauſa extrinſeca, ſed à ſeipſo; aliàs enim moueretur in Deum violenter, ſicut mouetur lapis, quando proijcitur ſurſum. Violentum enim, ſecundùm Philoſophum 3. ethic. cap. 1. illud dicitur, cuius principium eſt extra, nihil conferente vim paſſo. Contingit autem multoties, quòd liberum arbitrium non conferat vim, vt, ſi priùs, quam vocaretur à Deo ad conuerſionem, eidem conuerſioni reſiſteret per voluntatem contrariam: ergo.

C Hæc tamen ſententia in ſenſu explicato aliis doctoribus nó placet, & meritò; contrariã quippe eſſe de mente S. Auguſt. & S. Thom. ac veriſſimã, docent conſequenter omnes Theologi, qui tenent, efficaciam auxilij præoperantis gratiæ non eſſe ſolùm moralem, ſed ad modum cauſæ phyſicæ prædeterminare voluntatem creatam, vt liberè, & infallibiliter conſentiat. Et quoniam hæc ſententia eſt ſacris literis, & Conciliis conformis, pro eius explicatione, ſuppoſita diſtinctione S. Thom. in principio huius diſputationis propoſita, duæ concluſiones ſtatuendæ ſunt.

D PRima concluſio. Quando liberum arbitrium conſentit Deo excitanti, & vocanti, aliquid ex ſe operatur, ſi illa particula, *ex ſe*, accipiatur, vt ſignificat idem, quod à principio intrinſeco liberè ſe mouente, & determinante. In hac concluſione conueniunt omnes Theologi: ſequitur enim per euidentem conſequentiam ex principiis fidei, vt argumenta facta à principio demonſtrant.

E Secunda concluſio. Liberum arbitrium creatum, dum conſentit Deo excitanti, & vocanti, nihil à ſeipſo operatur, in ſecũdo illo ſenſu explicato, ſed ipſum operari, ſeu influere in conſenſum, & piã operationem, reduci debet, tanquã in cauſam priorem per ſe efficientem, in abſolutum, & efficax decretum diuinæ voluntatis; quamuis Deus nó efficiat in nobis eundem conſenſum, ſine nobis liberè cooperantibus. Colligitur hæc concluſio ex Gelaſio PP. epiſt. 5. ad vniuerſos Epiſcopos per Picenum, vbi ſic ait: *Quis autem audeat dicere Chriſtianus, aliquid habere boni ſine gratia, quando Magiſter gentium clamat, cuncta breuiter in ſe dona concludens: Gratia Dei ſum, id quod ſum, & Gratia eius in me vacua non fuit, ut oſtenderet, quia donum gratiæ non ipſe præceſſerit, ſed fuerit ſubſequutus, atque mẽſtraret, cooperatorem ſe eſſe gratiæ, ſubſequendo. Sed plus omnibus, inquit, illis laborani. Ac*

Gelaſius Papa.

Digitized by Google

narsit verius, ne de se præsumere videretur, admonuit: A *Non ego, sed gratia Dei mecum. Nec dixit: Ego, & gratia Dei mecum; sed præposuit gratiam præuenientem se.* Sed cooperari Deo vocanti est aliquid boni: ergo id non habet a seipso liberum arbitrium, sed a gratia cooperante, qua Deus donat bonum velle. Eadem conclusionem docet multis in locis S. August. sed præsertim lib. 1. retract. c. 9 vbi ait: *Et quia omnia bona, sicut dictum est, & magna, & media, & minima ex Deo sunt; sequitur, vt ex Deo sit & bonus vsus liberæ voluntatis, quæ virtus est, & in magnis numeratur bonis.* Et lib. de gratia Christi, contra Pelag. & Cælest. c. 15. *Si data est, inquit, non dicitur iustitia nostra, sed Dei; quia sic fit nostra, vt fit nobis ex Deo.* & lib. de don. perseu. cap. 14. *Si in nullo gloriandum, quando nostrum nihil est, profectò nec de obedientia perseuerantissima gloriandum est, neque ita nostra, tanquam non nobis desuper donata, dicenda est,* & lib. 2. de peccatorum merit. & remiss. cap. 18. *Sed laborant homines inuenire in nostra voluntate, quod boni sit nostrum, quod nobis non sit ex Deo, & quomodo inueniri possit ignoro.* Cùm ergo concursus nostræ voluntatis consentientis, quo Deo vocanti, & mouenti cooperatur, inquantùm est concursus voluntatis, sit aliquid, relinquitur, quòd illum habeat ex Deo. Idipsum confirmari potest alio insigni testimonio eiusdem Augustini lib. de gestis Pelagij, cuius mentionem fecimus disput. 91. num. 9. Etenim in cap. 14. *Ipse*, inquit Apostolus, *clamat, ipse testatur, ipse vt in se Dei dona commendet, nec in seipso, sed in Domino gloriatur.* Et infrà: *Apostolus inquit: Non sum dignus vocari Apostolus. Pelagius Monachus dignum Apostolum dicit fuisse, qui acciperet omnes gratias, &c. Apostolus inquit: Plus omnibus laboraui; proinde non laborauit, vt gratiam acciperet, sed accepit, vt laboraret atque ita, vnde ad accipienda debita præmia fieret dignus, gratiam gratis accepit indignus. Nec ipsum sane laborem sibi ausus est arrogare. Cum enim dixisset: Plus omnibus illis laboraui; continuò subiecit: Non ego, sed gratia Dei mecum. O magnum gratiæ præceptorem, confessorem, prædicatorem. Quid est hoc? Plus laboraui: non ego; Vbi se extulit aliquantùm voluntas, vbi continuò vigilauit pietas, & tremuit humilitas, quia se agnouit infirmitas.* Fauent huic sententiæ SS. Patres, qui docent, totum esse tribuendum gratiæ. Hi sunt Cyprianus, D Greg. Naz. Basilius Ambros. Paulus Orosius, Ansel. Bern. Damasc. quorum verba disput. 85. num 3. adducta sunt. Idē docet S. Prosper contra Collat. defin. 11. cùm ait, *Impius sensus, qui putat beatiorē esse hominē, cui Deus nihil dederit, quam cui vniuersa contulerit.*

Secundò probatur conclusio auctoritate Concilij Arausic. cap. 16. vbi sic dicitur: *Nemo ex eo, quod videtur habere, glorietur tanquam non acceperit, aut ideo se putet accepisse, quia litera extrinsecus, vel vt legeretur, apparuit, vel, vt audiretur, sonuit. Nam sicut Apostolus dicit: Si per legem iustitia, ergò Christus gratis mortuus est. Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Inde habet, quicunque habet.* 1. Cor 4. Gal. 2. Eph 4. Psal 67. Matth. 25. *Qui quit autem inde se habere negat, aut verè non habet, aut id quod habet, auferetur ab eo.* Quibus verbis determinare videtur, bonum vsum liberi arbitrij esse efficienter ex Deo.

Tertiò probatur ratione. Liberum arbitrium creatum non habet esse à seipso, sed à Deo: ergo non habet à seipso, aliquid operari, sed à Deo, à quo accepit esse. Nam cuius esse est ab alio, oportet, quòd eius operatio ab alio sit, vt in 2. sentent. distinct. 17. qu. 2. art. 2. in corp. docet S. Thomas. Vnde & Filius Dei, quia non à seipso, sed à Patre esse habet, fatetur de seipso: *Filius non potest à se facere quidquam.* Et Concilium Florentinum in decreto fidei, ait: *Et quoniam omnia, quæ Patris sunt, ipse Pater vnigenito Filio suo gignendo dedit, præter esse Patrem, hoc ipsum quod Spiritus sanctus procedit ex Filio, ipse Filius a Patre æternaliter habet, a quo æternaliter etiam genitus est.* Si ergo Filius, qui non per gratuitam, sed naturalem communicationem procedit a Patre, non potest à se facere quidquam, quomodo liberum arbitrium creatum, cui non per naturalem emanationem, sed per gratuitam, & voluntariam communicationem donatum est esse, hanc gloriam sibi arrogabit, vt possit à seipso facere quidquam? Filius Dei non potest à se facere quidquam, quia non habet esse à se, sed a Patre.

Quartò probatur. Deus operans per gratiam, & liberum arbit. non sunt duæ causæ partiales respectu piæ operationis, sed quælibet est totalis in suo genere; quarum vna, videlicet liberum arbitrium, subordinatur alteri, scilicet Deo mouenti per gratiam, vt disp. 85. ostensum est: ergo liberū arbitrium nihil operatur a seipso, dum influit in piam operationem, sed ipsum influere accipit ab ipsa gratia adiuuante. Probatur consequentia: nā si liberum arbitrium aliquid ex se operaretur; Deus, & liberū arbitrium concurrerent, vt duæ causæ partiales: quotiescunque enim duæ causæ simul concurrunt ad eundem effectum, ita vt quælibet influat à seipsa absque eo, quòd prædeterminetur ab alia, vel ab ipsa accipiat actualem influxum, conueniunt ad illū effectum producendum, vt causæ partiales; vt apparet in duobus trahentibus nauim.

Quintò probatur quia vt disp. 21. ostendebamus, Deus auxilio actuali præmouet, & prædeterminat omnes causas secundas etiam liberas ad omnes bonas operationes in particulari, secundùm omnes suas circunstantias: ergo quælibet operatio libera, præsertim supernaturalis, procedit à libero arbitrio, secundùm quod præmouetur, auxilio Dei actuali: ergo liberum arbitriū non habet à seipso sed à Deo mouente, quòd consentiat Deo vocanti. Confirmatur: nam alias sequeretur, quòd bonus vsus gratiæ in nobis esset ex nobis, quod tamen non solum sententiæ S. August. & S. Thom. sed etiam doctrinę Catholicæ videtur repugnare, vt disp. 38. late ostendimus, & disp. 97 patebit ampliùs.

Sextò probatur omnibus argumentis, quibus disput. 18. ostensum est, concursum Dei generalem non esse solum influxum cum causa secunda in eius effectum, sed etiam esse influxum immediatum in ipsam causam secundam. Ex illis etiam concluditur, gratiam, & liberum arbitrium non esse causas partiales, ac per consequens, influxum proprium liberi arbitrij non esse libero arbitrio ita proprium, vt a seipso illum habeat, & non sit acceptus à Deo, vt à priori causa per se efficiente. Ad argumenta facta à principio respondetur, quòd solùm probant primam conclusionem, quatenus verò contra secundam videntur militare, est singulis occurrendum.

IV. AD primum respondetur, non esse necessarium, quod ille, qui ab alio adiuuatur, aliquid ita ex se operetur, vt id à Deo non acceperit; sed sufficit, quòd aliquid operetur ex se, hoc est, à principio intrinseco liberè se applicante, quamuis ipsum operari sit acceptum ab alio. Sicut ergo Deus adiuuat liberū arbitrium ordine rationis, & causalitatis, illud præueniendo, seu præmouendo, & simul tempore producendo cum eodem arbitrio liberum consensum; ita & nostrum arbitrium Deo libere cooperatur subsequendo, & in eodem instanti temporis libere influendo in eundem consensum, vt disput. 83. præsertim nu. 3. auctoritate Gelasij Papæ ostensum est. Agit aliquid qui ab alio adiuuatur.

V. Ad secundum argumentum respondetur, actum liberum esse quidem à principio intrinseco se mouente, sed illud principium, non oportet, quòd sit primum non motum, aut præderminatum ab alio, aut quòd influxus procedens à principio intrinseco non

Lib. arbit. cooperatio est effectiue à Deo. Ioan. 5.

S. Aug. lib. de grat. & liber. arb. c. 16. tom. 7.

non ſit dependens ab alia priori cauſa efficiẽte. Nos ergo volumus, ſed Deus facit nos velle ſicut Auguſtinus ait: certum eſt nos velle, cùm volumus, ſed ille facit, vt velimus bonum: quod ibi probat latiſſimè, vt diſputatione 86. num. 3. vidimus. Et explicans illud Ioan. 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum*, aduertit, quòd nó ait, *auxerit*, vt illius aliquo modo intelligamus, *præcedere voluntatem. Quis trahitur, ſi tam volebas? & tamen nemo venit, niſi velit ab illo, qui nouit intus in ipſis hominum cordibus operari, non vt homines, quod fieri non poteſt, nolentes credant, ſed vt volentes ex nolentibus fiant.*

S. Aug. li. 1. cõtra duas epiſt. Pelagian. c. 19. tom. 7.

Ad tertium reſpondetur. Liberum arbitrium non ſe habere mere paſſiue, dum conſentit Deo vocanti, ſed actiue, & libere: quia vere à principio intrinſeco non determinato ad vnum ex neceſſitate producit ipſum conſenſum. Nec eſt eadem ratio de baculo: nam baculus motus ab alio, non ſe mouet, ſed ſolùm recipit motum ab alio agẽte extrinſeco productum: cæterùm liberum arbitrium motum à Deo, ſeipſum mouet per deliberationem rationis: nam vt ſæpe docet ſanctus Auguſtinus, *qui ab alij Dei ſunt, aguntur, vt agant, non vt ipſi nihil agant.*

VI. Lib. Arbit. & baculi differentia.

Aug. loco cit. diſp. 18 num. 16.

Ad quartum reſpondetur, quòd voluntas creata, in quantùm creata, habet, quod dependeat in ſua operatione, & influxu à decreto, & operatione voluntatis increatæ, & ideo eius influxus reducendus eſt, tanquam in priorem cauſam efficientem, in decretum efficax voluntatis diuinæ: ſed inquãtùm voluntas habet, quòd eius inclinatio ſeu determinatio illius non ſit ab alio, tanquam ab obiecto, quoniam quandiu voluntas eſt libera, quoad exercitium actus, non poteſt efficaciter determinari ab obiecto, quoad exercitium. Vnde Deus, inquantùm obiectum, nunquam determinat voluntatem in via ad exercitium actus, vt docet ſanct. Thomas: nihilominus, tãquam a prima cauſa efficiente, omnis inclinatio voluntatis eſt à Deo. Cùm ergo ait, quod inclinatio voluntatis non determinatur ab alio, ſed à ſeipſa, non ſignificat, eandem determinationem non eſſe a Deo, tanquam a priori cauſa efficiente: nam in aliis locis diſputat. 97. adducendis, expreſsè docet contrarium; ſed ſolùm ſignificat, quòd non eſt ab alio, tanquam ab obiecto, vt ex ipſo contex. non obſcurè colligitur. Ponit enim differentiam inter appetitum brutorum, & appetitum rationalem: nam appetitus brutorum ex neceſſitate rapitur abſque deliberatione rationis ab ipſo obiecto conuenienter propoſito, nec eſt in eorum poteſtate illud reijcere. Cæterùm appetitus rationalis non rapitur ab obiecto conuenienter propoſito, ſed ſemper eſt conſtitutum in eius poteſtate ſequi, vel non ſequi illud. Vel dicendum, quòd ſanct. Thom. ſolùm excludit a potentia libera determinationem ad vnum ex neceſſitate, ſeu determinatione, quæ ita eſt ab alio, vt ipſa voluntas non ſe determinet cum vera facultate, qua poſſit ſe ipſam non determinare, ſi velit. Hoc enim modo non poteſt ad vnum, etiam à Deo, tanquam a priori cauſa efficiente, determinari: nã talis determinatio repugnat eius libertati, vt diſput. 22. & 24. dictum eſt.

Voluntatis inclinatio quomodo ſit ab ipſa voluntate.

VII. Lib. Arbit. motui non eſt violentus.

Ad quintum reſpondetur, quòd motus liberi arbitrij in Deum non eſt ei violentus, quia, licet inſit ei ab agente extrinſeco, ſcilicet à Deo, tamen per principium intrinſecum confert vim, ſcilicet per propriam inclinationem, quam ſumen. à Deo domante accepit. Ad rationem autem oppoſitum requiritur, quòd paſſum nullam conferat vim, ſed reſiſtat per contrariam inclinationem, actu exiſtentem in illo. Hanc ſolutionem proſequitur ſanct. Thom. q. 22. de veritat. 8. in corp. vbi ait: *quamcunque voluntas à Deo immutetur in aliquid non dicitur cogi in illud: cuius ratio eſt, quia ipſum velle aliquid eſt inclinari in illud; coactio autem, vel violentia eſt contraria inclinationi illius rei, quæ cogitur. Cùm igitur Deus voluntatem immutat, faciẽs, vt precedentis inclinationis ſuccedat alia inclinatio, & ita quòd prima auferatur, & ſecunda maneat. Vnde illud, ad quod inducit voluntatem, non eſt contrarium inclinationi iam exiſtenti, ſed inclinationi, quæ prius non erat, ſcilicet non eſt violentia neque coactio. Sicut lapidi ratione ſuæ grauitatis ineſt inclinatio ad locum deorſum: hanc autem inclinationem manente ſi ſurſum proijciatur, erit violentia. Si autem Deus auferat à lapide inclinationem grauitatis, & det ei inclinationem leuitatis, tunc ferri ſurſum non erit violentia, & ita immutatio motus poteſt eſſe ſine violentia: & per hunc modum intelligendũ eſt quòd Deus voluntatem immutat ſine eo, quòd voluntatem cogat.* Quia ergo Deus mouendo liberum arbitrium ad cõſenſum tribuit illi actualem inclinationem, qua ſeipſum moueat, & conſentiat; ideo eiuſmodi conſenſus non eſt ei violentus, nec etiam eſt neceſſarius neceſſitate abſoluta, ſed ſolùm conditionata, vel ex ſuppoſitione, quæ libertati non obſtat, vt diſput. 18. & 25. oſtenſum eſt, & patebit ampliùs diſput. 115. & 116.

DISPVTATIO XCVII.

Vtrùm bonus vſus, ſeu cooperatio Liberi Arbitrij, quo Deo excitanti, & vocanti conſentit, procedat à ſola, & innata eius libertate.

1. Hæc difficultas ſatis affinis eſt precedenti; ſed ad maiorem illius explicationem neceſſarium duxi ſub terminis propoſitis eam pertractare. Quidam dicunt, quòd, ſi bonus vſus accipiatur pro ipſa libera operatione, ſeu pro actu voluntatis, quem elicit homo motus a Deo gratia excitante; tunc nihil reperitur in tali bono vſu, quod procedat à ſola, & innata libertate, ſed quidquid entitatis, aut rationis formalis eſt in illo, ſimul procedit à Deo, tanquam principaliori cauſa efficiente. Si autem bonus vſus accipiatur pro ipſo influxu actuali, quo liberum arbitrium, tanquam cauſa partialis, vt aiunt, influit cum Deo in eundem actum; aſſerunt, eiuſmodi bonum vſum procedere à ſola, & innata arbitrij libertate, ac per conſequens, in eandem libertatem eſſe reducendum & non in Deum, vnde & hanc aſſertionem ſtatuunt. Si duo æquales per omnia in omnibus conſpiciant eandẽ mulierem pulchram, euenire poteſt a ſola libertate arbitrij vtriuſque, vt vnus conſentiat in peccatum, eam concupiſcendo, alter non item, eademque eſt ratio de eodem modo affectis, æqualiterque à Deo ad fidem vocatis; pro ſola namque eorum libertate euenire poteſt, vt vnus amplectatur fidem, alter verò eandem contemnat. Concedunt etiam nec dubitandum eſſe, multos torqueri apud inferos, qui multò maioribus auxiliis ad ſalutem a Deo donati fuerunt, quàm multi, qui in cœlo diuino conſpectu fruuntur, &c. Sed quòd hi cum maioribus auxiliis prædeſtinati, & ſalui non fuerint, illi verò cum minoribus prædeſtinati, ac ſalui fuerint, non aliunde fuit, niſi quia illi pro innata libertate noluerunt vti ita ſuo arbitrio, vt ſalutem conſequerentur; hi verò maximè. Dicentes, non aliunde fuit, clarè ſignificant, à ſola, & innata libertate prouenire non ſolum, quòd cum maioribus auxiliis vnus diſſentiat, & damnetur, ſed etiam, quòd alius cum minoribus auxiliis conſentiat, & ſaluetur. Quod vt magis explicent, adiiciunt. Quòd item è duobus,

bus, qui æquali motu gratiæ præueniuntur, ac mouentur, vnus consentiat, concurrat cum gratia, eliciat actum, & conuertatur, alter verò non; certè solum prouenit ab innata, & propria, & intrinseca libertate vtriusque, bonis, & malis reprobis, ac prædestinatis communi. Vt autem rigorem harum assertionum temperent, inquiunt. quòd. si in summo rigore sit loquendum, quando duobus adultis dantur æqualia auxilia gratiæ præuenientis, neque absolutè est abhrenandum, cum æqualibus quatibus vnum illorum conuerti; & alterum non conuerti, nisi addatur, & dicatur, gratia præuenientis. Etenim quando vnus illorum pro sua libertate conuertitur, tum auxilium gratiæ præuenientis ipsi collatum habet in eo nouum influxum gratiæ coöperantis cum ipsius arbitrio, quem non habet in alio. Neque item affirmandum est, existentibus in duobus adultis æqualibus auxilijs gratiæ præuenientis, vnum eorum pro sola sua libertate conuerti, & alterum non: quoniam, licet conuersio illa a libertate pendeat, fiatque ab arbitrio pro sua libertate; non tamen fit pro sola sua libertate, sed cooperante simul auxilio gratiæ præuenientis: quamuis, cùm hic præstò sit, gratiamque præuenientem dependenter à cooperatione arbitrij comitetur, solùm exigitur cooperatio liberi arbitrij nostri. Probatur hæc sententia

Primò. Nam id Iustinus Martyr in responsi ad Christianos de necessarijs quæstionibus, in responsione ad octauam, sequentibus verbis apertè docet: *Quæstio erat: Si boni, ac mali, vtrumque fiunt nostram a Deo accepimus, qui fit, vt vtriusque causa non sit is, qui vtriusque & notionem & vim, illorum explicandorum causa, naturæ quasi inseuit?* Sequitur Iustini explanatio, seu responsio: *Deus non solum eam vim nobis dedit vt essemus, bonumque ac malum cognosceremus, atque faceremus, sed etiam liberum arbitrium nobis concessit, potestatemque fecit eligendi id, quod videretur pro eorum, quæ cognoscuntur, præpositione: neque virtutem, aut vitium nostrum in cognitione eorum, quæ cognoscuntur, posuit, sed in electione eorum, quæ diuiduntur. Non igitur causa est Deus virtutis nostræ, ac vitij, sed propositum nostrum, & voluntas. Vt enim, qui seorsum videt, ac seorsum esse seit, ex scientia illa, & cognitione seorsum non est. Si verò motus assentiatur voluntas, dum denique seorsum est vel opere, vel affectione; sic etiam non est cognitio, cur boni, & malis sint homines; sed voluntas, quæ ex præpositione eorum id, quod videtur, sequuta est.* Quibus verbis virtutem nostram, & vitium non in Deum, qua vires, quibus ea exercemus, notitiamque naturalem vitij, ac virtutis nobis tribuit, sed in nostrum arbitrium, nosque ipsos, qui liberè in vnam, aut alteram partem illud flectimus, tanquam in particularem, ac proximissimam eorum causam, docet esse referenda.

Secundò arguitur: nam potissimum fundamentum, propter quod Caluinus affertit, hominem non cooperari libere Deo excitanti, & mouenti est, quia Deus, per auxilium efficax diuinæ gratiæ, elicit in illo ipsum concursum voluntatis. Ait enim non offerri tantùm à Domino gratiam, quæ libera cuiusque electione, aut recipiatur, aut respuatur, sed ipsam esse, quæ in corde & electionem, & voluntatem formet, vt quidquid deinde sequitur boni operis, fructus sit ipsius, ac effectus, nec aliam habeat sibi obsequentem voluntatem, nisi quam fecit. Quod probat auctoritate Augustini dicentis, *Dominum homines suis voluntatibus trahere, sed quas ipse operatus est*, & in alio loco: *Omne bonum in nobis opus nonnisi gratiam facere.* Ergo sententia, quæ asserit, bonum vsum liberi arbitrij esse in Deum reducendum, tanquam in causam priorem per se efficientem, errori Caluini fauere videtur.

Calu. lib. 2 instit. ca. 3 §. 13.

Tertiò arguitur, Auctoritate S. Augustini lib. 12. de Ciuitate Dei, c. 6. vbi docet sententiam superiùs propositam: aut enim, si duo æquales per omnia in omnibus conspiciant eandem mulierem pulchram euenire posse a sola libertate arbitrij vtriusque, vt vnus consentiat in peccatum, eam concupiscendo; alter non item: ergo idem poterit contingere respectu consensus, aut dissensus in illis, qui æqualiter a Deo vocantur. Qui ergo consentit Deo excitanti, pro sola, & innata libertate consentit: non ergo debet reduci influxus liberi arbitrij quo Deo excitanti assentitur, in Deum tanquam in causam priorem per se efficientem, sed in solam, & innatam creati arbitrij libertatem.

Quartò. Quia, licèt nemo credere possit, aut pœnitere, vel diligere, sicut ad salutè oportet, nisi præueniatur gratia diuina: nihilominus auxilium gratiæ non est sola, & integra causa, quòd fidei assentiatur; quandoquidem posita quacunque gratia præueniente, semper manet homo liber, vt per suum liberum arbitrium possit non consentire. vt in Concil. Trid. definitur ergo, qui assentitur Deo vocanti, pro sola sua, & innata libertate assentitur, & similiter qui dissentitur, id efficit pro eadem sola, & innata libertate, & ita sequitur idem quod prius.

Con. Trid. sess. 6. c. 5. & can. 4.

Quintò. Voluntatis consensus non habet, quòd sit actus liber, vt procedit a Deo, aut a gratia præueniente, sed solùm habet, quòd sit liber, & consequenter opus virtutis dignum laude, quatenus procedit ab innata propria, & intrinseca libertate arbitrij creati, bonis, ac malis, reprobis, ac prædestinatis communi; in huius potestate constitutum est Deo vocanti consentire, aut dissentire: ergo talis consensus, in quantùm est formaliter influxus liberi arbitrij, reduci debet in solam libertatem arbitrij creati, & non in Deum, vel in ipsam gratiam præuenientem, tanquam in causam priorem per se efficientem. Consequentia est nota, quoniam nulla alia causa efficiens potest esse illius consensus, nisi libertas arbitrij, & gratia præueniens, seu Deus operans per gratiam præuenientem: ergo si consensus liberi arbitrij in quantùm est actus liber, non reducitur in Deum, vel in auxilium gratiæ præuenientis, tanquam in causam per se efficientem, solum debet reduci in libertatem arbitrij creati. Et antecedens probatur: nam ille consensus, quatenus præcipuè est a Deo simul cooperante per gratiam, solum habet, quòd sit supernaturalis, & qualis ad salutem oportet: ergo, vt procedit à Deo cooperante per gratiam, non habet formaliter, quod sit actus liber: ergo, &c.

III.

Sextò arguitur. Ille bonus vsus est proprius ipsius liberi arbitrij, & ideo propter illum est homo dignus laude, & præmio vitæ æternæ, sicut quando vsus malus est, propter illum dignus est vituperio. Vnde Bernard. ait: *Quod in nobis minus est, ipse supplet*, Deus scilicet, *modicum tamen illud, quodcunque nostrum est, non patitur reseruari.* Et Concil. Trident. *Vere*, inquit, *iusti nominantur, & sumus, iustitiam in nobis recipientes, vnusquisque suam, secundum mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult, & secundùm propriam cuiusque dispositionem, & cooperationem.* Et post-ea eos anathematizat, qui dixerint: *Hominis iustificati bona opera ita esse dona Dei, vt non sint etiam bona ipsius iustificati merita*: ergo ille bonus vsus, seu influxus arbitrij, procedit à sola, & innata eius libertate: aliàs enim non esset proprius liberi arbitrij, sed illi, & Deo communis.

Bern. ser. de eo quod scriptum est Iob in sex tribulationibus. Con. Trid. sess. 6. de Iustific. cap. 7. & Can. 11. eadem sess. can. 24.

Septimò. In potestate liberi arbitrij est, bene vti gratia excitante, aut nō vti prout sibi placuerit, cùm liberè omnino ea vtatur: ergo, quando bene vtitur, id efficit pro sua libertate: ergo in solam libertatem creatam reducendum est, quòd, cùm homo possit nō

IV.

vti

vti gratia, bene vtatur illa: igitur bonus vſus liberi arbitrij procedit à ſola, & innata eius libertate.

Octauò. Vt homo bene vtatur gratia excitante, non requiritur noua gratia, ſed ſolum, quòd lib. arb. velit vti, & cooperari cum illa; aliàs gratia excitans, & auxilium ſufficiens, non eſſet vere ſufficiens ad conuerſionem, & ad ſalutem: ergo bonus vſus gratiæ excitantis non eſt effectiuè ab ipſa gratia, & conſequenter non erit effectiuè à Deo; cùm nihil Deus operetur effectiuè in homine, pertinens ad ſalutem, niſi mediante gratia: igitur bonus vſus gratiæ eſt effectiuè à ſola, & innata hominis libertate.

Nonò. Hæc cauſalis eſt vera: Homo non bene vtitur gratia excitante, quia non vult: ergo hæc ſimiliter erit vera: Homo bene vtitur gratia excitante, quia vult. Quotieſcunque enim negatio eſt cauſa negationis, affirmatio etiam debet eſſe cauſa affirmationis: ergo ſola libertas arbitrij creati eſt cauſa boni vſus gratiæ, & ita non erit reducendus in Deũ, tanquam in cauſam priorem per ſe efficientem.

Decimo. Deus non attingit in aliquo priori temporis vel naturæ bonum vſum liberi arbitrij, antequam lib. arb. eundem bonum vſum producat, aliàs cum ille vſus ſit indiuiſibilis, totus produceretur à Deo ſolo, & nihil relinqueretur producendum ab ipſo arbitrio creato, & per conſequens merè paſſiuè ſe haberet, recipiendo in ſe actum liberum à ſolo Deo efficienter productum: quod & libertati eiuſdem arbitrij, & doctrinæ Conc. Trid. repugnat: ergo bonus vſus procedit à ſola, & innata libertate, ſi, ly, ſola, tantùm excludat aliam cauſam priorem per ſe efficientem.

Cõc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 5. & can. 4. de iuſtific.

Confirmatur. Deus non producit immediatè illum bonum vſum, ſed mediatè, cùm illum producat per lib. arbit. & non aliter, eò quòd bonus vſus eſt actio vitalis, quæ ſubinde produci non poteſt, niſi à cauſa ſecunda vitali: ergo non eſt aſſignabile aliquod prius, in quo Deus attingat eundem bonum vſum antecedenter ad concurſum liberi arbitrij: ergo ille bonus vſus non habet aliquam cauſam per ſe efficientem, priorem libero arb. in cauſando; & ita ſequitur idem, quod priùs.

Vndecimò probatur omnibus argumentis, quibus diſputat. 22. & 23. contendebamus probare, Deum auxilio præoperantis gratiæ, non prædeterminare lib. arbit. ad bonum vſum gratiæ excitantis: ex hoc enim manifeſtè deducitur, eundem bonum vſum non eſſe reducendum in Deum, vel in auxilium actuale diuinæ gratiæ, tanquam in cauſam priorem in cauſando, quod etiam concludere videntur argumenta adducta diſputatione 18. ad ſuadendum, concurſum Dei generalem non eſſe influxum Dei immediatum in cauſam, ſed eſſe influxum ſimultaneum cum cauſa ſecunda in eius operationem.

V. Hæc tamen ſententia reiicienda eſt, & licèt ſatis maneat impugnata ex dictis diſputat. 36. 81. & 86. ad maiorem abundantiam doctrinæ ſtatuuntur tres Concluſiones.

Prima concluſio. Bonus vſus lib. arb. quo Deo vocanti, & excitanti conſentit, non procedit effectiuè à ſola, & innata eius libertate, ſed neceſſariò reducendus eſt in ipſum Deum, tanquam in cauſam priorem operantem per auxilium efficax præoperantis gratiæ, atque efficientem, vt homo liberè cooperetur. Priorem, inquam, non quidem prioritate temporis, ſed rationis dumtaxat, & cauſalitatis, ita videlicet, vt iſta cauſalis ſit vera: Quia Deus operatur, præueniendo ordine rationis, & cauſalitatis liberum influxũ arbitrij creati, ipſum liberum arbitrium ſubſequendo cooperatur. Probatur concluſio omnibus argumentis, quibus diſput. 36. oſtenſum eſt, bonum vſum auxiliorũ gratiæ, inquantùm emanat à lib. arb. effectu eſſe prædeſtinationis: & idem conſtat ex dictis diſp. 82. Præterea probatur ex Cõc. Senõ. in quo ita decernitur. *Accedentem ſiquidem ad Deum oportet primũ animæ gratia munere aduitũ credere, deinde bonis operibus intendere, in quibus efficiendis, & liberum arbitrium operatur, & gratia; primo tamen, & principaliùs gratia.* Cùm ait *primò tamen, & principaliùs gratia*, ſatis aperte declarat, ipſi gratiæ non ſolùm principalius, ſiue vt cauſæ magis principali, eſſe tribuendum bonum vſum liberi arbitrij, & omnia pietatis opera; ſed etiam primò, hoc eſt, tanquam priori cauſæ efficienti: quod verba antecedentia non obſcurè innuunt, ſcilicet: *In quibus efficiendis, & liberum arbit. operatur & gratia.* Sentit ergo Conc. bonum vſum liberi arbitrij in ipſum Deum, atque in adiutorium gratiæ efficacis, tanquam in priorem cauſam per ſe efficientem, eſſe reducendum.

Conc. Senõ. à prin.

Gratia primo in choat bonum vſum liberi arbitrij.

Secundò probatur auctoritate Apoſtoli 1. Corint. 4. *Quis enim te diſcernit? quid autem habes, quod non acceperis? ſi autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Quo teſtimonio S. Auguſtin. oſtendit, non ad ſolam & innatam libertatem, quæ bonis, & malis, electis, & reprobis eſt communis, referendum eſſe, quòd liberum arbit. aſſenſum præbeat Deo excitanti, & ad fidem vocanti; ſed in adiutorium diuinæ gratiæ, per quod fit, vt vnus bene vtatur ſuo arbitrio in Deum credens, & diſcernatur ab alio, qui in infidelitate perſiſtit: ſic enim ait: *Nunquid enim per hæc dona, quæ omnibus communia ſunt hominibus, diſcernũtur homines ab hominibus? hic autem priùs dixit:* Quis enim te diſcernit? *& deinde addit.* Quid autem habes, quod non accepiſti? *poſſet quippe dicere homo inflatus aduersus alterum: Diſcernit me fides mea, iuſtitia mea, vel ſi quid aliud. Talibus occurrens cogitationibus bonus Doctor,* Quid autem habes, *inquit*, quod non accepiſti? *à quo, niſi ab illo, qui te diſcernit ab alio, cui non donauit, quod donauit tibi?* Si autem accepiſti, *ait*, quid gloriaris, quaſi non acceperis. Nunquid quæſo, *ait*, aliud niſi, vt qui gloriatur, in Domino glorietur? *nihil autem huic ſenſui tam contrarium eſt, quàm de ſuis meritis ſic quenquam gloriari, tanquam ipſe ſibi ea fecerit, non gratia Dei, ſed gratia, qua bonos diſcernit a malis, non quæ communis eſt & bonis, & malis.* Si iuxta ſententiam Auguſt. gratia, quæ bonos diſcernit à malis, non eſt illa, quæ communis eſt bonis & malis; ergo nullatenus concedendum eſt, bonum vſum liberi arbitrij, quo boni diſcernuntur à malis, ſolùm prouenire ab innata, & propria, & intrinſeca libertate vtriſque, bonis, & malis; reprobis & prædeſtinatis communi.

VI. Apoſt. auctoritas, *Quis te diſcernit?* expenditur.

Aug. lib de prædeſtin. SS. c. 5. to. 7.

Reſpondent, nihil eſſe in noſtra iuſtificatione, nullum opus, aut actionẽ nos diſcernentem ab alio, quæ ſit à nobis, & non ſimul, ac præcipuè à Deo, eam per auxilia, & dona ſua euchente ad eſſe ſupernaturale: nam quidquid in iuſtificatis cernitur, totum eſt ſupernaturale Dei donũ, ſiue ipſi cooperentur ad illud per ſuum arbitrium, ſiue non; eáque ratione meritò ait Paulus: *Quis te diſcernit?* tanquam, auctor videlicet, præcipuáque cauſa donorum, quibus alios ſuperas, ab eiſque differs. Nihilominùs concedendum eſſe, dari in iuſtificatis aliquid ſupernaturale, eos ab impiis diſcernens, quod non ſimpliciter, ſed vt præcisè emanat à libero arbit. tanquam à parte integræ cauſæ, & vt habet rationem concurſus proprij liberi arbitrij; referendũ ſit in ſolam innatam libertatem eiuſdem arbitrij, & non in Deum, niſi tanquam in auctorem naturæ, & eiuſdem arbitrij, qui eam facultatẽ nobis cõtulit, vt eo pacto liberè noſtras actiones bonas cum eo cooperemur, eáque ratione in laudem, ac meritum nobis cederent, tanquam quæ eo modo in noſtra eſſent poteſta

poteſtate: neque id negare intendit Apoſtolus. Ea enim de cauſa iuſtificatur, & qui poſt acceptam iuſtitiam cooperatur cum gratia, meretúrque incrementum illius, dignus eſt laude, & honorandus à Patre cœleſti in ſempiterna beatitudine.

VII. Hæc tamen explicatio, nec verbis Apoſtoli, nec doctrinæ videtur Auguſtini congruere: Apoſtolus enim non ſolùm intendit docere, Deum eſſe cauſam præcipuam, ſeu magis principalem, quæ per ſuam gratiam iuſtos ab impiis, & prædeſtinatos a reprobis diſcernit: ſed eſſe totalem, & integram cauſam, in quam debet, tanquam in primam radicem, reuocari quidquid iuſtum diſcernit à peccatore; quod apertè oſtendunt illa verba: *Quid habes.* Cùm enim conſenſus, ſeu bonus vſus arbitrij, etiam ſub ea ratione, qua emanat à libero arbitrio conſideratus, qua ratione cooperatio eius dicitur, ſit aliquid; relinquitur quòd ſub eadem ratione ſit acceptus à Deo, & conſequenter, ſecundùm mentem Apoſtoli, ſit in ipſum Deum (quia ſua gratia efficaci verè efficienter facit, hominem libere cooperari) reducendus, & non in ſolam, atque innatam eiuſdem arbitrij libertatem. Præterea: nam aliàs Apoſtolus non dixiſſet abſolutè, & ſine vllo addito: *Quis te diſcernit?* ſed addidiſſet, quis te diſcernit, tanquam cauſa principalis, & auctor præcipuus. Si enim iuſtus, per influxum proprium ſui arbitrij cum gratia excitante, quem influxum non accepit à Deo, nec ab adiutorio gratiæ illius, tanquam à cauſa propriè efficiente, ſeipſum minùs principaliter diſcernit ab alio; reſpondere vtique potuiſſet Apoſtolo interroganti: Influxus liber mei arbitrij me diſcernit; quamuis minùs principaliter, ac per conſequens, gloriari potero, quantùm ad iſtum influxum, in me ipſo, & non in Deo, quod tamen menti, & verbis Apoſtoli repugnare videtur. Et idem docere intendit Auguſtinus loco citato. Quod etiam colligi poteſt ex aliis eius teſtimoniis, præſertim ex Enchir. ad Laurent. capit. 32. vbi ex verbis Apoſtoli ad Rom. 8. *Non eſt volentis, neque currentis, ſed Dei miſerentis*; concludit, ex ſola Dei voluntate, & operatione; tanquam ex prima radice procedere, quòd homo excitatus à Deo velit, & currat. Et adducens quorundam explicationem, aſſerentium, propterea dictum eſſe: *Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei*; quia non ſufficit voluntas hominis, niſi adſit miſericordia Dei, quoniam ex vtroque fit conſenſus hominis; eam his verbis impugnat: *Cùm proculdubio, ſi homo eius ætatis eſt, vt ratione vtatur, non poſſit credere, ſperare, diligere, niſi velit, nec peruenire ad palmam ſuperna vocationis Dei, niſi voluntate eucurrerit, quomodo ergo non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei; niſi quia & ipſa voluntas, ſicut ſcriptum eſt, à Deo præparatur? Alioquin, ſi propterea dictum eſt: Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, quia ex vtroque ſit, id eſt, ex voluntate hominis, & miſericordia Dei, vt ſic dictum accipiamus, non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, tanquam diceretur, non ſufficit ſola voluntas hominis, ſi non ſit etiam miſericordia Dei; non ergo ſufficit ſola miſericordia Dei ſi nõ ſit etiã volũtas hominis. Ac per hoc ſi rectè dictum eſt, non volentis hominis, ſed miſerentis eſt Dei; quia id voluntas hominis ſola non implet, cur non & è cõtrario rectè dicitur, non miſerentis eſt Dei, ſed volentis eſt hominis, quia id miſericordia Dei ſola non implet? Porrò ſi nullus Chriſtianus dicere audebit: Non miſerentis eſt Dei, ſed volentis eſt hominis, ne Apoſtolo apertiſſimè contradicat; reſtat, vt propterea rectè dictum intelligatur, non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, vt totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam & præparat adiuuandam, & adiuuat præparatam.* Eandem doctrinam repetit aliis pluribus in locis.

Tertiò probatur concluſio, & roboratur magis, atq; aperitur efficacia argumenti præcedentis auctoritate SS. Patrum, qui vnanimiter docent, totum, quod in noſtra iuſtificatione inuenitur, etiam conſenſum liberi arbitrij, eſſe Deo tribuendum. Hi ſunt Cyprianus, Gregorius Nazianzenus, Baſilius, Paulus Oroſius, Anſelmus, Bernardus, Damaſcenus, quorum teſtimonia diſputatione 85. numer. tertio, retulimus. SS. Patres totum Deo tribuendum eſſe docent, quia ipſe per auxilium præoperantis gratiæ efficit, quòd liberum arbitrium ſuum cum gratia adhibeat influxum: ergo, quamuis bonus vſus gratiæ efficienter producatur à libero arbitrio, vt à cauſa proxima: tamen reduci debet in ipſum Deum, tanquam in priorem cauſam per ſe efficientem: non ergo debet reduci in ſolam innatam libertatem; ſi ly ſola, excludat quamcunque aliam cauſam priorem in cauſando. Confirmatur auctoritate ſanct. Thomæ, qui, tractans illam quæſtionem, Vtrùm gratia conuenienter diuidatur in operantem, & cooperantem; pro parte negatiua hoc ſecundum conſtituit argumentum: *Si gratia aliquid operatur in nobis, maxime operatur in nobis iuſtificationem, ſed hoc non ſola gratia operatur in nobis; dicit enim Auguſtinus: Qui creauit te, ſine te, non iuſtificabit te, ſine te: ergo nulla gratia debet dici ſimpliciter operans.* Et reſpondens ad hoc argumentum ait: *Quòd Deus non ſine nobis nos iuſtificat, quia per motum liberi arbitrij, dum iuſtificamur, Dei iuſtitiæ conſentimus; ille tamen motus non eſt cauſa gratiæ, ſed effectus; vnde tota operatio pertinet ad gratiam.* Quibus verbis apertè docet, motum, qui procedit à libero arbitrio, in ipſam gratiam tanquam in priorem cauſam efficientem reducendum eſſe. Si enim influxus ipſe arbitrij eſt effectus gratiæ; neceſſe eſt, vt gratia, & Deus ipſe per gratiam ſit prior prioritate rationis in cauſando, quàm arbitriũ creatũ: ergo influxus liberi arbitrij in operationem piam reduci debet in Deum, tanquam in priorem cauſam efficientem, & non in ſolã, & innatam libertatem voluntatis creatæ. Vnde 1. p. quæſt. 105. artic. 1. ad 3. ait, quòd *hoc ipſum, quòd cauſa ſecunda determinãtur ad determinatos effectus, eſt illis à Deo.* Alia loca ſancti Thomæ, quæ huic ſententiæ fauent, adduximus diſputatione 22. numero 11.

Quartò probatur. Gratia eſt, quæ primò inchoat bonum vſum liberi arbitrij, vt patebit diſp. 98. ergo bonus vſus liberi arbitrij non procedit à ſola, & innata eius libertate, ſed ab alia priori cauſa efficiente ſcilicet à Deo mouente, & applicante arbitrium, vt liberè conſentiat.

Confirmatur. Liberum arbitrium creatum, qua ratione liberum eſt, non habet magis, quòd conſentiat Deo vocanti, quàm quòd diſſentiat, aut quòd feratur in vnum oppoſitorum potiùs, quàm in alterum, cùm ex ſua natura ſe habeat indifferenter ad vtrumque, vt ſuprà dictum eſt, & patebit ampliùs in ſequentibus: ergo non prouenit ex ſola, & innata libertate illius, quòd conſentiat Deo vocanti, & excitanti.

VIII. Quintò. Omnis ſapientia creata in ſuo conceptu formali importat dependentiam à ſapientia increata, eò quòd ſapientia creata eſt, quædam participatio increatæ ſapientiæ: omne autem, quod eſt tale per participationem, reducitur in id, quod eſt per eſſentiam tale, & in ſuo eſſe dependet ab eo, vt ſæpe docet ſanctus Thomas, & Ariſtot. ſicut omne calidum dependet à primo calido, & omne lucidum à primo lucido; ſed libertas, quæ in actuali exercitio reperitur in bono vſu liberi arbitrij, eſt libertas creata, & conſequenter eſt libertas per participationem: ergo in ſuo conceptu formali importat dependentiam à libertate increata, ſiue à libero, & efficaci decreto voluntatis Dei; ac per conſequens in illum

Torũ Deo tribuendũ.

S. Tho. p. 2. q. 111. ar. 2.

Aug. tract. 72. in Ioan. poſt med. tom. 9. & de verb. Apoſt. ſerm. 15.

Libertas creata in ſuo formali cõceptu importat dependẽtiã à libertate increata.

lum reduci debet tanquam in cauſam priorem: ergo bonus vſus liberi arbitrij, etiam qua ratione procedit à libero arbitrio, cùm ſit liber per participationem, habet aliam cauſam priorem, ſcilicet Deum, à quo dependent omnia, quæ quomodocunque habent eſſe: non procedit à ſola, & innata libertate voluntatis creatæ.

Confirmatur. Vt diſp. 64. oſtenſum eſt, vitalitas, quæ reperitur in actu viſionis beatificæ, & in quocunque alio actu ſupernaturali fidei, ſpei, & charitatis, non procedit à ſola potentia naturali, ſed, vt quo, producitur effectiuè à principio ſupernaturali, ſcilicet ab habitu luminis gloriæ, vel ab alio habitu ſupernaturali, atque ab auxilio Dei actuali: ergo ſimiliter libertas boni vſus liberi arbitrij, conſentientis Deo vocanti, non procedit ex ſola, & innata eius libertate, ſed, vt quo, reduci debet in ipſum auxilium præoperantis gratiæ.

IX. Sextò Influxus, quo liberum arbitrium influit in piam operationem, ſiue in bonum vſum gratiæ excitantis, eſt ſupernaturalis, cum ſit circa obiectum ſupernaturale: ergo debet prouenire à principio ſupernaturali: operationes enim ſpecificentur ex principijs actiuis, vt ſæpe docet S. Tho. Sed ſola, & innata libertas nõ includit aliquod principiũ actiuũ ſupernaturale, cùm libertas ſecũdum ſe pertineat ad ordinem naturæ: ergo ille influxus prouenire nõ poteſt à ſola, & innata libertate. Si dicatur, piam operationem habere, quòd ſit ſupernaturalis, non quidem ex innata hominis libertate, ſed ex influxu gratiæ excitantis, quæ, conſentiente iam libero arbitrio, ſimul cum illo producit eandem piam operationem; contra: nam liberum arbitrium motum à Deo verè producit operationẽ ſupernaturalẽ, charitatis, verbi gratia, aut pœnitentiæ: ergo influxus in eandẽ piam operationẽ, & cauſalitas eius debet eſſe ſupernaturalis: implicat enim actum eſſe ſupernaturalem, reſpectu alicuius potentiæ, vel cauſæ actiuæ, & quòd cauſalitas, ſiue influxus eiuſdem cauſæ non ſit ſupernaturalis, ſed merè naturalis: alias idem actus indiuiſibilis eſſet intrinſecè compoſitus ex entitate naturali, & ſupernaturali. Si enim ſupernaturalitas actus eſt à ſola gratia, & non à libero arbitrio, & libertas eiuſdem actus eſt effectiuè à ſola innata libertate: ergo aliquid naturale reperitur in bono vſu liberi arbitrij, quod ſit eidem arbitrio pro ſola, & innata eius libertate tribuendum, & aliquid ſupernaturale, quod ſit referendum in ſolam gratiam, tanquam in cauſam efficientem, & ita idem actus erit compoſitus ex naturali, & ſupernaturali entitate.

Liberi arbitrij influxus in actu ſupernaturalem, eſt ſupernaturalis.

Soluitur.

Cõfutatio.

S. Tho. 1. 2. q. 23. art. 5. in corp.

Confirmatur. Quia, vt docet S. Thomas, *non eſt diſtinctum, quod eſt ex libero arbitrio, & ex prædeſtinatione, ſicut nec eſt diſtinctum, quod eſt ex cauſa ſecunda, & cauſa prima diuina enim prouidentia producit effectus per operationes cauſarum ſecundarum*: ergo eadem ſupernaturalitas actus charitatis, aut pœnitentiæ, quæ producitur à Deo per gratiam, tanquam à cauſa prima ordinis ſupernaturalis, produci debet effectiuè à libero arbitrio, tanquam à cauſa proxima per influxum ſupernaturalem: ergo ex ſola, & innata libertate non poterit influere in actum ſupernaturalem, ſiue in bonum vſum gratiæ excitantis: non ergo poterit idem bonus vſus reduci in ſolam, & innatam arbitrij creati libertatem.

Denique probatur: nam conceptus entis, quia eſt conceptus vniuerſaliſſimus, intimè clauditur in omnibus rebus, etiam in vltimis differentiis, ita vt nulla ſit, quæ conceptum entis ſubterfugiat, ſed operatio, vel cauſalitas diuina eſt vniuerſaliſſima, cum ſit operatio primæ cauſæ: ergo non poteſt dari aliqua cauſalitas, vel concurſus creatus, qui efficienter non procedat à cauſalitate diuina vel illam ſubterfugiat: ergo bonus vſus liberi arbitrij reducendus eſt in Deum, tanquam in cauſam priorem per ſe efficientem.

A

Secunda concluſio. Quod ex duobus, qui, æquali motu gratiæ præueniuntur ac mouentur, vnus conſentiat, concurrat cum gratia, eliciat actum pium, & conuertatur, alter verò in peccato permaneat, non prouenit à ſola, & innata, & propria, & intrinſeca libertate vtriuſque bonis, & malis, reprobis, ac prædeſtinatis communi, ſed, quòd alter conuertatur, eſt referendum in Dei decretum abſolutum, & efficax, qui miſericorditer voluit eum conuertere, & efficaci auxilio præoparantis gratiæ præuenire, cùm tamen alium iuſtè in maſſa perditionis cum ſolo auxilio ſufficienti reliquerit. X.

Cum auxiliis ex parte Dei æqualibus, quod vnus cõuertatur, alter non conuertatur, vnde proueniat.

B

Hæc concluſio ſequitur manifeſtè ex dictis in concluſione præcedenti, & probatur omnibus argumentis, quibus diſput. 108. oſtendemus illi, qui conuertitur cõferri ſemper à Deo aliquod maius, & fortius auxilium præuenientis gratiæ, quod tamen non eſt donatum alteri, qui non conuertitur. Ex hoc enim concluditur euidenter, non prouenire à ſola, & innata libertate, quòd ex duobus habentibus omnino æqualia auxilia præuenientis gratiæ, vnus eorum conuertatur, alter verò in peccato permaneat. Quamuis enim, qui in peccato permanet, perſiſtat in illo pro ſua ſola, & innata libertate: tamen, qui ad Deum conuertitur, non pro ſola iunata libertate, ſed pro ſpeciali auxilio efficaci, quod illi donatum eſt, & non alteri, ad Deum conuertitur.

C

Tertia concluſio. Etiamſi addatur, & dicatur, cum æqualibus auxiliis gratiæ præuenientis, qua gratiæ præuenientis auxilia ſunt, non eſt afferendum in caſu poſito, pro ſola, & innata libertate vnum exillis duobus hominibus ad Deum conuerti. Probatur, quia in eo, qui conuertitur, non ſolùm eſt nouus influxus præuenientis gratiæ, vnà cum libero arbitrio piam operationem producens, ſed etiam eſt aliquod nouum auxilium præuenientis gratiæ, ſcilicet auxilium efficax, quod non eſtin altero: etenim auxilium efficax gratiæ adiuuantis, ſeu cooperantis, qua ratione adiuuans eſt, præuenit ordine rationis, & cauſalitatis libetum influxum, & cooperationem arbitrij, vt diſputatione 23. 82. & 92. oſtenſum eſt. Sed de his latiùs agendum eſt diſp. 108. citata.

D

AD primum argumentum ex auctoritate Iuſtini Martyris reſpondetur, quòd in verbis inductis ſolùm intendit docere, quòd actus virtutis, aut vitij non fiat ſine nobis liberè concurrentibus. ſeruata tamen proportione. Nam actus virtutis, & inquantùm actus eſt, & inquantùm eſt virtutis, tribuitur Deo, tãquam primæ cauſæ mouenti, & tanquam auctori totius entitatis, & bonitatis etiam moralis, quæ in illo actu reperitur, libero autem arbitrio tribuitur, vt cauſæ ſecundæ, & proximæ, liberè cooperanti Deo mouenti. Actus autem vitij, ſeu peccati, inquantùm actus eſt, etiam tribuitur Deo, vt primo auctori, & libero arbitrio, vt cauſæ proximæ, ſed inquantùm malus moraliter, ſeu peccatum eſt, ſolùm in voluntatem creatam deficientem referendus eſt: vt diſputatione decima octaua numero vigeſimo primo, & vigeſimo ſecundo, & diſputatione vigeſima quarta, dictum eſt. XI.

Peccatũ in ſolam creatam voluntatem reducitur.

E

Ad ſecundum reſpondetur, Caluinum non erraſſe in eo, quod aſſeruit, gratiam ipſam eſſe, quæ in corde & electionem, & voluntatem obſequentem efficit, ſed quia dixit id fieri à Deo per gratiam efficacem, ſine nobis liberè concurrentibus, & cooperantibus, quod ex Conc. Trident. manifeſtè colligitur, in quo errores Lutheranorum, & Caluiniſtarum damnantur. Non enim hos hæreticos damnat, quia

Caluini error.

quia dixerunt; Deum per gratiam efficere in nobis obsequentem voluntatem, sed quoniam statuerunt, obsequentem voluntatem liberam non esse, nec reuera posse, Deo excitanti dissentire, si velit, aut eius gratiam abiicere.

A. vt quod, in liberum arbitrium creatum: cæterùm, tã quam in principium formale quo, reduci debet in ipsum auxilium efficax, vt loco citato explicatum est.

XII. Ad tertium ex auctoritate Augustini, li. 12. de Ciuit. Dei, c. 6. respondetur, quòd tantùm vult docere, ex illis duobus hominibus, vnum voluntarie peccare, alterum verò etiam voluntariè à peccato abstinere, sicut ad auctoritatem Iustini Martyris dictum est. Verba enim August. sunt hæc: *Si enim aliqui duo æqualiter affecti animo & corpore, videant vnius corporis pulchritudinem, qua visa vnus eorum ad illicitè fruendum moueatur, alter in voluntate pudica stabilis perseueret, quid putamus esse causæ, vt in illo fiat, in illo* B *non fiat voluntas mala?* Et infrà: *Si eadem tentatione ambo tenentur, & vnus ei cedat, atque consentiat, alter, idem, qui fuerat, perseueret, quid aliud apparet, nisi vnum voluisse, alterum noluisse à castitate deficere? vnde, nisi propria voluntate, vbi eadem fuerat in vtroque corporis, & animæ affectio, amborum oculis pariter visa est eadem pulchritudo, ambobus pariter insitit occulta tentatio.* Non tamen intelligit Augustinus, quòd abstinere à peccato sit in nobis ex nobis, sicut & consentire peccato: nam statim inter vtrumque constituit differentiam. Etenim in capit. 7. & 8. immediate sequuntibus inquirẽs causam malæ volũtatis, seu peccati, docet, primam, & totalem causam defectus, seu peccati esse ex nostro arbitrio, quia ex nihilo factum C est, vnde & defectibile est. In capite autem 9. similiter inquirens causam bonæ voluntatis, inquit, quòd bona voluntas non est ex nobis, sed ex Deo, à quo est voluntas: id quod probat in Angelis, subdens: *Si autem boni Angeli fuerant priùs sine bona voluntate, eámque in seipsis, Deo non operante, fecerunt: ergo meliores à seipsis, quàm ab illo facti sunt.* Et infrà: *At si non potuerunt seipsos facere meliores, quàm eos ille fecerat, quo nemo melius quidquam facit: profectò bonam voluntatem, qua meliores essent, nisi, cooperante adiutorio Creatoris, habere non possent.* Quam doctrinam confirmat libro secundo de peccator. meritis, & remissione, capite 18. vbi ait: *Quocirca, quòd à Deo nos auertimus, nostrum est: quòd verò ad Deum nos conuertimus, nisi ipso excitante, atque adiuuante, non possumus.*

Consensus qualiter dicatur proprius actus lib. arb.

Ad sextum respondetur quòd, si proprium dicatur illud, quod ita procedit a libero arbitrio, vt non dependeat ab alio priori agente, nullus actus potest esse quid proprium liberi arbitrij, quia, vt supra dictum est, nihil habet à seipso, sed omnia à Deo misericorditer accepit. Si autem dicatur proprium, quod producitur à principio intrinseco actiuo cum dominio actus, sic bonus vsus gratiæ est actus proprius liberi arbitrij, quia videlicet, tanquam à principio intrinseco se liberè mouente, & determinante, producitur efficienter à libero arbitrio huius hominis, & non illius, sed non producitur ab illo, pro sua sola libertate, vt dictum est.

XIV. Ad septimum respondetur, quòd non vti gratia excitante, & illa abuti est constitutum in sola libertate arbitrij creati. vti autem eadem gratia, constitutum quidem est in eadem hominis libertate, sed non in sola, sed libertate arbitrij à Deo præuenienti speciali auxilio præoperantis gratiæ.

Gratiæ excitãtis bonus vsus est efficienter à gratia adiuuante.

Ad octauum argumentum respondetur, quòd ad actualem bonum vsum gratiæ excitantis requiritur alia gratia, videlicet gratia adiuuans. & efficax; vnde nunquam liberum arbitrium volet vti gratia diuina, & cooperari cum illa, nisi efficaciter ad talem cooperationem à Deo præmoueatur: vnde bonus vsus gratiæ excitantis non est effectiuè à solo libero arbitrio pro sua innata libertate, sed etiam procedit efficienter, vt quo, à gratia efficaci, vt dictum est. Nec ex hoc sequitur, quòd auxilium sufficiens non sit in suo genere verè sufficiens ad salutem, vt disp. 18. & 23. ostensum est.

Ad nonum negatur consequentia, cum S. Thom. p. 2. q. 112. art. 3. ad secundum. nam *defectus gratiæ primæ causa est ex nobis: sed collationis*, aut boni vsus *gratiæ prima causa est à Deo, secundum illud Osee 13. Perditio tua ex te Israël, tantummodo ex me auxilium tuum.* Vnde malus vsus liberi arbitrij in ipsum liberum arbitrium, vt in causam totalem, bonus autem in Deum, tanquam in primum auctorem, & motorem, referendus est & ideo hæc causalis est vera: Quia homo non vult bene vti auxilio præuenientis gratiæ, D ideo non vtitur illo. Hæc autem causalis est falsa: Quia homo vult bene vti eodem auxilio, ideo bene vtitur illo. si illa causalis importet primam radicem illius boni vsus. Quamuis enim homo volens bene vtatur vocatione diuina, & gratia ipsa excitante, eidem gratiæ liberè consentiendo, & cooperando; prima tamen radix, & primum initium effectiuum huius boni vsus non desumitur ex libero arbitrio, sed ex misericordia Dei, quæ per auxilium efficax fecit actiuè propriè, seu physicè, vt distinguitur contra solùm moraliter, vt liberum arbitrium bene vteretur eadem gratia, illi consentiendo. Quod his verbis explicuit, & docuit Concilium Arausic. *Suam* E *voluntatem homines faciunt, non Dei, quando id agunt, quod Deo displicet. Quando autem ita faciunt, quod volunt, vt diuinæ seruiant voluntati, quamuis volentes agant, quod agunt, illorum tamen voluntas est, à quo præparatur, & iubetur quod volunt.* Et can. 24. *Ita sunt in vite palmites, vt viti nihil conferant, sed inde accipiant, vnde viuant.* Et eadem est doctrina perpetua sancti Augustini locis superiùs allegatis.

Cõc. Arau. cap. 23. de volun. Dei & hominis.

XIII. Ad quartum respondetur, quod, vt disput 100. patebit, licèt auxilium efficax diuinæ gratiæ non sit sola, & integra causa efficiens consensum liberi arbitrij, sed ad illum etiam producendum liberè concurrat nostra voluntas mota à Deo eodem auxilio, nihilominùs ipsa gratia efficax, siue Deus per gratiam efficacem est sola, & integra causa physicè præmouens nostram voluntatem ad liberum consensum, & faciens actiuè propriè, quòd liberum arbitrium ad illum concurrat. Vnde, quamuis in eodem instanti, quo à Deo efficaciter præmouetur ad consensum, possit dissentire, si velit, pro sua sola, & innata libertate, tamen, quòd assentiatur Deo vocanti, non habet pro sua sola, & innata libertate, sed pro innata libertate, à Deo præuenta prædicto auxilio efficaci, quod non est donatum ei, qui non conuertitur, vt dictum est.

Gratia sola facit, vt faciamus.

Ad quintum respondetur: quòd, vt constat ex dictis disputatione 64. vitalitas, & libertas actualis, quæ in actu supernaturali reperitur, non est referẽda in solam innatam & intrinsecam libertatem arbitrij creati bonis, ac malis, reprobis, ac prædestinatis communis: sed in voluntatem liberam, motam à Deo auxilio efficaci præoperantis gratiæ. Vnde consensus in operationem piam, inquantùm est formaliter actus liber circa tale obiectum supernaturale, reducitur, tanquam in principium eliciens,

Libertas actus supernaturalis est, vt quo, ab auxilio gratiæ.

Ad decimum iam ex parte responsum est disput. 89. Nunc breuiter dicimus, quòd quamuis Deus in eodem instanti temporis, simul cum libero arbitrio, producat piam operationem, & bonum vsum gratiæ excitantis, in priori tamen rationis inchoat: nam primum initium eiusdem boni vsus est à Deo, non quidem prioritate temporis, sed rationis duntaxat & causalita

Digitized by Google

cauſalitatis. Nec ex hoc ſequitur, quòd in aliquo priori Deus producat bonum vſum liberi arbitrij, in quo liberum arbitrium ad illum non concurrat, quia prioritas naturæ, & cauſalitatis non eſt priùs, in quo res ſit, ſed à quo. Vel dicendum, quòd operatio Dei eſt prior, quatenus præmouet efficaciter liberum arbitrium ad cooperãdum, ſed tamen in nullo priori attingit Deus noſtrum actum liberum in ſe ipſo, in quo noſtrum arbitrium eundem actum ſimul non efficiat, vt in ſequenti diſputatione patebit.

Ad confirmationem reſpondetur ſimiliter, ſolùm concludere, bonum vſum liberi arbitrij produci efficienter à libero arbitrio, & non ab alia cauſa extrinſeca; quæ in cauſando ſit prior prioritate temporis; non autem probatur, quòd non ſit ab alia cauſa per ſe efficiente, & priori in cauſando, prioritate naturæ duntaxat.

Ad vndecimum argumentum iam ſuperabũdè in diſputationibus, eodem argumento allegatis, ſatisfactum eſt. Vnde non oportet ſpecialiter ad illud reſpondere. Videantur, quæ in diſput. 91. ſuperiùs dicta ſunt.

DISPVTATIO XCVIII.

Vtrùm ſuppoſita gratia excitante, conſenſus, vel cooperatio liberi arbitrij ſit primò inchoanda à voluntate creata; an verò à voluntate diuina, ſiue ab auxilio efficaci præoperantis gratiæ.

I. HVius difficultatis explicatio valde neceſſaria, eſt ad plenam intelligentiam non tantùm eorum, quæ in præcedentibus dicta ſunt, ſed etiam eorum, quæ de gratia efficaci inferiùs dicenda erunt. In qua difficultate pauca à Doctoribus Scholaſticis ſcripta ſunt, eam tamen aliqui recentiores breuiter attigerunt, & ideo eſt in præſenti operoſius diſcutienda.

Quidam dixerunt, quòd multæ loquutiones non ſolùm Sanctorum, ſed etiam diuinæ Scripturæ, non poſſunt ſatis intelligi, & ad veram praxim reduci, ſi ſupernaturalis cõſenſus, etiam poſita excitatione, & aliis ex parte hominis prærequiſitis, inchoandus eſt ab efficaci Dei voluntate, prædeterminata ad vnum. Quibus verbis ſignificaſſe videtur, determinationem voluntatis, ſuppoſita gratia excitante, quæ ſolùm moraliter mouet voluntatem ad actum liberum, primò inchoari ab eadem voluntate creata pro innata eius libertate. Probatur hæc ſententia.

Primò, auctoritate S. Proſperi, lib. 1. de vocat. gent. cap. 26. vbi ait: *Gratia Dei in omnibus iuſtificationibus principaliter præeminet, ſuadendo exhortationibus, &c. Sed etiam voluntas hominis ſubiungitur ei, atque coniungitur, qua ad hoc præditis eſt excitata præſidiis, vt diuino in ſe cooperetur operi; & incipiat exercere ad meritum, quod ſuperno ſemine concepit ad ſtudium.* Ecce docet manifeſtè, ſuppoſita gratia excitante, voluntatem creatam primò incipere ſuam cooperationem, vel conſenſum. Non ergo eſt Deus, qui primò incipit, vel inchoat eundem conſenſum. Confirmatur ex illo Prouerb. 16. *Hominis eſt præparare cor, & à Domino reſponſio linguæ.* Cor autem præparare eſt bonum inchoare: ergo liberum hominis arbitrium eſt, quod phyſicè inchoat actum bonum quo ad iuſtificantem gratiam præparatur.

Secundò: nam eo ipſo, quòd Deus dedit homini liberum arbitrium, & voluit eum libere operari, conſtituit illum in manu conſilij ſui, Eccl. 15. vt ex innata ſua libertate, ad quam voluerit partem ſe determinet: ergo ipſum arbitrium eſt quod inchoat ſuam determinationem ad alteram partem, quando vult, & prout vult: non ergo eam primò inchoat Deus per gratiam efficacem.

II. Tertiò. Deus, poſtquam præuenit hominem ſua gratia excitante, expectat, vt ipſa voluntas velit, iuxta illud Iſaiæ 30. *Expectat Dominus, vt miſereatur veſtri.* Et Apoc. 3. *Ecce ego ſto ad oſtium, & pulſo, ſi quis aperuerit mihi, introibo, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum.* ergo volutas hominis à Deo excitata eſt quæ inchoat ſuum velle. Patet conſequentia: nam, ſi Deus priùs cauſalitate, quàm voluntas, inchoaret illud velle, non diceretur expectare, vt voluntas velit nullus enim expectat, quod ipſe efficit, ſed quod alius.

Quartò. Si non eſſet in poteſtate creatæ voluntatis inchoare hoc velle, niſi Deus primò incipiat: ſequitur, quod, abſolutè loquendo, non ſit in eius poteſtate velle, & nolle; ſed ſolùm in poteſtate Dei, qui, quando vult, incipit actum voluntatis, & quando non vult, non incipit; & ita homo reuera non eſſet liberi arbitrij. Sequela probatur: quia non poteſt eſſe in poteſtate voluntatis creatæ velle, & nolle, niſi etiam ſit in eius poteſtate initium actus volendi, aut nolendi: nam actus voluntatis eſt indiuiſibilis: ergo ſi eius initium non eſt in noſtra poteſtate, ſed in poteſtate Dei, totus actus erit in poteſtate Dei, & non in poteſtate noſtræ voluntatis.

Quintò. Initium actus volendi non diſtinguitur realiter ab ipſo actu volendi: ſed in nullo priori etiam naturæ Deus efficit actum volendi, antequam ad illum concurrat effectiuè noſtrum libetum arbitrium: alias noſtrum arbitrium in ordine ad actum volendi haberet ſe merè paſſiuè, recipiendo ipſum actum à ſolo Deo productum, quod eſt hæreſis Lutheri, vt ſuprà dictum eſt: ergo primum initium actus volendi, & eius inchoatio non eſt à Deo antecedenter ad liberum concurſum, & cooperationem noſtri arbitrij.

Confirmatur: quia ex eo probat S. Auguſtinus primum initium fidei non eſſe in nobis ex nobis, ſed ex Deo; nam alias tota fides in nobis eſſet ex nobis: qui enim ſibi potuit inſtituere, quod non habebat, ipſe augere, & perficere poterit, quod incœpit: ergo, ſi Deus antecedenter ad cooperationem noſtri arbitrij inchoat in nobis ipſum velle, etiam Deus in nobis operabitur totum ipſum velle, & perficere antecedenter ad liberam cooperationem noſtri arbitrij: & ita noſtrum arbitrium haberet ſe merè paſſiuè, recipiendo actum liberum à ſolo Deo efficienter productum, quod tamen, vt ex Concil. Trident. conſtat, ſalua fide affirmari non poteſt. Aug. lib. de prædeſtin. SS. cap. 2.

III. Sextò: nam Caluinus, cuius doctrina in ſacro Concilio Tridentino eſt damnata, ex eo negauit, eſſe in nobis arbitrij libertatem, quia credidit, à gratia efficaci inchoari arbitrij noſtri conſenſum. Verba ſunt: *Prainde, ſicuti priùs negauit Chriſtus, hominem ad credendum eſſe idoneum, niſi illuminetur: ita nunc pronunciat, efficacem eſſe Spiritus gratiam, qua trahuntur, vt neceſſariò credant. His duobus membris prorſus euertitur tota liberi arbitrij facultas: nam ſi tunc demum venire ad Chriſtum incipimus, quùm nos trahit Pater, fidei initium minimè in nobis eſt, neque vlla præparatio. Rurſus, ſi veniunt omnes, quos Pater docuit, non credendi tantùm optionem dat illis, ſed fidem ipſam. Ergo, quòd ditectioni Spiritus ſponte obſequimur, hæc pars gratiæ eſt, & quaſi obſignatio: quia non traheret nos Deus, ſi tantùm porrecta manu voluntatem noſtram in medio ſuſpenſam relinqueret. Propriè autem* Calu. ſuper Euang. Ioã. cap. 6. n. 45.

Digitized by Google

nos trahere dicitur, quum ad plenum uſque fidei effectum Spiritus ſui virtutem extendit. Et lib. 2. Inſt. cap. 3. nu. 10. ait : *Hunc itaque in modum & inchoat, & perficit Dominus opus bonum in nobis, vt illius ſit, quòd recti amorem concipit voluntas, quòd in eius ſtudium inclinatur, quòd ad eius ſectandi conatum incitatur, & mouetur. Deinde, quòd electio, ſtudium, conatus non fatiſcunt, ſed ad effectum uſque procedunt. Poſtremò, quòd homo in illis conſtanter pergit, & in finem uſque perſeuerat.* Quibus verbis dicit primò, quòd per gratiam efficacem incipimus venire, & velle : ita vt ab ipſa gratia trahente, noſtrum velle primò incipiat. Secundò, quòd fidei initium non eſt in nobis, hoc eſt, in noſtra poteſtate, ſed in ſola poteſtate Dei trahentis. Tertiò, quòd nulla præparatio præcedit in nobis, vt Deus nos trahat. Quartò, quòd Deus non dat credentibus optionem credendi aut non credendi, ſed ipſam fidem. Quintò, quod non traheret nos Deus, ſi tantùm porrecta manu voluntatem noſtram in medio ſuſpenſam relinqueret. Ex quibus per euidentem conſequentiam intulit, non eſſe noſtri arbitrij obſequi, ſeu conſentire gratiæ Dei, ſed eiuſdem gratiæ effectum, & quaſi obſignationem, ac per conſequens hominem non eſſe liberi arbitrij ; ergo non debet concedi, gratiam eſſe, quæ primò incipit, vel inchoat noſtrum conſenſum.

Septimò. Totus actus volendi eſt vitalis, etiam primum initium phyſicum illius : ſed impoſſibile eſt, quòd actus vitalis producatur, vel inchoetur à ſolo Deo antecedenter ad concurſum potentiæ vitalis : nam talis actus dicit intrinſecum ordinem ad potentiam vitalem, vt in pluribus locis docet S. Thomas : ergo primum initium actus volendi, non poteſt eſſe à Deo effectiuè, aut inchoari ab auxilio efficaci antecedenter ad liberam cooperationem noſtri arbitrij.

IV. Octauò. Deus in nullo priori temporis, vel naturæ attingit ipſum primum initium volendi, in quo illud non attingat effectiuè noſtrum liberum arbitrium ; aliàs nihil relinqueretur producendum ab eodem arbitrio, cùm ille actus ſit indiuiſibilis : ergo Deus per gratiam efficacem non inchoat primò ipſum velle, ſed Deus ipſe, & liberum arbitrium ſimul efficiunt illud initium, ſicut & totum actum volendi.

Hæc argumenta, & alia, quæ à diuerſis multiplicari ſolent, quibuſdam perſuaſerunt, oppoſitam ſententiam difficilem eſſe, ac penè inintelligibilem : ſed ex eorum ſolutione, atque explicatione doctrinæ antiquæ Sanctorum, præſertim Auguſtini, & Thomæ, Deo fauente, res ſic erit omnibus peruia, vt ad eandem doctrinã confirmandam plurimùm conducant.

V. Ad cuius euidentiam ſupponenda ſunt ea omnia,
Diſput. 18. quæ de concurſu Dei generali cum cauſis ſecundis ſuperiùs dicta ſunt, & explicata, necnon quæ de cauſis partialibus diſputatione 85. adnotauimus Oſtenſum eſt enim : Deum, & liberum arbitrium non eſſe cauſas partiales cõſenſus eiuſdem arbitrij, ſicut duo trahẽtes nauim, quorum neuter mouetur ab altero ; vel ad ſecum concurrendum, prædeterminat ; ſed tam Deum, quàm liberum arbitrium eſſe cauſam totalem eiuſdem conſenſus : Deum quidem, vt prima cauſa, arbitrium autem, vt cauſa ſecunda, & proxima, ipſi Deo, non ſolùm in eſſendo, ſed etiam in agendo eſſentialiter ſubordinata.

Supponendum eſt ſecundò ex communi ſententia non ſolùm Scholaſticorum, ſed etiam Sanctorum Patrum in Concilio Tridentino aduerſus Lutheranos definita, noſtrum arbitrium verè efficienter, & liberè cooperari Deo, efficaci gratia illud mouenti, cum vera facultate ad vtrumlibet, qua videlicet poſſit conſentire, & diſſentire, ſi velit. Licèt enim cum efficaci Dei motione, qua mouet liberum arbitrium, vt conſentiat non ſtet ſimul, ipſum arbitrium actu diſſentire : tamen cum eadem motione, quantumuis efficaci, ſimul ſtat in eodẽ arbitrio vera facultas, & poteſtas, qua poſſit diſſentire, ſi velit, vt inferius ſuo loco cuidentiſſimis teſtimoniis Sanctorum, ac rationibus Theologicis manifeſtum fiet.

Supponendum eſt tertiò, omnes Doctores Catholicos, etiam illos, cum quibus diſputamus, in hoc conuenire, Deum ſua prævenienti gratia primò incipere, & inchoare quodcunque noſtræ ſalutis exordium, quatenus videlicet ſua gratia excitante præuenit noſtrum velle, atque ipſum conſenſum, & cooperationem liberi arbitrij. Hoc enim in omni ſententia definitum eſt in Concilio Arauſic. II. can. 4. & 6. & in Tridentino ſeſſ. 6. de Iuſtif. capit. 5. & 6. vbi dicitur : *Diſponuntur autem ad ipſam iuſtitiam, dum excitati diuinâ gratia, & adiuti fidem ex auditu concipientes, liberè mouentur in Deum* ; & idem definitur canone 1. & 3. eiuſdem ſeſſionis. Sed quoniam Deus per ſolam gratiam excitantem, vel ſuadentem, aut moraliter tantùm mouentem hominis liberum arbitrium, non inchoat phyſicè, ſeu verè efficienter ipſum liberum conſenſum, & velle noſtrum, ſed ſolum moraliter, alliciendo, inuitando, & metaphoricè attrahendo ; remanet difficultas, à quo phyſicè, ſeu verè efficienter primò inchoetur noſtrum velle, à gratia efficaci, an à noſtro libero arbitrio ; an verò dicendum ſit ab vtroque ſimul inchoari, ita vt gratia, ſeu Deus, per gratiam efficacem non incipiat illum conſenſum priùs natura, quàm concurrat ad illum noſtrum liberum arbitrium ; nec è contrà, noſtrum arbitrium concurrat priùs natura, quàm efficax gratia. Quod, vt à nobis clarius explicetur,

VI. Notandum eſt quartò, quòd in ſubiecta materia inchoatio conſenſus arbitrij non eſt attendenda, vel accipienda ſecundùm prioritatem temporis, ſed ſecundùm prioritatem cauſalitatis : nam in eodem prorſus temporis inſtanti Deus, & liberum arbitrium diuina gratia excitatum, & motum, ſimul inchoant, attingunt, & producunt ipſum velle, ſeu conſenſum eiuſdem arbitrij. Deus quidem, vt prima cauſa : arbitrium autem, vt cauſa proxima, Deo, non ſolùm in eſſendo, ſed etiam in agendo ſubordinata. Prioritas autem cauſalitatis poteſt dupliciter explicari. Primò ita, vt in aliquo priori naturæ intelligatur actus liber inchoari à ſolo Deo, antequam ad illum concurrat noſtrum liberum arbitrium. Secundò ita, vt prioritas cauſalitatis ſolùm attendatur inter cauſalitatem Dei, & cauſalitatem noſtri arbitrij, reſpectu conſenſus eiuſdem arbitrij, ratione cuius cooperatio noſtri arbitrij ſit effectus cauſalitatis, vel cooperationis diuinæ, ac per conſequens iſta cauſalis ſit vera : Quia Deus operatur, homo cooperatur : Quia Deus efficit, vt arbitrium creatum conſentiat, & velit, ideo conſentit, & vult. Ad cuius pleniorem explicationem conſiderandum eſt, quod prima cauſa includit duo. Habet enim, quòd ſit prima, & ſecundùm hoc dicit habitudinem ad ſecundam cauſam, quam mouet, & applicat ad operandum. Habet etiam, quòd ſit cauſa, & ſecundùm hoc dicit habitudinem ad effectum, ſeu operationem, quam producit per cauſam ſecundam. Similiter etiam in cauſa ſecunda diſtinguuntur iſtæ duæ rationes, ſeu habitudines : nam, inquantùm ſecunda, dicit habitudinem ad primam cauſam, à qua mouetur, & applicatur ad operandum, ſed inquantùm cauſa, dicit habitudinem ad effectum, ſeu operationem, quam à Deo mota, & adiuta producit. In cauſa autẽ prima priùs intelligitur habitudo ad cauſam ſecundã, quàm intelligatur habitudo ad effectũ, quem

Prioritas cauſalitatis dupliciter explicari poteſt.

quem efficit per eandem cauſam ſecundam. Similiter etiam in cauſa ſecunda priùs ratione eſt habitudo ad cauſam primam, à qua mouetur, quam habitudo ad effectum, quem producit, eò quòd cauſa ſecunda non mouet, niſi mota à prima, vt diſput. 18. & 23. oſtenſum eſt.

Ex quo infertur, quòd, cùm Deus ſua gratia adiuuante cooperatur nobiſcum velle, & perficere, eius operatio reſpicit duo, videlicet noſtram voluntatem, quam mouet efficaciter ad operandum hoc, & ipſum velle noſtrum, quod cum ipſa voluntate efficit. Voluntas autem noſtra ſecundùm vnam tantùm rationem habet, quòd operetur, videlicet comparatione actus, vel effectus liberi, quem producit, eò quòd non influit in ſeipſam antecedenter ad productionem actus liberi: ſed ſolùm influit cum Deo, & gratia adiuuante in ipſum actum liberem.

Prima ergo concluſio ſit: Si prioritas cauſalitatis accipiatur ſecundùm habitudinem, quam prima cauſa, & ſecunda dicunt ad effectum, quem producunt, ſeu ad actum liberum, dicendum eſt, quòd Deus non inchoat phyſicè noſtrum velle prius natura, vel cauſalitate, quam ad illud concurrat arbitrium noſtrũ. Hanc concluſionem probant efficaciter pluta argumẽta ex factis à principio: nam, cùm Deus non operetur illud velle, niſi per noſtram voluntatem liberam, quam mouet & applicat, vt ipſa velit; & modificet ſuum concurſum in ipſa cauſa ſecunda conformiter ad eius naturam; impoſſibile eſt, quòd Deus aliquo priori temporis, vel naturæ efficiat in nobis ipſum velle, aut aliquid illius, in quo ad illud efficiendum noſtrum liberum arbitrium non concurrat.

Deũ priùs natura inchoare noſtrum velle, qualiter intelligatur.

Secunda concluſio. Si prioritas cauſalitatis accipiatur ſecundùm habitudinem immediatam, quam prima cauſa dicit ad cauſam ſecundam, & cauſa ſecunda ad primam, à qua præmouetur, & prædeterminatur ad operandum; dicẽdum eſt, conſenſum noſtri arbitrij primò inchoari phyſicè à ſolo Deo, quatenus efficaci motione efficit nos velle: nec eſt admittendum, voluntatem creatam primò illum inchoare, ſed neceſſariò fatendum eſt, cauſalitatem noſtri arbitrij eſſe poſteriorem ordine rationis cauſalitate Dei, & effectum illius. Itaque prius ratione, quàm liberum noſtrum arbitrium cauſet, operetur, aut velit, Deus ſua gratia efficit, vt ipſum arbitrium cauſet, operetur, & velit.

Probatur hæc concluſio primò ex Conc. Arauſi. II. can. 25. vbi ſic dicitur: *Hoc etiam ſalubriter profitemur, & credimus, quod in omni opere bono nos non incipimus, & poſtea per Dei miſericordiam adiuuamur: ſed ipſe nobis, nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem, & amorem ſui priùs inſpirat.* Ecce dicit Concilium, quòd in omni opere bono *nos non incipimus*: ergo Deus eſt, qui incipit, & inchoat, efficiendo, vt velimus. Et can. 9. *Quoties bona agimus, Deus in nobis, atque nobiſcum, vt operemur, operatur.* Et can. 10. *Multa in homine bona fiunt, quæ non facit homo; nulla vero facit homo bona, quæ non Deus præſtat, vt faciat homo.* Ex quibus locis habetur, cauſalitatem liberi arbitrij, reſpectu conſenſus, & cuiuſcunque piæ operationis, effectum eſſe cauſalitatis, vel operationis diuinæ: ac per conſequens priorem eſſe, ſecundùm ordinem rationis, cauſalitate noſtri arbitrij: ergo Deus eſt, qui primò inchoat. Item in Conc. Trident. ſeſſ. ſexta de Iuſtif. capite decimoſexto docemur, *Chriſtum, tanquam caput in membra, & tanquam vitem in palmites, in ipſos iuſtificatos virtutem influere, quæ virtus bona eorum opera ſemper antecedit, & comitatur, & ſubſequitur.* Si ſemper antecedit ergo primò inchoat conuerſionem noſtram, efficiendo, vt conſentiamus.

Secundò probatur ex illa Eccleſiæ collecta: *Actiones noſtras, quæſumus Domine, aſpirando præueni, & adiuuando proſequere; vt cuncta noſtra oratio, & operatio à te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur.* Ergo Deus eſt, qui primò incipit.

Tertiò probatur auctoritate Sanctorum, præſertim Aug. dicentis: *Ipſe*, ſcilicet Deus, *vt velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens*, hoc eſt, confert nobis ſine nobis præuenientem gratiam efficacem, qua conuerſionis opus incipit non ſolùm voluntatem alliciendo, excitandóque ad conſenſum, vt quidam perperam interpretantur, ſed verè efficiendo, vt arbitrium liberè cooperetur, & conſentiat; & poſt pauca: *Vt ergo velimus, ſine nobis operatur, cùm autem volumus, & ſic volumus, vt faciamus, nobiſcum operatur: tamen ſine illo, vel operante, vt velimus, vel cooperante, cùm volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.* Quem locũm expendens Capreolus in 2. ſent. diſtinct. 28. quæſtione prima, articulo 3. ad 12. ſic ait: *Per quæ verba, ſi bene conſiderentur, patet, eum diſtinguere duplicem Dei modum operandi circa bonum velle noſtrum. Vnus eſt ſibi proprius, in quo voluntas noſtra non cooperatur, vt pote facere nos velle. Ideo ait: Vt ergo velimus, ſine nobis operatur: ſine nobis, inquam operantibus, vt ſcilicet velimus: quia licet voluntas velit, & cauſet volitionem; non tamen facit ſe velle, aut cauſare volitionem. Nec tamen, quia Deus facit; ideo ipſa non cauſat, ſed potius ideo cauſat. Et propterea ad illud excludendum Auguſtinus in lib. de correctione, & gratia cap. 2. de filiis Dei, de quibus ait Apoſtolus, quod ſpiritu Dei aguntur, inquit: Aguntur enim, vt agant, non vt ipſi nihil agant. Alius eſt modus ſibi, & voluntati communis, ſcilicet cauſare volitionem. Ideo ait: Cùm volumus, nobiſcum operatur; & quia vtrumque nobis neceſſarium eſt, nec alterum tantum ſufficit ad bene velle, ideo addit: Tamen ſine illo operante, vt velimus, &c. Item in lib. de vera innocentia: Quoties, inquit, bona agimus, Deus in nobis, atque nobiſcum operatur, vt operemur. Item in eodem: Multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo: nulla verò facit homo, quæ Deus non facit vt faciat homo.* Sentit ergo Auguſt. Deum primò inchoare conuerſionem noſtram, non quidem ſine nobis ſimul cooperantibus, ſed ſine nobis facientibus, vt velimus, & cooperemur. Et expreſſius idem docet lib. 2. cont. duas epiſt. Pelag. c. 8. vbi ait: *Si enim ſine Dei gratia per nos incipit cupiditas boni, ipſum cœptum erit meritum, cui tanquam ex debito gratia veniat adiutorium.* Et adducens in huius confirmationem illud Ioan. 15. *Sine me nihil poteſtis facere*, ſubdit: *Vt reſponderet futuris etiam iſtis, non ait: Sine me nihil poteſtis perficere, ſed facere. Nam ſi perficere dixiſſet, poſſent iſti dicere, non ad incipiendum bonum, quod à nobis eſt, ſed ad perficiendum eſſe Dei adiutorium neceſſarium. Verum audiant & Apoſtolum; Dominus enim cùm ait: Sine me nihil poteſtis facere; hoc vno verbo initium, finemque comprehendit: Apoſtolus verò tanquam ſententiæ Dominicæ expoſitor, apertiùs vtrumque diſtinxit, dicens: Quoniam qui in vobis opus bonum cœpit, perficiet vſque in diem Chriſti Ieſu.* Et paulo inferiùs: *Non bene intelligendo falluntur*, ſcilicet Pelagiani, *vt exiſtiment cor præparare, hoc eſt, bonum inchoare, ſine adiutorio gratiæ Dei, ad hominem pertinere.* Ergo ſecundùm Auguſt. ad inchoandum bonum opus, requiritur adiutorium gratiæ, per quod Deus efficiat, vt homo inchoet illud opus bonum: quod etiam oſtendit capite octauo ſequenti. Idem docet ſanctus Proſper, cùm ait: *Quis ambigat, tunc liberum arbitrium cohortationi vocantis obedire, cùm in illo gratia Dei affectum credendi obediendique generarit? Alioquin ſufficeret moneri hominem, non etiam in ipſo nouam fieri voluntatem, ſicut ſcriptum eſt: Præparatur voluntas à Domino; & ſicut*

Auguſt. de gratia & lib. arb. capite 17.

Proſper epiſt. ad Ruffinum paulo poſt princip.

ait Apostolus: Deus est enim, qui operatur in vobis & velle, & perficere, pro bona voluntate. Ergo quæ bona voluntate, nisi quam in ipsis operatus est Deus, vt quòd donauerat velle, donando & facere? Et in epist. ad Aug. ait, *quod originaliter malum receperimus bonum a summo bono, sed a semetipso incipere malum creatura.* Sentit ergo, Deum primò inchoare opus bonum. Sanctus maximè hunc sententiæ illius Auctor, quòd ex his sibi fecit. Six. Senen. l. 5 Bibliothecæ sanctæ annot 101. Bern. tract. de grat. & lib. arb.

refert Sixtus Senensis. *Nos quidem bona habemus, ex præuenientis gratiæ, & simul cum ea præsentis gratiæ beneficio habere, nullumque esse meritum nostrum, quod non sit donum Dei, sunt quæ in sacris literis sæpe legimus, nostra esse merita, quæ sunt ipsa dona.* Continet Bernardus, cum ait, *Aliud est gratia præueniente, nempe gratuita, & sine liberi arbitrij meritis data, aliud cum ea B subsequente. Illa sola gratia cœpium est, pariter ab vtroque perficitur, vt missum sit singillatim, simul non sit: sed pro singulos profectus operetur.*

Quarto probatur ratione: nam causalitas influxus, & cooperatio liberi arbitrij, quæ sunt Deo mouenti cooperantis cooperari, & effectui Dei, & auxilij efficacis integræ causæ efficientis, vt supra ostensum est, ordine naturæ sunt posteriora, prius est operatio Dei, quam cooperatio liberi arbitrij, ergo ipse Deus ita à conditione arbitrij, ipsum mouendo, vt cooperetur.

VIII. Gelas. epist. 5 ad Epis. per Picenum. 1. Cor. 15.

Sextò probatur. Liberum arbitrium cooperatur Deo, & gratia ipsius, subsequendo actum eius. Gelasius Papa, quem iam in superioribus adduximus: *Quis audeat dicere, hominem habere bonæ fidei initium, aliquid habere boni sine gratia, quando Magister gentium ei soli hæc tribuat se bona concludens: Gratia Dei sum id, quod sum; & C: Gratia Dei in me vacua non fuit?* Et idem docet S. Gregorius hom. 26. in Euangelia. *Præueniente, inquit, gratia, & bona voluntate subsequente, hoc, quod Omnipotentis Dei donum est in nostram voluntatem. Quod bene Paulus dicens sententia explicat, dicens, Plus illis omnibus laboraui: Qui, ne sua ei tribueretur virtus, tribuisse quod fecerat, adiunxit: Non autem ego, sed gratia Dei mecum, &c. Ac si diceret, in bono opere laboraui, non ego, sed & ego. In hoc enim quod fideliter Domini donis præuenientibus fui, non ego, sed ego. Ego autem, quod Domini voluntatem secutus fui, non ego.* Et lib. 34. Moral. cap. 20. aperte D docet, nostrum liberum arbitrium cooperari Deo, subsequendo ergo Deus, & gratia efficax illius cooperatum eadem arbitrio, illud præueniendo, atque ordine causalitatis antecedendo.

Septimò. Si voluntas creata est, quæ primò inchoat finem conformem, quando vult, & prout vult pro natiua eius libertate, sequitur, quòd initium proximum nostræ salutis, quo iustus differtur à peccatore, sit in nobis ex nobis; ac per consequens, quod imperfectum est, & inadæquatum, dici ex Deo, quod autem perfectum & summum, esse naturæ tribuendum, & non gratiæ, quod tamen, saltem fide, concedere nullus potest. Sequela probatur: nam E conformis liberi arbitrij cooperantis Deo vocanti, est præparatio, seu proxima dispositio ad iustificationem, vt ex Conc. Trid. habetur ergo in primum initium illius, cum influ, & eius inchoatio est ex nobis, pro natiua arbitrij libertate, & solum Deus incipit illum continuando & vocando & illiciendo ad illum nostram voluntatem, sequitur, prouenisse initium salutis ex natura, & non ex gratia præueniente.

Voluntas creata quæ sit non sic tiones, Consequens autem non est dicendum; nam, cum omne liberum creatum sit per participationem liberi, necessariò debet reduci, tanquam in causam primam primum liberum, quod est tale per essentiam, scilicet a Deum. Ita sentiunt duo primi primi, vt ex S. Th. superius & hoc annus. primum liberum. Disp. ut. 24

Respondent quidam, non sequi, voluntatem sic liberam, sic operantem, esse primum liberum, cùm in hac voce sit magna æquiuocatio nam primum liberum propriè dictum quod est per essentiam liberum, vel quod libertatem habet primò, nisi ne dependentem: neutrum autem horum competit voluntati creatæ, cum non habeat liberum esse, nisi participatam a libertate Dei, & ab eadem vi suas determinationes pendentem. Si autem primum liberum dicatur illud agens, a quo, in suo genere primò est determinatio libera, hoc verum est, immò voluntatem liberam esse posse in suo genere dici primam radicem suæ determinationis, quia scilicet sine illa fieri non potest, nec intelligi, quam esse intrinseca, & libera applicatione eius. Sed hæc, inquiunt, est impropriissima acceptio huius vocis, & ideo illa vtendum non est, nec voluntas creata attribuenda.

Hæc tamen solutio subterfugere videtur difficultatem argumenti: non enim solum probat, voluntatem liberam in suo genere, hoc est, in genere causæ proximæ esse primam radicem, & causam suæ determinationis, quod otio concedimus: sed etiam concludit, absque vllo addito esse necessariam primam causam suæ determinationis liberæ, quæ non sit ab ipsa voluntate creata, & non à Deo efficiente per auxilium efficax, vt voluntas se determinet: nam prima causa efficiens alicuius operationis est illa, a qua primò incipit operatio, nec habet aliam priorem causam eiusdem operationis, de quo disp. 24. n. 17. & 18. plura dicta sunt.

IX.

Ad primum argumentum respondetur, locum illum Prosperi potius nostræ sententiæ fauere, quam oppositæ. Nam immediatè post verba allegata subdit: *De sua habens mutabilitate, si deficis: de gratia optimatione si proficis.* Et capite 18. sequenti subdit, Deum donare ipsum velle. Et alibi expresse ait, Deum sua gratia primò inchoare, atque incipere, sibi humanam subiiciendo voluntatem. Addo, nomine exercitationis Prosperum comprehendisse gratiam efficacem, quia Deus facit vt faciamus; operatur, vt operemur; quod ex verbis inductis colligitur; ait enim: *Sed voluntates hominis subiungitur ei, atque coniunguntur vt animo in se cooperetur operi*, subsequendo videlicet cooperationem diuinam. S. Prosper ep. ad Aug.

Ad confirmationem respondetur, hominis esse præparare cor, non tamen sine adiutorio gratiæ, quo Deus effici, vt ipse homo præparet cor. Vide Augustinus lib. secundo cont. duas epist. Pelagian. capite octauo. *Quod scriptum est*, inquit, *hominis est præparare cor, non bene intelligendo fallimur, vt ex nostrum cor præparare, hoc est, bonum inchoare, sine adiutorio gratiæ Dei, ad hominem pertinere.* Et hanc falsam intelligentiam impugnans subdit: *Absit, vt sic intelligant libri promissionis &c. Absit vt intelligant, nisi superbi sui auditus defensores, & fidei Catholicæ desertores. Ideo quippe scriptum est: Hominis est præparare cor, & a Domino rectus fit gressus: quia homo præparat cor, non tamen sine adiutorio Dei, qui tangit cor:* quod ibi probat luculenter, & in cap. 8. sequenti multis testimoniis Scripturæ. Quod etiam confirmat: potest ex illo Actor. 16. *Et quædam mulier nomine Lydia purpuraria ciuitate Thyatirorum colens Deum audiuit, cuius Dominus aperuit cor intendere iis, quæ dicebantur à Paulo.* Si ergo Deus sua gratia tangit cor, vt intendat iis, quæ prædicantur; multò magis necessarium erit idem adiutorium, vt bona opera, quæ prædicantur, inchoet.

Ad

Ad secundum argumentum respondetur, hominem non ita esse constitutum in manu consilij sui, vt absque Deo prædeliberante, & prædeterminante, seipsum determinet, ad quam voluerit partem, pro innata eius libertate: primò inchoādo actum suum: nec hoc exposcit libertas creata, vt suprà dictum est, & latiùs explicabitur; sed quia, ex liberò iudicio rationis, se determinat ad alteram partem, tanquam secundum determinans, & proximum, sub potenti manu primi determinantis, quod est Deus. Iuxta hāc doctrinam intelligendus est locus inductus ex Eccles. 15. vt ex dictis disp. 21. n. 11. constat. Sic illum explicat S. Aug. lib. de gestis Pelagij, c. 3. disp. 91. n. 9. p. 808. allegato, vbi sic loquitur: *Manifestum est, quod si ad gnem manum mittit, & malum, ac mors ei placet, id voluntas hominis operatur: si autem bonum, & vitam diligit, non solùm voluntas id agit, sed diuinitus adiuuatur. Sufficit enim sibi oculus ad non videndum, hoc est, ad tenebras; ad videndum verò, lumine suo non sibi sufficit, nisi illi extrinsecus adiutorium clari luminis præbeatur.*

Ad tertium respondetur, Deum, postquam nos excitauit, non expectare, vt purgari velimus, voluntatem nostram, quæ sit in nobis, ex nobis, sed voluntatem, seu cooperationem nostram, quæ est in nobis à Deo efficiente, vt cooperari velimus.

Ad quartum respondetur, quòd velle, & nolle est in nostra potestate, tanquam in causa proxima; sed bonum velle reducitur in Deum, tanquam in priorē causam efficientem, liberum arbitrium concurrere, vt suprà dictum est.

Ad quintum respondetur, solùm concludere, actū volendi non esse in aliquo priori à Deo, in quo non procedat efficienter à creata voluntate, à Deo mota: non tamen probat, causalitatem Dei, quæ efficit vt voluntas nostra cooperetur, & consentiat, non esse priorem ordine naturæ libera cooperatione eiusdem voluntatis.

X. Calumi error in quo consistat.

Ad confirmationem respondetur, quòd, sicut prima inchoatio, & primum initium fidei, & cuiuscunque alterius boni operis est ex Deo mouente, ita & totus actus fidei, & cuiuscunque alterius virtutis, est ex Deo mouente, & hoc tantùm concluditur ex illa ratione S. Aug. Nec ex hoc sequitur, quòd nostrum liberum arbitrium habeat se merè passiuè in ordine ad consensum, quia Deus non producit illum consensum in nobis, sine nobis libere cooperantibus, & consentientibus.

Ad sextum respondetur, Caluinum non errasse, quia dixit, Deum per gratiam efficacem primò inchoare, & incipere nostrum velle, & tribuere credētibus ipsam fidem: nec errauit, quia asseruit nullam præparationem in nobis præcedere, vt Deus auxilio suo efficaci nos ad se trahat: sed errauit, quoniam ita Deum sua gratia efficaci nobis ipsam fidem donare sensit, vt nostra voluntas non cooperetur liberè Deo mouenti, sed solùm moto spontaneo, & non coacto. Errauit præterea, quia ex hoc antecedente Catholico, Deus est, qui primò inchoat nostrum velle; per consequentiam pessimam intulit, non esse in nostra potestate *motioni Dei vel obtemperare, vel refragari*, vt suprà dictum est.

Ad septimum respondetur per ea, quæ dicta sunt circa secundam conclusionem, & ad confirmationem quinti argumenti.

DISPVTATIO XCIX.

Vtrùm ista causalis sit vera: Quia homo præuentus gratia excitante, vult conuerti, ideo adiuuatur à Deo, & conuertitur, an è contrà, ideo cōuertatur, quia à Deo adiuuatur.

I.

HÆc quæstio fuit vna ex potissimis quas S. Aug. aduersus Pelag. & Semipelag. disputauit, de qua etiam eūdem SS. Doct. Prosp. & Hilar. cōsuluerunt, estque valde cōnexa præcedentibus, atque ad efficaciā diuinæ gratiæ intelligendam & explicandam non parum necessaria.

Illi ergo auctores, qui existimarunt, efficaciam præuenientis gratiæ, qua ratione præuenit nostri arbitrij cooperationem, esse solùm moralem, nec posse physicè prædeterminare voluntatem ad piam operationem, salua eius libertate: dixerunt consequenter, quòd licèt in eodem prorsus momento temporis, & naturæ, Deus, & voluntas operari incipiant; tamen Deus operatur, quia voluntas nostra operatur: & hoc esse, quod aliqui dicunt, voluntatē priùs natura operari, quàm Deum, non prioritate instantis, in quo, sed à quo. Et iuxta hanc doctrinam, hæc causalis erit vera: Quia homo vult consentire, ideo adiuuatur à Deo: Quia homo vult conuerti, ideo gratia excitans transit in adiuuantem, siue cooperantem. Pro hac sententia quatuor classes argumentorum possunt afferri.

Prima classis continet argumenta, quæ contendunt probare, Deum absoluto, & efficaci decreto, antecedenter ad præscientiam boni vsus liberi arbitrij non prædeterminasse omnes nostros actus liberos, nec physicè voluntatem nostram ad eosdem actus producendos præuia motione applicare; sed eam indifferentem relinquere, vt, si vult, consentiat, si non vult, non consentiat. Ex hoc enim principio, per euidentem consequentiam deducitur, hanc causalem esse veram: Quia voluntas nostra vult consentire, & concurrere, ideo adiuuatur à Deo. Sed quoniam hæc argumenta disp. 18. 21. & 23. proposita sunt, & soluta, superfluum erit ea in præsenti repetere. Poterit lector, si voluerit, in disputationibus præallegatis ea videre.

Secunda classis continet argumenta, quibus persuadere nituntur, liberum arbitrium, pro sola sua innata libertate, adhibere suum influxum, & cooperari Deo excitanti, & cum illo constituere vnam integrā causam totalem respectu operationis liberæ, complectentem duas causas partiales: sicut cùm duo trahunt nauim, ac per consequens influxum liberi arbitrij non esse, in Deum reducendum, tanquam in priorem causam per se efficientem, & ad eandē classem pertinent argumenta, quibus probant liberum arbitrium creatum primò inchoare suum consensū: ex iis enim euidenter infertur istam causalem esse falsam: Quia homo adiuuatur à Deo, ideo cooperatur, & consentit: hanc autem esse veram: Quia liberum arbitrium, pro innata sua libertate vult cooperari, ideo adiuuatur à Deo. At quoniam omnia hæc argumenta disp. 85. & 97. adducta sunt, & soluta, ad illum locum lectorem remittimus.

Tertia classis argumentorum innititur rationibus, quibus probari solet liberum arbitrium creatum habere dominium suarum actionum, ac per cōsequens

Digitized by Google

sequẽs iura libertatis naturalis, quâ Deus illi cõtulit, exigere, vt ex seipso pro sua innata libertate contentiat, vel dissentiat, quando vult, prout vult, & quia vult: ex quo statum illæ causales, de quibus in præsenti disp. controuertitur, infallibili deductione cõsequuntur. Hæc tamen argumenta lib. 11. disp. 115. & duabus seqq. commodiùs affetentur, vbi de arbitrij creati libertate agendum erit.

Quarta classis ea profert argumenta, quibus probari solet, Deum ex lege statuta conferre vlteriora auxilia gratiæ adiuuantis, siue efficacis ijs, qui auxiliis prioribus excitantis gratiæ, seu sufficientis bene vtuntur: ex quo videtur inferri, hanc causalem esse veram: Quia homo vult bene vti auxilio excitantis gratiæ, ideo auxilium gratiæ adiuuantis ei conferetur. Sed hæc etiam argumenta disp. 58. propolita sunt, & soluta.

11. Hoc argumentum disp. 101. dissoluetur.

Sed ex propriis huius materiæ potest in fauorem eiusdem sententiæ fieri argumentum. Nam, vt dicit Arist. 1. Poster. c. 3. si affirmatio est causa affirmationis, negatio est causa negationis: ergo, si illa causalis affirmatiua est vera, scilicet: Quia homo adiuuatur à Deo, ideo conuertitur, negatio gratiæ adiuuantis erit causa, quòd non conuertatur: & ita hæc causalis erit vera: Quia homo nõ adiuuatur à Deo, non conuertitur; ac per consequens Deo, & non homini tribuendum esset, quòd non conuertatur.

Oppositam sententiam docent Thomistæ, quam reputo expressam esse S. Aug. S. Prosper & S. Tho. & ideo in præsenti à nobis explicanda est, & defendenda.

Ad cuius euidentiam supponendum est primò, potissimam controuersiam S. Aug. cum Pelagio, & sanctorum Prosperi, & Hilarij cum Massilienfibus fuisse de auxilio gratiæ aduiuantis, quo Deus humanas præuenit voluntates, & efficit, vt libere consentiant: quod sic ostenditur. Primò: nam S. Aug. epist. 107. ad Vitalem, id expresse affirmat, cum ait: *Recognoscis me, vt puto, in his, quæ nos scire dixi, non omnia, quæ ad fidem Catholicam pertinent, cimemorare voluisse, sed ea tantum quæ ad ipsam, quæ inter nos agitur de Dei gratia quæstionem: Vtrum præcedat hæc gratia, an subsequatur hominis voluntatem, hoc est, vt placitus id eloquar, Vtrum ideo nobis detur, quia volumus, an per ipsam Deus etiã hoc efficiat, vt velimus.* Et S. Aug. clarissimè dicit quæstionẽ esse de adiutorio præcedẽte hominis voluntatẽ, quo Deus efficit, nos velle, seu quo efficit, vt velimus: nõ ergo fuit controuersia principalis de gratia præueniète excitate, nec de gratiâ, quæ nobiscum operatur, si volumus, sed de adiutorio gratiæ, per quod verè efficienter Deus facit, vt velimus. Præterea in libro de gratia Christi, contra Pelagiũ, & Cælestium, c. 10. idem S. Augustin. refert, Pelagium asseruisse: *Non adiutorio Dei, sed ex nobis ipsis in nobis effici voluntatem bonam*: & eodem cap. 5. Doctor impugnat vehementer Pelagium, eò quòd locũ illũ Apostoli: *Deus est enim, qui operatur in nobis & velle, & perficere*, quẽ videbat dogmati suo esse veheméter cõtrarium, conabatur exponere de operatione duntaxat, quæ fit a Deo per illuminationem intellectus, & excitationem ĩpertis voluntatis, vt patet ex verbis eiusdem Aug. supra inductis. Et eodem lib. de gratia Christi, c. 47. plenius docet S. Aug. quæ sententiam illius cum Pelagio esse de adiutorio gratiæ Dei. Ait enim: *Si ergo conferetur etiam ipsam voluntatem & actionem diuinitus adiuuari, vt sine illo adiutorio nihil velimus, & agamus quisquis est gratiam Dei per Iesum Christum D. N. euersus de adiutorio gratiæ Dei, quicquam arbitror, inter nos & eos controuersiæ reliquum fuisse.* Ergo quæstionis potissima S. Augustin. cum Pelagio non erat de gratia excitante, sed de adiuuante. Secundò id constat, nam Pelagius admittit gratiam excitantẽ, id est, illuminationem intellectus, & excitationem voluntatis præuenientẽ omnia merita hominis, vt patet ex ipsis verbis Pelagi, disp. 118. n. 8. inductis. Fatebatur enim, quòd Deus, *operatus in nobis velle quod bonũ est, dũ nos terrenis cupiditatibus dedites, meritorum more animalium, tantummodo præsentia diligentes futura gloriæ magnitudine & præmiorum pollicitatione succendit: nam reuocatione sapientiæ, in acquirendum Dei, suspentem suscitat voluntatem, dum vobis, quod tu alibi negare non metuis, inadet omne, quod bonum est.* Quibus verbis non obscure admittit Pelagius præuenientem illuminationem intellectus, & excitationem voluntatis antecedentem humana merita, quod indicant verba illa, *Dum nos terrenis cupiditatibus dedites, &c.* & illa, *Suspentem suscitat voluntatem*, id est, nullum bonum opus priusquã excitetur operantem, nec superna, sed potiùs terrena desiderante. Vnde quãdo S. Aug. reprehendit Pelagium, eò quòd asseruerit, gratiam secundum merita nostra dari, loquitur de adiuuante gratia, qua Deus efficit nos velle.

Tertiò: nam, vt constat ex locis inductis S. Aug. & ex Concilio Milentano, can. 4. & ex Tridentino Sess. 6. can. 2. cõtrouersia S. Augustini cum Pelagio fuit de gratia Christi, hoc est, de gratia illa, quæ datur nobis per Christum Redemptorem N. vt condistinguitur contra gratiam Adæ collatam in statu innocentiæ. Licèt enim gratia sufficiens, quæ tribuit homini posse piè operari, si velit, detur nobis ex meritis Christi, tamen hæc gratia non distinguitur ab adiutorio gratiæ Adæ collato. Gratia autem, quæ est propria Christi, est gratia adiuuans, qua Deus facit, vt velimus: ergo de gratia erat potissima quæstio cũ Pelagio.

Quartò, Idipsum colligi potest ex ratione, qua Pelagius conijcitur, negauit præuenientem gratiam, quia videlicet existimauit libertatem nostri arbitrij cũ illa cohærere non posse. Non potuit autem venire in mentem Pelagio, per gratiam excitantem destrui libertatem arbitrij, cum id nullam prorsus habeat apparentiam: si enim post quam Deus excitauit hominem, liberum arbitrium, si vult, consentit, si non vult, non consentit: & Deus per gratiam præoperantem non facit illum consentire, quomodo potuit Pelagius suspicari per gratiam præuenientem destrui libertatem arbitrij? Signum ergo est, ipsum Ioquutum fuisse de præueniente gratia adiuuante, qua Deus, postquam nos excitauit, vere efficienter facit nos velle, & pie operari. De hac ergo gratia adiuuante, quæ ab excitante distinguitur, procedit præsens difficultas: Vtrum videlicet, ideo Deus nos adiuuet, quia volumus pie operari: an verò è cõtra ideo velimus, quia a Deo adiuuamur.

Disput. 99.

Secundo est notandum illam propositionem causalem: Quia homo excitatus, & motus a Deo vult consentire & cooperari ideo consentit, & cooperatur; posse in duplici sensu explicari. Prior est, vt illa causalis importet causam secundum fieri proximam consensus arbitrij, & reddat rationem eiusdem consensus, ex eadem causa proxima desumptam; & in hoc sensu verissimum est, nostrum arbitrium, motum à præuenienti gratia, ideo cooperari, & consentire, quia vult consentire: aut quia vult se determinare ad consensum, cum libere potuerit dissentire: & in eodem sensu verissimum asseritur, liberum arbitrium ideo libere consentire, quia eius natura hoc habet, vt si consentiat, libere consentiat, & non ex necessitate. Si enim necessitate consentiret, iam nõ vt liberum arbitrium differenter se habens ad plura, sed vt naturam ad vnum determinatam consentiret. Nec circa hoc est, aut fuit vllquam inter Doctores Catholicos dissensio. Secundus sensus, qui ad præsentem pertinet disputationem, est, iuxta quem illa causalis

Liberũ arb. cooperari Deo. quia vult, an quo sẽsu sit verum.

Pelag apud Aug. lib. de grat. Christi, cap. 10. tom. 7

cauſalis importat primam radicem; & cauſam efficientem, ad quam tandem reuocatur vltimatè, quòd iſte homo tali gratia excitante præuentus, & motus, Deo vocanti conſentiat, & cooperetur. Et in hoc ſenſu neceſſe eſt dicere, iſtam cauſalem eſſe falſam: Quia homo vult conſentire, & cooperari Deo excitanti, vel conuerti, ideo conſentit, cooperatur, vel conuertitur. Et ratio huius eſt, quia, vt ſuprà dictum eſt, ipſum cooperari liberi arbitrij reducitur in Deu, tanquam in priorem cauſam per ſe efficientem. Vnde, ſi quæratur, quare Petrus a Deo motus conuertitur, recte reſpondemus, quia vult cõuerti; ſi illa cauſalis importet cauſam proximam. Si autem rurſus quæratur, quare vult conuerti, non eſt reſpondendũ, quia vult, nec iſtendum in ipſa facultate liberi arbitrij, vt quidam ſentiunt, ſed recurrendum eſt ad aliã cauſam priorem, ſcilicet ad diuinam voluntatem, & dicendũ, quia Deus voluit, vt Petrus conuerteretur, quia Deus ſua gratia efficaci fecit, vt cooperetur: nã proprium eſt voluntatis diuinæ, quòd non habeat cauſam priorem ſe, per quam determinetur ad operandum, cùm ipſa ſit prima cauſa omnium exiſtentium, vt ſuprà dictum eſt: omnis autem voluntas creata, habet priorem cauſam, ſcilicet Deum, à quo dependet in eſſe & in operari.

Quia Deus operatur, homo cooperatur.

PRima ergo concluſio ſit. Iſta propoſitio cauſalis eſt omnino falſa: Quia homo præuentus gratia excitante, vult conſentire, & cooperari, ideo adiuuatur à Deo.

Liber arbitriũ nõ ideo adiuuatur à Deo, quia vult cooperari.

Secunda concluſio. Iſtæ propoſitiones cauſales ſunt veræ: Quia Deus operatur, ideo liberum hominis arbitrium cooperatur: Quia Deus adiuuat hominem, vt conſentiat, & conuertatur, ideo conſentit, & conuertitur: Quia Deus vult, vt homo velit, ideo homo vult. Vtraque concluſio ſequitur ex præcedentibus, & probari poteſt omnibus argumentis, quibus diſp. 86. oſtenſum eſt, cooperationem liberi arbitrij, & eius cauſalitatem reſpectu actus volendi, eſſe effectũ Dei, & operationis illius in genere cauſæ efficientis. Vtramque etiam concluſionem conuincunt omnia argumenta, quibus diſputat. 18 oſtenſum eſt, concurſum Dei generalem eſſe immediatum influxum in cauſas ſecundas, eáſque efficaciter prædeterminare, vt conformiter ad propriam naturam operentur. Idem confirmant loca illa Scripturæ: *Non eſt volentis, neque currentis, ſed Dei miſerentis.* *Quis enim te diſcernit?* & ſimilia, quibus S. Auguſtin. ſæpius aduersùs Pelagianos locis ſuprà inductis triumphauit: ex illis enim per bonam conſequentiã deducitur, ideo hominem velle, quia à Deo adiuuatur. Sed ne claſſibus argumentorum propoſitis, conſimiles claſſes ex aliis materiis deſumptas videar opponere, probatur ex propriis noſtra ſententia.

Rom. 9. 1. Cor. 4.

Primò auctoritate expreſſa S. Aug. epiſt. 107. ad Vitalem, vbi vnam ex potiſſimis controuerſiis eius cum Pelagio circa prædictam cauſalem fuiſſe affirmat, vt ex verbis n. 1. adductis conſtat. Et in eadem epiſt. oſtendit S. Doctor, adiutorium gratiæ non ideo nobis dari, quia volumus, ſed per illam hoc etiam Deum efficere, vt velimus. Et lib. 1. Hypogноſt. ait, *In omni itaque opere ſanctæ prior eſt voluntas Dei, poſterior liberi arbitrij, id eſt, operatur Deus, cooperatur homo. Quòd ſi dicas, vt dicere conſueniſti, quia ego prior volui, Deus voluit; iam meritum facis, vt gratia ex operibus iã non ſit gratia, ſed merces.* Quibus verbis aperte docet, gratiam ſecundùm merita noſtra dari, ſi aliquid præcedat ex nobis propter quod gratia ipſa conferatur: ergo, &c.

Reſpondebunt fortaſſis, Pelagium omnem gratiã præuenientem, etiam excitantem abnegaſſe; & propterea ad eius ſententiam pertinere non poſſe illam cauſalem: Quia homo præuentus gratia excitante, vult cooperari, ideo adiuuatur à Deo. Cauſalis namque Pelagij ab Auguſtino damnata hæc fuit: quia homo ex ſolis viribus naturæ vult ad Deum conuerti, & operari, ideo adiuuatur ab eo. Ab iſta autem cauſali lõgiſſimè diſtant aliæ cauſales de quibus diſputamus, videlicet Quia homo præuẽtus gratia excitãte vult cõuerti, ideo adiuuatur à Deo. Etenim in propoſitione cauſali Pelagij natura, ſimpliciter & abſolute præcedit omnem gratiam tam excitantẽ, quàm adiuuantem. Vnde optimè intulit Aug. contra Pelagium, gratiam ſecundùm merita noſtra dari. Cæterum in propoſitione cauſali, de qua nunc agimus, gratia præcedit naturam. Vnde tota operatio vltimatè reducitur ad gratiam tanquam ad primum noſtræ ſalutis, & cuiuſcunque piæ operationis initium.

Hac tamen ſolutione argumento S. Auguſt. non fit ſatis. Primò: nam, vt ſuprà oſtenſum eſt, Pelagius in vltimo ſtatu ſuæ hæreſis auxilium gratiæ interioris ad poſſe conceſſit: negauit autem adiutorium gratiæ, per quam Deus efficiat, vt velimus: nam motus, ſeu conſenſus voluntatis non incipit phyſicè à gratia excitante, ſed ſolùm moraliter: ergo, ſi homo excitatus à Deo, ideo conuertitur, vel adiuuatur, quia vult, primum initium phyſicum noſtræ ſalutis procedit a libero arbitrio, ac per conſequens ſalus, & gratia ſecundùm merita noſtra dabitur. Secundò: nam idem argumentum procedit. etiamſi aſſeratur, quòd gratia excitans præcedat hominis conſenſum: nam ſi liberum eius arbitrium à Deo excitatum ideo adiuuatur, quia vult cooperari, ſequitur quod talis cooperatio præcedat gratiam adiuuatem, vnde gratia adiuuans eſſet pediſſequa, & non præuia cooperationi arbitrij, atque humanorum meritorum, ac per conſequens dicendum eſſet gratiam adiuuantẽ ſecundùm merita noſtra dari, quamuis prima gratia excitans omnino gratis donetur. Si dicatur, Pelagiũ in vltimo ſtatu ſuæ hæreſis nunquam admiſiſſe gratiam illam interiorem, quam preſſus argumentis S. Auguſt. conceſſit ad poſſe, eſſe ſimpliciter neceſſariam ad ſalutem, ſed ſolùm, vt facilius poſſet homo implere per gratiam diuina mandata, quæ ſimpliciter poterat implere per naturam: contra hoc eſt efficax argumentum: nam, vt in primo fundamento dictum, potiſſima controuerſia ſancti Auguſtini cũ Pelagio non fuit de gratia excitante, ſed de adiuuãte, qua Deus verè efficienter facit nos velle, & hanc gratiam adiuuantem aſſeruit Pelagius eſſe neceſſariam, vt facilius impleret homo per gratiam, quod ſimpliciter poterat per naturam. Tertiò nam ſaltem Semipelagiani, vt ſuprà vidimus, expreſsè admiſerũt, gratiam excitantem præuenire omnia pietatis opera; quia tamen dixerunt, ideò dari nobis gratiam adiuuantem, quia homo eadẽ gratia excitante præuentus, vult cooperari, & conſentire Deo vocanti; meritò impugnantur à S. Proſpero epiſt. ad Aug. dicẽte: *Vnde, quia in iſtis Pelagianæ prauitatis reliquiis non mediocris virulentiæ fibra nutritur, ſi principium ſalutis malè in homine collocatur, ſi diuinæ voluntati impiè voluntas humana præfertur, vt ideo quis adiuuetur, quia voluerit: non ideo quia adiuuatur, velit:* quia adiuuatur, inquit, non quia excitatur: ergo in prædicta cauſali loquebantur de gratia adiuuante, & non ſolùm de gratia excitante.

Semipelagiani admiſerũt interiorẽ gratiam ſufficientẽ.

Secundo probatur ratione: nam, ſi Deus adiuuat voluntatem, quia voluntas vult, & non è contrà: ergo Deus operatur, quia voluntas creata cooperatur, & non è contrà & ita ſequitur, quòd operatio Dei à creata voluntate dependeat, & aliquo modo ab ea ad actualiter cõcurrendum prædeterminetur, quod eſt impoſſibile, cùm nulla actio cauſæ ſecundæ præuenire

V.

nire possit vniuersaliter operationem primi agentis, vt 3 con.gent.c.149.docet S.Th.Cõfirmatur.Quod est æternum,non potest ab aliquo temporali esse dependens,sed efficax decretum Dei,quo statuit,vt Petrus conuertatur tali tempore,est æternum; cooperatio autem Petri est temporalis:ergo efficacia eiusdem decreti diuini pendere non potest a cooperatione arbitrij Petri:ergo nec temporalis causalitas Dei,quæ vim habet ab eodem decreto,pendere potest a causalitate, vel cooperatione arbitrij creati, quamuis non sit sine illa:non ergo ideo Deus in tempore operatur,quia homo cooperatur,sed è conuerso. Respondent, quòd Deus non pendet, nec determinatur à voluntate humana,licet operetur,quia illa operatur: nam liberè Deus condidit liberam voluntatem & potuisset non condere: & rursus liberè voluit,& ab æterno decreuit concurrere ad opus liberę voluntatis,quando ipsa operati voluerit:& deniq; potest etiam, quando vult nõ cõcurrere,si velit præter ordinem à se constitutum,aliquid fieri. Itaque Deum operari, quia voluntas operatur, non est Deum pendere à creatura,sed ab æterna sua institutione,& voluntate.Non tamen videtur hæc solutio vim argumenti euacuare.Contendimus enim implicare contradictionem,Deum voluisse, aut sua prouidentia ordinasse, vel constituisse, quòd efficacia æterni decreti voluntatis eius,quo omnia quæcunque voluit,fecit in cœlo,& in terra, atque eius causalitas temporalis pendeat à causalitate,& cooperatione arbitrij creati,vel ab ea præueniatur,quod tamen videtur euitari non posse, si semel admittatur, ideo Deum operari, quia voluntas creata operatur. Licèt enim Deus non operetur actum liberum sine libero arbitrio cooperante, eò quòd actus liber intrinsecè dependet à libero arbitrio, tanquam à causa proxima; tamen Dei operatio non dependet ex cooperatione arbitrij, aut ab ipso actu libero: nam causa non dependet à suo effectu, sed contrà effectus dependet à sua causa; & oppositum esset, ponere magnam imperfectionẽ in operatione diuina,& consequenter in ipso Deo,atque in decreto efficaci voluntatis eius, vt ex dictis in superioribus constat.

Solutio.

VI. Cõfutatio.

DISPVTATIO C.

Vtrùm collatio efficacis auxilij sit adæquata causa, quòd liberum arbitrium conuertatur.

I. POTEST hæc dubitatio sub aliis æquiualentibus verbis agitari: Vtrùm,videlicet, sola gratia dicenda sit causa nostræ salutis:nã adæquata causa & sola causa idẽ videtur significare: & hæc difficultas ferè coincidit cum illa, quam Disp.85.d.scissimus:Vtrum gratia, & liberum arbitrium sint duæ causæ partiales piæ operationis, sicut duo trahentes nauim. Nihilominùs propter quorundam instantiam,qui de hac re multùm dubitant, visum est sub his terminis præsentem controuersiam dirimere,& quosdam modos loquendi Scripturæ,& sanctorum Patrum in medium proferre,ac Theologicis rationibus confirmare,& explicare, ne Theologi nouitij in illis,aut scandalizentur,aut hæreant.

A Est ergo prima sententia aliquorum qui contendunt,nulla ratione concedi posse, collationem diuini auxilij efficacis esse solam causam adæquatam quod homo conuertatur in Deum: quod probant:

Primò ex illis verbis Zachariæ 1. quibus ad hanc sententiam comprobandam vtitur Concilium Trident.*Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Similia sunt illa Ioëlis 2.*Conuertimini ad me in toto corde vestro.*Ezech.18.*Facite vobis cor nouum,*& c.36.*Faciam vt in præceptis meis ambuletis,*clarissimè enim hæc testimonia docent,Deum,vel collationem gratiæ efficacis non esse adæquatam, vel solam causam conuersionis, cùm ad illam etiam liberum arbitriũ concurrat,& cooperetur Deo. Cõc. Trid. c.5 deiustific.

B Confirmatur ex testimonio Apostoli 1. ad Corinth.15.*Abundantiùs omnibus laborauí;non autem ego sed gratia Dei mecum*: quod quidem testimoniũ eleganter vrget S.Bernard,cuius verba inferiùs adducentur:ostendit enim ex Apostolo,liberum arbitrium socium esse, & cooperatorem cum Deo:cui consonat illud Sapient.9.*Da illi illam de cœlis sanctis tuis,vt mecum sit,& mecum laboret.* & 2. Corinth. 3.*Dei adiutores sumus.* Vnde Cælestinus Papa epist. ad Episc.Galliæ,cap.12.nos *cooperatores gratiæ Dei* appellat. S.Ber.tract. de gratia & lib arbit. non longè à fine.

Secundò arguitur ex definitione expressa Conc. Trid sess.6.cap.5.in quo habetur, hominem per excitantem, & adiuuantem gratiam disponi ad conuertendum se, assentiendo, & cooperando eidem C gratiæ,ipsumque hominem agere, dum inspirationem Dei recipit; atque ita agere, vt ipsam *abiicere possit.*Et can.4.damnantur sub anathemate qui dixerint liberum arbitrium à Deo motum nihil operari,assentiendo Deo excitanti, quo se disponat ac præparet ad iustificationis gratiam,neque posse dissentire,si velit:ergo,si liberum arbitrium ex sententia & definitione concilij cooperatur, assentiendo gratiæ, atque ita agit,vt inspirationem abiicere possit, & dissentire, si velit; dici non potest collationem auxilij efficacis esse solam causam, & adæquatam, vt homo conuertatur.

Tertiò arguitur auctoritate Sanctorum, qui expressè docent,Deum, vel gratiam illius, non esse solam,& adæquatam causam conuersionis. Nam S. D Aug.explicans illud 1.Corinth.15.*Non autem ego,sed gratia Dei mecum:Non ego,*inquit,*sed gratia Dei mecum ideſt, non solus, sed gratia Dei mecum,ac per hoc nec gratia Dei sola,nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo.*Et sanctus Bernardus eúdem locum expendens, sic loquitur.*Paulus, cum bona plurima, quæ per ipsum Deus fecerat,enarrasset:Non autem ego,aut, sed gratia Dei mecum,Potuit dicere per me, sed quia minus erat, maluit dicere mecum,præsumens, se non solum operis esse ministrum per effectum; sed & operantis quodammodo socium,per consensum.*Et infrà, *Vtitur*, scilicet Deus, *Angelis, & hominibus bona voluntatis,tanquam coadiutoribus, & commilitonibus suis.Vnde Paulus de se, suisque similibus audacter pronunciat:Coadiutores enim Dei sumus.*Et infrà: *Itaque Deus homini benignè meritа constituit,vbi per ipsum,& cum ipso boni quidpiam operari dignanter instituit. Hinc coadiutores Dei, & cooperatores Spiritus sancti promeritores regni nos esse præsumimus, quod per consensum vtique voluntarium, diuinæ voluntati coniungimur.* Et paulò inferiùs: *Ipsa* scilicet gratia,*liberum excitat arbitrium, cum seminat cogitatum,sanat cum immutat affectum,roborat, vt perducat ad actum seruat,ne semiat defectum. Si autem ista cum libero arbitrio operatur, vt tantum illud in primo præueniat,in cæteris comitetur,ad hoc utique præuenit, vt iam sibi deinceps cooperetur: ita tamen, quod à sola gratia captum est,pariter ab utroque perficitur,vt nullum non singillatim:simul, non vicissim per singulos profectus operentur.* II. Aug.lib.de gratia, & lib.arb.c.8. Ber. in tract. de gratia,& lib.non lõgè à fine.

Digitized by Google

Aug. lib. de peccat. merit. & remiſſ. c. 5.

operentur. Item S. Aug. explicans illud Pſalm. 26. *Adiutor meus eſto, ne derelinquas me: Adiutor*, inquit, *noſter Deus dicitur, nec adiuuari poteſt, niſi qui etiam aliquid ſponte conatur; quia non ſicut in lapidibus inſenſatis, aut ſicut in eis, in quorum natura rationem, voluntatémque non condidit, ſalutem noſtram Deus operatur in nobis.* Et lib. 1. con. duas epiſt. Pelag. c. 9. ait: *Quamuis, niſi adiuuante illo, ſine quo nihil poſſumus facere, os non poſſumus aperire, tamen os aperimus illius adiumento, & opere noſtro.* Et libro primo ad Simplicianum, quæſtione ſecunda. *Vt velimus*, inquit, *& ſuum eſſe voluit, & noſtrum; ſuum vocando, noſtrum ſequendo.* Et libro de prædeſtin. Sanct. cap. 3. & lib. 1. retract. c. 13. *Vtrumque noſtrum eſt*, velle ſcilicet credere, & bonum operari, *propter arbitrium voluntatis; & vtrumque tamen datum eſt per Spiritum fidei & charitatis.* Et lib. de Spirit. & litera ad Marcell. cap. 43. *Conſentire vocationi, aut non conſentire, propriæ voluntatis eſt.* Et lib. de gratia, & lib. arb. cap. 15. *Non autem putetur, nihil ibi facere homines per liberum arbitrium, id in Pſalmo dicitur*, Nolite obdurare corda veſtra. *Et per Ezechielem dicitur*: Proiicite omnes iniquitates veſtras. Et libro de gratia Chriſti, cap. 14. *Quis non videat, venire quemquam, aut non venire, eſſe in arbitrio voluntatis? Sed hoc arbitrium poteſt eſſe ſolum, ſi non venit; non autem poteſt eſſe, niſi adiutum, ſi venit.* Similia docet tractat. 72. in Ioan. epiſt. 89. q. 2. & epiſt. 106. & multis aliis locis. Denique

S. Proſper.

S. Proſp. lib. 2. de vocat. gent. c. 26. *Gratia*, inquit, *Dei in omnibus iuſtificationibus principaliter præeminet, ſuadendo exhortationibus, &c. ſed etiam voluntas hominis ſubiungitur ei, atque coniungitur, vt diuino in ſe cooperetur operi, & incipiat exercere ad meritum, quod ſuperno ſemine concepit ad ſtudium.* Et infra: *Quod à multis refutatur, ipſorum eſt nequitiæ: quod autem à multis ſuſcipitur, & gratia eſt diuina, & voluntatis humanæ.* Et cap. 3. con. Collatorem, illa Caſſiani verba expendens. *Noſtrum verò eſt, vt quotidie attrahentem gratiam humiliter ſubſequamur*; ait, rectè fuiſſe dicta à Caſſiano, & ſubiungit: *Ne putaretur, nil ſupereſſe, quod per liberum arbitrium ageretur.* Ergo Deus, ſeu collatio efficacis auxilij non eſt adæquata, aut ſola cauſa, quòd homo conuertatur.

Quartò arguitur ratione: nam hæc propoſitio: Solus Pater eſt Deus; in ſermonis proprietate eſt falſa, vt 1. p. q. 31. art. 3. in corp. docet S. Thom. quia illa dictio, *ſolus*, tenens ſe ex parte ſubiecti, excludit quodcunque aliud ſuppoſitum à conſortio prædicati, & ita facit iſtum ſenſum: Pater eſt Deus, & nullum aliud ſuppoſitum diſtinctum à Patre eſt Deus. Sicut ſi dicatur; ſolus Sortes ſcribit, ſenſus eſt, quòd Sortes ſcribit, & nullus ſit ei conſors in ſcribendo: ergo ſimiliter hæc propoſitio Solus Deus eſt cauſa, quod homo conuertatur, facit iſtum ſenſum Deus eſt cauſa actus conuerſionis, & nullum aliud ſuppoſitum à Deo eſt cauſa actus conuerſionis, vel conſors cum Deo in productione actus conuerſionis; ſed hic ſenſus eſt falſus. nam ſecundùm fidem Catholicam, homo eſt etiam vera cauſa efficiens eiuſdem conuerſionis: ergo.

Quintò: nam error fuit Caluini in Concil. Trident. damnatus, ſolam gratiam totum in nobis operari, ac Deum ſolum eſſe cauſam noſtræ conuerſionis, neque in illa partes aliquas habere noſtrum liberum arbitrium. Verba Caluini ſunt: *Sed errant, qui concedent, voluntatem, a bono ſuopte ingenio auerſam ſola Domini virtute conuerti; ſi tamen, vt præparata, ſuas deinde in agendo partes habeat, &c. Sed hoc perperam homini tribuitur, quod gratiæ prænenienti, pediſſequa voluntate obſequatur.* & §. 11. *Ac voluntatem mouet, non qualiter multis ſæculis traditum eſt, & creditum, vt noſtræ poſtea ſit electionis, motioni aut obtemperare, aut refragari; ſed illam efficaciter afficiendo. Illud ergo*

Calu. lib. 2. inſtit. c. 3. §. 7.

tottes à Chryſoſtomo repetitum repudiare neceſſe eſt: Quẽ trahit, volentem trahit. Et in alio loco: *Reſpondeant*, inquit, *an qui efficit in nobis velle ſimpliciter, voluntatem adiuuet. Paulus totum Deo vendicat, ipſi nihil, præter adminiculum acceptum ferunt. ſed in quo hominem Deo ſocium adiungunt?* Denique ſic cõcludit Caluinus: *Hæc ſit ſumma: perperàm ea facere, qui ſic inter Deum, & nos partiuntur vt obedientiam pia voluntatis, quæ Dei gratie aſſentitur, ad nos tranſcribant, cùm ſit proprium ipſius Dei opus.* Vult ergo Caluinus, Deum eſſe adæquatã cauſam conuerſionis igitur non debet tribui ſoli efficacitati diuinæ gratiæ, quòd homo conuertatur, & piè operetur.

Hæc refert Ruardus artic. 7. pag. 142.

Confirmatur: nam, ſi efficacia diuini auxilij eſt cauſa ſola, & adæquata, quòd homo conuertatur in Deum: ergo præter Deum, & diuini concurſus efficaciam, non erit alia cauſa conuerſionis. Nam cauſa adæquata, & ſola quamlibet aliam cauſam excludit: atque adeò voluntas nullo modo erit cauſa conuerſionis, quia videlicet ipſa efficientia volũtatis eſt ſolius Dei effectus, auxilio efficaci ita volũtatem determinantis ad conuerſionem, vt in ſenſu compoſito non poſſit diſſentire: ſi velit: quod tamen ſolum contendunt Caluinus, & alij hæretici; cùm nõ negent, volũtatem actiuè concurrere ad ſuos actus, coſque phyſicè producere, vt multi viri docti adnotarunt.

IV.

Secunda ſententia eſt aliorum, qui in ſenſu ſano & Catholico ſentiunt, poſſe concedi, & debere, collationẽ auxilij efficacis eſſe adæquatã cauſam, quòd homo conuertatur; & piè operetur. Dicunt enim, quòd ipſamet concurrentia liberi arbitrij effectus eſt neceſſariò conſequens, neceſſitate conſequentiæ, ex diuino auxilio efficaci, ita vt verificetur illud Apoſtoli, quòd illa conuerſio non eſt currentis, ſed miſerentis Dei: quam ſententiam priùs docuit Capreolus, imò & ſanctus Auguſtin. ſanctus Thomas, ac alij Patres, vt ſtatim patebit. Non quia homo poſſit ſe conuertere, niſi velit, ſed quia ipſemet Deus ſua miſeratione efficaciter hominis voluntatem conuertit ad ſenſu vt conuerſio ipſa actualis ſit effectus diuinæ miſericordiæ, & non ſolùm poſſe conuerti, iuxta illud: *Conuerte nos Domine, ad te conuertemur.*

Rom. 9.

Bañes 1. p. q. 23. art. 3. dub 3. poſt conc 6. & ad 6 arg.

Thren. 5.

Hanc ſecundam ſententiam, ſi rectè intelligatur, & explicetur, veram eſſe exiſtimo, & modo loquendi ſacræ Scripturæ, & ſanctorum Patrum, præſertim Auguſtini, & Thomæ valde conformem. Ad cuius euidentiam conſiderandum eſt, eſſe magnam differentiam inter iſtam propoſitionem: Solus Deus eſt cauſa, quòd homo cõuertatur, & illa: Solus Deus eſt cauſa actus conuerſionis, quia non eſt idem prædicatum vtriuſque. Etenim in priori propoſitione prædicatum eſt totum illud complexum, cauſa, quòd homo conuertatur, in quo inuoluitur concurſus liberi arbitrij hominis, quo influit in actum conuerſionis, & totum illud prædicatur de ſolo Deo, & ita ſenſus proprius illius propoſitionis eſt, quòd Deus, & nullus alius præter Deum, efficit, vt homo conuertatur: qui ſenſus eſt veriſſimus, vt ex præmiſſis conſtat. Cæterum in hac propoſitione: Solus Deus eſt cauſa actus conuerſionis, prædicatum eſt illud complexum, cauſa conuerſionis, quod quidem prædicatum affirmatur de ſolo Deo: illa autem dictio, *ſolus*, tenet ſe ex parte ſubiecti, & excludit quodcunque aliud ſuppoſitum à conſortio prædicati, vt docet S. Thom. 1. p. quæſt. 31. artic. 3. & ita ſenſus eſt, quòd Deus, & nullus aliud ſuppoſitum, præter Deum, efficit actum conuerſionis: qui ſenſus eſt falſus, vt dictum eſt.

Deus facit vt homo conuertatur.

V.

Prima ergo concluſio ſit. Non eſt concedendum abſolute, quòd ſolus Deus, vel ſola collatio auxilij efficacis

Cõuerſionem non

sufat sola gratia, sed etiã liber. arbitr.

efficacis sit causa actus conuersionis. In hac conclusione conueniunt auctores vtriusque sententiæ, nec eam vnquam negauit, aut negare potuit aliquis Catholicus: est enim de fide, vt ex argumentis factis à principio euidenter constat. Dixi in conclusione, *absolutè loquendo*: nam cum addito concedi potest, vt si dicatur: Deus est adæquata, vel sola causa, à qua primò incipit conuersio, & in quam tanquam in primam radicem, & causam per se efficientem, reducitur ipsa conuersio. Licèt enim homo liberè conuertatur, solus tamen Deus est, qui sua gratia efficaci facit, vt faciamus, & operatur, vt operemur, sicut ex conclusione subsequenti manifestum fiet.

Deus solus est causa adæquata, faciens vt homo conuertatur.

Secunda conclusio. Absolutè, & sine vllo addito potest, & debet concedi, quòd Deus, seu collatio auxilij efficacis sit adæquata, vel sola causa efficiens, vt homo conuertatur, & liberè cooperetur Deo mouenti. Conclusio est sancti Thomæ 1.2. quæst. 111. artic. 2. vbi cùm ad probandum, quòd non sola gratia operetur in nobis salutem, adduxisset illud Augustini: *Qui creauit te sine te; non iustificabit te sine te*, respondet: *Quòd Deus non sine nobis nos iustificat: quia per motum liberi arbitrij, dum iustificamur, Dei iustitiæ consentimus. Ille tamen motus non est causa gratiæ, sed effectus; vnde tota operatio pertinet ad gratiam.* Quibus verbis totam salutem hominis tribuit gratiæ, quia per ipsam Deus efficit, vt liberum arbitrium cooperetur, & consentiat. Hanc etiam conclusionem docere inuendunt auctores secundæ sententiæ, quam etiam statuit expressè Capreolus in secund. sentent. distinction. 28. quæstione 1. articulo 3. ad 12. vbi ait: *Quòd non solùm iuuat nos Deus ad bonum velle, partialiter coefficiendo; sed etiam quodam modo specialis faciendo, ipsam voluntatem partialiter concurrere; ita quòd ipsa voluntas partialiter concausat applicata, & quasi instrumentaliter mota à Deo ad sic partialiter concausandum.* Et postquam in confirmationem huius doctrinæ quædam loca August. inferiùs adducenda retulisset, subdit: *Eum*, scilicet Aug. *distinguere duplicem Dei modum operandi circa bonum velle nostrũ, vnus est sibi proprius, in quo voluntas nostra non cooperatur, vtpote facere nos velle; ideo ait: Vt ergo velimus, sine nobis operatur; sine nobis*, inquam, *operantibus, vt scilicet velimus: quia licèt voluntas velit, & causet volitionem; non tamen facit se velle, aut causare volitionem. Nec tamen quia Deus facit; ideo ipsa non causat, sed potiùs ideo causat.* Ecce affirmat, quòd Deus sit sola, & adæquata causa faciens, vt velimus.

VI. Probatur primò testimoniis S. Augustin. quæ pro eadem doctrina adducit Capreolus, vbi supra. Etenim lib. de gra. & lib. arb. capite 16. ait: Certum est, nos velle, cùm volumus: sed ille facit, vt velimus bonum, de quo dictum est: *Præparatur voluntas à Domino*: de quo dictum est, qui operatur in nobis velle. Certum est nos facere cum facimus: sed ille facit, vt faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati: qui dicit: Faciam, vt in iustificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obseruetis, & faciatis. Itẽ paulò post: *Vt ergo velimus, sine nobis operatur. Cùm autem volumus, & sic volumus, vt faciamus, nobiscum operatur: cum sine illo, vel operante, vt velimus? vel cooperante, cùm volumus, ad bona pietatis opera nil valemus.* Ex quibus verbis infert Capreolus, solum Deum esse, qui suo auxilio speciali efficit, vt homo velit cooperetur, & conuertatur. Sentit ergo Augustin. Deum esse adæquatam, & solam causam, quæ facit, vt homo conuertatur. Alia duo loca Aug. adducit Capreolus, quæ pro canone constituta sunt in Conc. Arausic. locis superiùs allegatis. Præterea idem Augustin. explicans, qualiter homo trahatur à Deo,

Aug. eodẽ lib. c 17.

A & lubens, ac volens veniat, inquit: *Quis trahitur, si iam volebat? Et tamen nemo venit, nisi velit. Trahitur ergo miris modis vt velit, ab illo, qui nouit intus in ipsis hominum cordibus operari, non vt homines, quod fieri non potest, nolentes credant; sed vt volentes ex nolentibus fiant.* Quibus verbis nõ obscure docet, quòd quamuis homo per liberum arbitrium velit, solus tamen Deus suauiter illum sua gratia trahendo efficit, vt velit. Eandem doctrinam sæpius confirmat Augustin. & colligit ex pluribus locis Scripturæ, præsertim ex illo ad Rom. 9. *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* & 1. Corinth. 4. *Quis enim te discernit.* Et ad Philip. 2. *Deus est enim, qui operatur in nobis & velle, & perficere pro bona voluntate.* Non B enim ait Paulus: *Deus est, qui cooperatur*, nec ait, *nobiscum*, sed *in nobis*, vt intelligatur, quòd solus Deus est, qui per gratiam efficacem facit nos velle, & cooperari. Vnde ex iisdem testimoniis, & aliis, quæ sunt in vtroque Testamento quamplurima, conuincit Pelagianos, solum Deum esse, qui operatur, vt operemur. Et in libro de grat. & libero arbitrio capite quinto ait: *Vt Paulus Apostolus efficacissima vocatione conuerteretur, gratia Dei erat sola.* Sola, inquit, quia non cooperabatur voluntas humana Deo in illa actione, qua præueniebatur, & præparabatur, vt vellet conuerti, & qua Deus efficiebat, vt conuerteretur, sed solùm cooperabatur, liberè, & effectiuè producendo ipsum actum conuersionis. Præterea S. Cyprian. Gregor. Nazianz. Anselm. Bernard. & alij SS. C quorum testimonia disputatione 83. numero tertio adduximus, docent, totum esse Deo tribuendum, & gratiæ illius in iis, quæ ad salutem pertinent. Cum ergo cooperatio nostri liberi arbitrij cũ gratia pertineat ad salutem, erit etiam Deo tribuenda, ac per consequens, Deus seu collatio efficacis auxilij erit adæquata, & sola causa, quòd homo conuertatur.

Aug. lib. 1. cont. duas epist. Pelag. c. 3.

VII. Sunt ad idem duo insignia testimonia sancti Prosperi, in quibus expressè docet, solam gratiam esse, quæ facit, vt homo conuertatur. Primum testimonium habetur de ingratis, capite decimoquarto, vbi sic loquitur:

Vt tamen his studiis auditor promoueatur,
Non doctor, neque discipulus, sed gratia sola
Efficit, inque graues adolet plantaria fructus.

Et cap. 15.

At verò Omnipotens hominem cùm gratia saluat,
Ipsa suum consummat opus, cui tempus agendi
Semper adest, quæ gesta velut. Non moribus illis
Fit mora, non causis anceps suspenditur vllis,
Nec quòd sola potest, cura officioque ministri
Exequitur, famulisve vicem committit agendi:
Qui, quamuis multa admoueant mandata vocantis,
Pulsant, non intrant animas. Deus ergo sepultos
Suscitat, & soluit peccati compede vinctos.
Ille obscuratis dat cordibus intellectum,
Ille ex iniustis iustos facit, indit amorem,
Quo redametur amãs, & amor, quem conserit, ipse est.

Ecce S. Prosp. solam gratiam efficere ait, vt homo conuertatur, & salutares fructus afferat.

Secundò probatur ratione: nam, vt ostensum est, gratia, & liber. arb. non sunt causæ partiales conuersionis, sicut duo trahentes nauim: sed ipsa gratia determinat liberum arbitrium ad operandum, & efficit vt secum ad conuersionem concurrat: ergo gratia est causa totalis, & adæquata faciens, vt liberum arbitrium operetur.

Tertiò probatur. Efficacia gratiæ est, qua Deus efficit, vt homo conuertatur: sed efficacia eiusdem gratiæ est à solo Deo, & nullo modo dependet ex

coopera

cooperatione arbitrij creati, vt disp. 73. & 90. ostensum est: ergo Deus est adæquata, & sola causa, quæ facit, vt homo conuertatur.

Quartò probatur omnibus argumentis, quibus controuersia præcedenti ostendimus, Deum esse, qui primò inchoat nostram conuersionem quatenus sua gratia efficit, vt homo suo libero arbitrio Deo excitáti, & vocanti cõsentiat. Quæ omnia confirmari possunt ex iis, quæ de cõcursu generali disp. 18. dicta sunt. Per hæc facilis est responsio ad omnia argumenta facta à principio: solùm enim probant primam conclusionem; quatenus verò contra secundam videntur militare, occurrendum est singulis.

VIII. AD primum ex locis Scripturæ respondet ipsum Concil. Trid. in eodem argumento allegatum: *Quòd, cùm dicitur in sacris literis: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos, libertatis nostræ admonemur. Cùm respondemus: Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur, Dei nos gratia præueniri cõfitemur.* Quibus verbis docet, hominẽ quidẽ libere efficere actũ conuersionis, sed præuenientem Dei gratiam facere, vt homo conuertatur, & cooperetur, vt dictum est.

Ad confirmationem ex auctoritate Apost. 1. Cor. 15. respondetur illius testimonium maximè fauere nostræ sententiæ iuxta explicationem, quam adhibet Gelasius Papa, verbis disp. 96. conc. 2. inductis, in quibus docet, quòd gratia cooperatur præueniendo, & liberum arbitrium cooperatur subsequẽndo. Cùm ergo Apostolus, vt Gelasius adnotauit, ante illa verba, *Sed gratia Dei mecum*, præposuerit illam negatiuam, videlicet, *non ego*, proculdubio significauit, in ipsa conuersione esse aliquid, quod soli Deo tribuendum erat, scilicet, sua gratia efficere, vt liberum arbitrium conuertatur, & operetur. Ad alia testimonia Scripturæ respondetur, quòd tantùm probant primam conclusionem.

Gelasius ep. 5. ad Episc. per Picen.

Ad secundum argumentum ex Conc. Trid. respondetur, quòd iuxta nostram sententiam non excluditur liberum arb. à causalitate, qua Deus producit nobiscum ipsum conuersionis actum: nam Deus non operatur velle, & perficere, nisi per liberum arbitrium, sed solùm excluditur à causalitate illa, siue ab illo effectu causalitatis diuinæ, qua Deus efficit, vt liberum arbitrium conuertatur: licèt enim ipsum arbitrium velit, non tamen facit, se velle, quia non est primò se determinans ad volendum, sed solùm Deus operatur, vt velit sicut dictum est.

IX. Ad tertium ex auctoritate SS. respondetur, eos, locis allegatis pro secunda conclusione, expressè docuisse nostram sententiã. Vnde cùm Aug. ait, quòd non sola gratia, aut solus homo operatur, loquitur de operatione, qua immediatè producitur consensus arbitrij, & alij actus liberi, non autem de operatione secundùm quod per illam Deus efficit, vt homo consentiat, & cooperetur. Hoc enim solus Deus operatur, neque in eo habet socium, aut cooperatorem ipsum arbitriũ, vt in aliis locis suprà inductis docet idem August. dum sæpius inculcat: *Certum est nos facere, cùm facimus, sed ille facit, vt faciamus.* Et iuxta istum sensum explicanda sunt, & intelligenda alia loca August. Bern. & Prosp. in eodem argumento adducta, vt ex eorum verbis colligitur, & ex aliis pro secunda conc. adductis.

Ad quartum respondetur similiter, quòd Deus nullum aliud suppositum habet socium, respectu huius effectus, qui est, sua gratia efficere, vt liberum arbitriũ cooperetur, & conuertatur, vt ex præmissis constat, & ideo illa propositio, Deus est adæquata, & sola causa faciens, vt homo cooperetur, & conuertatur, est vera.

Ad quintum respondetur, quòd vt dictum est disp. præcedenti ad 6. Caluinus non errauit, quia dixit liberũ arbitriũ nullas partes habere in illa operatione, qua Deus, sua virtute, & gratia efficaci, facit, vt faciamus: sed errauit, quia, ex hoc quòd solus Deus facit, vt faciamus, per consequentiam pessimam, intulit, non esse in nostra potestate motioni Dei vel obtemperare, vel refragari, vt disp. 22. num. 30. & disp. 92. num. 13. dictum est.

Ad confirmationem respondetur, per ea, quæ ad 4 argumentum dicta sunt.

DISPVTATIO CI.

Vtrùm hæc causalis sit vera, Quia homo non adiuuatur à Deo, ideo non conuertitur.

POstquam in præcedentibus ostensum est, collationem auxilij efficacis esse causam, & causam adæquatam, quòd homo conuertatur, consequenter explicare oportet: Vtrùm negatio eiusdem auxilij efficacis sit causa, quòd non conuertatur.

In hac parte est nobis duplex concertatio ineunda, altera cum hæreticis, altera cum Catholicis. Inter hæreticos namque antiquos, Simon Magus, Marcion, Manichæi, Lutherus, & alij citati disput. 3. dixerunt Deum verè esse causam peccati, atque eius prouidentia homines peccare, & cadere. Probatur hæc sententia

Primò: nam locis Scripturæ significatur, negationem efficacis auxilij, qua homo conuertitur, causam esse, quòd peccet, obduretur, vel in peccatis persistat: dicitur enim Exodi 7. *Ego indurabo cor Pharaonis, & non audiet vos*: & Isai. 6. *Excaca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claudè, ne fortè videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & conuertatur, & sanem eum.* quibus verbis significatur obdurationem & excæcationem causam esse, ad quam infallibiliter sequitur, quòd homo non audiat, non intelligat, non conuertatur, sed in peccato persistat, obduratio autem, & excæcatio, vt sanctus Augustinus & S. Thom. docent, important negationem, seu subtractionem auxilij efficacis, quo emollitur cor, & ad Deum cõuertitur: ergo talis negatio auxilij causa est, quòd homo non conuertatur. Item etiam Ioan. 10. dicitur: *Vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis*; quibus verbis significatur, ideo illos non credere, quia prædestinati non erant, nec Deus illis dedit auxilium, quo crederent.

Confirmatur hoc auctoritate sancti August. lib. de prædest. Sanct. cap. 6. dicentis: *Multi audiunt verbum veritatis, sed alij credunt, alij non credunt. Volunt ergo isti credere, nolunt autem illi. Quis hoc ignoret? quis hoc neget? Sed cùm aliis præparetur, aliis non præparetur voluntas à Domino, discernendum est vtique, quid veniat de misericordia eius, quid de iudicio.* Ex quibus verbis colligi videtur, quòd illi infideles, quibus sufficienter propositum est Euangelium, ideo nolunt credere, quia eorum voluntas non est à Domino præparata.

Secundò. Vrget argumentum suprà factum: nam, si affirmatio est causa affirmationis, negatio est causa negationis, vt 1. Post. cap. 3. docet Arist. Cùm ergo collatio auxilij efficacis sit causa, quòd homo conuertatur, vt suprà dictum est, relinquitur, quòd negatio eiusdem auxilij causa sit, quòd homo non conuertatur, & ita hæc causalis erit vera: Quia homo nõ adiuuatur à Deo, ideo non cõuertitur. disput. 99. num. 2.

Tertiò, Causa, est ad quã sequitur effectũ, sed posita

negatione auxilij efficacis, ſtatim ſequitur neceſſatiò neceſſitate conſequentiæ: quòd homo non conuertatur, cùm hæc duo non poſſint ſimul eſſe vera, quòd ſcilicet Petrus, verbi gratia, non habeat auxilium efficax ad conuerſionem, & nihilominus conuertatur: ergo negatio auxilij efficacis, ſeu gratiæ adiuuantis cauſa eſt, quòd homo non conuertatur: ergo eadem negatio cauſa erit, quòd homo peccet.

Quartò, Deus certò, & infallibiliter cognoſcit peccata futura non ſolùm in reali exiſtentia eorum in æternitate, ſed etiam in decreto efficaci ſuæ voluntatis, quo ſtatuit præmouere voluntatẽ creatã ad actum peccati, inquantum actus eſt, & permittere malitiam peccati, non tribuendo auxilium efficax ad illud vitandum: ergo ex tali permiſſione, & negatione auxilij infallibiliter ſequitur, quòd homo peccet, vel non conuertatur: ergo negatio eiuſdem auxilij cauſa eſt, quòd homo peccet.

Quintò: Qui remouet prohibens, cauſa eſt, quòd lapis ſuo pondere cadat deorſum, ſed Deus, ſubtrahendo auxilium efficax, remouet prohibens peccatum: nam, vt dicit S. Thom. 1. 2. q. 79. ar. 1. in corp. *Si Deus daret auxilium efficax ad vitandum peccatum, homo non peccaret*, cùm ergo, remoto huiuſmodi auxilio, homo ſuo pondere in peccatum cadat, ſecundùm illud, quod dicit Greg. *Peccatum, quòd per pœnitentiam non deletur, mox ſuo pondere ad aliud trahit*, relinquitur, ſubtractionem auxilij efficacis cauſam eſſe, quod homo non conuertatur, ſed in peccato perſiſtat, aut cadat.

Vt autem cũ Catholicis agamus, & diuerſa eorum placita intelligantur, & quid de aliquibus modis loquendi, quibus vtuntur, ſentiendum ſit, explicemus, aduertere oportet, quòd negatio conuerſionis ad Deum dupliciter poteſt conſiderari. Primo modo, vt eſt ſimplex, & pura negatio entis, ita vt illa carentia, vel abſentia conuerſionis conſideretur, non vt priuatio actus debiti ineſſe. Secundo modo conſiderari poteſt, vt eſt priuatio conuerſionis, vel alterius actionis debitæ ineſſe hìc, & nunc quæ tamen non ineſt propter defectum liberi arbitrij. Eſt ergo prima quorundam Theologorum ſententia aſſerentium, nulla ratione concedendum eſſe, quòd negatio auxilij efficacis cauſa ſit non conuerſionis in Deum, etiamſi conſideretur, quatenus eſt pura negatio entis, & non quatenus eſt priuatio actus debiti ineſſe. Et hanc ſententiam adeò certam exiſtimant, vt cenſeant, oppoſitam defendi non poſſe: quod ſequentibus rationibus perſuadere conantur.

Negatio conuerſionis in Deũ dupliciter accipitur. Prima ſententia.

Sextum igitur argumentum ſit: nam Oſeæ 13. dicitur, *Perditio tua ex te Iſraël, tantummodo in me auxilium tuum.* Vbi Oſeas non conuerſionem, ſeu perditionem in Iſraël refert, tanquam in cauſam, non autem in negationem auxilij. Si enim efficacis auxilij negatio eſſet adæquata cauſa nõ conuerſionis, perditio hominis in Dei potiùs voluntatem, nolentem illa auxilia præbere, quàm in humanam voluntatem reiicienda eſſet, & rectiùs dici poſſet, *perditio tua ex me Iſrael*, quàm *perditio tua ex te*.

Confirmatur ex illo Eccl. 15. dicentis: *Ne dixeris, per Deum abeſt*, ſtaret autem per Deum: ne homo conuerteretur ſi quidem per Deum ſtaret, ne daretur auxilium efficax, cuius negatio cauſa eſt non conuerſionis in Deum: ergo.

Septimò: nam contraria ſententia contradicit SS. Patribus, præſertim Hilario, in Pſal. 118. in illa verba, *Inclina cor meum Deus in teſtimonia tua*, vbi impiæ voluntatis eſſe dicit, exiſtimare, propterea ſe ea, quæ ſunt credentium, propria non conſequi, quòd ſibi à Deo indulta non fuerint; & hanc nominat impiam excuſationem. Contradicit etiam Aug. li. 2. de peccat. merit. & remiſſ. c. 17. præſertim ibi: *Scio ad correptionẽ meam pertinere, quòd minus abs te adiuuor.* Et poſt aliqua: *Nullius proinde culpæ humanæ in Deũ referas cauſam.* Et lib. 4. confeſ. c. 11. maximè in illis verbis: *Non deſeritur amor, ſi ipſe non deſerat*: Contradicit Fulgentio lib. 1. ad Monim. ca. 20. ex Auguſt. potiſſimum eo loco: *Vt non adiuuentur à Deo, in ipſis cauſa eſt, non in Deo.* Contradicit Proſpero 2. de voc. Gen. c. 29. præcipuè in verbis illis: *Secundum eas menſuras quibus Deus donat, generalia ſpecialibus nouit cumulare muneribus, vt & qui exſortes gratiæ fuerint, de ſua nequitia redarguantur, & qui eius lumine emicuerint, non in ſuo merito, ſed in Domino gloientur*: Et c. 26. hæc dicit: *De ſua habens mutabilitate, ſi deficit, de gratiæ opitulatione, ſi proficit: qua opitulatio per innumeros modos ſiue occultos, ſiue manifeſtos, omnibus adhibetur: & quod à multis refutatur, ipſorum eſt nequitiæ: quod autem à multis ſuſcipitur, & gratia eſt diuina, & voluntatis humanæ.* Si dicatur, Deum eſſe cauſam non conuerſionis, quatenus eſt ſimplex negatio: non autem, vt eſt priuatio, contrà arguitur.

III. Octauò, vt fatentur auctores oppoſitæ ſententiæ, hoc modo dicitur Deus cor peccatoris excæcare, & indurare, negando videlicet auxilium efficax ad conuerſionem: ex qua negatione ſtatim ſequitur, neceſſitate conſequentiæ, quòd non conuertatur: ergo in eorum ſententia, Deus erit cauſa excæcationis, & indurationis, quæ duo nemini dubium eſt non ad ſimplicem negationem, ſed ad priuationem auxilij referenda eſſe, & ex conſequenti fateri tenentur, Deum cauſam eſſe non conuerſionis, vt priuatio eſt, & peccatum.

Confirmatur: Contradictionem inuoluit, aliquem eſſe cauſam negationis formæ in ſubiecto, quòd illius ſuapte natura capax eſt: & tamen non ſit cauſa priuationis eiuſdem formæ; ſiquidem nemo poteſt eſſe cauſa negationis lucis in aëre, quin idem ſit cauſa priuationis eiuſdem, & tenebrarum: vel cauſa negationis viſus in animali, quin ſit cauſa excæcationis: nam priuatio, vt perſpicuum eſt, ſupra negationem addit tantummodo aptitudinem, ſeu debitum in ſubiecto percipiendi formam, qua qui priuat ſubiectum, eam formam ſuapte natura exigens, is proculdubio dicitur cauſa priuationis illius. Cùm ergo, iuxta ſententiam oppoſitam, Deus ſit cauſa negationis conuerſionis in homine, qui debet illam habere, ſequitur illum eſſe cauſam priuationis eiuſdem conuerſionis, liquidem negatio conuerſionis, quæ ineſſe debet, priuatio eſt.

Nonò arguitur. Oppoſita ſententia fauet maximè doctrinæ, quam hoc potiſſimùm tempore amplectuntur hæretici, & fundamento, ex quo deduxerunt, omnes culpabiles omiſſiones eſſe Deo adſcribendas: ergo non eſt aſſerendum, negationem auxilij efficacis eſſe cauſam, quòd homo non conuertatur, etiam ſi non conuerſio conſideretur, vt negatio conuerſionis.

IV. Secunda ſententia eſt aliquorum Thomiſtarum, qui dicunt, nihil verendum eſſe concedere, quòd, ſicut diuinum auxilium eſt cauſa efficax gratiæ, & conuerſionis in Deum, ita negatio auxilij efficacis cauſa eſt non conuerſionis in Deum, quatenus eſt pura negatio entis: imò hoc modo dicitur Deus excæcare, & indurare, negando illud auxilium efficax; ex qua negatione ſtatim ſequitur neceſſitate conſequentiæ, quòd aliquis non conuertatur. Quæ verba non ſic accipienda ſunt, vt illa particula *ſicut*, dicat omnimodam ſimilitudinem, ac ſi diceretur, Deum æquè non conuerſionis, ac conuerſionis auctorem eſſe. Hic enim ſenſus non intenditur ab auctore, nec per illam propoſitionem ſignificatur, vt quibuſdam Theologis viſum eſt. Nec potuit

Bañes 1. p. q. 23. ar. 5. dub. vlt. ad 6.

Digitized by Google

viro Catholico in principiis Theologicis mediocriter inſtructo, ſimilis propoſitio exciderc, cum in Conc. Trident. anathematizetur, qui dixerit; mala opera, ita vt bona, Deum operari. Sed totùm ſignificatur, negationem auxilij efficacis eſſe cauſam non conuertionis, ſi conſideretur præcisè, vt eſt ſimplex negatio actus, non quidem ſecundum cauſam eſſendi, ſed ſecundum cauſam conſequentiæ; ſequitur enim: ſi Petrus non habet auxilium efficax, quòd non conuertatur: & in hoc ſenſu vera eſt hæc ſententia, & a nobis defendenda.

Deus etiã indirectè non eſt cauſa quòd homo peccet.

PRima ergo concluſio ſit aduersùs omnes hæreticos ſuperius allegatos. Deus non ſolum directè, ſed neque etiam indirectè eſt, aut eſſe poteſt cauſa, quòd homo peccet. Concluſio eſt de fide, quam 1.2. quæſt. 79 art. 1. ſtatuit ſanctus Thomas, & quæſtio. 3. de malo, artic. 1 eam probant multis locis Scripturæ, auctoritatibus ſanctorum Patrum, ac rationibus Theologicis, Medina eadem quæſt. 79. artic. 2. & alij Doctores, qui contra hæreticos ſcripſerunt.

Theſaurus Catholicus tom. 2. lib. 2. de peccato hom. art. 1.

Et probatur præſertim ex illo Eccl 38 *Opera Dominj vniuerſa bona valde.* Et Oſeæ 13. *Perditio tua ex te Iſrael.* Et ad Rom. 9. *Numquid iniquitas apud eum?* Et 1. Ioan. 3. *Apparuit*, ſcilicet Deus, *vt peccata noſtra tolleret, & peccatum in eo non eſt*: ergo non facit, quòd homo peccet.

Secundò probatur argumentis factis pro ſecunda ſententia, ex decretis Conciliorum, & aliis Scripturæ teſtimonijs, quæ efficacitèr etiam probant illam concluſionem ergo, &c.

S. Dionyſ. Tertiò probatur auctoritate ſanctorum Patrum: nam inter Græcos S. Dionyſius Areopagita cap. 4. de diuinis nominibus ait: *Itaque non eſt in Deo malum, & malum diuinum non eſt, ſed nec eſt ex Deo malum.* Et infrà: *Non igitur ex Deo malum eſt, nec in Deo, nec eſt ſimpliciter, neque ſecundum tempus.* Clemens Alexandr. lib. 1. Pædag. cap. 8 ait: *In Deum autem culpa conferri nequit* & idem repetit lib. 5. Baſilius Magnus in quadam homilia, vbi ex profeſſo probat, quòd Deus non ſit auctor malorum. Et Damaſc. Dialog. aduerſ. Manichæos, eandem veritatem confirmat. Inter Latinos autem idem docent Clemens Romanus lib. 10. Recogn. vbi ait: *Deus non facit malum, ſed qui ab eo creati ſunt, dum ſe iudicandos eſſe non credunt, indulgentes voluptatibus ſuis, à pietate, & iuſtitia deuoluti ſunt.* S. Auguſtin. lib. 2. de pecc. merit. & remiſſ. cap. 17. dicit: *Nullius culpæ humanæ in Deum referat cauſam.* Et cap. 18. *Malam voluntatem ad auctorem Deum eſſe referendam nefas eſt dicere.* S. Proſper in reſponſ. ad capita Gallorum cap. 14 ait: *Bonorum Deus auctor eſt, non malorum.* Fulgent. lib. 1. ad Monimum, cap. 19. *Mala*, inquit, *voluntas non pertinet ad optimum creatorem.* Et capit. 21. *Et ſicut competit Deo bono, vt cauſa ſit totius operis boni; ſic incongruum eſt, vt imputetur ei cauſa cuiuſlibet operis mali.* S. Gregor. Magn. lib. 29. Moral. cap. 21. ait: *Dominus auctor eſt naturæ non culpæ.* Et hom. 9. in Ezechielem: *Mala noſtra ſolummodo noſtra ſunt: bona autem noſtra & Omnipotentis Dei ſum & noſtra.* Et denique Philo Iudæus lib. de confuſ. linguarum, hanc veritatem agnouit, & his verbis explicuit: *Superèſt illud conſiderandum, Deum bonorum tantummodo cauſam eſſe: mali autem prorſus nullius. Quandoquidem ipſe bonum omnium antiquiſſimum eſt, & perfectiſſimum. Decet autem ſuæ naturæ propria operari, optimum optima; improborum autem pœnas per eius miniſtros ſanciri.*

S. Clem. Alex. Baſil. Mag. Damaſc. Clem. Ró. Auguſt. Proſper. Fulgent. S. Greg. Philo Iud.

Quartò probatur ratione S. Tho. nã omne peccatũ eſt per receſſum ab ordine, qui eſt in Deum, ſicut in finem; ſed Deus non poteſt eſſe cauſa, quòd aliquis recedat ab huiuſmodi ordine, cùm omnia inclinet, & conuertat ſe in ipſum, ſicut in vltimum finem, vt Dionyſ. c. 1. de diuin. nomin. ergò impoſſibile eſt, Deũ eſſe directè cauſa, quòd aliquis peccet.

Quintò probatur: quòd etiam indirectè non poſſit eſſe cauſa peccati, quia tunc eſt aliquis indirectè cauſa peccati alterius, cùm poteſt, & tenetur illum a peccato retrahere & non facit, ſicut nauta eſt indirectè cauſa ſubmerſionis nauis, cùm poteſt, & tenetur eam gubernare, & non facit: ſed Deus, quatenus poſſit omnes a peccato retrahere, conferendo illis auxilium efficax ad vitandum peccatum: quod ſi præberet, non peccarent; tamen non tenetur huiuſmodi auxilium conferre, aut eos à peccato retrahere, quia, ſecundum ordinem rectum ſuæ diuinæ prouidentiæ, quibuſdam confert huiuſmodi auxilium, quibuſdam non item, eò quòd à ad perfectionem eiuſdem prouidentiæ pertinet permittere, quòd cauſæ defectibiles aliquando deficiant, vt patet 1. p. q. 22 art. 4 ad 3. ergo.

Secunda concluſio. Si conſideretur non conuertio, vt præcisè eſt negatio conuertionis concedendum eſt, negationẽ auxilij efficacis eſſe cauſam non conuertionis, non quidem influens etiam indirectè, ſed tantùm illatiuè, quia bene ſequitur. Si Deus nõ dat Petro auxilium efficax ad operandum, ille non operabitur. Hanc concluſionem docet Bañes 1 p. & Medina 1.2. quæſt. 79 artic. 1. ad 1. vbi ait: *Dicitur Deus excæcare, quia ſubtrahit diuinum lumen, quo ſublato nihil poterit, niſi caligo. Dicitur indurare, quia ſubtrahit adiutorium diuinæ gratiæ, quo poſito, corda noſtra cum lapidibus obdureſcunt.* Et idem ſentiunt communiter Thomiſtæ, imò & plures ſancti Doctores antiqui, quorum teſtimonia inferius adducam. Probant efficacitèr eandem concl. plura argumenta ex factis à principio. Probatur primò auctoritate S. Thomæ, qui hanc ſententiam apertè docere videtur 1. 2. q. 79. artic. 1. in fine corporis, vbi ait, *quòd Deus aliquibus non præbet auxilium ad vitandum peccatum, quod ſi præberet, non peccarent.* Sentit ergo Deum, ſubtrahendo auxilium, eſſe cauſam non impedientem peccatum, ac ſubinde eſſe cauſam non conuerſionis, vt eſt mera negatio, modo ſuperiùs explicato. Et expreſſius q. 79. eiuſdem partis artic. 1. in corpore, idipſum docet; nam inquirens: Vtrùm peccatum habeat cauſam, ait, *quòd negationis alicuius poteſt duplex cauſa aſſignari. Prima eſt defectus cauſæ affirmationis: ad remotionem enim cauſæ ſequitur remotio effectus, ſicut obſcuritatis cauſa eſt abſentia Solis. Secunda eſt cauſa illa affirmationis: ad quam ſequitur negatio: illa enim eſt cauſa per accidens negationis conſequentis; ſicut ignis, cauſando calorem ex principali intentione, conſequenter cauſat privationem frigiditatis.* Et ſtatim ſubdit, *quòd primum, ſcilicet defectus cauſæ affirmationis poteſt ſufficere ad ſimplicem negationem, non autem ad inordinationem peccati, quia non eſt ſimplex negatio, ſed priuatio eius, quòd aliquid natum eſt, & debet habere.* Ex quibus verbis deſumitur efficax argumentum. Secundùm ſanct. Thom. ad ſimplicem negationem conuerſionis ſufficit defectus, ſeu abſentia cauſæ affirmationis eiuſdem conuerſionis, ſed collatio auxilij efficacis eſt cauſa affirmationis conuerſionis: nam per illud auxilium Deus efficit, vt homo conuertatur: ergo negatio eiuſdem auxilij eſt cauſa negationis conuerſionis vt eſt ſimplex negatio. Confirmatur. Ad remotionem cauſæ ſequitur remotio effectus, vt dicit S. Th. ſed collatio auxilij efficacis eſt cauſa conuerſionis: ergo remotio eiuſdem auxilij erit cauſa, quòd remoueatur effectus, & ſit non conuerſio, ſi conſideretur, vt eſt ſimplex negatio conuerſionis.

V I.

Negatio auxilij efficacis eſt cauſa non conuerſionis, vt eſt pura negatio.

Bañes 1. p. citata.

Secundò probatur auctoritate ſancti Iſidori lib. 2. de ſummo bono, cap. 5. vbi ait: *Obcæcare quoſdam Deus dicitur, non vt in eis eandem ipſe cæcitatem faciat,*

S. Iſidorus.

Digitized by Google

Beda. *ſed quòd pro eorum inutilibus meritis, cæcitatem ab eis ipſe non auferat.* Et Beda ad cap. Marci 3. ait. *Qui poteſt animam ſaluam facere, an perdere, hoc eſt, hominem curare, an non? Idem eſt quod præmiſerat, bene, an male facere: non quod Deus ſummè bonus auctor mali nobis, aut perditionis eſſe poſſit, ſed quod eius non ſaluare, ſcripturæ conſuetudine perdere dicatur, ſicut dicitur induraſſe cor Pharaonis, non quòd molle indurauerit, ſed quòd, meritis præcedentibus obdu-ratum, miſericorditer emollire noluerit.*

VII. Tertiò probatur deſtruendo potiſſimum fundamentum contrariæ ſententiæ: ex eo enim probat, Deum, negando auxilium efficax, non eſſe cauſam non cõuerſionis, vt negatio eſt: nam alias eſſet cauſa non conuerſionis, vt priuatio, & peccatum eſt: cò quòd huiuſmodi negatio in tali ſubiecto, cui debet ineſſe conuerſio, eſt priuatio: ſed hæc ratio nihil concludit: ergo. Minor probatur: nam Deus eſt cauſa permittens peccatum, & perſeuerantiam in illo, quia, vt dicit Aug. in Enchirid. ad Laurent. cap. 95. *Nõ fit aliquid, niſi Omnipotens fieri velit, vel ſinendo, vt fiat, vel ipſe faciendo*: ergo ſimiliter poterit eſſe cauſa non conuerſionis, vt eſt negatio eo modo, quo negationes poſſunt habere cauſam, abſque eo, quòd ſit cauſa peccati, vel non conuerſionis, vt eſt priuatio conuerſionis debitæ ineſſe.

Confirmatur: nam, vt diſp. 24. oſtenſum eſt, Deus eſt primus auctor actus peccati, inquantum actus, & ens eſt, & tamẽ nõ eſt cauſa peccati, hoc poſita permiſſione diuina, infallibiliter peccet homo: quia malitia moralis non ſequitur ad actum peccati, niſi vt procedit à creata voluntate deficiente: ergo ſimiliter poterit Deus, ſubtrahendo auxilium efficax eſſe cauſa non conuerſionis, vt negatio eſt, abſque eo quòd ſit cauſa non conuerſionis, vt eſt priuatio conuerſionis debitæ ineſſe, ſeu peccati. Probatur conſequentia: nam illa priuatio conuerſionis non ſequitur ad ſubtractionem auxilij; ſed ad voluntatem creatam, quatenus abſque regula rationis tendit per ſe in aliquod bonum commutabile, ad quod per accidens, ſiue præter intentionem operantis ſequitur priuatio conuerſionis, aut bonitatis debitæ ineſſe, vt 1.2. q. 75. ar. 1. in corp. docet S. Thom.

VIII. Tertia concluſio. Non conuerſionis, vt eſt priuatio, cauſa eſt ſola hominis mala voluntas. Itaque cauſa propria, quare homo non conuertitur, eſt, quia non vult. Pro intelligentia huius concluſionis notandum eſt, quòd, vt docet S. Th. negationes, aut priuationes nõ habent cauſam per ſe, ſed per accidens, quia priuatio, vel negatio non eſt intenta ab aliquo agente, ſed conſequitur præter eius intentionem ad appetitum alterius boni particularis, ad quod ſequitur priuatio alterius boni. Vnde voluntas creata carens directione regulæ rationis, & legis diuinæ, intendens aliquod bonum commutabile, cauſat actum quidem peccati per ſe, ſed inordinationem actus per accidens, & præter intentionem; prouenit enim defectus ordinis in actu ex defectu directionis in voluntate. Hanc concluſionẽ ſic explicatam probant efficaciter argumenta facta pro prima Catholicorum ſententia.

Cauſa quod homo non conuertatur, eſt ſola eius mala voluntas. S. Th. 1.2. q. 75. art. 1. in corp. 2.2. q. 109. art. 1. in corp. & q. 49. art. 1 in corp.

S. Auguſt. Præterea probatur ex Aug. lib. 12. de Ciuit. Dei, cap. 6. vbi ait: *Quid ergo dicit, cum, qui conſenſit tentanti, atque ſuadenti, cui non conſenſit alius ad illicitè utendum pulchro corpore, quod videndum ambobus pariter adſuit eius ante illam viſionem, ac tentationem, ſimilis ambo animo, & corpore fuerint: ipſum ſibi feciſſe voluntatem malam, qui vtique bonus ante voluntatem malam fuerit, quærat, cur eam fecerit, virum, quia natura eſt, an quia ex nihilo facta eſt: & inuenies, voluntatem malam non ex eo eſſe incipere, quia natura eſt, ſed ex eo, quòd de nihilo natura facta eſt. Nam ſi natura cauſa eſt voluntatis malæ, quid aliud coguntur dicere, niſi à bono fieri malum, & bonum eſſe cauſam mali? ſi quidem à natura bona ſit voluntas mala. Quod vnde fieri poteſt, vt natura bona, quamuis mutabilis, antequam habeat voluntatem malam, facias aliquid mali, hoc eſt, ipſam voluntatem malam?* Et cap. 7. hic concludit: *Verumergo ex me ſcire quærat, quod me ſcire ſcio, niſi forte, vt neſcire diſcas, quod ſciri non poſſe ſciendum eſt.* Et infra: *Hoc ſcio, naturam Dei nunquam, nuſquam, nulla ex parte poſſe deficere; & ea poſſe deficere, quæ ex nihilo facta ſunt. Quæ tamen quanto magis ſunt, & bona ſunt: tunc enim aliquid faciunt, cum cauſas habent efficientes; inquantum autem deficiunt, & ex his mala faciunt (quia enim tunc faciunt, niſi vana?) cauſas habent deficientes.* Et idem confirmat capite octauo. Quam quidem S. Auguſt. doctrinam ſtylo ſcholaſtico diſponit, & probat S. Tho. 2. ſent. diſt. 38. quæſt. 2. artic. 1. ad 2. ait enim, *quòd voluntas creata eſt poſſibilis ad defectum ex hoc, quod ex nihilo eſt*; & diſt. 34. quæſt. 1. art. 3. ſed præſertim in fine corp. art. vbi ait: *Sic ergo patet quod eo modo, quo malum cauſam habere poteſt, bonum efficiens cauſa mali eſt, ſcilicet per accidens: non autem id, quod eſt perfectum, & ſummum bonum: quod patet per ſimilitudinem in agentibus naturalibus, in quibus inuenitur aliquod agens vniuerſale, & aliquod agens particulare. Agens particulare, quod habet actionem determinatam ad vnam formam, ſicut eſt cauſa formæ illius, ita eſt cauſa priuationis formæ alterius, vt patet in igne, vel aqua. Sol autem, cùm ſit cauſa agens vniuerſaliter, ad omnem formam inferiorem corporalem, non eſt cauſa priuationis formæ niſi per ſuam elongationem, vt dicitur in 2. de Generatione. Similiter etiam illud, quod eſt bonum particulare, cauſando aliquod bonum determinatum, excludit bonum alterum, quod non ſe cum illo compatitur; bonum autem completum, quod vniuerſaliter omnis boni cauſa eſt, non eſt cauſa defectus alicuius boni, neque etiam per ſuam abſentiam, quia ipſum, quantùm in ſe eſt, ſemper præſens eſt, viciſſitudinem non patiens abſentiæ, & præſentiæ.* Et in ſolut. ad 4. omnia ſupra dicta breui reſolutione complectens ſubdit, *quòd in voluntate creata inuenitur duplex defectus. Vnus, qui eſt potentialis cauſa mali; ſcilicet ex nihilo: ex hoc enim, quòd ex nihilo eſt, poteſt deficere peccando, ſecundum verſibilitatem electionis: non tamen iſte defectus eſt actualis cauſa mali, quia ſequeretur, quod voluntas ſemper deficeret: ſicut crus claudum ſemper claudicat. Alius autem eſt defectus actualis, ſecundum quòd actu deficit, & quidquid procedit ab ipſa, prout ſub iſto defectu ſtat, totum eſt malum: illius autem defectus, qui eſt in actu voluntatis, non oportet, quòd ſit cauſa aliquis alius defectus in voluntate præexiſtens actu; quia ſic in infinitum iretur: ſed ipſamet voluntas ſecundum ſe conſiderata, illius defectus cauſa eſt. Ille enim defectus in voluntate eſt, ſecundum quod voluntas ad aliquid, aliquo indebito modo, conuertitur. Eius autem, quod eſt conuerti ad bonum creatum indebito modo, voluntas dominium habet; quia ad vtrumlibet libera eſt: non enim eſt ſimile de voluntate, & agente naturali; agens enim naturale eſt determinatum ad vnum ex ſua natura, vnde non poteſt eſſe cauſa actionis inordinatæ, niſi per hoc, quòd aliquis defectus in ipſo agente eſt. Voluntas autem non eſt determinata ad vnum: ſed ſeipſam determinat, ſecundum quòd huic, vel illi adhæret, & in tali adhæſione primum malum voluntatis conſiſtit: vnde primi mali culpa, quod eſt in actu voluntatis reibona, ſcilicet voluntas cauſa eſt: ſed per accidens, vt dictum eſt: ſecundi autem mali, quod eſt in actu exteriori, ipſa voluntas ſecundum malum per interiorem actum cauſa eſt.* Omnia hæc verba ſancti Thomæ conſultò retuli, vt appareat, auctores ſecundę ſententiæ, quam defendimus, ipſa formalia S. Thom. verba vſurpaſſe.

Voluntas creata ideo defectibilis eſt, quia ex nihilo facta eſt.

Voluntas creata quo modo ſit cauſa mala.

Volũtatis, & agentis naturalis differentia.

Præte

IX. Præterea probatur auctoritate Concilij Valentini.cap.2.vbi ſic loquitur; *Fideliter tenemus, & placet tenere, Deum, malos præſciſſe, per propriam malitiam malos futuros.* Et infra: *Nec prorſus vllo malo præſcientiam Dei impoſuiſſe neceſſitatem; vt aliud eſſe non poſſit, ſed quod ille facturus erat ex propria voluntate, ille, ſicuti Deus, qui nouit omnia, antequam fiant, præſcit ex ſua omnipotentia, & incommutabili maieſtate. Nec ex præiudicio eius aliquem, ſed ex merito propriæ iniquitatis, credimus condemnari, nec ipſos malos ideo perire, quia boni eſſe non potuerunt, ſed quia boni eſſe noluerunt, ſuóque vitio in maſſa damnationis, vel merito originali, vel actuali etiam permanſerunt.* Idem confirmat Fulgentius lib.de Incarnatione, & Gratia, cap. 24. & latiùs lib. 1. ad Monimum circa finem vbi ad confirmationem eiuſdem doctrinæ plura adducit, & expendit S. Auguſtini teſtimonia. Denique probatur rationibus adductis pro prima concluſione, quæ hanc etiam efficaciter demonſtrant.

X. AD primum argumentum ex locis Scripturæ reſpondetur cum Chryſoſtomo,quòd tradere, & excæcare nihil aliud eſt,quàm permittere, vt homo ſeipſum tradat in reprobum ſenſum,& cæcus efficiatur.Alias duas explicationes adhibui ſuper cap. 6.Iſa. num. 48. & ſeqq. quas eo loco, qui voluerit videre poterit.Ad locum Ioan.cap. 10. reſpondetur, quòd illa vox, quia non importat veram cauſalitatem, ſed infallibilem concomitantiam illationis;ac ſi diceretur: Si non eſt prædeſtinatum à Deo, nec datum alicui, vt credat, non credet,quia nullus credidit vnquam, aut credet, niſi datum fuerit illi deſuper.

Ad confirmationem ex auctoritate Aug, reſpondetur,illum non aſſerere id, quod ex verbis eius infertur, nempe infideles ideo non credere, quia eorum voluntas non præparatur à Domino:& dato, id aſſeruiſſet, intelligendus eſſet, ſicut locus adductus Ioan.10.Solùm ergo colligi poteſt ex eius verbis, illorum,qui non credunt voluntatem à Domino non præparari, idque iuſto iudicio fieri. Propriè autem loquendo,ideo non credunt,quia credere nolunt,vt dictum eſt,qui tamen certiſſimè crederent,ſicis præpararetur voluntas à Domino.

Propoſitio illa:Si affirmatio eſt cauſa affirmationis, negatio eſt cauſa negationis, explicatur.

Ad ſecundum argumentum quidam reſpondent, illam propoſitionem Ariſt. Si affirmatio eſt cauſa affirmationis, negatio eſt cauſa negationis; eſſe intelligendam, quando eſt cauſa adæquata affirmationis, non habens conſortium alterius cauſæ, vt v.g. quia eſſe rationale eſt cauſa, quòd aliquid ſit riſibile; negatio rationalitatis erit cauſa, quòd aliquid non ſit riſibile.Collatio autem auxilij efficacis non eſt cauſa adæquata conuerſionis; quia non eſt ſola cauſa, cùm ad illam etiam concurrat liberum arbitrium, vt definitur in Concil. Trident. Vnde ex eo,quòd auxilij efficacis collatio ſit cauſa, quòd homo conuertatur, non ſequitur, quòd ſubtractio eiuſdem auxilij ſit cauſa, quòd non conuertatur: & ita ſolum in defectum creatæ voluntatis reducitur, quòd homo non conuertatur. Hæc tamen ſolutio videtur ſupponere vnum, quod nos non admittimus,videlicet,collationem auxilij efficacis non eſſe cauſam adæquatam, quòd homo conuertatur, ſed partialiter concurrere cum libero arbitrio; ſicut duo trahentes nauim concurrunt ad motum eiuſdem nauis: quæ ſententia iam à nobis impugnata eſt.Licèt enim auxilium efficax non ſit adæquata, & ſola cauſa actus conuerſionis, eſt tamen adæquata, & ſola cauſa faciens, vt homo conuertatur.

Aliter ergo reſpondetur, argumentum conuincere, negationem auxilij efficacis eſſe cauſam, quòd homo non conuertatur,ſecundùm quòd non cõuerſio eſt pura negatio. Nec ex hoc ſequitur, quòd ſit cauſa non conuerſionis,quatenus eſt priuatio;vt dictum eſt ſupra,& in ſolutione ad 8.argumentum patebit amplius.

XI. Ad tertium reſpondetur, quòd, ſicut inordinatio peccati non ſequitur intrinſecè ad actum peccati odij Dei,vt actus eſt,ſed ſolùm, vt procedit à creata voluntate deficiente, propter quod entitas illius actionis tribuitur Deo; inordinatio autem ſolùm voluntati creatæ deficienti, vt ſuprà dictum eſt; ita proportionabiliter ad negationem auxilij efficacis non ſequitur intrinſecè, quòd homo non conuertatur:ſi negatio conuerſionis accipiatur priuatiuè, vt ſignificat carentiam conuerſionis debitæ ineſſe: ſed hæc priuatio ſolùm ſequitur ex voluntate creata deficiente, quæ voluntariè non conuertitur quando poterat,& tenebatur ad Deum conuerti, ſed ſolum ſequitur ad negationem auxilij carentia conuerſionis,vt eſt ſimplex negatio.Vnde priuatio conuerſionis ſolùm tribuitur creatę volũtati deficiẽti.Sed inſtabit quis:Ad negationem conuerſionis hiè,& nũc, quando homo tenetur ad Deum conuerti, ſequitur neceſſariò eiuſdem conuerſionis priuatio, quia negatio formæ,quæ ineſſe debebat, priuatio eſt:ergo ſi ſubtractio auxilij eſt cauſa nõ conuerſionis,vt negatio eſt,erit etiã cauſa nõ cõuerſionis, vt eſt priuatio.

Ad negationem auxilij efficacis non ſequitur intrinſecè, quòd homo peccet.

Reſpondetur, illam priuationem conuerſionis non ſequi ad negationem conuerſionis, ſecundùm ſe; ſed ſolùm,vt eſt à voluntate deficiente, ſicut de inordinatione peccati dictum eſt:vnde argumentum nihil contra noſtram ſententiam includit.

Ad quartum reſpondetur, quòd, vt Deus certò cognoſcat peccata futura in decreto ſuæ voluntatis, nõ requiritur, quòd tale decretũ ſit cauſa,quòd homo peccet,vel nõ conuertatur,ſi accipiatur nõ conuerſio,vt priuatio eſt,& peccatum;ſed ſufficit, quòd idem decretum ſit cauſa actus peccati, inquantùm actus eſt;& permittat malitiã, quæ ex defectu creatæ voluntatis conſequitur.

XII. Remouens prohibens quando ſit cauſa dãni ſubſequuti. S. Tho. 1. 2. qu 79. ar. 1. in corp. & 1.p q.23. ar. 5.ad 3.

Ad quintum reſpondet abundè M. Bañes 1.p qũ. 23.ar.3.dub.2.in fine:& ſolutio conſiſtit in hoc,quòd quando remouens prohibens poterat, & tenebatur illud non remouere,ſi quod peccatum,vel damnum ſubſequatur, imputatur indirectè ei, qui remouet prohibens: Deus autem non tenetur non remouere auxilia; quę impediret futura peccata, ſi hominibus darentur; ſed, vt dicit S.Thom. ſecundùm ordinem ſuæ diuinæ prouidentiæ,quibuſdam hæc auxilia miſericorditer tribuit: quibuſdam autem iuſtè ea non tribuit, vnde ex eo quòd non dat auxilium efficax, non infertur,quòd ſit cauſa peccati etiam indirectè, aut non conuerſionis,vt priuatio eſt.

Ad ſextum argumentum factum pro priori Catholicorum ſententia, ex auctoritate Oſeæ. 13. reſpondetur,quòd perditio Iſrael non conſiſtit in negatione conuerſionis, vt negatio eſt, cùm negatio formaliter non ſit culpa,vel peccatum, ſed conſiſtit in deordinatione peccati; & priuatione rectitudinis conuerſionis, vel alterius actus debiti ineſſe; & quia huiuſmodi deordinatio, vel priuatio non in Deum, ſed in ſolam creatam voluntatem deficientem reducitur, ideo non poteſt recte dici: *Perditio ex me,ô Iſrael,*ſed *perditio tua ex te,ô Iſrael.* Ad aliud locum ex Eccleſ. 15. reſpondetur,quòd non ſtat per Deum ne homo conuertatur; ſed per ipſum hominem: nam Deus quantùm eſt ex parte ſua, paratus eſt omnibus gratiam dare: *vult* enim *omnes homines ſaluos fieri,& ad agnitionem veritatis venire,*vt dicitur prim.ad Timoth.ſecund.propter ſuam autẽ culpam, homo eidem gratiæ impedimentum præſtat. Vnde non Deo, ſed ſolùm homini imputatur, ſi aliquod damnum, vel peccatum incurrat, ex eo quòd non habeat auxilium efficax.Solutio eſt ſancti Tho-

Digitized by Google

mæ 3. cont. gent. cap. 159. qui locus, cum commentario Ferrariensis, est necessariò videndus.

Per hæc patet solutio ad 7. argumentum ex locis sanctorum Patrum, Hilarij, Augustini, Fulgentij, & Prosperi.

XIII. Ad octauum respondetur, quòd ex negatione auxilij, secundùm se, non sequitur necessariò necessitate consequentiæ priuatio conuersionis, sed solùm eius negatio: priuatio autem conuersionis, & deordinatio peccati procedit à creata voluntate deficiente, vt disputatione 18. numer. 21. & disputatione 24. ad 11. arg. dictum est.

Negatio formæ, & eius priuatio nõ semper eidem causæ tribuitur.

Ad confirmationem respondetur, quòd, licèt contradictionem inuoluat, negationem formæ in subiecto apto nato esse absque priuatione illius, non tamen est necessarium, quòd cuicunque tribuitur negatio illius formæ, eidem tribuatur eius priuatio: quia potest contingere, quòd aliquis, qui est causa negationis, non teneatur illam a subiecto remouere, inducendo formam, quæ negatur ab eodem subiecto; sicut in exemplo superiùs inducto de nauta subtrahente gubernationem a naui, quam gubernare non tenetur, euidentissimè constat. Priuatio ergo conuersionis est inseparabiliter coniuncta negationi eius, comparatione creatæ voluntatis, quæ poterat, & tenebatur non apponere impedimentum auxilio gratiæ: non tamen est coniuncta eidem priuationi respectu Dei, qui, quamuis posset, non tamen tenetur auxilium efficax ad conuersionem tribuere, nec alicui facit iniuriam, si *quibus vult subuenire subuenit, & quibus non vult subuenire, non subuenit*, vt lib. de dono perseu. cap. 11. & 12. docet August.

Ad nonum respondetur, hæreticos deceptos fuisse, dum per consequentiam fallacem intulerunt, Deo esse omnes culpabiles omissiones tribuendas, ex eo quòd non confert auxilium efficax, ad implẽda præcepta, quod si tribueret, non peccarent. Sed quàm inanis sit hæc deductio, iam ex suprà dictis constat.

DISPVTATIO CII.

Vtrùm hæc causalis sit vera: Quia homo excitatus à Deo, non vult vti gratia sufficienti, ideo non adiuuatur à Deo, nec conuertitur.

I. PRIMA ratio dubitandi sumi potest ex his, quæ superiùs dicta sunt: nam homo nõ potest rectè vti gratia sufficienti, nisi adiuuetur à Deo: etenim bonus vsus gratiæ sufficiẽtis, etiã vt emanat à libero arbitrio, est effectus gratiæ adiuuantis, vt disputat. 56. ostensum est ergo prius est, quòd homo adiuuetur à Deo, quam quòd bene vtatur gratia excitante, vel auxilio sufficienti ergo ista causalis erit falsa propositio: Homo non adiuuatur à Deo, nec conuertitur, quia non vult bene vti auxilio sufficienti.

Secundò. Liberum arbitrium, etiam à Deo motum, & excitatum non potest aliquid facere, quo gratiam adiuuantem, vel efficacem consequatur, alias faciẽti quod in se est auxilio sufficienti, & excitante daretur infallibiliter, & certa lege auxilium adiuuantis gratiæ, seu efficacis; quod est contra suprà dicta in disp. 58. ergo ratio propter quã nõ adiuuatur à Deo, aut non operatur piè, assignari non potest ex parte liberi arbitrij quia videlicet, non vult bene vti gratia excitante, vel sufficienti. Probatur consequẽtia: nam illud, quod non est in potestate hominis, non debet ei attribui, præsertim tanquam morali causæ.

Tertiò, Deus pro sua mera voluntate ante præuisa merita nostra, vel demerita, tribuit auxilium gratiæ adiuuantis, quibus vult; & quibus non vult, illud non tribuit, vt patet ex illo: *Gratias ago tibi Pater, Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis: ita Pater, quoniam sic placitum fuit ante te.* Matth. 11. Aliàs enim daretur causa prædestinationis, vel reprobationis ex parte nostra, quod est contra supra dicta: ergo prima ratio simpliciter, propter quam iste homo, vel ille non adiuuatur à Deo, desumenda est ex parte diuinæ voluntatis, & non ex parte liberi arbitrij, nolentis bene vti gratia excitante, vel sufficienti.

Confirmatur. Ratio, propter quam, non applicatur remedium paruulis, qui cum solo peccato originali decedunt, est; quia Deus non vult, vt patet in his, qui, antequam nascãtur ex vtero, moriuntur: dicit enim Augustinus: *Quando dicitur, omnes homines eam*, scilicet gratiam, *fuisse accepturos, si non illi, quibus non donatur, eam sua voluntate respuerunt, quoniam Deus vult omnes homines saluos fieri; cùm nullis non detur paruulis, & sine illa plerumque moriantur, qui non habent contrariam voluntatem: & aliquando cupientibus festinantibusque parentibus, ministris quoque volentibus, ac paratis, Deo nolente, non datur: cùm repentè, antequam detur, expiret pro quo, vt acciperet, currebatur. Vnde manifestum est, eos, qui huic resistunt tam perspicuæ veritati, non intelligere omnino, qua locutione sit dictum, quòd omnes homines vult Deus saluos fieri; cùm tam multi salui non fiant, non quia ipsi, sed quia Deus non vult, quòd sine vlla caligine manifestatur in paruulis.* Aug. epist. 107. circa medium. 1. Tim. 2. Et libro de dono perseuerantiæ, capite duodecimo: *Quid dicam, quòd paruulus aliquando antequam illi per ministerium baptizantis succurri possit, expirat? Plerunque enim festinantibus parentibus & paratis ministris, vt baptismus paruulo detur, Deo tamen nolente, non datur, qui eum paruulum in hac vita non tenuit, vt daretur.* Eandem doctrinam confirmat Prosper lib. 1. de vocat. gent. cap. 13. & 14. ergo vltimata ratio, propter quam aliqui homines non adiuuantur à Deo, nec conuertuntur, non est, quia ipsi nolunt, sed quia Deus non vult.

II. Quartò desumitur argumentum ex eodem August. lib. de prædest. Sanct. c. 6. dicente: *Multi audiunt verbum veritatis: sed alij credunt, alij contradicunt. Volunt ergo isti credere; nolunt autem illi. Quis hoc ignoret? quis hoc neget? Sed cùm aliis præparetur, aliis non præparetur voluntas à Domino, discernendum est vtique quid veniat de misericordia eius, quid de iudicio.* Quibus verbis docere apertè videtur, quod sicut alij credunt, quia voluntas eorum præparatur à Domino: ita alij non credunt, sed contradicunt, quia voluntas eorum à Deo non præparatur: hoc enim innuere videntur verba illa, *cum aliis præparetur, aliis non præparetur voluntas a Domino*, ergo ratio, propter quam homines non adiuuantur à Deo, nec conuertuntur, non est, quia ipsi nolunt, sed quia voluntas eorum non præparatur à Domino, vel quia Deus non vult.

In contrarium est, quod dicit Anselmus in lib. de casu diaboli, c. 3. *Ista est causa, quare Deus non concedit diabolo gratiam, quia ipse non voluit accipere, nec paratus fuit.* Quem locum expendens S. Thom. inquit, *quòd defectus gratiæ prima causa est ex nobis: sed collationis gratiæ prima causa est à Deo, secundùm illud Osea 13. Perditio tua ex te Israël, tantummodo in me auxilium tuum.* S. Thom. 1. 2. q. 112. ar. 3 ad 2.

III. HVius difficultatis resolutio facilis est ex iis, quæ in disputatione præcedenti dicta sunt.

Ad

Ad cuius euidentiã ſupponenda eſt illa diſtinctio in eadem diſp. tradita, & explicata; quòd ſcilicet carentia adiuuantis gratiæ, vel conuerſionis poteſt accipi dupliciter. Primò, vt eſt mera negatio quæ dicitur tam de eo, quod eſt, quam de eo, quod non eſt, & appellari ſolet à Theologis non conuerſio. Et in hac acceptione concedi poteſt illa cauſalis in argumentis factis inſinuata. Ideo aliqui homines non adiuuantur à Deo, nec conuertuntur, quia Deus non vult, vt ex dictis in præallegata diſp. conſtat. Secundò poteſt accipi, vt eſt priuatio gratiæ adiuuantis, & in hac acceptione dicendum eſt, hanc cauſalem veram eſſe: Quia homo non vult operari, aut bene vti gratia excitante, vel ſufficiente, ideo non adiuuatur a Deo: Quia homo ſeipſum impediuit, ne daretur illi gratia adiuuans, ideo non confertur. Probat hoc efficaciter locus Oſeæ inductus, & auctoritas S. Anſelmi, & S. Thomæ.

Quia homo non vult operari, ideo non adiuuatur à Deo.

Præterea probatur ex S. Aug. lib. 2. de pecc. merit. & remiſſ. c. 17. dicente, *quòd homines non adiuuantur à Deo, in ipſis itidem cauſa eſt, non in Deo.* & lib. de corrept. & grat. c. 5. & 6. quem refert S. Th. 2. 2. q. 2. art. 5. ad 1. ait, quòd *auxilium gratiæ quibuſcumque diuinitus datur, miſericorditer datur: quibus autem non datur, ex iuſtitia non datur, in pœnam præcedentis peccati, & ſaltem originalis.* Et lib. 2. de pecc. merit. & remiſſ. c. 8. inquit: *Quocirca, quòd à Deo nos auertimus, noſtrum eſt, & hæc eſt voluntas mala: quòd verò ad Deum nos conuertimus, niſi ipſo excitante, atque adiuuante, non poſſumus; & hæc eſt voluntas bona*: ergo ſecundùm S. Aug. hæc cauſalis eſt vera: Quia homo non vult piè operari, ſed in peccato perſiſtere, ideo non adiuuatur à Deo.

Secundò probatur ex S. Proſp. lib. 2. de vocat. gentium, c. 26. vbi ait, quòd voluntas hominis *ut ſua habet mutabilitatem, ſi deficit; de gratiæ opitulatione ſi proficit: quæ opitulatio per innumeros modos ſine occultos, ſine manifeſtos omnibus adhibetur, & quòd à multis refutatur, ipſorum eſt nequitiæ, quòd autem a multis ſuſcipitur, & gratiæ eſt diuinæ, & voluntatis humanæ.*

IV. Tertiò probatur ex S. Thom. 1. 2. & 2. 2. citat. vbi hanc ſententiam expreſsè docet. Et lib. 3. cont. gent. c. 159. ait, quòd *licèt aliquis per motum liberi arbitrij diuinam gratiam nec promereri, nec acquirere poſſit, poteſt tamen ſeipſum impedire, ne eam recipiat.* Et infrà: *Deus, quantum eſt in ſe, paratus eſt omnibus gratiam dare: vult enim omnes homines ſaluos fieri, & ad cognitionem veritatis venire, vt dicitur 1. ad Tim. 2. Sed illi ſoli gratia priuantur, qui in ſe ipſis gratiæ impedimentum præſtant, ſicut ſole mundum illuminante in culpam imputatur ei, qui oculos claudit, ſi ex hoc aliquod malum ſequatur: licèt videre non poſſit, niſi lumine ſolis præueniatur.* Ex quibus locis conſtat, ideo hominem à Deo non adiuuari, quia non vult operari, aut quia impedimentum præſtat gratiæ.

V. Quartò probatur ratione: nam homo per peccatum præcedens, ſaltem originale meruit, quòd deſeratur a Deo, & non adiuuetur per auxilium gratiæ: ergo quotieſcunque Deus, iuſto ſuo iudicio, non tribuit alicui auxilium gratiæ, vt conuertatur, culpa hominis eſt, quòd tale auxilium non recipiat, ſed omnis culpa eſt voluntaria; ergo idem homo non habet auxilium gratiæ adiuuantis, quia non vult illud habere, aut conuerti. Sed pro maiori explicatione notandum, quòd dupliciter poteſt quis gratiæ impedimentum præſtare: vno modo per peccatum præcedens, ſaltem originale: etenim cum huiuſmodi peccato non ſtat ſimul habitualis gratia, vel auxilium efficax, quo actualiter conuertitur, & Deum diligit ſuper omnia. Alio modo per impedimentum præſentis peccati, quod homo committit, dum excitatus à Deo illi reſiſtit, ſicut de quibuſdam habetur Iob 21. *Dixerunt Deo, recede à nobis, & ſcientiam viarum tuarum nolumus.* Et Iob 24. *Ipſi fuerunt rebelles lumini.* Et Act. 7. *Vos Spiritui ſancto ſemper reſtitiſtis.* Quando ergo liberum arbitrium à Deo excitatum reſiſtit vocationi diuinæ, & vult in peccatis perſiſtere, aut nouum peccatum committere, per illud impedit ſeipſum, ne efficax auxilium ad conuerſionem, quod cum eodem peccato eſt incompoſſibile, conferatur. Vtrùm autem ſufficiat peccatum originale, vt ratione illius, ſeu in pœnam eius, non conferatur homini de facto auxilium ſpeciale, etiam ſufficiens ad credendu, vel diligendum Deum ſuper omnia; inferiùs erit examinandum. Hoc tamen pro nunc eſt aduertendum, quòd qui ſemel deordinatus eſt per originale peccatum, vel actuale mortale, ſi diu ſibi relinquatur, in peccatum cadet, per quod nouum impedimentum præſtet gratiæ; quod ſanctus Thomas his verbis obſeruauit: *Quod autem dictum eſt, in poteſtate liberi arbitrij eſſe, ne impedimentum gratiæ præſtet, competit his, in quibus naturalis potentia integra fuerit. Si autem per inordinationem præcedentem declinauerit ad malum, non erit omnino in poteſtate eius nullum impedimentum gratiæ præſtare. Etſi enim ad aliquod momentum ab aliquo peccati actu particulari poſſit diſtinere propria poteſtate, ſi tamen diu ſibi relinquitur, in peccatum cadet, per quod gratiæ impedimentum præſtatur.* S. Thom. 3. cont. gent. c. 160.

Quintò probatur. Nam ſequeretur ex oppoſita ſententia, non eſſe imputandum homini, ſed Deo, quòd careat gratia adiuuante, vel non operetur, quod tamen Scripturis ſacris repugnat, præſertim verbis illis Eccleſ. 15. *Ne dicas, per Deum abeſt; quæ enim oderit, ne feceris.* Sequela probatur: nam ſi hæc cauſalis eſt falſa; Quia homo non vult operari, aut bene vti gratia excitante, ideo non adiuuatur à Deo: ergo quòd non adiuuetur a Deo, vel non operetur, non eſt ex ipſo homine, ſed ex Deo, ac per conſequens non erit homini tribuendum, quòd non adiuuetur, vel conuertatur, aut piè operetur, ſed ſoli Deo, qui in exequutione abſque aliqua culpa hominis, vel impedimento non tribuit homini gratiam adiuuantem, ad operandum neceſſariam, quia non vult. VI.

AD primum argumentum reſpondetur, hominem poſſe quidem, abſolutè loquendo, rectè vti gratia ſufficiente: nunquam tamen ea de facto vteretur, niſi adiuuetur à Deo: nam, vt ſuprà dictum eſt, auxilium gratiæ adiuuantis non eſt neceſſarium, vt cum gratia ſufficienti reuera poſſit quis piè operari, ſi velit; ſed vt de facto velit. Vnde quauis prius ſit in ſigno rationis, quòd homo iuuetur à Deo, quàm quòd bene vtatur gratia ſufficiente; non tamen eſt prius, quòd adiuuetur à Deo, quàm poſſe bene vti eadem gratia ſufficiente. Cùm ergo ante gratiam adiuuantem poſſit quis bene vti gratia ſufficiente, ſi velit, ideo rectè dicitur, illum propterea non bene vti eadem gratia, quia non vult; ac per conſequens rectè etiam dicitur ponere impedimentum gratiæ adiuuanti, quam Deus ex parte ſua paratus eſt omnibus conferre; vt ex præmiſſis conſtat, & ex his, quæ dicentur infrà. Quapropter illa cauſalis veriſſima eſt: Quia homo non vult bene vti auxilio ſufficienti, ideo non adiuuatur à Deo, nec conuertitur.

Ad ſecundum reſpondetur, quòd, licèt arbitrium noſtrum à Deo motum & excitatum non poſſit aliquid facere, quo gratiam adiuuantem, vel efficacem conſequatur, poteſt tamen, propria culpa ſeipſum impedire, & demereri, ne gratia adiuuans, ſeu efficax ſibi conferatur; ac per conſequens poteſt ex parte liberi arbitrij aſſignari cauſa, propter quam eadem gratia non confertur illi; quia videlicet impedimen- VII.

pedimentum posuit, vel gratia sufficiente rectè vti noluit.

Ad tertium respondetur, solùm concludere argumentum, carentiam gratiæ adiuuantis, vt est mera negatio, refundi in solam Dei voluntatem liberam; nihilominùs, vt habet rationem priuationis, & pœnæ, comparatione talis subiecti, non debet in Deum, sed solùm in malitiam, & defectum voluntatis creatæ reuocari. Neque ex hoc sequitur, dari causam prædestinationis, vel reprobationis ex parte nostra: nam licèt in executione Deus non tribuat hominibus gratiam adiuuantem, propter eorum præcedentem culpam saltem originalem: in intentione tamen ante omnia demerita præuisa habuit voluntatem absolutam non dãdi reprobis gloriam, & consequenter nec auxilia efficacia, per quæ re ipsa ad eandem gloriam peruenirent; & ideo non datur reprobationis causa ex parte nostra, vt disputatione 110. manifestum fiet.

Ad confirmationem respondetur, quòd voluntate antecedente, sicut Deus vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionẽ veritatis venire; ita omnibus vult media ad salutem, inter quæ lauacrum regenerationis computatur. Sed voluntate absoluta, & consequente quibusdam non vult eiusmodi remedium applicari, in pœnam præcedentis peccati, saltem originalis; vt in paruulis decedentibus sine baptismate: & iuxta hanc doctrinam accipienda sunt verba S. August. suprà inducta. Quæ autem sit voluntas Dei antecedens, quæ voluntas consequens, disp. 34. explicatum est.

VIII. Ad quartum respondetur, ex verbis Augustini non colligi, quosdam non credere, quia non eis præparatur voluntas à Domino, sed solùm, quòd voluntas eorum, qui non credunt, iusto iudicio non præparatur à Deo, quod verissimum est: si enim eis esset voluntas à Domino præparata, infallibiliter crederent, vt ex suprà dictis patet. Ex hac autem propositione absoluta non licet causalem inferre; scilicet, eos propterea non credere, quia eorum voluntas non præparatur à Domino. Hanc autem esse mentem S. Aug. colligitur ex eodem contextu, vbi non in Deum, non præparantem voluntatem; sed in malitiam eiusdem voluntatis refert eorum incredulitatem: nam post pauca subdit: *Ecce misericordia, & iudicium; misericordia in electione, quæ consequuta est misericordiam Dei: iudicium verò in cæteros, qui excæcati sunt: & tamen illi, quia voluerunt, crediderunt: illi, quia noluerunt, non crediderunt.* Vnde idem Aug. lib. de dono perseuerantiæ, c. 22. *Nec illud*, inquit, *quod sequitur, est omnino dicendum, id est, cæteri verò, qui in peccatorum delectatione remoramini, ideo nondum surrexistis, quia necdum vos adiutorium gratiæ miserantis erexit.* Et rationem huius aliis in locis assignat, quia nullius culpæ humanæ in Deum reiiciendæ est causa.

Sed contra hanc explicationem vrget quidam locus August. lib. 2. de peccat. merit. & remiss. c. 17. vbi propositam discutiens quæstionem, sic ait: *Cùm voluntate humana, gratia adiuuante diuina, sine peccato in hac vita possit homo esse: cur non sit, possem facillimè, ac veracissimè respondere, quia homines nolunt. Sed si ex me quæritur, quare nolint, imus in longum. Verumtamen etiam hoc, sine præiudicio diligentioris inquisitionis breuiter dicam. Nolunt homines facere, quod iustum est, siue quia latet, an iustum sit, siue quia non delectat. Tantò enim quidque vehementiùs volumus, quantò certiùs, quàm bonum sit nouimus: eóque delectamur ardentiùs, &c. Vt autem innotescat, quod latebat, & suaue fiat, quod non delectabat, gratia Dei est, quæ hominum adiuuat voluntates.* Quibus verbis apertissimè docet: ideo voluntatem humanam non abstinere à peccato, piè operando, quia non datur illi à Deo gratia adiuuans, per quam innotescat, quod latebat; & suaue fiat, quod non delectabat. IX.

Respondetur, quòd in verbis immediatè sequentibus seipsum explicat S. Doctor, cùm subdit: *Qua*, scilicet gratia, *vt non adiuuentur, in ipsis, itidem causa est, non in Deo; sine damnandi prædestinati sint propter iniquitatem superbiæ; siue contra ipsam suam superbiam iudicandi; & erudiendi, si filij sint misericordiæ.* Quibus verbis vltimatè in malitiam voluntatis humanę, tanquam in causam refert, quòd non adiuuetur à Deo, aut piè nõ operetur. Posset etiam explicari illa propositio causalis Augustini de carentia piæ operationis, vt est mera negatio, non autem, vt est priuatio actus debiti inesse, iuxta ea, quæ dicta sunt ad tertium. Nam, vt disputatione præcedenti dictum est, negatio efficacis gratiæ est causa non conuersionis, vt est mera negatio, non autem, vt est priuatio, vel moralis omissio conuersionis debitæ inesse: sub hac enim ratione in solam voluntatem deficientem reducitur, vt ibi explicatum est.

Quòd non adiuuantur homines à Deo, in ipsis causa est.

* * *

Finis Libri Noni.

DE AVXILIIS

DIVINÆ GRATIÆ, ET HVMANI ARBITRII VIRIBVS, ET LIBERTATE, AC LEGITIMA EIVS CVM EFFICACIA eorundem Auxiliorum concordia,

Liber Decimus,

IN QVO AGITVR DE AVXILIO GRATIÆ specialissimo, quod est proprium Prædestinatorum, scilicet de dono Perseuerantiæ.

VLTIMO loco disputandum est A de magno illo Perseuerantiæ dono, quo Prædestinati infallibiliter ad beatitudinem supernaturalem perueniunt, circa quod sex sunt examinanda.

I. Vtrùm sit necessarium donum perseuerantiæ, ad continuandam gratiam vsq; ad finem vitæ.

II. Vtrum donum Perseuerantiæ à dono confirmationis in gratia distinguatur.

III. Vtrùm donum Perseuerantiæ in ratione doni perseuerantiæ, atque efficacia illius dependeat ex libera cooperatione nostri arbitrij cum illo.

IV. Vtrùm in statu innocentiæ primi parentes indiguerint speciali dono perseuerantiæ ad perseuerandum in gratia vsque ad finem vitæ: B

V. Vtrùm donum perseuerantiæ sit omnibus fidelibus commune, an sit proprium donum Prædestinatorum.

VI. Vtrùm existentibus in duobus hominibus auxiliis gratiæ præuenientis omnino æqualibus, contingat, quòd vnus conuertatur, perseueret in gratia, & saluetur, alter verò in peccato permaneat, & damnetur.

DISPVTATIO CIII.

Vtrùm sit necessarium donum Perseuerantiæ ad continuandam gratiam vsque ad finem vitæ. C

I. PRO intelligentia tituli huius disputationis notandum, quòd triplex auxilium gratiæ solet à Theologis distingui. Primum est auxilium speciale, quo ad singulos actus pios Deus concurrit, & adiuuat liberum arbitrium. Secundum est auxilium magis speciale, quo semel iustificatus in bonis operibus longo tempore perseuerat, sed non vsque in finem vitæ. Tertium est auxilium specialissimum, & proprium Prædestinatorum, quo Deus misericorditer illis tribuit actu perseuerare vsque in finem, & communi vocabulo dicitur donum perseuerantiæ, de quo Christus Dominus ait: *Qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Difficultas ergo est: Vtrùm ad perseuerandum vsque in finem, sit necessarium simpliciter hoc tertium donum, siue auxilium gratiæ specialissimum.

Triplex auxilium gratiæ.

Matth. 10. & 24.

Pars negatiua probatur. Primò: Ad perseuerandum longo tempore sufficit gratia habitualis, & virtutes cum illo secundo auxilio speciali: ergo ad finiendam vitam in gratia sufficit idem auxilium, absque alio dono perseuerantiæ speciali. Patet consequentia: nam difficilius est in gratia perseuerare per viginti annos, etiàm postea homo cadat in peccatum mortale, quam conseruare gratiam habitualem per vnam horam, & in illa finire vitam: ergo si ad primum sufficit secundum illud auxilium speciale, absque speciali dono perseuerantiæ, sufficiet etiam ad secundum.

Confirmatur. Nam, moraliter loquendo, in vna hora non possunt se offerre tot impedimenta, & occasiones peccandi, vt homo præditus gratia habituali, & auxilio speciali, indigeat alio dono, & auxilio specialiori ad perseuerandum vsque in finem.

Secundò arguitur. Vt docet S. Thom. 1.2. q. 109. art. 10. donum perseuerantiæ est necessarium, vt homo protegatur contra tentationum impulsus: sed paruuli decedentes cum baptismate ante vsum rationis, nullos habent, nec habere possunt tentationum impulsus: ergo saltem in illis non est necessarium donum perseuerantiæ, vt gratia eorum habitualis continuetur vsque ad finem vitæ: ergo illud donum non est simpliciter necessarium.

Tertiò arguitur. Donum confirmationis in gratia non est necessarium ad finiendam vitam in gratia, neque ad consequendam vitam æternam: ergo nec donum perseuerantiæ. Antecedens est certissimum: multi enim saluantur, qui tamen in hac vita non fuerunt confirmati: huiusmodi namque priuilegium

legium solum fuit Beatissimæ Virgini concessum,& Apostolis, & aliquibus Sanctis eximiis. Consequentia verò probatur: nam donum confirmationis in gratia non distinguitur realiter à dono perseuerantiæ: nam, vt docet S. Thom. q. 24. de verit. art. 9. confirmatio in gratia importat quoddam donum, & auxilium diuinum specialissimum, quo speciali prouidentia tolluntur a iustis occasiones peccandi, & mouentur ad bonum: sed hoc idem confertur iustis per donum perseuerantiæ, vt docet S. Th. 1. 2. loco citat. & 3 cont. Gent. c. 155. ergo.

Confirmatur idem antecedens. Donum confirmationis in gratia est auxilium quoddam diuinum supernaturale collatum per modum actus, siue per modum motionis: sed non pertinet ad primum auxilium, neque ad secundum ex suprà positis: ergo pertinet ad tertium; sed similiter donum perseuerantiæ pertinet ad illud tertium: ergo non distinguuntur donum confirmationis in gratia, & perseuerantiæ: ergo si confirmatio in gratia non est necessaria ad consequutionem vitæ æternæ, nec erit necessarium donum perseuerantiæ.

II. Circa hanc difficultatem quidam asserunt, quòd ad continuandam gratiam vsque ad finem vitæ sufficit secundum illud auxilium speciale supra positum: dicunt enim, quòd idem illud auxilium continuatum vsque ad finem vitæ, sortitur rationem doni perseuerantiæ, de quo affirmant Concilia, esse necessarium ad vltimam salutem. Si autem non continuetur vsque ad finem vitæ, sed interrumpatur per peccatum mortale, non habet rationem doni perseuerantiæ: & ratio potissima illorum est: nam frustra multiplicatur tot auxilia sine necessitate. Communis sententia Thomistarum est, donum perseuerantiæ distingui realiter à secundo illo auxilio, atq; adeò esse necessarium ad finiendam vitam in gratia speciale aliud auxilium doni perseuerantiæ. Et quoniam hæc sententia est ad mentem S. Thomæ, pro eius explicatione sit

III. Donũ perseuerantiæ est præter gratiam habitualẽ, & virtutes infusas ad salutẽ æternã necessarium.

PRima conclusio. Secundùm fidem Catholicam asserendum est, præter gratiam habitualem, & virtutes infusas esse necessarium ad perseuerandum in bono vsque in finem auxilium speciale, supernaturale, scilicet, donum perseuerantiæ. In hac omnes Catholici conueniunt, & probatur auctoritatibus Scripturæ, quas adducit Med. 1. 2. q. 109. art. 10. dub. 1. & ex Conciliis, quæ adducentur pro 2. concluſ. Præterea probatur ex Aug. lib. de corrept. & grat. c. 12. vbi sic scribit: *Si in tanta infirmitate vitæ huius, in qua tamen infirmitate propter elationem reprimendam, perfici virtutem oportebat, ipsis relinqueretur voluntas sua, vt in adiutorio Dei sine quo perseuerare non possent, manerẽt, si vellent, nec Deus in eis operaretur, vt vellẽt, inter tot, & tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet; & ideo perseuerare non possent, quia deficientes infirmitate nec vellent.* Idem docet lib. de dono perseu. præsertim c. 20.

S. Th. 3. c6. Gent. c. 155. Secundò probatur ratione S. Thomæ. Illud, quod natura sua est variabile ad hoc, quòd figatur in vno, indiget auxilio alicuius mouentis immobilis, sed liberum arbitrium, etiam existentis in gratia habituali, adhuc manet variabile, & flexibile à bono in malum: ergo ad hoc, quòd figatur in bono, & perseueret in illo vsque in finem, indiget speciali Dei auxilio.

Secunda conclusio. Ad finiendam vitam in gratia, præter secundum auxilium speciale supra positum, est necessarium tertium illud auxilium, quod est donum perseuerantiæ. Itaque donum perseuerantiæ distinguitur ab illo secundo auxilio. Hæc conclusio non est ita certa, vt præcedens, est tamen S. Th. 1, 2. q. 109. art. 10. Et probatur ex Conc. Arausi. can. 10. vbi dicit: *Adiutorium Dei, etiam renatis, & Sanctis semper est implorandum, vt ad finem bonum, vel venire possint, vel in bono opere perdurare.* In quibus verbis videtur Concilium distinguere auxilium, quod datur ad finiendam vitam in gratia, ab eo, quod confertur ad perseuerandum longo tempore. Præterea probatur. Donum perseuerantiæ est proprium prædestinatorum, vt patet ex illo: *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit* secundum autem auxilium speciale supra positum datur multoties etiam reprobis: ergo distinguuntur illa duo auxilia.

Si dicatur, distingui tantum in ratione doni, vel quòd idem donum continuatum vsque in finem vitæ sortiatur rationem doni perseuerantiæ. Contra: nam ipsa continuatio gratiæ vsque ad finem vitæ, etiamsi per vnam horam duntaxat duret, habet specialem difficultatem propter quamplurima impedimenta, tam intrinseca, quam extrinseca, quæ tunc occurrunt: ergo indiget homo specialissimo auxilio doni perseuerantiæ. Confirmatur: nam propter huiusmodi difficultates speciali quadam ratione orabat Dauid, vt terminus vitæ esset bonus: dicitur enim in Psal. 120. *Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum.* Et Psal. 67. *Et Domini, Domini exitus mortis.*

Denique probatur. Secundum illud auxilium in sua ratione formali habet, quòd sit motio actualis, qua liberum arbitrium actualiter moueatur à Deo ad bene operandum: donum autem perseuerantiæ non includit essentialiter huiusmodi motionem, sed duntaxat continuationem gratiæ habitualis vsque ad finem vitæ, vt patet in paruulis decedẽtibus cum solo baptismate, quibus datur perseuerare vsque in finem absque aliqua actuali motione liberi arbitrij: ergo.

IV. Perseuerãtiæ donum nõ eosdem effectus habet in omnibus.

Ex his sequitur, donum perseuerantiæ non habere in omnibus æqualem effectum. Etenim in aliquibus iustis effectus doni perseuerantiæ est mortis acceleratio, iuxta illud Sap. 4. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius.* Et iterum: *Placita enim erat Deo anima illius, propter hoc properauit educere illum de medio iniquitatum.* In aliis autem donum perseuerantiæ habet pro effectu prolongationem vitæ; vt agant pœnitentiam: & includit plura auxilia actualia, quibus mouentur ad bonum, & ablationem tentationum, quibus succumberent. In aliis autem causat speciale robur, vt maximas superent tentationes, & alios similes effectus.

AD primum argumentum respondetur, quòd gratia, & virtutes tribuunt homini posse perseuerare vsque in finem, si velit; non tamen quòd actualiter velit; & perseueret: & idem dicendum proportionabiliter de illo secundo auxilio, quod tribuit homini actualiter bene operari; non tamen continuitatem in bono vsque in finem.

Ad confirmationem respondetur ex dictis, quòd terminus vitæ habet specialem difficultatem propter rationes suprà factas. Vnde, vt sit bonus, indiget homo speciali auxilio doni perseuerantiæ.

V. Perseuerãtiæ donum datur paruulis prædestinatis

Ad secundum respondetur, etiam paruulis decedentibus in gratia dari donum perseuerantiæ, vt videtur colligi ex Conc. Trid. sess. 6. de iustific. c. 22. vbi dicitur: *Si quis dixerit, iustificatum vel sine speciali auxilio Dei in accepta iustitia perseuerare posse, vel cum eo non posse, anathema sit.* Vbi omnibus iustificatis necessarium esse donum perseuerantiæ definitur: ergo etiam paruulis iustificatis erit necessarium, vt perseuerent vsque in finem. Et ad verba S. Th. inducta respondetur, quòd, dum inquit, donum perseuerantiæ constitui ad protegendum hominem contra tentationum impulsus, non loquitur de effectu adæquato, sed de inadæquato, & qui magis communiter reperitur

peritur in natura humana; in paruulis autem habet eius effectus, vt dictum eſt.

Ad tertium argumentum patebit diſput. ſequent. vbi difficultas, quam tangit, diſſoluetur.

DISPVTATIO CIV.

Vtrùm donum perſeuerantiæ diſtinguatur realiter à dono confirmationis in Gratia.

I. PRima ſententia affirmat, hæc dona non diſtingui. Alij dicũt, quòd licèt diſtinguãtur accidentaliter per maiorem, vel minorem intẽtionem eiuſdem auxilij, non tamen diſtinguuntur realiter: ſed idem donum perſeuerantiæ, ſecundùm quòd magis perficit hominem in vita ſpirituali, dicitur donum confirmationis in gratia. Huic ſententiæ fauere videntur quidam recẽtiores Theologi, qui aſſerunt, confirmationem in gratia aliquid addere vltra commune perſeuerantiæ donum. Dum hoc explicant, inquiunt, donum perſeuerantiæ ex ſe conferri per ordinaria auxilia, & dona gratiæ, hoc ſolùm præſtante, & prouidente Deo, vt illa dentur congruis temporibus, & in eo numero, ſeu multitudine auxiliorum, quæ ad talem effectum ſufficiant: confirmationem verò in gratia addere propria, & peculiaria dona, & auxilia, per quæ Deus præuenit hominem in ſingulis actibus, & præſertim in occaſionibus peccandi, voluntatémque eius moraliter efficaciſſimè mouet non ſolùm ſecundùm virtutem auxiliorum: quæ, licèt non determinẽt voluntatem, ita vt etiam phyſicè non poſſit reſiſtere, moraliter tamen efficaciſſimè illam inducunt. Quæ efficacia ſimul cum alia congruitate ex præſcientia, confirmationem præbet.

Probatur primò hæc ſententia argumento vltimo, facto diſp. præced. cum ſua confirmatione.

Secundò arguitur. Donum perſeuerantiæ facit hominem impeccabilem. Sed hoc ipſum efficit donum confirmationis in gratia, vt q. 24. de verit. ar. 8. & 9. docet S. Th. ergo hæc dona habent eundem effectum: ergo non diſtinguuntur.

Confirmatur: quia ſicut donum confirmationis in gratia non poteſt interrumpi per peccatum mortale, licèt ſecum admittat peccatum veniale, ita etiam donum perſeuerantiæ ſecum compatitur peccatum veniale, ſed nũquam interrumpitur per peccatum mortale, vt Aug. ait lib. de dono perſeu. cap. 6. Et ratio eſt: nam homo eo ipſo, quòd peccat mortaliter, deſiſtit à bono incœpto, & non perſeuerat: ergo implicat, quòd donum perſeuerantiæ interrumpatur per peccatum mortale, aut illud ſecum admittat: ergo donum perſeuerantiæ, & confirmationis in gratia non diſtinguuntur.

Tertiò. Quia nulla poteſt aſſignari differentia eſſentialis, per quam hæc doctrina diſtinguatur realiter: ergo non diſtinguuntur inter ſe.

Secunda ſententia eſt aliorum, qui admittunt diſtinctionem realem inter donum perſeuerantiæ, & confirmationis in gratia: dicunt tamen, differentiam conſiſtere in hoc, quòd in confirmatis in gratia non maneat libertas in adimpletione præceptorum, ſed neceſſariò illa adimplent; quæ tamen libertas manet in habentibus donum perſeuerantiæ: ita ſentiunt aliqui recentiores. Ex quo inferant, quòd confirmati in ea gratia, in qua confirmati ſunt, neceſſariò perſeuerant, & eatenus non liberè, ſed neceſſariò ſaluantur. Et addunt, quòd non oportebit defendere ab huiuſmodi prædeſtinatis ſeu confirmatis in gratia obtineri ſalutem liberè. Ratio potiſſima huius ſententiæ eſt: nam confirmati in gratia præueniuntur diuino auxilio, per quod prædeterminãtur ad bonum: ergo neceſſariò operantur illud: ergo non liberè ſaluantur. Patet conſequentia: nam impoſſibile eſt, quòd aliquid fiat neceſſariò, & liberè. Sed hæc ſententia omnino reiicienda eſt, vt dicetur infrà.

Tertia ſententia eſt S. Thom. & communis diſcipulorum eius; pro cuius explicatione ſit

II. Perſeuerantiæ donum qualiter à confirmatione in gratia diſtinguatur.

PRima concluſio. Non eſt idem donum perſeuerantiæ, & confirmationis in gratia. Concluſio eſt S. Th. 1. p. q. 100. art. 2. ad 1. vbi docet, *quod ſi Adam non peccaſſet, non generaret ex ſe filios gehennæ: ita ſcilicet, quod ab ipſo peccatum contraherent, quod eſt cauſa gehennæ: poſſent tamen fieri filij gehennæ per liberum arbitrium, peccando. vel ſi filij gehennæ non fierent per peccatum, hoc non eſſent per hoc, quòd eſſent in iuſtitia confirmati, ſed propter diuinam prouidentiam, per quam à peccato conſeruarentur immunes.* Sentit ergo, non eſſe idem donum confirmationis, & donum perſeuerantiæ.

Præterea: nam aliàs omnibus Prædeſtinatis concederetur donum confirmationis in gratia, atque adeò non eſſet ſingulare priuilegium quorundam Sanctorum. Sequela probatur: nam omnibus Prædeſtinatis conceditur donum perſeuerantiæ: ergo ſi non diſtinguuntur donum perſeuerantiæ, & confirmationis in gratia, omnibus prædeſtinatis erit communis ipſa confirmatio in gratia.

Homo purus dum eſt in via, ſemper eſt peccabilis ſimpliciter.

Vt autem explicemus, in quo diſtinguantur iſta duo dona, notandum eſt ex S. Th. q. 24. de ver. art. 9. in corp. quòd aliquis poteſt confirmari in bono, & effici impeccabilis dupliciter. Primò totaliter ab intrinſeco, & ſimpliciter, ita videlicet, vt in ſeipſo intrinſecum habeat ſuæ confirmationis principium, vt peccare non poſſit, & ſic ſunt impeccabiles omnes beati. Secundò, poteſt effici impeccabilis ſecundùm quid: & non ab intrinſeco totaliter, ſed partim ab intrinſeco, partim ab extrinſeco; quod contingit, quando alicui datur aliquod munus gratiæ, quo inclinatur in bonum; ita vt ab illo non poſſit de facili deflecti, non tamen per hoc ita retrahitur à malo, vt omnino peccare non poſſit, niſi diuina prouidentia protegatur, & cuſtodiatur.

S. Thom. 4. cont. Gent. capit. 70. ratione 2.

Impeccabilitas vnde proueniat.

Secundò notandum cum eodem S. Th. quòd eodem modo, quo aliqua potentia eſt impeccabilis, eſſe debet immutabilis à bono in malum. Etenim peccatum tunc contingit, quando potentia rationalis à bono in malum mutatur. Immutabilitas autem ſimpliciter, & proueniens totaliter ab intrinſeco, non poteſt reperiri niſi in beatis: cuius ratio illa eſt, quam aſſignat S. Thom. eod. cap. nam ex eo voluntas immutabilis redditur, quia totaliter eius capacitas impletur, ſicut cœlum eſt immutabile ſubſtantialiter, & incorruptibile, quia tota capacitas materiæ cœli expletur per formam illius: ſed tota capacitas animæ rationalis non impletur, niſi in patria, vbi poſſidebit ſummum bonum, & habebit illud præſens ergo voluntas hominis ſolùm eſt in patria totaliter ab intrinſeco immutabilis à bono in malum: ſit ergo

Secunda concluſio. Tam confirmati in gratia, dum ſunt in via, quàm habentes donum perſeuerantiæ, ſunt ſimpliciter peccabiles. Hic non loquimur de Chriſto Domino, qui ſimpliciter, & ab intrinſeco erat impeccabilis ratione ſuppoſiti. Hæc concluſio eſt Ferrar. 4. cont. Gent. c. 70. Med. 3. par. q. 27. art. 4. conc. 3. vbi docet de omnibus confirmatis, quòd, dum erãt in via, erant ſimpliciter peccabiles: quamuis ſecundùm quid eſſent impeccabiles. Probatur: nam hæc videtur expreſſa ſententia S. Thom. q. 24. cit. de verit. vbi ait, quòd ſolùm beati ſunt ſimpliciter confirmati in bono, & 4. cont. Gent. cap. 70. rat. 2.

Digitized by Google

art.1.inquit,quòd *immutabilitas voluntatis non potest hominem competere,nisi secundum quod attingit vltimum finem*, quod ibi probat efficacissimis rationibus. Et 1.p.q.100. art.2. in corp. loquens de confirmatione in bono,simpliciter ait,quod *ex hac creatura rationalis in iustitia confirmata,quod efficitur beata per apertam Dei visionem, cui visio potest non inhærere, cum sit ipsa essentia bonitatis,a qua non potest auerti.*

Præterea probatur ratione desumpta ex fundamentis positis. Vt creatura rationalis sit simpliciter impeccabilis,oportet, quod sit immutabilis simpliciter a bono in malum sed non est immutabilis simpliciter,nisi per visionem beatificam: ergo. Minor probatur, quia solum per visionem beatificam expletur tota capacitas creaturæ rationalis: ergo per solam visionem beatificam sit simpliciter immutabilis a bono in malum. Ex quo sequitur, quòd tam confirmati in gratia, quam habentes donum perseuerantiæ solum sint impeccabiles secundum quid, & ex suppositione,quamdiu sunt in via.

III. Cõfirmati in gratia sũt impeccabiles secũdũ quid.

Tertia conclusio.Impeccabilitas secundùm quid, quæ reperitur in confirmatis in gratia, prouenit partim ab intrinseco ex perfectione gratiæ habituatis,& virtutum; partim ab extrinseco, videlicet ex custodia,protectione,& directione Dei:sicut Adam in statu innocentiæ erat immortalis, partim ab intrinseco ob vigorem naturæ, partim ab extrinseco, videlicet propter lignum vitæ, quo vescebatur, & propter diuinam custodiam, & prouidentiam, ad quam pertinebat remouere omne nocuum corporale. Hæc conclus. quoad primam partem, est contra Durandum, asserentem, quod impeccabilitas, quæ reperitur in confirmatis in gratia, solùm prouenit ab extrinseco, scilicet ex directione Spiritus sancti,submouétis omnes occasiones peccati.Quoad secundam verò partem est contra alios Doctores,asserentes, confirmatos in gratia esse impeccabiles totaliter ab intrinseco ob plenitudinem gratiæ,& virtutum.Sed nostra cõclusio, quoad vtrumque partem est S. Thom.& Ferrar.vbi supra. Et quidem, quòd illa impeccabilitas partim prouenial ab intrinseco,probatur ex S.Thom. 3.p.q.27 art.5.ad 2. vbi loquens de gratia, per quam in bono confirmata est beatissima Virgo, habuisse docet quandam perfectionem intrinsecam: ait enim, *quòd in conceptione filij Dei, confirmata est eius gratia, confirmans eam in bono.* Quibus verbis ostendit gratiam confirmantem beatam Virginem in bono,in scipta perfectam fuisse.

Durand.in 3.d.3.q.4.

Præterea probatur.Anima confirmatur in bono; quatenus ita perfecte inclinatur in illud,vt de facili ab eo auerti non possit: eo quòd per gratiæ perfectionem tolluntur defectus inclinantes ad peccandum,vt quæst.24. citata, de veritate docet S. Thom. sed illa inclinatio pertinet ad perfectionem intrinsecam ipsius gratiæ,& virtutum: ergo impeccabilitas,quæ reperitur in confirmatis in gratia,prouenit aliquo modo ex intrinseca ipsius gratiæ perfectione.

IV. Gratia cõfirmans in bono, in quo cõsistat.

Si quis inquirat,in quo consistat hæc maior perfectio gratiæ in bono confirmantis, respondetur, non consistere in maiori intensione eiusdem gratiæ habitualis. Etenim gratia non confirmans in bono, aliquando est magis intensa, quam gratia in bono confirmans,quod ex eo patet nam multi sunt in via non confirmati in gratia, qui habent gratiam & charitatem magis intensam, quam aliqui existentes in patria. Dicendum est ergo, quòd hæc perfectio attenditur secundum quandam participationem gratiæ,& charitatis patriæ, qua secundo modo est alterius rationis a gratia vel charitate non confirmante,vt art.5.1.p.2.2.q.24.art.7.ad 3.

Secunda verò pars conclusionis probatur: nam facere hominem impeccabilem totaliter ab intrinseco,est proprium charitatis patriæ, vt dictum est: ergo donum confirmationis in gratia non facit hominem impeccabilem totaliter ab intrinseco, sed partim ab intrinseco,partim ab extrinseco. Probatur præterea:nam gratia existens in viatoribus confirmatis,non tollit ab eis omnem originem peccati, quia non tollit omnem ignorantiam, & inconsiderationem,ex qua peccatum potest prouenire;nec etiam efficit,quòd intellectus,& voluntas semper sint in actu secundo, respectu contemplationis, & dilectionis Dei,& similiter non tollit fomitem peccati, vel omnem inordinationem appetitus sensitiui, ex qua etiam potest prouenire peccatum: ergo exigit protectionem specialem Dei, vt faciat hominem impeccabilem.

Quarta conclusio. Nullatenus est admittendum, confirmatos in gratia non saluari libere, sed necessariò. Probatur, quoniam si necessariò saluarentur, & non libere,sequeretur,quòd necessariò,& non libere adimplerent præcepta, & consequenter nihil mercerentur in eorum impletione:quod nullatenus est concedendum:alias enim B.Virgo,quæ in omnium sententia fuit confirmata in gratia,& Christus Dominus,qui per naturam suppositi diuini erat impeccabilis; non meruissent per actus virtutum, vt per passionem,& mortem; consequens autem non potest admitti:ergo.

Cõfirmati in gratia saluantur libere.

Præterea:nam confirmati in gratia solùm necessitantur ad bonum necessitate conditionata, & ex suppositione, non autem absoluta necessitas autem conditionata, & ex suppositione, cùm sit necessitas secundùm quid, non destruit libertatem:vt disp.23. ostensum est:ergo.

Ex his sequitur,differentiam inter donum perseuerantiæ, & confirmationis in gratia in hoc consistere,quòd donum perseuerantiæ nullam perfectionem intrinsecam constituit in ipsa gratia habituali, quam tamen perfectionem intrinsecam illi tribuit confirmatio in gratia,vt dictum est.

V.

PEr hæc respondetur ad primum argumentum ex factis a principio, quod erat tertium controuersiæ præcedentis. Dicimus enim donum quidem confirmationis in gratia non esse simpliciter necessarium ad vitam æternam consequendam ex hoc tamen non sequitur,quòd donum perseuerantiæ non sit simpliciter necessarium. Et ad impugnationem respondetur,quòd donum perseuerantiæ,& donum confirmationis in gratia quamuis in aliquibus conueniant, non tamen in omnibus, vt constat ex dictis:vnde non sunt simpliciter idem auxilium.

Confirmatio in gratia includit donum perseuerantiæ, & non è contrà.

Ad confirmationem respondetur, quòd donum confirmationis in gratia includit donum perseuerantiæ,& non è contrà. Etenim omnis confirmatus in gratia perseuerat vsque in finem:sed non omnis qui perseuerat vsque in finem, est confirmatus in gratia. Vnde ex eo, quòd confirmatio in gratia non sit simpliciter necessaria ad vitam æternam consequendam; non sequitur ad donum perseuerantiæ non esse ad id necessarium.Secundò respondetur ad eandem confirmationem, quòd in illa diuisione actualis auxilij supernaturalis suprà assignata, qua intra illa membra diuiditur,solum cõprehenduntur auxilia, quæ nullam ponunt perfectionem intrinsecam in ipsa gratia habituali: per modum permanentis, sed solum auxilia, quibus per modum transeuntis Deus mouet actualiter ad bene operandum opera supernaturalia.Vnde non oportet,quòd confirmatio in gratia pertineat ad aliquod ex illis tribus auxiliis, quia, vt dictum est, ponit aliquam perfectionem intrinsecam in habituali gratia.

Ad

Ad ſecundũ, cum ſua confirmatione, & ad tertiũ, patet ex dictis: dicimus enim, quòd, quàus donum perſeuerantiæ, & confirmationis in hoc conueniãt, quòd neutrum per peccatum mortale interrumpitur; diſtinguuntur tamen ex alia radice, vt dictu eſt.

Ad quartum argumentum pro ſecunda ſententia reſpondetur, quòd illa determinatio non tollit libertatem, ſed perficit, quia non eſt determinatio ad vnum ex neceſſitate, ſed ſecundùm modum libertatis, quia videlicet ita determinat ad bonum, vt ſimul relinquat in voluntate facultatem, qua poſſit operari oppoſitum, ſi velit, aut non operari, vt diſp. 18. & 22. oſtenſum eſt: de quo etiam agendum erit inferiùs inter diſputandum de ratione concordiæ libertatis noſtri arbitrij cum efficacia auxiliorum gratiæ diuinæ.

DISPVTATIO CV.

Vtrùm donum perſeuerantiæ, in ratione doni perſeuerantiæ, atque efficacia illius, dependeat ex libera cooperatione noſtri arbitrij cum illo.

1 HÆc difficultas eadem ferè eſt cum illa, quam ſuperiùs pertractauimus: vtrùm ſcilicet efficacia auxilij præuenientis gratiæ dependeat ex libero influxu noſtri arbitrij cum eodem auxilio.

Prima ſententia, quam nonnulli ex recentioribus ſequuntur, aſſerit, ad donum perſeuerantiæ duo eſſe neceſſaria, vnum ex parte Dei; videlicet vt ea auxilia conferre ſtatuerit, cum quibus præuidebat, adultum pro ſua libertate perſeueraturum, cùm potuerit pro eadem libertate non perſeuerare: alterum ex parte liberi arbitrij adulti, tanquam cõditionem, ſine qua voluntas conferendi talia auxilia non haberet rationem voluntatis conferendi donum perſeuerantiæ, nempe quòd adultus pro ſua libertate ita ſit cum eis cooperaturus, vt perſeueret: quod in facultate ipſius eſt conſtitutum. Vnde in hac ſententia, efficacia doni perſeuerantiæ dependet ex libera cooperatione noſtri arbitrij tanquam ex conditione, ſine qua non haberet rationem doni perſeuerantiæ comparatione huius hominis.

Probatur hæc ſententia. Primò ex Auguſtino, lib. de dono perſeuerantiæ, c 6. vbi ait: *Perſeuerantia vſque in finem, quam non habet quiſquam, niſi quis perſeuerauerit vſque in finem, multi eam poſſunt habere, nulli amittere. Neque enim metuendum eſt, ne fortè, cùm perſeuerauerit vſque in finem, aliqua in eo mala voluntas oriatur, ne perſeueret vſque in finem.* Quibus verbis docere videtur, perſeuerantiam pendere ex libero hominis arbitrio.

Secundum argumentum eſt ex eodem Augu. lib. de corrept. & grat. c. 6. vbi ait: *Si dixerimus, iſtam perſeuerantiam tam laudabilem, & tam felicem ſic eſſe hominis, vt ei non ſit ex Deo, enacuamus, quod ait Dominus Petro: Orani pro te ne deficiat fides tua.* Vbi ſignificatur, ab homine etiam pendere perſeuerantiam, quamuis non ab illo ſolo, ſed ſimul etiam, & principaliter ab auxilio gratiæ. Denique lib de Eccleſ. dogmatibus, c. 11. dicitur: *vt non labamur in adepto ſalutis munere, ſolicitudinis eſt noſtræ, & diuini patuer adiutorij.* Idem colligitur ex S. Proſpero lib. 2 de vocat. gen. c. 26. vbi ait: *Sine igitur initia, ſine profectus fidelium; ſine vſque in finem perſeuerantium cogitemus gens, nulla ſpecies cuiuſque virtutis occurrit, quæ vel ſine*

A *dono diuinæ gratiæ, vel ſine conſenſu noſtræ voluntatis habeatur.* Quibus verbis fatetur, quòd perſeuerantia vſque in finem dependeat ex conſenſu noſtræ voluntatis.

Tertiò arguitur. Cum auxilio ex parte Dei, cum quo vnus vſque in finem vitæ non perſeuerat, poteſt, ſi velit, perſeuerare: ſimiliter etiam cum auxilio cum quo perſeuerat, poteſt, ſi velit, non perſeuerare: ergo perſeuerare, aut non perſeuerare conſtitutum eſt in poteſtate noſtri arbitrij: ergo donum perſeuerantiæ dependet ab illo.

Confirmatur. Donum perſeuerantiæ non eſt efficax ſecundùm ſuam naturam, & vt venit ab ipſo Deo, antecedenter ad liberam cooperationem noſtri liberi arbitrij ergo eſt efficax dependenter à libero influxu eiuſdem arbitrij. Antecedens probatur: nam ſi eſſet efficax antecedenter ad conſenſum noſtri arbitrij; ſequeretur primò, quòd homo perſeueraret abſque propriæ voluntatis vſu, & ita perſeueraret neceſſariò, & non libere. Item ſequeretur ſecundò, quòd donum perſeuerantiæ caulatet in nobis ipſum velle perſeuerare, ante conſenſum noſtri liberi arbitrij. Sequela probatur: nam, ſi eſt efficax antecedenter; ergo aliquid efficit, ſed non aliud, niſi ipſum velle perſeuerare: ergo producit ipſum velle antecedenter ad influxum, & conſentum noſtri arbitrij: & ita merè paſſiue ſe haberet, recipiendo ipſũ velle perſeuerare à ſolo Deo productum.

C Quartò arguitur. Homo adultus non aliter perſeuerat in gratia, niſi obſeruando vſque in finem vitæ omnia mandata, obligantia ſub mortali: etenim perſeuerantia non interrumpitur niſi per peccatum mortale: ſed obſeruantia mandatorum cùm fiat per actus noſtros liberos, pendet ex influxu noſtri liberi arbitrij: ergo & perſeuerantia dependet ex influxu eiuſdem arbitrij, ſimul & ex auxilio diuinæ gratiæ.

Quintò probatur: nam, vt conſtat ex Conc. Trid. ſeſſ. 6 decreto de iuſtificatione, canon. 22. homo ipſe eſt, qui perſeuerat: ergo perſeuerantia dependet ab homine.

Sextò eſt argumentum, quod in calce diſput. 91. tetigimus: nam efficacia doni perſeuerantiæ quamuis non pendeat ex libera cooperatione liberi arbitrij cum illo; præſupponit tamen in eodem arbitrio quandam diſpoſitionem, ſeu non reſiſtentiam negatiuam, qua ſinat ſe à Deo moueri: ſi enim liberum arbitrium reſiſtat, nec ſinat ſe à Deo moueri, quod in eius facultate poſitum eſt, motio Dei non erit efficax, neque inducet infallibiliter effectum, qui ab eiuſdem arbitrij libera cooperatione dependet: ergo efficacia doni perſeuerantiæ pendet ex prædicta diſpoſitione negatiua; ac per conſequens donum perſeuerantiæ non erit efficax ſecundùm ſe.

Confirmatur hoc auctoritate S. Thom. 3. contra gentes, cap. 159. vbi ait, *Eſſe in poteſtate liberi arbitrij, impedire diuinæ gratiæ receptionem, vel non impedire.* Et ex hoc infert, imputari homini ad culpam omiſſionem actus ſupernaturalis, qui eſt in præcepto, etiamſi non poſſit abſque auxilio gratiæ præceptum illud implere: ergo admittit S. Thomas diſpoſitionem negatiuam, ſeu non reſiſtentiam liberi arbitrij, à qua dependeat collatio auxilij efficacis, ſeu efficacia eiuſdem auxilij. Eandem diſpoſitionem negatiuam videtur ſtatuere S. Thom. quæſt. 3. de malo, art. 2. in corpore, vbi ad recipiendum influxum, & motionem Dei, requirit in homine aliquam diſpoſitionem, iuxta quam producatur in eo bonus, vel malus actus. Sed non poteſt prærequiri ante influxũ Dei vlla diſpoſitio poſitiua, cùm nihil poſitiuum ſine Deo fieri poſſit: ergo prærequiritur diſpoſitio

negatiua, seu non resistentia, qua det locum Deo, vt ipse faciat, & ducat liberum arbit. quò voluerit.

Septimò probatur omnibus argumentis, quibus supra contendebamus probare, auxilium efficax præuenientis gratiæ pendere ex libero influxu nostri arbitrij, eadem quippe eodem modo procedunt de dono perseuerantiæ.

II. Contrariam sententiam tenet S. August. & S. Th. & alij doctores supra allegati, qui docet, efficaciam auxilij efficacis non pendere, etiam tanquam à conditione sine qua non, ex libera nostri arbitrij cooperatione: & quoniam hæc sententia verissima est, & doctrinæ Catholicæ valde consona; pro eius explicatione

Perseuerãtiæ donum dupliciter sumitur.

Notandum est primò, donum perseuerantiæ posse accipi dupliciter. Primo pro ipso dono formaliter, siue pro auxilio præuenientis gratiæ, per quod Deus, actiuè propriè efficit, vt homo velit perseuerare, & perseueret vsque in finem. Secundò pro effectu ipsius doni perseuerantiæ, qui in adultis comprehendit actus liberos, videlicet ipsum velle perseuerare, & alios actus bonos morales, per quos adimplet diuina mandata. Præsens ergo controuersia non procedit de dono perseuerantiæ, vt accipitur pro eius effectu: omnes enim Catholici fatentur, effectus liberos doni perseuerantiæ procedere effectiuè à libero arbitrio, moto auxilio gratiæ, sicut pendent omnes actiones liberæ supernaturales; sed solum procedit difficultas de ipso dono formaliter, quatenus est perseuerantia efficax, veluti in actu primo.

Perseuerãtiæ donum dicitur, & est efficax dupliciter.

Secundò notandum, donum perseuerantiæ, sicut & quodcunque aliud auxilium supernaturale, posse dici efficax dupliciter; vno modo, veluti in actu primo: alio modo in actu secundo. In actu primo dicitur efficax, quatenus priùs natura, quàm voluntas operetur, tribuit illi vires efficacissimas, vt velit. Cæterùm in actu secundo dicitur efficax, quatenus efficit actualiter, & in ipso exercitio liberum consensum voluntatis vnà cum influxu eiusdem voluntatis. Sit ergo

III. Perseuerãtiæ efficacia nõ pẽdet ex libera cooperatione arbitrij.

Prima conclusio. Donum perseuerantiæ, in ratione doni perseuerantiæ, & efficacia illius, nullo modo dependet effectiuè ex libera cooperatione nostri arbitrij, sed à solo Deo, atque ab efficaci, & absoluto decreto voluntatis eius, qui pro sua misericordia tribuit illud donum cui vult. Hæc conclusio est S. Aug. & S. Th. vt patebit infrà, quam defendunt vnanimi consensu omnes eius discipuli.

Et probatur primò ex Conc. Trid. sess. 6. de iustif. c. 13. vbi sic dicitur: *Similiter de perseuerantiæ munere, de quo scriptum est Matth. 10. & 24.* Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit: *quod quidem aliunde haberi non potest, nisi ab eo, qui potest eum, qui stat statuere, vt perseueranter stet, & eum, qui cadit, restituere, nemo sibi certò aliquid absoluta certitudine polliceatur.* Ecce Concil. docet, perseuerantiæ munus nõ aliunde haberi posse nisi à Deo, ergo non dependet ex nostro libero arbitrio; aliàs posset aliunde haberi, quàm à Deo solo.

Solutio.

Respõdent ad hæc, quòd solùm à Deo habetur donum perseuerantiæ, quia solus ille producit in nobis effectiuè, sine nobis liberè cõsentientibus, auxilium supernaturale, cum quo ipse præscit, hominem pro sua libertate esse perseueraturum: sed quia homo cum illo auxilio potest perseuerare, & non perseuerare; quotiescunque Deus præcognoscit præscientia illa media, hominem perseueraturum esse; tale auxilium sortitur rationem doni perseuerantiæ. Si verò Deus præcognoscit per eandem scientiam, hominem pro innata sibi libertate non esse perseueraturum cum illo auxilio, tale auxilium non habebit rationem doni perseuerãtiæ, sed retinebit communem rationem auxilij supernaturalis sufficientis ad perseuerandum. Vnde, in ratione doni perseuerantiæ dependet, tanquam a conditione sine qua non, ex futuro consensu arbitrij præcognito a Deo. Sed contra hanc responsionem est argumentum: nam Concilium loquitur absolutè, & formaliter de dono perseuerantiæ: ergo quamuis actus producti à libero arbitrio moto a Deo per donum perseuerantiæ, pendeant ex ipso arbitrio; tamen efficacia auxilij in ratione doni perseuerantiæ nullo modo dependet actiue, vel tanquam à conditione sine qua non, ex libera cooperatione nostri arbitrij.

Cõfutatio.

Præterea: nam Massilienses, contra quos scripsit D. Aug. lib. de prædest. & S & de dono perseuerantiæ, hoc modo explicabant donum perseuerantiæ: dicebant enim, quòd Deus tribuebat homini auxilium supernaturale præuenientis gratiæ, sine quo per liberum arbitrium perseuerare non poterat; sed tamẽ cum illo auxilio perseuerabat homo actualiter, si volebat: si autem nolebat, non perseuerabat. Affirmabant autem donum illud amitti posse per hominis voluntatem: neque admittebant donum aliquod præoperantis gratiæ, per quod Deus actiuè propriè efficeret hominem ex nolente volentem & perseuerantem vsque in finem, sicut S. August. docuit, in cuius doctrina scandalizabantur. Constat hoc ex verbis S. Hilarij epistola ad Augustinum, vbi loquens de Sempelagianis, sic ait: *Deinde molestè ferunt, ita diuidi gratiam, qua vel tunc primo hominis data est, vel nunc hominibus datur, vt ille acceperit perseuerantiam, non qua fieret, vt perseueraret, sed sine qua per liberum arbitrium perseuerare non posset; nunc verò Sanctis in regnum per gratiam prædestinatis non tale adiutorium perseuerantiæ detur, sed tale, vt eis perseuerantia ipsa detur, non solum, vt sine isto dono perseuerantes esse non possint, verùm etiam, vt per hoc donum non nisi perseuerantes sint. His verbis sanctitatis tuæ ita mouentur, vt dicam, quandam desperationem hominibus exhiberi.* Et paulò inferiùs subdit: *Quidquidlibet donatum sit prædestinatis, id posse & amittere, & retinere propria voluntate contendunt. Quod tunc falsum esset, si verum putarent, eam quosdam perseuerantiam percepisse, vt nisi perseuerantes esse non possint.* Vnde S. August. lib. de dono pers. cap. 1. 2. 6. 7. 8. & 9. ostendit, donum perseuerantiæ amitti non posse contumaci hominis voluntate, sed infallibiliter perseuerare per illud donum.

IV. Petri constantia in fide vnde processerit.

Probatur secundò auctoritate expressa eiusdem D. August. lib. de corrept. & gratia, cap. 8. vbi explicans illud Luc. 22. *Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua*, &c. ait: *An audebis dicere etiam rogante Christo, ne deficeret fides Petri, defecturam fuisse, si Petrus eam deficere voluisset, id est, si eam vsque in finem perseuerare noluisset?* Quasi aliud Petrus vllo modo vellet, quàm pro illo Christus rogasset, vt vellet? *Nam quis ignoras, tunc fuisse perituram fidem Petri, si ea, quæ fidelis erat voluntas, ipsa deficeret: & permansuram, si voluntas eadem maneret: sed quia præparatur voluntas à Domino, ideo pro illo non posset esse inanis oratio. Quando ergo orauit, ne fides eius deficeret, quid aliud rogauit, nisi vt haberet in fide illi seruimam, fortissimam, inuictissimam, & perseuerantissimam voluntatem?* Et cap. duodecimo ait: *Primo itaque homini, qui in eo bono, quo factus fuerat rectus, acceperat posse non peccare, posse non mori, posse ipsum bonum non deserere, datum est adiutorium perseuerantiæ, non quo fieret, vt perseueraret; sed sine quo per liberum arbitrium perseuerare non posset. Nunc verò Sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis non tantum tale adiutorium perseuerantiæ datur, sed tale, vt eis perseuerantia ipsa detur, non solùm vt sine isto dono perseuerantes esse non*

Digitized by Google

non possint, verum etiam vt per hoc donum non nisi perseuerantes sint. Nō solum enim dixit: Sine me nihil potestis facere: verum etiam dixit Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat. *Quibus verbis eis non solum iustitiam, verum etiam in illa perseuerantiā se dedisse monstrauit: Christo enim sic eos ponente, vt eant, & fructum afferant, & fructus eorum maneat, quis audeat dicere, forsitan non manebunt:* Et paulò inferiùs explicans illud ad Rom. 14. Potens est enim Deus statuere eum; *inquit: Ipse itaque dat perseuerantiam, quo statuere potens est eos, qui stant, vt perseuerantissimè stent, vel restituere, qui ciderint: Dominus enim erigit elisos.* Ecce non obscurè docet, perseuerantiæ donum esse à solo Deo, qui potens est Prædestinatos statuere. Licèt enim piæ operationes, seu meritoriæ, quæ sunt effectus doni perseuerantiæ, in adultis non fiant absque libera cooperatione arbitrij creati cum gratia, ac per consequens dependeant efficienter à libero arbitrio, moto à Deo; tamen ipsum donum perseuerantiæ, quo Deus facit electos suos perseuerare vsque in finem, atque efficacia eiusdem doni nullo modo depēdet ex libera cooperatione eiusdem arbitrij, sicut de efficacia aliorum auxiliorum gratiæ dictum est. Vnde idem Augustinus in calce eiusdem cap. 12. subdit: *Ac per hoc, nec de ipsa perseuerantia boni Deus voluit, Sanctos suos in viribus suis, sed in ipso gloriari. Quia non solum datur adiutorium, quale primo homini dedit, sine quo non possint perseuerare si velint, sed in eis operatur etiā & velle.* Et post pauca: *Subuentum est ergo infirmitati voluntatis humanæ, vt diuina gratia inclinabiliter, & inseparabiliter ageretur, & ideo, quamuis infirma, non deficeret, neque aduersitate aliqua vinceretur.*

Ioan. 15.

Denique epist. 107. ad Vitalem, in principio, eos impugnat, qui dicunt, Deum operari in nobis, vt velimus, quantùm in ipso est: si autem nolumus, nihil in nobis operationem Dei valere facimus: ergo ex mente S. Augustini efficacia doni perseuerantiæ nō depēdet ex libero influxu nostri arbitrij, aliàs posset homo efficere, & efficeret multoties, quòd donum illud non sortiretur in nobis effectum, nec perduceret hominem ad vitam æternam. Eandem doctrinam docet S. Thom. 1. 2. q. 109. ar. 10. vbi distinguit donum, quo aliquis perseuerat, ab eo, quo potest perseuerare.

Tertiò probatur ratione. Influxus actualis liberi arbitrij, quo homo vult perseuerare, & perseuerat vsque in finem, est effectus doni perseuerantiæ, & efficaciæ ipsius; quamuis non fiat in nobis sine nobis liberè concurrentibus: ergo efficacia doni perseuerantiæ non dependet ab eodem influxu nostri arbitrij. Patet consequentia: nam efficacia causæ efficientis non dependet ab eius effectu; vt efficacia ignis, quam habet ad calefaciendum, non dependet ex calefactione, sed è contrà.

V. Perseuerantiæ efficacia præuenit ordine naturæ cooperationē arbitrij.

Quartò probatur. Efficacia doni perseuerantiæ præuenit ordine rationis, & causalitatis liberum influxum nostri liberi arbitrij: nam donum perseuerantiæ efficax pertinet ad gratiam præuenientem: ergo non dependet ab eodem influxu. Patet consequentia: nam si dependeret, iam efficax gratia esset subsequens nostrum arbitrium, & pedisequa illius: & consequenter ipsa gratia efficax doni perseuerantiæ subiungeretur humilitati, & obedientiæ humanæ, & non subiiceret sibi humanam voluntatem: quod tamen videtur pugnare cum doctrina Concilij Arausicani superiùs allegata.

Quintò probatur: quia, si donum perseuerantiæ, & efficacia illius pendet ex libera cooperatione arbitrij, sequitur, quòd perseuerantia, quæ datur Prædestinatis per Christum, solùm tribuat illis perseuerare, si velint, non autem efficiat in eis, vt actu perseuerent, & velint; sed ipsum perseuerare relinquatur in eorum arbitrio; quòd si non perseuerant, ex culpa illorum procedat. Consequens est falsum: nam aliàs perseuerantiæ donum, quod datur Prædestinatis per Christum, non esset aliud, nec maius donum, aut fortius, quàm perseuerantiæ Adæ in statu innocentiæ collata: quia etiam Adæ donata est perseuerantia, qua perseueraret, si vellet: sed actualis perseuerantia, seu ipsum velle perseuerare in eius relictum est arbitrio, & culpa sua non perseuerauit. Probatur hoc ex S. Augustino libro de correptione & gratia, c. 11. dicente: *Tale quippe erat adiutorium, quod desereret, cùm vellet, & in quo permaneret, si vellet, non quo fieret, vt vellet. Hæc est prima gratia, qua data est primo Adam, sed hæc potentior est in secundo Adam. Prima est enim, qua fit, vt habeat homo iustitiam, si velit: secunda ergo plus potest, qua etiam fit, vt velit, & tantum velit, tantoque ardore diligat, vt carnis voluntatem contraria concupiscentem, voluntate spiritus vincat. Nec illa quidem parua erat, qua demonstrata est etiam potentia liberi arbitrij: quoniam sic adiuuabatur, vt sine hoc adiutorio in bono non maneret, sed hoc adiutorium, si vellet, desereret. Hæc autem tantò maior est, vt parum sit homini per illam reparare perditam libertatem; parum sit denique non posse sine illa vel apprehendere bonum, vel permanere in bono, si velit, nisi etiam efficiatur, vt velit. Tunc ergo dederat hominī Deus bonam voluntatem: in illa quippe eum fecerat, qui fecerat rectum. Dederat & adiutorium, sine quo in ea non posset permanere, si vellet: vt autem vellet, in eius libero reliquit arbitrio. Posset ergo permanere, si vellet, quia non deerat adiutorium, per quod posset, & sine quo non posset perseuerantèr bonum tenere, quod vellet. Sed quia noluit permanere, profectò eius culpa est; cuius meritum fuisset, si permanere voluisset.* Ex his desumitur argumentum. Omnia quæ competunt perseuerantiæ, quæ nobis datur per Christum, conuenient etiam perseuerantiæ Adæ collatæ in statu innocentiæ, si semel admittatur, efficaciam doni perseuerantiæ, quæ datur per Christum, pendere ex arbitrij creati cooperatione: quod sic ostenditur, quia si Deus, seu efficacia doni perseuerantiæ non efficit verè efficienter, vt illi, quibus conceditur, velint perseuerare, sed solùm facit perseuerare, si ipsi voluerint: quòd autem non perseuerent, ex culpa eorum procedit: quòd verò perseuerent cum eodem auxilio, ex ipsorum prouenit innata libertate; & ideo eorum meritum fuisset, si permansissent: certè nullam maiorem efficaciam haberet donum perseuerantiæ secundi Adam, nec esset potentius, aut fortius auxilium, quàm donum primi Adam: quoniam etiam perseuerantia primo parenti in statu innocentiæ collata, tribuebat illi perseuerare, si vellet, & culpa sua non perseuerauit, ac demum meritum eius, si perseuerasset, fuisset, vt constat ex verbis Augustini inductis: ergo necesse est dicere, efficaciam doni perseuerantiæ non pendere ex libera cooperatione arbitrij, sed eam præuenire, ac verè efficienter facere, vt liberum arbitrium perseuerare velit, & actu perseueret vsque in finem.

Secunda conclusio. Si efficacia doni perseuerantiæ accipiatur in actu secundo, pro actuali efficientia, qua in nobis, atque nobiscum efficit pias operationes, quibus iustus perseuerat vsque in finem; talis efficacia non est absque libera cooperatione arbitrij; non tamen dependet ab illa. Vtraque pars huius conc. eisdem rationibus probatur, quibus disp. 90. conc. 1. & 3. ostensum est, quòd, licèt efficacia auxilij præoperantis gratiæ, sumpta pro actuali efficientia, nō sit absque libera cooperatione arbitrij, ab

illa tamen minimè dependet: eadem quippe ratio est à fortiori de dono perſeuerantiæ, & de quocunque alio auxilio efficaci: cùm ipſum perſeuerantiæ donum ſit potiſſimum inter omnia auxilia efficacia.

VI. Perſeuerantiæ donum non tollit ab homine potentiam non perſeuerandi, ſi velit.

Tertia concluſio. Donum perſeuerantiæ non tollit ab homine potentiam, qua poteſt non perſeuerare, ſi velit, ſed efficit, quod, cum poſſit non perſeuerare, infallibiliter perſeueret. Vnde hæc duo ſunt ſimul compoſſibilia: Petrus habet donum perſeuerantiæ, & Petrus poteſt non perſeuerare, ſi velit. Hęc tamen duo ſunt ſimul incompoſſibilia: Petrus habet donum perſeuerantiæ, & Petrus non perſeuerat. Iſta concl. eſt S. Proſperi lib. 2. de vocat. gentium, c. 28. vbi ait: *Quòd eos voluit Deus velle, voluerunt, qui ad obediendum ſibi, ipſum velle ſic donat, vt etiam à perſeueraturis illam mutabilitatem, qua poteſt nolle, non auferat.* Idem docet S. Th. locis in diſp. 18. num. 23. allegatis, de quo redibit ſermo diſp. 115. num. 4. & diſp. 122. num. 19.

Præterea probatur ratione: nam donum perſeuerantiæ efficit, quòd homo liberè velit perſeueraret ergo relinquit in eo liberam facultatem, qua poſſit non perſeuerare, ſi velit. Confirmatur: nam donum perſeuerantiæ ad hoc datur, vt, cùm poſſit homo per liberum arbitr. deficere ab vltimo fine, non deficiat, iuxta illud: *Qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus; facere malum, & non fecit*: ergo donum perſeuerantiæ non tollit ab homine potentiam, qua poteſt non perſeuerare, ſi velit. Eccl. 31.

Confirmari poteſt hæc ratio ex Conc. Trid. ſeſſ. 6. de iuſtif. can. 4. vbi ſub anathemate definitur, liberũ hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum aliquid cooperari, aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti, poſſęque diſſentire, ſi velit: ergo auxilium efficax doni perſeuerantiæ, quamuis efficiat, ſicut loquitur Aug. quòd homo inſuperabiliter, indeclinabiliter, & inuictiſſimè perſeueret: non tamen tollit ab illo veram facultatem, qua per liberum arbitrium poteſt diſſentire, & non perſeuerare, ſi velit.

AD primum argumentum reſpondetur, quòd S. Aug. in illis verbis adductis ex cap. 6. de dono perſ. oſtendit à poſteriori, donũ perſeuerantiæ eſſe inamiſſibile. Vnde ex illo loco tantùm concluditur, quòd effectus liber ipſius dõni perſeuerantiæ dependeat à noſtro arbitrio, moto à Deo: non autem, quòd ipſum auxilium, formaliter loquendo, in ratione doni perſeuerantiæ, pendeat ex libero influxu noſtri liberi arbitrij. Et per hoc reſpondetur ad alia duo loca S. Auguſtini.

Ad ſecundum argumentum ex auctoritate S. Proſperi reſpondetur per ea, quæ dicta ſunt ad loca S. Auguſtini.

Perſeuerantiæ donum qui habet, non poteſt in ſenſu compoſito non perſeuerare.

Ad tertium reſpondetur, quòd cum auxilio, quo homo perſeuerat vſque in finem, poteſt abſolutè non perſeuerare, ſi velit, quia, vt dictum eſt, illud auxilium non tollit potentiam non perſeuerandi, ſed actum: efficit enim, vt homo infallibiliter, & liberè perſeueret. Vnde in ſenſu compoſito eſt impoſſibile, quòd habens donum perſeuerantiæ non perſeueret, quoniam fieri non poteſt, hæc duo ſimul eſſe vera, quòd ſcilicet donum perſeuerantiæ ſit in homine, & homo non perſeueret; ſicut de auxilio efficaci diſp. 92. & duabus ſequentibus dictum eſt.

Ad confirmationem negatur antecedens. Ad probationem reſpondetur ex dictis, quòd, ſi perſeuerantia accipiatur formaliter pro ipſo auxilio, quatenus eſt efficax, quaſi in actu primo, ſeu inquantùm tribuit vires efficaciſſimas voluntati, tale auxilium eſt in prædeſtinatis antecedenter ad liberum eorum conſenſum, non quidem prioritate temporis, ſed cauſalitatis: & ſub hac ratione prædeterminat efficaciter liberum arbitrium ad perſeuerandum; ſi verò accipiatur pro effectu libero, quem in nobis, atque nobiſcum producit, verum eſt, quod talis effectus dependeat effectiue à noſtro libero arbitrio, moto à Deo efficaci auxilio. Et per hoc reſpondetur ad aliam probationem eiuſdem antecedentis, & ſimiliter dicendum ad 4. & 5.

Ad ſextum argumẽtum quidam Doctores etiam ex illis, qui nobiſcum ſentiunt, Deum auxilio efficaci phyſicè præmouere, & prædeterminare liberum arbitrium ad ſingulos actus pios, admittunt illam diſpoſitionem negatiuam, ſeu non reſiſtentiam, quæ ex parte liberi arbitrij præſupponatur in genere cauſæ materialis ad receptionem auxilij efficacis. Et addunt, quòd, quoties homo ſufficienter excitatur ad credendum, ſi ſinat ſe duci, infallibiliter determinabitur à Deo, vt velit credere; & niſi voluntas ſic incipiat diſpoſitiuè, nunquam determinabitur à Deo. Conuincuntur ad hoc aſſerendum, tum auctoritate S. Thom. quæſt. 2. de malo, in argumento adducta, tum etiam, quia exiſtimant eſſe neceſſarium, quòd auxilium efficax phyſicè prædeterminans ſit in libera poteſtate hominis excitati à Deo, vt tam actus ſupernaturalis, quàm eius omiſſio ſit illi voluntaria. Magiſt. Cabrera 3. p. q. 18. art. 4. diſp. 2 §. 11. nu. 157. & ſequent.

Hic tamen modus dicendi nunquam mihi placuit, nec videtur congruere cum his, quæ ex mente S. Auguſtin. & S. Thom. ſuperiùs dicta ſunt de auxilio efficaci: & impugnari poteſt prædicta ſententia: Primò: nam auxilium efficax præoperantis gratiæ non dependet ex libera cooperatione arbitrij, nec ex diſpoſitione illius poſitiua, vt ſuprà oſtenſum eſt: ergo neque ex diſpoſitione negatiua, ſeu non reſiſtentia. Probatur conſequentia: nam eadem inconuenientia ſequuntur ex eo, quòd præcedat gratiam in aliquo genere cauſæ diſpoſitio negatiua liberi arbitrij, quæ ſequuntur ex eo, quòd præcedat diſpoſitio poſitiua: nam tandem vltimatè eſſet reducendum ad diſpoſitionem illam negatiuam, quòd vnus habeat gratiam efficacem, perſeueret in gratia, & ſaluetur, & non alius, quia videlicet vnus ex ſe incipit per illam diſpoſitionem negatiuam, ſeu non reſiſtentiam, ad quam ſequitur gratia efficax prædeterminans, alter non item. Et ita quærentibus, quare iſte homo habeat gratiam efficacem, & donum perſeuerantiæ, & non alter, poſſet reſpõderi, quia vnus ex ſe habuit illam diſpoſitionem negatiuam, ſeu nõ reſiſtentiam, & non alter, atque adeò rueret illa ſæpius repetita ſancti Auguſtini ſententia, quare iſtum trahat, & illum non trahat, noli velle diiudicare, ſi non vis errare. Item militant contra eandem ſententiam omnia argumenta diſput. 56. & 58. facta ad probandum, non eſſe legem à Deo ſtatutam de conferendis infallibiliter auxiliis gratiæ facientibus quod in ſe eſt ex ſola facultate naturæ: nam etiam eſt inconueniens, & forſitan maius aſſerere, quòd gratiæ dona, & auxilia habeant infallibilem ordinem, & cõnexionem cum diſpoſitione illa negatiua liberi arbitrij, quàm ſi dicatur, habere infallibilem cõnexionem cum aliquo actu poſitiuo eiuſdem arbitrij: nam iam gratia efficax eſſet debita naturæ, & conſequenter gratia non eſſet gratia. Nec ſatis eſt reſpondere, illam diſpoſitionem negatiuã non procedere ex ſolis viribus naturæ, ſed ſuppoſito auxilio præuenientis gratiæ excitantis. Contra hoc enim eſt: nam gratia excitans non facit ex ſe efficaciter, quòd homo excitatus non reſiſtat eidem gratiæ, aliàs nullus à gratia excitante præuentus illi reſiſteret: ergo quòd iſte homo non reſiſtat gratiæ excitanti, ſed merè negatiuè ſe habeat, ſuſpendendo omnem actum, reuocatur ad eius naturalem libertatem: ergo ſi ratione huius diſpoſitionis datur illi

Reſponſio.

Impugnatio.

Digitized by Google

illi infallibiliter auxilium efficax, videtur ſequi, idem auxilium efficax eſſe debitum naturæ, ſe diſponenti diſpoſitione illa negatiua. Secundò impugnatur eadem doctrina, quia illa non reſiſtentia lib. arbitrij, vel eſt omnino naturalis, ac præueniens omnem actum voluntatis, vel eſt libera ſaltem indirecte. Si eſt mere naturalis, & pura negatio, nihil conducit, vt quis habeat gratiam efficacem, vel vt eadem gratia efficax dicatur eſſe in poteſtate liberi arbitrij: nam diſpoſitio mere naturalis etiam negatiua non eſt in poteſtate arbitrij; alias non eſſet mere naturalis, ſed voluntaria: ratione autem diſpoſitionis, quæ non eſt in poteſtate arbitrij, non poteſt auxilium efficax eſſe in poteſtate eiuſdem arbitrij. Si autem dicatur, quòd illa diſpoſitio negatiua non eſt mere naturalis, ſed libera ſaltem indirecte, ſequitur, quòd illa diſpoſitio arbitrij, quæ præſupponitur ad gratiam efficacem, non ſit ſolum negatiua, ſed poſitiua ſaltem ratione actus, in quo eſt voluntaria. Tertiò idipſum probatur, quia quòd liberum arbitrium non reſiſtat, ſed ſinat ſe à Deo moueri, eſt effectus gratiæ efficacis: nam gratia efficax omnem ſuperat, & aufert reſiſtentiam arbitrij, cor emollit, & eius duritiem primitus aufert. Dicit enim Aug. *Hæc magna gratia, quæ occultè humanis cordibus diuina largitate tribuitur, à nullo duro corde * reſpuitur. Ideo quippe tribuitur, vt cordis duritia primitus auferatur.* Ergo talis non reſiſtentia arbitrij non eſt diſpoſitio prærequiſita ad gratiam efficacem, ac per conſequens efficacia doni perſeuerantiæ ex eadem diſpoſitione non pendet. Confirmatur hoc: nam liberum arbitrium ex eo non reſiſtit efficaci gratiæ, quia conſentit, & cooperatur cum illa, ſed cooperari cum gratia efficaci eſt effectus eiuſdem gratiæ, vt diſp. 86. oſtenſum eſt: ergo quòd liberum arbitrium non reſiſtat, ſed ſinat ſe à Deo moueri, eſt effectus motionis efficacis: non ergo præſupponitur ad ipſam motionem efficacem. Quartò idipſum probatur: nam ſi gratia efficax penderet ex illa negatiua diſpoſitione, ſeu non reſiſtentia arbitrij, ſequeretur, quòd ante decretum abſolutum dandi homini gratiam efficacem, qua actualiter conuertatur, & ſaluetur, præſupponatur in Deo ſcientia media, qua certò cognoſcat, illam non reſiſtentiam negatiuam futuram ex hypotheſi, quòd tali excitatione voluntas moueretur; & ita eſſet conſtituenda in Deo ſcientia media, cuius contrarium diſp. 7. oſtenſum eſt. Item etiam ſequeretur, quòd gratia efficax ſubiungeretur illi diſpoſitioni, ſeu non reſiſtentiæ humanæ, & eſſet pediſequa illius, quod tamen admitti non poteſt, vt ex ſuprà dictis conſtat.

Aug. lib. de præd. ss. cap. 8. * Alias, recipitur.

Ad argumentum ergo reſpondetur, gratiam ipſâ efficacem facere, quòd, cùm liberum arbitrium ex ſe poſſit reſiſtere vocationi diuinæ; non tamen reſiſtat, ſed libere, & infallibiliter conſentiat, & perſeueret vſque in finem. Nec eſt neceſſe, quòd auxilium efficax ſit in noſtra poteſtate, vt actus, quem virtute eiuſdem auxilij producimus, ſit nobis liber.

Ad confirmationem ex auctoritate S. Th. 3. cont. Gentes, reſpondetur, eſſe quidem in poteſtate liberi arbitrij ex facultate naturæ impedire gratiæ receptionem, diſſentiendo vocationi diuinæ: ſed tamen, vt idem S. Thomas explicat cap. 160. eiuſdem lib. 3. contra Gentes: *quod datum eſt, in poteſtate liberi arbitrij eſſe, ne impedimentum gratiæ præſtet, competit his, in quibus naturalis potentia integra fuerit. Si autem per inordinationem præcedentem declinauerit ad malum, non eſt omnino in poteſtate eius nullum impedimentum gratia præſtare.* Ex quibus verbis habetur, poſſe quidem liberum arbitrium in natura lapſa per aliquod breue tempus ex viribus propriis non apponere nouum impedimentum gratiæ, quia poteſt elicere aliquod bonum opus morale, quo vitet nouum peccatum, ſed tamen auxilium gratiæ præſertim efficacis non habet infallibilem connexionem cum illo bono opere naturæ, & multò minùs poteſt eam habere cum negatione operis, ſeu vitij contrarij. Vnde quotieſcunque non reſiſtentia eſt infallibiliter connexa cum auxilio efficaci, neceſſe eſt quòd eadem non reſiſtentia procedat ex efficaci auxilio, a quo prouenit, quòd liberum arbitrium conſentiat, ac ſubinde, quòd non diſſentiat, ſed ſinat ſe moueri à Deo. Ad alium locum S. Thom. ex quæſt. 3. de malo, articulo ſecundo, reſpondetur, S. Thom. nullo modo fauere ibi ſententiæ contrariæ. Verba enim illius ſunt hæc: *Cum aliquid eſt in debita diſpoſitione ad recipiendum motionem primi mouentis, conſequitur actio perfecta ſecundum intentionem primi mouentis. Sed ſi non ſit in debita diſpoſitione, & aptitudine ad recipiendum motionem primi mouentis, ſequitur actio imperfecta. Et tunc id, quod eſt ibi actionis, reducitur ad primum mouens, ſicut in cauſam; quod autem eſt ibi de defectu, non reducitur in primum mouens, ſicut in cauſam, quia talis defectus conſequitur in actione ex hoc, quod agens deficit ab ordine primi mouentis.* Sed his verbis non vult docere ſanctus Thomas, ex parte naturæ præſupponi diſpoſitionem, ſeu non reſiſtentiam negatiuam ante motionem primi mouentis, vt voluntatem efficaciter moueat ad actus ſupernaturales, & multò minus colligi poteſt ex eiſdem verbis, auxilium efficax prædeterminans liberum arbitrium ad priam operationem, habere infallibilem connexionem cum eadem diſpoſitione negatiua. Senſus ergo ſancti Thomæ eſt, quòd priùs in ligno rationis, quàm voluntas eliciat actum bonum, vel malum, intelligitur in illa aliqua diſpoſitio, ratione cuius operatio, quam producit, ſit bona, vel mala; ſed tamen eadem diſpoſitio, quando actus liber eſt bonus, cauſatur ex motione primi mouentis; quia Deus, cùm ſit agens infinitæ virtutis, non expectat, vel præſupponit in ſubiecto diſpoſitionem, quam ipſe non cauſet. Si autem actus ſit malus, priùs intelligitur, quòd Deus moueat voluntatem ad actum peccati, inquantùm actus eſt, vt ex præmiſſis diſput. 24. colligitur. Deinde intelligitur diſpoſitio voluntatis, qua libere vult actum, cui eſt annexa malitia, vt procedit ab eadem voluntate deficiente à regula rationis: & conſequenter ab eadem voluntate deficiente habet actus productus, quòd ſit peccatum. Vnde quidquid eſt deformitatis in eodem actu, in voluntatem deficientem, & non in Deum reducendum eſt. Et hic eſt legitimus ſenſus ſancti Thomæ loco inducto.

Ad ſeptimum argumentum factum à principio, reſpondetur per ea, quæ in diſp. 90. dicta ſunt. Iam enim ibi, & in aliis pluribus diſputationibus oſtenſum eſt, efficaciam auxilij præoperantis gratiæ non pendere ex libera cooperatione noſtri arbitrij cum illo, ſed illam habere à ſolo Deo, quamuis libera operatio, ad quam mouet, pendeat efficienter ex eodem arbitrio excitato à Deo, & moto: quod & S. Auguſtin. libro de correptione & gratia, capite tertio docet, vbi proponens querimoniam hominis, qui tale auxilium non accepit, ait: *Quomodo*, inquit, *meo vitio non habetur, quod non accepi ab illo, à quo miſi detur, non eſt omnino alius, vnde tale ac tantum munus habetur?* Quibus verbis ſupponit ſanctus Auguſtinus auxilium efficax, & à fortiori donum perſeuerantiæ à nullo alio pendere, niſi à Deo.

DISPVTATIO CVI.

Vtrùm in statu innocentiæ primi parentes indiguerint speciali dono Perseuerantiæ, ad perseuerandum in gratia vsque ad finem vitæ.

I. QVidam dixerunt, primos parentes in statu innocentiæ, ad vitandum lethalia peccata, perseuerandúmque in gratia vsque in finem, non eguisse auxilio particulari, superaddito habitibus iustitiæ originalis, gratiæ, Theologaliúmque virtutum. Itaque iuxta hanc sententiam, si primi parentes de facto perseuerassent, sola iustitia originali, habitu gratiæ, & virtutum infusarum, ac Dei concursu generali, secluso quocunque alio auxilio speciali, perseuerassent. Probant suam sententiam

Primò nam communis est sententia S. Th. 1.2.q. 109. art. 2, 3. 4. & 8. atque art. 10. hominem in statu innocentiæ per suum liberum arbitrium, cum solo concursu generali Dei, potuisse absque alio auxilio speciali implere, etiam ad longissimum tempus, totam legem, quoad substantiam actus, quæ ad nihil supernaturale obligaret: atque adeò potuisse se continere ab omni peccato tam veniali, quàm lethali, per quodcunque tempus, licèt longissimum: ergo potuisset perseuerare, & perseuerasset de facto, si voluisset, cum solis habitibus infusis, & concursu Dei generali, secluso quocunque alio speciali auxilio. Antecedens probatur, quia in illo statu nulla erat inordinatio appetitus sentitiui, nullus labor, nullum tædium, nulláque interior tentatio, vel aliud impedimentum obstans, quo minùs totam legem, ad longissimum quoque tempus, etiam vsque ad finem vitæ, suo libero arbitrio posset seruare, continerèque se ab omni peccato lethali, & veniali.

Secundò. Iuxta communem sententiam Doctorum, Adam in eodem statu innocentiæ per dona supernaturalia fidei, spei, charitatis, & gratiæ, poterat cum communi, & generali auxilio Dei operari suam salutem, vitámque æternam promereri, absque aliis auxiliis specialibus; cùm eiusmodi habitus accommodati sint ad eliciendum cum viribus naturalibus, & communi Dei influxu actus, ad quos ordinantur, nulláque esset difficultas in Adamo, vel in efficiendis, vel in continuandis, & multiplicandis eisdem actibus. ergo cum eisdem habitibus, & cõcursu Dei generali, secluso quoque alio auxilio speciali, potuit perseuerare vsque in finem, & perseuerasset de facto, si voluisset.

Confirmatur. Quoniam nos, comparato habitu fidei, spei, aut charitatis supernaturalis, possumus cum communi auxilio Dei elicere vnum, aut alterum actum fidei, spei, aut charitatis supernaturalis, eliceréque vnum, aut alterum opus meritorium, licèt diu totam legem, propter rebellionem virium sentientium, & debilitatem corporis, ac molestiã, implere non possimus, vt præter alios affirmat Sotus tertio de natura, & gratia, c. 4. Cùm ergo in Adamo nulla esset tunc debilitas, molestia, aut rebellio, consequens est, vt cum communi auxilio Dei potuerit operari suam salutem, vitámque æternam promereri, ac perseuerare vsque in finem.

Tertiò idem probant auctoritate S. Aug. libr. de correpț. & grat. c. 10. & duobus sequentibus, vbi plenissimam primos parentes habuisse libertatem affirmat, accepisséque gratiam, & auxilium, non quidem, quo non potuerint non perseuerare in gratia: id enim ad statum sempiternæ fœlicitatis spectat, sed quo potuerunt perseuerare, & non perseuerare: per solum verò eorum liberum arbitrium stetit, quominùs id opere implerent. Eandem quoque plenitudinem libertatis affirmat, eos accepisse Hypognostic. lib. 3. in princ. Item etiam c. 11. eiusdem lib. *Istam gratiam*, inquit, *non habuit homo primus, qua nunquam vellet esse malus, sed sanè habuit, in qua si permanere vellet, nunquam malus esset, & sine qua, etiam cum libero arbitrio bonus esse non posset; sed eam tamen per liberum arbitrium deserere posset. Neque ipsum ergo Deus esse voluit sine sua gratia, quam reliquit in eius libero arbitrio, quoniam liberum arbitrium ad malum suſpecit, ad bonum autem* (supernaturale, intellige, de quo est sermo) *parum est, nisi adiuuetur ab Omnipotenti bono: quod adiutorium, si homo ille per liberum non deseruisset arbitrium, semper esset bonus: sed deseruit, & desertus est. Tale quippe erat adiutorium, quod desereret, cùm vellet, & in quo permaneret, si vellet, non quo fieret, vt vellet.* Et c. 12. ait: *Primo itaque homini, qui in bono, quo factus fuerat rectus, acceperat posse non peccare, posse non mori, posse ipsum bonum non deserere, datum est ei adiutorium perseuerantiæ, non quo fieret, vt perseueraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseuerare non posset.* Et infrà: *Vt perseuerare, vel non perseuerare in eius relinqueretur arbitrio, tales vires eius habebat voluntas, quæ sine vllo fuerat instituta peccato, & nihil illi ex seipsa concupiscentialiter resistebat, vt dignè tantæ bonitati, & bene viuendi facilitati perseuerandi concomitaretur arbitrium.* Ecce per eadem habitualia dona, per quæ interna bella erant sublata, ad bonúmque propendebat, ait. Adamum in innocentiæ statu consequutum fuisse arbitrium, facultatémque perseuerandi, si vellet.

Lib. de correp. & gra.

Contrariam sententiam veram esse censeo, & ad mentem SS. Augustini, & Thom. pro cuius explicatione sit

II.

PRima conclusio. Primi parentes in statu innocentiæ per habitum gratiæ, & iustitię originalis, per virtutes infusas, & auxilia actualia, quæ de facto in eodem statu fuerunt illis collata, potuerunt perseuerare, sicut per auxilium sufficiens potest quis ad Deum conuerti, quamuis de facto nunquam conuertatur, solo auxilio sufficiente. In hac conc. conueniunt auctores vtriusque sententiæ, & eam probant efficaciter argumenta facta à principio, estque expressa sententia S. Aug. locis in 3. arg. allegatis.

Perseuerare potuerunt primi parentes in statu innocentiæ per gratiam, & dona illis collata.

Præterea probatur. nam reprobus per gratiam, & virtutes infusas, & per auxilia actualia, quæ illi, dum est in gratia, à Deo donantur, potest perseuerare vsque in finem, quáuis cum reprobatione sit incompossibilis actualis perseuerantia vsque in finem: ergo à fortiori primi parentes in statu innocentiæ potuerũt per supernaturalia dona habitualia, & actualia illis collata, perseuerare vsque in finem, si voluissent, quamuis de facto non perseuerauerint.

Confirmatur. Auxilium efficax doni perseuerantiæ non est necessarium, vt quis possit perseuerare, sed vt de facto perseueret; alias vel omnes perseuerarent, vel illi, qui non perseuerant, reuerà perseuerare non possent; ac per consequens non imputaretur eis ad culpam, si non perseuerent, quia nullus peccat in eo, quod vitare non potest: ergo etiamsi primis parentibus in statu innocentiæ non fuerit à Deo collatum donum perseuerantiæ, quo actualiter perseuerarent, adhuc perseuerare potuerunt per dona habitualia, & auxilia actualia collata.

III.

Dixi *per dona habitualia, & auxilia actualia*: quoniam certissimum est, primis parentibus in statu innocentiæ non solùm fuisse collata supernaturalia dona habitualia, sed etiam auxilia actualia excitantis, & adiuuantis gratiæ, quibus illa paruo tempore, quo

Gratiæ plura auxilia actualia collata fuere pri-

Digitized by Google

mis parentibus in ſtatu innocentiæ.

quo perſtiterunt in gratia, nonnulla bona opera meritoria vitæ æternæ exercuerunt, quamuis per ſubſequens peccatum fuerint mortificata: tam enim ſuprà oſtenſum eſt, ad quamlibet piam operationem, præter habitualia dona, neceſſarium eſſe actuale auxilium excitantis, & adiuuantis gratiæ: idque propter rationes ibi aſſignatas. His ergo donis potuerunt primi parentes in ſtatu innocentiæ perſeuerare, ſi voluiſſent, quamuis non fuerit illis a Deo donatum, vt vellent.

Diſp. 82.

IV. Perſeuerantiæ donum etiam in ſtatu innocentiæ erat neceſſarium primis parentibus, vt perſeuerarent.

Secunda concluſio. Vt actualiter perſeuerarent primi parentes in ſtatu innocentiæ, neceſſarium erat ſpeciale auxilium actuale doni perſeuerantiæ à gratia habituali, & virtutibus infuſis diſtinctum. Itaque ſi actualiter, vt potuerunt, perſeueraſſent, fuiſſet illis collatum ſpeciale præueniens auxilium doni perſeuerantiæ, quod de facto non fuit illis donatum, ac per conſequens non perſeueraſſent per ſolam originalem iuſtitiam, gratiam habitualem, & virtutes infuſas. Concluſio eſt ſancti Thom. 3. contra gentes, cap. 155. vbi inter alia inquit: *Sicut liberum arbitrium non ſufficit ad illum effectum, qui eſt perſeuerare in bono ſine exteriori Dei auxilio, ita nec ad hoc ſufficit aliquis habitus nobis infuſus. habitus enim, qui nobis infunduntur diuinitùs ſecundùm ſtatum præſentis vitæ, non auferunt à libero arbitrio totaliter mobilitatem ad malum, licèt per liberum arbitrium aliqualiter ſtabiliatur in bono: & ideo cùm dicimus, hominem indigere ad perſeuerandum finaliter auxilio gratiæ, non intelligimus, quòd ſuper gratiam habitualem priùs infuſam ad bene operandum, alia deſuper infundatur ad perſeuerandum, ſed intelligimus, quòd, habitis omnibus habitibus gratuitis, adhuc indiget homo diuinæ prouidentiæ auxilio, exterius gubernantis.* Idem docet 1. 2. q. 109. artic. 10.

Probatur primò teſtimoniis Scripturæ, quæ pro illa adducit S. Tho. 3. cont. gent. citato: dicitur enim Philipp. 2. *Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vſque in diem Ieſu Chriſti.* Et 1. Petr. vlt. *Deus omnis gratiæ, qui vocauit nos in æternam gloriam ſuam, modicum paſſos, ipſe perficiet, cõfirmabit, ſolidabitq;.* Et, *Quis es, qui indicas alienum ſeruum? domino ſuo ſtat, aut cadit; ſtabit autem: potens eſt enim Deus ſtatuere illum.* Inueniuntur etiam in ſacra Scriptura multæ orationes, quibus à Deo petitur perſeuerantia; ſicut in Pſalmo 16. *Perfice greſſus meos in ſemitis tuis, vt non moueantur veſtigia mea.* Et 2. ad Theſſal. 2. *Deus Pater noſter exhortetur corda veſtra, & confirmet in omni opere, & ſermone bono.* Hoc etiam ipſum in oratione Dominica petitur, maximè cùm dicitur: *Adueniat regnum tuũ*: nõ enim nobis adueniet regnũ Dei, niſi in bono perſeuerauerimus. Deriſorium autem eſſet, à Deo aliquid petere, cuius ipſe dator nõ eſſet: ergo perſeuerantia in bono eſt homini à Deo, in quocunque ſtatu fuerit conſtitutus. Si dicatur, quòd ſi homo in ſtatu innocentiæ perſeueraſſet, talis perſeuerantia eſſet quidem donum Dei, ſed non proceſſiſſet ex auxilio ſpeciali ſuperaddito, ſed ex habitu gratiæ, & virtutum infuſarum cum Dei concurſu generali, cooperãte ſimul libero hominis arbitrio. Contra hoc eſt nam, vt ſuprà ex S. Thom. dicebamus, ad perſeuerandum in bono, nullus habitus infuſus eſt ſufficiens in hac vita, nam ſecundum præſentem ſtatum habitus non auferunt à libero arbitrio totaliter mobilitatem ad malum, licèt per eos liberum arbitrium aliqualiter ſtabiliatur in bono: ergo præter habitus infuſos, neceſſariũ eſt ad perſeuerandum ſpeciale auxilium ſuperadditum, nõ ſolum in ſtatu naturæ corruptæ, ſed etiam naturæ integræ, in quo etiam habitus infuſi non abſtulerunt a libero arbitrio totaliter mobilitatẽ ad malũ.

Rom. 14.

Matth. 6.

Solutio.

Confutatio.

Secunda, & potiſſima ratio ſumitur ex Concilio Arauſica. cap. 19. vbi ſic dicitur: *Natura humana, etiamſi in illa integritate, in qua eſt condita, permaneret, nullo modo ſeipſam, Creatore ſuo non adiuuante, ſeruaret. Vnde cùm ſine gratia Dei ſalutem non poſſit cuſtodire, quam accepit, quomodo ſine Dei gratia poterit recuperare quod perdidit?* Quibus verbis, videtur definitũ, quòd ſi natura humana in illa integritate, in qua eſt condita, permaneret, per ſpeciale auxilium gratiæ adiuuantis, iuſtitiæ originali & habitibus infuſis ſuperadditum, perſeueraſſent. Reſpondent, ſupponendo inprimis, Pelagianos aſſeruiſſe, ſolas vires naturales arbitrij noſtri præciſe ſpectatas à quocũque auxilio, & dono Dei ſuperaddito, eſſe ſatis tum ad conſeruandam amicitiam cum Deo, tum etiam ad illam reintegrandam, recuperandamve per pœnitẽtiam poſtquam per peccatum eſſet amiſſa. Supponunt ſecundò Patres, dum aduersùs huiuſmodi Pelagianorum errores loquebãtur, quidpiamve definiebant, nomine auxilij gratiæ, id omne intellexiſſe, quod ſuperadditum viribus arbitrij noſtri, has adiuuat, vt non ſuccumbant, & vt ſupernaturalia opera exerceant, ſiue id eſſet habitus ſupernaturalis influens cum potentia, ſiue motio, & influxus ſine habitu. Atque id totum comprehendebant, nomine gratiæ, qua aduerſus Pelagianos dicebant arbitrium noſtrum, vltra ſuas vires naturales, indigere. Hoc iacto fundamento, dicunt Patres Concilij Arauſicani eo in capite, hanc potiſſimùm concluſionem aduerſus Pelagianos intendiſſe definire. Homo ſalutem ſpiritualem amiſſam recuperare non poteſt ſuis viribus ſine gratia, hoc eſt ſine Dei ſupernaturali adiutorio, modo paulò antè explicato, vt verò eam definirẽt, præmiſerunt: Natura humana etiamſi in illa integritate, in qua eſt condita, permaneret, nullo modo ſeipſam (ſuis ſcilicet ſolis viribus naturalibus, vt Pelagiani dicebant) Creatore ſuo non adiuuante; ſaltem per influxum habitum iuſtitiæ originalis, gratiæ, & Theologalium virtutum, ſeruaret. Vnde, cùm ſine gratia Dei, ſolo ſcilicet influxu ſuarũ virium naturalium ſalutem non poſſit cuſtodire, quam accepit; quomodo ſine Dei gratia, ſcilicet ſuis viribus, poterit recuperare quod perdidit? Ex quo inferunt, neminem poſſe ex eiuſmodi definitione colligere, primos parẽtes in ſtatu innocẽtiæ ad perſeuerandũ in gratia eguiſſe auxilio ſupernaturali ſuperaddito habitibus iuſtitiæ originalis, gratiæ, Theologaliúmque virtutum. Hæc tamen ſolutio, præterquam quòd aliqua præſupponit falſa, vim argumenti non euacuat, nec mentem Concilij quantùm par eſt, videtur defendere. Et, vt ab impugnatione primi fundamẽti incipiamus, aduertimus, quòd quamuis in primo ſtatu ſuæ hæreſis Pelagius ſtatuerit, ſolas vires naturales arbitrij noſtri præciſè ſpectatas abſque ſupernaturali auxilio, & dono Dei ſuperaddito, eſſe ſatis ad implenda omnia legis præcepta, recuperandam gratiam per pœnitentiam, & vitam æternam promerendam; poſtmodùm tamen correctus à fratribus, quòd nullum locum relinqueret gratiæ Dei, per Ieſum Chriſtum, adiecit, admittendam eſſe gratiam internam ad poſſe, illuminationem videlicet intellectus, & ſtupentis excitationem voluntatis, ac Dei adiutorium ſubſequens ad determinationem creatæ voluntatis, vt ex dictis in prima diſputatione cõſtat, vbi apertiſſimis teſtimoniis eiuſdem Pelagij, quæ in libris S. Auguſtini extant, & ex ſententia eiuſdem Auguſtini id comprobauimus.

Solutio.

Impugnatio.

Nec eſt admittendum illud, quod in ſecundo fundamento inſinuatur, Patres videlicet, dum aduerſus Pelagianorum errores definierunt, nomine auxilij gratiæ ſolum intellexiſſe donum ſuperadditum viribus arbitrij noſtri, ſiue eſſet habitus ſupernatura-

Auxilij gratiæ nomine quid intellexe-

Digitized by Google

fiat 55. Pp. diſputantes contra Pelagianos.

lis, ſiue concomitans motio, eóſve intelleximſſe ſufficerę ad pietatis opera exequenda, habitus gratiæ, & virtutum infuſarum, qui pariter cum noſtro libero arbitrio ſe determinante, in eaſdem pias operationes influerent abſque alio quocunque actuali auxilio ſpeciali, eiſdem habitibus ſuperaddito. Etenim, quamuis nomine auxilij gratuiti, gratiam etiam habitualem, & virtutes infuſas comprehendant, ſicut intelligit S. Thom. 1. 2. quæſt. 111. art. 2. & 3. potiſſime tamen in multis definitionibus, de auxilio actuali habitibus infuſis ſuperaddito, intelliguntur, vt patet ex Conc. Mileuitano can. 4. & Arauſicano can. 4. 6. 9. 10. & 20. vbi expreſsè loquitur de auxilio ſpeciali ſuperaddito, quo Deus in nobis, atque nobiſcum vt operemur, operatur.

Confirmatur hoc omnibus argumentis, quibus diſput. 88. oſtenſum eſt, in eo, qui habet habitus infuſos ad eliciendum actum ſupernaturalem, neceſſarium eſſe auxilium ſpeciale, non ſolùm excitantis, ſed etiam adiuuantis gratiæ eiſdem habitibus infuſis ſuperadditum.

Tertiò probatur concluſio, oſtendendo, Concilium Arauſicanum can. 19. allegato, per gratiam adiuuantem intelligere auxiliũ ſpeciale, gratiæ habituali, & virtutibus infuſis ſuperadditũ nã in prima parte illius canonis loquitur de primis patentibus in ſtatu innocentiæ, in quo prædicti erãt iuſtitia originali, habituali gratia, & virtutibus infuſis; & definit, in illis adhuc fuiſſe neceſſarium adiutorium gratiæ, vt ſalutem, quam acceperunt, cuſtodirent: ergo loquitur de adiutorio, ſiue auxilio ſpeciali, eiſdem habitibus infuſis ſuperaddito. Nec ſatis eſt reſpondere, ipſum habitum gratiæ, & virtutem, quatenus pariter cum libero arbitrio, ſe determinante, influit in piam operationem, habere rationem ſpecialis auxilij actualis. Contra hoc enim militant omnia argumenta, quibus diſputat. 18. oſtenſum eſt, ſpeciale Dei auxilium, ſicut & cõcurſum generalẽ eſſe influxum immediatum in liberum arbitrium, vt in cauſam, & aliquid prævium ad eiuſdem arbitrij influxum, per quod Deus præmouet, applicat, & prædeterminat voluntatem noſtram, vt liberè, & infallibiliter cooperetur gratiæ mouenti.

VI. Habitus ſupernaturalis à quo determinetur ad operandum.

Confirmatur: quia ſequeretur ex oppoſita ſententia, quòd libera cooperatio hominis cum habitibus infuſis eſſet cauſa, quòd habitus gratiæ, & charitatis haberet influxum in operationes pias, quibus perſeuerat vſque in finem, & conſequenter donum perſeuerantiæ penderet, ſaltem, vt à conditione, ſine qua non, ex libera cooperatione noſtri arbitrij: cuius contrarium oſtenſum eſt in diſputatione præcedenti. Sequela probatur: nam ſi non requiritur prævia motio, & determinatio per auxilium ſpeciale, vt habitus gratiæ, & charitatis ſimul cum libero arbitrio influat in operationes pias: ergo libera cooperatio, & determinatio arbitrij erit cauſa, quòd habitus gratiæ, & charitatis habeat nouum influxum in operationes, quibus homo perſeuerat vſque in finem, ac per conſequens donum perſeuerantię pẽdet ex libera cooperatione arbitrij.

Quartò probatur. Quia in nobis, præter ipſum habituale donum gratiæ gratum facientis, & virtutes infuſas, vt actualiter perſeueremus vſque in finem, eſt neceſſarium ſpeciale auxilium doni perſeuerantiæ eiſdem habitibus infuſis ſuperadditum: ergo ſimiliter in Adam in ſtatu innocentiæ. Antecedens eſt expreſſa ſententia S. Thomæ 1. 2. q. 109. articul. 9. & 10. & habetur definitum in Concil. Trident. ſeſſ. 6. de iuſtificat. can. 22. ſub his verbis: *Si quis dixerit, iuſtificatum, vel ſine ſpeciali auxilio Dei in accepta iuſtitia perſeuerare poſſe, vel cum eo non poſſe, anathema ſit.* Conſequentia autem probatur: nam

A ratio, propter quam S. Thom. docet, eum, qui iam conſequutus eſt gratiam iuſtificantem, indigere auxilio ſpeciali ſuperaddito, vt operetur bonum, & perſeueret vſque in finem, eſt, *quia nulla res creata poteſt in quemcunque actum prodire, niſi virtute motionis diuinæ*: hæc autem ratio etiam procedit de primis parentibus in ſtatu innocentiæ: ergo. Reſpondent, negando conſequentiam, & aſſignant rationem diſcriminis: nam iuſtitia originalis continebat partem inferiorem, ne bellum aduerſus ſuperiorem moueret, neque inſurgerent paſſiones, vel tentationes appetitus ſenſitiui contra rationem; quod tamẽ non effecit gratia habitualis in ſtatu naturæ lapſæ: & ideo indiget homo iuſtus poſt lapſum, ſpeciali auxilio ſuperaddito, vt actualiter perſeueret, nõ autem in natura integra. Sed contra hanc ſolutionem eſt efficax argumentum: nam S. Thomas duplicem rationem aſſignat, propter quam ille, qui iam conſequutus eſt gratiam, indiget, vt bene operetur, ſpeciali auxilio ſuperaddito, quo à Deo moueatur ad rectè agendum. *Primo ratione generali, eo quod nulla res creata poteſt in quemcunque actum prodire niſi virtute motionis diuinæ. Secundò ratione ſpeciali propter conditionem ſtatus humanæ naturæ, quæ quidem, licèt per gratiam ſanetur, quantum ad mentem, remanet tamen in ea corruptio, & infectio quantum ad carnem, per quam ſeruit legi peccati, vt dicitur ad Rom. 7.* ergo quamuis in ſtatu innocentiæ non procedat hæc ſecunda ratio; adhuc tamen habet locum in eo ratio prima, ac per conſequens, propter illam dicendum eſt, primum parentem in ſtatu innocentiæ indiguiſſe ſpeciali auxilio, ſuperaddito habitibus infuſis, vt actualiter perſeueraret.

Quintò probatur: quia S. Auguſt. lib. de corrept. & grat. ſuperiùs allegato, & cum eo S. Thom. docent, maius donum accepiſſe nos per Chriſtum, quàm acceperit Adam in ſtatu innocentiæ; eò quòd Adæ ſolùm fuit collatum donum, quo poſſet perſeuerare ſi vellet; non autem quo actualiter perſeueraret, & vellet: Prædeſtinatis autem datur per Chriſtum non tantùm donum, quo perſeuerare poſſint, ſi velint; ſed etiam quo actualiter perſeuerent, & velint. Sentiunt ergo, primum parentem in ſtatu innocentiæ, vt actualiter perſeueraret, indiguiſſe aliquo ſpeciali auxilio, eu dono; quod tamen non fuit illi collatum, ſicut per gratiam Chriſti confertur Prædeſtinatis.

Confirmatur nam, vt ſuprà dictum eſt, aliud eſt poſſe perſeuerare, aliud actu perſeuerare; ſicut aliud eſt poſſe operari, aliud actualiter operari: ſed tam poſſe perſeuerare, quàm actualiter perſeuerare, ſunt donum Dei: dicit enim Auguſtinus: *Ipſius eſt non ſolum poſſe, quod volumus, ſed etiam velle, quod poſſumus*: ergo ſi Adam perſeueraſſet, vt potuit, ex aliquo ſuperaddito dono Dei perſeueraſſet: quod tamen de facto non fuit illi collatum; ac per conſequens indiguit in ſtatu innocentiæ ſpeciali auxilio, vt actualiter perſeueraret. Reſpondent, S. Auguſtinum, & Thomam id intelligere ex parte effectus, quia maiorem effectum habuit gratia Chriſti in adultis, qui vſque ad finem vitæ perſeuerauerunt; cooperante tamen ad perſeuerandum libero ipſorummet arbitrio, quam habuerit gratia Adamo collata, per quam ex Adami defectu non volentis cum ea cooperari, non perſeuerauit: non tamen negaſſe, neque negare poſſe, gratiam Adamo collatam, ſi per arbitrium Adami non ſteteſſet, potuiſſe recipi habere vtrumque effectum, ſolaque culpa Adami illum non habuiſſe. Hæc tamen explicatio verbis S. Auguſtini, & S. Thomæ non congruit: nam expreſsè diſtinguit S. Auguſt. ipſa adiutoria gratiæ: *ipſa*, inquit, *adiutoria diſtinguenda ſunt: aliud eſt adiutorium, ſine*

S. Thom. 1. 2. q. 109. ar. 1. & 9.

Solutio.

VII. Impugnatio. S. Thom. ar 9. citato. Iuſtus duplici ratione indiget actuali auxilio ad rectè operandum.

VIII. Gratiæ dona collata nobis per Chriſtum maiora ſunt, quàm dona ſtatus innocentiæ.

Adam ſi in ſtatu innocentię perſeueraſſet, ex ſpeciali dono perſeueraſſet.

Solutio.

Impugnatio. Aug. lib. de corrept. & grat. cap. 11. & 12.

Digitized by Google

ſine quo aliquid non ſit, & aliud eſt adiutorium, quo aliquid ſit. Et paulò antè præmiſerat, quòd gratia data ſecundo Adam, eſt potentior prima gratia, quæ data eſt primo Adam. Sentit ergo, ex parte ipſius gratiæ, & non ſolùm ex parte effectus, eſſe potentiorem, & maiorem gratiam eam, quæ confertur Prædeſtinatis per Chriſtum, & perſeuerantibus vſque in finem, gratia collata Adæ in ſtatu innocentiæ.

Accedit ad hoc: nam ſi eadem gratia duobus hominibus collata habet in vno effectum perſeuerandi vſque in finem, non autem in alio, idque non aliunde eſt, nili quia vnus pro innata ſibi libertate voluit ita bene vti eadem gratia, vt ſalutem conſequeretur æternam, alius non item; ſequeretur, quòd actualis perſeuerantia tandem reduceretur in vires naturæ, ſiue in libertatem innatam creari arbitrij: quod tamen non poteſt admitti. Nec ſatisfacit ſolutio afferentium, quòd ſi Adamus, vt potuit, perſeueraſſet, certè eiuſmodi effectus, hoc eſt, perſeuerantia ipſa in gratia, ſeipſum ab omni lethali culpa continendo, non fuiſſet ex ſolis viribus Adami, ſed præcipuè ex cooperatione Dei per habitualia dona, quæ ad perſeuerandum illi contulerat, per ſolúmq; Adamum ſtetit, quo minùs haberent eum effectum, ad quem, dependenter tamen ab ipſius arbitrio, fuerant eidem collata. Hæc, inquam, ſolutio non ſubſiſtit: iam enim ſuprà oſtenſum eſt, ſalutem noſtram non eſſe ſolùm reducendam in ipſam gratiam, vt in cauſam partialem etiam principalem; ſed tanquam in cauſam totalem, & adæquatam, quia licet noſtrum arbitrium libere cooperetur Deo excitanti, & mouenti; ſola tamen gratia eſt, quæ efficit, vt ipſum arbitrium cooperetur. Fatemur ergo libentiſſimè, per ſolum Adam ſtetiſſe, quòd gratia illi collata, per quam perſeuerare poterat, non habuerit effectum, cum hoc tamen neceſſe eſt etiam fateri, quòd ſi talis effectus fuiſſet de facto ſubſequutus, cooperante libero arbitrio primi parentis, effectus ille non proceſſiſſet à ſola gratia collata Adæ, & libero eius arbitrio, cum Dei concurſu generali; ſed ab auxilio ſpeciali præmouente liberum eius arbitrium ad perſeuerandum, & tribuente non ſolùm poſſe perſeuerare, ſed etiam velle.

Denique probatur ratione S. Thom. 3. cont. Gent. cap. 155. Nam omne, quod eſt de ſe variabile, ad hoc, quòd figatur in bono, indiget auxilio alicuius mouentis immobilis; ſed homo variabilis eſt, & de malo in bonum, & de bono in malum; ad hoc igitur quòd immobiliter perſeueret in bono, quod eſt perſeuerare, indiget auxilio diuino. Hæc autem ratio etiam procedit de homine in ſtatu innocentiæ: nam eius liberum arbitrium erat variabile de bono in malum, cum de facto fuerit variatum: ergo.

Confirmatur alia ratione eiuſdem ſancti Thomæ: nam, licèt homo per voluntatem, & liberum arbitrium ſit dominus ſui actus: non tamen eſt dominus ſuarum naturalium potentiarum: & ideo, licèt liber ſit ad volendum, vel ad non volendum aliquid: non tamen volendo facere poteſt, quòd voluntas in eo, quod vult ad id, quod vult, vel eligit, immobiliter ſe habeat: hoc autem requiritur ad perſeuerantiam, vt ſcilicet voluntas in bono immobiliter permaneat. Perſeuerantia igitur non eſt in poteſtate liberi arbitrij: opus eſt igitur adeſſe homini auxilium diuinæ gratiæ ad hoc, vt perſeueret. Quæ ratio etiam procedit de homine in ſtatu naturæ integræ. Videantur aliæ rationes eod. c. 155.

AD primum argumentum reſpondetur, nedum non eſſe S. Thomæ, vel communem, ſed nec probabilem ſententiam illam, quæ aſſerit, hominem in ſtatu innocentiæ per ſuum liberum arbitrium cum ſolo concurſu generali Dei potuiſſe abſque alio auxilio ſpeciali implere totam legem, etiam quoad ſubſtantiam actus, vel perſeuerare vſque in finem. Licet enim potuerit per facultatem naturæ abſque auxilio ſpeciali implere totam legem naturalem; non tamen poterat abſque ſpeciali auxilio ſuperaddito implere præcepta ſupernaturalia, vt habetur 1.2. q. 109. art. 4. *in corp.* Ad perſeuerandum autem vſque in finem, neceſſe eſt, non ſolùm præcepta naturalia, ſed etiam ſupernaturalia ſeruare. Neque eſt admittendum, eiuſmodi præcepta, quoad ſubſtantiam actus ſeruari poſſe per ſolas vires naturæ, quantumuis integræ & perfectæ, vt ex dictis in 65. diſp. conſtat. Addimus præterea, hominem in ſtatu innocentiæ ad ſeruanda præcepta naturalia indiguiſſe auxilio Dei mouentis, vt 1.2. citata q. 109. art. 1. 2. 3. & 4. docet S. Thom. Vnde, abſolutè loquendo, non potuit homo in ſtatu naturæ integræ, abſque ſpeciali auxilio, habitibus infuſis ſuperaddito, perſeuerare vſque in finem.

Ad ſecundum cum ſua confirmatione reſpondetur ſimiliter, quòd, vt in diſp. 88. oſtenſum eſt, præter habitus infuſos, vt ſemel iuſtificatus quamlibet piam operationem producat, neceſſarium eſt ſpeciale auxilium gratiæ adiuuantis non ſolùm in natura lapſa, ſed etiam in natura integra; idque propter rationes in ead. diſput. aſſignatas. Nec M. Sotus loco prælegato docet, poſſe quempiam, comparato habitu fidei, ſpei, aut charitatis ſupernaturalis, cum ſolo concurſu Dei generali elicere vnum, aut alterum actum fidei, ſpei, aut charitatis ſupernaturalis, ſed potiùs docet oppoſitum, ex ſententia S. Thom. 1.2. q. 109. art. 9. ſolùm autem loquitur M. Sotus de opere moraliter bono, quod opinatur in homine iuſto eſſe meritorium vitæ æternæ, etiamſi abſque ſpeciali auxilio gratiæ eliciatur, ſicut poteſt elici ab homine exiſtente in peccato mortali, vt diſput. 50. oſtenſum eſt.

Ad tertium reſpondetur, ex omnibus illis locis S. Auguſtini ſolùm colligi, primis parentibus in ſtatu innocentiæ datum fuiſſe gratiæ adiutorium, quo perſeuerare potuiſſent, & perſeuerarent, ſi vellent, quod & nos libenter fatemur; nihilominus, iuxta ſententiam eiuſdem S. Auguſtini locis ſuperiùs allegatis, vt actualiter perſeuerarent, etiam in ſtatu innocentiæ, indigebant ſpeciali auxilio præoperantis gratiæ, & firmantis liberum arbitrium in bono.

Soluti̊.

Impugnatio. Diſp. 100.

IX.

DISPVTATIO CVII.

Vtrùm donum perſeuerantiæ ſit omnibus hominibus fidelibus commune, an verò ſit proprium donum Prædeſtinatorum.

I.

QVIDAM diſtinguunt duplex donum perſeuerantiæ: alterum inquiunt conſiſtere in quodam ſpeciali auxilio, & protectione, qua Deus ita protegit, & munit quoſdam, vt indeclinabiliter, & infallibiliter in gratia perſeuerent vſque ad mortem: quale Apoſtolis poſt acceptum Spiritum ſanctũ, & iis, qui dicuntur confirmati in gratia, conceſſum eſt: quod ſubinde non eſt omnibus iuſtis commune. Aliud eſt perſeuerantiæ donum, quod conſiſtit in quodam auxilio, & protectione, qua Deus ita adeſt hominibus, vt poſſint in gratia perſeuerare, ſi velint; & hoc donum inquiunt eſſe neceſſarium ad ſalutem, & dari omnibus iuſtis immediatè in actu primo. Probari poteſt hæc ſententiæ

Primò

Digitized by Google

Primò ex S. Augustino locis superiùs allegatis, in quibus expresse distinguit duplex donum perseuerantiæ. Alterum, quo potest homo, si velit, perseuerare vsque in finem, sed sua culpa non perseuerat; qualis fuit perseuerantia primis parentibus collata in statu innocentiæ. Alterum verò, quo non solùm perseuerare potest, sed etiam actu perseuerat vsque in finem, quale est donum collatum Prædestinatis per Christum. Sentit ergo, esse aliquod donum perseuerantiæ omnibus hominibus iustis, & iniustis, etiamsi reprobi sint, commune.

Secundò. Quilibet homo iustus per gratiam habitualem, & virtutes infusas, potest in actu primo operari quodcunque bonum, & implere omnia legis præcepta: ergo poterit etiam in actu primo perseuerare, si velit, vsque in finem: ergo omnibus iustis datur cum ipsa gratia, & virtutibus infusis potestas perseuerandi vsque in finem: ergo omnibus iustis est commune donum perseuerantiæ, quo perseuerare possunt, si velit.

Tertiò. Cum auxilio ex parte Dei, cum quo perseuerat quis vsque in finem, potest, si velit, non perseuerare, alias necessariò perseueraret, & non liberè: similiter etiam cum auxilio, cum quo non perseuerat, qui vsque in finem potest perseuerare, si velit; aliàs nō peccaret nō perseuerando: ergo donū perseuerantiæ; quantùm est ex parte auxilij diuini, commune est iustis perseuerantibus, & non perseuerantibus vsque in finem: & differentia inter eos consistit in hoc, quòd alij pro innata sibi libertate voluerunt bene vti illo auxilio, vt perseuerarent vsque in finem alij verò noluerunt.

Quartò. Prædestinatio, quantùm est ex parte Dei, & ex parte auxiliorum gratiæ, communis est Prædestinatis, & non Prædestinatis: etenim si non Prædestinati ita rectè vsi fuissent suo arbitrio, vt per auxilia gratiæ illis collata salutem consequerentur æternam, mansissent Prædestinati, sicut alij, qui, rectè vtendo suo arbitrio, cum eisdem auxiliis salui facti sunt: ergo donum perseuerantiæ in actu primo etiam est cōmune iis, qui saluantur, & iis, qui sua culpa pereunt, non bene vtendo eodem dono.

II. Hæc tamen sententia nec est vera, nec videtur in aliqua probabili ratione fundata. Vnde sit

Perseuerātiæ donum nō est omnibus cōmune, sed proprium Prædestinatorum. Matth. 10. & 24.

PRima conclusio. Donum perseuerantiæ ita est proprium Prædestinatorum, vt nulli alteri conueniat. Probatur primò: nam Concilia, & Patres præsertim Augustinus, nullam aliam perseuerantiā agnouerunt, nisi illam, de qua scriptum est: *Qui autē perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Sed huiusmodi perseuerantia solis conuenit Prædestinatis: nam illi solùm reuerà saluantur: ergo. Maior probatur ex verbis illis Concilij Tridentini sess. 6 de iustificatione, capite 13. *Similiter de perseuerantiæ munere de quo scriptum est*: Qui perseuerauerit vsque in finē, hic saluus erit: *quod quidem aliunde haberi non potest, nisi ab eo qui potens est eum qui stat, statuere, vt perseueranter stet, & eum, qui cadit, restituere, nemo sibi certi aliquid absolutæ certitudine polliceatur.* Et canone decimosexto. *Si quis magnum illud vsque in finem perseuerantiæ donum se certo habiturum absolutæ, & infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali reuelatione didicerit, anathema sit.* Ex qua definitione habentur duo. Primum est, donum perseuerantiæ non esse illud, quo iustus solùm perseuerare potest, si velit, sed quo actu perseuerat vsque in finem, vt declarat locus Matth. 10. à Concilio inductus, & verba illa: *De quo dono nemo sibi certi aliquid absolutæ certitudine debet polliceri.* Et tamen certissimè potest quis sibi pollicēri, adfuturum sibi Deum, vt perseuerare possit, si velit. Sentit ergo Concilium, ad donum perseuerantiæ necessariam esse, quod ille, cui conceditur, actu perseueret vsque in finem: non ergo est commune eiusmodi donum omnibus iustis, etiam reprobis. Secundum est, hoc donum aliunde haberi non posse, nisi a Deo, per quod videtur excludi sententia eorum, qui, vt disp. 108. obseruabimus, dicunt, quòd cùm æquali auxilio gratiæ vnus perseueret vsque in finē, alius non perseueret, non aliunde esse, nisi quia pro innata libertate vnus voluit bene vti eodē auxilio, vt salutem consequeretur æternam, alius non item. Cùm enim sacrum Concilium doceat, donum perseuerantiæ aliunde haberi non posse nisi a Deo: consequenter affirmare videtur, eiusmodi donum, formaliter loquendo, in ratione doni perseuerantiæ nō haberi à libero arbitrio creato, nec ex eius cooperatione pendere, etiam vt à conditione, sine qua non, vt disp. 105. ostendimus.

Perseuerātiæ donū à solo Deo est.

III. Secundò probatur: auctoritate Sanctorum, qui vnanimiter docent, perseuerantiæ donum esse proprium Prædestinatorum, per illudque Deū omnibus illis tribuere non solùm posse, sed etiam actu perseuerare vsque in finem: vt indeclinabiliter, & infallibiliter perseuerent. Nam sanctus Hilarius epist. ad Augustinum Semipelagianorum placita commemorans, inquit; *Volunt autem ita hanc perseuerantiam prædicari, vt non vel suppliciter emereri, vel amitti contumaciter possit: nec ad meritum voluntatis Dei deduci se volunt, vbi eis, quantum putant, ad obtinendum, vel amittendum, euidens est, qualecunque sit initium voluntatis.* Et post pauca: *Deinde molestè ferunt, ita datūri gratiam, qua vel tunc primo homini data est, vel nunc omnibus detur, vt ille acceperit perseuerantiam, non qua fieret, vt perseueraret, sed sine qua per liberum arbitrium perseuerare non posset: nunc vero Sanctis in regnum per gratiam prædestinatis non tale adiutorium perseuerantiæ detur: sed tale, vt eis perseuerantia ipsa donetur, nō solùm vt sine isto dono perseuerantes esse non possint, verùm etiā vt per hoc donū nonnisi perseuerantes sint.* Et infra: *Vnde in hoc solo volunt à primo homine omnium differre naturam, vt illum integris viribus voluntatis innatæ gratia volentē, sine qua perseuerare non poterat: hos autē, amissis, & perditis viribus, credentes tantùm, non solùm erigat prostratos, verùm etiam sufficiat ambulantes. Cæterum quidquidlibet donatū sit Prædestinatis, id posse, & amittere, & retinere propria voluntate cōtendunt: Quod tunc falsum esset, si verum putarent, eam quosdam perseuerantiam percepisse, vt nisi perseuerantes esse non possint.* Ex quo testimonio videtur colligi, sententiam Massiliēsium, quam S. Prosper impugnauit, fuisse, donū perseuerantiæ Prædestinatis per Christum non tribuere, vt indeclinabiliter, & infallibiliter perseuerēt, sed vt possint perseuerare, si velint: actualem autem perseuerantiam procedere ex innata arbitrij libertate, quia cum illo auxilio perseuerare voluit, cum quo alter non perseuerauit, quia noluit.

Confirmat eandem doctrinam sanctus Augustinus libro de dono perseuerantiæ, capite sexto, vbi respondens Prospero, & Hilario, ait: *Sed nolunt, vt scribitis, isti fratres, ita hanc perseuerantiam prædicari, verum vel suppliciter emereri, vel amitti contumaciter possit, vbi quid dicant parum diligenter attendunt. De illa enim perseuerantia loquimur, qua perseueratur vsque in finem; qua si data est, perseueratum est vsque in finem, si autem non est perseueratum vsque in finem, non est data: quod iam, & superius satis egimus.* Et infrà: *Perseuerantiam verò vsque in finem quoniam non habet quisquam, nisi qui perseuerauerit vsque in finem; multi eam possunt habere, nullus amittere. Neque enim metuendum est ne fortè, cùm perseuerauerit homo vsque in finem, aliqua in eo mala voluntas oriatur, ne perseueret vsque in finem. Hæc ergo Dei donum suppliciter emereri potest: sed cum datum fuerit, amitti contumaciter non potest. Cùm enim perseuerauerit quisque in finem, neque hoc donū potest*

teſt amittere, nec alia, quæ poterat ante finem. Quomodo enim poteſt amitti per quod ſit, vt non amittatur etiam quod poſſet amitti? Quibus verbis ſanctus Doctor apertiſſime docet, donum perſeuerantiæ habere infallibiliter coniunctam actualem perſeuerantiam vſque in finem, nec poſſe voluntate hominis interrumpi vel contumaciter amitti. Sentit ergo, idem donum non eſſe commune omnibus iuſtis, cùm ex illis quidam perſeuerent, quidam non perſeuerent vſque in finem.

IV. Eſt ad idem comprobandum aliud inſigne teſtimonium S. Aug. lib. de corrept. & gratia, capit. 12. vbi cõſtituens differentiam inter donum gratiæ, primis parentibus in ſtatu innocentiæ collatum, & illud, quod in natura lapſa cõfertur electis per Chriſtum, docet, quòd per donum primis parẽtibus collatum, donatum eſt eis, vt perſeuerarent, ſi vellent, ſed non eſt eis donatum, vt vellent. Prædeſtinatis autem per Chriſtum etiam donatur, vt perſeuerare velint, & perſeuerent. Verba Auguſtini ſunt: *Vt ergo non acciperet hoc donum Dei, id eſt, in bono perſeuerantiam primus homo, ſed perſeuerare, vel non perſeuerare in eius relinqueretur arbitrio, tales vires habebat eius voluntas, quæ ſine vllo fuerat inſtituta peccato, & nihil illis ex ſeipſa concupiſcentialiter reſiſtebat, vt dignè tantæ bonitati, & bene viuendi facilitati, perſeuerandi cõmitteretur arbitrium: Deo quidem præſciente, quid eſſet facturus inſuſtè, præſciente tamen, non ad hoc cogente, ſed ſimul ſciẽte, quid de illo ipſe faceret iuſtè. Nunc verò poſteaquam eſt illa magna peccati merito amiſſa libertas, etiam maioribus donis adiuuanda remanſit infirmitas. Placuit enim Deo, quò maxime humanæ ſuperbiam præſumptionis extingueret, vt non glorietur omnis caro coram ipſo,* id eſt, omnis homo. Et idem docet aliis verbis ſuprà inductis, ſed præſertim illis: *Subuentum eſt ergo infirmitati voluntatis humanæ, vt diuina gratia indeclinabiliter, & inſeparabiliter ageretur: & ideo quamuis infirma non deficeret, nec aduerſitate aliqua vinceretur.* Et illis: *Fortiſſimo quippe dimiſit, atque permiſit facere, quod vellet: infirmos ſeruauit, vt ipſo donante, inuictiſſimè, quod bonum eſt vellent, nec hoc deſerere inuictiſſimè nollent.* Et S. Aug. nedum Apoſtolis & aliis confirmatis in gratia ſubuentum eſſe ait per donum perſeuerantiæ, quo indeclinabiliter agerentur, & perſeuerarent vſque in finem, ſed etiam *infirmitati humanæ*, quæ in omnibus electis reperitur. ergò ſecundùm Auguſtinum hoc donum perſeuerantiæ proprium eſt omnium prædeſtinatorum: ita vt nulli alteri cõueniat. Probatur conſequentia: nam reprobis non confertur a Deo aliquod donum, quo indeclinabiliter, & inuictiſſimè, quod bonum eſt, vellent, nec hoc deſerere inuictiſſimè nollent: alias a gratia, quam acceperunt, non caderent.

Hinc ſanctus Proſper in reſponſ. ad capita Gallorum, capite ſeptimo: *quomodo*, inquit, *eos haberet prædinata in Chriſto electio, cùm dubium non ſit, donum Dei eſſe perſeuerantiam in bono vſque ad finem, quam iſtos ex eo ipſo, quòd non perſeuerauerunt, non habuiſſe manifeſtum eſt:* Si ergo ſecundùm Proſperũ manifeſtum eſt, eos qui non perſeuerauerunt in bono vſq; in finẽ, donũ perſeuerantiæ non habuiſſe, quomodo aſſeritur tale donũ omnibus iuſtis eſſe cõmune, ne dicẽdũ eſt ergo ad ſolos Prædeſtinatos pertinere.

V. Tertiò probatur ratione. Si donum perſeuerantiæ eſt commune omnibus iuſtis, ſequitur, quòd ex ſe, & prout a Deo procedit, ſolùm tribuat illis poſſe perſeuerare. Sequela probatur: nam actu perſeuerare vſque in finem, non eſt commune omnibus iuſtis: alias ſemel iuſtificatus nunquam peccaret mortaliter, nec caderet à gratia: quod tamen definitioni Concil. Trident. repugnat. ergo ſolùm eſt illis commune poſſe perſeuerare, ac per conſequẽs, ſi donum perſeuerantiæ eſt commune omnibus iuſtis, ſolùm tribuet illis poſſe perſeuerare, & illi, qui actu perſeuerant, ſolum haberent ex dono Dei poſſe perſeuerare, ſi velint: actualem autem perſeuerantiam haberent à ſeipſis: quia videlicet pro innata ſibi libertate cum auxilio tribuente ſolum poſſe, voluerunt actu perſeuerare vſque in finem, quod tamen admittendum non eſt.

VI. Prædeſtinatio ad gloriam non eſt omnibus iuſtis communis.

Quartò. Prædeſtinatio ad gloriam non eſt omnibus iuſtis communis, ſed illis ſolùm, qui re ipſa ſaluantur: ergo nec donum perſeuerantiæ. Antecedens patet ex verbis Apoſtoli ad Rom. 8. *Quos autem prædeſtinauit, hos & vocauit. & quos vocauit, hos & iuſtificauit, & quos iuſtificauit, hos & magnificauit.* Et Ioannis decimo loquens Chriſtus Dominus de Prædeſtinatis ait: *Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quiſquam de manu mea:* Vnde & prædeſtinatio, quantùm ad exequutionem effectus, eſt certa, & infallibilis certitudine ordinis, & cauſalitatis mediorum, vt diſputat. 41. oſtenſum eſt. Conſequentia verò probatur: nam donum perſeuerantiæ eſt proprius effectus prædeſtinationis ad gloriam: ergo, ſi prædeſtinatio ad gloriam non eſt communis omnibus iuſtis, nec donum perſeuerantiæ erit illis commune.

Prædeſtinatio completa, & incompleta diſtinguitur a quodam auctore.

Ad hoc quidam auctor reſpondet, prædeſtinationem ad gloriam eſſe omnibus hominibus ſaltem iuſtis communem: ad cuius explicationem diſtinguit duplicem Dei prædeſtinationem, completam & incompletam. Prædeſtinationem completam illam eſſe dicit, quæ ſe extendit ad totam ſeriem mediorum, quibus homo reipſa ſalutem aſſequitur, & perſeuerat vſque in finem, qualis eſt illa de qua Aug. lib. de dono perſeuer. cap. 14. ait: *Prædeſtinatio eſt præſcientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicunque liberantur.* Incompletã prædeſtinationem illam appellat, quæ ſe profert tãtùm ad aliquam ſeriem beneficiorum, quibus ad ſalutem tenditur, præſertim vſque ad gratiam iuſtificationis; ſed non ſe extendit ad vltimum vitæ terminum. Dicit ergo, prædeſtinationem incompletam eſſe communem omnibus hominibus iuſtis: prædeſtinationem autem completã non eſſe omnibus cõmunem, ſed eorum propriam; qui reuerà cum auxilio gratiæ præuenientis & excitantis, perſeuerant vſque in finem, & ſaluantur. Sed hanc prædeſtinationem completam pendere ait ex præuiſis meritis, ſequentibus gratiam præuenientem: & ratio illius eſt, quia exiſtimat electos, etiam Apoſtolos, Ioannem Baptiſtam, & alios Sanctos eximios, non fuiſſe à Deo abſoluta & efficaci voluntate prædeſtinatos ad gloriam, niſi ſub tacita conditione, ſi perſeuerauerint vſque in finem; excipit tamen beatam Virginem ob eius reuerentiam. Eodem modo diſtinguit duplex donum perſeuerantiæ, aliud incompletum, quo homo poteſt perſeuerare, ſi velit, quod appellat donum perſeuerantiæ efficax in actu primo: aliud completum, quo actu perſeuerat vſque in finem, & dicitur donum perſeuerantiæ in actu ſecundo. Perſeuerantiam incompletam ait eſſe communem omnibus iuſtis, completam autem perſeuerantiam, quam vocat perſeuerantiam efficacem in actu ſecundo, cenſet eſſe propriam prædeſtinatorum. Addit tamen, prædictam eius efficaciam pendere ex libera cooperatione arbitrij, ſicut de completa prædeſtinatione ad gloriam prædixerat: nam exiſtimat, nullum auxilium gratiæ præuenientis, qua ratione præueniens eſt, eſſe prius ordine cauſalitatis libera cooperatione noſtri arbitrij.

Prædeſtinatio ad gloriam an ſit conditionata.

Hic tamen modus dicendi multa continet, quæ non modicam difficultatem habent, & ex ſupradictis,

Digitized by Google

dictis manent satis impugnata. Et in primis illa distinctio duplicis prædestinationis ad gloriam, scilicet prædestinationis completæ & incompletæ, non videtur admittenda: quia neque apud S. Aug. aut S. Tho. aut aliquem alium grauem Doctorem reperitur: quin potius nomine prædestinationis ad gloriam solum eam prædestinationem intelligunt, qua electi ordinantur efficaciter, & transmittuntur ad vitam æternam, cuius effectus sunt vocatio, iustificatio, opera meritoria, quæ fiunt per liberum arbitrium motum à Deo, & perseuerantia in gratia vsque in finem. Alia verò prædestinatio ad gloriã non debet dici absolutè prædestinatio ad gloriam, sed communis prouidentia supernaturalis, quam Deus habet circa reprobos, quos non ordinauit efficaciter seu voluntate consequente ad vitam æternam, sed solùm sufficienter, & voluntate antecedente, vt supra dictum est: possunt tamen dici prædestinari ad gratiæ dona, quę Deus illis confert, vt possint ad salutem æternã peruenire, si velint: ergò, absolutè loquendo, prædestinatio ad gloriã, non debet dici donum commune omnibus iustis, sed proprium eorũ, qui reipsa perueniunt ad vitam æternam; ac per cõsequens idem erit dicendum de perseuerantia vsque in finem, cùm sit effectus prædestinationis ad gloriam: nam prædestinatio Dei est verè causa efficiens omnium beneficiorum, seu mediorum, quibus Prædestinati ad vitam æternam proueniunt.

Præterea idem impugnatur: nam sequeretur, quòd Deus ex parte sua solùm prædestinaret homines ad gloriam prædestinatione incompleta: homo autem ipse bene vtendo gratia excitante, & pro sua innata libertate perseuerando cum illa vsque in finem, efficeret se prædestinatum prędestinatione completa; & consequenter prædestinatio incompleta, & imperfecta tribueretur Deo, perfecta autem & completa tribueretur homini, & penderet ab illo, quod nõ videtur posse admitti. Licèt enim aliqui effectus prædestinationis pendeant efficienter à libero hominis arbitrio, moto efficaciter à Deo, vt piæ operationes, & meritoriæ, quibus in exequutione consequitur vitam æternam, tamen præordinatio Dei, qua voluntate absoluta, & efficaci statuit electis cõferre vitam æternam, in quo cõsistit ratio prædestinationis, nullo modo pẽdet ex libera cooperatione liberi arbitrij, aut ex meritis præuisis, quantumuis asseratur, eiusmodi merita non procedere ex solis viribus naturæ, sed supponere supernaturalem Dei excitationẽ, eò quòd ipsa etiam cooperatio arbitrij est in prædestinatis effectus diuinæ prædestinationis, vt disputatione 36. ostensum est. Vnde nõ est admittendum, Deum absoluta, & efficaci voluntate non prædestinasse omnes electos suos, & à fortiori Apostolos & alios Sanctos eximios ad gloriam ante præuisionem meritorum subsequentium Dei excitationem, vel ante præuisionem cooperationis, eorum, qua volunt cooperari, & perseuerant vsque in finem. tam enim disputatione trigesimaseptima, ostensum est ex professo, qualiter iuxta mentem sancti Augustini, & sancti Thomæ prædestinatio absoluta, & efficax ad gloriam non pendeat ex præuisis meritis gratiæ.

Perseuerãtia, cõpleta & incõpleta quæ dicatur.

Quod verò auctor ait de duplici auxilio efficaci doni perseuerantiæ, completo scilicet, vel incompleto, siue in actu secundo, vel in actu primo, non videtur satisfacere, nec cum doctrina sancti Augustini congruere: nam si per efficaciam doni perseuerãtiæ incõpletam, siue in actu primo, intelligit, sicut videtur intelligere, donum perseuerantiæ, quo potest quis perseuerare, si velit: hoc reuerà non est donum efficax ad perseuerandũ, sed solùm sufficiens; nec est perseuerantiæ secundi Adam, sed primi, vt

A ait Augustinus locis superius inductis. Si autem nomine perseuerantiæ efficacis incompletæ, siue in actu primo, intelligat efficaciam doni perseuerantiæ, quatenus ordine rationis, & causalitatis præuenit liberã cooperationem nostri arbitrij cum illo, & efficit, vt perseueremus vsque in finem, non videtur subsistere eius doctrina: tum quia perseuerantia, de qua loquimur, non est perseuerantia in actu primo, à qua aliquando contingat separari actum secundum perseuerandi vsque in finẽ, vt ex verbis Augustini supra inductis constat. Nec enim hæc perseuerãtia est propriè actus primus, alias solùm tribueret redẽptis per Christum posse perseuerare si velint, & nõ efficeret, vt velint: quod est contra sanctum Augustinum locis citatis: sed est mediũ quoddam inter actum primum, B & secundum, & pertinet ad complementũ actus primi, sicut suprà dictum est de quocúque alio auxilio efficaci. Nec est admittendum, perseuerantiã, de qua loquimur, seu efficaciam eius completã pendere ex libera cooperatione arbitrij: nam ipsa libera cooperatio est effectus doni perseuerantiæ efficacis, quam uis nõ efficiat illam sine nobis liberè cõcurrentibus. Vnde ipsum velle perseuerare, seu piæ operationes, quibus perseueramus vsque in finem, pendent quidẽ efficienter à nostro libero arbitrio moto à Deo efficaci motione, efficacia autem doni perseuerãtiæ, & id, per quod formaliter constituitur completè in ratione doni perseuerantiæ, nõ pẽdet ex libera cooperatione arbitrij, quamuis nunquam detur sine illa. Ex quo infertur, non esse in potestate nostri arbitrij facere, quòd simus à Deo prædestinati absoluta, & efficaci volũtate; vel quòd prędestinatio Dei sit prędestinatio cõpleta, & perfecta id enim solùm est in C potestate Dei, qui pro sua mera, & gratuita voluntate, quæ occulta esse potest, sed non iniusta, quos vult, prædestinauit ad gloriam: & quos non vult, nõ prædestinauit. Vnde ipse Deus sua gratia efficit, quòd omnes effectus prædestinationis à primo vsq; ad vltimũ, qui est glorificatio, cõpleantur. Quod nõ obscurè docet S. Aug. cum ait: *Quando ergo promisit Deus Abraham in semine eius fidem gentium, dicens: Patrem multarum gentium posui te; vnde dicit Apostolus: Ideo ex fide, vt secundum gratiam firma sit promissio omni semini, non de nostræ voluntatis potestate, sed de sua prædestinatione promisit. Promisit enim, quod ipse facturus fuerat, non quod homines quia etsi faciunt homines bona, quæ pertinent ad colendum Deum, ipse facit, vt illi faciant, quæ præcepit: non illi faciunt, vt ipse faciat quod promisit: alioquin, vt Dei promissa compleantur, non in Dei, sed in hominum ea potestate, & quod a Domino promissum est, ab ipsis redditur Abrahæ. Nõ autẽ sic credidit Abrahã, sed credidit, dans gloriam Deo; quoniã quæ promisit, potẽs est & facere. Nõ ait, prædicere, nõ ait, præscire: nã & aliena facta potest prædicere, atque præscire: sed ait: Potẽs est & facere, ac per hoc facta nõ aliena, sed sua.* Et infrà, postquã ostẽderat, ea, quæ à nobis Deus exigit vt ad vitã æternã perueniamus, ab ipso Deo nobis donari, subdit: *Ideo enim hæc & nobis præcipiũtur, & dona Dei esse monstrãtur, vt intelligatur, quod & nos ea facimus, & Deus facit, vt illa faciamus: sicut per Prophetã Ezechielẽ apertissimè dicit. Quid enim apertius, quam vbi dicit: Ego faciam vt faciatis. Locũ ipsum Scripturæ, fratres charissimi, attendite, & videbitis; illa Deũ promittere factũrũ se vt faciant quæ iubet vt fiant.* Ex quibus verbis habemus, efficaciã diuinæ prædestinationis absolutæ, & auxiliorum gratiæ, præsertim doni perseuerantiæ, non pendere ex libera cooperatione nostri arbitrij: sed potiùs è cõuerso, liberã nostram cooperationẽ, qua perseueramus vsque in finẽ, pendere ex efficaci, & absoluta prædeterminatione Dei prædestinantis: & consequenter ex efficacia auxiliorũ gratiæ, per quam facit vt faciamus. & operatur

Non est in potestate arbitrij facere, quod prędestinatio ad gloriã sit absoluta & efficax.

Aug. lib. de prædestin. SS. cap. 10.

Gen. 17.

Rom. 4.

Cap. 11. eiusdem libri.

Cap. 36.

operatur, vt operemur: ergo donum perseuerantiæ efficacis non est commune omnibus hominibus iustis, sed prædestinatorum, siue eorum, qui vitam æternam consequuntur, donum proprium.

VII. Perseuerantiæ donum est omnibus Prædestinatis commune.

Secunda conclusio. Non solùm Apostolis, & confirmatis in gratia, & aliis Sanctis virtutis insignis, sed etiam omnibus Prædestinatis est commune magnum illud perseuerãtiæ donũ, quo Deus efficit, vt infallibiliter, & indeclinabiliter perseuerent. Conclusio colligitur ex Concilio Tridentino, & ex locis sancti Augustini, & Prosperi superiùs allegatis; nullam quippe faciunt distinctionem inter donum perseuerantiæ concessum Apostolis, vel aliis cõfirmatis in gratia, & illud, quod reliquis Prædestinatis tribuitur: quin potiùs sanctus Augustinus l. de correptione, & gratia, c. 12. allegato, non obscurè docet, huiusmodi perseuerãtiæ donũ omnibus electis esse cõmune, vt suprà ex verbis eiusdẽ Augustini ostẽsum est.

Secundò probatur ratione eiusdẽ Augustini loco citato: nã alias possent aliqui Prædestinati de actuali perseuerantia in seipsis, seu in viribus suis, & non in Deo gloriari, & dicere: Gratias tibi Domine, qui solùm dedisti mihi adiutorium, quale primo homini concessum est, sine quo perseuerare non poteram, etiam si vellem; sed gratias mihi, qui pro innata arbitrij mei libertate perseuerare volui, te non operante, neque efficiente, vt indeclinabiliter, inseparabiliter, & inuictissimè vellem. Consequens autem videtur repugnare verbis Apostoli: *Quid autem habes, quod non accepisti. Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis*? ergo necessariò dicendum est, donum perseuerantiæ, de quo loquitur nostra cõclusio, commune esse omnibus Prædestinatis, nec posse ad Apostolos tantùm, vel confirmatos in gratia coarctari. 1. Cor. 4.

Tertiò probatur. Sequeretur ex opposita sententia, Prædestinatos, Beata Virgine, Apostolis, & confirmatis in gratia duntaxat exceptis, non differre à non Prædestinatis, ex parte ordinis, & causalitatis mediorum, sed solùm ex parte præscientiæ euentus, quia videlicet Deus præsciuit, Prædestinatos bene vsuros suo arbitrio, & accepta gratia, vt perseuerarent in illa, & salutem consequerentur æternam; reprobos verò non item. Cõsequens autẽ videtur contra apertissima loca Scripturæ, & dicta Sãctorum, vt quæstione sexta de veritate, artic. 3. docet sanctus Thomas: & constat ex dictis disput. 37. præsertim numero 12. ergo donum perseuerantiæ, quo infallibiliter, & indeclinabiliter perseuerant, quicunque perseuerant, est commune omnibus Prædestinatis.

VIII. Perseuerantiæ quædam noua distinctio impugnatur.

Tertia conclusio. Nõn potest admitti in Prædestinatis illa distinctio duplicis doni perseuerantiæ; quorum alterum solis Apostolis, & confirmatis in gratia, alterum verò reliquis Prædestinatis conueniat. Hæc conclusio manet satis probata ex dictis, in duabus præcedentibus. Præterea probatur: nam illa distinctio non reperitur in Patribus antiquis, vel Doctoribus Scholasticis: talis autem doctrina præsertim in rebus Theologicis fugienda est, vt dicunt Vincentius Lyrinensis, & alij Doctores disputatione quinta, numero quinto allegati: ergo. Secundò probatur: nam prædicta distinctio doni perseuerantiæ non videtur absimilis alteri, quam circa prædestinationem constituit Ambros. Catherin. distinguens duas classes Prædestinatorum; ad quarum primam pertinere ait Beatam Virginem, Apostolos, & alios paucissimos, quos Deus ab æterno, absoluto decreto, & efficaci voluntate prædestinauit, & tot auxilia gratiæ conferre decreuit, vt, salua arbitrij libertate, à salute æterna excidere nequeant. Ad secundam classem reliquos prædestinatos reuocat, quos existimat non esse Prædestinatos à Deo absoluto, immobili, & efficaci decreto suæ voluntatis, sed sub conditione quadam mutabili boni vsus liberi arbitrij; videlicet, si ipsi voluerint auxilijs gratiæ bene vti. Quod enim Ambros. Catherin. de prædestinatione statuit; hæc sententia, quam impugnamus, de dono perseuerantiæ persuadere conatur. Distinctio autem illa Prædestinatorum Ambrosij Catherini, tanquam noua, & multis difficultatibus, atque angustijs nõ paucis inuoluta, à doctis, & pijs Theologis improbatur, vt ex Sixto Senensi eiusdem Ambrosij discipulo, & alijs Theologis supra in disput. trigesimaseptima, in principio ostendimus: ergo similiter prædicta distinctio doni perseuerantiæ erit pariter reiicienda. Tertiò idem probatur: quia sequeretur ex opposita sententia, donum perseuerantiæ non esse eiusdem rationis in omnibus Prædestinatis; quod tamen communi Sanctorum consensui videtur repugnare. Secunda probatur: nam posse perseuerare, & actu perseuerare specie distinguuntur, sicut actus, & potentia, vel habitus: ergo si donum perseuerantiæ quibusdam Prædestinatis solùm tribuit posse perseuerare, si velint; in alijs verò efficit, vt infallibiliter perseuerent; sequitur, quòd donum perseuerantiæ non sit eiusdem rationis in omnibus Prædestinatis.

IX. Perseuerantiæ donum est eiusdem rationis in omnibus prædestinatis.

AD primum argumentum respondetur, donum illud, quo potest homo perseuerare vsque in finem, si velit, non esse simpliciter donum perseuerantiæ, sed secundum quid; quia solum est perseuerantia in potentia. Vnde statuendum est aliud donum perseuerantiæ, quo Deus efficit, vt prædestinati infallibiliter perseuerent vsque in finem. Et iuxta hanc doctrinam intelligenda sunt quæ dicit S. Augustinus in locis prælegatis.

Ad secundum respondetur, quòd, vt docet sanctus Thomas prima secundæ quæstione centesimanona, articulo nono in corpore, ille, qui iam consequutus est gratiam, non potest per seipsum operari bonum, & vitare peccatum absque nouo auxilio Dei ipsum mouentis, dirigentis, & protegentis: quod etiam ex professo in disputatione octuagesimaoctaua, ostensum est. Vnde multò minùs poterit per solam gratiam, & virtutes infusas absque speciali auxilio perseuerare vsque in finem.

Ad confirmationem respondetur, quòd donum perseuerantiæ antecedenter ad liberam cooperationem arbitrij, non solùm tribuit Prædestinatis posse perseuerare si velint, sed vires efficacissimas, quibus Deus efficit, vt liberè, & infallibiliter perseuerent, sicut suprà de quocunque alio auxilio efficaci dictum est. Etenim inter posse perseuerare, & pias operationes, quibus actu perseuerat quis vsque in finem, datur medium, vt ex dictis disputatione 18. & 19. satis constat. Vnde non sequitur, quòd liberum arbitrium merè passiuè se habeat in ordine ad actus bonos, quibus perseuerat vsque in finem: nec etiam sequitur, quòd actualis perseuerantia sumpta pro actuali auxilio efficaci, quo perseueratur vsque in finem, pendeat ex libera cooperatione arbitrij, quamuis effectus doni perseuerantiæ in adultis, scilicet piæ operationes, non à solo perseuerantiæ dono, sed etiam à libera cooperatione arbitrij cum illo efficienter procedant, vt disputatione 92. & 105. explicatum est.

Ad tertium respõdetur, quòd cum auxilio ex parte Dei, quo perseuerat quis vsque in finem, potest quidem, si velit, non perseuerare absolutè loquẽdo, & in sensu diuiso; non tamẽ in sensu cõposito, vt ex suprà dictis patet: neque ex hoc sequitur, quòd necessariò perseueret. Similiter etiã cum auxilio, quo quis non perseuerat vsque in finem, potest perseuerare, si velit, absolutè loquendo; sed tamen cum solo illo auxilio nunquam perseuerabit. Plura enim requiruntur, vt homo Disput. 23. 15 & 90.

homo actu perseueret, quàm vt perseuerare possit, sicut suprà dictum est, cùm de auxilio sufficiente, & efficaci disputaretur. Vnde non sequitur, donum perseuerantiæ esse commune omnibus iustis, siue perseuerent, siue non perseuerent vsque in finem, aut quòd differentia inter perseuerantes, & non perseuerantes solùm sit desumenda ex libera cooperatione vnius, quam alius adhibere noluit.

Ad quartum respondetur; prædestinationem non esse omnibus iustis communem, sed specialem aliquorum, scilicet eorum, qui reipsa salui fiunt. Neque est admittendus aliquis casus, in quo non Prædestinati ita bene vtantur suo arbitrio, vt cum auxiliis gratiæ sibi collatis perseuerent in finem, & saluentur. Licèt enim non Prædestinatus, absolutè loquendo, & in sensu diuiso, possit mori in gratia, & saluari; id tamen est impossibile in sensu composito, vt suprà dictum est. Vnde non sequitur, donum perseuerantiæ in actu primo esse commune omnibus iustis, etiam non Prædestinatis.

Secundò respondetur, quòd donum perseuerantiæ in actu primo potest accipi dupliciter. Vno modo pro actu primo incompleto, scilicet pro ipso posse perseuerare, siue pro auxilio, quo potest quis perseuerare, si velit; & in hac acceptione commune est omnibus iustis, etiam non perseuerantibus. Sed hæc perseuerantia non est simpliciter perseuerantia, & in actu, sed secundùm quid, & in potentia, vt dictũ est, nec loquitur de illa Christus Dominus cùm ait: *Qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Matth. 10. & 24. Alio modo accipitur pro vltimo complemento actus primi, scilicet pro auxilio, quo liberum arbitrium efficaciter præmouetur ad perseuerandum, & perseuerat vsque in finem, & in hac acceptione donum perseuerantiæ, etiam in vltimo complemento actus primi, nec est commune omnibus iustis, nec competit solis Apostolis, & aliis cõfirmatis in gratia: sed est omnium Prædestinatorum donũ proprium.

DISPVTATIO CVIII.

Vtrùm existentibus in duobus hominibus omnibus auxiliis præuenientis gratiæ omnino æqualibus, fieri possit, & contingat aliquando, vt vnus conuertatur, perseueret in gratia, & saluetur: alter verò in peccato permaneat, & damnetur.

I. PARTEM affirmatiuam sequuntur aliqui Theologi, & conãtur defendere sententiam eorum, qui dicunt, in casu posito contingere aliquando pro sola vtriusque libertate, vt vnus credat, alius non credat. Verum est, quòd limitant suam sententiam ad auxilia præuenientis gratiæ, qua ratione præueniens est: nam in eo, qui conuertitur, fatentur esse nouum influxum gratiæ simultaneum, quo Deus simul cum libero arbitrio producit liberum consensum.

Probatur hæc sententia. Primò ex illo Matth. 11. *Si in Tyro, & Sidone facta fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent.* Quibus verbis significatur, quòd eisdem signis, & auxiliis, quibus non fuerunt conuersi Iudæi, conuersi fuissent Tyrij, & Sidonij: ergo.

Secundò arguitur duobus testimoniis sancti Augustini, in quibus videtur expressè tenere hanc sententiam. Primum testimonium habetur lib. de præd. & grat. cap. 15. vbi loquens de Pharaone, & Nabuchodonosor, sic ait: *Quantùm ad naturam, ambo homines erant, quantum ad dignitatem, ambo Reges; quantum ad causam, ambo captiuum populum Dei possidentes; quantum ad pœnam, ambo flagellis admoniti. Quid ergo finis eorum fecit esse diuersos, nisi quòd vnus manum Dei sentiens in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit: alter libero contra Dei misericordissimam veritatem pugnauit arbitrio?* Quibus verbis videtur expressè fateri, quòd, stantibus auxiliis gratiæ omnino æqualibus, vnus conuersus est, quia voluit: alter non est conuersus, quia noluit. Alterum testimonium habetur lib. 12. de ciuitate Dei, cap. 6. vbi loquens de duobus hominibus æqualiter affectis animo, & corpore, & eadem tentatione tentatis, ait: *Si eadem tentatione ambo tententur, & vnus cedat, atque consentiat, alter idem, qui fuerat, perseueret, quid aliud apparet, nisi vnum voluisse, alterum noluisse à cæptuate deficere? Vnde, nisi propria voluntate, vbi eadem fuerat in vtroque corporis, & animæ affectio?* Ecce docet, ex illis duobus hominibus æqualiter affectis, vnum perseuerasse in bono, quia voluit: alterum peccato consensisse, quia similiter voluit: ergo cum æqualibus auxiliis præuenientis gratiæ continget aliquando, vnum conuerti ad Deum, perseuerare in gratia, & saluari: alium verò peccare, in peccato persistere, & damnari.

Tertiò. Auxilia præuenientis gratiæ non prædeterminant voluntatem ad alteram partem, atque adeò quicumque monetur huiusmodi auxiliis, libera sua facultate potest illis consentire & dissentire, si velit, vt colligitur ex Concilio Trident. sess. 6. de iustificat. cap. 5. & can. 4. Tunc est argumentum. Possibili posito in esse, nullum sequitur inconueniens: ergo nullum sequitur inconueniens, si ponatur, quòd in casu posito vnus conuertatur, sicut reuera potest conuerti cum illis auxiliis: alter verò non conuertatur, sicut reuerà etiam potest non conuerti: ergo continget aliquãdo, tum eisdem auxiliis præuenientis gratiæ, quatenus gratiæ præuenientis auxilia sunt, vnum cõuerti, alterum autem in peccato persistere.

Quartò. Ex duobus hominibus æqualiter à Deo iustificatis contingit, quòd vnus perseueret in gratia, & saluetur: alter cadat in peccatũ mortale, & damnetur: ergo similiter euenire potest, quòd ex duobus habentibus æqualia auxilia præuenientis gratiæ, vnus conuertatur, & perseueret vsque in finem, alter non.

Quintò. Idipsum comprobatur omnibus argumentis, quibus suprà contendebamus probare, idem auxilium sufficiens, quod in vno est inefficax, quia non vult illo bene vti, in alio esse efficax, eò quod rectè vtitur tali auxilio.

Pro resolutione huius difficultatis supponendum est, quòd in præsenti possumus loqui de omnibus auxiliis præuenienti gratiæ, tam externis, quàm internis: secundò possumus loqui solùm de auxiliis externis, aut de internis sufficientibus.

II. Auxiliis cũ æqualibus externis, & internis sufficientibus stat vnũ hominem saluari, alium damnari.

PRima conclusio. Si sermo sit de auxiliis externis præuenientis gratiæ, aut etiam de internis sufficientibus tantùm, euenire potest, & multoties contingit quòd ex duobus hominibus æqualiter a Deo vocatis, vnus conuertatur, alter perseueret in peccato: immò aliquando contingit, quòd illo, qui minori suffultus est auxilio sufficienti, conuertatur, alter, cui maiora donata sunt auxilia externa, vel interna sufficientia, in peccato persistat. In hac conclusione omnes conueniunt, quam probant efficaciter argumenta facta à principio, præsertim auctoritas inducta ex cap. 11. Matthæi.

Secunda conclusio. Si loquamur vniuersaliter de omnibus auxiliis præuenientis gratiæ, etiam internis; impossibile est, quòd, existentibus in duobus hominibus auxilis gratiæ omnino æqualibus, vnus conuertatur, alter non, sed semper, qui conuertitur, accipit aliquod maius auxilium præuenientis gratiæ, quod non accepit ille, qui non conuertitur, &

idem dicendum de eo, qui perseuerat in gratia vsque in finem. Hæc conclusio est sancti Augustini libro de prædestinatione Sanctorum, capite quinto & sexto. Eandem conclusionem docent omnes Thomistæ. Et probatur ex dictis in superioribus: etenim ille, qui conuertitur, habet auxilium efficax, ille verò, qui non conuertitur, non habet auxilium efficax: si enim illud haberet, infallibiliter conuerteretur, vt docet S. Thom. 1.2. quæst. 79. artic. 2. in corp. & 1.1. quæst. 112. artic. 3. ergo semper, qui conuertitur, habet aliquod auxilium prænenientis gratiæ, quod non habet ille, qui non conuertitur. Patet consequentia: nam, vt suprà ostensum est, auxilium efficax prænenientis gratiæ, secundùm aliquam realem virtutem, distinguitur ab auxilio, quod est tantùm sufficiens.

Auxilijs omnibus æqualibus existentibus in duobus, non stat vnũ saluari, alitũ damnari.

Confirmatur primò. Auxilium efficax est multò maius auxilium, quàm cætera omnia auxilia sine auxilio efficaci: cùm ergo ille, qui conuertitur, habeat auxilium efficax; quod tamen non habet, qui non conuertitur, manifestè sequitur, quòd, qui conuertitur, habeat maius aliquod auxilium prænenientis gratiæ.

III. Confirmatur secundò: nam aliàs vnus homo sè discerneret ab alio per aliquid, quod non accepit ex dono gratiæ, contra illud Apostol. 1. ad Corinthios 4. *Quis enim te discernit?* Sequela probatur: nam, vt supponimus, auxilia sunt æqualia, & tamen vnus discernitur ab alio: ergo non per auxilia, sed per seipsum, siue per innatam libertatem discernit se ab alio; quod repugnat Apostolo, vt patet ex Augustino libro de prædestinatione Sanctorum, capite quinto, vbi prædictum locum Apostoli expendens ait: *Nunquid enim per hæc dona, quæ omnibus communia sunt hominibus, discernuntur homines ab hominibus? Hic autem prius dixit: Quis enim te discernit? & deinde addidit: Quid autem habes, quod non accepisti? posset quippe dicere homo inflatus aduersus alterum: Discernit me fides mea, iustitia mea, vel si quid aliud.* Talibus occurrens cogitationibus bonus doctor: *Quid autem habes, inquit, quod non accepisti? A quo nisi ab illo, qui te discernit ab alio, cui non donauit, quod donauit tibi? Si autem & accepisti, ait, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Et post pauca: *Gratia discernit bonos à malis, non quæ communis est bonis & malis:* ergo secundùm Augustinum bonus discernitur à peccatore per gratiam, quæ non est data alteri peccatori.

Gratia discernit iustũ à peccatore.

IIII. Nec satisfacit solutio, quam adhibent: respondent enim, quòd ille, qui conuertitur, habet maius auxilium in ratione beneficij, & in ratione doni, sicut gladius donatus alicui tempore belli, in quo eo est vsurus, vt vitet mortem, quamuis phyticè sit idem: tamen moraliter in ratione beneficij, & doni maius est, quàm si eidem daretur tempore pacis, quando eo non indiget, nec est illo vsurus. Hæc enim solutio non videtur euacuare vim argumenti: nam, quod illud sit maius beneficium, & maius donum, tandem desumitur ex eo, quòd liberum arbitrium pro innata sua libertate sit bene vsurum tali auxilio, & cooperaturum cum illo: ergo tandem differentia refunditur ad innatam libertatem huius hominis, & non ad aliquid acceptum ex gratia.

Auxilium maius in ratione beneficij, quod dicatur.

AD primum argumentum respondetur, quòd Tyrij, & Sidonij non fuissent conuersi solùm illis signis exterioribus, & auxiliis sufficientibus, sed auxilio efficaci, quod Deus illis misericorditer dedisset, si illa signa apud eos facta fuissent, vt disp. 7. num. 23. explicatum est.

V. Ad secundum argumentum ex auctoritate sancti Augustini respondetur, sanctum Doctorem expresè tenere nostram sententiam libro de prædestinatione Sanctorum superiùs allegato: immò etiam in locis adductis in argumento, eam tradit in verbis subsequentibus: etenim post verba illa adducta ex libro de prædestinatione, & gratia, capite decimoquinto, inquirens rationem: quare ex illis duobus tegbus, vnus fuerit conuersus, sic ait: *Hic quicunque respondet, illi,* nempe Nabuchodonosor, *vt mutaretur, adfuisse diuinum, huic, vt induraretur, defuisse præsidium; & hæc contendit iniustum, propter quod rerum ipsarum fines in Dei voluntate constituens Apostolus dixit: Cuius vult, misereatur, & quem vult, indurat, dicente Domino: Sine me nihil potestis facere; intelligat illa omnia, vel adiuuante Domino perficit, vel deserente permittit.* Quibus verbis apertè docet, Nabuchodonosor, vt conuerteretur, habuisse diuinum præsidium, id est, auxilium efficax sibi collatum, gratuita Dei voluntate; quod tamen, iusto Dei iudicio, non est datum Pharaoni, qui in peccato permansit.

Nabuchodonosor pœnitentia vnde processerit.

Ad alium locum ex libro duodecimo de ciuitate Dei, respõdetur, in illis verbis solùm docere, ex illis duobus hominibus vnum voluntariè peccare, alterum etiam voluntariè in castitate perstitere, quòd verissimum est. Sed statim sanctus Augustinus in caput septimum & octauum, primam radicem inquirit: vnde mala voluntas oriatur, & vnde bona. Etenim in caput septimum docet, quòd prima, & sola causa defectus, & peccati est ex nostro arbitrio, quia ex nihilo factum est: vnde & peccabile est. Et in caput nonum, subdit, quòd *bona voluntas non est ex nobis, sed ex Deo, à quo est voluntas:* id quod probat in Angelis, dicens: *Si autem boni Angeli fuerunt prius sine bona voluntate; eámque in seipsis, Deo non operante, fecerunt: ergo meliores à seipsis, quam ab illo facti sunt.* Quam doctrinam confirmat libro primo retractationũ, capite nono, vbi ait: *Et quia omnia bona, sicut dictum est, & magna, & media, & minima ex Deo sunt: sequitur vt ex Deo sit & bonus vsus liberæ voluntatis, quæ virtus est, & in magnis numeratur bonis.* Et libro de gratia Christi, contra Pelagium & Cælestium, cap. 13. inquit: *Sit data est, non dicamus iustitia nostra, sed Dei, quia sic fit nostra, vt fit nobis ex Deo.* & idem dicit libro de dono perseuer. capit. 14. & libr. 2. de peccat. merit. & remiss. capit. 14.

Ad tertium argumentum respondetur, quòd Deus per gratiam efficacem prædeterminat voluntatem ad piè operandum, non quidem ex necessitate, sed secundùm modum potentiæ liberæ, vt explicat S. Thom. 3. contra Gentes, cap. 90. & 1. part. quæst. 23. artic. 1. ad 3. & de verit. quæst. 5. artic. 5. ad 1. & in aliis locis à nobis adductis disputat. 25. vbi de hoc egimus ex professo. Vnde, qui mouetur à Deo auxilio efficaci, etiam in ipso instanti, in quo mouetur, potest dissentire, si velit; sed non dissentiet: nam ipsa gratia efficit, quòd, cùm homo per liberum arbitrium possit dissentire, non dissentiat; sed liberè, & infallibiliter consentiat; sicut Prædestinatus potest damnari, sed nunquam damnabitur. Et cùm arguitur: nam possibili posito inesse, nullum sequitur inconueniens; respondetur cum sancto Thoma 1 parte, quæst. 23. artic. 6. ad secundum, quòd si possibile ponatur inesse, supposito alio incompossibili, sequitur magnum inconueniens, scilicet vnum impossibile, quòd scilicet de eodem verificentur simul contradictoria, aut contraria, vt patet manifestissimo exemplo. Nam possibile est, quòd Petrus sit albus: si hoc possibile ponatur absolutè inesse, nullum sequitur inconueniens, aut impossibile, quia tantùm sequitur, quòd Petrus sit albus: si autem ponatur inesse, supposito, quòd nigredo maneat in Petro, quæ incompossibilis est cum albedine, sequitur vnum impossibile, quòd videlicet idem Petrus simul sit albus, & niger. Proportionabiliter dicimus in præsenti, quòd si absolutè ponatur

Gratia efficax prædeterminat liber. arbit. ad piè operandum.

Possibili posito inesse, nullum sequitur inconueniens.

ineſſe iſtud poſſibile: Petrus verbi gratia poteſt non conuerti, nullum ſequitur inconueniens: ſi autem poneretur ineſſe, ſuppoſito quòd habet motionem Dei efficacem, ſequitur vnum impoſſibile, quòd videlicet, motio efficax non ſit efficax, aut verò, quòd voluntas Dei abſoluta ſit inefficax, & impotens, quod eſt impoſſibile.

Ad quartum reſpondetur, negando conſequentiam. Et ratio diſcriminis eſt: nam gratia habitualis non tribuit homini, quòd perſeueret vſque in finem, ſed ſolùm, quòd poſſit perſeuerare. Vnde contingit, quòd ex duobus æqualiter iuſtificatis, vnus cadat in peccatum pro ſua libertate, & damnetur: alter verò per Dei miſericordiam perſeueret vſque in finem; quoniam Deus tribuit illi donum perſeuerantiæ, quod non dedit alteri occulto iudicio, ſed æquiſſimo. Cæterùm auxilium efficax tribuit homini bene operari, aut perſeuerare vſque in finem. Vnde ille, qui bene operatur, aut perſeuerat, ſemper habet aliquod auxilium actuale præuenientis gratiæ, quod non habet alter, qui in peccatum labitur, aut perſiſtit in peccato.

Obiectio. Sed vrget argumentum. Habitibus vtimur, cùm volumus: ergo ſi iuſtus, vt poteſt, vtatur illis vſque in finem, ſaluabitur, ſi autem non vtatur, dum tenetur illis vti, peccabit, & damnabitur: ergo cum æqualibus auxiliis ex parte Dei continget aliquando, vnum hominem ſaluari, alium damnari. Reſpondetur, habitibus quidem nos vti, cùm volumus: ſed, vt velimus illis vti, prærequiritur motio Dei efficax, præmouens liberum arbitrium, vt vtatur habitu ad operandum, & operetur bonum, præſertim quando habitus ſunt ſupernaturales: quia, cùm pertineant ad ſuperiorem ordinem, habent ſpecialem rationem, propter quam potentia merè naturalis non vtitur eiſdem habitibus, niſi auxilio Dei ſpeciali moueatur, vt eiſdem habitibus vtatur, eò quòd res ſuperioris ordinis non ſubiiciuntur rebus ordinis inferioris. Neque obſtat illud 1. ad Corinthios 14. *Et ſpiritus Prophetarum Prophetis ſubiectus eſt*: non enim eſt ſenſus, quòd interior cognitio prophetica ſubiiciatur Prophetis, vel ſit in eorum poteſtate: etenim prophetia non datur per modum habitus, ſed per modum motionis tranſeuntis; ſed ſenſus eſt, quòd ſpiritus prophetiæ eſt ſubiectus *Prophetæ, quantùm ad pronunciationem*, vt explicat ſanctus Thomas, quia poſſunt ſibi reuelata pronunciare, & non pronunciare. Sed tamen vt pronuncient, etiam mouentur à Deo, ſicut & ad alias operationes bonas.

Soluio. S. Thom. 1. Corinth. 14. Lect. 6.

Ad quintum argumentum, diſputat. 73. & 90. reſponſum eſt.

FINIS LIBRI DECIMI.

DE

DE AVXILIIS

DIVINÆ GRATIÆ,

ET HVMANI ARBITRII VIRIBVS, ET LIBERTATE,

AC LEGITIMA EIVS CVM EFFICACIA eorundem Auxiliorum concordia,

Liber Vndecimus,

IN QVO AGITVR DE REPROBATIONE ET Reprobis, qui à fine ſupernaturali deficiunt.

POST diſputationem de Prædeſtinatione, & auxiliis gratiæ, per quæ electi in finem ſupernaturalem perducuntur, agendum eſt de Reprobatione, & Reprobis, qui ab eodem fine propria malitia deficiunt, vt ex conſideratione iuſtitiæ diuinæ, quæ in eiſdem reprobis exercetur, magis ſplendeat abundantia miſericordiæ, quæ communicatur electis. Circa reprobationem ergo ſex ſunt conſideranda.

I. Vtrùm reprobatio diuina includat actum poſitiuum, quo Deus voluntate abſoluta ante præſcientiam mali vſus liberi arbitrij futuri ex hypotheſi, velit non admittere reprobos in regnum ſuum: an verò ſolùm includat actum negatiuum.

II. Vtrùm detur ex parte noſtra cauſa reprobationis, quantùm ad integrum effectum illius.

III. Vtrùm oſtenſio diuinæ iuſtitiæ in reprobis, & maioris miſericordiæ, in electis, ſit ex parte Dei ſufficiens cauſa reprobationis.

IIII. Vtrùm Deus omnibus hominibus, quantumuis obduratis, & reprobis, tribuat auxilia ſupernaturalia ſufficientia, per quæ ad vitam æternam peruenire poſſint, & re ipſa perueniant, ſi velint.

V. Vtrùm Deus ab æterno voluntate abſoluta, & efficaci antecedenter ad præſcientiam futuræ determinationis creatæ voluntatis ſtatuerit, non dare auxilia ſupernaturalia ſufficientia, vel efficacia ad ſalutem illis, qui reuera in tempore ea non recipiunt.

VI. Vtrùm paruuli cum peccato originali decedentes, ſint perpetuo manſuri in limbo ad mortem damnati, an verò ducturi poſt diem iudicij in hoc mundo vitam beatam.

De numero reproborum dictum eſt, diſput. 43. inter diſputandum de numero Prædeſtinatorum.

A

B

C

DISPVTATIO CIX.

Vtrùm Reprobatio includat actum poſitiuum, quo Deus voluntate abſoluta ante præſcientiam mali vſus liberi arbitrij velit non admittere reprobos in regnum ſuum.

I. PROBATVR, quod ſolùm includat actum negatiuum. Primò: Deus ab æterno non habuit actum poſitiuum, quo voluerit non creare alium mundum, ſed tantùm ſe habuit negatiuè; ergo ſimiliter cum reprobis ſolùm ſe habuit negatiuè, non ordinando illos abſoluta, & efficaci voluntate in vitam æternam. Patet conſequentia ex paritate rationis. Antecedens probatur: nam ponere actum poſitiuum in Deo, quo velit non facere illa, quæ re ipſa non efficiet, videtur ſuperfluum; cùm idem effectus ſequatur, ponendo in illo actum negatiuum circa illud obiectum.

Secundò. Permiſſio peccati finalis impœnitentiæ non importat in Deo actum poſitiuum: nam talis impœnitentia in eo formaliter conſiſtit, quòd Deus non conferat auxilium efficax, quo reprobus in fine vitæ conuertatur; hoc autem non eſt actus poſitiuus, ſed negatio auxilij: ergo ſimiliter reprobatio non conſiſtit in actu poſitiuo.

Tertiò. Omnia, quæ in ſacris literis, & Conciliis traduntur de reprobatione Angelorũ, & hominum, ſufficientiſſimè ſaluantur abſque eo, quod dicamus, reprobationem dicere actum poſitiuum, quo Deus velit non admittere reprobos ad vitam æternam: ergo.

Quartò. Probatur, quòd reprobatio, quamuis includat actum poſitiuum excludendi reprobos à beatitudine æterna; ille tamen actus non ſit abſolutus antecedenter ad præſcientiam mediam, ſeu conditionatam; ſed ſolùm actus conditionatus, quo

Digitized by Google

Deus voluit reprobos excludere à regno ſuo, ſi ipſi peccauerint, malè vtendo auxiliis gratiæ: etenim indignum omnino videtur diuina bonitate, & clementia, conſtituere in Deo actum abſolutum, quo velit aliquos non admittere ad æternam beatitudinem; neque id eſt cõſentaneum ſacris literis. Ex alia verò parte ſententia, quæ aſſerit, Deum ante præſcientiam mali vſus liberi arbitrij neminem reprobare, neque excludere à ſuo regno, maximè commendat miſericordiam Dei, de quo ſæpiſſime dicit Scriptura: *Non eſt voluntatis meæ mors impij: nolo mortem peccatoris, ſed vt magis conuertatur, & viuat*, vt patet Ezechiel. 18. & 33. ergo, &c.

Confirmatur: nam aliàs ſequeretur, fruſtrà eſſe conſilia, fruſtrà præcepta, quibus reprobi inducũtur ad bonum; immò tales exhortationes, & obiurgationes, quæ ex parte Dei fiunt in Scripturis, potiùs viderẽtur irriſiones & illuſiones, quam veræ, & ſinceræ miſericordiæ diuinæ ſignificationes: quia tandem, quomodocunque ſe habeat reprobus, manebit excluſus à beatitudine æterna, ſi antecedẽter ad præſcientiam mali vſus liberi arbitrij Deus iam ab æterno ſuo decreto abſoluto illum excluſit.

Quintò. Deus, quantùm eſt ex parte ſua, ab æterno voluit actu poſitiuo omnes homines indiſcriminatim ſaluari, neque excepit aliquem in particulari, vt patet ex illo 1. ad Timoth. 2. *Deus vult, omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*; ſed cum hac volitione non compatitur in Deo actus poſitiuus, & abſolutus, quo ſtatuerit aliquos à regno excludere, vel non admittere antecedenter ad præſcientiam mali vſus liberi arbitrij: ergo reprobatio non includit talem actum poſitiuum.

Sextò. Deus omnibus hominibus, quantumuis obduratis, & reprobis tribuit auxilia ſupernaturalia ſufficientia, per quæ ad vitam æternam peruenire poſſint, & reipſa perueniant, ſi velint. Quòd autem multi per illa auxilia non ſaluentur, ſed maneant reprobi, non habuit ortum ex aliquo decreto poſitiuo Dei, volentis non admittere illos ad regnum ſuum, ſed ſolùm prouenit ex malitia eorum; quia ſcilicet noluerunt ita bene vti auxiliis gratiæ, vt ſalutem conſequerentur æternam; ſi enim bene vterentur eiſdem auxiliis, ſicut poterant, ſalui fierent, & ex numero Prædeſtinatorum eſſent: ergo.

Confirmatur: quoniam aliàs admittenda eſſet iſta cauſalis: Quia Deus reprobauit tales homines, vel Angelos, & noluit abſoluta voluntate admittere illos in ſuum regnum, neque conferre eis auxilia efficacia; ideo manent excluſi ab illo. Hoc autem non eſt dicendum; nam eſſet refundere in voluntatem diuinam impiorum damnationem, quod eſt contra Scripturam, & loca Sanctorum: ergo.

II. Hæc difficultas viam ſternit ad illam celebrẽ quæſtionem, de qua agendum erit diſp. ſequenti: Vtrùm ſcilicet ex parte noſtra detur cauſa reprobationis, aut ſaltem conditio, ex qua dependeat. Vnde variæ erunt explicandæ Doctorum ſententiæ. Prima eſt

Prima ſententia.

aſſerentium, quòd Deus in illo inſtanti, ſeu ſigno rationis, in quo prædeſtinauit electos ad vitam æternam, & voluit illis conferre gratiam, & gloriam, ſolùm ſe habuerit negatiuè circa reprobos; ita ſcilicet vt dicatur quoſdam reprobaſſe, quia non elegit illos, nec prædeſtinauit. Ex quo videtur inferri, reprobationem, quantùm ad eſſentiam reprobationis, non includere actum poſitiuum, ſed ſolùm quantum ad vltimum eius effectum, quem Deus infert, ſuppoſito peccato. Huic ſententiæ adhæret Scotus in 1. diſt. 41. quæſt. vn. & in 3. diſt. 19. quæſt. vn. & in ſua quæſtione. Vbi diſtinguit quinque inſtantia, vel ſigna rationis in Deo, ſiue *in præciſione diuina, primò enim Deus intelligit ſe ſub ratione ſummi boni: in ſecundo ſigno intellexit omnes alias creaturas: in tertio prædeſtinauit hos ad gloriam, & gratiam, & circa alios habuit actum negatiuum non prædeſtinãdo: in quarto præuidit illos caſuros in Adamo, in quinto præordinauit, ſiue præuidit de remedio, quomodo redimerentur per paſſionẽ Filij: ita, quòd Chriſtus in carne, ſicut & omnes electi, prius præuideantur, & prædeſtinabantur ad gratiam, & gloriã, quam præuideretur poſſe Chriſtus vt mediator contra lapſum.* Hoc quintum ſignum rationis ad præſentem difficultatẽ non pertinet, ſed ad aliam, quæ tertia parte quæſt. 1. artic. tertio, diſputari ſolet: vtrùm videlicet, ſi Adam non peccaſſet, Verbum diuinum incarnatum fuiſſet: *In primo inſtanti*, inquit, *Deus ex omnibus intellectualibus creaturis futuris, intellectus eius repræſentatis, quibuſdam voluit beatitudinem efficaci voluntate conferre; circa reliquas vero creaturas negatiuè ſe habuit.* Vnde iuxta iſtam ſententiam datur cauſa reprobationis ex parte noſtra, non autem prædeſtinationis. Fundamenta illius tacta ſunt in tribus prioribus argumentis factis à principio.

Secunda ſententia eſt quorundam ex recẽtioribus Theologis, & conſiſtit in quatuor dictis. Primum dictum eſt. Deus voluit ab æterno, actu poſitiuo, omnes homines fieri ſaluos, ſi per ipſos, aut primum parentem non ſteterit. Ex quo inferunt, quòd antecedenter ad præſcientiam mali vſus liberi arbitrij futuri ex hypotheſi, quòd conſtituatur in tali ordine rerum, neminem Deus reprobauerit actu poſitiuo. Secundum dictum eſt. Ratio, ſiue ordo mediorum, cum quibus Deus præſcit, creaturam intellectualem pro ſua libertate bene vſuram ſuo arbitrio, & perueniturum cum eiſdem auxiliis ad vitam æternam, cum propoſito mandandi exequutioni eundem ordinem, eſt formaliter prædeſtinatio. Tertium dictum eſt. Eadem ratio, ſiue ordo mediorum in finem ſupernaturalẽ, cum quibus Deus præſcit, creaturam intellectualem malè vſuram ſuo arbitrio, ita vt reipſa ad beatitudinem æternam per illa media non perueniat, non habet formaliter rationem prædeſtinationis, ſed retinet communem rationem prouidentiæ, reſpectu finis ſupernaturalis. Si autem talis prouidentia habeat adiunctam voluntatem permittendi peccata, & perſeuerantiam in illis vſque ad finem vitæ, ac denique voluntatem excludendi homines, vel Angelos à regno cœleſti, propter huiuſmodi peccata, per talem volũtatem completur ratio reprobationis. Probant primum dictum tria vltima argumenta ex factis à principio: rationes verò, quibus probant tria poſteriora dicta, adducta ſunt diſputatione 35. 36. & 37.

III. Primum dictum. Secundum dictum. Tertium dictum.

IIII. Pro reſolutione tamen huius difficultatis, & explicatione ſententiæ S. Thomæ, notãdum eſt, quòd, vt docet idem S. Thom. parte 1. quæſt. 23. artic. 3. & ſuper cap. 9. ad Rom. Lect. 2. & 3. contr. Gent. cap. 163. ſicut prædeſtinatio eſt pars diuinæ prouidentiæ, ita & reprobatio: vnde quidquid competit eſſentialiter diuinæ prouidẽtiæ, neceſſe eſt competat reprobationi. Notandum ſecundò, quòd reprobatio opponitur approbationi: reprobatio autem eſt actus intellectus iudicantis, aliquam rem eſſe aptam, & conuenientem fini. Vnde S. Auguſt. libr. 1. contra Academicos, cap. 4. & in Enchirid. cap. 17. definit errorem, quòd ſit falſi pro vero approbatio: vnde reprobatio erit oppoſitum iudicium, quo aliquid reſpuitur, & reiicitur, vel iudicatur, non eſſe conueniens fini. Notandum tertiò, excluſionem à regno cœleſti poſſe accipi dupliciter. Primò, inquantùm habet rationem priuationis, & pœnæ damni, quæ correſpondet peccato ex parte auerſionis, ſecundùm illud: *Diſcedite à me operarij iniquitatis*: & Matth. 25. *Ite maledicti*: in hoc enim verbo explicatur pœna damni, ſicut in verbis ſequentibus deſcribitur pœna ſenſus, reſpondens peccatis, ex parte conuerſionis, cùm

cùm subdit: *In ignem æternum.* Secundò potest accipi, vt importet actum positivum non dandi aliquibus beatitudinem, id ordinando ad gloriam suam, & ad maiorem splendorem misericordiæ in electis.

V. Reprobatio Dei includit actum positivum.

PRima conclusio. Reprobatio Dei æterna includit actum positivum, quo voluit quosdam non admittere ad vitam æternam. Conclusio ista videtur expressa S. Thom. 1. part. quæst. 23. artic. 3 & probatur. Primò: nam ad reprobationem non sufficit, quòd Deus se habeat merè negativè circa reprobos, non ordinando eos efficaciter ad vitam æternam: Deus enim merè non reprobavit homines, vel Angelos possibiles, qui nunquam erunt, & tamen circa illos se habuit negativè, non ordinando eos ad vitam æternam: ergo reprobatio includit actum positivum. Probatur secundò. Electio est acceptatio vnius præ alio; ille enim propriè dicitur eligere, qui, propositis duobus modis ad consequutionem finis, vnum acceptat, & alterum reiicit; sed Deus ab æterno actu positivo quosdam elegit ad vitam æternam; dicit enim Apostol. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti, &c.* Ergo actu positivo quosdam voluit admittere, quosdam non admittere ad suum regnum. Probatur tertiò. Reprobatio, vt dictum est in primo fundamento, est pars divinæ providentiæ: sed providentia divina essentialiter includit actum positivum, quo res in finem ordinantur: ergo & reprobatio includit actum positivum.

Ephes. 1.

VI. Secunda conclusio. Si consideretur exclusio à regno cœlesti, inquantùm habet formaliter rationem pœnæ damni, præsupponit culpam. De hac conclusione etiam non est difficultas: omnes enim tenentur admittere eam: nam pœna, in ratione pœnæ, & similiter iustitia vindicativa, præsupponit culpam. Et hanc conclusionem probant efficaciter tria vltima argumenta facta à principio.

Reprobatio absoluta antecedit præscientiam mali vsus arbit. futuri.

Tertia conclusio. Actus positivus, quo Deus ab æterno voluit non admittere quosdam in suum regnum, non fuit conditionatus, sed absolutus, antecedens in signo rationis præscientiam mali vsus liberi arbitrij futuri ex hypothesi, quòd constitueretur tali ordine rerum. Hæc conclusio est expressa S. Augustini, & S. Thomæ, locis infrà allegandis, quam defendunt communiter Thomistæ, præsertim Caiet. super caput 11. Matthæi, in illa verba: *Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ*, vsque ad hæc verba, *Ita Pater, quia sic placitum est ante te.* Veritas autem huius conclusionis potissimè fundatur in sententia illa, quæ asserit, nullam dari causam ex parte nostra, respectu totius effectus reprobationis, de qua agendum est disput. sequent. Si ergo nulla datur causa reprobationis: ergo reprobatio non dependet ex præuiso malo vsu liberi arbitrij etiam tanquam à conditione, sine qua non: ergo importat actum absolutum in Deo. Probatur conclusio: nam Apostol. ad Rom. 9. postquam intulit ex his, quæ dixerat in eodem capite de prædestinatione, & reprobatione: *Ergo cuius vult miseretur, & quem vult indurat*; statim proponit eorum querimoniam, quibus dura videtur prædestinatio, & reprobatio, antecedens præscientiam meritorum, & ait: *Quid adhuc queritur? voluntati enim eius quis resistit?* & huic obiectioni occurrit subdens: *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? numquid dicit figmentum ei, qui se finxit, quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere quidem aliud vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Hæc autem responsio, & obiurgatio non haberet locum, si Deus antecedenter ad præscientiam mali vsus liberi arbitrij neminem reprobasset, absoluta, & efficaci voluntate; posset enim facilè respondere Apost. quòd ex bono, vel malo vsu liberi arbitrij creati, præcognito à Deo, tanquam ex conditione, sine qua non, dependet, quòd prouidentia supernaturalis Dei, circa vnum habeat formaliter rationem reprobationis, & non circa alium. Nec satis est respondere, profunditatem prædestinationis, & reprobationis in hoc consistere, quòd nulla datur causa, vel conditio ex parte nostra, propter quam Deus statuerit constituere hominem in tali ordine rerum, in quo præsciebat pro arbitrij sui libertate bene vsurum auxiliis gratiæ, vel malè, ita vt bene vtendo perueniat ad vitam æternam, vel malè vtendo ab ea deficeret. Hæc enim solutio iam in tractatu de prædestinatione exclusa est.

Secundò, probatur auctoritate S. Aug. epist. 107. ad Vitalem: vbi post medium epistol. nostram conclusionem tradit: & inter alia inquit: *Malus fatus non fiunt, non quia ipsi nolunt, sed quia Deus non vult, quod absque vlla caligine monstratur in paruulis.* Et idem docet de dono perseuer. cap. 12. vbi ait, non esse adscribendum fato, vel fortuitis casibus, quòd aliqui paruuli moriantur, antequam baptizentur, sed Dei prouidentiæ, & voluntati. Idem dicit S. Prosp. lib. 1. de vocat. Gent. cap. 12. & lib. 1. cap. 22, & 23. ergo actus positivus, quo Deus reprobat aliquos, non est conditionatus, si pro eos scilicet non fleterit, sed absolutus secundùm sententiam sancti Augustini. Disput. 37. num. 10.

Probatur denique destruendo potissimum contrariæ sententiæ fundamentum: nam beatitudo supernaturalis non est debita alicui creaturæ, secundùm sua naturalia consideratæ: ergo pro sua voluntate potuit Deus ab æterno absque alicuius iniuria ante præscientiam boni, vel mali vsus liberi arbitrij, quosdam eligere ad vitam æternam & velle actu positivo quosdam non admittere, absque eo, quod alicui faciat iniuriam: nam, vt quæst. 6. de veritate, artic. 2. ad 8. dicit S. Thom. in gratuitis non habet locum iniustitia, vel acceptio personarum: *Possum enim vni dare, & alteri non dare pro mea libita voluntatis*, etiamsi ambo sint inæquales. Hæc conclusio amplius patebit disput. sequent. de qua etiam videnda sunt quæ diximus disput. 37.

VII. AD primum argumentum ex dictis à principio, negatur consequentia: nam rerum possibilium, quæ nunquam habebunt esse, non est propriè prouidentia: Deus autem propriè habet prouidentiam, non solùm respectu prædestinatorum, sed etiam reprobrum, vnde non est simile.

Ad secundum respondetur primò, negationem auxilij efficacis, quo homo in fine vitæ conuertitur, vel perseuerat in gratia, esse effectum reprobationis, vnde ante huiusmodi negationē intelligitur in Deo actus positivus, per quem quosdam reprobauit. Respondetur secundò, ipsam negationem auxilij efficacis importare etiam in Deo actum positivum, quo ad ostensionē sum iustitiæ antecedenter ad præscientiam mali vsus liberi arbitrij decreuit non conferre reprobis auxilium efficax, quo primum peccatum, propter quod damnantur, vitarent: sed permittere, vt laberentur in illud.

Ad tertium argumentum negatur antecedens: etenim nisi ponamus actum positivum in Deo, respectu reproborum, non videtur posse saluari congruè illud ad Rom. 9. *Non ex operibus, sed ex vocante dictum est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui*; qui locus explicatur de æterna prædestinatione, & reprobatione Iacob, & Esau, & omnium aliorum electorum, & reproborum. Sic illum locum explicat S. August. lib. 1. quæst. ad Simplic. quæst. 2. & epistol. 106. ad Sixtum, & in Enchirid. ad Laur. cap. 98. & 16. de Ciuit. cap. 81. S. Thom. 3. cōt. Gent. vbi suprà. Burgēs. in additionibus super cap. 1. Malachiæ, & alij multi Doctores; quæ explicatio est literalis. In proprietate autem sermonis, habere aliquem odio, non importat solam negationem, sed actum etiam positivum.

VIII. Ad quartum argumentum reſpondetur, ex dictis in tertia concluſione, actum illum per quem Deus A proiicere, vt ſaluam faciat vitam, nihilominùs eſt inuoluntarius ſecundùm quid, & nollet illas proiicere: ergo eodem modo ſtat ſimul in Deo voluntas ſecundùm quid, ſcilicet voluntas antecedens, qua vult omnes homines ſaluos fieri; & voluntas abſoluta, qua vult aliquos non fieri ſaluos ad oſtenſionem ſuæ iuſtitiæ. Vtrùm autem voluntas antecedens importet formaliter in Deo actum conditionatum, aut velleitatem, & in quo diſtinguatur à voluntate conſequente, iam diſput. 34. explicatum eſt.

Ad ſextum argumentum patebit ex his, quæ diſputatione 112. dicenda erunt.

Ad confirmationem reſpondetur per ea, quæ diſputatione 100. & 101. dicta ſunt.

B

DISPVTATIO CX.

Vtrùm detur ex parte noſtra cauſa Reprobationis, quantùm ad integrum effectum illius.

PAR. 1. affirmatiua probatur ex Concil. Valent. ſub Lothario Imperat. capit. 3. vbi ſic dicitur: *Fideliter fatemur, prædeſtinationem electorum ad vitam, & prædeſtinationem impiorum ad mortem: in electione tamen ſaluandorũ miſericordiam Dei præcedere meritum bonum; in damnatione verò peccatorum meritum malum præcedere iuſtum iudicium Dei.* Sed per iuſtum iudicium Dei reprobantur aliqui homines: ergo peccatum, ſeu præſciẽtia illius præcedit reprobationem, ac per conſequens eſt cauſa meritoria illius. Idipſum videntur inſinuare loca Scripturæ, in quibus habetur, Deum non velle mortem peccatoris, & creaſſe hominem, non vt periret, ſed vt ſalutem conſequeretur, ac per ſe conſequens ſemper ſtare ad oſtium, & pulſare. I. C

Deum non velle mortẽ peccatoris, qualiter intelligatur.

Arguitur ſecundò auctoritate S. Auguſt. quæ in materia de gratia, & prædeſtinatione maxima eſt: docet enim, peccatum originale eſſe cauſam in hominibus reprobationis. Ita dicit in epiſtol. 105. ad Sixtum, dum ait: *Quærimus meritum obdurationis, & inuenimus, quærimus autem meritum miſericordiæ, nec inuenimus, quia nullum eſt.* Nec poteſt explicari de vltimo effectu reprobationis, cuius eſt cauſa peccatum ſaltem originale; aliàs non bene aſſignaſſet differentiam inter prædeſtinationem, & reprobationem: nam etiam prædeſtinatio, quantùm ad effectum vltimum, habet aliquam cauſam ex parte noſtra; ſcilicet merita gratiæ, vt in 1. parte, quæſt. 23. artic. 3. docet S. Thom. Item etiam quæſt. 2. ad Simplic. & in Enchir. ad Laur. à cap. 94. vſque ad 100. & lib. de prædeſtin. & grat. cap. 3. & 7. & de prædeſtin. Sanctor. cap. 8. & 9. & lib. 6. Hypognoſt. ſæpiſſimè repetit, cauſam reprobationis eſſe peccatũ originale. Vnde S. Thom. quæſt. 6. de verit. artic. 2. ad 9. expreſsè fatetur, quòd ſecundùm Auguſtinum: *Ratio reprobationis eſt in hominibus peccatum originale.* D II.

Cõfirmatur hoc auctoritate S. Thom. ſuper cap. 9. ad Rom. Lect. 2. in fine, vbi ait, quòd *præſcientia meritorum non poteſt eſſe aliqua ratio prædeſtinationis, quia merita præſcita cadunt ſub prædeſtinatione, ſed præſcientia peccatorum poteſt eſſe aliqua ratio reprobationis ex parte pœnæ*: ex quibus verbis deſumitur tale argumentum. E

Ideò nõ datur cauſa prædeſtinationis ex parte noſtra, quia quidquid requiritur, vt prædeſtinatus conſequatur vltimum finem prædeſtinationis, cadit ſub prædeſtinatione, tanquam effectus illius, & conſequẽtèr non poteſt eſſe cauſa, neque conditio, à qua dependeat

IX. Ad confirmationem iam à nobis ſufficienter reſponſum eſt ſuprà. Et nunc breuiter dicimus, exhortationes, & obiurgationes eſſe quidem fruſtra reſpectu reproborũ, quatenus ſcilicet per illas non conſequuntur vltimam beatitudinem ſupernaturalẽ, non quidem ex culpa Dei, ſed propria; quia, vt dicitur Iob 24. *Ipſi fuerunt rebelles lumini*; & cap. 21. dicit Iob in perſona reproborum: *Recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus.* Non ſunt tamen fruſtra reſpectu Dei: nam ipſe conſequitur alios fines, de quibus diſput. 111. dicetur. Poteſt hæc ſolutio illuſtrari optimo exemplo: ſicut enim ſol non fruſtra illuminat vniuerſum orbem, etiamſi ille, qui claudit oculos, vel feneſtram, non illuſtretur eius lumine; ita proportionabiliter Deus non fruſtra hortatur omnes ad virtutem, etiamſi aliqui ſua malitia diuinis abutantur exhortationibus. De illo enim dicitur Ioan. 1. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Videatur circa hoc exemplum S. Thom. 3. cont. Gent. cap. 159.

Exhortationes reproborum non fiũt fruſtra reſpectu Dei.

Ad quintum reſpondetur cum S. Thom. 1. parte, quæſt. 23. artic. 4. ad 3. Deum voluntate conſequẽte, quæ eſt voluntas ſimpliciter, non velle omnes homines ſaluos fieri, quod etiam fatetur S. Auguſt. vbi ſuprà, ſed ea non eſt voluntate antecedente, quæ eſt voluntas ſecundùm quid, vult omnes homines ſaluos fieri, & eumdẽ volitate ſtat in Deo actus abſolutus quo antecedenter ad præſcientiã mali vſus liberi arbitrij, quoſdam vult non admittere in regnum ſuum. Cùm enim regnum illud non ſit debitum alicui creaturæ, poteſt Deus pro ſua voluntate dare cui voluerit. Quòd autem illæ duæ voluntates non ſint inter ſe repugnantes, patet manifeſtè: nam, qui proiicit merces in mare tempeſtate, ſimpliciter vult eas

Vide diſput. 35.

Voluntas antecedens, & conſequẽs Dei non repugnant inter ſe.

deat prædeſtinatio: ſed hæc ratio non procedit de reprobatione: nam peccatum, quod requiritur, vt ſequatur vltimus effectus reprobationis, non cadit ſub reprobatione, tãquam effectus illius; vt docet S. Thom. artic. 3. citat. ſed ſupponitur ex parte noſtra. Idem videtur docere S. Thom. eodẽ art. 3. & in ſolut. ad 3. dum ait, quòd *Deus voluit in aliquibus oſtendere ſuam bonitatem, per modum miſericordiæ, parcẽdo, & ideo eos prædeſtinauit ad gloriam*, vbi manifeſtè videtur docere, quòd prædeſtinatio præſupponat peccatum originale, & totam maſſam naturæ infectam in primo parente, & conſequenter, quòd etiam reprobatio præſupponat peccatum originale: nam ex eadem maſſa quoidã miſericorditer prædeſtinauit, & quoſdam iuſtè reprobauit.

Tertiò. Reprobare eſt aliquem odio habere; ſicut odio aliquem habere, eſt velle illi malum, ſed neminem Deus odio habet, neque vult alicui malum pœnæ, niſi propter culpam: ergo reprobatio præſupponit præſcientiam culpæ.

Quartò. Reprobatio hominum præſupponit præſcientiam peccati originalis, quod eſt ſufficiens cauſa reprobationis: ergo datur ex parte noſtra cauſa reprobationis; antecedens probatur, quia prædeſtinatio Chriſti Domini ſupponit in ſigno rationis præſcientiam peccati originalis, & ita venit in remediũ illius, & aliàs non veniſſet, vt docet ſanctus Thomas 3. part. quæſt. 1. artic. 3. præſertim in ſolutione ad quartum: ergo prædeſtinatio noſtra præſupponit præſcientiam peccati originalis, aliàs prædeſtinationem Chriſti præcederet, & ita Chriſtus Dominus non eſſet primus Prædeſtinatorum, neque eorum caput: ergo reprobatio etiam intelligitur poſt præſcientiam peccati originalis. Patet iſta conſequentia: nam prædeſtinatio in ſigno rationis antecedit reprobationem, ſicut affirmatio negationem: ergo, ſi præſcientia peccati originalis antecedit prædeſtinationem noſtram, à fortiori debet antecedere reprobationem.

Quintò. Deus, quantùm eſt ex parte ſua, neminem vult excludere à regno ſuo, vt pote qui *vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, vt dicitur 1. Timoth. 2. ergo quòd velit excludere aliquos à regno ſuo, præſupponit cauſam demeritoriam ex parte eorum.

Arguitur ſextò. Reprobatio eſt actus iuſtitiæ punitiuæ, ſeu vindicatiuæ; ergo neceſſariò præſupponit culpam præuiſam, propter quam Deus decreuit homines punire.

Confirmatur: nam aliàs Deus eſſet crudelis, & non princeps clementiſſimus, ſi pro mera ſua voluntate reprobaſſet aliquos, ſciens, & videns, eo ipſo illos eſſe damnandos.

III. Septimò. Datur cauſa ex parte noſtra totius effectus reprobationis: ergo datur cauſa reprobationis: Conſequẽtia patet: nam ex eo S. Thom. 1. part. a. cit. probat, ex parte noſtra nullam dari cauſam prædeſtinationis, quia non datur cauſa totius effectus prædeſtinationis: ergo ſi datur cauſa totius effectus reprobationis, dabitur cauſa reprobationis ex parte noſtra. Antecedens autem probatur; nam, vt docet ſanctus Thomas 1. part. quæſt. 23. art. 1. ad 2. & quæſt. 6. de verit. art. 1. in fine corp. & ad Rom. 9. Lect. 4. duo ſunt reprobationis effectus, ſcilicet inflictio pœnæ æternæ, qui eſt vltimus effectus, & ſubtractio auxilij diuinæ gratiæ, ſiue derelictio in peccato; ſed vtriuſque effectus datur cauſa ex parte noſtra: etenim inflictionis æternæ pœnæ cauſa eſt culpa, vt fatentur omnes; ſimiliter etiam culpa, ſaltem originalis, cauſa eſt alterius effectus, ſcilicet derelictionis in peccato, vt patet ex ſancto Thoma 2. 2. quæſt. 2. artic. 5. ad primum, vbi ait, quòd *auxilium gratiæ quibuſcunque diuinitus datur, miſericorditer datur: quibus autem non datur, in pœnam præcedentis peccati non datur ſaltem originalis*, vt inquit S. Aug. lib. de corrept. & gratia, & 3. contr. Gent. cap. 159. inquit, quòd homines non adiuuentur à Deo, in ipſis cauſam eſſe, quia ſcilicet ſua culpa præſtant impedimentum gratiæ, & ita imputatur eis ad peccatum, ſi non conuertantur, etiamſi id præſtare non poſſint ſine auxilio gratiæ. Denique 1. 2. quæſt. 112. artic. 3. ad ſecundum, inquit, quòd *defectus gratiæ primæ cauſæ eſt ex nobis, ſed collationis gratiæ cauſa eſt ex Deo, iuxta illud Oſee 13. Perditio tua ex te Iſraël, tantummodo in me auxilium tuum.* Et idem docet in 1. ſent. diſt. 40. qu. 1. art. 2. ergo ex parte noſtra datur cauſa totius effectus reprobationis.

Confirmatur. Deus potuit hominem reprobare propter peccatum originale: nam ſecundùm ſe eſt ſufficiens cauſa reprobationis, & fuit decens diuinæ miſericordiæ, quòd ita faceret, ne homines vllo vel apparenti colore poſſent de illo conqueri: ergo de facto reprobauit homines propter peccatum ſaltem originale.

Octauò. Permiſſio primi peccati, ſaltem originalis, non poteſt eſſe effectus reprobationis: ergo ex eo, quòd non datur cauſa ex parte noſtra illius permiſſionis, non ſequitur, quòd non detur cauſa totius effectus reprobationis. Antecedens probatur: quoniam eiuſdem peccati non eſt duplex permiſſio, ſed peccatum originale intelligitur permiſſum, & futurum, antequam intelligatur reprobatio: ergo permiſſio eiuſdem peccati non poteſt intelligi poſt reprobationem, & ita non erit illius effectus; aliàs idem peccatũ bis permitteretur à Deo, vel idem eſſet prius, & poſterius reſpectu eiuſdem.

Confirmatur primò. Deus de facto permiſit, quòd omnes homines peccarent originaliter, & ſimiliter permittit, quòd multi Prædeſtinati peccent mortaliter, & tamen permiſſio peccati originalis non eſt in omnibus effectus reprobationis, & ſimiliter permiſſio peccati actualis: ergo neque in aliquibus. Patet conſequentia: nam talis permiſſio æqualiter ſe habet ad omnes.

Confirmatur ſecundò. Vt dicitur in Cõcil. Tridẽt. ſeſſ. 6. cap. 11. *Deus ſua gratia ſemel iuſtificatos non deſerit, niſi priùs deſeratur ab eis*: ergo ante diuinam permiſſionem, qua deſerit hominem, & permittit, vt cadat, ſemper præſupponitur aliquid ex parte hominis, ratione cuius deſerit Deum; ac per conſequens illa prima permiſſio peccati ſupponit cauſam ex parte noſtra.

Confirmatur tertiò: nam S. Tho. 1. part. quæſt. 94. a. 4. ad 5. inquit, *quòd in tentatione non eſt ſubuenitum Adæ, quia iam præceſſerat peccatũ in animo, & ad diuinum auxilium recurſum non habuit*: ergo ſecũdùm ſanctum Thom. ante permiſſionem peccati præſupponitur ex parte hominis aliqua negligentia.

In contrarium videtur S. Thom. 1. part. quæſt. 23. artic. 3. in ſolut. ad 2. & 3. vbi indifferenter loquitur de prædeſtinatione, & reprobatione, & docet, non eſſe ex præuiſis meritis.

IIII. Prima ſententia. In hac difficili quæſtione quidam auctor, vt prædeſtinationem, & reprobationem quietatiuam intellectus humani in Deo ſtatuat, qua facile argumentis, quæ vel in deſperationem, vel in ſegnitiem, & torporem inducere videntur, occurrere valeat: duplicem diſtinguit reprobationem, ſicut de prædeſtinatione ſuperiùs dictum eſt. Primam vocat reprobationem incompletam, & conditionatam, quæ habet tacitam conditionem ſubintellectam, & importat actum, quo Deus conditionaliter vult non admittere aliquos in regnum ſuum, ſed pro eorum peccatis pœnis æternis punire, ſi ipſi peccauerint, & in peccato perſeuerauerint vſque in finem. Secundam

vocat

vocat reprobationem completam, & absolutam; & hanc sentiunt præsupponere in Deo præscientiam finalis impœnitentiæ, siue perseuerantiæ in peccato vsque ad mortem, & ex parte hominis supponere ipsum peccatum, & continuationem eius vsque ad vltimum vitæ terminum: atque adeò talem reprobationem esse ex præuisis demeritis. Ex quo infert, neminem esse reprobatum absoluta Dei voluntate, ante præuisionem finis in statu peccati. Infert etiam, quòd Deus non statuit decreto absoluto, ante præuisionem operum, qui sint saluandi, qui damnandi. Conuincitur ad statuendam hanc sententiam,

Primò ex sacris literis: nam Matth. 25. dicitur reprobis: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius*: & subditur ratio: *Esurini enim, & non dedistis mihi manducare, &c.* vbi illa causalis, *enim*, causam demeritoriam præuisam à Deo significat, propter quam reprobati sunt. Idem Ezechielis 18. *Non est voluntatis meæ mors impij.* Isaiæ 49. *Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur & viuat.* Sapient. 11. *Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti, &c.* Et 1. ad Timoth. 2. *Qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Cum qua voluntate reuera non compatitur reprobatio absoluta aliquorum ante demerita præuisa, & perseuerãtiam ab illis vsque in finem. Quomodo enim verè, & sincerè vult omnes saluari, si in primo illo decreto de saluãdis hominibus, quod ex se concepit, tam paucos ad salutem elegit, & tam immensum numerum excluſit? & in secundo instanti, nullam illis nisi incongruam gratiam saltem pro termino vitæ præparauit?

S. Hieron. Secundò id probat ex Patribus: nam S. Hieron. in cap. 1. Malachiæ: *Dilectio*, inquit, *& odium Dei vel ex præscientia nascitur futurorum, vel ex operibus: aliquin nouimus, quòd omnia Deus diligat, nec quidquam eorum oderit, quæ creauit: sed propriè eos sua vindicat charitati, qui vitiorum hostes sunt, & rebelles: & è contrario illos odit, qui à Deo destructa cupiunt rursus extruere.* Vbi apertè insinuat, quòd odium nascitur ex operibus. Idem epistola ad Hedibiam, quæst. 10. *Vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam suam, non irrationabiliter saluat, & absque veritate. sed causis præcedentibus: quia alij non susceperunt Filium Dei, alij autem recipere sua sponte voluerunt. Ex quo ostenditur, non gentes eligi, sed hominum voluntates.* At hoc verum non esset, si ante omnem voluntatum præuisionem ex meto suo beneplacito hos eligeret ad gloriam, & non illos. Item etiam

S. Ambrosius Rom. 8. Ambrosius lib. 5. de fide, cap. 3. explicans illud Apostoli: *Quos præscit, & prædestinauit*, inquit: *Non enim antè prædestinauit, quàm præsciret, sed quorum merita*

Fulgentius. *præscit, eorum merita prædestinauit.* Præterea Fulgentius ad Monimum, de duplici prædestinatione, cap. 24. sic ait: *Ostensurus itaque Deus, quid reddendum præsciuerit, & quid damnandum, prædestinauit illos ad supplicium, quos à se præscit voluntatis mala vitio discessuros.*

S. Prosper. Sanctus Prosper ad obiectiones Vincent. resp. 11. inquit: *Quia præscitis sunt casuri, non sunt prædestinati, essent autem prædestinati, si essent reuersuri.* Et ad capit. Gallorum, respons. 7. *Quia ipse ruituros propria voluntate præscit, ab hoc à filiis perditionis nulla eos prædestinatione discernit.* Quibus verbis præscientia operum electioni, & reprobationi apertè supponitur: ergo ante præuisa merita, vel demerita non est in Deo prædestinatio absoluta, & reprobatio, sed conditionata.

Tertiò: nam promissiones & comminationes diuinæ, quibus electis vitam æternam promittit, & reprobis æternum supplicium comminatur, sunt conditionatæ, & semper tacitam, vel expressam continent hypothesim, nimirum, si mandata seruauerint, & perseuerauerint vsque in finem, aut si lapsi fuerint, & pœnitentiam non egerint, vt patet ex Concilio Tridentino, sessione 6. de iustificatione, canone 20. *Si quis hominem iustificatum, & quantumlibet perfectum dixerit non teneri ad obseruantiam mandatorum Dei, & Ecclesiæ, sed tantùm ad credendum, quasi verò Euangelium sit nuda, & absoluta promissio vitæ æternæ, sine conditione obseruationis mandatorum, anathema sit.* Et eadem conditio exprimitur capit. 13. eiusdem sessionis: *Deus enim (nisi ipsi eius gratiæ defuerint) sicut cœpit opus bonum, ita & perficiet, operans velle, & perficere*: & canone 32. definitur, *Iustificatum per bona opera mereri vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ (si tamen in gratia decesserit) consequutionem.* Quæ conditio etiam exprimitur Matthæi 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*: & Lucæ 13. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis*: ergo reprobatio absoluta non est in Deo ante demerita præuisa.

Quartò. Reprobatio absoluta ante præuisa demerita non videtur congruere bonitati diuinæ, cui non est cõsentaneum, vt in bonis, quæ ex se ante omnem præuisionem futurorum, creaturæ rationali præparat, aliquos excipiat. Nec etiam iustitiæ videtur satis congruere: in damnatione enim impiorum, & remuneratione iustorum non videtur in illo modo prædestinationis, & reprobationis relucere tanta æquitas, quanta si esset ex præuisis meritis, vel demeritis. Præterea iuxta illum modum difficile esset explicare, quomodo maxima hominum pars non sit diuina potestate prædestinata ad malum, & creata, vt pereat: ergo.

Quintò: nam experientia docet, quosdam, ex prædestinatione, & reprobatione absoluta ante præuisa merita, vel demerita in grauissimos melancholiæ affectus incidisse, alios studium pietatis, & perfectionem religionis abiecisse, alios penè per totam vitam in anxietate versari, prædestinationem Dei suspectam semper habentes. Si enim de omnibus ante omnem præuisionẽ eorum, quæ sumus facturi, iam est firmiter, & absolutis decretis statutum; si numerus saluandorum, qui nec augeri, nec minui potest, nullo operum, vel laborum nostrorum habito respectu, immutabiliter est definitus, si ante examen operum de omnibus irreuocabili præindicio est definitum; perspicuum esse videtur, tolli omnem sollicitudinem rectè viuendi: quia si illo numero es comprehensus, nulla iniuria facies, vt excidas: si non es comprehensus, nulla sollicitudo iuuabit, vt intres: ergo ea ratio prædestinationis, & reprobationis statuenda est, quæ solidum mentis solatium afferat, quæ studium bonorum operum, sæculi contemptum, & Christianæ perfectionis amorem excitet. Hæc autem assequimur, si dicamus prædestinationem, & reprobationem ex parte Dei non esse absolutam ante præuisa merita, vel demerita, sed conditionatam: ergo, &c. Alias rationes, quæ pro hac sententia afferuntur, omitto: tum quia in superiùs adductis comprehenduntur: tum etiam quoniam eò tendunt, vt impugnent absolutas Dei prædestinationes, seu prædeterminationes, de quibus disputat. 22. & 23. iam egimus ex professo.

V. Reprobationis causam fuisse peccatũ originale, qui sentiant

Secunda sententia est asserentium, causam meritoriam reprobationis in hominibus fuisse peccatum originale à Deo præuisum, quo tota natura humana in primo parente infecta est: & consequenter omnes, qui in Adam peccauerunt, meruerunt sibi in illo iram, & pœnam æternam, iuxta illud ad Ephes. 2. *Et eramus omnes natura filij iræ.* Quam sententiam sequuntur multi Thomistæ conuicti auctoritatibus Aug. locis superiùs allegatis, & affirmãt duo. Primum est, peccatum originale esse causam generalem reprobationis in hominibus: nã Deus ab æterno præuidit,

Primum dictum.

totam

totam maſſam naturæ humanæ infectam, propter peccatum primi parentis. Deinde ex hac maſſa perditionis elegit, pro mera ſua liberalitate, quoſdam in particulari, eóſque prædeſtinauit, vt in illis oſtenderet abundantes diuitias miſericordiæ ſuæ, alios verò iuſtè reliquit in eadem maſſa perditionis, & reprobauit propter peccatum naturæ, cui pœna æterna debebatur, iuxta illud Geneſ. 3. *In quacunque die comederis ex eo morte morieris*: in quo nulli facta eſt iniuria: ſicut, ſi duo homines eſſent in carcere propter eandem cauſam ad mortem condemnati, & intraret Rex, & ſua miſericordia vellet donare vitam vni, & eum à morte eripere, alterum verò relinquere in carcere, vt ſuſpenderetur propter delictum commiſſum, vt in eo manifeſtaretur iuſtitia principis, nulli irrogaretur iniuria. Propter quod & ſanctus Auguſtinus ait: *O homo debitum, ſi non accipias, habes, quòd gratuitum ſi autem accipias, non habes, quod queraris.* Secundum dictum eſt, peccata actualia præuiſa non eſſe cauſam reprobationis, quod probant ex ſancti Auguſtini auctoritate, & ex illo ad Rom. 9. *Antequam nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali, &c.* ex quo teſtimonio tale deſumitur argumentum. Eadem eſt ratio reprobationis Eſau, de qua loquitur Apoſtolus, & aliorum reproborum; ſed Eſau non fuit reprobatus propter propria demerita actualia: ergo neque alij.

Aug. l. 3. ad Simplic. circa finem.

Secundum dictum.

Confirmatur: nam Apoſtolus, quamuis loquatur de Eſau, de quo fit mentio in loco Malachiæ, quem adducit; tradit nihilominus doctrinam generalem de prædeſtinatione & reprobatione.

VI. Tertia ſententia eſt aſſerentium, dari quidem cauſam reprobationis ex parte noſtra; non tamen eſſe eandem in omnibus. Dicunt enim in aliquibus, ſcilicet in paruulis decedentibus ſine remedio contra peccatum originale, reprobationis cauſam fuiſſe peccatum originale à Deo præuiſum: in aliquibus autem cauſam reprobationis eſſe ſolum peccatum mortale, vt in Angelis reprobis, & in adultis baptizatis, qui damnantur ſolùm propter peccatum mortale: in alijs denique vtrumque ſimul, vt in infidelibus, qui cum peccato originali, & actuali decedunt. Tenuit hanc ſententiam M. Sotus in comment. ſuper caput nonum ad Romanos, quamuis in ſuis retractationibus, quas adiecit in fine libri quarti ſententiarum, non obſcurè mutauerit hanc ſententiam. Argumenta potiſſima eiuſdem ſententiæ ſunt propoſita à principio.

VII. Quarta ſententia eſt aliorum Thomiſtarum aſſerentium, quòd reprobationis, quantùm ad vltimum effectum, datur cauſa ex parte noſtra, ſcilicet culpa, ſiue ſit originalis, ſiue actualis, & ſimiliter quantum ad obdurationem, & perſeuerantiam in peccato vſque ad vltimum vitæ. Cæterùm quantùm ad primum effectum reprobationis, qui eſt prima permiſſio peccati, propter quod damnatur reprobus, ſiue illud ſit originale, ſiue actuale, nulla datur cauſa ex parte noſtra, ſed illius permiſſionis cauſa eſt mera voluntas Dei: & conſequenter docent, nullam dari cauſam totius effectus reprobationis. Hanc ſententiam defendunt M. Bañes 1. par. artic. 3. citato M. Zumel diſput. 4. & multi alij doctiſſimi Thomiſtæ.

VIII. Prædeſtinationis, & reprobationis diſcrimen. Pro reſolutione tamen huius difficultatis ſuppo-nendum eſt primò, quòd, vt docet ſanctus Thomas locis ſupra citatis, aliter ſe habet diuina prædeſtinatio in ordine ad prædeſtinatos, aliter reprobatio in ordine ad reprobos: etenim prædeſtinatio non ſolùm eſt cauſa vltimi effectus ſcilicet collationis gloriæ, ſed etiam eſt cauſa omnium eorum, per quæ prædeſtinatus ad conſequutionem illius vltimi effectus diſponitur, ſiue per modum meriti, ſiue per modum cauſæ materialis, etiam ſi nullum ibi intercedat meritum; ſicut contingit in diſpoſitionibus tempore antecedentibus infuſionem gratiæ. Cæterùm reprobatio, quamuis ſit cauſa inferens vltimum effectum reprobationis, qui eſt pœna æterna, non tamen eſt cauſa mediorum, per quæ reprobus metetur pœnam æternam, quia non eſt cauſa peccati, ſiue demeriti ipſius reprobi.

Supponendum ſecundò, quòd in proceſſu reprobationis, quantùm ad eius effectum, vel quantum ad ea, quæ ſupponuntur ad conſequutionem vltimi effectus, talis reperitur ordo. Primò namque eſt permiſſio peccati: non enim eſt intelligibile, & multò minùs poſſibile, peccatum aliquod futurum eſſe, niſi Deo permittente, vt docet ſanctus Auguſtinus in Enchirid. ad Laurentium, capite 95. & 96. *Nihil*, inquiens, *fit, niſi Omnipotens fieri velit, vel ipſe faciendo, vel ſinendo, vt fiat.* Secundò poſt permiſſionem peccati intelligitur ipſum peccatum futurum. Tertiò perſeuerantia peccati vſque ad mortem, vel vſque ad terminum vitæ, vt in Angelis. Quartò, & vltimò pœna æterna, ſiue ſit ſenſus, ſiue damni.

Supponendum tertiò, potiſſimam difficultatem huius controuerſiæ conſiſtere in hoc: Vtrùm ſcilicet permiſſio culpæ, propter quam reprobus damnatur, connumeranda ſit inter effectus reprobationis. Etenim, vt adnotauit Zumel, vbi ſuprà, ſi prima permiſſio peccati eſt effectus reprobationis, euidens eſt, non dari cauſam reprobationis ex parte noſtra, quantùm ad integrum effectum illius, ſicut non datur cauſa prædeſtinationis: ſi autem permiſſio culpæ non ſit effectus reprobationis; concedendum eſt, dari cauſam eiuſdem reprobationis ex parte noſtra.

Supponendum quartò, dupliciter poſſe intelligi præſentem quæſtionem de cauſa reprobationis. Primo modo abſolutè, ſiue in communi: Vtrùm ſcilicet, quòd aliqui reprobentur, habeat cauſam ex parte illorum. Secundo in particulari, & comparatiuè, & tunc ſenſus eſt: Vtrùm detur cauſa ex parte reproborum, propter quam iſti in particulari potiùs ſint reprobati, quàm alij.

PRima ergo concluſio ſit. Reprobatio, qua Deus ſtatuit non dare aliquibus vitam æternam, & permittere peccatum eorum, non eſt conditionata, ſed abſoluta, nec præſuppone in Deo præſcientiam, vel præuiſionem demeritorum ipſius reprobi, aut perſeuerantiæ in peccato vſque ad vltimum vitæ. Hæc concluſio ſatis manet probata ex iis, quæ diſputatione 56. & 57. dicta ſunt de prædeſtinatione & patebit amplius ex iis, quæ in ſequentibus concluſionibus & ſolutionibus argumentorum dicenda ſunt.

IX. In Angelis nulla datur cauſa reprobationis.

Secúda concluſio. In Angelis, qui ceciderunt, nulla datur cauſa reprobationis ex parte ipſorum quantùm ad integrum effectum illius, ſed ante præſcientiam peccati futuri Deus, pro ſua voluntate, quoſdam eorum reprobauit, & permiſit cadere in peccatum: & nomine cauſæ comprehendimus quamcunque rationem, vel motiuum, aut conditionem, ſine qua non, tenentem ſe ex parte Angelorum. Probatur concluſionem ſanctus Auguſtinus ſolum concedit, peccatum originale eſſe cauſam obdurationis, non autem actuale: ergo cum in Angelis nullum fuerit peccatum originale, ſed ſolùm actuale, in illis non datur cauſa reprobationis. Secundo probatur ex illo ad Romanos nono, *Non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt: Iacob dilexi, Eſau autem odio habui.* Et poſt pauca: *An non habet figulus poteſtatem ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* ex quibus teſtimonis ſanctus Thomas probat, peccatum actuale non eſſe cauſam reprobationis, quantùm ad primum illius effectum. Tertio probatur ex dictis diſputatione præcedenti, vbi oſtendi

Digitized by Google

oſtendimus, Deum actu poſitiuo, ante præſcientiam peccati futuri, etiam ex hypotheſi, decreuiſſe, quoſdam non admittere in regnum ſuum; & patebit amplius hæc concluſio ex rationibus adducendis pro quarta concluſione.

X. Reprobationis comparatiuè nulla datur cauſa in paruulis.

Tertia concluſio. In paruulis decedentibus cum ſolo peccato originali nulla datur ex parte illorum cauſa reprobationis, ſi conſideretur in particulari, & comparatiuè in ordine ad alios, qui non ſunt reprobati: & idem dicendum proportionabiliter de adultis. In hac concluſione conueniunt omnes Thomiſtæ, & eſt expreſſa ſententia ſancti Thomæ in ſolutione ad tertium, articulo tertio citato, & tertio contra Gentes, cap. 161. & ibi Ferrar. Probatur ratione, quam tangit ſanctus Thomas in tertio argumento, & in ſolutione illius: nam, quantùm ad naturam omnes paruuli ſunt æquales, & ſimiliter quantùm ad peccatum originale: etenim propter illud peccatum omnes æqualiter ſunt natura filij iræ: & merentur æqualiter damnationem æternam: ergo ex parte illorum non poteſt aſſignari ratio, vel cauſa particularis, propter quam vnus potiùs reprobetur, quàm alius. Hoc argumentum idipſum probat de adultis: nam licèt vnus habeat maiora peccata actualia, quàm alius; in hoc tamen omnes ſunt pares, quòd propter peccatum originale potuerint in maſſa perditionis relinqui.

Confirmatur exemplis adductis à ſancto Thoma in eadem ſolutione ad tertium ex rebus naturalibus, & artificialibus: etenim non poteſt aſſignari aliqua ratio ex parte materiæ primæ, propter quam à principio hæc pars materiæ producta fuerit ſub iſta forma ſubſtantiali, & illa pars materiæ ſub alia: ſed id fuit dependens ex ſimplici Dei voluntate: quia quælibet pars materiæ ſecundùm ſe, indifferenter ſe habet ad quamlibet formam. Similiter in artificialibus non eſt aſſignabilis ratio, propter quam ex duobus lapidibus æqualibus vnum conſtituat artifex in fundamento, alium in capite ædificij, ſed id dependet ex ſimplici voluntate artificis: ergo proportionabiliter ex duobus hominibus infectis eodem peccato originali, nulla eſt aſſignabilis ratio ex parte illorum, propter quam vnus potiùs, quàm alius in maſſa perditionis relinquatur, & alius ad regnum aſſumatur.

XI. Reprobationis nulla datur cauſa abſolutè loquendo.

Quarta concluſio. Non ſolùm comparatiuè, ſed etiam abſolutè loquendo, nulla datur cauſa reprobationis. Itaque neque peccatum actuale, neque originale, neque vtrumque ſimul præuiſum à Deo, fuit de facto cauſa meritoria, vel motiua reprobationis alicuius, quantùm ad omnes illius effectus. Hanc concluſionem tenet non obſcurè Caietanus in calce eiuſdem, articulo tertio, vbi fatetur, permiſſionem peccati eſſe effectum reprobationis. Eandem concluſionem docet Durandus in primo, diſtinctione quadrageſimaprima, quæſtione ſecunda, præſertim numero decimoquarto, M. Bañes, & Zumel vbi ſuprà, & M. Sotus in fine quarti ſententiarum, in eandem ſententiam magis videtur inclinare. Illam etiam defendunt multi grauiſſimi Thomiſtæ, & exiſtimo, ſanctum Thomam reſolutoriè eandem docuiſſe ſententiam; etenim articulo tertio citato, in corpore, inquit, quod *ſicut prædeſtinatio includit voluntatem conferendi gratiam, & gloriam: ita reprobatio includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, & ferendi damnationis pœnam pro culpa*: & idem dicit in ſolutione ad ſecundum. Ex quo loco deducit Caietanus iuxta ſententiam ſancti Thomæ, reprobationem eſſe præſcientiam cum voluntate permittendi culpam, & damnandi pro culpa: ergo ſecundum ſanctum Thomam permiſſio primi peccati, propter quod reprobus damnatur, eſt effectus reprobationis; ſed illius permiſſionis nulla datur cauſa ex parte reprobi: nam ante permiſſionem primi peccati, & ante primum peccatum, non datur aliud peccatum præcedentialis illud non eſſet ſimpliciter primum; vel in homine præcederet aliud peccatum commiſſum, Deo non permittente, quod eſt contra ſanctum Auguſtinum in Enchirid. ad Laurent. cap. 95. & 96. ergo ſecundùm ſanctum Thomam non datur cauſa totius effectus reprobationis. Item etiam eodem articulo tertio, ad primum, inquit, quod *in quantum Deus quibuſdam non vult hoc bonum, quod eſt vita æterna, dicitur, eos odio habere, vel reprobare*: ſed ex ſimplici voluntate Dei procedit, quod non velit aliquibus hoc bonum vitæ æternæ: nam in gratuitis poteſt aliquis pro libito ſuo, abſque alia cauſa, dare huic aliquid, & alteri non dare, vt dicit ſanctus Thomas ad tertium eiuſdem articuli, & quæſtione ſexta, de veritate, articulo ſecundo, ad octauum. Præterea in eadem ſolutione ad tertium, inquirens cauſam prædeſtinationis & reprobationis, nullam aliam aſſignat, præter diuinam voluntatem, ait enim: *Quare hos eligat ad gloriam, & illos reprobet, non habet rationem, niſi diuinam voluntatem*; quod etiam explicat exemplis. Nec ſatis eſt reſpondere, quòd S. Thomas loquatur comparatiuè de reprobatione aliquorum præ aliis: etenim eodem modo loquitur, quantùm ad cauſam de reprobatione, & prædeſtinatione; ſed prædeſtinationis nulla datur cauſa, iuxta mentem S. Thomæ, quantùm ad integrum effectum prædeſtinationis, non ſolùm comparatiuè, ſed nec etiam abſolutè: ergo neque reprobationis. Accedit, quòd, cùm S. Doctor quæſt. 6. de veritate, articulo ſecundo, ad nonum, aſſignaſſet duplicem cauſam reprobationis in hominibus, alteram ſecundùm S. Auguſtinum, ſcilicet peccatum originale, alteram diuinam voluntatem, quæ rationabiliter poteſt velle denegare aliquid alicui, quod illi non debetur: tamen 1. par. in tertio artic. citato, vbi ex profeſſo agit de eadem quæſtione, primam cauſam ſubticuit, & ſecundam aſſignauit: ſentit ergo, peccatum originale non fuiſſe cauſam reprobationis, quantùm ad integrum illius effectum. Quæ autem fuerit ſententia S. Auguſtini, dicam poſtea. Exiſtimo enim, etiam in hac parte ſanctum Thomam ab eo non diſcedere.

Probatur ſecundò ratione. Prima permiſſio peccati propter quod reprobus damnatur, ſiue ſit originale, ſiue actuale, eſt primus effectus reprobationis; ſed illius non datur cauſa ex parte noſtra, vt ſuprà dictum eſt: ergo non datur cauſa totius effectus reprobationis, ac per conſequens nec ipſius reprobationis. Maior eſt ſancti Thomæ, vbi ſuprà, & probatur: nam illud, quod prærequiritur, vt ſequatur vltimus effectus reprobationis, ſi non habeat rationem culpæ, eſt effectus ipſius reprobationis; ſed permiſſio, qua Deus permittit peccatum, propter quod infert reprobo vltimum effectum reprobationis, eſt neceſſaria, vt ſequatur ille effectus: nam ſi Deus non permittat peccatum, non erit peccatum, quia nihil fit, niſi Deo volente, aut permittente, & conſequenter, neque erit pœna æterna pro peccato. Et ex alia parte permiſſio peccati non habet rationem culpæ, ſed eſt bona: dicit enim S. Auguſt. in Enchirid. ad Laur. cap. 95. *Neque dubitandum eſt, Deum facere bene, etiam ſinendo quatumcumque ſunt male*: ergo permiſſio peccati, propter quod reprobus damnatur, eſt effectus reprobationis.

Confirmatur: nam in Angelis permiſſio peccati fuit effectus reprobationis ipſorum: ergo & in hominibus, loquendo de peccato, propter quod quis damnatur. Hoc argumentum adeò efficax reputant aliqui Doctores, vt exiſtiment, euidenter oſtendere noſtram concluſionem. Argumenta autem, quibus probatur,

probatur, primam permiſſionem peccati, propter quod aliquis damnatur, non eſſe effectum reprobationis, ſed præſupponi ad illam, ſaltem quando peccatum eſt originale, adducemus, & ſoluemus infrà.

Probatur tertiò. In illis, quibus peccatum originale remiſſum eſt per baptiſmum, non eſt cauſa reprobationis ipſum peccatum originale: ergo ſaltem in omnibus hominibus reprobis non erit peccatum originale cauſa reprobationis. Antecedens probatur: nam per baptiſmum verè remiſſum eſt peccatum originale, quantùm ad totum illud, quod veram, & propriam peccati rationem habet, vt definitur in Concilio Tridentino, ſeſſ. quinta, decret. de peccato origin. can. vlt. quod probat Concilium auctoritate Apoſtoli ad Roman. 6. cùm ſubdit: *In renatis enim nihil odit Deus, quia nihil damnationis eſt, in his, qui verè conſepulti ſunt cum Chriſto per baptiſmum in morte*: vbi Conc. indifferenter loquitur de baptizatis, ſiue ſint electi, ſiue reprobi: ergo per baptiſmum ſecundùm mentem Concilij verè remittitur reatus culpæ, & pœnæ æternæ: ergo adultus baptizatus non reprobatur propter peccatum originale dimiſſum; aliàs aliquid damnationis eſſet his, qui per baptiſmum ſunt renati, ac per conſequens, vel rediret poſtea peccatum originale, aut non fuiſſet verè remiſſum per baptiſmum, ſed tantùm diceretur radi, vel non imputari: quod eſt contra Concilium.

Confirmatur. Peccatum, propter quod aliquis reprobatur, eſt cauſa vltimi effectus reprobationis, ſed peccatum originale per gratiam baptiſmalem remiſſum, non eſt cauſa vltimi effectus reprobationis, ſcilicet pœnæ æternæ, aliàs non fuiſſet per baptiſmum verè remiſſum, quantùm ad reatum pœnæ æternæ, & conſequenter, neque quantùm ad culpam: nam reatus pœnæ æternæ manere non poteſt, niſi manente culpa: ergo.

Prima ſolutio. Ad hoc argumentum multæ, ſed planè difficiles adhibentur ſolutiones. Prima eſt, quod per baptiſmum verè remittitur peccatum originale, quantùm ad culpam, & reatum pœnæ æternæ: atque adeò poſtea in exequutione peccatum originale dimiſſum non eſt per ſe cauſa reprobationis, quantùm ad vltimum effectum illius: nihilominùs ipſum peccatum originale præuiſum ante illius remiſſionem, fuit vera cauſa motiua ordinationis ad pœnam æternam in intentione Dei, & ſic dicitur cauſa reprobationis, quia per gratiam baptiſmalem non fuit immutatum illud æternum Dei decretum, ſed ſolùm ſecundùm præſentem iuſtitiam fit Deo gratus, & acceptus ad vitam æternam talis reprobus baptizatus.

Impugnatio. Sed hæc ſolutio non euacuat vim argumenti: etenim Deus ſuo æterno decreto non ordinauit aliquem ad pœnam æternam, propter originale peccatum, vel actuale verè remittendum in tempore, quàtùm ad culpam; ſed ſolùm propter peccatum, in quo eſt perſeueraturus vſque ad mortem: ergo impoſſibile eſt, quòd propter originale peccatum verè remittendum, quoad culpam, Deus habuerit æternum decretum ordinandi aliquem ad pœnam æternam.

Peccatum orig. ſemel remiſſũ eſſe non poteſt cauſa reprobationis etiã per accidẽs.

Secunda ſolutio. Secunda ſolutio aliorum eſt, quòd peccatum originale dimiſſum non eſt per ſe cauſa reprobationis, ſed ſolùm per accidens, quatenus ſcilicet fuit cauſa, quòd in primo parente reprobarentur propter illud peccatum omnes, qui naſcuntur filij iræ; quod quidem decretum manet in Deo, reſpectu eorum, qui in aliquo peccato mortali, vel originali, vel vtroque ſimul è vita decedunt. Videtur tamen hæc ſolutio petere principium: hoc enim contendimus, quòd Deus ab æterno non habuerit decretum reprobandi aliquem propter peccatum verè remittendum, quantùm ad culpam. Præterea: nam peccatum perfectè remiſſum eodem modo ſe habet in,

Impugnatio.

ordine ad reprobationem, ac ſi non fuiſſet commiſſum, vt patet ex illo Ezechiel. *In quacunque die ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor amplius.* Ezech. 33. Sed ſi non fuiſſet commiſſum, nullo modo eſſet cauſa reprobationis, etiam per accidens: ergo nec etiam commiſſum, vel contractum, ſi poſtea per gratiam reuerà fuit dimiſſum. Confirmatur: nam ablata cauſa, aufertur effectus: ergo, ſi peccatum originale eſt in omnibus cauſa reprobationis, ablato peccato originali, aufertur reprobatio.

Tertia ſolutio. Tertia ſolutio eſt, quòd peccatum originale quãuis remittatur per baptiſmum, quantùm ad culpam, & pœnam æternam: manet tamen ſecundùm aliquem effectum, ſcilicet quantùm ad fomitem, quantùm ad ærumnas corporis, & quantùm ad mortem temporalem. Sicut ergo Deus iuſtè in pœnam peccati originalis iam remiſſi infert mortem temporalem, ita in pœnam eiuſdẽ peccati relinquit aliquos in quadam communi prouidentia ſupernaturali, cũ auxiliis ſufficientibus ad ſalutem, & abſque auxilio efficaci, ſaltem doni perſeuerantiæ, ſciens illos eſſe peccaturos, & damnandos. Hanc ſolutionem adhibent multi viri docti: ſed contra illam vrget argumentum: quia nullus punitur pœna ſpirituali propter peccatum iam dimiſſum, ſed ſubtractio auxilij efficacis eſt magna pœna ſpiritualis: nam, illa poſita, ſequitur infallibiliter hominis damnatio. Præterea: nam, vt aliquid dicatur ſimpliciter cauſa reprobationis, oportet, quòd ſit cauſa totius effectus reprobationis, ſicut de cauſa prædeſtinationis dictum eſt: ideo enim opera precedentia ex gratia non ſunt ſimpliciter cauſa prædeſtinationis, quia non ſunt cauſa totius effectus prædeſtinationis; non enim ſunt cauſa primæ vocationis: ſed peccatum originale dimiſſum non eſt cauſa totius effectus reprobationis, quia non eſt cauſa inflictionis pœnæ æternæ, vt dictum eſt: ergo non poteſt eſſe cauſa reprobationis.

Impugnatio.

Quarta ſolutio. Quarta ſolutio eſt aliorum, qui, vt argumenti difficultatem euadant, fatentur, cauſam reprobationis in hominibus baptizatis non fuiſſe peccatum originale, ſed actuale, & contendunt hanc eſſe mentem S. Auguſt. Nam, licèt vt plurimùm reprobationis cauſam referre videatur ad peccatum originale, ratione cuius totum genus humanum factum eſt quaſi maſſa quædam damnata; propterea id facit, quia inde incipit omnium reproborum damnatio. Et licèt aliqui eruantur per baptiſmum ex hac maſſa, vt dicit Auguſtinus epiſt. 54. ad Dardanum, quæſt. ſecunda: tamen iterum per actuale peccatum reuertuntur ad maſſam, & ideo ſic habentur à Deo, quaſi nunquam ab eadem maſſa fuiſſent ſeparati, & adducunt pro hac ſententia S. Auguſt. lib. de corrept. & grat. cap. 7. & 13. & Proſp. ad 2. cap. Gallorum. Hæc ſolutio non videtur ad mentem S. Auguſtini; nam locis ſuprà citatis expreſsè docet, propter loca Apoſtoli inducta, peccatum actuale non eſſe cauſam reprobationis: neque alicubi dicit oppoſitum: nam lib. de corrept. & gratia, ſolùm aſſerit, quòd illi, qui iuſtificantur, & piè viuunt, ſed perſeueraturi non ſunt, proculdubio neque illo tempore, quo bene, piéque viuunt, in numero electorum computandi ſunt; quia non ſunt à maſſa illa perditionis, præſcientia Dei, & prædeſtinatione, diſcreti: quod in omnium ſententia verißimum eſt. Non tamen ibi dicit S. Auguſt. vel S. Proſp. vbi ſuprà, quòd illi ſint propter actuale peccatum reprobati, niſi ſit ſermo de reprobatione, quantùm ad vltimum effectum, de quo non eſt controuerſia.

Impugnatio.

Quinta ſolutio. Vltima ſolutio aliorum eſt, quòd peccatũ originale dimiſſum per baptiſmum redeat, quantùm ad ingratitudinem, propter ſequentia peccata actualia,

sicut etiam peccata dimissa per pœnitentiam redeunt postea quantùm ad ingratitudinem per sequens peccatum, vt docet S. Thom. 3. parte, quæst. 88. articulo secundo, & hac ratione, omnes, qui damnantur, reprobati sunt propter peccatum originale, & non propter solum actuale. Sed contrà: nam

Impugnatio. contingere potest, quòd aliquis inuincibiliter ignoret, peccatum originale sibi fuisse dimissum per baptismum, vt si puer fuisset baptizatus, ant quam perueniret ad vsum rationis, raperetur ab infidelibus, & nutriretur in siluis, vbi nihil audiret de baptismo; talis puer si postea peccet mortaliter, & damnetur, illud peccatum actuale non haberet circumstantiam ingratitudinis, ratione originalis peccati iam dimissi per baptismum. Præterea: nam illa ingratitudo non est peccatum originale, sed actuale, aut circumstantia illius: ergo semel baptizati non reprobantur propter peccatum originale.

XII. Quartò probatur conclusio ex verbis Apostoli ad Rom. 9. *Cùm enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, vt secundùm electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: Quia maior seruiet minori, sicut scriptum est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Et infrà: *An non habet potestatem figulus ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam.* In quo testimonio, vt disp. 37. nu. 9. ex doctrina S. Augustini, & S. Thomæ ostendimus, apertè significatur, in electione absoluta, & reprobatione hominum, Deum non respexisse ad merita, vel demerita præuisa, sed pro suo beneplacito istum elegisse, & prædestinasse ad gloriam, illum non prædestinasse, sed voluntate absoluta statuisse permittere peccatum illius, & obdurationem, siue perseuerantiam in eodem peccato vsque ad vltimum vitæ, ac pœnam æternam infligere propter idem peccatum, siue pœna illa sit solùm damni, vt in paruulis decedentibus cum solo originali peccato, siue etiam sensus, vt in adultis reprobis, qui peccata actualia addiderunt: quod etiam significant illa verba Apostoli: *Vt secundùm electionem propositum Dei maneret:* electio enim est inter plures, ex quibus vnus assumitur, alius relinquitur: ergo secundùm Apostolum prædestinatio, & reprobatio absoluta antecedit in signo rationis præuisa merita, vel demerita saltem actualia. nam de originali peccato quid sentiendum sit, iuxta mentem S. Augustini, & S. Thomæ, infrà dicetur.

Rom. 9.

Ad istum locum Apostoli duas adhibet explicationes auctor primæ sententiæ. Prima est, vt per illud verbum, *non ex operibus*, solùm excludantur opera tam facta, non autem opera præuisa: vel si excluduntur etiam opera præuisa, vt sentit Augustinus, & multi alij ipsum sequuti, non est interpretandus locus ille de electione absoluta ad gloriam, sed ad gratiam. Hanc explicationem non oportet in præsenti iterum impugnare, cùm iam in disp. 37. num. 17. fuerit tanquam insufficiens exclusa.

Secunda explicatio est de electione ad beneficia huius vitæ partim temporalia, partim spiritualia. Cùm enim Deus elegisset Iacob, & posteritatem ipsius, vt ex illis nasceretur Christus, statuit illos singularibus beneficiis prosequi, & disponere ad Christi aduentum, idque non intuitu operum, sed ex suo beneplacito. Esau verò, & eius posteris non præparauit tam eximia beneficia. Et vt melius intelligatur totus Apostoli in illo capite discursus, aduertit, non esse ibi scopum Apostoli ostendere, Deum in vocatione ad fidem, aut electione ad gratiam iustificationis, non habere vllam rationem operum bonorum, aut malorum, sed omnia facere ex nudo beneplacito ante omnem operum præuisionem concepto. Non est ista, inquit, mens eius, sed scopus eius est docere, Deum in conferenda salute, gratia iustificationis, & donis Spiritus sancti, non habere rationem operum externorum, præsertim legis, quæ Iudæi tanti faciebant, & ob quæ putabant sibi omnia deberi, esseque omnibus aliis præferendos, sed fidei tantùm, & interni affectus in Deum, & in Christum. Illa autem verba, quæ ex Malachia desumpsit Apostolus: *Esau autem odio habui*, sic dicit esse accipienda, vt nomine odij non significetur verum odium, quo pro suo beneplacito velit malum Esau, vel eius posteris, sed minorem amorem, qui comparatione fauoris impensi alteri possit dici odium. Adducitur pro eadem explicatione Bartholomæus Camerarius in dialogo Catholico, cap. 6. §. 1. & Ioannes à Bononia opusc. de prædest. 1. p. §. *Verùm vt eò reuertamur.*

Sed quidquid sit de hac interpretatione, negari non potest, Apostolum loqui in illo capite nono, de prædestinatione, & reprobatione, comparatione donorum supernaturalium gratiæ, & gloriæ, vt ex dictis in disputatione de prædestinatione constat. Neque est tanta Bartholomæi Camerarij, & Ioannis à Bononia auctoritas, vt propter illam ad tuendam difficultatem argumenti recedendum sit à communi explicatione SS. Patrum, qui locum Apostoli interpretantur de prædestinatione, & reprobatione, comparatione finis supernaturalis. Accedit, quòd ex contextu Apostoli eodem cap. 9. & capite octauo præcedenti colligitur, & ex eo colligunt sancti Patres Latini, & Græci Apostolum de prædestinatione, & reprobatione loqui, de qua nunc agimus: nam illa verba capite octauo, *Quos præscisti, & prædestinasti conformes fieri imaginis Filij sui.* Et illa: *Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus, qui iustificat, quis est qui condemnet?* Et quæ subdit in cap. nono: *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Et illa: *Ergo cuius vult, miseretur, & quem vult, indurat*; non sunt coarctanda ad personam aliquam particularem, vel ad misericordiam, vel negationem beneficiorum temporalium, sed vniuersaliter intelligenda de misericordia seu prædestinatione, & reprobatione comparatione bonorum supernaturalium: quod verba illa subsequentia in eodem capite confirmant: *Quòd si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ, apta in interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam; quos & vocauit non solùm ex Iudæis, sed etiam ex gentibus, &c.* Certè *vasa iræ apta in interitum* non dicuntur, nisi reprobi, qui à fine supernaturali deficiunt, & *vasa misericordiæ* dicuntur prædestinati ad vitam æternam; quod indicant illa verba, *quæ præparauit in gloriam.*

XIII. Quintò probatur nostra conclusio: nam si prædestinatio, & reprobatio absoluta non est in Deo ante præuisionem meritorum, vel demeritorum, sequeretur, quòd non esset adeò inscrutabile, & inuestigabile mysterium prædestinationis, & reprobationis: nam obiectioni, quam ex parte reproborum proponit Apostolus: *Quid adhuc queritur? voluntati enim eius quis resistit?* facilè posset responderi, non esse mirum, quòd isti sint absolutè prædestinati, illi reprobati: nam pro sua libertate isti voluerunt cooperari auxiliis præuenientis gratiæ, non autem illi: atque adeò videtur sequi, reprehensionem illam Apostoli, & responsionem: *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo: nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit, quid me fecisti sic?* esse superfluam, neque oportuisset recurrere ad illam admirationem: *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius!* & consequenter rueret illa S. Aug. sæpius repetita sententia, *quare hunc*

Roman. 9.

Roman 11.

Aug. lib. de dono perse. cap. 8.

hunc trahat, illum non trahat, noli velle diuidicare, ſi non vis errare. Et illa: *Ex duobus itaque paruulis originali peccato obſtrictis, cur iſte aſſumatur, ille relinquatur: & ex duobus aetate iam grandibus impijs, cur iſte ita vocetur, vt vocantem ſequatur, ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur, vt vocantem ſequatur: inſcrutabilia ſunt iudicia Dei. Ex duobus autem pijs, cur huic donetur perſeuerantia vſque in finem, illi autem non donetur: inſcrutabiliora ſunt iudicia Dei.* Vnde idem Auguſtinus epiſtola 105. ad Sixtum, expendens eundem locum ad Roman. 9. & Malachiæ 1. ac prædeſtinationem, & reprobationem ex præuiſis meritis excludens, ait: *In quam ſententiam beatus Apoſtolus etiam teſtimonium Prophetæ longè poſterioris aſſumpſit: Iacob dilexi, Eſau autem odio habui, vt intelligeretur hoc apertum poſtea per Prophetam, quòd antequam illi naſcerentur, erat in Dei prædeſtinatione per gratiam. Quid enim diligebat in Iacob, antequam natus feciſſet aliquid boni, niſi gratuitum miſericordiæ ſuæ donum? Et quid oderat in Eſau, antequam feciſſet aliquid mali, niſi originale peccatum? Nam neque in illo diligeret iuſtitiam, quam nullam ille fecerat, neque in iſto odiſſet naturam, quam bonam ipſe perfecerat. Mirum autem, cùm his coarctantur anguſtiis, in quanta ſe abrupta præcipitent, metuentes vetia veritatis. Ideo, inquiunt, nondum natorum alium oderat, alium diligebat: quia eorum futura opera præuidebat. Quis iſtum acutiſſimum ſenſum defuiſſe Apoſtolo non moueat? Hoc quippe ille non vidit, quando ſibi velut aduerſarius obiecta quæſtione, non id potius tam breue, tam apertum, tam (ſicut iſti putant) verum, abſolutúmque reſpondit. Cùm enim rem ſtupendam propoſuiſſet, quomodo de nondum natis, nec aliquid agentibus boni, aut mali rectè dici potuerit, quòd vnum Deus dilexerit, alium odio habuerit, ipſe ſibi obiecta quæſtione motum exprimens audientis: quid ergo dicemus inquit: Nunquid iniquitas apud Deum? abſit. Hic ergo erat locus, vt diceret, quod iſti ſentiunt. Futura enim Deus opera præuidebat, quando minori maiorem ſeruaturum eſſe dicebat. Non autem hoc Apoſtolus dicit, ſed potius, ne quiſquam de ſuorum operum audeat meritis gloriari, ad Dei gratiam, & gloriam commendandam voluit valere, quod dixit. Cùm enim dixiſſet: Abſit, vt ſit iniquitas apud Deum, tanquam ei diceremus. Vnde hoc oſtendis, cùm aſſeras, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſſe: Maior ſeruiet minori. Moyſes enim dicit, inquit: Miſerebor cui miſertus ero, & miſericordiam præſtabo, cui miſericors fuero. Igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* Ad hæc, & ſimilia verba ſancti Auguſtini reſpondet auctor, illum loqui contra eos, qui ponebant prædeſtinationem eſſe ex præuiſis meritis præcedentibus ex ſolis viribus naturæ, ſicut dixerunt Pelagiani: non autem contra illos, qui dicunt, prædeſtinationem eſſe ex præuiſis meritis, procedentibus ex gratia, ſicut aſſerit prima ſententia. Nihilominùs cenſeo, affirmari non poſſe, prædeſtinationem eſſe ex præuiſis meritis gratiæ, vt patebit infrà. Sed arguet quis ex contextu eiuſdem epiſtolæ. Nam ſtatim poſt verba inducta ſubdit: *Vbi nunc merita, vbi opera vel præterita, vel futura tanquam viribus naturæ, vel adimpleta, vel adimplenda?* Viribus naturæ, inquit, non viribus gratiæ. Et libro de prædeſtinatione Sanctorum, capite decimoſeptimo: *Præſciebat ergo aut Pelagianos, qui futuri eſſent ſancti, & immaculati per liberæ voluntatis arbitrium: & ideo eos ante mundi conſtitutionem in ipſa ſua præſcientia, quales futuros eſſe præſciuit, elegit. Elegit ergo, inquit, antequam eſſent, prædeſtinans filios, quos futuros ſanctos, immaculatoſque præſciuit: vtique ipſe non fecit, nec ſe facturum, ſed illos futuros eſſe præuidit.* Vbi ſolùm loquitur de prædeſtinatione ex præuiſis meritis naturæ, quod indicant illa verba, *per liberæ voluntatis arbitrium*, & hanc tantùm prædeſtinationem, quam Pelagiani conſtituebant, impugnat in illis locis, & in aliis plurimis Auguſtinus.

Hæc tamen ſolutio poſſet vtcunque locum habere, ſi diceretur, prædeſtinationem eſſe ex præuiſis meritis gratiæ, ſeu vocationis diuinæ, non cuiuſcunque, ſed eius, per quam Deus non ſolum tribuit poſſe, nec ſolùm piè operari, & perſeuerare, ſi volumus: nec ſolùm concurrit nobiſcum ad piam operationem, vel alios actus liberos concurſu ſimultaneo, ſi nos volumus cooperari, ſed etiam ſua gratia verè efficienter facit nos velle, & perſeuerare vſque in finem. Nam de hac vocatione loquitur S. Auguſtinus, vt patet ex eodem Auguſtino libro de prædeſtinatione Sanctorum, cap. 16. vbi ait: *Dixit ergo, non ex operibus, ſed ex vocante, non quacunque vocatione, ſed qua vocatione ſit credens.* Et cap. 17. inquit: *Electi ſunt autem de mundo ex vocatione, qua Deus id, quod prædeſtinauit, implent. Quos enim prædeſtinauit, ipſos & vocauit, illa felices vocatione, ſecundum propoſitum.* Et idem dicit capite 16. & 19. eiuſdem libri: ergo loquitur de vocatione, qua non ſolùm facit Deus, vt credere, piè operari, & perſeuerare poſſimus, ſi velimus; vel qua perſeueramus, ſi volumus: ſed de illa, per quam Deus efficit, vt velimus. Nam, vt idem Auguſtinus in eadem epiſtola dicit: *Adiutorium Spiritus ſancti ſic expreſſum eſt, vt ipſe facere diceretur, quod vt faciamus, facit.* Quod confirmat ex illo Romanor. octauo: *Spiritus adiuuat infirmitatem noſtram.* De quo plura diximus diſputatio. 86. Quod etiam conſtat: nam, vt diſputatione 99. num. 2. oſtenſum eſt, controuerſia ſiltem potiſſima Auguſtini cum Pelagianis non fuit de gratia excitante, ſed de adiutante, per quam Deus efficit, vt velimus. Si enim Deus per gratiam non efficit hoc modo, vt velimus, ſed innatæ libertati relinquitur, vt, ſi vult, ſe determinet, ſi non vult, nihil operetur: videntur procedere omnia argumenta contra prædeſtinationem ex præuiſis meritis, ſubſequentibus gratiam excitantem quæ afferri ſolent contra prædeſtinationem ex præuiſis meritis naturæ. Immo addendum eſt, quòd etiamſi totum hoc admittatur, adhuc eſſet ſoluendum ab auctore primæ ſententiæ argumentum illud, quo ſanctus Thomas prima parte, quæſtione vigeſimatertia, articulo quinto, & ad Romanos nono, lectione ſecunda, in fine, excludit ſententiam, quæ aſſerit, prædeſtinationem pendere ex præuiſis meritis gratiæ: nam cùm eiuſmodi merita ſint effectus prædeſtinationis, non poſſunt eſſe ratio, vel conditio, ſine qua non, à qua eadem prædeſtinatio in ratione abſolutæ prædeſtinationis dependeat, vt diſputatione trigeſimaſeptima dictum eſt.

Ad illud autem, quod obiiciebamus de profunditate, & inſcrutabilitate prædeſtinationis, & reprobationis diuinæ, reſpondet auctor primæ ſententiæ, non eſſe inſcrutabile Dei iudicium, quòd ex duobus vocatis alter ſequatur, alter non ſequatur; aut quòd ex duobus iuſtis alter perſeueret, alter non perſeueret: vt quidam volunt, huius diſcriminis cauſam, tanquam in primam originem referentes in diſcretionem illam, qua Deus ex ſe hunc elegit ad gloriam, illum non elegit. Certum enim eſt, cauſam, cur hic non ſequatur vocationem diuinam, aut non perſeueret, non eſſe defectum gratiæ, aut electionis diuinæ, ſed arbitrij libertatem, iuxta illud Oſeæ decimotertio: Perditio tua ex te Iſraël, tantummodo in me auxilium tuum. Et quòd hic ſequatur & perſeueret, cauſa vera, & propria eſt libertas arbitrij, auxilio diuino inſtructa; quæ ſicut in naturalibus, ita in ſupernaturalibus poteſt ſe in vtramque partẽ flectere. Ex quo infert, non eſſe etiã inſcrutabile, cur vocatio in illo ſit efficax in actu ſecũdo, in iſto inefficax: ſi enim pendet ab arbitrij libertate, in cuius manu eſt facere, vt ſit efficax, vel inefficax. Idem dicit de auxilijs, quæ dantur ad perſeuerandum: vt enim iſta auxilia

habeant rationem doni perseuerantiæ, vel non habeant, pendet similiter à libertate, quæ per illa potest actu perseuerare, vel non perseuerare. Et, si quidem perseueret, illa auxilia habebunt rationem doni perseuerantiæ; si non perseueret, non habebunt. Addit, quòd in his non ponit sanctus Augustinus istam inscrutabilitatem iudiciorum Dei; sed in eo, quòd cùm Deus, priusquam statuat gratias suas distribuere, præsciat de quolibet, quæ gratiæ sint in ipso futuræ efficaces, quæ inefficaces, velit nihilominùs dare huic eam, quam nouit fore efficacem, illi eam, quam inefficacem. Cur enim non dat etiam alteri efficacem? cur potiùs huic, quàm alteri dat efficacem? Hoc à nobis certò, & in particulari sciri non potest.

Hæc responsio est valdè difficilis, nec satisfacit argumento nostro. Fatemur quidem causam propriam, quòd iste homo non assentiatur vocationi diuinæ, vel non perseueret in gratia vsque in finem, esse, quia ipse non vult consentire, nec perseuerare, vt ex præmissis disputatione 102. constat; nec referimus vllo modo in diuinam reprobationem, quòd reprobus contradicat gratiæ, vel persistat in peccato vsque in finem, sed solùm id refertur in voluntatem creatam deficientem. Nam, vt prima parte, quæstione vigesimatertia, articulo tertio ad secundum, dicit sanctus Thomas: *Aliter se habet reprobatio in causando, quàm prædestinatio: nam prædestinatio est causa & eius, quod expectatur in futura vita à prædestinatis, scilicet gloriæ: & eius, quod percipitur in præsenti, scilicet gratiæ. Reprobatio verò non est causa eius, quod est in præsenti, scilicet culpæ: sed est derelictionis à Deo. Est tamen causa eius, quod redditur in futuro, scilicet pœnæ æternæ; sed culpa prouenit ex libero arbitrio eius, qui reprobatur, & à gratia deseritur. Et secundùm hoc verificatur dictum Prophetæ, scilicet:* Perditio tua Israël ex te. Contendimus tamen, primam radicem, & causam primi effectus reprobationis, nempe permissionis primi peccati, propter quod peccatum reprobus damnatur, reducendam esse in absolutum decretum voluntatis diuinæ: nec præsupponere ex parte hominis demerita aliqua præuisa (aliàs illa permissio non esset primi peccati, sed ante illud supponeretur aliud) ac per consequens, non dari causam reprobationis ex parte nostra, quantùm ad omnes eius effectus: licèt detur causa, quantùm ad aliquos, nempe quantùm ad obdurationem in peccato, & perseuerantiam in illo vsque in finem. Huius enim effectus causa demeritoria est ipsum peccatum hominis: nec impugnant hoc, sed potiùs confirmant argumenta facta pro opposita sententia. Contendimus secundò, quòd licèt causa proxima, quare prædestinatus consentit Deo excitanti & mouenti, est, quia vult consentire: nam reuerà liberè consentit, & potest dissentire, si velit: tamen origo prima, & causa, quòd ille velit consentire, & perseuerare vsque in finem, est prædestinatio absoluta, & efficax Dei, qui per auxilium speciale præoperantis gratiæ verè efficienter fecit, vt prædestinatus consentiret, & perseueraret vsque in finem: quod quidem auxilium non est collatum alteri, qui non perseuerauit, vt suprà ostensum est. Nec est admittendum, ex libera cooperatione nostri arbitrij pendere, quòd auxilium Dei præueniens habeat, vel non habeat rationem doni perseuerantiæ, aut quòd sit efficax, vel non sit efficax ad faciendum, quòd liberum arbitrium consentiat: id enim habet, prout venit à Deo, quamuis ipse consensus, vel dissensus procedat efficienter ex libero arbitrio: consensus quidem ex libero arbitrio excitato, & moto à Deo gratia efficaci: dissensus verò, & peccatum à libero arbitrio ex seipso, & ex sua naturali facultate: nam ex se habet, quòd peccet, à Deo autem quòd operetur bonum, & perseueret in illo vsque in finem, vt dictum est.

XIV. Illud verò, quod additur in solutione, quam impugnamus, de inscrutabilitate prædestinationis, & iudiciorum Dei, doctrinæ sancti Augustini, & contextui Apostoli non videtur satis congruere. Primò, quoniam Apostolus prædestinatos dicit esse electos, & vocatos *secundùm propositum*, vt patet Romanor. octauo, his, *qui secundùm propositum vocati sunt Sancti:* & Augustinus sæpe dicit, prædestinatos vocari *secundùm propositum*, reprobos verò non vocari secundùm propositum, quod de proposito Dei, non de proposito hominis, præuiso à Deo, vt disputatione 38. numero decimoquarto ostendimus, intelligendum est: ergo ex eodem proposito ante præuisa merita, vel demerita quosdam prædestinauit Deus ad vitam æternam, quosdam reprobauit, & voluit permittere, quod ab hoc fine deficerent.

Nec secundùm mentem Augustini inscrutabilitas prædestinationis, & iudiciorum Dei debet reuocari ad solam voluntatem illius, qua voluerit distribuere sua dona gratiæ quibusdam hominibus in illis circunstantiis, in quibus præsciebat, illos pro innata libertate esse cooperaturos eidem gratiæ, & perseueraturos vsque in finem: aliis verò statuit distribuere eadem dona gratiæ in talibus circunstantiis, in quibus præsciebat, illos pro eadem libertate non esse cooperaturos, vel perseueraturos vsque in finem: tum nam hic modus dicendi præsupponit esse in Deo ante omne liberum decretum voluntatis ipsius scientiam mediam, qua certò sciat, quid in particulari ex sua innata libertate faceret creata voluntas ex hypothesi, quod in talibus circunstantiis tali excitatione tangeretur, quam tamen præscientiam non agnouit, sed potiùs exclusit sanctus Augustinus, vt disputatione septima visum est: tum etiam, nam si totum mysterium prædestinationis & reprobationis, & inscrutabilitas iudiciorum Dei ad id essent reuocanda: videtur sequi, quòd vltima resolutio, in quam debet reduci, quòd iste sit prædestinatus à Deo voluntate absoluta, sit cooperatio futura arbitrij à Deo præuisa, vel præcognita per eandem scientiam, & Deus constituens hominem in illis circunstantiis, solùm esset conditio, sine qua homo ille non esset prædestinatus, vel vt plurimùm solùm tribueret illi homini, quòd possit piè operari, & perseuerare vsque in finem, si velit: non autem efficeret, vt velit, perseueret in finem, & saluetur: quod tamen non est admittendum, vt suprà ostensum est.

Vide disput. 37. num. 10.

XV. Reprobationis quoad vltimum effectum datur causa ex parte nostra.

Quinta conclusio. Reprobatio quantùm ad vltimum effectum præsupponit in signo rationis præscientiam peccati originalis, vel actualis, propter quod reprobus damnatur. Itaque non solùm in exequutione, sed etiam in intentione efficaci non habuit Deus voluntatem puniendi aliquos pœna æterna, nisi propter culpam præuisam. Hanc conclusionem videtur docere sanctus Augustinus libro sexto Hypognost. & aliis locis suprà allegatis. Et probatur: nam voluntas puniendi reprobos in perpetuum pertinet ad iustitiam vindicatiuam, quæ necessariò præsupponit culpam: non enim est Deus vindex, nisi peccatorum, quæ propria voluntate commisimus, aut voluntate primi parentis, quæ reputatur nostra. Et, si quis obiiciat: nam Deus ante præuisa merita habuit intentionem efficacè conferendi electis gloriam, vt suprà dictum est: ergo similiter ante præuisa demerita habuit intentionem efficacem, inferendi reprobis pœnam æternam ad ostensionem suæ iustitiæ, etiamsi postea in exequutione eam non inferat, nisi propter culpam: respondetur, negando consequentiam, & ratio discriminis est: nam infl. ctio pœnæ æternæ non potest aliquo modo habere rationem

Obiectio.

Responsio.

doni

doni gratuiti, ſed neceſſariò pertinet ad iuſtitiam vindicatiuam, quæ ſupponit culpam: intentio autem efficax dandi gloriam, habet rationem doni gratuiti, quatenus in ſigno rationis antecedit præſcientiam meritorum, vnde ipſa gloria non ſolùm appellatur in ſacris literis corona iuſtitiæ, ſed etiam gratia, vnde non eſt ſimile.

XVI. AD argumenta autem facta à principio reſpondetur, quòd tantùm probant quintam concluſionem: quatenus verò militant contra quartam concluſionem ſuprà poſitam: reſpondetur ad primum, Concilium Valentinum non dicere, quòd in reprobatione æterna meritum malum præcedat iuſtum Dei iudicium; ſed quòd in damnatione perituro rum meritum malum præcedat iuſtum iudicium Dei. Loquitur ergo Concilium de damnatione, ſeu pœna æterna, quæ non infertur, niſi propter culpam, vt dictum eſt: non autem loquitur de reprobatione, ſecundùm quòd importat æternum Dei decretum, quo Deus voluntate conſequẽte voluit quibuſdam non conferre vitam æternam, quæ non erat illis debita, & permittere peccatum: hanc enim voluntatem Deus habuit ante præuiſum peccatum, etiam originale, ſi conſideretur peccatum illud, vt cauſa reprobationis. Loca autem Scripturæ, in eodem argumento adducta, iam explicata ſunt à nobis, diſput. 33. ſolutione ad 3. & 4.

XVII. **Auguſtini ſententia circa reprobationem expenditur.** Ad ſecundum argumentum ex auctoritate S. Auguſtini, quidam Thomiſtæ reſpondent, eum ſequutum fuiſſe ſententiam illam ad temperandam duritiam, quam videbatur Pelagianis habere prædeſtinatio, & reprobatio tradita ab eodem ſancto Auguſtino, & ex ſacris literis deducta. Sed reſpondetur ſecundò, loca ſancti Auguſtini poſſe explicari primò quoad ſufficientiam: etenim peccatum originale præuiſum ante Verbi incarnationem, cauſa fuit ſufficiens, cur Deus, ſi voluiſſet, potuiſſet, abſque alicuius iniuria, omnes homines reprobare; de facto tamen non fuit præuiſum ante reprobationem, tanquam cauſa illius, ſed ſolùm, vt obiectum, ſeu morbus naturæ, in cuius remedium Chriſtus venit. Atque in hoc differt reprobatio à prædeſtinatione, quòd reſpectu prædeſtinationis nulla datur cauſa ex parte noſtra non ſolùm efficax, ſed neque ſufficiens, propter quam Deus potuerit prædeſtinare aliquos, quia omnia noſtra bona merita præcedit indebita gratia. Secundò poteſt explicari S. Auguſt. de reprobatione, quoad effectum intermedium, qui eſt obduratio in peccato: illius enim cauſa eſt præcedẽs peccatũ ſaltem originale, vt patet ex illo ad Rom. 1. *Propter quod tradidit illos Deus in reprobum ſenſum*, & etiam quoad vltimum effectum, qui eſt pœna æterna: illius enim cauſa eſt præcedens culpa. In prædeſtinatione autem merita gratiæ non poſſunt eſſe cauſa, propter quam Deus conferat donum perſeuerantiæ, quia, vt docet S. Thom. part. 2. quæſt. 114. articulo nono, perſeuerantia non cadit ſub merito. Et hanc fuiſſe mentem S. Auguſtini ex eo conſtat: nam in locis pro contraria ſententia ſuprà inductis, & vbicunque de hac materia loquitur, nunquam dixit, quòd detur cauſa reprobationis, ſed tantùm ait, quòd ex parte noſtra datur cauſa obdurationis, ſeu derelictionis in peccato. Cuius quidem obdurationis cauſa meritoria eſt ipſum peccatum: ſed ante ipſum peccatum etiam originale intelligitur in Deo permiſſio eiuſdem peccati, quæ comparatione reproborum eſt effectus primus reprobationis, cuius quidem permiſſionis non datur cauſa ex parte reprobi: & ita nõn datur cauſa totius effectus reprobationis. Et, ſi fiat argumentum: nam etiam datur cauſa ex parte noſtri vltimi effectus prædeſtinationis, quia gloria conferitur hominibus propter eorum merita, & ſimiliter datur cauſa meritoria effectus intermedij, ſcilicet, augmenti gratiæ, vt diſputatione 60. num. 12. oſtenſum eſt: ergo, quantùm ad hoc nulla eſt differentia inter prædeſtinationem, & reprobationem; reſpõdetur, quòd quamuis bona opera procedentia ex gratia ſint cauſa meritoria vltimi effectus prædeſtinationis, ſicut mala merita ſunt cauſa vltimi effectus reprobationis; eſt tamen differentia, quòd bona merita gratiæ non ſunt in nobis ex nobis, ſed ex Deo, vt ſæpe docet Auguſtinus; mala autem merita ſunt in nobis ex nobis, & non ex Deo. Vnde S. Thom. ſuper caput nonum ad Rom. lect. 2. in fine, inquit: *Præſcientia meritorum non poteſt eſſe aliqua ratio prædeſtinationis, quia merita præſcita cadunt ſub prædeſtinatione, ſed præſcientia peccatorum poteſt eſſe aliqua ratio reprobationis ex parte pœnæ, quæ præparatur reprobis, inquantum Deus proponit, ſe puniturum malos propter peccata, quæ à ſeipſis habent, non à Deo; iuſtos autem proponit ſe præmiaturum propter merita, quæ à ſeipſis non habent, iuxta illud Oſeæ 13. Perditio tua ex te Iſrael, tantummodo in me auxilium tuum.* Et in hoc eodem ſenſu loquitur Auguſt. cùm ait: *Quærimus cauſam prædeſtinationis, neque inuenimus*; quia ſcilicet etiam, quantùm ad vltimum effectum, non inuenimus in nobis cauſam, quæ ſit ex nobis: *obdurationis autem cauſam quærimus, & inuenimus*, quæ ſcilicet ſit in nobis ex nobis reſpectu vltimi effectus reprobationis. Si autem fiat argumentum: nam eadem ratione poſſet concedi, quòd peccatum actuale ſit cauſa reprobationis, ſicut originale, quod pugnat cum doctrina S. Auguſt. probatur: nam etiam peccatum actuale eſt cauſa obdurationis, ſeu derelictionis in peccato: & ſimiliter eſt cauſa vltimi effectus reprobationis, & eſt in nobis ex nobis. Reſpondetur, quòd peccatum originale eſt, ſecundùm ſe, cauſa reprobationis ſufficiẽs, reſpectu omnium hominum, quia eſt commune peccatum totius naturæ, peccatum autem actuale non reperitur in omnibus, & ita non potuit eſſe cauſa reprobationis, quantùm ad ſufficientiam reſpectu omnium hominum. S. Auguſt. autem loquebatur de cauſa communi reprobationis.

Ad confirmationem reſpõdetur, S. Thomam non dicere abſolutè, quòd præſcientia peccatorum poſſit eſſe aliqua ratio reprobationis, ſed cum addito, ſcilicet ex parte pœnæ. Et quamuis peccatum non ſit effectus reprobationis, ſed quid præſuppoſitum ad illam, quantùm ad vltimum eiuſdem reprobationis effectum; permiſſio tamen peccati, propter quod reprobatur damnatus, verè eſt effectus reprobationis ſecundùm S. Thom. vt ſuprà dictum eſt.

Ad locum autem alium adductum ex 1. part. qu. 23. art. 3. in ſolut. ad 3. reſpondetur, ſolùm concludere, quòd prædeſtinatio præſupponat præſcientiam peccati originalis, ſecundùm quòd eſt obiectum, in cuius remedium venit Chriſtus, & vt erat cauſa finalis proxima incarnationis Verbi, non autem ſecundùm quòd dicit ordinem ad reprobationem.

Ad tertium reſpondetur, quòd Deus non ſolùm dicitur odio habere aliquem, quatenus vult illi malum pœnæ æternæ propter culpam; ſed etiam quatenus ante præuiſa demerita, pro ſuo libito, actu poſitiuo voluit quibuſdam non dare vitam æternam. Vnde S. Thom. 1. part. quæſt. 23. art. 3. ad 1. ait, quòd *Deus omnes homines diligit, & etiam omnes creaturas, inquantùm vult omnibus aliquod bonum, non tamen quodcunque bonum vult omnibus. Inquantùm igitur quibuſdam non vult hoc bonum, quod eſt vita æterna, dicitur eos habere odio, vel reprobare.*

Ad quartum reſpondetur, ſolùm probare, quòd peccatum originale fuerit ſufficiens cauſa reprobationis hominum; non autem quòd de facto fuerint homines propter illud reprobati.

Reſponſio.

Obiectio.

Solutio.

XVIII. **Deum odio habere aliquem, quid ſit.**

Reſpondetur ſecundò, quòd ſicut gratia Adæ, in ſtatu innocentiæ, non fuit illi ex meritis Chriſti collata, neque effectus prædeſtinationis illius, ſed cuiuſdam generalis prouidentiæ ſupernaturalis, eò quòd non fuerit gratia hominis redempti; ita & peccatum originale, ſecundùm quòd opponebatur ſtatui innocentiæ, & iuſtitiæ originali, non fuit effectus reprobationis alicuius, nec dicebat ordinem ad reprobationem, ſed ſolùm conſideratur in illo priori, tanquam morbus naturæ, & tanquam obiectum, in cuius remedium prædeſtinatus eſt Chriſtus Dominus. Vnde ſecundùm quòd præintelligitur ante prædeſtinationem, & reprobationem hominum, non fuit præuiſum de facto, vt cauſa reprobationis. Si autem conſideretur idem peccatum, ſecundùm quòd opponitur gratiæ Redemptoris, ſic intelligitur poſterius reprobatione eorum, qui propter illud peccatum damnantur: nam permiſſio illius ſub hac conſideratione fuit primus effectus reprobationis, vt ſuprà dictum eſt. Vnde ad argumentum in forma reſpondetur, conſequentiam illam de primo ad vltimum eſſe nullam, quia variatur genus cauſæ obiectiuæ, ſeu finalis proximæ in cauſam meritoriam: etenim in antecedente eſt ſermo de cauſa finali proxima incarnationis, in conſequenti autem de cauſa meritoria reprobationis.

Peccatum originale, vt iuſtitiæ originali oppoſitum, non fuit effectus reprobationis.

XIX. Ad quintum argumentum reſpondetur, Deum velle omnes homines ſaluos fieri, voluntate antecedente, quæ eſt voluntas ſecundùm quid; non autem voluntate conſequente, quæ eſt voluntas ſimpliciter, vt diſputatione 33. & 34. explicatum eſt.

Ad ſextum argumentum reſpondetur, reprobationem, quantùm ad vltimum effectum, eſſe actum iuſtitiæ vindicatiuæ; & ideo, quantùm ad illum effectum, ſupponere culpam ex parte noſtra; cæterùm quantùm ad primum effectum, qui eſt prima permiſſio peccati, in quo reprobus perſeuerat vſque ad mortem, non eſſe actum iuſtitiæ vindicatiuæ, ſed ſimplicis Dei voluntatis, vt dictum eſt.

Deus in reprobatione hominum non eſt crudelis.

Ad confirmationem reſpõdetur, quòd, ſicut Deus non eſt crudelis, reprobando Angelos ante præſcientiam peccati futuri, ita nec reprobando homines: nulla enim crudelitas eſt, nec etiam inclementia non dare alicui, quod illi non debetur. Vnde etiamſi Deus, ante præuiſam culpam, velit non dare aliquibus gloriam, quod eſt eos reprobare, nulla eſt inclementia, aut iniuſtitia; eò quòd gloria nulli eſt debita ſecundùm ſuam naturam.

Ad ſeptimum argumentum, negatur antecedens. Ad probationem reſpondetur, inter effectus reprobationis cõnumerari primam peccati permiſſionem, propter quod peccatum reprobus damnatur, vt in aliis locis ſuprà inductis docet ſanctus Thomas. & huius permiſſionis non dari cauſam ex parte noſtra. Hanc ergo permiſſionem comprehendit ſanctus Doctor ſub nomine ſubtractionis auxilij efficacis: nam permiſſio diuina ſupponitur ad peccatum, propter quod Deus ſubtrahit auxilium efficax. Et per hæc patet ad alia loca ſancti Thomæ inducta in eodem argumento.

Ad confirmationem reſpondetur, etiam in reprobatione facta ante præſcientiam peccati futuri, non poſſe homines de Deo rationabiliter conqueri, ſicut neque Angeli poſſunt, vt eſt oſtenſum ex auctoritate Apoſtol. ad Rom. 9.

Ad octauum reſpondetur, negando antecedens, & ad primam probationem dicendum, quòd, quamuis vnius peccati ſit vna duntaxat permiſſio ſecundùm vnam rationem; tamen eadem permiſſio, ſiue idem peccatum ſub vna ratione antecedit prædeſtinationem Chriſti, & conſequenter etiam antecedit prædeſtinationem, & reprobationem hominum: & ſecundùm aliam rationem intelligitur poſterius ipſa reprobatione. Nec eſt inconueniens, quòd idem, reſpectu eiuſdem, ſecundùm diuerſam rationem, & in diuerſo genere cauſæ ſit prius, & poſterius.

Ad primam probationem reſpondetur, quòd, quamuis peccatum, ſecundùm ſe æqualiter ſe habeat ad omnes homines; Deus tamen pro ſua voluntate, quæ iniuſta eſſe non poteſt, voluit in quibuſdam permiſſionem peccati non eſſe effectum reprobationis, eſſe autem in aliis.

Ad ſecundam confirmationem reſpondetur, ſenſum legitimum Concil. Tridentin. eſſe, quòd Deus non priuat gratia habituali ſemel iuſtificatos, niſi illi priùs natura peccatum mortale committant, per quod deſerunt Deum, & merentur gratia iuſtificante priuari; verumtamen ante illud peccatum mortale, per quod homo deſerit Deum, intelligitur in Deo permiſſio eiuſdem peccati, vt dictum eſt. Et per hæc reſpondetur ad auctoritatem S. Thom. quòd ante illam negligentiam Adæ præceſſit Dei permiſſio, cuius Adam non fuit cauſa meritoria: nam ante primam negligentiam non intelligitur aliquod peccatum. Ex iis facilis eſt ſolutio ad argumenta ſecundæ ſententiæ.

XX. AD primum reſpondetur, quòd ex illis locis ſolùm colligitur, dari ex parte noſtra cauſam reprobationis, quantùm ad vltimum effectum illius. Vnde illa cauſalis, *enim*, in loco Matthæi inducto, importat cauſam, ob quam reprobi puniuntur pœna æterna: ſed tamen ante peccata omnia intelligitur permiſſio diuina, qua permittit primum peccatum reprobi, quæ quidem permiſſio eſt primus effectus reprobationis, & huius permiſſionis nulla datur cauſa ex parte reprobi. Similiter dicendum ad locum Ezechielis 18. & Iſaiæ 49. quòd Deus non vult peccatoris mortem æternam, id eſt, pœnam peccati, niſi ſuppoſito ipſo peccato, & perſeuerantiam in illo vſque in finem: ſed tamen ante omne peccatum voluit permittere primum peccatum, vt dictum eſt. Secundò poſſunt explicari eadem loca de ipſo peccato, ſeu morte ſpirituali, quam Deus non vult, ſed ſolùm permittit. Ad locum Sapientiæ 11. reſpondetur, quòd Deus diligit omnia, quæ ſunt, præſertim homines, quia omnibus vult bonum, & eſſe, quod habent; ſed tamen non omnibus hominibus vult volũtate conſequẽte hoc bonum, quod eſt vita æterna: & ſecundùm hoc dicitur eos habere odio, vel reprobare. Solutio eſt S. Thom. 1. p. q. 23. art. 3. ad 2. Ad locum 1. ad Timoth. 2. reſpondetur, Deum voluntate antecedente velle omnes homines ſaluos fieri, ſed voluntate conſequenti non vult omnes, ſed quoſdam, ſcilicet Prædeſtinatos, ſaluos fieri. Qualiter autem iſtæ duæ voluntates cohæreant inter ſe, iam ſuprà explicatum eſt. diſput. 34 & 37.

Ad ſecundum argumentum reſpondetur per ea, quæ dicta ſunt ad loca inducta Scripturæ, & ad alias conſimiles auctoritates Patrum, ad quas diſput. 37. num. 18. & 20. reſponſum eſt. Sed ſpecialiter ad verba illa S. Proſperi: *Eſſent autem prædeſtinati, ſi eſſent reuerſuri*: reſpondetur, illum loqui ſecundùm quandam concomitantiam illationis. Sequitur enim argumento certo deſumpto à poſteriori, ſiue ab effectu, quòd ſi peccator reuertitur ad Deum, & perſeuerat vſque in finem, ſit prædeſtinatus; tamen hæc reuerſio ad Deum non eſt cauſa prædeſtinationis abſolutæ, ſed effectus, ſecundùm illud: *Si ex nobis fuiſſent, permanſiſſent vtique nobiſcum.* 1. Ioann. 2.

Ad tertium reſpõdetur, quòd, vt diſputatione 30. dictum eſt, electio, & prædeſtinatio ad gloriam, ſecundùm quòd eſt in intentione diuina, nullam ſupponit conditionem ex parte noſtra, ſed ante omnia præuiſa merita gratiæ, Deus in ſua intentione voluit abſolutè

absolutè vitam æternam electis, & suppositâ hac intentione, statuit prouidere de mediis, quibus efficaciter perduceret electos ad vitam æternã. Cæterùm secundùm quòd est in exequutione, nunquam vita æterna datur Prædestinatis adultis, nisi suppositis meritis gratiæ, quia Deus non voluit, neque ordinauit, quòd in exercitio electi saluentur, siue operentur bonum, siue operentur malum, sed quòd saluentur per bona opera, quæ etiam cadunt sub prædestinatione diuina, & sunt effectus illius. Deus ergo promisit vitam æternam in exercitio consequendam sub conditione bonorum operum; sed Deus ipse sua gratia efficit, quòd ponatur inesse illa conditio, & ipsa cooperatio nostri arbitrij: nam facit, vt faciamus, & operatur, vt operemur. Vnde S. August. epistol. 105. inquit: *De ipsa quippe gratia satis agebat Apostolus, & ideo promissionis filios commendabat. Quod enim promittit Deus, non fecit, nisi Deus: habet namque aliquid rationis, & veritatis, vt homo promittat, & Deus faciat: vt autem homo se facere dicat, quod promisit Deus, superbæ impietatis est reprobus sensus.* Quod & Rom.4. Apostolus significauit, cùm dixit: *Ideo ex fide, vt secundùm gratiam firma sit promissio omni semini.* Quem locum explicans idem August. lib. de prædest. Sanctor. cap. 10. ait: *Non de nostra voluntatis potestate, sed de sua prædestinatione promisit. Promisit enim; quod ipse facturus fuerat, non quod homines: qui etsi faciunt bona, quæ pertinent ad colendum Deum, ipse facit, vt illi faciant, quæ præcepit: non illi faciunt, vt ipse faciat, quod promisit: alioquin, vt Dei promissa compleantur, non in Dei, sed in hominum est potestate. & quod à Domino promissum est, ab ipsis redditur Abrahæ.* Vnde bona opera, quibus vitam æternam consequimur, quamuis sint merita nostra, quia à nobis liberè elicita cum adiutorio gratiæ, sunt tamen accepta à Deo, qui nostra vult esse merita, quæ sunt ipsius dona. In reprobatione autem vltimus effectus, qui est perpetua damnatio, non infertur peccatori, nisi supposito peccato, quod tamen peccatũ non habet reprobus a Deo, sed à seipso, vt 1.p.q 23.art.3. ad 2. docet S. Thom.

XXI. Ad quartum respondetur, quòd reprobatio absoluta ante præuisa demerita nihil derogat bonitati diuinæ, aut iustitiæ illius, sed maximè congruit vtrique. Bonitati quidem, quia magis ostenditur eius misericordia in electis, si ante præuisa merita, vel demerita istum elegit, & prædestinauit, quia voluit: istum non prædestinauit, sed permisit, quòd laberetur in peccatum, & à fine supernaturali deficeret; quia ita sibi placuit: quod Christus Dominus signi- Matth.11. ficasse videtur, cùm dixit: *Ita Pater, quoniam sic placitum fuit ante te.* Ostenditur etiam bonitas, & misericordia diuina in reprobis, dum illis auxilia, quibus possint rectè operari, & ad vitam æternam peruenire, si velint, confert; & auxilia efficacia, quantùm est ex parte sua, offert; quibus tamen ipsi sua malitia impedimentum præstant. Item etiam, quia non permittit eos labi in omnia peccata, quæ per suum liberum arbitrium committere poterant; quia, vt dicit Augustinus: *Nullum est peccatũ, quod faciat vnus homo, quod non faceret alius homo, si desit adiutor, per quem fi-* Augustin. *tius est homo.* Vnde idem Augustinus: *Misericordia tua,* inquit, *Domine deputo peccata, qua non feci.* Denique, vt 1.p.q.21. art.4. ad 1. dicit S. Thomas, etiam *in damnationes reproborũ apparet misericordia, non quidem totaliter relaxans, sed aliqualiter alleuians, dum punit citra condignum.* Sed iustitia Dei specialiter apparet in reprobis, dũ multis miris, sed veris modis pro delictis suis in æternum eos punit. Neque irrogat alicui iniuriam, si pro suo beneplacito absque præuisis meritis, vel demeritis vnum eligat, & prædestinet ad gloriam, alterum non prædestinet, sed permittat à fine supernaturali deficere. Nam cum visio beatifica non sit debita vlli puræ creaturæ, sed donum Dei gratuitum, etiamsi ex duobus in causa æquali existentibus, vnus assumatur, alius relinquatur; nulli fit iniuria: quoniam, vt dicit S. Thom. & ante illum S. August. in gratuitis non habet locum acceptio personarum, vel iniustitia. Potest enim quis vni facere gratiam, quia vult, alteri non facere, quia non vult. Neque ex hoc sequitur, quòd maxima hominum pars sit diuina potestate prædestinata ad malum, vel creata, vt pereat; quoniam Deus, licèt permittat reproborum peccata, & perseuerantiã in illis vsque ad finem vitæ, non tamen est causa, quòd illi peccent, vt dup. 24. ostensum est, nec etiam creauit illos hoc fine, vt perecant, sed permittit eos peccare, & infert illis pœnam æternam pro peccatis suis, vt in eis splendeat iustitia diuina, & maior misericordia in electis, sicut patebit disput. sequenti. S.Tho.1.p. q.23. art.5. & q.6. de verit. art. 2. ad 8. Aug. epist.105.

Ad quintum respondetur, quòd eadem obiectio fuit proposita olim contra doctrinam S. Aug. circa prædestinationẽ, & reprobationem ante præuisa merita, vel demerita, vt ipse refert lib. de prædest. Sanct. cap. 11. in hæc verba: quibus & obiectioni respõdet: *Sane, cùm Apostolus dicat: Ideo ex fide, vt secundùm gratiam firma sit promissio: miror homines infirmitatis suæ se malle committere, quàm firmitati promissionis Dei. Sed incerta est mihi, inquit, de me ipso voluntas Dei. Quid ergo? Tuáne tibi voluntas de te ipso certa est, nec tua?* Aug. lib. de dono perseuer. cap. 6. *Qui videtur stare, videat ne cadat. Cùm igitur vtraque incerta sit, cur non homo firmiori, quàm infirmiori fidem suam, spem, charitatemque committit?* & iterum ait: *Tutiores ergo viuimus, si totum Deo demus; non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte cõmittimus.* Et ratio huius est: nam spes nostra, quam, vt ait Apostolus, animæ habemus firmam, ac tutam, non in homine, non in libero nostro arbitrio, sed in Deo fũdatur: dicit enim Propheta: *Maledictus homo, qui confidit in homine & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor eius.* Ierem.17. Vnde certitudo, & firmitas spei nostræ ex Deo ipso, & non ex nobis debet procedere, ac per consequens prædestinatio, & electio absoluta Dei pro sua mera voluntate, tutior, & firmior debet reputari, quia potens est Deus ea, quæ prædestinauit, implere. Optimum ergo consilium erit pro illis, qui circa prædestinationem, & reprobationem variis perturbationibus commouentur, profundum hoc non intrare, sed sentire de Domino in bonitate, in simplicitate cordis quærere illum, orationi, & bonis operibus sollicitè intendere, ac mandata eius seruare. Certissimum est enim, quòd, *qui perseuauerit vsque in finem, hic saluus* Matth.24. *erit.* Hoc affectu, hac animi debita subiectione erga Deum omnes cordis perturbationes, & anxietates in consideratione iudiciorum Dei expellebat, qui dixit: *A mandatis labiorum eius non recessi, & in sinu meo abscondi verba oris eius. Ipse enim scius est, & nemo auertere potest cogitationem eius, & anima eius, quodcunque voluit, hoc fecit. Cùmque expleuerit in me voluntatem suam, & alia multa similia, præsto sum ei.* Cui consonat illud: *Si* 1.Reg.15. *autem dixerit mihi, non places, præsto sum, faciat, quod bonum est coram se.* Legat Theologus S. August. lib. de dono perseuerantiæ, cap. 14. & videbit tacta, & soluta à S. August. omnia, quæ in argumento, de quo nunc agimus, inferuntur ex prædestinatione, & reprobatione ante præuisa merita gratiæ, vel demerita propria. Videbit etiam S. Augustinum, propter illa inconuenientia non recessisse à sententia, quam in suis libris circa eandem prædestinationem, & reprobationem constanter docuit, & defendit. Legat præterea supradicta disput. 2. num. 1. & 16. & ex illis colliget, quantùm distet prima sententia superiùs proposita à doctrina S. August. Videatur etiam S. Aug. lib. 1. quæst. 1. ad Simplicianum, vbi præsentem difficultatem diffusè pertractat. XXII.

Ad ea verò, quæ afferuntur pro secunda, & tertia sententia, iam patet ex dictis.

DISPVTATIO CXI.

Vtrùm ex parte Dei assignari possit sufficiens causa Reprobationis.

I. SVPPOSITO ergo, quòd ex parte nostra nulla detur causa reprobationis, quantùm ad omnes illius effectus, inquirendum est, an detur ex parte Dei. Et difficultas est: Vtrùm manifestatio diuinæ iustitiæ in reprobis, & maior splendor diuinæ misericordiæ in electis sit potissima, & per se sufficiens causa reprobationis, quantùm ad primum illius effectum, qui est permissio peccati, propter quod reprobus damnatur. Quidam defendunt negatiuam partem, pro qua

Arguitur primò: nam velle cum tanta iactura, & damno creaturæ rationalis, permittere illius peccata, hac sola, vel præcipua ratione, vt videlicet habeat, quod puniat, & in quo iustitia illius splendeat, repugnat omnino diuinæ clementiæ, & misericordiæ: ergo. Antecedens probatur: nam princeps reputaretur ab omnibus vituperabilis, & absque clementia, & misericordia, si, cùm posset impedire peccata omnia suæ Reipublicæ, vellet tamen aliqua permittere hac sola, vel præcipua ratione, vt habeat, quod iustè puniat, & in quo iustitiam suam vindicatiuam exerceat; ergo.

Secundò. Multi alij sunt fines præcipui, propter quos Deus permittit peccatum: ergo. Antecedens probatur: nam primus finis est, vt creaturam intellectualem liberè agere permittat iuxta suam naturam, & permittat causas defectibiles aliquando deficere, quem finem videtur assignare factus Thomas 1. part. quæst. 23. artic. 3. Secundus finis est, vt occasione peccatorum sequerentur in aliquibus alia maiora bona, vt incarnatio Verbi, & Martyrum corona, quæ non essent futura, si Deus non permisisset primi parentis, & tyrannorum peccata.

Tertiò. Deus non creauit reprobos eo fine, vt eos damnaret in æternum; quin potiùs illos ordinauit ad vitam æternam, tanquam ad finem vltimum supernaturalem intellectualis creaturæ: ergo non creauit illos hoc præcipuo fine, vt in illis ostenderet suam iustitiam: ergo similiter non permisit eorum peccata hoc præcipuo fine, vt ostenderet in illis iustitiam suam vindicatiuam.

Confirmatur: nam aliàs concedendum esset, Deum sua prouidentia reprobos destinasse ad supplicium æternum, sicut prædestinauit electos ad gloriam; ac per consequens, Deum sua prouidentia procurare, vt damnatio reproborum, & punitio subsequatur: quod videtur contra illud Eccles. 15. *Ne dixeris, ille me inquinauit.* Sequela probatur: nam ad prouidentiam Dei pertinet procurare, vt finis potissimus, quem intendit, infallibiliter sequatur: ergo si ostensio diuinæ iustitiæ est finis potissimus à Deo intentus per reprobationē, sequitur, quòd ad Deum pertineat procurare, vt talis finis subsequatur.

Quartò. Splendor diuinæ iustitiæ sufficientissimè manifestatur in punitione Angelorum: ergo superfluum est permittere, vt tanta hominum multitudo damnetur: quò splendeat in illis diuina iustitia.

II. Contrariam sententiam docet S. Thom. in solut. ad 3. eiusdem art. pro cuius explicatione notandum est, Deum in operibus ad extra non intendere vllam prorsus in seipso acquirere perfectionem, sed suam potiùs aliis communicare, & manifestare. Vnde in creatione suam ostendit omnipotentiam, in distinctione rerum suam manifestauit sapientiam, & in ornatu bonitatem; & quoniam perfectiones Dei sunt infinitæ, necessarium fuit, vt multipliciter bonitas illius communicaretur, & manifestaretur in rebus creatis: vt docet S. Thom. 1. part. quæst. 23. art. 3. de quo agit optimè Pater Roncus Castilionus, quondam nostri ordinis Generalis, in suo libro de libertate, & necessitate operum verit. 12. & ita necessarium fuit, diuinam etiam iustitiam, & misericordiam manifestari: sit ergo

Splendor diuinæ iustitiæ, & misericordiæ est ex parte Dei sufficiens causa reprobationis.

PRima conclusio. Splendor diuinæ misericordiæ in electis, & similiter ostensio diuinæ iustitiæ in reprobis, est verè, & propriè causa finalis, propter quam Deus permisit peccata, tam in hominibus, quàm in Angelis reprobis. Hæc conclusio, vt iacet, est de fide, quam non negant auctores oppositæ sententiæ: tradita est enim à S. Paulo ad Rom. 9 cùm ait, quòd *si Deus volens ostendere iram, & notum facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ aptа in interitum, vt ostenderet diuitias misericordiæ suæ, & gloriæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam suam*; quibus verbis Apost. docet, manifestationē suæ iustitiæ, & misericordiæ fuisse causam, propter quam permisit peccata. Idipsum ostendit eodem cap. ex auctoritate Exodi 9. vbi dictum est de Pharaone: *Quia in hoc ipsum excitauite, vt ostenderem in te virtutem meam.*

Probatur ratione: nam Deus operatur omnia propter semetipsū, iuxta illud: *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum*: ergo finis, propter quem Deus permittit peccata, est ostensio diuinæ iustitiæ, & misericordiæ. Patet consequentia: quia Deus non potest intendere aliquam perfectionē, quam de nouo acquirat, per opera ad extra, vt dictum est: ergo intendit manifestationem suarum perfectionum, sed per permissionem peccati potissimè manifestatur in reprobis diuina iustitia: ergo. Notentur illa verba: *Impium quoque ad diem malum*; quibus significatur, Deum creasse hominem, qui sua culpa futurus erat impius, & peccatum permisisse, vt in die malo, in die iudicij, suam ostenderet iustitiam in punitione illius. Sic explicat illum locum Aymo super eundem locum, & Lyranus, Rodulphus, & alij plures expositores. Præterea permittere malum culpæ est absolutè bonum, vt docet S. August. in Enchir. ad Laur. cap. 95. similiter infl ictio pœnæ æternæ, suppositа culpa, est bona: ergo rationabiliter ordinatur ad ostensionem diuinæ iustitiæ, quæ est maius bonum, & vniuersalius. Patet consequentia, quia minus bonum ordinatur ad maius bonum.

III. Secunda conclusio. Ostensio diuinæ iustitiæ non est ita causa reprobationis, vt excludat alias causas, & fines particulares proximos. Istam conclusionem damus argumentis factis pro prima sententia, quam probat præsertim secundum argumentum. Præterea; nam finis vniuersalis non excludit alios fines particulares, & proximos; sed ostensio diuinæ iustitiæ est finis vniuersalis, & vltimus permissionis peccati in reprobis: ergo.

Tertia conclusio. Ostensio diuinæ iustitiæ in reprobis, & splendor diuinæ misericordiæ in electis, est potissimus finis, & causa per se sufficiens, propter quam Deus permittit peccata reproborū, & ea punit. Conclusio est S. Thom. 1. part. quæst. 23. art. 3. vbi ait, quòd *hæc est ratio, quare quosdam elegit, & quosdam reprobauit, vt videlicet repræsentaretur bonitas Dei in electis per modum misericordiæ, parcēdo: & in reprobis per modum iustitiæ, puniendo.* Et intendit S. Thom. assignare potissimam causam prædestinationis, & reprobationis; vt patet in argumēto; ad quod respondet, & idem docet

Caiet.

Caiet. in eadem ſolut. in reſponſione ad quandam confirmationem Auteoli; vbi ait, quòd *reprobatio, quantum ad permiſſionem demeriti (etiamſi nulla alia eſſet cauſa, niſi relucentia diuinæ iuſtitiæ) mala non eſſet.* & idem docent omnes Thomiſtæ. Probatur primò: nam ſacra Scriptura, præſertim Apoſtolus, hanc aſſignat cauſam, propter quam Deus permittit peccata, vt ſcilicet manifeſtetur in reprobis diuina iuſtitia: ergo hæc eſt potiſſima cauſa, & per ſe ſufficiens. Patet conſequentia: nam ſacra Scriptura illam cauſam aſſignat, cùm agit de aduentu Chriſti. Probatur ſecundò: nam oſtenſio diuinæ iuſtitiæ eſt finis vniuerſaliſſimus permiſſionis peccati, ſub ſe continens alios fines particulares: ergo eſt potiſſimus. Patet conſequentia: nam finis vniuerſalis eſt potiſſimus omnium, ſicuti victoria, quia eſt finis vniuerſalis, principaliter intenditur per bellum, & eſt per ſe ſufficiens ad mouendum bellum iuſtum.

Probatur denique argumento ad hominem: nam oſtenſio diuinæ iuſtitiæ verè, & propriè eſt finis, propter quem Deus permittit peccata, & ea punit: ſed non eſt finis nimis principalis, aliàs gloria Dei ordinaretur ad nos, tanquam ad finem potiſſimum: ergo eſt finis potiſſimus.

IV. Peccatum Deus non permittit vt illud puniat.

AD primum argumentum reſpondetur ex Caietano, quòd Deus non permittit peccatum, vt puniat illud, ſed permittit, & punit peccatum, vt ſplendeat diuina iuſtitia. Et ratio huius eſt, quoniam permiſſio peccati, & eius punitio, ſecundum ſe, non habent, neque poſſunt habere rationem finis, quia ſecundùm ſe non habent, vnde ſint appetibiles; ſed per habitudinem ad gloriam Dei, & oſtenſionem iuſtitiæ eius, quæ bona eſt abſolutè: ſicut medicina amarißima non eſt per ſe appetibilis, ſed ſolùm propter ſanitatem conſequendam. Et ad ſimilitudinem inductam in argumento, reſpondetur, quòd non eſt eadem ratio de principe temporali & Deo: nam Reſpublica non ordinatur per ſe ad principem, neque ad ipſius gloriam manifeſtandam, tanquam ad finem: ſed potiùs princeps ordinatur ad bonum Reipublicæ: creaturæ autem per ſe ordinantur, tanquam ad vltimum finem ad ipſum Deum, & ad gloriam eius manifeſtandam. Præterea: nam princeps eſt gubernator particularis, & ideo tenetur, quantùm poteſt, peccata Reipublicæ ſuæ impedire: Deus autem eſt agens, & gubernator vniuerſalis ſimpliciter; & ideo ad illius pertinet prouidentiam, mala quædam particularia permittere, vt ex illis educat maiora bona.

Reſpondetur ſecundò, quòd etiam princeps particularis iuſtè permittit minora peccata, vt vitentur maiora: ſicut permittit meretrices, vt peccata contra naturam, quæ ſunt grauiora, euitentur.

V. Deus non creauit reprobos eo fine, vt eos damnet.

Ad ſecundum reſpondetur, quòd ſolùm probat ſecundam concluſionem.

Ad tertium dicendum, Deum non creaſſe reprobos eo fine, vt eos damnaret, quoniam eorum damnatio ſecundùm ſe, non habet, vnde ſit appetibilis, ſed creauit reprobos, & permiſit eorum peccata, & damnauit eos in æternum propter peccata, vt in illis oſtenderetur diuina iuſtitia, & potentia. Neque ex hoc ſequitur, quòd Deus procuret, vt fiant peccata ad conſequutionem huius finis; ſed ſolùm, quòd ea permittat, quoniam peccatum non poteſt ſe tenere ex parte Dei, ſed ſupponitur ex parte hominis, vt finis vltimus reprobationis ſequatur, ſicut docet S. Thom. art. 3. quæſt. cit. ad 2. Et per hæc patet ad confirmationem.

Ad quartum reſpondetur, etiam in hominibus A neceſſe fuiſſe diuinam iuſtitiam, & miſericordiam manifeſtari. Splendet autem magis miſericordia in electis, ſi pauciores ſalui fiant, quoniam omne rarum eſt pretioſum, ſecundùm illud, quod dicitur 1. Reg. 3. *Erat ſermo Dei pretioſus*, ſcilicet ratus, vt explicant SS. Doctores. Et Iſaiæ 13. *Pretioſior erit vir auro, & homo, mundo obrizo*: quibus verbis ſignificatur propter bella futura, tot homines eſſe morituros, vt pauciſſimi inuenirentur, atque ideo eſſent pretioſiores auro.

DISPVTATIO CXII.

B *An Deus omnibus hominibus, quantumuis obduratis, & reprobis, tribuat auxilia ſupernaturalia ſufficientia, per quæ ad vitam æternam peruenire poſſint, & re ipſa perueniant, ſi velint.*

RAtio affirmatiua probatur multis auctoritatibus ſacræ Scripturæ: dicitur enim Apocalyp. 30. *Ecce ego ſto ad oſtium, & pulſo: ſiquis aperuerit mihi introibo, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum*: ſtare autem ad oſtium, eſt auxilia ſufficientia conferre: pulſare enim eſt excitare, & mouere homines ad bonum illud ſupernaturale, quod per cœnam ſignificatur. Item etiam Eccli. 15. dicitur: *Deus conſilium hominem in manu conſilij ſui.* & iterum: *Ne dixeris: Per Deum abeſt, &c.* Si autem Deus non daret auxilia omnibus ſufficientia ad ſalutem, ſtaret per Deum, quod aliquis non conuerteretur ad illum, nec eſſet poſitus omnis homo in manu conſilij ſui, quandiu eſt in via. Item etiam Apoſtolus 1. ad Timoth. 2. inquit: *Deus vult, omnes homines ſaluos fieri, & ad cognitionem veritatis venire.* ergo omnibus tribuit auxilia ſufficientia ad ſalutem. Præterea 1. ad Corinth. 5. inquit: *Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus.* Et iterum ait: quod *eſt Saluator omnium*: hac autem ratione dicitur pro omnibus mortuus, & Saluator omnium, quatenus videlicet omnibus tribuit auxilia ſufficientia, quibus, ſi velint, ſaluari poſſint. Propterea enim non eſt mortuus pro damonibus, nec dicitur eorum Saluator, quia nullum auxilium eis tribuit, quo ſaluari poſſint: ergo. I. Concil. Sen. decr. fidei 15.

Secundò arguitur ex Concil. Senonenſi, in quo dicitur: *Nec tanta gratiæ neceſſitas libero præiudicat arbitrio, cùm illa ſemper ſit in promptu, nec momentum quidem præterea, in quo Deus non ſtet ad oſtium, & pulſet, &c.* ergo auxilium ſufficiens ad ſalutem datur omnibus.

Tertiò. Quilibet peccator, quamdiu eſt in via, poteſt ad Deum conuerti: aliàs daretur aliquis ſtatus peccatoris, de cuius ſalute eſſet deſperandum, & aliquod peccatum exiſtentis in via, quod per veram pœnitentiam deleri non poſſet, quod tamen eſt erroneum, vt probat S. Thom. 3. p.q. 86. art. 1. ergo E quilibet peccator, quamdiu eſt in via, habet auxilium ſupernaturale ſufficiens ad ſalutem: aliàs non poſſet ad Deum conuerti, quia ſine huiuſmodi auxilio nullus poteſt ad Deum conuerti, & ſaluari.

II. Quartò. Qui non adimplet præceptum pœnitentiæ, peccat mortaliter, & idem eſt de præcepto charitatis, & de aliis: ergo habet auxilium ſufficiens ad huiuſmodi præcepta implenda: aliàs homines obligarentur ad impoſſibile, quod eſt falſum, quia nemo peccat in eo, quod vitare non poteſt, vt docet S. Auguſt. lib. 3. de libero arbitrio, cap. 18. & 19. & in aliis locis, diſput. 54. num. 7. inductis.

Quintò.

Digitized by Google

Quintò. Vt docet S. Thom. p.2. q.87. art.6. quilibet perueniens ad vsum rationis tenetur pro tunc se ipsum ad Deum conuertere: quod si fecerit, iustificabitur; & ex hoc principio concludit, quòd non possit dari peccatum veniale cum solo originali: ergo quilibet perueniens ad vsum rationis, accipit à Deo auxilium supernaturale, saltem sufficiens, quo possit se ad Deum conuertere, si velit: alias facienti, quod in se est solis viribus naturæ, daretur aliquando gratia infallibiliter; quod tamen est contra doctrinam S. Augustini, vt ostensum est disput. 56. num. 6. & seqq.

Auxilium sufficiens ad immediatè credendum, non omnibus datur.

In contrarium est: nam S. Thom. 2. 2. q. 2. art. 5. ad 1. inquiens de auxilio gratiæ, sine quo non potest homo diligere Deum, & proximum, & credere articulis fidei, inquit, quòd hoc *auxilium quibuscunque dominus dat, misericorditer datur, quibuscunque autem non datur, ex iustitia non datur, in pœnam præcedentis peccati, saltem originalis, vt dicit S. Augustinus lib. de correp. & grat. cap. 5. & 6.* Sentit ergo, quòd aliquibus non detur auxilium gratiæ, quo possint credere, & Deum diligere. Et q. 10. art. 1. docet, quòd aliqui sunt infideles solùm negatiuè, qui damnantur propter peccata commissa contra legem naturalem: si autem omnes haberent auxilium sufficiens ad credendum; nullus adultus esset infidelis solùm negatiuè, sed omnes, qui non credunt, essent infideles contrariè: nam omnes tenentur credere: ergo si possint credere per auxilium sufficiens, quod habent, & non credunt, peccant mortaliter contra fidem: hæc enim tria sufficiunt, vt infidelitas imputetur illis ad culpam. Præterea S. Augustinus tract. 19. super Ioann. & epist. 105 ad Sixtum, inquit, quòd in illis, qui non audierunt, neque potuerunt, pœna peccati est non credere, non autem peccatum: sentit ergo, quòd non omnibus datur auxilium sufficiens ad credendum.

Circa istam difficultatem est prima sententia asserentium, esse aliqua peccata hominis viatoris quæ per veram pœnitentiam deleri non possint: sed hanc sententiam tanquam erroneam communiter reiciunt Theologi cum S. Thom. 3. p. q. 86. cit. vbi ex professo disputatur, an detur aliquod peccatum existentis in via, quod reuerà sit irremissibile.

III. Secunda sententia dicit, Deum aliquibus adultis in pœnam præcedentis peccati aliquando non dare auxilium sufficiens ad salutem: quam sequuntur multi, & probari potest locis S. Augustini & S. Thom. à nobis adductis in argumento, sed contrà.

Tertia sententia absolutè concedit omnibus in vniuersum hominibus conferri à Deo auxilium sufficiens ad salutem, nulla facta distinctione inter fideles, & infideles; quam sententiam probant omnia argumenta facta à principio.

Quarta sententia distinguit de hominibus fidelibus, & infidelibus, & docet, omnibus fidelibus dari auxilia sufficientia ad salutem: nam fides sæpissimè excitat eos ad bonum supernaturale prosequêdum, & amandum. Si autem sermo sit de infidelibus, & præsertim de illis, qui nunquam audierunt Euangelium, asserit hæc sententia, quòd multis non datur auxilium sufficiens ad vitam æternam consequendam, sed negatur in pœnam præcedentis peccati, vt dictum est: quod videntur probare loca adducta ex S. Augustino & S. Thom.

IV. Quinta sententia est M. Bañ. 1. p. q. 23. art. 3. dub. 3. præsertim concl. 8. & 9. vbi docet, quòd verbum, *dare*, accipitur dupliciter. Primò, vt est correlatiuum ad recipere, & in hoc sensu Deus non dat omnibus hominibus, etiam venientibus ad vsum rationis, auxilium supernaturale gratiæ præparantis vel ad credendum, vel ad pœnitendum: quod probat auctoritatibus S. Thom. & S. Aug. suprà inductis. Secundo modo accipitur, prout significat idem, quod paratum esse, quantùm est ex parte sua, omnibus conferre huiusmodi auxilium, & in hoc sensu inquit, quòd Deus det, id est, paratus sit dare omnibus hominibus, quamdiu sunt in hac vita, auxilium, quo possint conuerti, & conuertantur, si velint.

Auxilia Dei extrinseca, & intrinseca, quæ dicantur.

Pro resolutione huius difficultatis notandum est primò, auxilia Dei esse in duplici differentia: quædam sunt nobis extrinseca, vt passio Christi Domini, exemplum illius, sacramenta, exterior prædicatio Euangelij, miracula, & lex ipsa, de qua dicitur Psalm. 118. *Et iudicia tua adiuuabunt me.* Alia verò sunt auxilia intrinseca, & motiones diuinæ nobis inhærentes, per quas possumus operari opera illa, quæ excedunt vires naturæ. Notandum est secundò, hæc auxilia intrinseca aliquando tribui ad actus, qui ex obiecto formali, & quantùm ad substantiam, sunt supernaturales, vt actus Theologicalium virtutum fidei, spei, & charitatis; aliquando dantur ad actus, qui, secundùm suum obiectum, & rationem formalem, non excedunt facultatem naturæ, absolutè loquendo; excedunt tamen vires naturæ lapsæ, cuiusmodi sunt actus naturalis dilectionis Dei super omnia, absoluta, & efficax conuersio ad bonum rationis proportionatum naturæ, ad quam conuersionem præcepto naturali tenetur puer, cùm primum peruenit ad vsum rationis. Quibus autem modis, & medius soleat Deus mouere homines ad bonum, explicat optimè S. Prosp. lib. contra Collat. c. 14.

V. Auxilia extrinseca ad salutem omnibus tribuit Deus.

Prima conclusio. Si loquamur de auxiliis extrinsecis, Deus omnibus tribuit auxilia sufficientia ad salutem, omnibus ea proponit, & offert, quantùm est ex parte sua, quamuis de facto nonnulli ea non recipiant. Probant hanc conclusionem loca Scripturæ in primo argumento adducta: nam pro omnibus mortuus est Christus, pro omnibus instituit sacramenta, & omni creaturæ præcepit Apostolis, vt prædicarent Euangelium, vt dicitur Marc. vltimo.

Auxilia intrinseca sufficientia ad præcepta naturalia implenda, Deus omnibus confert.

Secunda conclusio. Deus omnibus tribuit pro loco, & tempore auxilium supernaturale intrinsecum, & sufficiens ad implenda præcepta naturalia, quæ, supposito peccato, impleri non possunt ex solis viribus naturæ. Verbi gratia, puero, quando peruenit ad vsum rationis, tribuit auxilium sufficiens, quo possit conuerti ad bonum proportionatum suæ naturæ, & proponat viuere secundùm rationem; & intelligitur conclusio, de facto omnes recipere huiusmodi auxilium sufficiens, saltem pro loco, & tempore, quo obligat huiusmodi præceptum. Hanc conclusionem probant efficaciter quartum, & quintum argumentum ex factis à principio. Probatur præterea, qui non adimplet præceptum naturale tempore, quo obligat, peccat mortaliter, neque excusatur ignorantia inuincibili, eò quòd huiusmodi præcepta per lumen rationis sunt omnibus nota: ergo necesse est, quòd habeat in se auxilium supernaturale intrinsecum, & sufficiens, quo possit præceptum illud implere; etenim, vt supponimus, per solas vires naturæ non potest impleri illud. Confirmatur: nam alias transgressio illius præcepti non imputaretur hominibus ad culpam, qui per sola naturalia non possunt illud implere; nullus autem peccat in eo, quod vitare non potest.

VI. Respondent ad hoc argumentum nonnulli, quòd, quando aliquis propria culpa caret auxilio sufficienti ad implendum aliquod præceptum, eius transgressio imputatur nihilominùs ad peccatum, quamuis non imputetur, si absque aliqua culpa præcedenti destituatur huiusmodi auxilio: sicut ebrietas inculpabilis, vel ignorantia inuincibilis excusat à peccato, quod quis in ipsa ebrietate, vel ignorantia committit,

Ebrietas, & ignorantia quomodo excuſetur à peccato.

committit, occidens hominem, verbi gratia; non autem excuſat, quando ignorantia, vel ebrietas fuit culpabilis. Et videtur hæc ſolutio habere fundamentum in S. Thom. 3. cont. Gent. cap. 160. circa finem, vbi ait: *Quamuis illi, qui in peccato ſunt, vitare non poſſint per propriam poteſtatem, quin impedimentum gratiæ præſtent, vel pœnam, niſi auxilio gratiæ præueniatur, nihilominùs tamen hoc eis imputatur ad culpam, quia hic defectus ex culpa præcedente in eis relinquitur, ſicut ebrius ab homicidio non excuſatur, quod per ebrietatem commiſit, quam ſua culpa incurrit*: & ex hoc concludit, quòd *non immeritò ei imputatur ad culpam.* Quod etiam docet S. Auguſt. lib. de corrept. & grat. cap. 11. vbi loquens de adiutorio gratiæ, quo Adam poterat perſeuerare, ſi voluiſſet, ait: *Si autem hoc adiutorium, vel Angelo, vel homini, quam primùm facti ſunt, defuiſſet, quoniam non talis natura facta erat, vt ſine diuino adiutorio poſſet manere, ſi vellet, non vtique ſua culpa cecidiſſent. Adiutorium quippe defuiſſet, ſine quo manere non poſſent. Nunc autem, quibus deeſt tale adiutorium, iam pœna peccati eſt.* Sentit ergo, quòd etiamſi non detur homini adiutorium quo piè operari, aut perſeuerare poſſit, ſi velit, imputatur illi peccatum ſubſequutum, quia in pœnam præcedentis peccati non eſt illi collatum auxilium gratiæ, quo poſſet peccatum illud vitare.

Sed contrà hanc ſolutionem eſt argumentum: nam S. Auguſt. lib. 3. de liber. arbit. cap. 18. & 19. & lib. de natur. & grat. cap 67. docet, hominem non ſemper peccare in eo, quod vitare non poteſt, etiáſi impotétia illa ex peccato præcedéte proueniat. Et ratio id perſuadet: nã alias qui culpa ſua incidit in amẽtiam, peccaret mortaliter non iejunãdo, vel non audiendo Miſſam ſuo tẽpore: nam etiam culpa ſua factus eſt impotens ad huiuſmodi præcepta implenda. Similiter etiam motus inordinati appetitus ſenſitiui, qui nullo modo præcaueri poſſunt, imputarentur ad culpam in infidelibus, eò quòd impotentia ad cauendum tales motus, ortum habuit ex præcedenti peccato originali. Et ad locum inductum ex S. Thom. reſpondetur, eum apertè loqui de priuatione auxilij efficacis, vt patet ex his, quæ dicit in verbis antecedẽtibus: etenim in cap. 159. apertè docet, quòd Deus, quantùm in ſe, paratus eſt omnibus gratiam dare: & id explicat exemplo Solis, qui ex parte ſua omnes illuminat. Et ad locum inductum ex S. Auguſt. reſpondetur, illum ſolùm docere, quòd in natura lapſa ſit pœna peccati, quòd non detur ei auxilium, quo perſeuerare poſſit: non tamen ſentit, quòd ſit nouum peccatum, ſi homo non faciat, quod ex corruptione peccati originalis non poteſt, niſi detur illi auxilium, quo id facere poſſit; vt patet in infidelitate negatiua: & ita ſe explicat Auguſt. cap. 67. citato. Maior difficultas eſt de auxilio ſufficienti, quod datur immediatè ad actus ſupernaturales fidei, ſpei, & charitatis. Quidam enim Thomiſta reſpondent, huiuſmodi auxilia dari hominibus pro eo tempore, quo peccarent ſi non adimplerent hæc præcepta, & ita dari, vt omnes in ſeiptis recipiant huiuſmodi auxilia intrinſeca, & ſufficientia: quæ doctrina, quamuis vera ſit, non tamen videtur explicare exactè ſtatum quæſtionis. Vnde ſit

VII. Tertia concluſio. Abſolutè dicendum eſt, quòd, ſi verbum, *dare* accipiatur, vt eſt correlatiuum ad recipere, Deus non tribuit omnibus, etiam perueníentibus ad vſum rationis, auxilium ſufficiens ſupernaturale, & intrinſecum ad producendum immediatè actus ſupernaturales fidei & ſpei. Itaque non omnes recipiunt auxilium phyſicum, & intrinſecum ſufficiens, vt immediatè poſſint credere: ſed hoc auxilium multis non datur in pœnam præcedentis peccati ſaltem originalis. Concluſio eſt M. Bañes, vbi

Auxilium ſufficiens ad immediatè credendũ nõ omnes recipiunt.

A ſuprà, & ſatis communis inter Thomiſtas, & meo iudicio eſt expreſſa S. Auguſt. & S. Thom. locis adductis in argumento, ſed contrà; aliàs non daretur infidelis negatiuè, vt in eodem argumento deducebamus. Probatur præterea: nam, vt dicitur ad Rom. 10. *Quomodo autem credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient ſine prædicante?* Sed aliqui ſunt, qui nihil vnquam audierunt de fide ſupernaturali, vt pueri apud barbaros in ſyluis nutriti: ergo. Patet conſequentia: nam ſine prædicante interiùs, vel exteriùs fidem ſupernaturalem, nullus dicitur habere auxilium ſufficiens ad credẽdum immediatè. Dixi in cõclutione, *ad immediatè credendum*: nam ad credendum mediatè, vel immediatè, omnes recipiunt, pro loco, & tempore auxilium ſufficiens; ſi perueniant

B ad vſum rationis: nam, vt ſuprà dicebamus, ſi puer infidelis perueniens ad vſum rationis faceret, quod in ſe eſt ex auxilio ſpeciali, ſe ad Deum conuertendo, & ad bonum rationis naturæ proportionatum; Deus illuminaret illum de myſteriis fidei, & iuſtificaretur per gratiam. Et iuxta hanc doctrinam intelligenda ſunt, quæ docet S. Thom. q. 19. de verit. art. 11. ad 1. vbi ait: *Quòd ſi quis in ſylua nutritus, ductum rationis naturalis ſequatur in appetitu boni, & fugæ mali: certiſſimè tenendum eſt, quòd ei Deus vel per internam inſpirationem reuelaret ea, quæ ad credendum ſunt neceſſaria, vel aliquem prædicatorem dirigeret ad eum.* Et in 2. ſent. diſt. 28. quæſt. 1. art. 4. ad 4. inquit: *Quòd ad fidem habendam aliquis ſe præparare poteſt per id, quod in rationis naturalis eſt. Vnde dicitur, quòd ſi quis in barbaris natus nationibus, faciat, quod in ſe eſt; Deus illi reuelabit, quod eſt neceſſarium ad ſalutem, vel inſpirando, vel prædicatorem mittendo.* Non enim eſt ſenſus, quod facienti quod in ſe eſt ex ſolis viribus naturæ, detur infallibiliter auxilium gratiæ; vel quòd ad fidem habendam aliquis ſe præparare poſſit per id, quod eſt

C in naturali ratione factum ex ſola facultate naturæ, vt quidam arbitrantur, ſed per id, quod naturale eſt ex obiecto factum tamen ex auxilio ſpeciali præuenientis gratiæ, vt dictum eſt: aliàs prima præparatio ad auxilium gratiæ in nobis eſſet ex nobis: quod non poteſt admitti, vt diſput. 15. oſtenſum eſt. Videantur, quæ circa hanc doctrinam S. Thom docet M. Medina 1. 2. quæſt. 89. art. 6. & M. Bañes, vbi ſuprà. & 1 2. quæſt 10. art. 1 dub. 2. ad 4. Ad omnia argumenta facta à principio reſpondetur, quòd, vt plurimum,

D probant primam, & ſecundam concluſionem, quatenus verò contra tertiam videntur procedere, reſpondetur ad ſingula.

VIII. AD primum ex cap. 3. Apocal reſpondetur quòd Deus, mediis creaturis, & lumine rationis, pulſat ad oſtium omnium pro loco, & tempore, vt ſequantur bonum rationis, naturæ proportionatum: & ſimiliter pulſat pro loco, & tempore ad oſtium omnium ſpeciali auxilio, vt idem bonum ſequantur, præſertim quando perueniunt ad vſum rationis, vt dictum eſt; non tamen pulſat ſemper, tribuendo omnibus auxilium ſupernaturale ſufficiens ad credendum immediatè: ita vt omnes hoc auxilium recipiant, vt cõſtat ex dictis. Et per hæc facilè reſpõdetur ad alia loca Scripturæ, & per ea, quæ dicta ſunt

E in prima, & ſecunda concluſione.

Ad ſecundum argumentum ex Concil Senon reſpondetur ex iis, quæ dicta ſunt ad primum. Non enim eſt ſenſus quòd pro quolibet momento quiſlibet peccator recipiat in ſe auxilium ſufficiens ad ſalutẽ: nam cùm dormit, certè non mouetur actu ſufficienti auxilio: ſed ſenſus eſt, quòd, quantùm eſt ex parte Dei, ſemper habet illud in promptu, vt tertio contra Gentes, cap. 159. & 160 docet S. Thomas.

IX. Ad tertium reſpondetur, quòd, vt dicit S. Thom. quæſt. 6. de veritate, articulo tertio, ad ſeptimum:

Aliquid

Poſſe aliquid dupliciter contingit, ſcilicet per potentiã alterius, vel per potẽtiã, quæ eſt in ipſo.

Aliquid poteſt dici poſſe duplic ter. uno modo, conſiderando potentiam, quæ in ipſo eſt, ſicut dicimus, quòd lapis poteſt moueri deorſum: alio modo, conſiderando id, quod ex parte alterius eſt, vt ſi dicerẽ lapidem poſſe moueri ſurſum, non per potentiam, quæ in ipſo ſit, ſed per potentiam prouidentiæ. Proportionabiliter nos dicimus in præſenti, quòd cùm aſſeritur, quemlibet peccatorem, quamdiu eſt in via, poſſe pro quolibet tempore, & momento ad Deum conuerti, & ſaluari; hoc poteſt dupliciter intelligi. Primò, quòd poſſit cõuerti per potentiam proximam & phyſicam, quæ actu ſit in illo, pro quolibet tempore, & momento. Secundò, per potentiam, ſeu auxilium ſpeciale, quod Deus, quantùm eſt ex parte ſua, paratus eſt omnibus dare pro quolibet momento, vt ſuprà explicatum eſt: & in hoc ſecundo ſenſu propoſitio illa eſt veriſſima: non autem in primo, quoniam per ſolam facultatem naturæ non poteſt homo potentia proxima ad Deum conuerti, & ſaluari. Similiter etiam non omnes in ſeipſis habent receptum pro quolibet momento auxilium ſupernaturale ſufficiens, quo proximè poſſint ad Deum conuerti, & ſaluari, cùm non pro quolibet momento actu excitentur à Deo ad bonum ſequendum, vt patet in dormientibus, & in aliis plu-

Auxilium ad ſalutem quilibet habere poteſt, dum eſt in via.

ribus. Nihilominùs pro quolibet momento poteſt quilibet peccator, quamdiu eſt in via, habere auxilium ſpeciale, per quod ſaluari poſſit, & hæc potentia fundatur in duobus, vt optimè docet S. Thomas 3. part. quæſt 8. art. 5. ad 1. primò quidem, & principaliter in virtute Chriſti, & in miſericordia Dei, quæ ſufficiens eſt ad ſalutem totius humani generis: ſecundò in arbitrij libertate: etenim, quamdiu homo eſt in via, habet liberum arbitrium flexibile in bo-

Liber. arbitr. dum eſt in via ſemper eſt flexibile in bonum & malum.

num, & in malum. Et quantùm ad hoc, eſt differentia inter homines viatores, & damnatos, quòd damnati non poſſunt, ſecundùm potentiam ordinariam habere auxiliũ ſpeciale ad ſalutem, etiam ſufficiens; & multò minùs illud habebunt, neque Deus paratus eſt illis huiuſmodi auxilium dare: & ex alia parte eorum liberum arbitrium, cùm ſit in termino, eſt inflexibile, & obſtinatum in malo, quod quidem non comperit viatoribus, quantumuis obduratis & reprobis. Vnde non eſt eadem ratio de vtriſque.

X. Ad quartum argumentum reſpondetur, illos, qui non recipiunt in ſeipſis, neque habent auxilium ſufficiens ad immediatè credendum, non peccare contra fidem, vt docet S. Auguſt. & S. Thom. vbi ſuprà: quod manifeſtè colligitur ex auctoritate illa Ioann. *Si non veniſſem, & loquutus eis non haberent peccatum non haberent*, ſcilicet infidelitatis, quod commiſerũt non recipiendo Chriſtum Dominum, vt ſæpe explicat ſanctus Auguſtinus: & idem eſt de aliis præceptis ſupernaturalibus quantùm ad ſubſtantiam actus, qui præcipitur, ſicut eſt præceptum ſpei ſupernaturalis. Hoc tamen intelligendum eſt, quando ille, qui tranſgreditur præceptum, nouo actu non impedit auxilium, etiam ſufficiens. Sicut verbi gratia, ſi Deus imponeret præceptum alicui, vt volaret, & ipſe reſponderet, non habeo alas, quibus volare poſſim, & Deus offerret illi alas, ad volandum: certè ſi reſponderet, nec volo habere alas, nec volare; imputaretur illi ad culpam tranſgreſſio præcepti. Ita proportionabiliter de actu fidei dicendum eſt: ſi enim impediret, ne ſibi prædicaretur Euangelium, iam peccaret ſaltem indirectè contra fidem: quia tenetur præcepto fidei ſufficientem propoſitionem Euangelij non impedire. Quando autem præcepta ſunt naturalia ex parte obiecti, ſemper habet homo auxilium ſufficiens ad ea implenda, quando obligat præceptum, & ita à culpa non excuſatur, qui illud non adimplet. Videatur circa hanc ſolutionem S. Thom. 2. 2. quæſt. 2. art. 5. ad 1. & 3. contra Gentes cap. 159.

Ad quintum argumentum patet ſolutio ex dictis circa tertiam concluſionem.

DISPVTATIO CXIII.

Vtrùm Deus ab æterno, voluntate abſoluta, & efficaci, antecedenter ad præſcientiam futuræ determinationis creatæ voluntatis, ſtatuerit non dare auxilia ſupernaturalia ſufficientia, vel efficacia illis, qui reuerà in tempore ea non recipiunt.

NON defuerunt, qui exiſtiment, non poſſe concedi, Deum æterno, abſoluto, & efficaci decreto ſuæ voluntatis, decreuiſſe reuerà non dare auxilia gratiæ, iis, qui in tempore ea non accipiunt; & hanc ſententiam adeò certam eſſe aſſerunt, vt oppoſitam reputent non modò periculum, & offenſionem piis auribus; ſed etiam cauſam præbere deſperationis, & intermiſſionis bonorum operum. Quod probari poteſt I.

Primò: nam ſequeretur, Deum tum omnibus, qui de facto non conuertuntur, tum iuſtis, qui actu non bene operantur, negare ſufficiens auxilium, quo conuertantur, & piè operentur. Conſequens eſt contra ſanctos Patres, & Doctores, qui Deum nemini ſufficiens auxilium denegare, tanquam principium ſine controuerſia certiſſimum, affirmant: ergo, &c. Sequela probatur. Nam ſi voluntate immutabili, & ante præuiſionem determinationis voluntatis humanæ, ſtatuit Deus non conferre auxilia ſupernaturalia ſufficientia, vel efficacia, quæ neceſſaria ſunt ad conuerſionem, aut piam operationem: ergo negat, quantùm eſt ex parte ſua auxilium neceſſarium ad ſalutem.

Confirmatur, & explicatur vis præcedentis argumenti. Si nollet Deus producere in oculo ſpecies, aut lumen in aëre, quæ ad videndum omnino requiruntur, homo reuerà non haberet neceſſaria ad videndum, & conſequenter videre reuerà non poſſet: ergo eodem modo, ſi Deus, voluntate abſoluta, & efficaci, ante præſcientiã mali vſus liberi arbitrij, ſtatuit immutabili decreto non conferre aliquibus hominibus auxilia neceſſaria ad ſaluté, præſertim illud prædeterminans voluntatem, quod neceſſarium eſſe aſſeritur ad cõuerſionem, & omnem ſupernaturalem actionem: ſequitur, Deum negare illis ſufficiens auxilium, cùm non minùs neceſſariũ ſit tale auxilium ad conuerſionẽ, & ſupernaturales operationes, quàm ad videndum ſit neceſſarium lumen, & ſpecies.

Confirmatur ſecundò. Quoties caret quis aliquo principio neceſſario ad actum aliquem producendum, & nõ eſt in eius poteſtate illud habere, eo ipſo caret principio ſufficienti ad talem actum. Si enim quis ſit in loco tenebroſo, ex quo exire non poſſit, etiamſi habeat potentiam vitalem videndi: tamen quia caret lumine, & ſpecie viſibili, quæ ad videndum neceſſariò requiruntur; dici verè non poteſt habere ſufficiens principium videndi, cùm etiam careat poteſtate pergendi, ad locum vbi lumen effulget: ergo, ſi Deus abſoluta voluntate ſtatuit, idque independenter à præuiſione voluntatis creatæ, & hominis voluntas ſine his auxiliis, & determinatione nullo modo conuerti poteſt: ſequitur, huiuſmodi homines non habere ſufficiens principium ad conuerſionem, & alias operationes ſupernaturales, præſertim cùm in eorum poteſtate non ſit hæc auxilia, & diuinam prædeterminationem habere. II.

Secundò.

II. Secundò. Voluntas, quando caret intellectione, non habet ſufficiens principium volendi, quoniam intellectio ad volitionem eſt prorſus neceſſaria: ergo, ſi illa auxilia, & Dei prædeterminatio neceſſaria ſunt ad ſupernaturales actus, quando homo illis caret, eò quòd Deus ab æterno voluntate abſoluta ſtatuit non conferre, nec determinare voluntatem; voluntas non habebit principium ſufficiens ad bene, & ſupernaturaliter operandum.

Tertiò. Non minùs eſt neceſſarium hoc auxilium determinans voluntatem, vt homo ſe conuertat, & ſupernaturaliter operetur, quàm ſit neceſſarius concurſus phyſicus Dei ad motum localé creaturæ: ſed ſi Deus ſtatueret independenter à voluntate creata non dare concurſum phyſicum ad motum localem, tunc verè homo careret auxilio neceſſario, nempe concurſu Dei, neceſſariò requiſito ad motum localem: ergo pari ratione ſi Deus independenter à voluntate humana, denegat auxilium neceſſarium, & concurſum prævium requiſitum ad conuerſionem, & ſupernaturales actiones, verè homo caret auxilio ad illas neceſſario, & principio earum ſufficienti.

Quartò: nam ſequeretur etiam ex oppoſita ſententia, non eſſe homini imputandum, quòd, inſtante præcepto, ad Deum non cõuertatur, & quod maius eſt, eidem homini præceptum conuerſionis in Deum imponi non poſſe. Probatur hoc nam, ſi Deus iam decreuit non dare aliqui homini auxilium ſufficiens, aut efficax ad conuerſionem neceſſarium, nec eſt in eius poteſtate illud à Deo obtinere: ergo non erit ei imputandum, quòd non conuertatur, quia retentâ ſine illo auxilio conuerti non poteſt: ideo enim infideles negatiuè, qui propter peccata commiſſa priuantur notitia rerum fidei, non peccant contra fidem, non credendo; quia non habent principium ſufficiens, & neceſſarium, vt credant: *Quomodo enim credent, quem non audierunt? quomodo autem audent ſine prædicante?* Et conſequenter etiam non poterũt præcepto aliquo ad conuerſionem obligari; vel dicendum eſſet, præcepta Dei eſſe ad implendum impoſſibilia contra expreſſam doctrinam, & definitionem Concilij Tridentini.

Rom. 10.

Conc Trid. ſeſſ. 6. c. 11. & can. 18.

III. Quintò: nam ex eadem doctrina ſequitur hominem priùs à Deo deſeri, quàm ipſe deſerat Deum; quod aduerſatur illis verbis Oſeæ 13. *Perditio tua ex te Iſraël.* Et Eccl. 15. *Ne dixeris: Per Deum abeſt:* & definitione Trid. Synodi, ſeſſ. 6. c. 11. cuius verba ſunt: *Deus namque ſua gratia ſemel iuſtificatos non deſerit, niſi ab eis priùs deſeratur:* quo loco non ſolùm de gratia habituali, ſed de quouis auxilio gratiæ Concilium agere conſtat ex fine, quem Concilium in eo capite propoſitum habuit, quippe quod adhortari homines voluit, vt diuinæ legi obtemperarent. Et cõſtat præterea ex ipſa capitis inſcriptione, quæ eſt de obſeruatione mandatorum, de illius poſſibilitate, & neceſſitate: ergo hanc gratiam, ſeu auxiliũ nemini Deus negat, præterquam illi, qui Deum antea deſeruit.

Confirmatur ex illis verbis cap. 13. eiuſdem ſeſſ. *Deus, niſi ipſi illius gratia defuerunt, ſicut cœpit opus bonum, perficit vſque in diem Chriſti:* ſed nulla alia maior delictio fingi poteſt ea, qua Deus, ante præuiſionem cuiuſcunque determinationis creatæ voluntatis, firmo propoſito decreuit non conferre illi auxilium, ſine quo homo conuerti non poſſit, nec bene operari, aut graui tentationi reſiſtere: ergo neceſſariò dicendum eſt, Deum ante præuiſionem determinationis voluntatis creatæ, non ſtatuiſſe voluntate abſoluta, & efficaci eadem auxilia non conferre iis, qui in tempore ea non accipiunt.

Sextò arguitur auctoritate S. Thomæ 2. 2. q. 2. ar. 5. ad 1. vbi ait, quòd *ſi in poteſtate hominis eſſe dicatur aliquid, excluſo auxilio gratiæ, ſic ad multa tenetur homo,*

A *ad quæ non poteſt ſine gratia præparante, ſicut ad credendum, & ad diligendum Deum ſuper omnia: tamen ipſe poteſt cum auxilio gratiæ, quod quidem auxilium quibuſcunque dumtaxat datur, miſericorditer datur: quibus autem non datur, ex iuſtitia non datur, in pœnam præcedentis peccati, ſaltem originalis.* vt dicit Aug. in lib. de correpti & gratia, cap. 5. & 6. Ex quibus verbis deſumitur argumentum. Quidquid Deus ipſe in tempore facit, vel non facit; neceſſe eſt, vt ab æterno ſtatuerit facere, vel non facere; ſed in tempore ita res habet iuxta doctrinam S. Thomæ, & S. Auguſtini, quod quotieſcunque Deus non confert alicui auxilium gratiæ ad credendum, operandum, vel diligendum Deum, in pœnam præcedentis peccati ſaltem originalis tale auxilium non confert: ergo ab æterno ſtatuit non*

B *conferre idem auxilium in pœnam præcedentis peccati, & non aliter: ergo ante præuiſionem eiuſdem peccati non ſtatuit voluntate abſoluta, vel conſequente idem auxilium non conferre iis, qui in tempore illud non recipiunt.* Eſt ad idem probandum alius locus S. Thom. 1. 2. q. 112. artic. 3. ad 2. vbi ait, quòd *defectus gratiæ prima cauſa eſt ex nobis, ſed collationis gratiæ prima cauſa eſt à Deo, ſecundum illud Oſeæ 13.* Perditio tua ex te Iſraël, tantummodo in me auxilium tuum. Quibus verbis clariſſimè docet, defectum gratiæ, & auxilij diuini non eſſe referẽdum in ſimplicem Dei voluntatem, ſed in præcedentem hominis culpam, propter quam Deus idem auxilium non confert: & conſequenter propter eandem culpam, & non aliter ſtatuit ab æterno idem auxilium

C *non dare iis, qui in tempore illud non recipiũt.* Item 3. cont. Gent. cap. 159. inquit, quòd *illi ſoli gratia priuantur, qui in ſeipſis gratiæ impedimentum præſtant.* Et 1. part. quæſt. 94. art. 4. ad 5. ait, quòd *in tẽtatione non fuit primo parentis ſubuentum, ne deciperetur, licèt tunc maximè indigeret, quia iam præceſſerat peccatum in animo, & ad diuinum auxilium recurſum non habuit.* Sentit ergo, Deum nunquam denegare auxilium gratiæ, niſi propter præcedens peccatum, ac per conſequens ante præſcientiam illius non decreuiſſe idem auxiliũ non conferre iis, qui in tempore illud non recipiunt.

Denique idipſum probari poteſt omnibus argumentis adductis diſput. 101. ad probandum, negationem auxilij efficacis cauſam non eſſe, quòd homo in Deum non conuertatur, etiamſi non conuerſio

D accipiatur, vt puram negationem ſignificat.

IV. Oppoſitam ſententiam docent Thomiſtæ, inter quos eſt M. Bañes 1. parte, quæſt. 23. artic. tertio, dub. 3. conc. 10. vbi ait: *Deus ab æterno ſtatuit voluntate vel abſoluta, vel conſequenti, non dare omnibus ſupernaturalia auxilia, videlicet eis, qui retrò non erunt recepturi:* & loquitur M. Bañes in eo ſenſu, quo verbum, *dare*, correlatiuum eſt verbi, *recipere*, vt patet ex 8. & 9. concluſione eiuſdem dubitationis, & ex iis, quæ in diſputatione præcedenti à nobis dicta ſunt. Si enim verbum, *dare*, abſolutè, & ſimpliciter accipiatur, fatetur, Deum, quantùm eſt ex parte ſua, paratum eſſe dare omnibus hominibus, quandiu ſunt in hac vita, auxilium, quo fiant potentes conuerti, immò & auxilium ſpecialius, quo conuertantur, ſi velint.

E Et in hoc ſenſu veram eſſe reputo hanc ſecundam ſententiam, & neceſſariò defendendam ab iis Theologis, qui ſentiunt, nullam dari cauſam reprobationis ex parte noſtra, quantùm ad integrum effectum illius.

Auxilij ſupernaturalis negatio cõſiderari poteſt, vt eſt mera negatio, & vt eſt priuatio.

Ad cuius euidentiam obſeruandũ eſt, quòd, ſicut non conuerſio accipitur, vt eſt pura negatio conuerſionis, & vt eſt eius priuatio, & conſequenter peccatum, vt diſputat. 101. latiùs explicauimus, ita etiam negatio ſupernaturalis auxilij poteſt accipi dupliciter. Primò, vt eſt ſimplex negatio, quæ poteſt dici, & de eo, quod eſt, & de eo, quod non eſt; verè enim

dicimus, quòd Deus non conferat auxilium gratiæ hominibus, aut Angelis possibilibus, qui nunquam fuerunt, nec sunt, aut erunt, vel etiam lapidibus, qui eiusdem auxilij capaces non sunt. Secundò potest accipi, vt significat priuationem auxilij, & vt formaliter habet rationem pœnæ.

V. Deus ante præsciẽtiam mali vsus arb. statuit, quibusdam non dare auxilia supernaturalia ad immediatè agendum.

PRima ergo conclusio sit, Deus ante præscientiam, vel præuisionem determinationis creatæ voluntatis statuit ab æterno voluntate absoluta, vel consequenti non dare supernaturalia auxilia eis, qui reuerà ea non recipiunt, si verbum, *non dare*, accipiatur, vt significat meram negationem auxilij, seu voluntatem absolutam, & consequentem non dandi tale auxilium.

Probatur hæc conclusio primò: nam, vt disp. 110. ostẽsum est, ex parte nostra nulla datur causa reprobationis, quantùm ad integrum effectum illius: sed sicut prædestinatio, quantùm ad primum eius effectum, refunditur in solam Dei voluntatem gratuitam: ita & reprobatio, quantum ad primarium eius effectum, qui est prima permissio peccati, propter quod reprobus damnatur, tribuitur simplici Dei voluntati: neque ante illam permissionem potuit esse, vel præintelligi aliud peccatum; aliàs illud primum peccatum non esset primum: ergo antequam intelligatur aliquod peccatũ præcedens in homine, qui reprobatur intelligitur in Deo absoluta voluntas permittendi illud peccatum, sed in voluntate permittendi peccatum, includitur necessariò voluntas absoluta non dandi auxilium efficax ad vitandum illud peccatum: nam, vt 1. 2. q. 79. articulo secundo, docet S. Thom. si Deus tribueret homini hoc auxilium, homo non peccaret: ergo ante omnem præuisionem futuri peccati præcedit in Deo voluntas absoluta, vel consequens non dandi auxilium efficax eis, qui in tempore illud non recipiunt.

Confirmatur. Propterea ex parte nostra non datur causa prædestinationis, quia reuerà non datur causa primi effectus prædestinationis, vt ex præmissis, disputatione 37. constat: ergo, si non datur ex parte nostra causa reprobationis, etiam non dabitur causa primi effectus reprobationis. Cùm ergo in primo reprobationis effectu includatur voluntas absoluta non dandi auxilium efficax, quo homo vitet primum illud peccatum, propter quod damnatur; relinquitur, Deum, ante præuisionem mali vsus arbitrij creati statuisse absoluta voluntate non dare illud auxilium iis, qui illud non recipiunt.

Secundò. Negatio simpliciter est quid superius ad priuationem, quæ est propter culpam: cùm omnis priuatio sit negatio, & non è conuerso: ergo vbicunque fuerit priuatio auxilij diuini, prius intelligitur eius negatio, qua Deus illud auxilium non tribuit, aut vult non tribuere: sed ad huiusmodi negationem, nullum præsupponitur ex necessitate ex parte nostra peccatum: nam cùm illud auxilium non sit alicui debitum, sed merè gratuitum, potest Deus pro sua tantùm voluntate idem auxilium dare, cui voluerit, & cui noluerit, non dare: ergo, &c.

Confirmatur. Si ex necessitate præsupponeretur præcedens aliquod peccatum hominis, vt Deus voluntate absoluta statuisset illi non dare auxilium efficax, sequeretur, quòd etiam antequam Deus statuisset non dare auxilium efficax ad vitandum primum peccatum simpliciter, & ante permissionem eiusdem peccati præintelligeretur aliud peccatum; quod est impossibile: tum quia illud peccatum, quod supponimus esse primum, reuerà non esset primum, sed ante illud esse aliud: & eadem difficultas procederet de illo peccato, & sic daretur processus in infinitum: tum etiam quia sequeretur, aliquod peccatum fieri, Deo non permittente, quod est contra expressam doctrinam S. Augustini in Enchi. ad Laurent. cap. 95. & 96. Ad permissionem namque cuiuscunque peccati necessariò requiritur, quòd præcedat in Deo absoluta voluntas, seu voluntas consequens non dandi auxilium, quo illud peccatum vitetur. Vnde si ante primum peccatum non præcederet in Deo voluntas absoluta, vel consequens non dandi eiusmodi auxilium; tale peccatum fieret, Deo non permittente; ex quo rursus sequeretur actum positiuum, cui coniungitur malitia peccati, fieri, in quantùm actus est, Deo non volẽte. Si enim aliquod peccatum fit sine permissione diuina, ex consequenti etiam entitas actus, sine qua malum peccati esse non potest, eò quòd non est dabile summum malum, fieret ab homine, antequam Deus velit illum actum, quod, vt suprà ostensum est, non potest admitti. Disp. 24.

VI. Tertiò. Deus, voluntate consequenti, & absoluta ante omnem præuisionem mali vsus creatæ voluntatis, voluit reprobos non admittere ad suũ regnum, vt disp. 109. ostensum est: ergo similiter voluit ante præuisionẽ eiusdẽ mali vsus non cõferre illis auxilia gratiæ, quibus ad idem regnũ peruenirent. Probatur consequentia: nam voluntas absoluta, seu cõsequens non cõferendi alicui auxilia efficacia ad æternã salutem, includitur intrinsecè, in voluntate absoluta, & cõsequenti illũ non admittendi ad regnũ cœlorum.

Quartò. Vt disput. 34. ostensum est, voluntas Dei consequens est illa, qua Deus vult aliquod bonum consideratum secundùm omnes circunstãtias; antecedens autem Dei voluntas est, quæ fertur in bonum aliquod absolutè consideratum, & secundùm se, & ideo voluntate antecedenti Deus *vult omnes homines saluos fieri*, & conferre illis auxilia ad salutem, quia hoc obiectum secundùm se bonum est; quia tamen hoc bonum habet adiunctam priuationem alterius maioris boni, scilicet splendoris iustitiæ diuinæ in reprobis, & maioris misericordiæ in electis; ideo voluntate consequenti Deus non vult omnes homines saluos fieri, sed solum prædestinatos, vt 1. p. q. 19. art. 6. ad 1. docet S. Thom. ergo similiter voluntate consequenti, quæ est voluntas simpliciter, non vult Deus omnibus conferre auxilia efficacia ad supernaturales actus producendos, sed aliquibus duntaxat, illis videlicet, qui ea in tempore recipiunt. Probatur consequentia: nam quamuis absolutè, & secundùm se bonum sit omnes in se habere, & recipere huiusmodi auxilia supernaturalia; id tamen non reputatur bonum, consideratis omnibus circunstantiis particularibus, eò quòd adiunctam habet carentiam maioris boni, nempe maioris splendoris diuinæ misericordiæ in gratuita collatione horum auxiliorum: ergo quamuis Deus voluntate antecedenti velit, omnes habere auxilia gratiæ ad supernaturales actus eliciendos; id tamen non vult voluntate consequenti. Si dicatur, voluntatem consequentem in Deo illam esse, quæ à nostro vitio ortum habet, & illud præsupponit, & ideo voluntate consequente Deum ante præscientiam mali vsus nostri arbitrij non decreuisse non dare alicui auxilia gratiæ ad supernaturales actus producendos, sed solùm, supposito malo vsu eiusdem arbitrij à Deo præcognito, & præuiso; contra hoc militant argumenta, quibus disputatione 34. ostensum est, voluntatem Dei consequentem non præsupponere ex necessitate malum vsum arbitrij creati, neque ex illo occasionem captare, aliàs non voluisset Deus, voluntate consequenti, æternam salutem Angelis prædestinatis: nam talis voluntas non præsupponit aliquem malum vsum liberi arbitrij eorundem Angelorum, neque ex illo occasionem eos prædestinandi captauit.

1. Tim. 2.

Solutio.

Confutatio.

VII. Quintò. Voluntas Dei consequens semper implet ur, vt 1. p. q. 19. a. 6. docet S. Thomas: ergo, si Deus

voluntate

voluntate conſequenti ab æterno ſtatuit, & voluit, vt omnes in ſeipſis reciperent auxilia gratiæ ſufficientia, vel efficacia ad ſupernaturales actus producendos: ſequitur, quòd omnes pro loco & tempore, huiuſmodi auxilia in ſeipſis recipiant, & ita nullus eſſet infidelis purè negatiuè: etenim ſi quilibet habet auxilium ſufficiens ad credẽdum, cùm teneatur credere, peccabit mortaliter contra fidem, ſi non credat, & conſequenter quicunque non credit, erit infidelis contratiè, quod doctrinæ S. Thom. 1.2.q. 10.art.1. manifeſtè repugnat: neceſſe eſt ergo dicere, Deum voluntate conſequenti antecedenter ad præuiſionem mali vſus liberi arbitrij voluiſſe non dare aliquibus auxilia gratiæ ſufficientia, vel efficacia ad ſupernaturales actus immediatè producendos, illis videlicet, qui in tempore ea non recipiunt.

Confirmatur hoc ſpecialiter de auxilio efficaci: nam ſi Deus, voluntate conſequẽti, vult omnes homines in ſeipſis recipere auxilium efficax ad credendum, & diligendum Deum: ergo omnes recipiunt huiuſmodi auxilium pro loco, & tempore: nam, vt dictum eſt, volũtas Dei conſequẽs ſemper impletur, & ita omnes crederent, & diligerent Deum, inſtãte præcepto: quod eſt falſum, & cõtra ipsã experientiã.

VIII. **Quòd auxilium ſufficiens, vel efficax in executione homines non recipiant, ipſorum culpa eſt.**

Secunda concluſio. In executione quotieſcunque Deus pro loco, & tempore non dat alicui auxilium ſufficiens, vel efficax ad credendum, diligendum, & alia ſupernaturalia opera exercendum, ſemper in pœnam præcedentis peccati, & ſaltem originalis, illud non tribuit, ſiue tale peccatũ præceſſerit ordine temporis, ſiue ordine duntaxat naturæ. In hac concluſione cõueniunt vtriuſque ſententiæ auctores, & eſt expreſſa S. Auguſtini, & S. Thomæ locis ſuperiùs allegatis, & eam probant efficaciter argumenta facta à principio.

Præterea probatur ratione deſumpta ex S. Thoma 3.cont.Gent.cap 159. nam *Deus, quantum in ſe eſt, paratus eſt omnibus gratiam dare. Vult enim omnes homines ſaluos fieri*, vt dicitur 1. Timoth. 2. *Sed illis ſoli gratia priuantur, aut in ſeipſos gratiæ impedimentum præſtant. ſicut, Sole mundum illuminante, in cul. am imputatur ei, qui oculos clauſit, ſi ex hoc aliquod malum ſequatur: licet videre non poſſit, niſi lumine Solis præmenuntur:* ergo quotieſcunque Deus non tribuit alicui auxilium gratiæ ſufficiens, vel efficax ad credendum, vel alios ſupernaturales actus eliciendum, illud negat in pœnam præcedentis peccati.

Secundò. Nam licèt Deus ante præuiſum malum vſum liberi arbitrij ſtatuerit non admittere reprobos ad ſuum regnum, quatenus non admiſſio importat meram negationem eius, quod non eſt alicui debitum; nihilominùs in exercitio nullum excludit ab eodem regno, niſi propter præcedens peccatum, ſaltem originale: quia talis excluſio habet rationem pœnæ, quæ ſubinde non infertur alicui, niſi propter culpam: ergo ſimiliter, quamuis Deus ante præuiſum malum vſum liberi arbitrij ſtatuerit non dare aliquibus auxilium ſufficiens, vel efficax, quatenus id importat ſimplicem negationem auxilij ſupernaturalis, quod nulli ſubſtantiæ creatæ eſt debitum; in exercitio tamen nunquam priuat aliquem pro loco, & tempore huiuſmodi auxilio, niſi propter præcedentem culpam: nam etiam hæc priuatio habet rationem pœnæ, quia ex neceſſitate præſupponit culpam, ſaltem ordine naturæ præcedentem, ſicut præſupponitur in eo, qui Deus non dat de facto, ſed ſolùm offert auxilium efficax ad vitandum primum peccatum, per quod gratiam iuſtificantem amittitur: tunc enim non præſupponitur aliquod peccatum, tempore antecedens priuationem gratiæ, vel auxilij efficacis, ſed ſolùm natura: Deus enim homini iuſtificato tribuit auxilium excitans, & ſufficiens

A ad vitandum quodlibet peccatum, paratus conferre efficax, niſi ipſe ſua malitia eidem auxilio impedimentum præſtet. Quòd ſi ille homo peccet mortaliter, propter huiuſmodi peccatum Deus non conferet illi auxilium efficax: nam illud peccatum eſt impedimentum, cum quo auxilium efficax ad vitandum tale peccatum non compatitur.

Et, ſi fiat argumentum: nam cum peccato mortali IX.
compatitur auxilium ſufficiens ad credendum, & eliciendum alios actus ſupernaturales: ergo per illud peccatum non præſtat homo impedimentum eidem auxilio, reſpondetur, quòd, quamuis cum peccato mortali ſimul compatiatur auxilium ſufficiens, nihilominùs per idem peccatum, ſicut & per peccatum originale, fit homo indignus, ne tale auxilium ei conferatur: & ex hac parte, quantùm eſt ex
B ſe, eidem auxilio impedimentum præſtat. Nihilominùs etiamſi, inquantùm ordo rerum exigit, peccator ille gratiam præuenientem non deberet recipere; quia ea eſt indignus, tamen quia Deus præter ordinem rebus inditum operari poteſt, ſicut cùm cæcum illuminat, vel mortuum reſuſcitat, interdum ex abundantia bonitatis ſuæ etiam eos, qui impedimentum gratiæ præſtant, auxilio ſuo præuenit, auertens eos à malo, & conuertens ad bonum, vt tertio contra Gentes, cap. 161. dicit S. Thomas. Multò ergo magis regulariter dabit auxilia ſufficientia ex abundantia eiuſdem bonitatis ad ſupernaturales actus eliciendos etiam iis, qui per peccatum indigni ſunt eiuſmodi auxiliis, quamuis aliquando ea non
C conferat de facto aliquibus, in quibus vult ordinem ſuæ iuſtitiæ manifeſtari. Vnde videmus, quòd ex duobus hominibus infidelibus, qui eiſdem peccatis detinentur, vnum præuenit, auxilium ſufficiens ad credendum ei tribuendo, miniſterio prædicatorum eum docendo, & interiùs ad fidem excitando & mouendo: alium verò permittit ſecundùm ordinem rerum procedere: nec eſt ratio inquirenda, quare hos præueniat, aut conuertat: hoc enim ex ſimplici eius voluntate dependet, ſicut ex ſimplici voluntate artificis procedit, vt ex eadem materia ſimiliter diſpoſita, quædam vaſa formet ad nobiles vſus, & quædam ad ignobiles, vt ex Apoſtolo ad Roman. 9. *An non habet poteſtatem figulus luti, &c.* oſtendit S. Thom. 1.part. quæſt. 23. art. 5. ad 3.

Per quodlibet peccatũ mortale fit homo indignus auxiliis gratiæ.

D Tertia concluſio. Datur cauſa ex parte reprobi, propter quam Deus permittit ipſum incidere in alia peccata, quæ committit poſt primum peccatum, in quo inuenitur; & cauſa demeritoria eſt peccatum præcedens. Probant hanc cõcluſionem aliqui argumenta ex factis à principio. Præterea probatur: nam ad ſaluandum, quòd non detur cauſa reprobationis ex parte reprobi, quantùm ad integrum effectum illius, ſufficit, quòd non detur cauſa permiſſionis primi peccati, propter quod reprobus damnetur: ergo non eſt inconueniẽs, quòd detur cauſa permiſſionis ſequẽtium peccatorum: ergo ſicut in prædeſtinatione effectus intermedius eſt cauſa vltimi effectus, vt ex dictis diſp. 37. conſtat ita & in reprobatione peccatum commiſſum poſt primam Dei permiſſionem
E eſt cauſa, non ſolùm in exequutione, ſed etiam in intẽtione Diuina permiſſionis ſequentiũ peccatorum.

AD primum argumentum reſpondetur, Deum X.
omnibus tribuere, quantùm eſt ex parte ſua, auxilium ſufficiens, imò & efficax ad ſalutem, & piam operationem, quia non ſtat per illum, ſi homines illud non recipiant; de facto tamen aliquibus non confert auxilium, etiam ſufficiens ad credẽdum immediatè, ita vt illi tale auxilium recipiant, ſicut oſtenſum eſt diſputatione præcedenti in infidelibus purè negatiuè. Et quamuis in propoſito ſuo abſoluta voluntate, ante præuiſam determinationẽ arbitrij creati,

Digitized by Google

creati, qua vult committere peccatum illud, quod sequitur ex culpa hominis post illam permissionem, statuerit non dare hæc auxilia iis, qui in tempore ea non recipiunt, si verbum, *non dare*, accipiatur, vt significat simplicem negationem; in exercitio tamen propter culpam priuat hominem huiusmodi auxiliis, vt dictum est: vnde non sequitur, quòd, quantùm est ex parte sua, neget alicui auxilium sufficiens, vel necessarium ad salutem.

Ad primam confirmationem respondetur, quòd si Deus, quantùm est ex parte sua, paratus esset producere speciem in oculo, & lumen in aëre, & in exercitio, sua culpa homo hæc non haberet, quia videlicet vtrique impedimentum præstat, tunc reuerà haberet saltem in alio, scilicet in Deo, qui paratus est hæc subsidia ad videndum conferre, quæ ex parte speciei, & luminis necessaria sunt ad videndum: & ita per intrinsecam potentiam visiuam, quam habet, videre posset, quamuis de facto sua culpa non videat, eò quòd impedimentum posuit, ne species in oculis, & lumen in aëre produceretur. Quia ergo Deus, quamdiu obligat præceptum credendi, ita vt peccet, non credendo, tribuit de facto cuilibet homini auxilium intrinsecum, & supernaturale sufficiens, quo credere potest, paratus ei dare auxilium efficax, nisi eidem auxilio impedimentum præstet: ideo non sequitur Deum negare auxilium sufficiens omnibus, qui ad Deum non conuertuntur, quando tenentur, & alios supernaturales actus non operantur, vt etiã in superioribus dictum est. Addo, quòd, vt suprà ex Caietano, & Ferrariens. ostensum est, aliquod principium dupliciter dicitur sufficiens ad aliquam operationem. Primò dicitur sufficiens in ratione potentiæ, seu principij tribuentis posse operari, & hoc modo potentia visiua dicitur sufficiens ad videndum, etiamsi careat specie intelligibili, aut in loco tenebroso sit constituta, quia, quantùm est ex parte virtutis, quæ tribuit posse videre, habet homo omnia necessaria ad videndum. Secundò dicitur sufficiens omnibus modis, & in omni genere, quia videlicet continet in virtute omnia tam intrinseca, quàm extrinseca ad operationem requisita: & isto modo qui caret specie visibili, aut est in loco tenebroso, à quo exire non potest, reuerà non habet sufficiens principium videndi. Proportionabiliter dicendum est in proposito, quòd etiamsi quis non habeat auxilium efficax in se receptum, si tamen excitetur à Deo, & moueatur ad supernaturales actus, verè dicitur habere principium in suo genere sufficiens ad eosdem actus producendos, videlicet in genere auxilij tribuentis posse, quamuis non sit omnibus modis sufficiens. Et per hæc patet solutio ad secundam confirmationem.

Sufficiens principium alicuius operationis dupliciter dicitur.

XI. Ad secundum argumentum respondetur eodem modo, quòd voluntas, etiamsi intellectus nihil ei proponat, habet in seipsa virtutem ad volendum sufficientem in ratione potentiæ, quamuis sola virtus eiusdem voluntatis non sit omnibus modis ad actualiter volendum sufficiens.

Ad tertium respondetur, quòd sicut carens concursu Dei physico (si tamen habeat integram, & sanam potentiam gressiuam) reuerà habet potentiam sufficientem ad motum localem, quamuis actu non moueatur: ita etiam qui caret auxilio efficaci prædeterminante, caret quidé principio necessario, vt actu conuertatur, nihilominùs habet auxilium sufficiens, quo possit conuerti, vt dictum est, & sua culpa præstat impedimentum auxilio efficaci, oblato sibi à Deo.

Ad quartum argumentum iam disp. 18. num. 20. disput. 22. & 23. sufficienter, vt arbitror, respondsum est. Et nunc dicimus cum Ferrariens. quòd, si quis propria voluntate in malum aliquod cadat, à quo per se liberari non potest, si non liberetur, non nisi absque eius imputatione: debebat enim cauere, ne in illud malum incideret, à quo sciebat, se propria virtute liberari non posse: sicut non est absque imputatione, quòd aliquis non exeat ex puteo, ex quo non potest exire, nisi ab alio adiuuetur, quando propria voluntate in illum se deiecit. Homo autem, qui peccat, propria voluntate cadit, per quod gratia priuatur, quam per se acquirere non potest: ideo meritò sibi imputatur, si gratiam non habeat, etiam deficiente sibi diuino auxilio, ad gratiæ præparationem necessario. Vnde, vt ex S. Augustino libro de correpț. & grat. cap. 11. colligitur, propositio assumpta veritatem habet duntaxat, quando is, qui sic priuatur, non fuit ob aliquam suam culpam causa talis priuationis: sed si ipse sua culpa fuit huiusmodi carentiæ, & priuationis causa, non est vniuersaliter vera, vt colligitur ex sancto Thoma dicente, *quòd, quamuis illi, qui in peccato sunt, vitare non possint per propriam potestatem, quin impedimentum gratiæ præstent, vel ponant, vt ostensum est, nisi auxilio gratiæ præueniantur: nihilominus hoc eis imputatur ad culpam, quia hic defectus ex culpa præcedente in eis relinquitur: sicut ebrius ab homicidio non excusatur, quod per ebrietatem commisit, quam sua culpa incurrit.* Et cum arguitur: nam homo obligaretur ad impossibile, respondetur cum eodem Ferrar. quod non est inconueniens, hominem obligari ad aliquid, quod est factũ tibi propriis viribus impossibile ex tua culpa, sicut accidit in proposito: sed bene esset inconueniens, ipsum obligari ad id, quod est absolutè impossibile, de quo videndus est S. Thom. 2. 2. quæst. 2. art. 5. ad 1. Secundò respondetur meliùs, quòd etiam ille, qui caret auxilio efficaci, non obligatur ad impossibile: nam per auxilium sufficiens, in se receptum, potest operari actum supernaturalem, qui est in præcepto, & sua culpa non vult operari. Nec ex hoc sequitur, quòd infideles purè negatiuè peccent non credendo. Licèt enim sua culpa illi non intercesserit eidem; tamen illa culpa non fuit commissa contra istum supernaturalem, quia nihil de eo audierunt, sed contra legem naturæ: & ideo damnabuntur propter originale peccatum, & propter alia commissa contra legem naturalem, non autem propter peccatum infidelitatis, vt suprà dictum est.

Auxiliũ efficax nõ habenti imputatur ad culpã peccata.

S. Tho. eod. lib. cap. 160. circa finem.

Ferrar. eod. cap. 160. §. Ex ista.

XII. Ad quintum respondetur, quòd, si ille, qui à Deo non accipit auxilium sufficiens, vel efficax ad credendum, vel eliciendum alios actus supernaturales, sit in peccato originali, vel mortali, tam ipse prius deserit Deum, quam Deus illum deserat, non dando ei actu eidem auxilia. Si autem sit in gratia, nunquam Deus illũ deserit, auferendo ab eo gratiã iustificantem, nisi ipse prius natura deserat Deũ, se conuertendo ad bonum commutabile per peccatum mortale, quod cum gratia habituali est incompossibile; nec etiam Deus hominem iustum deserit, subtrahendo ab eo auxilia sufficiens quo possit operari bonum, & perseuerare vsque in finem. Quòd si interdum non dat ei auxilia efficax, quo actu bonum operetur, & perseueret vsque in finem, non est Deo, sed homini imputandum: nam per auxilium sufficiés poterat perseuerare, & sua culpa perseuerare noluit: vnde in exercitio ipse prius in genere cauſæ demeritoriæ deseruit Deum peccãdo, quàm Deus eum priuaret auxilio efficaci, vt *suprà* dictum est.

Homo prius deserit Deũ, quàm deseratur à Deo.

XIII. Ad sextum respondetur, loca inducta sancti Thomæ tantùm probare secundam conclusionem, vt ex his, quæ circa illam dicta sunt, constat. Et ad rationem in loco illo tertio cõtra Gentes, fundatam respõdetur, quòd, sicut Deus in exercitio propter præcedens peccatum priuat multoties homines auxilio gratiæ, ita ab æterno statuit in executione priuare eo-

Ferrar. 3. cont. Gent. cap. 159.

eosdem

eodem auxilio propter eadem peccata; & ſicut ab æterno, ante præuiſionem, aut præſcientiã mali vſus creatæ voluntatis, decreuit non dare aliquibus idem auxilium, quatenus non dare eſt pura negatio, ita etiam in exequutione, ex ſimplici ſua voluntate, illud non dat illis, qui tale auxilium non accipiunt: ſed quia illa negatio non eſt in exequutione mera negatio, ſed etiam priuatio, & pœna, quia inuenit, naturæ ſaltem ordine, antecedentẽ culpam: ideo ex hac parte in exequutione etiam præſupponitur culpa ex parte hominis, propter quam Deus aliquibus in pœnam auxilia gratiæ, quæ paratus erat omnibus dare, non tribuit. Explicari poteſt hæc ſolutio, & confirmari exemplo: nam, vt diſput. 100. dicebamus, negatio auxilij efficacis eſt cauſa adæquata non conuerſionis, ſi conſideretur, vt eſt mera negatio; non autem vt eſt priuatio conuerſionis debitæ ineſſe: ſub hac enim ratione ſolùm tribuitur malitiæ arbitrij creati. Proportionabiliter ergo dicere poſſumus, ſolam Dei ſimplicem voluntatem eſſe cauſam non collationis auxilij efficacis, vt eſt mera negatio auxilij indebiti, non autem vt eſt priuatio, & pœna: nam ſub hac ratione, in liberum hominis arbitrium, tanquam in cauſam demeritoriam, refertur. Et per hæc reſpondetur ad alium locum S. Thom. ex p. 1. & 3. cont. Gent. adductum. Vel dicendũ, quòd in 1. 2. loquitur S. Thom. de gratia habituali, quam Deus non confert iis, qui nolunt ſe ad illam præparare: auxilium autem actuale non prærequirit præcedentem præparationem, quia illa præparatio deberet fieri per aliud auxilium, & ad illud rurſus eſſet neceſſarium aliud auxilium, & ſic daretur proceſſus in infinitum. Quando ergo Deus priuat aliquem auxilio gratiæ, non ideo priuat illum, quia non ſe præparauit ad illud auxilium recipiendum; ſed quia apponit, vel appoſuit impedimentum peccati, cum quo eſt incompoſſibile auxilium efficax ad peccatum illud vitandum, vel per quod meretur, quòd Deus tale auxilium ei non conferat.

Auxilij diuini carentia, vt eſt mera negatio, culpam hominis non præſupponit.

XIII. Ad alium locum ex prima parte reſpõdetur, quòd, antequam actu exteriori Adam peccaret, edendo de ligno vetito, iam peccauerat actu interiori ſuperbiæ: & in pœnam huius peccati, & quia ad diuinum auxilium recuſum non habuit, non fuit ei ſubuentũ, ne deciperetur; ſed ante illud peccatum actu interiori commiſſum intelligitur, Deum non tribuiſſe Adæ auxilium efficax, quo peccatum vitaret. Si enim tale auxilium recepiſſet, non peccaſſet, vt generaliter de omnibus dicit ſanctus Thomas, 1. 2. quæſt. 79. art. 1. in corp. Quia verò recepit auxilium ſufficiens, quo peccatum illud vitare poſſet, & ſua culpa in accepta iuſtitia perſeuerare noluit, ſed impedimentum appoſuit auxilio efficaci; ideo meritò imputatum eſt ei ad culpam illud primum peccatum.

Adæ non eſt datum auxilij propter eius culpam.

DISPVTATIO CXIV.

Vtrùm paruuli cum peccato originali decedentes ſint perpetuò manſuri in Limbo ad mortem damnati, an verò ducturi poſt diem Iudicij in hoc mundo vitam beatam.

I. VIDAM dixerunt, quòd paruuli cum ſolo originali peccato decedentes poſt diem iudicij, cùm ipſorum animæ ſuis fuerint corporibus reſtitutæ, ab omnibus moleſtiis, & ærumnis, quibus in hac mortali vita ſubiacemus, ſupernaturaliter liberabuntur, meliorémque in naturalibus vitam, vitio omni mentis, & corporis immunem, in perpetuas æternitates ducẽt, quàm vllus vnquam mortalium duxerit. Quam ſententiam priùs docuit Ambroſius Cathetinus ad cap. 3. epiſt. 2. S. Petri, vbi explicans illa verba: *Nouos autem cœlos, & terram nouam*, ait: *Sed in quem vſum noua terra, ſi nullus habitaturus ſit in ea? Idcirco cõgruentiſſimè creditur à multis, eos, qui peccato proprio non merebuntur infernum, nec tamen à Chriſto recepti fuerint per gratiam, quales pueri abſque baptiſmo decedẽtes, hanc nouam multò pulchriorem terram, puram ab omni inquinamento, & corruptione poſſeſſuros, vbi perpetuo laudabunt Dominum Deum.* Idem docet ex propria ſententia in opuſc. de ſtatu puerorum, abſque baptiſmate decedentium, & faucre videntur alij plures Doctores inferiùs allegandi. Et probatur

Vide contrà hæc S. Aug. lib. 1 contra duas epiſtol. Pelag. ca. 22 & lib. 2 ca. 4 & Innoc. ep. 93. apud Auguſt.

Primò ex illo Eccleſiaſtes 4. cap. *Fœliciorem vtroque iudicauit eum, qui necdum natus eſt, nec vidit mala, quæ ſub Sole fiunt*; quibus verbis ſignificari videtur, prædictos paruulos poſt diem iudicij potituros vita iucundiori, quàm poſſit in hoc mundo naturaliter haberi. Sic explicat hunc locum Nicol. Lyranus: *Fœliciorem*, inquiens, *id eſt, minùs miſerum vtroque, ſcilicet malo homine mortuo, & malo homine viuente, iudicauit, qui necdum natus eſt, abortiuum, qui non habet experientiam aliquam mali pœnæ, aut mali culpæ actualis, & ſic non ſuſtinet aliquam pœnam ſenſibilem, ſed habet vitam magis delectabilem, quàm poſſit haberi in vita præſenti, ſecundum omnes Doctores, qui loquuntur de dormientibus in ſolo peccato originali.*

Secundò idipſum probatur auctoritate Scholaſticorum, qui huic ſententiæ adhærere videtur. Etenim Richardus in ſecundo ſententiarum, diſtinct. 33. articulo tertio, quæſtione ſecunda, expreſsè docet, eos habituros multa bona, & gaudium percepturos ex eis, & fortè plus gaudij de bonis creatis, quàm peccatores habeant in hac vita. Scotus etiam eadem diſtinctione, quæſtione vnica, §. & ſi quæratur, tanquam probabile relinquit, eos conſequuturos rerum naturalium longe maiorem cognitionem, quàm habuerint Philoſophi; verba Scoti ſunt: *Videtur probabile concedere, quòd omnium naturaliter cognoſcibilium poſſumi naturaliter cognitionem habere, excellentius, quam aliqui Philoſophi habuerint pro iſto ſtatu: & ita aliqualem beatitudinem naturalem de Deo cognito in vniuerſali poterunt attingere.* Et Baſſolis eadem diſtinctione quæſtione prima, articulo tertio, inquit: *De loco vbi erunt neſcio. Quidam aiunt, eos in hac terra habitaturos, in locis amœnis, vnà cum ſocietate mutua, & iucunda, pulchriori, & delectabiliori, quam habeant quidam peccatores modò.* Denique ſanctus Thomas, ſecundo ſententiarum, diſtinct. 42. qu. 1. artic. 2. in corp. docet, quòd *cognitionem perfectam habebunt eorum, qua naturali cognitioni ſubiacent.* Et in ſolut. ad 5. ſubdit hæc verba: *Quamuis pueri non baptizati, ſint ſeparati à Deo, quantum ad illam coniunctionem, quæ eſt per gloriam: non tamen ab eo penitus ſunt ſeparati, imò ſibi coniunguntur per participationem naturalium bonorum: & ita etiam de ipſo gaudere poterunt, naturali cognitione, & dilectione.* Ex quibus verbis deſumitur argumentum: nam paruuli cognoſcent Deum perfecta cognitione, quæ naturaliter poteſt haberi, & diligent illum ſuper omnia, inquantùm eſt auctor naturæ, & nullam prorſus in corpore patientur moleſtiam: ergo meliorem in naturalibus vitam, vitio omni mentis, & corporis immunem perpetuò ducent, quàm vllus vnquam mortalium duxerit.

II. Tertiò probatur argumento, quo aliqui auctores huius ſententiæ conuincuntur: nam paruuli reprobati, præterquam in gratuitis donis conſequendis, aut amittendis, in reliquis perinde ſe habebunt, ac ſi in ſolis naturalibus eſſent conſtituti; ſed ſi in puris naturalibus decederent, poſt diem iudicij in

corporibus reaſſũptis, meliorẽ in naturalibus vitam ducerent, quàm vllus vnquam mortalium duxerit, omni vitio corporis,& mentis immunem: ergo eandem vitam ducẽt,etiam ſuppoſito,quòd per gratiam homo fuerit ordinatus ad vitam æternam.

Quartò. Poſt diem iudicij mundus iſte viſibilis innouabitur, & terra purior erit ab omni inquinamento, & ſimiliter cæl., quàm fuerit antè, vt ex verbis illis Iſaiæ 65. *Ecce ego creo cælos, & terram nouam*; colligunt ſanctus Hieronymus ſuper eundem locum, ſanctus Iſidorus lib. de doctrina, & fide, cap. 36. Euthymius ſuper Pſalm. 101. & omnes Theologi cum Magiſtro in 4. diſt. 47. Huiuſmodi autem innouatio eſſet ſuperflua, ſi nullus hominum, propter quos hæc ſublunaria creata ſunt, inhabitaturus eſſet terram iſtam viſibilem: cùm ergo beati non ſint illam inhabitaturi, ſed cœlum Empyreum, nec etiam reprobi adulti, qui propter peccata actualia æterno igne torquebuntur in inferno; relinquitur, inhabitandã eſſe poſt diem iudicij à paruulis, cum ſolo originali peccato decedentibus.

Quintò. Si paruuli eſſent poſt diem iudicij permanſuri in Limbo tenebroſo ſubtus terram exiſtente, triſtitia magna, & dolore afficerentur: nam cùm homo potentia viſiua, amica lucis ſit præditus, non poteſt non conturbari, & dolere, videns ſe in carcere tenebroſo in perpetuas æternitates concluſum, abſque facultate videndi creaturas corporales, quæ propter ipſum factæ ſunt; ſed huiuſmodi paruuli poſt diem iudicij nullam prorſus habebunt triſtitiam, vel dolorem, aut pœnam ſenſibilem: nam, vt docet ſanctus Thomas, huiuſmodi pœna ſolùm debetur peccato actuali, ratione inordinatæ conuerſionis ad bonum commutabile; ergo paruuli, poſt diem iudicij, & reſurrectionis vniuerſalis, non permanebunt in Limbo; ſed terram iſtam viſibilem inhabitabunt, ac meliorem in ea vitam perpetuò ducent, quàm vllus vnquam mortalium duxerit.

III. In contrarium eſt: nam paruuli decedentes cum peccato originali, ſunt Dei inimici, atque ab eo auerſi, ac reprobi, & in perpetuum ſuſtinebunt pœnam damni, quamuis eam non cognoſcent, & ideo non afficientur triſtitia propter illam: ergo poſt diem iudicij non ducent meliorem in naturalibus vitam, vitio, omni mentis, & corporis immunem, quàm vllus vnquam mortalium duxerit.

Hanc difficultatem ſuper caput 52. Iſaiæ breuiter tetigi, ſed nunc latiùs eſt examinanda, & diſſoluenda, circa quam tria ſunt determinanda.

Primum: Vtrùm reuerà paruuli decedentes cum ſolo originali detrudendi ſint in perpetuum in Limbum, aut in alium locum ſubtus terram exiſtentem; an verò inhabituri ſuper terram. Secundum: An ſint habituri fœlicitatem aliquam naturalem, omni vitio mentis, & corporis immunem. Tertium: Vtrùm paſſuri ſint propter peccatum originale pœnam aliquam ſenſibilem, quamuis mitiſſimam.

IIII. Paruuli cum orig. peccat. decedentes ſtatim recipiuntur in limbo.

PRima ergo concluſio ſit, Ante diem vniuerſalis iudicij omnes paruuli decedentes in ſolo peccato originali, ſiue in lege naturæ, ſiue in lege ſcripta, ſiue in lege gratiæ deceſſerint, ſtatim recipiuntur in limbo puerorum, & in eo exiſtent concluſi vſque ad diem vniuerſalis iudicij. In hac concluſione conueniunt omnes Catholici. Et, vt ait M. Sotus in 4. diſt. 48. quæſt. 2. art. 4. ad 4. recepta eſt Patrum omnium ſententia, quam docet ſanctus Auguſtinus libro de Bapt. paruulorum, & refertur de conſec. diſt. 4. capit. Nulla præter. Idem docent Theologi, qui cum Magiſtro Sententiarum, & ſanctis Patribus diſtinguunt quinque receptacula animarum poſt mortem. Primum eſt cœlum Empyreum, ſecundum eſt Infernus, tertium Purgatorium, quartum Limbus puerorum, quintum Limbus Patrum. Quorum diſtinctionem, & ſufficientiam ex ſacris literis colligit Sotus. Et Concilium Florentinum in decretis fidei expreſſam facit mentionem trium ex prædictis receptaculis: ſic enim loquitur: *Item definimus, ſi verè pœnitentes in Dei charitate deceſſerint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commiſſis ſatisfecerint, & omiſſis, eorum animas pœnis purgatorij purgari: &, vt à pœnis huiuſmodi releuentur, prodeſſe his vinorum fidelium ſuffragia, Miſſarum ſcilicet ſacrificia, orationes, & eleemoſynas, & alia pietatis officia, quæ à fidelibus pro aliis fidelibus fieri conſueuerunt, ſecundum Eccleſiæ inſtituta. Illorum etiam animas, quæ poſt baptiſma ſuſceptum nullam omnino peccati maculam incurrunt; illas etiam, quæ poſt contractam peccati maculam, vel in ſuis corporibus, vel eiſdem exutæ corporibus (prout ſuperiùs dictum eſt) ſunt purgatæ, in cœlum mox recipi, & intueri clarè ipſum Deum Trinum, & Vnum, ſicuis eſt, pro meritorum tamen diuerſitate, alium alio perfectiùs. Illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel ſolo originali decedunt, mox in infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus puniendas.* Alia verò duo receptacula, nempe limbus ſanctorum Patrum, & limbus puerorum, colliguntur ex locis Scripturæ, quæ adducit M. Sotus, vbi ſuprà. Nam de limbo Patrum dicitur Gen. 44. de Iacob: *Deducetis ſenectutem meam cum triſtitia ad inferos.* Et Luc. 16. appellatur idem limbus ſinus Abrahæ: de limbo autem puerorum fit mentio in capite, Nulla præter, de conſecratione, diſtinct. 4. vbi dicitur: *Nulla, præter Baptiſmum Chriſti, ſalus promittitur infantibus, quia infantes, ſi per Sacramentum, quod ad hoc eſt diuinitus inſtitutum, in credentium numerum non tranſeant, profectò in tenebris manent.* Et deſumptum eſt hoc caput ex Auguſtino libro 1. de peccatorum merit. & remiſſ. capite 16.

Receptacula quinque animarũ ſtinguuntur. Sotus in 4. diſt. 45. q. 1. artic. 1.

Magiſter in 4. diſt. 45. & Thom. eadem diſt. qu. 1. artic. 1.

V. Neceſſitatem autem, & ſufficientiam horum receptaculorum hac ratione colligunt Doctores: nam anima in hoc ſæculo in ſtatu eſt merendi, & demerendi; à corpore autem egreſſa, eo eſt in loco excipienda, quem promeruit, dum eſſet in corpore: quia in hac vita omne meritum, vel demeritum comparatur. Igitur vel meruit perpetuum præmium, quod eſt hæreditas regni cœleſtis, aut perpetuum exilium ab eodem regno: ſi præmium, tunc vel aliquod habet impedimentum, quo ab eius ingreſſu retardetur, aut nullum: ſi nullum; deſtinatum ei receptaculum eſt cœleſtis Paradiſus. Si autem quodpiam habet obſtaculum, aut eſt ratione perſonæ, propter veniale, aut mortalium reliquias, & tunc eius receptaculum eſt purgatorium: aut ratione naturæ, quia nondum erat per Chriſti mortem redempta, & ideo olim adhibebatur limbus Patrum. Si verò anima eſt in exilium relegata, tunc aut propter mortale crimen, & propter hoc obtruditur in infernum: aut propter originalem labem, & tunc recipitur in limbum puerorum. Ex his manet ſufficienter prima concluſio comprobata: nam quælibet anima, cùm exit à corpore, excipitur in aliquo ex quinque receptaculis ſuprà poſitis: ſed animæ paruulorum cum ſolo peccato originali decedentium non recipiuntur in cœlum Empyreum, quia peccato originali ſunt inquinatæ: nihil autem coinquinatum in ciuitatem illam cœleſtem introibit, vt dicitur Apoc. 21. nec etiam recipiuntur in infernum damnatorum, cùm nullum commiſerint actuale peccatum: neque in purgatorium: nam in loco illo ſolùm excipiuntur animæ decedentes in gratia, in quibus reperiuntur reliquiæ peccatorum purgandæ; aut etiam peccata venialia dimittenda: & multò minùs recipiuntur in limbo Patrum, vt ex ſuprà dictis conſtat: reſtat ergo, vt in limbo puerorum abſque ſacramẽto ſalutis decedentium excipiantur.

Secunda

VI. Paruuli omnes comparebũt in iudicio, vt cũ aliis iudicentur.

Secunda concluſio. Omnes paruuli cum ſolo originali peccato decedẽtes tempore vniuerſalis iudicij, à limbo, in quo nunc detinentur, exibunt, & coram omnium iudice præſentialiter comparebunt, vt cum aliis iudicentur. Hanc concluſionem quidam non admittunt, eo argumento conuicti: nam Apoſtolus 1. Corinth. 5. ait: *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis, prout geſſit ſiue bonum, ſiue malum.* Et ad Roman. 14. *Omnes enim ſtabimus ante tribunal Chriſti, & vnuſquiſque noſtrùm pro ſe rationem reddet Deo*: ſed paruuli nihil boni, vel mali geſſerunt in corpore: ergo non oportet eos manifeſtari ante tribunal Chriſti. Noſtra tamen concluſio, vt ait Sotus, receptiſſima eſt, & huic obiectioni reſpõdet Auguſtinus, verba Apoſtoli eſſe intelligenda de omnibus, qui dum eſſent in corpore, aliquid boni, vel mali geſſerunt, ſiue per ſeipſos, ſiue per alios; paruuli autem quamuis propria voluntate nihil geſſerint per ſeipſos, dum eſſent in corpore, id tamen geſſerunt per alios. Verba Auguſtini ſunt: *Scimus, quod omnes adſtemus ante tribunal Chriſti, vt ferat vnuſquiſque ſecundùm ea quæ per corpus geſſit, non ſecundùm ea, quæ, ſi diutius viueret, geſturus fuit, ſiue bonum, ſiue malum. Scimus etiam, paruulos ſecundùm ea, quæ per corpus geſſerunt, receptures vel bonum, vel malum. Geſſerunt autem non per ſeipſos, ſed per eos, quibus pro illis reſpondentibus, & renunciare diabolo dicuntur, & credere in Deum: vnde & in numero fidelium computantur, pertinentes ad ſementiam Domini dicentis*: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit. *Propter quod & illis, qui hoc Sacramentum non acceperunt, contingit quod ſequitur.* Qui autem non crediderit, condemnabitur. *Vnde & ipſi, ſicut dixi, ſi in illa parua ætate moriuntur, vtique ſecundùm ea, quæ per corpus geſſerunt, id eſt, tempore, quo in corpore fuerunt, quando per corda, & ora gerebantur ea quæ gerebantur, vel non crediderunt, quando baptizati, vel non baptizati ſunt, quando carnem Chriſti manducauerunt, vel non manducauerunt; quando & ſanguinem biberunt, vel non biberunt. Secundùm hæc ergo, quæ per corpus geſſerunt, non ſecundùm ea, quæ, ſi diu hic viuerent, geſturi fuerunt, iudicantur.* Probatur ergo concluſio euidentiſſimis ſacrarum literarum teſtimoniis, dicitur enim Matth. 25. *Et congregabuntur ante eum omnes gentes, & ſeparabit eos ab inuicem, ſicut paſtor ſegregat oues ab hœdis, & ſtatuet oues quidem à dextris ſuis, hœdos autem à ſiniſtris.* Ex quibus verbis deſumitur argumentum: nam in die vniuerſalis iudicij, erunt à dextris iudicis inter oues paruuli, qui cum Sacramẽto ſalutis deceſſerunt, vt conſtat ex cap. 24. Matthæi, vbi dicitur: *Et mittet Angelos ſuos cum tuba, & voce magna, & congregabunt electos eius à quatuor ventis, à ſummis cœlorum uſque ad terminos eorum.* Ergo etiam erunt inter eos à ſiniſtris paruuli, cum peccato originali decedentes. Probatur conſequẽtia: nam ſicut paruuli reprobi nihil per ſeipſos geſſerunt in corpore, ſed ſolùm per ſuos parentes, à quibus peccatum originale, propter quod damnantur, contraxerunt; ita etiam paruuli electi nihil per ſeipſos geſſerunt in corpore, ſed per eos, quorum miniſterio Sacramentum regenerationis ſuſceperunt.

Soto in 4. diſt. 48. qu. 2. art. 4. ad 4.

Augu. epiſt. 107. ad Vitalem, poſt medium.

Marc. 16.

VII. Secundò probatur ex illo Actor. 4. *Ipſe eſt, qui conſtitutus eſt à Deo iudex viuorum, & mortuorũ.* Vbi nulla fit exceptio paruulorum, ſed omnium mortalium iudicem eſſe Chriſtum Dominum decernitur. Et Apocal. 5. *Veniet, & videbit eum omnis oculus.* Confirmatur: nam propterea iudicium illud vltimum dicitur vniuerſale, quia vniuerſaliter in illo omnes comparebunt, vt præmium, vel pœnam à ſummo omnũ iudice Chriſto Domino recipiant. Sed contra hanc concluſionem eſt argumentum: nam paruulos, qui tunc remedio decceſſerunt, non comprehẽdet iudicis ſententia: nec enim dicetur illis, *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum*: quoniam, vt ſuprà dictum eſt, non intrabunt in regnum cœlorum, quod & Dominus docuit Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei*: nec etiam eos comprehendet illa ſententia: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis eius*: nam cruciatus ignis ſolùm debetur reprobis, qui mortaliter deliquerunt: ergo reuera non comparebunt in iudicio.

Obiectio.

A

B

C

D

E

Reſpondetur, quòd illa verba: *Ite maledicti*, quibus ſignificatur pœna damni, ſeu ſeparatio à Deo, inquãtùm eſt vltimus finis ſupernaturalis, comprehendet etiam paruulos peccato originali infectos: nam peccato originali verè correſpondet pœna damni, & carentia diuinæ viſionis, vt in Decretalibus dicit Innocẽtius, & S. Thom. q. 5. de malo, art. 1. Reliqua autem verba, ſcilicet: *Ignem æternũ*, præcipuè dirigẽtur ad eos, qui actualiter deliquerunt: nam pœna ſenſus, & internus dolor ſolùm debetur peccato actuali, vt eadem q. 5. de malo, art. 2. & 3. docet S. Thomas.

Solutio. Sententia illa, *Ite maledicti*, paruulos reprobos etiam comprehendet. Innoc. capit. maiores de baptiſmo, & eius effectu.

VIII. Paruuli reprobi poſt diem iudicij cũ ſuis corporibus detrudentur in limbo.

Tertia concluſio. Peracto iudicio, paruuli iterum detrudentur in limbum, vbi in perpetuas æternitates manebunt in morte. Hanc concluſionem docet S. Auguſt. locis inferiùs allegãdis, & eſt communis ſententia Theologorũ aſſerentiũ, eos ſub terra eſſe manſuros in tenebris, ita docet M. Sotus in 4. ſent. diſt. 48. quæſt. 2. art. 4. ad 4. argumentum. Et probatur

Primò ex ſacris literis: dicitur enim Ioan. 12. *Ego in mundum veni, vt omnis, qui crediderit in me, non maneat in tenebris*, vbi à cõtrario ſenſu videtur declarare, eos, qui actu, vel habitu non crediderunt, in tenebris eſſe mãſuros in æternũ. Sic intelligit iſtum locum S. Auguſt. cùm ait: *Hoc dicto, quid oſtẽdit, niſi in tenebris eſſe omnem, qui non credit in eum, & credẽdo efficere, ne maneat in tenebris? Has tenebras, quid niſi peccata intelligimus? Sed quodlibet aliud intelligãtur hæ tenebræ, profectò qui non credit in Chriſtum, manebit in eis, & vtique pœnales ſunt, non quaſi nocturnæ, ad quietem animantium neceſſariæ. Proinde ſi paruuli per Sacramentũ, quod ad hoc diuinitùs inſtitutum eſt, in credentium numerum non tranſeant, profectò in has tenebras remanebunt.* Item etiam Ioan. 3. dicitur: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Ex quo teſtimonio ſic arguit Augu. Paruuli non baptizati non erunt in regno cœlorũ: ergo erunt in inferno, ſcilicet in limbo. Probatur conſequẽtia: nam poſt diem iudicij non erit medius locus inter hæc duo. Verba Auguſtini ſunt: *Ecce non baptizatus, vitali etiam cibo, poculóque priuatus, duciturà regno cœlorum, vbi finis viuentium permanet Chriſtus: da mihi, præter hunc, alterum locum, vbi vita poſſit requies eſſe perennis. Primum enim locum fides Catholicorũ diuina auctoritate regnum credit eſſe cœlorum, vnde, vt dixi, non baptizatus excipitur. Secundum gehennam, vbi omnis apoſtata, vel à Chriſti fide alienus æterna ſupplicia experiatur. Tertium penitus ignoramus, imò nec eſſe in Scripturis ſanctis inuenimus. Finge Pelagiane locum ex officina peruerſi dogmatis tui, vbi alieni à Chriſti gratia vitam requies, & gloria poſſidere paruuli poſſint.*

Aug. lib. 1. de pecc. meritis, & remiſſ. cap. 24. & 25.

Augu. lib. 5. Hypog. poſt medium.

Præterea: nam omnibus illis, qui à ſiniſtris iudicis etũ, dicetur: *Ite maledicti in ignẽ æternũ*, id eſt in locum pœnarum, propriis delictis correſpondentium: nam vt docet S. Thomas, ignis æternus, ſeu ſupplicium pœnam damni aliquando ſignificat, quæ eſt carentia diuinæ viſionis, & ſic intelligit illud dictum Auguſtini de fide ad Petrum, capit. 27. *Firmiſſimè tene, & nullatenus dubites, paruulos, qui ſine Sacramento baptiſmatis de hoc ſeculo tranſierunt, æterno ſupplicio puniendos.* Sed paruuli abſque Sacraméto regenerationis decedentes, erunt in die iudicij à ſiniſtris iudicis inter hœdos: ergo, iuxta eiuſdem iudicis ſententiam, ibunt in locum pœnarum, correſpondentium peccato originali, propter quod ſolùm damnantur; quod ſtatim

S. Thom. in 2. diſt. 33. q. 1. ar. 1. ad 1.

Digitized by Google

Matth. 24. ipſe Dominus explicuit, cùm ſubdit: *Et ibunt hi in ſupplicium æternum, iuſti autem in vitam æternam.* Cùm ergo locus pœnæ damni deputatus iis, qui cum ſolo originali peccato deceſſerunt, ſit limbus puerorum, & non ſuperficies terræ: relinquitur, in die iudicij prædictos paruulos in carcerem illum tenebroſum eſſe detrudendos. Idem docet, & probat latiùs libro primo contra duas epiſtol. Pelag. cap. 12 cuius verba adduximus, & expendimus ſuprà, cùm de originali peccato ageretur.

Secundò probatur ex Ioanne Papa VIII. in epiſt. ad Anſelmum Lemouic. Eccleſiæ Epiſcopum, & refertur capite Ad limina beatorum, 30. q. 2. vbi docet, paruulos decedẽtes ſine baptiſmate ſub poteſtate auctoris mortis, & tenebrarum permanſuros. Verba Pontificis ſunt: *Vnde ſi ſupra dictus genitor filium ſuum corpore morientem aſpiciens, ne animam perpetua morte perentem dimitteret, ſacri vnda baptiſmatis lauit, vt eum de poteſtate auctoris mortis, & tenebrarum eriperet, & in regnum Chriſti iam regnaturũ ſine dubitatione tranſmitteret, bene feciſſe laudatur.* Idem etiam S. Auguſt. libr. de fide ad Petrum, cap. 27. & refertur de conſecratione, diſt. 4. cap. *Firmiſſimè*, inquit, *firmiſſimè tene, & nullatenus dubites, non ſolùm homines iam ratione vtẽtes, verùm etiam paruulos, qui ſine vſu rationis matrum viuere incipiunt, & ibi moriuntur, ſiue etiam de matribus nati, ſiue Sacramẽto ſancti Baptiſmatis, quod datur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, de hoc ſæculo tranſeunt, ſempiterno igne puniendos: quia etſi propriæ actionis peccatum nullum habuerunt; originalis tamen peccati damnationem carnalis conceptione, & natiuitate traxerunt.*

Tertiò probatur ratione: nam, vt ſuprà dictum eſt, ante diem iudicij omnes paruuli, cum ſolo originali peccato decedentes, vincti manent in limbo, tanquam in carcere tenebroſo: ſed nulla poteſt ſufficiẽs ratio aſſignari, propter quam iudicio peracto, debeant ab illo carcere liberari, cùm etiam poſt diem iudicij verè ſint reprobi, Dei inimici, ac peccato originali infecti, propter quod ad illud ergaſtulum ſunt damnati: ergo.

Confirmatur: nam ſicut illi, qui cum peccato mortali deceſſerunt, detruduntur in infernum, vt igne crucientur, ita & paruuli, propter peccatum originale, ſtatim poſt mortem detruduntur in limbum, vbi pœna damni afficiuntur: ſed illi poſt diem iudicij non liberabuntur à ſuo carcere, ſed in inferno perpetuò manebunt: ergo neque iſti à limbo, ſed ad illum iterum reuertentur.

IX. Paruuli poſt diem iudicij vitam beatã, etiam naturalem, non habebunt.

Quarta concluſio. Dici non poteſt, paruulos poſt diem iudicij in corporibus reaſſumptis fœlicitatem naturalem eſſe habituros, aut meliorem in naturalibus vitam, omni vitio mentis, & corporis immunem ducturos, quàm vllus vnquam mortalium duxerit. Concluſio eſt S. Auguſtini locis ſuperiùs allegatis, & infrà adducendis. M. Soti vbi ſuprà. Et probatur, Primò: nam, vt dictum eſt, illi paruuli erunt in morte, ac damnatione perpetua; & in tenebris ſubtus terram in reaſſumptis corporibus exiſtent: ſed cum iis minimè compatitur hominis fœlicitas naturalis, aut melior vita in naturalibus, quàm vllus vnquam mortalium duxerit: ergo.

Secundò probatur ex S. Auguſt. epiſt. 106. ad Bonifacium, vbi explicans illud Apoſtoli: *Per vnum hominem peccatum, & per peccatum mors*; & illud: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur: Vnde fit*, ait, *quòd infantes non baptizati, non ſolùm regnum cœlorum, verùm etiam vitam æternam habere non poſſint?* Et libro ſecundo de anima, & eius origine, cap. 12. explicans illud Marci 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur*, ait: *Cuius myſterium credulitatis in paruulis per eorum reſponſionem, à quibus geſtantur, impletur; ne, ſi factum non fuerit, eant ex vno omnes in condemnationem: & tamen contra tam manifeſtas voces, quas concutit veritas, procedit in medium magis vecors, quàm miſericors vanitas, & dicit: Non ſolùm non erunt in damnatione paruuli, & ſi nullum eos Chriſtianæ fidei lauacrũ à vinculo originalis peccati abſoluat, verum etiam fœlicitate paradiſi poſt mortem interim perfruentur, poſt reſurrectionẽ verò etiam regni cœlorum fœlicitatem poſſidebunt. Hæc iſte contra Catholicam, fundatiſſimámque fidem nunquid dicere auderet, ſi quæſtionem ſoluẽdam de animæ origine, vires ſuas excedentem, ſuſcipere non auderet?* Quibus verbis apertè impugnat illam doctrinã quæ paruulis non baptizatis fœlicitatem concedit poſt mortem, & idem docuerat libro 1. capite 9.

Tertiò probatur: nam paruulus peccato originis infectus differt à paruulo, qui abſque vllo peccato in puris naturalibus naſceretur: ergo etiamſtatus, quem habebit poſt vniuerſalem reſurrectionem, differt ab eo, quem haberet, ſi in puris naturalibus conditus fuiſſet: ſed non poteſt aſſignari alia differentia, niſi, quia exiſtens in peccato originali eſt in perpetua miſeria, nullâque fœlicitate naturali etiam poſt reſurrectionem perfruitur, quam tamen haberet in puris naturalibus: ergo.

Quartò. Peccatum originale inficit non ſolùm animam, ſed etiam eius potẽtias, vt ſuprà dictum eſt, ac per conſequẽs, eſt vitium mentis, omni vitio corporis deterius; cùm ergo paruuli, etiam poſt reſurrectionem, ſint in peccato originali, in quo deceſſerũt, permãſuri: relinquitur, eos nõ eſſe habituros meliorẽ in naturalibus vitam, omni vitio mentis, & corporis immunem, quàm vllus vnquam mortalium duxerit.

Quintò. Id probat M. Sotus, vbi ſuprà: nam, cùm paruuli in hac vita nullam acquiſierint ſcientiam, neque ſuis meritis debeatur, vt poſt mortẽ ſibi diuinitùs ſcientiæ naturales infundantur, nulla apparet ratio, propter quam debeant illis poſt mortem à Deo infundi, vt perfectam omnium rerum naturaliũ cognitionem habeant, in qua fœlicitas naturalis conſiſtit: non ergo eſt dicendũ, illos fœlicitatẽ naturalem eſſe habituros, aut vitam in naturalibus magis perfectam, quàm vllus vnquam mortalium duxerit.

X. Paruuli reprobi etiam poſt diẽ iudicij nullam patiẽtur pœnam ſenſus, ſed ſolùm damni.

Quinta concluſio. Paruuli cum ſolo peccato originali decedentes, nulla prorſus, etiam poſt diem iudicij, afficientur pœna ſenſus, ſed ſolùm punientur pœna damni, quæ in carentia viſionis diuinæ cõſiſtit, & hæc eſt pœna mitiſſima, quam illis inferendam eſſe docet Auguſtinus. Ita docet expreſsè Innocentius III. in capite Maiores, de baptiſmo, & eius effectu, vbi ait peccati originalis pœnam eſſe carentiam diuinæ viſionis: actualis autem, gehennæ perpetuum cruciatum. Eandem ſententiam docet S. Thomas, quæſt. 5. de malo, art. 2. & ait eſſe communem: eam docet Magiſter in 2. diſt. 33. S. Thomas eadem diſt. quæſt. 2. art. 1. & alij plures Doctores. Probat hanc concluſionem S. Thom. triplici ratione. S. Tho. art. 2. cit. ex q. 5 de malo.

Primo: quia perſona qualibet eſt aliquorum naturæ ſuppoſitum: & ideo ad ea, quæ ſunt naturæ per ſe, & immediatè ordinatur: ad ea verò, quæ ſunt ſuper naturam, ordinatur mediante natura. Quod ergo detrimentum aliquod patiatur aliqua perſona in his, quæ ſunt ſuper naturam, poteſt contingere vel ex vitio naturæ, vel ex vitio perſonæ. quòd autem detrimentum patiatur in his, quæ ſunt naturæ, hoc non videtur poſſe contingere, niſi propter vitium proprium perſonæ. Vt autem ex præmiſſis patet, peccatum originale eſt vitium naturæ, peccatum autem actuale eſt vitium perſonæ: gratia autem, & viſio diuina ſunt ſuper naturã humanam. Et ideo primatio gratiæ, & carentia viſionis diuinæ debetur alicui perſonæ, non ſolùm propter actuale peccatum, ſed etiam propter originale. Pœna autem ſenſus ponitur integritati naturæ, & bono eius habitudinis: & ideo pœna ſenſus non debetur alicui, niſi propter peccatum actuale.

Secundò:

Secundò: quia pœna proportionatur culpæ: & ideo peccato actuali mortali, in quo inuentur auersio ab incommutabili bono, & conuersio ad bonum commutabile, debetur & pœna damni, scilicet carentia visionis diuinæ, respondens auersioni, & pœna sensus respondens conuersioni. Sed in peccato originali non est conuersio, sed sola auersio, vel aliquid auersioni respondens, scilicet destitutio animæ à iustitia originali: & ideo peccato originali non debetur pœna sensus, sed solum pœna damni, scilicet carentia visionis diuinæ.

Tertiò: quia pœna sensus nunquam debetur habituali dispositioni. Non enim aliquis punitur ex hoc, quòd est habilis ad furandum, sed ex hoc, quod actu furatur: sed habituali priuationi, absque omni actu debetur aliquod damnum, puta qui non habet scientiam literarum, ex hoc ipso indignus est promotione ad Episcopalem dignitatem. In peccato autem originali inuenitur quidem concupiscentia per modum habitualis dispositionis, qua paruulum facit habilem ad concupiscendum, vt Augustinus dicit: adultum autem actu concupiscentem. Et ideo paruulo defuncto cum originali non debetur pœna sensus, sed solum pœna damni: quia scilicet non est idoneus perduci ad visionem diuinam propter priuationem originalis iustitiæ.

Aug. serm. 45 de tem.

Aug. lib. de fide, & operib. c. 3. circa med. tom. 3.

Nec obstat, quòd Augustinus dicit: Paruuli decedentes experientur gehennam: ibi enim per gehennam intelligitur pœna & punitur species pro genere. Sic etiam intelligitur id, quod dicit libro de fide ad Petrum, capite 27. eosdem paruulos æterno supplicio esse puniendos, vt explicat S. Thom. artic. 2. cit. ad 1. argumentum.

XI. Sexta conclusio. Paruuli cum solo originali decedentes nullum prorsus dolorem internum, vel tristitiam patientur propter carentiam diuinæ visionis.

Paruuli cum solo origin. pec. decedẽtes nullã internã patiẽtur tristitiã propter carentiam visionis beatæ.

Conclusio est expressa S. Thom. q. 1. de malo, art. 3. Et in 2. sent. d. 33. q. 2. art. 2. quam etiam docent communiter Doctores, præsertim allegati suprà. Et probatur triplicitatione S. Thom. Primò: nam dolor, seu afflictio pœnæ debetur delectationi culpæ, secundùm illud Apoc. 18. *Quantum glorificauit se, & in deliciis fuit, tantum date ei tormentum & luctum*, sed in peccato originali, nulla fuit delectatio: hæc enim tenet se ex parte conuersionis ad bonum commutabile, peccatum autem originale consistit formaliter in priuatione originalis iustitiæ, vt suprà dictum est: ergo.

Secundò. Interior afflictio est multò magis pœnalis, & multò magis opponitur mitissimæ pœnæ, quam S. Aug. eisdem paruulis attribuit, sed in illis non erit aliqua pœna sensus, vt suprà dictum est: ergo nec interior afflictio, aut dolor, seu tristitia.

Aug. Ench. c. 93. in tom. 3.

Tertiò. Quamuis animæ illorum puerorum à corpore separatæ naturali cognitione non careant, qualis debetur animæ separatæ, secundùm suam naturam; nihilominùs carent supernaturali cognitione, quæ hîc in nobis per fidem plantatur; eò quòd neque hic fidem habuerunt in actu, nec sacramentum fidei susceperunt. Cùm ergo illa gloria, quam Sancti possident, sit supra cognitionem naturalem, & solùm innotescat nobis per reuelationem diuinam, secundùm illud: *Neque oculus vidit, neque auris audiuit, neque in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligẽtibus se, nobis autem reuelauit per Spiritum suum*: relinquitur, paruulos non cognoscere se propter originale peccatum priuatos esse beatitudine supernaturali, neque an sit talis beatitudo, ac per consequens non dolent, se eandem beatitudinem propter originale peccatum, quod etiam ignorãt amisisse, sicut homo diues non doleret, si latro ab eo abstulisset mille aureos, polito, quòd ignoraret, se eisdem aureis priuatum fuisse.

1. Corint. 2.

XII. Sed contra hanc rationem est argumentum difficile: nam omnes paruuli comparebunt in vniuersali iudicio, vt præmium recipiant, vel pœnam iuxta ea, quæ per alios gesserunt, vel non gesserunt, dum essent in corpore: sed in iudicio opponitur, & detegitur reis delictum, propter quod damnantur, & sic nota eis pœna infligenda: ergo saltè, olt diem iudicij recognoscent, se propter originale peccatũ priuatos esse gloria beatorum, & ad carcerem perpetuum iustè damnatos, ac per consequens dolebunt ex hîc, & magna tristitia afficientur, quòd regnum illud, ad quod per lauacrum regenerationis peruenire poterant, culpa originali amiserint.

Respondent quidam recentiores Theologi, quod, quemadmodum eorum corpora post diem iudicij nihil mali accipient à contrarijs, vel a causis extrinsecùs agentibus, sic etiam eiusmodi notitia nihil mœroris, doloriue inferet, quia Deus suam operationem summouebit, & subtrahet, ita vt eorum voluntas nihil tristetur, ac doleat. Et, si fiat argumentũ: nam id est ponere miraculum, sine necessitate; respondent, id miraculo tribuendum non esse, quin sicut cæteræ causæ naturales tunc temporis non agẽt secundùm consuetum in hac vita naturæ ordinem, sed iuxta præscriptas diuinæ iustitiæ leges; sic etiam mentis notitia, quæ nunc naturaliter solet tristitiam parere; tũc nullum inducet, inferétve mœrorem, diuinitùs impedita. Et videtur hæc solutio habere fundamentum in S. Thom. quæstione 5. de malo, artic. 2. ad 5. vbi assignatur, rationem, propter quam corpora illorum puerorum post resurrectionem, cùm dotem impassibilitatis non habeant, ad præsentiam causarum extrinsecùs agentium, pœnam sensus non patiantur; ait, *quòd in statu futuræ vitæ, ignis, & alia huiusmodi actiua non agunt in animas, nec in corpora hominum, secundùm necessitatem naturæ: sed magis secundum ordinem diuinæ iustitiæ, quia ille status est recipiendi pro meritis. Vnde cùm diuina iustitia non exigat, quod pueri, qui cum solo originali peccato decesserunt pœna sensus debeatur, nihil ab huiusmodi actiuis tale patientur.*

Paruuli cum solo orig. pec. decedẽtes, nullam cognitionẽ habebũt supernaturalis beatitudinis.

Hæc tamen solutio reuerà non est ad mentem S. Thomæ: nam in locis superiùs allegatis solùm tribuit paruulis cum solo originali decedentibus cognitionem naturalem, & expressè negat, eos cognoscere supernaturalem beatitudinem, & propter originale peccatum, se eadem beatitudine priuatos esse: nec distinguit de pueris ante, vel post diem iudicij. Præterea: nam vt illa subtractio concursus generalis, vel notitia, quæ nunc solet naturaliter dolorem parere, non afficiat tristitia paruulos, sine miraculo esse non potest, cùm naturaliter hominem torqueat cognitio priuationis boni, quod potuit habere, & sua culpa, atque suorum negligentia amisit. Nec est eadem ratio de causis extrinsecè agentibus, aut inferentibus pœnam sensus: nam cessante motu primi mobilis, quod absque dubio post diem vniuersalis iudicij cessabit, naturaliter cessat omnis alius motus, vel alteratio inferiorum agentium corporalium, eo quòd, vt docet S. Thom. omnis motus, & alteratio corporum inferiorum à motu cœlestium corporum, & præsertim primi mobilis, dependet. Et ideo absque vllo miraculo, licèt pueri donum impassibilitatis nõ habeant, pati non poterunt post diem iudicij pœnam sensus ab vllo agente corporali. Cæterùm afflictio interna ex motu primi mobilis per se non dependet. Vnde, sicut fuit miraculum, quòd Deus cum igne fornacis Babylonis non concurreret ad molestiam inferendam tribus pueris, ita etiam esset miraculum, si suam operationem, vel concursum generalem subtraheret, ne pueri contristarẽtur, & dolerent carentia diuinæ visionis procedente ex peccato originali, si semel constituantur in illis post diem iudicij eiusdem priuationis cognitio.

S. Th. 1. p. q. 115. a. 5 & 1. 2. q. 109. ar. 1. in corp. & art. 9.

Aliter ergo respondetur ad argumentum, quòd cùm paruuli non damnentur propter aliquam culpam actualem, seu personalem, sed propter originale pec

le peccatũ, quod pertinet ad naturam, non est necessariũ, quòd illis in die iudicij reueletur, seu manifestetur culpa originalis, propter quam damnantur: nam, vt docet S. Thom. *Etiam pueri ante perfectam ætatem decedentes in iudicio comparebunt, non vt iudicentur, sed vt videant gloriam iudicis.* Et, si fiat argumentum: nam sequeretur, quòd etiam infidelibus adultis non sit reuelandum in die iudicij, se propter peccatum originale, & actuale priuatos esse beatitudine supernaturali: nam illi etiam non resurgent, neque apparebunt in iudicio, vt iudicentur, quia, vt dicitur Ioann. 3. *Qui non credit, iam iudicatus est*: sed comparebunt ad gloriam iudicis intuendam, vt in eodem art. 5. ad 2. ait S. Thom. Respondetur, negando consequentiam: nam infideles adulti damnabuntur, non solùm propter peccatum originale, sed etiam propter actualia, propter quæ pœna sensus, & interiori afflictione, ac verme conscientiæ, qui non morietur, torquendi sunt, & ideo ad eorum statum, & damnationem pertinet, vt gloriam, & beatitudinem supernaturalem, quam propria culpa amiserunt, ad suam ipsorum confusionem cognoscant, secundùm illud, quod dicit Isai. *Videant, & confundantur zelantes populi, & ignis hostes tuos deuoret*, vnde Psalmista canit: *Peccator videbit, & irascetur; dentibus suis fremet, & tabescet: desiderium peccatorum peribit.* Hæc autem non habent locũ in paruulis; vnde nõ est simile.

S. Tho. in addit. in 3. p. q. 89. ar. 5. ad 3. Obiectio. Responsio. Isai. 26. Psalm. 111

XIII.

A Dprimum argumentum respondetur, quòd in illo loco non fit cõparatio inter abortiuum ex vna parte, & homines mortuos, aut viuentes ex alia, sed inter hominẽ qui nunquã fuit, & hominem mortuum, vel viuentem. Et ratio huius est: nam aliàs extrema illius comparationis coinciderent inter se: quod sic ostenditur: nam, vel fœtus abortiuus erat animatus, vel non; si erat animatus, computatur planè inter mortuos, & ita fieret cõparatio eiusdem ad seipsum, scilicet hominis mortui ad hominem mortuum. si autem non erat animatus, ergo nõ fuit homo: nam ante infusionem animæ non est homo, nec cõtrahit subinde originale peccatum. Legitima ergo illius loci explicatio est, quam assignat S. Hieronymus; quòd scilicet præstantius sit, seu minùs malum, simpliciter loquendo, omnino non esse; quam infœliciter esse, vel viuere, scilicet cum peccato actuali. Dicitur enim Marc. 14. de Iuda proditore. *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.* Et Apocalypsis 9. *In diebus illis quærent homines mortem, & non inuenient eam, & desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis.*

Abortiui nomine quid Iob intelligat.

Obiectio. Et, si fiat argumentum: nam licèt, pro summa miseria cauenda, optabilius sit non esse, quàm infœliciter esse, tamẽ non est optabilius omnino nõ esse, quàm videre calumnias innocentum, & neminem consolatorem: Ecclesiastes autem loquitur de ipsis videntibus calumnias innocentum, vt constat ex ipsa litera. Respondetur, ea, quæ diximus, locum habere in principibus, de quibus loquitur Salomon: illis enim plurimæ calumniæ, & iniustitiæ, quæ fiunt innocentibus, imputantur ad culpam; quia vel sunt earum directa causa, cùm fieri præcipiunt: vel indirecta, quia prohibere poterant, & debebant, & non prohibuerunt, & ita peccatum mortale committũt, quod est grauius malum, & in statu detentionis hominem constituit, quàm dum non erat omnino. Cuius ratio est: nam bonum, cui formaliter opponitur peccatum mortale, est esse diuinũ, quod participamus per gratiã: hoc autem bonũ multò excellentius est, quàm vita rationalis, aut esse naturale, quod per creationem accipimus, cùm sit superioris ordinis: ergo malus ma-

Solutio.

A lum est, bonum illud diuinum amittere per peccatũ, quàm natũ nõ fuisse. Hinc est illud, quod in persona damnatorũ dicitur Sap. 5. *Nisi continuò desijmus esse, & in malignitate nostra consumpti sumus.* Ac si dicerẽt: Peccata nostra, quod accepimus, consumpserunt. Secundò potest explicari locus ille, ita vt Salomon loquatur more concionatorũ malum illud exaggerãdo, ac si diceret: Ea tristitia sum affectus, videns calumnias innocentũ, vt optassem potiùs mortem, aut nũquam fuisse, ne tanta mala oculis meis viderem: tam longè esse à calumniis, quæ innocentibus fiunt, desidero, sicut sunt mortui, vel potiùs illi qui nunquam esse habuerunt.

XIV.

Paruuli omnes resurgẽt in virili ætate, & absque vllo defectu naturali corporis.

Ad auctoritatem Lyrani respondetur, quòd pueri solo peccato originali infecti, resurgent in virili B ætate, & absque omni deformitate, tam prouenientе ex defectu alicuius membri, quàm ex indebita partiũ dispositione, vel ex indebita quantitate, vel qualitate, aut situ, & similibus defectibus; sicut sunt febres, & aliæ huiusmodi ægritudines, vt in 4. d. 44. q. 1. ar. 2. quæstiunc. 1. & eiusdẽ d. q. 3. art. 1. quæstiunc. 1. docet sanctus Thom. loquens de damnatis. Et quantũ ad hoc, certum est, paruulos melìorem vitam esse ducturos post diem iudicij, quàm ducant mortales in hoc sæculo. Item etiam, vt docet S. Th. cognoscẽt beatitudinem naturalem, & diligent Deum, vt est auctor naturæ, & non erunt separati à Deo, quantùm ad participationem naturalium bonorum, quæ cognoscunt; quia tamen erunt à Deo separati, vt est finis supernaturalis, & peccato originali infecti; ideo, simpliciter loquendo, non habebunt fœlicitatem naturalem, aut vitã perfectioré in naturalibus, C quàm vllus vnquam mortalium duxerit, & hoc tantùm intẽdit docere Lyranus cum Doctoribus superiùs allegatis. Et per hæc patet solutio ad secundum, & similiter ad alia loca adducta.

Tho. q. 5. de malo. a. 2. ad 4. & 2. sent. dist. 33. q. 2. a. 2. in corp.

Ad tertium respondetur, negando maioremiam enim disp. 45. & duabus seqq. ostensum est, hominem in natura lapsa non differre ab homine in puris naturalibus constituto, in eo dumtaxat, quòd vnus sit nudus, alter verò nudatus, sed etiam, quia in natura lapsa vulneratus est, & læsus in naturalibus per peccatum, cum quo non compatitur fœlicitas etiam naturalis: at in puris naturalibus non esset vulneratus per peccatum, & ideo non est simile.

XV.

Mundi innouatio ad quid sit futura.

Ad quartum respondetur, quòd innouatio mundi non ideo est futura, vt paruuli decedentes cum D originali peccato super faciem terræ inhabitent, sed propter perfectionem vniuersi, & in testimonium gloriæ beatorum, vt dicit M. Sotus; quod etiam innuere videtur Apostolus, cùm ait: *Nam expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat. Vanitati enim creatura subiecta est non volens, sed propter eum, qui subiecit eam in spe: quia & ipsa creatura liberabitur a seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Scimus enim, quòd omnis creatura ingemiscit, & parturit vsque adhuc.* Quibus verbis, vt explicat S. Tho. significatur, creaturas sensibiles, quæ nunc vanitati, id est, mutabilitati subiiciuntur, in renouatione mundi ab huiusmodi mutabilitatibus esse liberandas in libertatem gloriæ filiorum Dei, quia videlicet hoc etiam libertati gloriæ filiorum Dei congruit, vt sicut ipsi sunt innouati, ita etiam eorum habitatio innouetur, secundùm illud Isaiæ 65. *Ecce creo cælos nouos, & terram nouam & non erunt in memoria priora*, id est, prior mutabilitas creaturæ non erit ampliùs.

Sot. vbi suprà ad 4. argument. Rom. 8. & 9.

S. Tho. Lect. 4. in 3. expos.

Ad quintum patet solutio per ea, quæ in 5. & 6. conclusione dicta sunt.

FINIS LIBRI VNDECIMI.

DE

DE AVXILIIS

DIVINÆ GRATIÆ,

ET HVMANI ARBITRII VIRIBVS, ET LIBERTATE,

AC LEGITIMA EIVS CVM EFFICACIA eorundem Auxiliorum concordia,

Liber duodecimus,

IN QVO AGITVR DE LEGITIMA RATIONE concordandi libertatem Arbitrij creati cum certitudine, & infallibilitate Præscientiæ, & Prouidentiæ, ac Prædestinationis Diuinæ, & cum efficacia Auxiliorum Gratiæ.

POSTQVAM de omnibus auxiliis diuinæ gratiæ, tam extrinsecis, quàm intrinsecis disputatum est in præcedentibus: restat, vt in hoc vltimo libro explicemus, qualiter cum efficacia eorundem auxiliorum illæsa conseruetur arbitrij creati libertas. Et quoniam concordia duorũ extremorum cognosci nõ potest, nisi priùs vtriusque extremi natura dignoscatur, antequam ad declarandam legitimam concordiam gratiæ, & liberi arbitrij deueniamus, necessarium erit quasdam difficultates circa naturam eiusdem arbitrij dissoluere: nam de altero extremo, scilicet de auxilij efficacis quidditate, iam in superioribus dictum est. Igitur circa naturam liberi arbitrij, ac illius concordiam cum infallibilitate præscientiæ, prouidentiæ, & prædestinationis Diuinæ, octo sunt consideranda.

I. Quænam sit legitima definitio, ac propria natura liberi arbitrij.

II. Vtrùm indifferentia sit de essentia potẽtiæ liberæ, & in qua indifferẽtia cõsistat formaliter libertas.

III. Vtrùm liberum arbitrium creatum verè, & propriè habeat dominium sui actus, & quale sit huiusmodi dominium.

IIII. Vtrùm concordia liberi arbitrij cum infallibilitate præscientiæ, prouidentiæ, & prædestinationis diuinæ possit naturali ratione demonstrari.

V. Vtrùm per potentiam Dei absolutam possit aliqua creatura citra visionem beatificam habere euidentem cognitionem mysterij Trinitatis, vel aliorum, quæ per se pertinent ad fidem.

VI. Varij modi concordiæ liberi arbitrij cum gratia, qui assignantur à diuersis Theologis, referuntur, & confutantur.

VII. Antiqua, & legitima cõcordia liberi arbitrij cũ infallibilitate diuinæ prædestinationis, & efficacia auxiliorũ gratiæ statuitur, explicatur, & defenditur.

VIII. Epilogus ferè omnium, quæ in præcedentibus disputationibus dicta sunt, subiungitur, continens propositiones viginti.

DISPVTATIO CXV.

Quænam sit legitima definitio, ac propria natura Liberi Arbitrij.

DOCTORES quidam recentiores dixerunt, liberum arbitrium esse id, quod, positis omnibus ad agendum requisitis, potest agere, & non agere, aut ita agere vnum, vt contrarium etiam agere possit. Hæc definitio liberi arbitrij sub hac forma neque apud Arist. neque apud Magistrum sent. neque apud S. Thom. inuenitur, sed apud aliquos nominales: quæ definitio, quamuis possit verum sensum, & Catholicum habere; in illo tamen sensu, in quo ab aliquibus explicatur, non videtur posse subsistere. Intelligunt enim hanc definitionem, ita vt, positis omnibus requisitis antecedenter ad actum liberum, & ad influxum actualem, quo voluntas influit in illum, liberum arbitrium possit, etiam in sensu composito, operari illum actum, & non operari, sed suspendere illum; aut etiam elicere actum contrarium. Procedit hæc sententia ex mala intelligentia sensus compositi, & diuisi, de quo disp. 93. & 94. egimus ex professo. Ex quo inferunt, esse necessarium ad veram libertatem, & vsum illius, quòd motio, qua Deus mouet voluntatem ad consensum, possit simul stare in eodem libero arbitrio, & componi cum dissensu contrario. I.

Probant hoc. Primò: nam id postulat interna vis, & indifferentia intrinseca facultatis liberæ: nam alioqui, si in sensu diuiso verbum illud, *potest*, in definitione liberi arbitrij positum interpretemur, destruetur proprium libertatis priuilegium. Erit enim sensus, quòd cum illa potentia, & omnibus ad agendum

agendum requisitis, ita coniungitur actus, vt, quantùm est ex se, possit etiam cum illa coniungi carentia actus, si aliquod ex prædictis requisitis auferatur. Hæc autem non est vera libertas: nam etiam igni conuenire potest: ita enim calefacit, præsente ligno, vt possit cessare, si lignum remoueatur: ergo ad veram libertatem requiritur necessariò, quòd, positis omnibus requisitis ad agendum, possit operari, & non operari etiam in sensu composito.

Secundò: nam Beatus ex necessitate absoluta, & non liberè, voluntate contradictionis, aut contrarietatis diligit Deum clarè visum, & tamen in sensu diuiso potest à Dei amore cessare, si videlicet visione beatifica priuetur, ad quam ex necessitate actus dilectionis sequitur: ergo non sufficit ad potentiam liberam respectu alicuius actus, & ad illius liberum vsum; quòd, positis omnibus requisitis ad operandum, possit in sensu diuiso non operari, sed necesse est, quòd id possit etiam in sensu composito.

Confirmatur: nam, etiamsi ipsum actum amandi inuoluas, qui actu amat, potest odisse in sensu diuiso, sicuti res alba potest esse nigra: ergo potestas operandi, & non operandi, quæ ponitur in definitione liberi arb. non est intelligenda in sensu diuiso, aliàs non esset homo magis liber, & indifferens, antequam operetur, quàm dum operatur.

II. Tertiò: quia si liberum arbitrium creatum, positis omnibus requisitis ad operandum, non posset in sensu composito non operari, maximè quia vnum ex requisitis antecedenter ad nostrum actum liberum, est motio Dei efficax, prædeterminans physicè liberum arbitrium ad consensum, qua posita, infallibiliter sequitur talis actus; sed talis motio non est requisita antecedenter ad operandum; aliàs, qui non haberet illam motionem, non posset operari, ex defectu principij actiui, necessariò prærequisiti, & ita nunquam imputaretur ei ad culpam omissio actus, & qui illam habet, non posset non operari; & ita periret omnino libertas nostri arbitrij: ergo.

Confirmatur omnibus argumentis, quibus disp. 23. contendebamus probare, huiusmodi physicam prædeterminationem repugnare creatæ libertati, non solùm quantùm ad illius vsum, sed etiam quantùm ad ipsam liberam facultatem.

Quartò In Concil. Trid. sess. 6. cap. 5. de iustificat. dicitur, quòd, tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, liberè illam inspirationem recipit, *quippe qui illam abiicere potest*. Et can. 4. definitur, lib. arb. à Deo motum, & excitatum posse eidé motioni *dissentire si velit*. Vbi Conc. loquitur de homine, qui actu tangitur, & actu mouetur à Deo; ergo loquitur in sensu composito. Sentit ergo, ad libertatem arbitrij esse necessarium, quòd, positis omnibus requisitis ad operandum ex parte Dei, possit adhuc lib. arbitrium pro sua innata libertate operari, & non operari, etiam in sensu composito.

Confirmatur ex Con. Senon. d. creto fidei decimoquintò, vbi, postquam contra Pelagianos docuit, voluntatem creatam indigere gratiæ præuenientis auxilio, vt se conuertat in Deum, subdit contra Lutherum: *Nec tamen tanta gratiæ necessitas libero præiudicat arbitrio, cùm illa semper sit in promptu, nec momentum quidem præterea, in quo Deus non stet ad ostium, & pulsetenus si quis aperuerit tantum, introibit ad illum, & cœnabit cum illo: nec denique tale sit eiusmodi trahentis Dei auxilium, cui resisti non possit.* Et, vt probet Conc. hominem posse resistere auxilio Dei trahentis, adducit locum Matth. 23. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alis, & noluisti?* Et etiam adducit, quod dixit S. Stephanus Iudæis Actor. 7. *Vos Spiritui sancto semper restitistis*. Sentit ergo Conc. hominem motum etiam auxilio efficaci, stante illo auxilio, posse cum tota eiusdem auxilij entitate, & virtute intrinseca coniungere actualem resistentiam, ac per consequens, quòd possit illi resistere in sensu composito.

Nos autem, vt legitimam liberi arbitrij definitionem assignemus, & explicemus eius naturam, duo fundamenta necessariò supponere oportet. Supponendum est primò, quòd, vt docet Arist. & S. Thom. 9. Met. lect. 10. in causa contingenti, & libera simul est potentia ad vtrumque oppositorum; non tamen est potentia ad oppositа simul habenda, sicut in homine simul est potentia ad ambulandum, & sedendū: non tamen est potentia ad ambulandum, & sedēdum simul; & ratio est: nam potentia ad vnum actū non repugnat potentiæ ad actum contrarium, nec etiam repugnat actui contrario; actus autem contrarij repugnant inter se in eodem subiecto. Vnde liberum arbitrium creatum, non solùm antequam determinetur ad vnum actum, sed etiam in ipso instanti, in quo determinatur à Deo, & seipsum determinat ad eundem actum, simul habet potentiam, qua potest liberè producere actum contrarium; non tamen habet potentiam ad actum contrarium simul habendum: nam duo actus contrarij simul in eadem potentia esse non possunt, sed solùm successiuè. Hinc habuit ortum illa distinctio communiter à Theologis, & Metaphysicis recepta de simultate potentiæ, & potentia simultatis: est enim in libero arbitrio simultas potentiæ ad operandum, & non operandum: nam per hoc, quòd operetur vnum actum, non destruit liberam facultatem, & potentiam, quam habet ad operandum actum contrarium, si velit, vel non operandum; & similiter per hoc, quòd non operetur talem actum, non amittit potestatē operandi illum actum; non tamen est in libero arbitrio, nec esse potest potentia simultatis ad actus contrarios, vel contradictorios: nam hi simul in eodem esse non possunt. Ad hoc igitur explicandum deseruit illa distinctio sensus compositi, & diuisi, qua vtuntur communiter Doctores, vt disp. 25. visum est.

III. In causa cōtingenti, & lib. simul est potentia ad oppositа, nō tamē ad oppositа simul.

Simultas potentiæ, & potentia simultatis quid sit.

Notandum secundò, quòd, cùm dicitur potentiam liberam esse, quæ positis omnibus requisitis ad operandum, potest operari, & non operari etiam in sensu composito; hoc dupliciter intelligi potest: primò, ita vt compositio fiat inter prærequisita ad operandum, & potentiam ipsam operandi, & non operandi: & tunc sensus est, quòd potentia ad operandum, & non operandum stat simul in eodem subiecto cum antecedenter prærequisitis ad talem operationem; & hic sensus verissimus est, vt postea explicabimus. Secundo modo potest intelligi ita, vt compositio fiat inter antecedenter prærequisita ad operandum talem actum, & carentiam talis actus, seu actum ipsum contrarium: & tunc sensus est, quòd omnia prærequisita etiam ex parte Dei ad operādum talem actum particularem, & carentia eiusdem actus, seu actus contrarius possint esse, aut aliquando sint simul in eodem subiecto. In hoc ergo sensu intendimus prædictam definitionem impugnare. Vnde sit

IV. Lib. arbitr. positis omnibus requisitis ad operationem in quo sensu possit operari & non operari.

PRima conclusio. Ad liberum arbitrium necessariò requiritur, quòd positis omnibus antecedenter secundùm ordinem rationis, vel temporis ad actum prærequisitis, possit operari, vel non operari; ita videlicet, vt cum eisdem prærequisitis stet simul in libero arbitrio facultas, & potentia, qua possit operari, si velit, vel non operari, si velit. In hac conclusione conueniunt omnes Catholici: habetur enim definita in Con. Trid. vbi suprà, contra Lutherum, & Caluinum: Lutherus enim asserebat, liberum arb. meré passiuè se habere, recipiendo in se actum liberum,

In lib. arb. cum omnibus prærequisitis ad operandum stat simul potentia nō operandi.

tum, à ſolo Deo productum: Calumus autem dixit, hominem quidem concurrere actiuè ad actum, quem Deus in nobis producit; non tamen concurrere motu libero, ſed ſpontaneo duntaxat, & non coactè, ſicut currit equus, cùm ducitur à ſeſſore.

Auxilium efficax non tollit à libero arb. potentiam nõ operandi. S. Proſp. lib. 2. de vocat. gen. c. 17. in fin. & c. 18.

Probatur præterea: nam, ſi aliquod ex prærequiſitis ad operandum talem actum in particulari, tolleret à libero arbitrio facultatem, ſeu potentiam ad non operandum, vel ad operandum actum oppoſitum; id efficeret motio Dei efficax, qua ad talẽ actũ prædeterminatur; ſed huiuſmodi motio non tollit à libero arbitrio facultatem non operandi illũ actũ, vel operandi actum contrarium: ſed ſolùm efficit, quòd cùm liberum arbitrium poſſit operari, & non operari talem actum, infallibiliter tamen, & liberè operetur illum, vt patet ex S. Proſp. dicente: *Quòd eos voluit Deus velle, voluerunt, qui, ad obediendum ſibi, ipſum velle ſic donat, vt etiam a perſeueraturis illam mutabilitatem, qua poteſt nolle, non auferat.* & S. Thom. q. 23. de ver. art. 5. ad 3. inquit, quòd, *quamuis non eſſe effectus diuinæ voluntatis non poſſit ſimul ſtare cum diuina voluntate, tamen potentia deficiendi effectum, ſimul ſtat cum diuina voluntate; non enim ſunt iſta incompoſſibilia: Deus vult iſtum ſaluari, & iſte poteſt damnari; ſed tamen iſta ſunt incompoſſibilia: Deus vult iſtum ſaluari, & iſte damnatur:* & idem dicit q. 6. de ver. art. 3. ad 7. Confirmatur: quoniam potentia diſſentiendi, & decretum Dei abſolutum, ſeu motio efficax, qua Deus mouet liberum arbitrium ad conſenſum, non opponuntur inter ſe, vt conſtat ex fundamentis poſitis: ergo prærequiſita ex parte Dei, vt liberum arbitrium operetur talem actum, non tollunt ab eodem arbitrio facultatem, qua poſſit non operari, ſi velit, aut operari actum contrarium. Ex his ſequitur, voluntatem eſſe liberam, & habere facultatem veram, qua poſſit abſolutè operari, & non operari, non ſolùm antequam ſe determinet ad operandum, ſed etiam in ipſomet inſtanti, quo operatur: ſed de hoc diſput. ſequenti agendum eſt.

V.

De lib. arb. eſſentia nõ eſt, quòd poſitis omnibus prærequiſitis ad operandum, poſſit in ſenſu compoſito non operari.

Secunda concluſio. Non eſt de ratione, aut definitione liberi arbitr. quòd, poſitis omnibus ſecundùm ordinem cauſalitatis antecedenter prærequiſitis ad operandum talem actum, poſſit eundem actũ non operari in ſenſu compoſito, ſi compoſitio fiat inter huiuſmodi prærequiſita, & carentiã talis actus, ſeu actum contrarium. Itaque hæc duo ſimul ſunt incompoſſibilia, quòd ſcilicet in libero arbitrio, pro aliquo inſtanti temporis, ſint omnia antecedenter prærequiſita, ſecundùm ordinem cauſalitatis ad productionem talis actus, & non producat illum, ſed producat actum contrarium: & nihilominùs cum hac incompoſſibilitate ſtat ſimul libertas arbitrij. Hæc concluſio eſt de mente S. Tho. vbi ſuprà, & in aliis locis infrà allegandis, & probatur: nam inter prærequiſita antecedenter ad concurſum liberi arb. vt homo producat actum (dilectionis verbi gratia) enumeratur abſolutum, & efficax Dei decretũ, quo ſtatuit, vt liberum arb. producat talem actum, & auxilium efficax, quo in tempore præmouet voluntatem ad eundem actum, ſed cum prædicto decreto, & auxilio efficaci non ſtat ſimul, quòd liberum arb. non producat illum actum dilectionis, aut eliciat actum odij contrarium, vt conſtat ex S. Th. 1. 2. q. 24. art. 11. in corp. vbi ait: *Quòd virtus Spiritus S. infallibiliter operatur quodcunque voluerit. Vnde impoſſibile eſt, hac duo ſimul eſſe vera, quòd Spiritus ſanctus velit aliquem mouere ad actum charitatis, & quòd ipſe charitatem amittat, peccando*, & p. 2. q. 112. art. 3. in corp. ait, quòd *præparatio, ſecundùm quòd eſt à Deo mouente, habet neceſſitatem ad id, ad quod ordinatur à Deo; non quidem coactionis, ſed infallibilitatis, quia intentio Dei deficere non poteſt. Vnde ſi ex intentione Dei mouentis eſt, quod homo,* A *cuius cor mouet, gratiam conſequatur, infallibiliter ipſam conſequitur, ſecundum illud Ioannis 6. Omnis, qui audit à Patre, & diſcit, venit ad me*, &c. & S. Auguſt. in Ench. ad Laur. cap. 95. ait: *Deus noſter in cœlo, & in terra omnia, quæcunque voluit fecit: quod vtique non eſt verum, ſi aliqua voluit, & non fecit, & (quod eſt indignius) ideo non fecit, quia ne fieret, quod volebat Omnipotens, voluntas hominis impediuit:* ergo poſitis omnibus requiſitis ad producendum aliquem actum, non ſtat ſimul, quòd liberum arb. non producat illum actum, aut eliciat actum contrarium. Reſpondent, quòd decretum abſolutum, & efficax, quo Deus ſtatuit, vt Petrus conuertatur, non eſt omnino antecedens cõuerſionem futuram Petri, ſed ſupponit illam futuram ex hypotheſi, quòd conſtitueretur in talibus circumſtantiis, & præcognitam à Deo per ſcientiam, quam mediam vocant. Vnde in ipſo Dei decreto iam inuoluitur conſenſus Petri futurus ex hypotheſi. Vnde argumentum nihil conuincit: quia non procedit de his, quæ antecedenter ſunt prærequiſita ad operandum, ſed de his, quæ præſupponunt futuram conuerſionem. Sed hæc ſolutio eiſdem argumentis impugnatur, quibus diſput. 7. oſtendimus, ſcientiam illam mediam non ſubſiſtere.

Reſponſio. VI.

Impugnatio.

Decretũ efficax ſcientiã mediã non præſupponit.

Præterea: nam, ſi ante decretum diuinæ voluntatis ſupponitur, quòd voluntas ſit cooperatura ex ſua innata libertate, ex hypotheſi, quòd conſtituatur in talibus circũſtantiis, ſequeretur, quòd concurſus, & operatio creatæ voluntatis non reduceretur in Deũ, tanquam cauſam efficientem, ſed ſolùm liberum arbitr. creatum; & ita liberum arbitrium creatum eſſet prima cauſa ſui concurſus & cooperationis, quod tamen eſt impoſſibile, vt ex profeſſo oſtendit S. Thom. in 2. d 37. q. 2. art. 2.

Secundò probatur concluſio. Vnum ex prærequiſitis, vt in temporis initio crearet Deus mundum, fuit æternum decretum ſuæ voluntatis, quo ſtatuit illum creare, & tamen poſito hoc decreto, non erat compoſſibile, quòd de facto non crearet mundum, aliàs Deus mutaretur: ergo, ſi ad actum liberum requiritur, quòd poſitis omnibus antecedenter prærequiſitis, poſſit liberũ arb. operari, & non operari, etiã in ſenſu cõpoſito, ſequitur, quòd Deus non produxiſſet liberè mundum, ſed ex neceſſitate abſoluta.

VII.

Liberi arb. legitima definitio explicatur.

Libertas eſt formaliter in voluntate, ſed radicatur in iudicio rationis indifferenti.

Tertia concluſio. Legitima liberi arbitr. definitio ita ſe habet. Liberum arb. eſt facultas voluntatis, & rationis ad vtrumlibet agendum, vel non agendum, & ad agendum vnum, vel alterum. Ad cuius explicationem obſeruandum eſt, quòd, quamuis libertas ſit formaliter in voluntate, tanquam in ſubiecto proximo, & immediato: radicaliter tamen, & fundamentaliter eſt in intellectu; fundatur enim, & radicatur in indifferentia iudicij, quo intellectus iudicat, bonum propoſitum voluntati, vt amandum, non habere neceſſariam, ſeu naturalem connexionem, cum bono communi, ad quod naturaliter eſt determinata voluntas, quantùm ad ſpecificationem. Ita docet ſanctus Thomas parte 2. quæſtione 17. articulo 1. ad 2. vbi ait, quòd *radix libertatis eſt voluntas, ſicut ſubiectum, ſed ſicut cauſa, eſt ratio: ex hoc enim voluntas liberè poteſt ad diuerſa ferri, quia ratio poteſt habere diuerſas conceptiones boni; & ideo Philoſophi definiunt liberum arbitrium, quòd eſt liberum de ratione iudicium, quaſi ratio ſit cauſa libertatis.* Et quoniam pro iſto ſtatu quodcunque bonum proponat ratio voluntati, illud proponit cum hac indifferentia iudicij, ideo voluntas manet libera reſpectu talis boni, vt amet illud, vel non amet, quoad exercitiũ, vt optimè explicat S. Thom. q. 24. de ver. art. 1. & 3. contra Gent. cap. 83. art. 4. & 1. part. q. 83. art. 1. Hæc autem omnia comprehenduntur, & explicãtur in definitione liberi arbitrij propoſita; quia enim

libertas formaliter est in voluntate, tanquam in subiecto, quæ non est secundùm se ad vnum determinata, sed per deliberationem rationis se determinat ad hoc, vel illud bonum, ideo dicitur in definitione liberi arbitrij, quòd *sit facultas voluntatis ad vtrumlibet*; illa autem particula (*& rationis*) ponitur ad explicandam radicem, ac fundamentum indifferentiæ voluntatis, quod vt diximus, est indifferentia iudicij rationis: & nomine rationis intelligitur intellectualis cognitio, etiamsi fiat sine discursu rationis, vt definitio extendatur etiam ad Angelorum, & ad Dei liberum arbitrium, vt dicit S. Tho q. 14. de ver. art. 3. ad 1. vbi hanc definitionem constituit, quam etiam tradidit M. sent. in 2. d. 24. Reliquæ particulæ, videlicet, *ad agendum, vel non agendum, &c.* ponuntur ad maiorem explicationem.

VIII. Ad libertatem sufficit facultas ad opposita cõtradictorie.

Notandum secundò, quòd ad libertatem non requiritur ex necessitate facultas ad opposita contrariè, vt ad faciendum bonum, vel malum, sed sufficit facultas ad opposita contradictoriè, vt ad operandum, & non operandum, ita docet S. Thom. q. 24. de verit. art. 3. ad 3. & probatur: nam in Deo reperitur perfectissimè liberum arbitrium, vt docet S. Tho. 1. par. q. 19. art. 10. sed in Deo non est facultas ad faciendum bonum, & malum, sed tantùm ad faciendum bonum: Dei enim perfecta sunt opera, vt inquit Scriptura: ergo, &c. Ex quo sequitur, quòd posse peccare non pertinet ad rationem formalem liberi arbitrij: sed potiùs est quædam imperfectio arbitrij creati competens illi, eo quòd factum est ex nihilo: & hanc rationem assignat S. Aug. lib. 2 de vitijs & concup. c. 28. & lib. 12. de Ciuit. c. 1. Vnde S. Thom. 1. p. q. 62. art. 8. ad 3. ait, quòd *liberum arbitrium dum sic eligere possit, seruato ordine finis, vt hoc pertinet ad perfectionem libertatis eius sed quòd eligat aliquid, diuertendo ab ordine finis, quod est peccare, hoc pertinet ad defectum libertatis*: & idem dicit q. 24. de ver. art. 3. ad 2. Qualis autem indifferentia sit de essentia libertatis, patebit disput. sequ. Ad argumenta omnia à principio facta respondetur, quòd solùm probant primam conclusionem, quatenus verò contra secundam procedere videntur, singulis est occurrendum.

Posse peccare, nõ est de essentia libertatis, sed eius imperfectio.

IX. AD primum ergo respondetur, quòd indifferentia intrinseca facultatis liberæ non postulat, quòd positis omnibus prærequisitis ad operandum talem actum, stet simul voluntatem non operari eundem actum, sed solùm expostulat, quòd, positis omnibus prærequisitis antecedenter ad operationem, siue concursum causæ liberæ, stet simul in eadem potentia facultas, qua ex principio actiuo intrinseco possit non operari talem actum, si velit, hoc autẽ nec igni, nec alicui potentiæ non liberæ conuenire potest: nam positis omnibus prærequisitis ad calefaciendũ, non est in igne facultas, qua ex principio intrinseco actiuo possit non calefacere, si velit; sed ex necessitate naturæ est ad calefaciendum determinatus. Et quanquam, remoto ligno, non calefaciat illud: hoc tamen non prouenit ex principio intrinseco actiuo, habente facultatem ad vtrumlibet; sed ab extrinseco, videlicet ex remotione ligni.

Amor beatificus est actus ex suasu simpliciter.

Ad secundum respondetur, quòd, vt disp. 22. n. 43 dictum est, dilectio beatifica, quæ est in beatis, vt terminatur ad Deum, est actio simpliciter necessaria, & non libera, eò quòd, posita visione beatifica & clara visione Dei, & omnibus prærequisitis ad diligendum Deum, non manet in voluntate beati facultas, qua possit Deum non diligere, si velit. Et ratio huius est, quoniam, vt suprà dicebamus ex S. Th. facultas ad vtrumlibet, quæ est in voluntate libera, radicatur in intellectu, seu ratione, secundùm quòd intellectus potest habere diuersas conceptiones boni: & quia intellectus videntis

A Deum per essentiam non potest concipere, vt bonum, cessare ab actu dilectionis Dei, vel Deum odisse: ideo voluntas beati non est libera, respectu talis dilectionis sicut voluntas viatoris; sed in dilectione beatifica est necessitas absoluta, & fœlix necessitas, vt dicit August. Cæterùm in nostro libero arbitrio pro isto statu cum omnibus prærequisitis ad diligendum, stat simul facultas, qua potest non diligere si velit, quoniam intellectus potest proponere voluntati, vt bonum, cessare à tali dilectione, quamuis de facto id non proponat.

X. Ad confirmationem respondetur, quòd, vt patebit infrà, etiam in instanti, in quo actu amat voluntas nostra, retinet simul potentiam, & facultatẽ, qua potest non amare, si velit: nam etiam dum amat, B liberè amat, simpliciter loquendo; quamuis secundùm quid. & ex suppositione quòd amet, necesse sit, eã amare; quia *omne, quod est, dum est, necesse est esse*, vt in lib. 1. perih. c. 6. dicit Philosophus. Neque est homo magis liber, antequam operetur, quàm dum operatur. sed potiùs, è conuerso, dum operatur, habet magis perfectã libertatem: nã habet libertatem cõpletam per actum secundum, quæ quidem libertas perfectior est, quàm libertas, dum est solùm in actu primo: nam habet minus de potentialitate. Quòd verò attinet ad indifferentiam, dicendum est, quòd, si loquamur de indifferentia intrinseca, & essentiali ipsi libertati, eandem indifferentiam habet liberum arb. antequam operetur, & dum actu operatur: nam indifferentia essentialis consistit in indiuisibili, nec recipit magis, aut minus. Hæc autem indifferentia C est illa, quæ opponitur determinationi ad vnum ex necessitate, quam quidem indifferentiam semper habet liberum arb. siue actu operetur siue non. Si autem loquamur de indifferentia priuatiua, quæ imperfectionem liberi arb. creati importat, magis indifferens est, antequam operetur, quia tunc habet priuationem actus secundi, quam tamen non habet, quando actu operatur. Hæc autem indifferentia non est de essentia, sed imperfectio libertatis, vt 1. cont. Gent. c. 82 docet S. Thom.

Indifferentia essentialis libertatis in quo consistat.

XI. Ad tertium negatur minor. Ad probationem dicendum, quòd, qui recipit in se motionem Dei efficacem, antecedentem prærequisitam ad actum dilectionis, verbi gratia, potest, simpliciter loquendo, non operari talem actum si velit: quoniam, vt dictũ est, motio Dei efficax non aufert à libero arbitrio D potentiam, seu facultatem; qua possit non operari, aut dissentire, si velit. Qui autem actu non recipit motionem efficacem ad operandum, potest etiam operari per potentiam actuam quam habet, aut per auxilium sufficiens, quod pro loco, & tempore omnibus Deus, quantùm est ex parte sua, misericorditer confert; ideo peccant, si non operentur: motio enim efficax nõ est necessaria, vt homo possit operari seu vt actu operetur, & potentia reducatur ad actum. Nec talis motio est in recto principium actiuum, sed vltimum complementum virtutis actiuæ, vt docet S. Thom. 3. cont. Gent. cap. 66 art 4. & quæst. 3. de pot. art. 7. ad 7. Vnde ex eo, quòd aliquis non præmoueatur motione efficaci, solùm infertur, quòd non operabitur talem actum; non autem infertur, quòd non possit illum operari: initatur enim manifestè consequentia illa. Etenim ex eo, quòd aliquis E non habeat albedinem, quæ necessario requiritur, vt sit albus, non sequitur, quòd non possit esse albus, sed solùm, quòd non sit albus: qui enim actu non habet albedinem, potest nihilominùs esse albus quia potest albedinem habere, per quam fiat albus. Proportionabiliter dicimus in præsenti, quòd, qui non præmouetur efficaciter à Deo ad talem actum, non producet illum actum; potest tamen per virtutẽ

Sine auxilio efficaci habet homo per auxilium sufficiens posse operari.

actiuam

actiuam, quam habeat naturalem, aut ſupernaturalem, ſcilicet per auxilium ſufficiens, illum actum producere; eò quòd ſemper poteſt pro iſto ſtatu à Deo moueri efficaci motione, per quam virtus actiua compleatur, & applicetur, non tamen ſine cooperatione liberi arbitrij cõcurrentis eodem inſtanti temporis ad producendũ libereè eundẽ actum: ſemper ergo poteſt homo habere motionem hãc efficacem. Et, ſi quis inquirat, in quo fundetur hæc potentia habendi motionem efficacem; dicendum, quòd (vt colligitur ex S. Tho. 3. p. q. 8. art. 3. ad 1.) fundatur in duobus. Primò quidem, & principaliter in miſericordia Dei, quæ poteſt quemlibet viatorem miſericorditer ad ſe conuertere, & ad bonum efficaciter præmouere. Secundariò verò in arbitrij libertate, quod pro iſto ſtatu eſt flexibile in bonum, & in malum; propter quod dixit Aug. *Poſſe habere fidem naturæ eſt hominum*, quia videlicet habent capacitatẽ naturalem ad fidem habendam ex miſericordia Dei; tamen ſtatim ſubdit Aug. *Habere autem gratia eſt fidelium.* Videatur S. Tho. 3. cont. Gentes, c. 156. & 159.

Potẽtia habendi auxiliũ efficax, fundatur in duobus. Aug. libr. de prædeſt. Sanct. c. 5.

XII. Ad quartum argumentum dicitur, Concil. Trid. loqui in ſenſu diuiſo, nõ in ſenſu compoſito, vt fatẽtur etiam aliqui ex auctoribus contrariæ ſententiæ. Et ad impugnationem dicendum, Conc. quidem loqui de homine, qui actu tãgitur, & mouetur à Deo; non tamen propterea loquitur in ſenſu compoſito: etenim per illam propoſitionem Concil. intellectam in ſenſu compoſito, non ſignificatur ſolùm, quòd motio Dei componatur, & coniungatur cum libero arbitrio, ſed ſignificatur, quòd motio efficax, & actualis diſſenſus ſint compoſſibiles in eodem libero arbitrio: qui tamen ſenſus eſt falſus, & propterea illa propoſitio in ſenſu compoſito eſt falſa. Vnde non potuit in eodem ſenſu eſſe à ſacro Conc. intenta, & definita, ſed ſolùm in ſenſu diuiſo. Quod etiam ex ipſa forma propoſitionis in Conc. definita colligitur: haber enim formam modalis diuiſæ, & non compoſitæ, quia, vt docet S. Tho. opuſc. 4. de modalibus, & poſt illum Ferrar. 1. cont. Gent. c. 67. M. Sot. lib. 3. Summularum, c. de modalibus, & alij; Modalis compoſita, quæ ſenſum compoſitum facit, eſt illa, in qua dictum ſubiicitur, & modus prædicatur, vt: Prædeſtinatum damnari eſt poſſibile: Album eſſe nigrũ, eſt poſſibile. Modalis autem diuiſa, quæ ſenſum diuiſum facit, eſt illa, in qua modus interponitur inter partes dicti, vt: Prædeſtinatum poſſibile eſt damnari: Album poteſt eſſe nigrum, vel; Album poſſibile eſt eſſe nigrum; ſed in illa propoſitione Conc. qua aſſeritur, liberum arbitrium motum, & excitatum à Deo poſſe diſſentire, ſi velit, non ſubiicitur totum dictum, ſed potiùs verbum, *poteſt*, ſeu *modus*, poſſibile, interponitur inter extrema dicti: ergo non eſt modalis compoſita, ſed diuiſa. ac per conſequens facit ſenſum diuiſum, & in ſenſu diuiſo eſt intenta à Concilio.

Conc Trid. loquitur in ſenſu diuiſo, cùm ait, quòd liber. arbitr. poſſit diſſentire motioni efficaci.

Modalis quando ſit compoſita, quando verò diuiſa.

XIII. Vt autem explicemus generaliter, quando modalis in ſenſu compoſito ſit vera, aut falſa, vnica regula generalis ſtatuenda eſt, ſcilicet, ad veritatem modalis compoſitæ de poſſibili, ſeu in ſenſu compoſito acceptæ, ſufficit, & requiritur, quòd extrema importata per dictum ipſius modalis, ſint compoſſibilia in eodem ſubiecto: hac enim ratione dicitur cõpoſita, quia prædicta extrema componit, ſeu ſimul ponit in eodem, mediante copula de poſſibili, vt in hac propoſitione: Album eſſe nigrum, eſt poſſibile; dictum modalis eſt totum illud: Album eſſe nigrum, cuius dicti alterum extremum eſt, album, alterum verò, nigrum. Vt ergo hæc propoſitio ſit vera in ſenſu compoſito, neceſſariò requiritur, quòd ſit poſſibile, idem ſubiectum ſimul eſſe album, & nigrum: & propterea illa modalis eſt falſa, quia propoſitio de ineſſe, per quam immediatè regulatur, & probatur, ſcilicet: Album eſt nigrum, eſt propoſitio impoſſibilis. Proportionabiliter dicimus in præſenti, quòd, quia hæc duo ſunt incompoſſibilia, quòd ſcilicet liberum arbitrium moueatur à Deo motione efficaci, & reſiſtat, aut diſſentiat; ideo illa propoſitio in ſenſu compoſito eſt falſa, videlicet: Liberum arbitrium, motum à Deo motione efficaci, poteſt diſſentire.

Ad modalis cõpoſitæ veritatẽ quid requiratur.

XIV. Ad vltimum argumentum reſpondetur ex dictis ad Conc. Trid. quòd tam auxilio ſufficienti, quàm auxilio efficaci poteſt homo, abſolutè loquẽdo, diſſentire: ſed auxilio ſufficienti, etiam in ſenſu compoſito poteſt homo reſiſtere; & hoc tantùm probant loca Scripturæ adducta à Conc. Auxilio autem efficaci non poteſt homo diſſentire in ſenſu compoſito, vt probatum eſt; bene tamen poteſt diſſentire abſolutè, & in ſenſu diuiſo: nam potentia ad diſſentiendum ſimul ſtat in libero arbitrio cum motione efficaci. Sed obiiciunt. Fruſtra eſt potentia, quæ nunquam reducetur ad actum: ergo, ſi liberum arbitrium poteſt diſſentire auxilio efficaci, aliquando diſſentiet de facto, vel illa potentia erit fruſtra, aut ſaltem erit potentia remota, & non proxima. Reſpondetur, quòd, vt aliqua potentia non ſit fruſtra, non requiritur vt aliquando ſit reducenda ad quemlibet actum, quem producere poteſt; ſed ſufficit, quòd reducatur ad aliquem, vel aliquos actus; aliàs fruſtra eſſet potentia, quam habet Deus ad creandum alium mundum, quia nunquam reducetur in actum. Vnde liberum arbitrium eius, qui efficaciter mouetur ad actum amoris Dei, & potentia, quam habet ad vtrumlibet, non eſt fruſtra; quia licèt talis potentia nunquam ſit reducenda ad actum odij Dei; reducitur tamen ad actum amoris, & alios actus. Similiter etiam dicimus, quòd potentia liberi arbitrij, ad diſſentiendum, eſt potentia proxima, quia ex parte potentiæ nihil ſuperadditum requiritur, vt verè poſſit diſſentire, ſi velit, quamuis de facto non ſit diſſenſura.

Auxilio cuicunque poteſt homo diſſentire.

Obiectio.

Reſponſio. Potentia quæ nunquam reducitur ad actum, quomodo non ſit fruſtra.

DISPVTATIO CXVI.

Vtrùm indifferentia ſit de eſſentia potentiæ liberæ, & in qua differentia conſiſtat formaliter libertas.

PROBATVR primò, quòd libertas arbitrij non conſiſtat in aliqua indifferentia: nam omnis indifferẽtia vel eſt paſſiua, vel actiua; ſed libertas arbitrij non conſiſtit formaliter in indifferentia paſſiua, neque in indifferentia actiua: ergo in nulla. Minor, quoad primam partem, probatur: nam aliàs homo non haberet maiorem, neque aliam indifferentiam, quàm baculus: quia etiam baculus habet indifferentiam paſſiuam, vt ſurſum, vel deorſum; dextrorſum, vel ſiniſtrorſum moueatur ab alio; & ita liberum arbitrium ſe haberet tanquam inanimẽ quoddam, recipiendo motum cauſatum ab alio: & conſequenter formalis libertas eſſet in Deo, mouente ad vnam partem, vel aliam liberum arbitrium, & non in libero arbitrio moto; quod repugnat definitioni Concil. Trid. ſeſſ. 6. capite 5. & can. 4. Quoad ſecundam partem, probatur: nam liberum arbitrium creatum priùs natura, quàm operetur aliquem actum, prædeterminatur efficienter ad illũ, vt diſp. 22. & 23. oſtẽſum eſt: ergo in inſtãti, in quo operatur, vel in priori naturæ, non habet indifferentiam actiuam, vt ſe determinet aut determinare poſſit ad vtrumlibet; quod enim eſt determinatum

Digitized by Google

ab alio, non est indifferens actiuè, ad se determinandum, vel non determinandum: nam quod se determinat, præintelligitur indeterminatum, ptiùs quàm se determinet: ergo indifferentia actiua non est intrinseca libero arbitrio, saltem creato.

Confirmatur. Toto tempore, quo voluntas producit actum liberum, verè habet libertatem, respectu illius actus; & tamen toto illo tempore non habet indifferentiam ad vtrumlibet, cùm iam sit ad vnum oppositorum determinata; ergo indifferentia actiua non est de essentia libertatis.

Secundò. In Deo est liberum arbitrium perfectissimum, vt docet S. Tho. 1.p.q.19. art. 10. & primo cont. Gent. c. 88. & tamen in illo non potest esse aliqua indifferentia: nam indifferentia dicit potentialitatem ad contrarios, vel diuersos actus successiuè habendos, quod Deo competere non potest; aliàs enim esset mutabilis, contra illud Iacobi 1. *Apud quem non est transmutatio, aut vicissitudinis obumbratio:* ergo indifferentia non est de intrinseca ratione liberi arbitrij, vt sic, & secùdùm rationē communem.

Tertiò. Christus Dominus liberè obediuit vsque ad mortem, & tamen, supposito præcepto, eius liberum arbitrium non habebat indifferentiam ad obediendum, & non obediendum: aliàs potuisset peccare: ergo indifferentia ad vtrumlibet non est de intrinseca ratione liberi arbitrij.

Quartò: nam Angelus malus nunc de facto peccat: ergo liberè operatur: peccatum enim sine libertate esse non potest: & tamen non habet indifferentiam in libero arbitrio ad peccandum, vel non peccandum; vel ad operandum malum, vel non operandum: nam eius arbitrium est obstinatum in malum: ergo ad libertatem non requiritur necessariò indifferentia ad vtrumlibet.

I. Quintò. Et probatur, quòd saltem non sufficiat ad libertatem indifferentia obiecti, & iudicij rationis: nam Deus, cùm sit voluntatis creatæ auctor, & Dominus, potest, quomodo voluerit mouere voluntatē, impellere, necessitare, aut impedire, ne exeat in liberum actum, sed in actum necessarium; dicitur enim Prou. 21. *Cor regis in manu Dei, sicut diuisiones aquarum, quocunque voluerit vertet illud:* ergo etiamsi obiectum sit indifferens, & iudicium rationis indifferens, poterit voluntatem necessitare ad volendum illud obiectum.

Cyril. lib. 4. in Ioan. c. 7. Aug. de præd. & præst. & grat. c. 15. Prosp. ad obiecta Gallorum, cap. 1. & 2. Sextò Omnes sancti Doctores ad liberum vsum voluntatis hanc conditionem ex parte Dei requirunt, videlicet, vt eam moueri sinat modo sibi proprio. Supponunt ergo, posse Deum, pro suæ potentiæ efficacitate, cum operandi modum impedire, si velit: non ergo satis est ad vsum liberi arbitrij indifferentia obiecti, seu iudicij rationis; sed necessarium etiam est, vt ab extrinseco agente vis, seu necessitas non inferatur.

Septimò. Hæretici, præsertim Caluinus, non negant, operari nos ex perfecto iudicio, & aduertentia rationis: experiuntur enim, se ab ipsis obiectis non cogi, neque necessitatem pati; negant tamen, nos liberè operari, eò quòd Deus sua omnipotenti voluntate nobis necessitatem imponat; in quo à Catholicis non reprehenduntur, eò quòd aliquid asserant, quod etiam in re ipsa contradictionem, vel repugnantiam inuoluat, aut Dei omnipotentiam superet; sed redarguuntur, eò quod ex diuinis Scripturis, aliísque fidei principiis constet, Deum ordinariè non vti nobiscum ea efficacia, & omnipotentia sua, neque id esse suæ sapientissimæ, & suauissimæ prouidentiæ consentaneum.

II. In contrarium est definitio libertatis, disput. præcedenti tradita, & explicata.

Circa istam difficultatem quidam Doctores duos referunt modos explicandi indifferentiam intrinsecam libertatis. Prior est, hanc indifferentiam passiuè tantùm esse intelligendam, ita videlicet, vt eatenus potestas volendi, & nolendi in voluntate creata reperiatur, quatenus ex se non est determinata ad hoc, vel illud obiectum volendum; neque ad volendum, aut nolendum idem obiectum: sed ad vtrumque potest ab alio determinari. Crediderim tamen, nullum esse Catholicum Doctorem, qui sentiat indifferentiam essentialem libertatis, etiam secundùm quòd reperitur in creatura intellectuali, esse indifferentiam tantùm passiuam: aliàs enim huiusmodi indifferentia esset solùm ad recipiendum actum, productum à solo Deo in voluntate creata, ipsa voluntate merè passiuè se habente: quod tamen est hæresis damnata contra Lutherum in Concil. Trident. sess. 6. can. 4. de iustific. Lutherus enim, vt disputatione 3. num. 8. ostensum est, asseruit: *Liberum arbitrium non habere actualitatem in bono opere, quando de interno opere loquimur*; sed merè passiuè se habere.

III. Secunda sententia, seu secundus modus explicandi indifferentiam essentialem libertati, est eorum, qui libertatem voluntatis radicaliter constituunt in indifferentia iudicij rationis, quo intellectus iudicat bonum propositum voluntati, vt prosequendum, non habere necessariam connexionem cum bono in communi, ad quod est naturaliter determinata voluntas. Quando ergo intellectus proponit voluntati cum hac indifferentia obiectum; tunc voluntas respectu eiusdem obiecti habet formalem libertatem; & si per huiusmodi iudicium rationis appetat illud obiectum, semper fertur in illud cum libertate. Vnde auctores huius sententiæ reputant impossibile, quòd voluntas moueatur per huiusmodi iudicium rationis ad amandum illud obiectum, & amet illud ex necessitate, & absque vsu libertatis, quantumcunque moueatur à Deo efficaciter.

IV. Hanc sententiam falsam reputant quidam Theologi, & conuincuntur tribus vltimis argumentis, ex factis à principio. Nobis tamen verissima apparet, & arbitramur, illam esse expressam S. Thomæ. Vnde pro eius intelligentia, notandum primò, quòd duplex est indifferentia, altera negatiua, priuatiua altera. Indifferentia alia est negatiua, alia priuatiua.

Indifferens indifferentia negatiua dicitur illud, quod secundùm se non est magis determinatum ad hoc obiectum, quàm ad illud; vel ad operandum, aut non operandum: & hoc modo voluntas diuina, antequam statuisset creare mundum, erat in illo priori signo rationis, secundùm se indifferens, ad istam partem, vel ad illam; aut etiam ad creandum, vel non creandum aliud vniuersum; quia non erat magis determinata, secundùm se ad vnum, quàm ad aliud. Hæc autem indifferentia non importat in Deo aliquam priuationem alicuius perfectionis: nam Deus non perficitur in seipso per hoc quòd se determinet ad producendum aliquid ad extra; sed tota perfectio ponitur in creaturis, quæ per diuinam voluntatem producuntur in esse; & ideo Deus eas dilexit, & producit liberè, eò quòd creaturæ non habent necessariam connexionem cum bono diuino, ita vt sine illis bonum diuinum non saluetur, ad quod amandum est naturaliter determinata diuina voluntas. Vnde S. Thom. 1.p.q.19.art.3. ad 5. ait, quòd *voluntas diuina, quæ ex se necessitatem habet, libere determinauit se ad obiectum, ad quod habet habitudinem non necessariam.* Indifferens priuatiuè dicitur, quod est aptum perfici, ac determinari per aliquem actum, siue determinetur, ac perficiatur à seipso, siue ab alio, siue simul perficiatur à seipso, & ab alio; & huiusmodi indifferentia præsupponit in ipsa potentia aliquam imperfectionem,

Volitas diuina est indifferēs negatiuè respectu obiecti secundarij, non autem priuatiuè.

ctionem ſiue potentialitatem: vnde hæc indifferentia ſolùm potentiæ creatæ cõuenire poteſt: quod & S. Tho. 1. cont. Gent. cap. 81. his verbis explicuit: *Ad vtrumlibet eſſe alicui virtuti poteſt conuenire dupliciter. Vno modo ex parte ſui: alio modo ex parte eius, ad quod dicitur. Ex parte quidem ſui, quando nondum conſequuta eſt ſuam perfectionem, per quam ad vnum determinetur: vnde hoc in imperfectionem virtutis redundat, & oſtenditur eſſe potentialitas in ipſa, ſicut patet in intellectu dubitantis, qui nondum aſſequutus eſt principia, ex quibus ad alterum determinetur. Ex parte autem eius, ad quod dicitur, inuenitur aliqua virtus ad vtrumlibet eſſe, quando perfecta operatio virtutis a neutro dependet, ſed tamen vtrumque eſſe poteſt: ſicut aliquis qui diuerſis inſtrumentis vti poteſt aqualiter ad idem opus perficiendum; hoc autem ad imperfectionem virtutis non pertinet, ſed magis ad eius eminentiam, in quantùm vtrumlibet oppoſitorum excedit, & ob hoc determinatur ad neutrum, ſed ad vtrumlibet ſe habens. Sic autem eſt in diuina voluntate reſpectu aliorum vſe: nam finis eius à nullo aliorum dependet, cùm tamen ipſa finis ſuo perfectiſſimè ſit vnita: non igitur oportet, potentialitatem aliquam in diuina voluntate ponere.* Videatur ſanctus Doctor quæſt. 24. de veritate, artic. 3. in corp. vbi aſſignat indifferentiam inter liberum arbitrium diuinum, angelicum, & humanum.

V. Indifferentia alia paſſiua, alia actiua.

Notandum ſecundò, quòd indifferentia potentiæ aliquando adiungitur potentiæ purè paſſiuæ, ſicut eſt indifferentia, quam habet materia prima ad iſtam formam ſubſtantialem, vel ad illam; & indifferentia ſubiecti reſpectu albedinis, vel nigredinis quam recipit. Hæc enim indifferentia eſt ſolùm paſſiua, eo quòd nec materia prima concurrit effectiuè ad productionem formæ ſubſtantialis, nec ſubiectum concurrit actiuè ad productionẽ albedinis, ſed ſolùm in genere cauſæ materialis: aliquando autem adiungitur potentiæ actiuæ, ſicut indifferentia, quam habet artifex ad faciendum, vel non faciendum aliquod artificiatum; aut etiam ad faciendum hoc, vel illud artificiatum. Tertiò poteſt adiungi indifferentia potentiæ, quæ partim eſt actiua, partim autem paſſiua; vel eſt paſſiua in ordine ad vnũ, actiua autem in ordine ad alterum: ſicut intellectus in ordine ad ſpeciem productam ab obiecto habet rationem potentiæ paſſiuæ, quia recipit in ſe ſpeciem illam; in ordine verò ad actum intelligendi, habet indifferentiam actiuam. Similiter voluntàs in ordine ad productionem actus liberi, habet indifferentiam actiuam, & quatenus in ſeipſa recipit actus immanentes quos producit, habet aliquam rationem potentiæ paſſiuæ.

VI. Indifferentia paſſiua, vel priuatiua non eſt de eſſentia lib. arb.

PRima concluſio Indifferentia paſſiua, vel priuatiua non eſt de intrinſeca ratione liberi arbitrij, ſi conſideretur ſecundùm rationem communem quæ analogicè competit Deo, & creaturis intellectualibus. In hac concluſione conueniunt omnes Theologi, & eam probat argumentum ſecũdum ex factis à principio: nam in Deo reperitur quidquid pertinet ad rationem communẽ ſapientiæ; quoniam ſapientia eſt perfectio ſimpliciter, quæ formaliter reperitur in Deo; ſed etiam libertas eſt perfectio ſimpliciter, exiſtens formaliter in Deo: ergo quidquid pertinet ad rationem communem, formalem, & eſſentialem libertatis, debet reperiri in libertate diuina; ſed non competit illi, neque competere poteſt aliqua indifferentia paſſiua, aut priuatiua, vt dictum eſt, aliàs Deus non eſſet purus actus, neque infinitè perfectus: ergo.

Indifferentia negatiua, & actiua eſt de eſſentia lib. arb.

Secunda concluſio. Indifferentia negatiua, & indifferentia actiua, quæ importat poſſe agere, & poſſe non agere, vel poſſe agere hoc, vel illud, eſt de intrinſeca ratione libertatis. Iſta concluſio eſt etiam communiter recepta inter Theologos, & conſtat ex definitione libertatis tradita diſputatione præcedenti, & patebit ex quarta concluſione.

VII. Arbitrium creatũ habet aliquam indifferentiam paſſiuam.

Tertia concluſio. In omni libero arbitrio creato, qua ratione creatum eſt, reperitur aliqua indifferentia, ſeu potentia paſſiua, ſecundùm aliquam rationem. Hæc concluſio eſt etiam certa, & probatur. Primò: nam omne liberum arbitrium creatum, cùm non ſit purus actus, nec liberum per eſſentiam, ſicut eſt Deus, ſed per participationem, habet aliquã potentialitatem, quæ poteſt perfici per diuerſos actus; ſed omnis potentialitas perfectibilis per diuerſos actus, habet aliquam indifferentiam paſſiuam in ordine ad eoſdem actus ſuſcipiendos: ergo.

Secundò. Omne liberum arbitrium creatum, vt ſuprà dictum eſt ex Auguſtino, ex natura ſua eſt peccabile, & defectibile, eò quòd factum eſt ex nihilo: ergo ex natura ſua eſt mutabile à bono in malum, ex iuſtitia in peccatum: peccatum enim eſſe non poteſt, niſi in libero arbitrio, & ex libero arbitrio; ſed omne ſubiectum mutationis per diuerſos actus, in quantùm ſubiectum, habet potentiam, & aliquam indifferentiam paſſiuam, in ordine ad receptionem eorum actuum: ergo.

Tertiò. Liberum arbitrium creatum non eſt ſimpliciter primum ſe mouens, ſed mouet ſe liberè, motum tamen à Deo priùs ratione, vt diſput. 18. & 23. oſtendimus: ergo, quamuis in ordine ad productionem operationis liberæ, habeat indifferentiam actiuam; in ordine tamen ad motionem diuinam, qua mouetur à Deo, vt liberè ſe determinet, & producat eoſdem actus, habet aliquam indifferentiam & potentiam paſſiuam: ergo in omni libero arbitrio creato reperitur aliqua indifferentia paſſiua coniuncta indifferentiæ actiuæ.

VIII. Indifferentia, quæ eſt eſſentia libertatis.

Quarta concluſio. Formalis libertàs arbitrij creati non conſiſtit formaliter in indifferentia obiectiua, neque in indifferentia paſſiua; ſed in indifferentia actiua ipſius facultatis liberæ, quæ indifferenter ſe habet ad oppoſita; quamuis adiunctam habeat, vel præſupponat aliquam indifferentiam paſſiuam ipſius potentiæ, & indifferentiam obiecti. Probatur concluſio. Primò: nam liberum arbitrium eſt eſſentialiter; & per ſe potentia actiua, vt docet S. Thom. q. 24. de verit. art. 4. præſertim in ſolutione ad 18. ergo indifferentia eſſentialis libertatis debet eſſe actiua: non ergo poteſt conſiſtere eſſentia libertatis in indifferentia paſſiua. Secundò probatur ex definitione liberi arbitrij: eſt enim facultas voluntatis, & rationis ad vtrumlibet, ſeu facultas volendi, & nolendi, eligendi hoc medium, vel illud in ordine ad finem: ſed velle, & nolle eligere hoc, vel illud, ſunt actiones potentiæ actiuæ: ergo indifferentia, in qua formaliter conſiſtit libertas arbitrij, debet eſſe formaliter indifferentia actiua.

IX. Indifferentia obiecti & iudicij rationis eſt radix libertatis.

Quinta concluſio. Indifferentia obiecti, ſiue obiectiua, & indifferentia iudicij rationis, quo intellectus proponit voluntati ipſum obiectum, vt amãdum non ex neceſſitate, ſed cum indifferentia actiua ipſius voluntatis ad vtrumlibet: quia videlicet iudicat, tale obiectum propoſitum non habere neceſſariam connexionem cum fine, & cum bono, ad quod amandum voluntas eſt naturaliter determinata, ita eſt radix libertatis, quæ formaliter reſidet in voluntate, vt impoſſibile ſit, quòd voluntas per illud iudicium feratur in tale obiectum, & quòd abſque libertate velit illud. Itaque ſi voluntas vult illud obiectum ſic propoſitum, neceſſe eſt, vt liberè, & non ex neceſſitate abſoluta velit illud. Hæc concluſio eſt contra quoſdam Theologos, qui docẽt, poſſe Deũ voluntatem ſua potentia abſoluta neceſſitare, & facere, quòd abſque libertate

feratur in obiectum indifferens ſecundùm ſe, & propoſitum voluntati, vt amandum, per iudicium rationis indifferens, modo ſuperiùs explicato. Noſtra tamen concluſio eſt de mente S. Thomæ, p. 2. q. 17. art. 1. ad 2. vbi ait, quòd *ex hoc voluntas poteſt ad diuerſa ferri, quia ratio poteſt habere diuerſas conceptiones boni*; & 1. p. q. 83. art. 1. in corp. inquit, quòd, *quia iudicium rationis ad diuerſa ſe habet, & non eſt determinatum ad vnum, pro tanto neceſſe eſt, quòd homo ſit liberi arbitrij, ex hoc ipſo, quòd rationalis eſt.* Quibus verbis S. Thomas apertè docet, eſſe impoſſibile, quòd voluntas velit aliquid ſub iudicio rationis indifferenter ſe habente ad oppoſita, & quòd velit illud ex neceſſitate abſoluta, & non liberè.

Probatur præterea ratione: nam obiectum voluntatis eſt bonum apprehenſum per intellectum: ergo impoſſibile eſt, quòd voluntas ex neceſſitate abſoluta amet aliquod bonum, niſi intellectus eidem voluntati proponat illud bonum, vt amandum ex neceſſitate abſoluta: ergo ſi illud proponat, vt amandum, non ex neceſſitate abſoluta, ſed cum indifferentia ad oppoſita ſuperiùs explicata, impoſſibile erit etiam de potentia Dei abſoluta, quòd voluntas, medio illo iudicio, tendat in illud bonum, & tamen ex neceſſitate abſoluta, & non liberè amet illud.

X. Indifferétia lib. arbit reſpectu auxilij diuini eſt paſſiua, ſed reſpectu actionis liberæ eſt actiua.

AD primum argumentum ex factis à principio reſpondetur, quòd liberum arbitrium creatum, in ordine ad præviam motionem, qua mouetur à Deo, vt ſe liberè determinet, habet ſe paſſiuè, quatenus in ſeipſo recipit eandem motionem: vnde indifferentia, quam habet reſpectu eiuſdem motionis, eſt paſſiua: cæterùm reſpectu operationis liberæ, quam producit motum à Deo, habet indifferentiam actiuam, & in hac indifferentia eſſentialiter conſiſtit libertas; non autem in prima, quamuis eam præſupponat, vt dictum eſt. Et ad locum Concilij inductum reſpondetur, quòd apertè confirmat id, quod diximus. Cùm enim ait, liberum arbitrium moueri à Deo, non obſcurè indicat potentiam, & indifferentiam paſſiuam, quam habet reſpectu motionis gratiæ prævenientis, quam ſuſcipit; & cùm ſubdit, quòd liberè cooperatur Deo mouenti, ita vt poſſit diſſentire, ſi velit; clariſſimè docet, in libero arbitrio à Deo moto, & excitato eſſe indifferentiam actiuam reſpectu eiuſdem cooperationis: quæ indifferentia conſiſtit in hoc, quòd poteſt operari, & non operari illum actum, abſolutè loquendo. Et, vt oſtenderet Concilium, quòd differentia arbitrij creati ita eſt actiua, vt habeat adiunctam aliquam indifferentiam paſſiuam, non definit abſolutè, quòd liberum arbitrium nullo modo ſe habeat paſſiuè, ſed definit, quòd non ſe habet *merè paſſiuè, tanquam inanime quoddam, ita vt nihil omnino agat* liberè in eodem inſtanti temporis, in quo recipit diuinam inſpirationem. Ad aliud, quod in eodem argumento tangitur: nam quod eſt determinatum ab alio, non ſe determinat; reſpondetur, quòd, vt docet S. Thom. 1. part. quæſt. 83. artic. 1. ad tertium, & part. 2. quæſt. 9. artic. 1. in corp. quamuis voluntas ſeipſam moueat; nihilominùs priuſquam ſe moueat, mouetur à Deo; quia voluntas creata eſt mouens motum, & non eſt ſimpliciter primum ſe mouens; ſicut pater Petri verè eſt cauſa illius, ſed non prima cauſa: nam habet aliam cauſam priorem. Proportionabiliter nos dicimus in præſenti, quòd voluntas creata determinat ſe, liberè producendo actum ſecundum, per quem formaliter in actu ſecundo determinatur; ſed quia non eſt ſimpliciter primum liberum, nec primum ſe determinans, prædeterminatur à Deo in vltimo complemento actus primi, vt ſe determinet in actu ſecundo producendo liberam operationem. Vnde S. Auguſt. lib. de correct. & grat. cap. 2. quibuſdam obtrectantibus, deſtrui libertatem, ſi dicatur, liberum arbitrium à Deo agi, reſponder: *Intelligant, ſi filij Dei ſunt, Spiritu Dei ſe agi; vt, quod agendum eſt, agant; & cùm egerint, illi, à quo aguntur, gratias agant; aguntur enim, vt agant, non, vt ipſi nihil agant.* Et idem dicit aliis in locis in diſput. 18. n. 16. inductis.

Conc. Trid. non definit lib. arbi. non ſe habere paſſiuè, ſed non ſe habere merè paſſiuè.

Ad confirmationem, Occham in 1. d. 38. q. 1. & Gabr. ead. diſt. reſpondent, voluntatem in eo inſtanti, in quo elicit volitionem, non eſſe liberam ad eam non eliciendam, vel ad eliciendum actum contrarium. Hæc tamen ſententia eſt falſa, vt in calce huius diſputationis patebit: nam, vt ſuprà dicebamus, libertas arbitrij in actu ſecundo eſt magis perfecta, quàm libertas in actu primo. Præterea: nam aliàs nunquam actus primus voluntatis eſſet liber, ac per conſequens non eſſet meritorius. Probatur: nam actus ille non eſt liber, antequam eliciatur, quoniam non eſt: nec eſt liber, poſtquam eſt productus: nam ad præteritum non eſt potentia: ergo ſi non eſt liber in inſtanti, in quo producitur à voluntate, nunquam erit liber. Aliter ergo reſpondetur, quòd quamuis voluntas ſit ſub vno actu, remanet tamen adhuc cum potentia ad eliciendum actum oppoſitum, vt ſuprà dictum eſt; & ideo manet libera reſpectu eiuſdem actus etiam in eo inſtanti, in quo illum producit, quamuis non poſſit in ſenſu compoſito illum non producere.

XI. Voluntas in inſtanti, in quo vult, eſt libera ad volendum, & non volendum.

In voluntate Dei nulla eſt indifferétia paſſiua, aut priuatiua.

Ad ſecundum reſpondetur, quòd in Deo non poteſt eſſe indifferentia paſſiua, aut priuatiua; eſt tamen indifferentia actiua cum indifferentia obiecti ſecundarij, quod non habet neceſſariam connexionem cum bono diuino: & hæc indifferentia ſufficit, vt Deus non ex neceſſitate, ſed liberè velit, creaturas eſſe, vt oſtendit S. Thom. 1. p. q. 19. art. 3.

XII. Chriſtus liberè obediuit præcepto moriendi.

Ad tertium reſpondetur, quòd mors Chriſti Domini, in ordine ad eius voluntatem, erat obiectum indifferens, quia ex natura ſua non habebat neceſſariam connexionem cum bono, ad quod naturaliter erat determinata humana Chriſti voluntas; vnde, medio iudicio rationis indifferenti, propoſuit eius intellectus voluntati ipſam mortem acceptandam, & ideo liberè mortuus eſt: & liberè obediuit, ac per conſequens, ſimpliciter loquendo, habebat facultatem ad vtrumlibet, ad acceptandam ſcilicet, & refutandam mortem, quamuis, ſuppoſito præcepto, eſſet cum eodem præcepto incompoſſibile, quòd vellet non mori. Sed vrget adhuc argumentum. Chriſtus Dominus non habebat facultatem ad obediendum præcepto, & non obediendum; aliàs enim poſſet peccare: nam inobedientia, & tranſgreſſio præcepti ſine peccato eſſe non poteſt: ergo reſpectu obedientiæ, formaliter loquendo, non habuit facultatem indifferentem ad vtrumlibet: non ergo liberè obediuit. Reſpondetur, quòd Chriſtus Dominus non ſolùm liberè mortuus eſt, ſed etiam liberè obediuit præcepto moriendi ſibi impoſito; aliàs non meruiſſet per actum obedientiæ formaliter, cùm ad huiuſmodi meritum neceſſariò requiratur, quòd obedientia ſit libera. Conſequens autem eſt contra illud Apoſt. ad Philipp. 2. *Humiliauit ſe, &c. propter quod & Deus exaltauit illum; & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.* Ad impugnationem factam reſpondetur, quòd non obedire poteſt accipi dupliciter. Primo modo contrariè, ſeu priuatiuè, vt ſignificat idem, quod inobedire, ſeu peccare peccato inobedientiæ; & iſtò modo Chriſtus Dominus non potuit non obedire. Secundo modo accipitur negatiuè, vt ſignificat meram negationem actus obedientiæ, quæ negatio poteſt dici de eo, quod eſt, & de eo, quod non eſt, & poteſt abſque vllo peccato competere alicui, etiam non exiſtente præcepto; ſicut ſi Petrus, verbi gratia, non audiat

Obiectio.

Solutio.

XIII. Chriſtus potuit obedire, & non obedire negatiuè, non autem priuatiuè.

audiat rem ſacram feria ſecunda, vel tertia, quando nullum eſt præceptum audiendi Miſſam, veriſſimè aſſeritur, quòd Petrus tunc non obediuit præcepto audiendi Miſſam, ſi non obedire accipiatur merè negatiuè, quia verè ita eſt, quòd non fecit actum obedientiæ audiendi Miſſam, quia nec erat præceptum, nec Miſſam audiuit. Et hoc modo Chriſtus Dominus potuit non obedire negatiuè, quia potuit non habere præceptum moriendi; ſicut hæc negatiua de facto eſt vera: Chriſtus non obediuit vſque ad mortem decollationis; nec obediuit, ſuſtinendo mortem decimoquinto ætatis ſuæ anno; quia reuerà non habuit præceptum ſuſtinendi mortem decollationis, & in hoc ſenſu Chriſtus habuit facultatem ad obediendum, & non obediendum. Et hæc facultas ad oppoſita contradictoriè ſufficit, vt liberè obedierit: iam enim ſuprà diximus, quòd poſſe peccare, ſeu inobedire, non pertinet ad rationem formalem libertatis, ſed ad eius imperfectionem, ſecundùm quòd in creatura defectibili inuenitur.

Obiectio. Si dicatur: nam ſuppoſito præcepto non potuit non obedire, etiam negatiuè: ergo etiam ſuppoſito decreto, & præcepto, non habebat indifferentem facultatem ad obediendum, & non obediendum, etiam

Solutio. negatiuè, & ita non obediuit liberè. Reſpondetur, quòd inſtante præcepto, & præſuppoſito præcepto, non poterat in ſenſu compoſito non obedire negatiuè, quia etiam ex conſequenti inobediret contrariè: vnde ſicut tunc non potuit inobedire contrariè, ita etiam non potuit in ſenſu compoſito non obedire negatiuè: ex hoc tamen non ſequitur, quòd non obedierit liberè: nam ad libertatem ſufficit, quòd poſſit obedire, & non obedire negatiuè, abſolutè loquendo.

XIV. Ad quartum reſpondetur, quòd quamuis Angelus malus ſit obſtinatus in peccato; tamen obſtinatus eſt per operationem perfectè liberam, qua ſe ad talem electionem determinauit cum ſumma cognitione indifferentiæ mediorum ad finem, & omnium circumſtantiarum. Quia tamen liberum eius arbitrium, poſtquam ſemel perfecta libertate ſe determinauit ad aliquid, eſt ex natura ſua inflexibile; ideo non poteſt reſipiſcere à malo, quod ſemel ex plena libertate elegit: hoc tamen non minuit eius libertatem; quin potiùs eſt ſignum maioris libertatis: homo enim, quia natura ſua eſt rationalis, id, quod ſemel elegit, dum eſt in via, poteſt poſtea refutare; quoniam poſt primam electionem poſſunt ſe illi offerre nouæ rationes, & cognitio noua alicuius circumſtantiarum, propter quas poterat reſpuere illud bonum, quod ſemel elegit. Similiter etiam habemus exemplum huius in Deo, qui poſtquam liberè ſe determinauit ad faciendum aliquid, eſt incompoſſibile, quòd mutet conſilium, aut eligat oppoſitum, propter immutabilitatem diuinæ voluntatis, & infinitatem ſcientiæ ipſius, quæ vno ſimpliciſſimo actu omnia cognoſcit: & tamen liberè producit ad extra id, quod voluit, de quo vide etiam S. Thom. 1. part. q. 19. art. 3. & art. 7. ad 4. Proportionabiliter dicimus de Angelis, quòd, antequam adhæreant, poſſunt adhærere huic obiecto, & oppoſito; ſed poſtquam perfecta libertate adhæſerunt alicui obiecto, iam immobiliter adhærent illi, vt dicit S. Thom. 1. part. q. 64. art. 1. & tamen, abſolutè loquendo, liberè adhærent eidem obiecto: nam à principio exit actus à potentia, non ex neceſſitate, ſed ſecundùm modum libertatis. Alia argumenta, quæ contra quintam concluſionem poſſent obiici, adducta ſunt iam à nobis, & ſoluta diſp. 18. 22. & 23.

Dæmones obſtinati ſunt in malo, & nihilominùs liberè peccát.

XV. DVbium appendix ſe offert in præſenti, quod inferiùs obiter tetigimus: Vtrum voluntas pro eo inſtanti, quo elicit aliquem actum, ſit verè libera, A comparatione eiuſdem actus, vel ad eliciendũ actum contrarium, ſi velit.

Prima ſententia eſt aſſerẽtium, voluntatem in inſtanti, quo elicit volitionẽ non eſſe liberam ad illum non eliciendam, vel ad eliciendum actum contrarium: & ſimiliter pro inſtanti, quo elicit nolitionem alicuius obiecti, liberam non eſſe ad volendum idem obiectum: addunteque ſolùm ante illud inſtans, eſſe in ea libertatem, vt volitionem illius obiecti, aut nolitionem, prout ſibi placuerit, eliciat. Ita ſentiunt Occham in primo ſententiarum, diſtinct. 38. quæſtione 1. Gabr. eadẽ diſtinctione, & quæſtione, & alij nonnulli ex Nominalibus. Probatur hæc ſententia: **Primum argumentum.** nam voluntas in inſtanti, quo vult aliquod obiectum, non poteſt illud non velle; quia non poteſt B ſimul velle, & nolle idem obiectum: ergo pro eodem inſtanti non eſt in ea libertas ad nolendũ idem obiectum. Probatur conſequentia: nam, vt ſuprà dictum eſt, libertas eſt facultas voluntatis, & rationis ad oppoſita: ergo, ſi pro inſtanti, quo vult aliquod obiectum, non eſt in ea facultas ad nolendum idem obiectum, ſequitur, quòd pro eodem inſtanti non ſit in ea libertas ad volendum, & nolendum idem obiectum.

Secundò probatur: quia, vt lib. 1. Periher. capit. 6. docet Ariſtoteles: *Omne, quod eſt, dum eſt, neceſſe eſt eſſe*: ergo pro inſtanti, quo volitio alicuius obiecti eſt in rerum natura, non poteſt non eſſe: ac per conſequens non eſt in voluntate facultas, vel libertas, vt eadem volitio non ſit, vel, vt ſit nolitio oppoſita C eiuſdem obiecti.

Tertiò. Ad actionem præteritam non eſt potentia, & conſequenter neque libertas, vt non ſit; quia iam habet eſſe extra ſuas cauſas: ergo neque ad operationem præſentem eſt libertas, vt non ſit: nam etiam habet eſſe extra ſuas cauſas.

Secunda ſentẽtia, eſt aliorum, qui reiecta Occhami **XVI.** ſententia, affirmant ex vna parte, voluntatem in inſtanti, quo volitionem alicuius obiecti elicit, reuera eſſe liberam comparatione eiuſdem volitionis; ſed ex alia, vt huiuſmodi libertatem defendant, recurrunt ad prioritatem naturæ, in qua voluntas intelligitur indifferens ad vtramque partem, priuſquam ſe determinet ad alteram. Dicunt enim, voluntatem ad quodcunque temporis punctum deueniat, prioD ritate naturæ antecedere ſuum actum, vt quæuis alia cauſa ſuum effectum præcedit: priùs etenim natura eſt, voluntatem eſſe in quocunque temporis puncto, quàm in eodem ab ea actus emanent. Hæc autem naturæ prioritas verum fundamentum in re habet. Cùm ergo voluntas ſuapte natura ſit cauſa libera, hoc eſt, in cuius poteſtate eſt velle, aut nolle, aut continere omnino actum, & nihil velle, vtique in quocunque temporis puncto exiſtat, in eo priori eiuſdem puncti, in quo cum fundamento in re concipitur, vt naturæ ordine antecedens ſuum actum, in facultate ipſius eſt, vel nihil omnino agere, vel volitionem, aut nolitionem elicere, prout maluerit. Et E hac ratione defendunt, operationem, præſentem liberè elici à voluntate. Fatentur tamen, hoc ipſo, quòd voluntas poſteriùs natura liberè ſe determinat ad vnam partem contradictionis, iam non poſſe ad alteram ſe determinare, vel illi ſubiacere.

Hæc tamen ſententia parum, aut nihil differre vi- **XVII.** detur à ſententia Occham, nec ſatis explicat rationem, propter quam voluntas verè ſit libera, comparatione operationis præſentis: nam iuxta illam voluntas ſolùm eſſet libera pro priori naturæ, in quo conſideratur, antequam volitionem, aut nolitionem eliciat, non autem pro inſtanti temporis, in quo eam elicit; ac per conſequẽs operatio præſens non ſolùm eſſet libera in ſua cauſa, non autem formaliter in

Digitized by Google

seipsa, quòd esset reiicidere in sententiam Occham, quam impugnant.

Præterea: nam instans naturæ, non est instans, in quo, sed à quo: ergo, si voluntas non est libera ad vtramque partem contradictionis, vel contrarietatis in instanti temporis, quo se determinat ad alteram partem, sed solùm pro priori naturæ, in quo consideratur, antequam se determinet; sequitur, quòd pro nullo instanti temporis voluntas eliciat liberè suam volitionem, aut nolitionem.

Nec satisfacit, si respondeatur, voluntatem posse operationem præsentem continuare, & ab ea desistere, & propterea esse liberam: nam præterquam quod auctores primæ sententiæ id non negant, sed expressè affirmant; per hoc solùm saluaretur libertas in voluntate, comparatione prosequutionis actus, quæ pertinet ad tempus futurum: non autem comparatione operationis præsentis, prout fit in hoc instanti præsenti.

XVIII. Voluntas, est libera etiam in ipso instanti, quo operatur.

Dicendum est ergo, iuxta ea, quæ in disputatione præcedenti præmisimus, voluntatem nostram verè esse liberam, comparatione volitionis, aut nolitionis, quam elicit, quolibet momento, vel instanti temporis; essèque verè liberam non solùm ea ratione, quia priùs natura, quàm se determinaret ad alteram partem, poterat seipsam non determinare ad eandem partem, sed ad oppositam: nec solùm esse liberam, quia potest continuare, vel desistere ab operatione, quam producit in instanti præsentis temporis: sed etiam quia in instanti temporis quo elicit suam operationem, veram retinet potestatem, & facultatem, qua possit eam non elicere, si velit, aut etiam elicere operationem contrariam.

Probatur hæc sententia auctoritate sancti Anselmi, libro de concord. præscientiæ, & præd. cap. 1. vbi constituit differentiam inter præteritum ex vna parte, & præsens, & futurum ex alia: nam in re præterita non solùm non manet iam potentia, seu libertas, vt præteritum simul non sit præteritum, verùm etiam iam fieri nequit, vt res illa, quæ præterita est, non sit præterita. At verò circa præsens, & futurum aliter se habet potentia, & libertas: nam licèt non sit vlla potentia, qua fieri possit, vt simul præsens non sit præsens, aut futurum non sit futurum, est tamen potentia, vt res, quæ est præsens, non sit præsens, & quæ futura est, non sit futura: ergo secundùm Anselmum, operatio præsens, elicita à voluntate, ita subditur eius potestati, & libertati, sicut operatio futura: sed comparatione operationis futuræ, voluntas veram habet potestatem, & libertatem, qua potest eam elicere, vel non elicere, aut etiam elicere operationem contrariam: ergo eandem potestatem, & libertatem habet comparatione operationis præsentis. Respondetur, restringendo auctoritatem Anselmi ad præsens, quatenus habet aliquid commune cum futuro, videlicet posse adhuc continuari, & permanere, vel desinere esse. Dicunt enim, quòd præsens ex parte conuenit cum præterito, ex parte verò cum futuro. Habet enim actu esse extra causas, qua ratione cum præterito conuenit; & ex hac parte iam nulli subditur potestati, vt non sit extra illas: tandiu enim aliquem effectum dicimus manere in potestate alicuius, vt fit, & non sit, quandiu non est extra causas, sed adhuc indifferens est: ergo res, quæ præsens est, non potest iam non esse præsens, & hoc (inquiunt) non negaret Anselmus. Sed præter hoc habet præsens aliquid commune cum futuro, quòd nulla ratione conuenit rei iam præteritæ, nimirum posse adhuc continuari, & permanere, vel desinere: & ex hac parte dixit Anselmus, rem præsentem ita subdi nostræ libertati, sicut futurum. At verò futurum, cùm nihil habeat extra causas, adhuc dum est futurum, omnino liberè in nostra potestate manet. Hæc tamen explicatio non videtur ad mentem Anselmi: nam iuxta illam, operatio præsens solùm subiaceret potestati, & libertati voluntatis secundùm id, quod habet de futuro, nempe secundùm continuationem, vel desitionem, quæ reuerà non competit operationi secundùm instans primum, in quo incipit esse, sed secundùm tempus futurum, ac per consequens differentia sancti Anselmi inter operationem præsentem, & præteritam esset nulla, nec debuisset eam assignare inter præteritum ex vna parte, & futurum ex altera: etenim iuxta explicationem datam res præsens secundùm totum id, quod habet pro instanti temporis præsentis conuenit cum præterito, quantùm ad hoc, quòd non subditur potestati voluntatis, vt non sit. Confirmatur hoc, & aperitur magis vis huius argumenti: nam operatio præsens elicita à voluntate, considerata secundùm totum id, quod habet pro instanti temporis præsentis, est magis perfectè libera, quàm operatio futura. Præsens enim operatio est libera in actu secundo; futura autem, vt futura, solùm est libera in actu primo, siue in potentia: id autem, quod est actu tale, magis perfectum est, quàm illud, quod solùm est tale in potentia: sed operatio futura, dum est futura, vt fatentur auctores solutionis, quam impugnamus, omnino in libera nostra potestate, & libertate manet, iuxta sententiam Anselmi: ergo multò perfectiùs manet in nostra potestate, & libertate operatio voluntatis præsens secundùm totum id, quod habet pro instanti præsenti.

XIX. Confutatio.

Denique contra auctores secundæ sententiæ vrget argumentũ superiùs insinuatum ex Cõcil. Tridẽt. quod meo iudicio videtur efficacissimum: loquens enim de homine, actu consentiente, & cooperante Deo excitãti, & vocanti, definit, quòd potest *dissentire, si velit*, & ex hoc probat, quòd liberè consentit: ergo secundùm definitionem sacri Concilij non solùm in priori naturæ, in quo voluntas cõsideratur, antequam eliciat consensum, sed etiam in eodem instanti temporis, quo cõsentit, reuerà *potest dissentire, si velit*: ergo pro eodem instanti liberè consentit. Præterea: nam, si voluntas, absolutè loquendo, in instanti temporis, quo consentit, non potest dissentire, si velit; sequitur, quòd simpliciter loquendo, necessariò consentiat, & non liberè: illud enim dicitur necessarium, quod absolutè aliter esse non potest.

Si dicatur, ex suppositione, quòd voluntas consentit, necessarium esse in sensu composito, quòd cõsentiat, cùm impossibile sit, voluntatem comparatione eiusdem obiecti simul consentire, & non consentire, seu dissentire; contra hoc est, quia necessitas ex suppositione, siue in sensu composito, non est absolutè dicenda necessitas, sed secundùm quid, vt disput. 25. ostensum est, & consequenter actus, qui solùm dicitur necessarius ex suppositione, comparitur secum veram, & realem potentiam, quæ possit illum actum non producere, sed elicere oppositum, si velit.

XX.

PEr hæc autem remanet solutum primum argumentum ex factis à principio: dicimus enim, quòd, licèt in homine in instanti, quo elicit consensum, non sit libertas, seu libera facultas ad eliciendum dissensum simul cum consensu; est tamen pro eodem instanti in eo libera potestas, & facultas ad eliciendum, circa idem obiectum, dissensum, & consensum diuisiuè. Nam, vt suprà dictum est, in libero arbitrio est facultas ad opposita; non tamẽ est facultas ad opposita simul habẽda, vel eliciẽda: neque huiusmodi facultas requiritur ad libertatem; aliàs implicaret

Digitized by Google

implicaret contradictionem, aliquem actum eſſe liberum non ſolùm in exercitio, ſed etiam in ipſa facultate potentiæ.

Ad ſecundum reſpondetur cum S. Thom. 1. p. q. 14. art. 13. illam propoſitionem Ariſtotelis: Omne, quod eſt, dum eſt, neceſſe eſt eſſe; intelligendam eſſe non de neceſſitate rei exiſtentis in ſe abſolutè conſideratæ, ſed prout ſupponit rem exiſtere, vt ſi dicatur: Res exiſtens eſt exiſtens; ſed hæc neceſſitas non tollit libertatem, aut contingentiam rei abſolutè, & in ſeipſa conſideratæ.

Ad tertium reſpondetur, quòd ad actionem præteritam nulla eſt potentia, nec libertas, quia illud eſſe rei præteritæ extra cauſas iam totaliter deſiit; & quia à priuatione ad habitum non eſt regreſſus per naturam; ideo liberum arbitrium nullam habet libertatem, aut facultatem, qua poſſit efficere, vt volitio præterita non fuerit in rerum natura. Cæterùm eſſe extra cauſas, quòd competit operationi voluntatis pro quolibet inſtanti præſenti, reuerà eſt in fieri, & procedit efficienter ab ipſa voluntate ſecundùm modum libertatis. Cùm ergo potentia libera ex ſua intrinſeca ratione hoc habeat, quòd ita eliciat conſenſum, vt reuerà poſſit illum non elicere, ſed contrarium diſſenſum, ſi velit, vt ex Concilio Tridentino conſtat; ideo in voluntate pro eodem inſtanti, quo elicit conſenſum, eſt vera libertas, & facultas, qua poſſit illum non elicere, ſed contrarium diſſenſum, ſi velit; quamuis, ſtante conſenſu, nunquam de facto eliciet pro eodem inſtanti contrarium diſſenſum, ſicut ſuprà dictum eſt de auxilio efficaci ad conſenſum, quòd, qui illud recipit, infallibiliter conſentit, & poteſt reuerà diſſentire, ſi velit; ſed de facto non diſſentiet.

Secundò reſpondetur, ſolùm concludere argumentum, non eſſe in libero arbitrio libertatem, aut facultatem ad faciendum, quòd eius operatio præſens ſimul ſit, & non ſit: nam id eſt omnino infactibile etiam à Deo; non tamen probat, quòd in inſtanti temporis, in quo liberum arbitrium conſentit, non poſſit abſolutè loquendo, ſiue in ſenſu diuiſo diſſentire, ſi velit.

DISPVTATIO CXVII.

Vtrùm Liberum Arbitrium creatum verè, & propriè habeat dominium ſui actus, & quale ſit huiuſmodi dominium.

I. POTEST hæc difficultas ſub aliis terminis tractari: Vtrùm videlicet conſenſus liberi abitrij præſertim reſpectu actuum ſupernaturalium, ſit primò, & immediatè in eius poteſtate, an in poteſtate Dei.

Circa quam illi auctores, qui exiſtimant, determinationem actualem voluntatis, ſuppoſita gratia excitante, primò inchoandam eſſe ab eadem voluntate creata, pro ſua innata libertate, vt iura libertatis eius illæſa conſeruentur; docent conſequenter, liberum arbitrium ita habere dominium ſui actus, vt determinatio talis actus, etiam quando eſt ſupernaturalis, ſit primò, & immediatè in eius poteſtate; nec poſſe aliter libertatem illius, quātùm ad vſum actualem, imò nec quantùm ad ipſam potentiam liberam, defendi. Probari poteſt hæc ſententia

Primò ex S. Aug. lib. 1. de libero arbit. cap. 12. dicente: *Videsigitur iam, vt exiſtimo, in voluntate noſtra eſſe conſtitutũ, vt hoc vel fruamur, vel careamus tanto, & tam verò bono: quid enim tam in voluntate, quàm ipſa voluntas ſita eſt?* Et lib. 1. cap. 14. ait: *Quid, inquam, quiſque ſectandum, & amplectendum eligat, in voluntate eſſe poſitum conſtitit.* Et lib. 2. cap. 18. *Homo ipſe, inquantum homo eſt, aliquod bonum eſt, quia recte viuere, cum vult, poteſt.* Et lib. 3. de libero arbitrio, cap. 3 *Non enim poſſum aliud ſentire, eſſe in poteſtate noſtra, niſi quòd, cùm volumus facimus. Quapropter nihil tam in noſtra poteſtate, quàm ipſa voluntas eſt: etenim præſus nullo interuallo, mox, vt volumus præſto eſt.* Et c. 17. *Quis*, inquit, *peccat in eo, quod nullo modo cauere poteſt? peccatur autem: cauere igitur poteſt.* Quibus verbis apertè docet Auguſtinus, velle, & nolle eſſe immediatè in poteſtate voluntatis, ac liberum arbitrium verè, & propriè habere dominium immediatum ſui actus, aliàs non eſſe liberum, neque illi imputaretur ad culpam, cùm peccat; nec eſſet dignum præmio, cùm piè operatur.

II. Secundò arguitur auctoritate S. Thom. in ſecundo ſententiarum, diſt. 25. q. 1. art. 1. in corpore, vbi ait, *quòd iudicium de actione propria, eſt ſolùm in habentibus intellectum, quaſi in poteſtate eorum conſtitutum ſit eligere hanc actionem, vel illam; vnde & dominium ſui actus habere dicuntur, & propter hoc, in ſolis intellectum habentibus, liberum arbitrium inuenitur; non autem in illis, quorum actiones non determinantur ab ipſis agentibus, ſed ab aliquibus aliis cauſis prioribus.* Et in ſolutione ad 1. ſic loquitur: *In Deo ſaluatur liberum arbitrium, quantùm ad hoc, quòd determinatio ſui actus, non eſt ſibi ab alio, ſed à ſeipſo: vnde ipſe veriſſimè ſui operis dominus eſt, & propter hoc etiam in litera dicitur, quòd liberum arbitrium aliter in Deo, quàm in aliis inuenitur.* Et in ſolutione ad 2. ſubdit: *Hoc ad libertatem arbitrij pertinet, vt actionem aliquam facere, vel non facere poſſit, & hoc Deo conuenit: bona enim, quæ facit, poteſt non facere.* Et in ſolutione ad tertium, loquens de libero hominis arbitrio, inquit: *Determinatio actionis, & finis in poteſtate liberi arbitrij conſtituitur: vnde remanet ſibi dominium ſui actus, licèt non ita, ſicut primo agenti.* Quibus verbis apertè docet, ad libertatem arbitrij, ſiue in Deo, ſiue in hominibus neceſſariò requiri, quòd habeat dominium ſui actus, & poteſtatem, ad illum producendum, vel non producendum.

Confirmatur: nam ex eo S. Thom. in ſolutione ad 1. iam citata, probat, in Deo eſſe liberũ arb. quia *veriſſimè eſt dominus ſui operis*: & ex eo concludit, quòd ſit Dominus ſui operis, *quia determinatio ſui actus non eſt ſibi ab alio, ſed à ſeipſo*: ergo, ſecundùm S. Thomam, vt aliquis habeat liberum arbitrium, neceſſariò requiritur, quòd habeat dominium ſui actus; & ſimiliter, vt habeat dominium ſui actus, erit neceſſarium, quòd determinatio eiuſdem actus non inſit ei ab alio, ſed à ſeipſo; aliàs illa cauſalis S. Thomæ eſſet falſa, videlicet: *Quia determinatio ſui actus non eſt ſibi ab alio, ſed à ſeipſo, ideo Deus ſui operis Dominus eſt.*

III. Tertiò arguitur ex definitione liberi arbitrij recepta communiter à Theologis: eſt enim liberum arbitrium, quod, poſitis omnibus requiſitis ad operandum, poteſt operari, & non operari: ergo ad libertatem arbitrij neceſſariò requiritur, quòd habeat immediatè poteſtatem proximam, & expeditam ſuper vtrumque actum, ſcilicet ſuper velle, & nolle: hoc autem eſt habere abſolutum dominium ſuper ipſum velle, & nolle: ergo.

Quartò. Homo non dicitur propriè habere dominium eius, quod dependet à voluntate alterius: ergo ſimiliter non dicetur homo habere liberum arbitrium, reſpectu actus, qui non eſt immediatè in eius poteſtate, ſed in poteſtate Dei: ergo, vt vera libertas in homine defendatur, neceſſarium eſt dicere, conſenſum, aut diſſenſum eſſe immediatè ſub dominio, & poteſtate eiuſdem arbitrij.

Confirmatur. Si voluntas hominis non habet dominium,

dominium, aut potestatem operandi, nisi, quòd Deus vult eam operari: ergo libertas solùm erit in Deo qui, prout vult, mouet voluntatem creatam ad istum actum, vel illum; non autem in voluntate ipsa creata: liquidem ipsa non potest, prout libuerit, se determinare ad operandum; sed prout placet Deo.

Quintò. Si nō est sub dominio, & potestate nostra arbitrium nostrum, sequitur non esse corripiendos homines, qui non bene operantur; nec laudandos, qui piè viuunt; sed totam laudem esse Deo tribuendam; quia sua potestate homines ad bene operandum induxit, & eadem ratione esset Deo imputandum, quòd homines peccent, aut in peccatis persistant, siquidem non eis tribuit, vt conuerterentur ad Deum.

IV.

Liberum arbitrium creatum habet dominium sui actus, sed nō primum. S. Tho. 1. p. q. 83 art. 1. ad 3. & 1. 2 q. 9. art. 4. ad 1. Lib. arb. se mouet motum à Deo.

Secunda sententia affirmat liberum arbitrium creatum habere quidem dominium sui actus, non tamen primum, & absolutum dominium: nam primum, & absolutum dominium omnino independens ab alio, residet apud solum Deum, qui est vniuersalis omnium dominus. Et quoniam hæc sententia vera est, & ad mentem S. Augustini & S. Thomæ; pro eius explicatione notandum, quòd, vt docet S. Thomas: *Liberum arbitrium est causa sui motus; quia homo per liberum arbitrium seipsum mouet ad agendum; non tamen hoc est de necessitate libertatis, quòd sit prima causa sui ad, quod liberum est, sicut neque ad hoc, quòd aliquid sit causa alterius, requiratur, quod sit prima causa eius.* Vnde motus voluntarius, etsi habeat principium proximum intrinsecum: quia tamen hoc principium est mouens motum ab alio, ideo principium primum eiusdem motus voluntarij est ad extra; sicut & primum principium motus naturalis est ad extra, quod scilicet mouet naturam: & ideo bene cohærent hæc duo, quòd scilicet liberum arbitrium creatum moueat se, & præmoueatur ab alio: quòd determinet se, tanquam proxima causa sui motus, & prædeterminetur à Deo, vt à prima causa: eo quòd liberum arbitrium creatum non est simpliciter primum se mouens, aut primum se determinans. Proportionabiliter in præsenti dicendum est, optimè cohærere hæc duo inter se, quòd scilicet liberum arbitrium creatum habeat dominiū sui actus, & quòd deliberet de illo, & tamen non habeat primum, & absolutum dominium illius, nec sit simpliciter primum deliberans de tali actu, aut primum determinans illum; sed necessariò omnis deliberatio, & dominium creatæ voluntatis, reducēdum est in Deum, tanquam in primum deliberans, & primum dominum simpliciter. Et ratio huius est, quoniam dominium creatum non excludit, sed potiùs præsupponit dominium increatum, & ab eo dependet, sicut causalitas creata cuiuscunque causæ particularis non excludit, sed potiùs præsupponit causalitatem Dei, & in illum, tanquam in priorem causam per se efficientem reducitur.

V.

PRima ergo conclusio sit. Liberum hominis arbitrium habet dominium sui actus, vt causa eius proxima. In hac conclusione cōueniunt auctores vtriusque sententiæ, & eam probant efficaciter argumenta tacta à principio.

Lib arbitr. creatum in actuali vsu dominij, & facultatis, quam super suos actus habet, dependet à Deo, tanquam a Domino absoluto prædeliberante, & prædeterminante ante præscientiam futuræ cooperationis, quid in particulari sit acturum ipsum arbitrium creatum. Itaque deliberatio, & determinatio arbitrij creati ad alteram partem, cadit sub prædeliberatione, & prædeterminatione diuina, & ab ea dependet in genere causæ efficientis, quòd liberum arbitrium creatum deliberet, & velit, quod bonum est. Tenent hanc conclusionem omnes Theologi, qui sentiunt, Deum sua motione, aut gratia efficaci, non solùm moraliter, sed etiam efficienter, seu physicè facere, vt faciamus, & operari vt operemur. Et probatur omnibus rationibus, quibus suprà ostensum est, Deum suo decreto, & motione efficaci physicè prædeterminare omnes causas secundas, etiam liberas, ad operandum, salua earum libertate, & natura. Disput. 18. 21. & 23.

Secundò probatur: nam, vt disputatione 18. ostensum est, omnes actus liberi in individuo, & secundùm omnes bonas circumstantias, subiacent prouidentiæ diuinæ: ergo antequam voluntas creata deliberet de aliquo actu, aut vtatur suo dominio, & potestate producendi talem actum, præsupponitur, quòd Deus priùs præordinauerit, quòd ipsum arbitrium creatum deliberet de tali actu, & vtatur sua facultate ad eundem actum producendum: aliàs liberum arbitrium creatum esset simpliciter primum liberum & primum deliberans circa talem actionem, cuius contrarium probat S. Thom. prima secundæ, quæstione nona, articulo quarto.

VI.

Respondent ad hoc argumentum, quòd homo non est simpliciter primum deliberans, nec primus dominus sui actus. Sed proximum: quia etsi deliberare possit de suo actu absq; Deo efficiente, vt homo deliberet; non tamen potest deliberare absque Deo conseruante liberum arbitrium, & pariter cum illo in eundem actum influente. Sed hæc solutio disput. 18. num. 14. & disp. 14. num. 17. impugnata est.

Dominium sui actus nō est primò in potestate arbitrij creati, sed in potestate Dei.

Tertia conclusio. Dominium sui actus non est primò in potestate arbitrij creati, sed in dominio Dei, præsertim respectu actuum supernaturalium. Volumus dicere, quòd omne dominium, & actualis vsus dominij; quod voluntas creata, vt causa proxima, habet, aut exercet super actus liberos, quos elicit, procedit à Deo, vt à potissima, & prima causa efficiente, & in illum tandem tanquā in primum auctorem, & primū dominum absolutum debet reduci, & loquimur de omnibus actibus, qui in individuo non sunt peccata. Hanc cōclusionem esse de mente S. Augustini & S. Thomæ sic ostendo.

Primò: nam S. Augustinus lib. 1 retract. cap. 9 explicans illud: *Velle adiacet mihi, perficere autem non inuenio*, ait, quòd *homo non habet in potestate, vt bonus sit.* Et lib. 2. cap. 1. subdit: *Quamuis sit in cuiusque potestate, quod velit, non est tamen in cuiusquam potestate quod possit. Quod ideo dictum est, quia non dicimus esse in potestate nostra, nisi quòd, cùm volumus fit, vbi priùs, & maximè est ipsum velle. Sine vllo quippe interuallo temporis, præstò est voluntas ipsa, cùm volumus, sed hanc quoque ad bene vtendum desuper accipimus potestatem, cùm præparatur voluntas à Domino.* Et lib. de prædest. Sanctorum, c. 10. explicans illud: *Ideo ex fide, vt secundùm gratiam firma sit promissio omni semini: Hoc*, inquit, *non de nostræ voluntatis potestate, sed de sua prædestinatione promisit. Promisit enim, quod ipse faciturus fuerat, non quod homines: quia etsi faciunt homines bona, quæ pertinent ad colendū Deū ipse facit, vt illi faciant, quæ præcepit non illi faciūt, vt ipse faciat, quod promisit: alioquin vt Dei promissa compleantur, non in Dei, sed in hominum est potestate: & quod à Domino promissum est, ab ipsis redditur Abrahæ.* Quibus verbis apertè docet, potestatem, quam habet liberum arbitrium super pias operationes, esse primò in potestate Dei, & ab eo accipere homines potestatem, quam habent ad faciendum ea, quæ pertinent ad cultum Dei. Quod etiam clariùs docet libro de dono perseuerantiæ, cap. 8. his verbis: *Sicut autem Apostolus ait, quod & in libro superiori memoraui: Non sumus idonei cogitare aliquid, quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Quem secutus etiam Ambrosius audet, & dicit: Non enim in potestate nostra est cor nostrum, & nostra cogitationes: quod omnis, qui humiliter,* Rom. 4. 2. Cor. 3. Ambrof. de fuga sæculi cap. 1.

militer, & veraciter pius eſt, eſſe veriſſimum ſenit. Et paulò inferiùs, explicans illud Pſalm. 118. *Inclina cor meum in teſtimonia tua, & non in auaritiam*, ſubdit: *Non enim in poteſtate noſtra eſt cor noſtrum, & cogitationes noſtræ, quæ impromſo effuſæ mentem, animúmque confundunt, atque aliò trahunt, quàm tu propoſueras: ad ſæcularia reuocant, mundana inſerunt, voluptuaria ingerunt, illecebroſa intexunt, ipſóque in tempore, quo elenare mentem paramus, inſertis tenebris cogitationibus, ad terrena plerunque deiicimur. Non itaque in hominum, ſed in* Galat. 5. Ioan. 1. *Dei eſt poteſtate, vt habeant homines poteſtatem filij Dei fieri. Ab ipſo quippe accipiunt eam, qui dat cordi humano cogitationes pias per quas habeat fidem, qua operetur per dilectionem: ad quod bonum ſumendum, & tenendum, & in eo perſeueranter vſque in finem proficiendum, non ſumus idonei cogitare aliquid quaſi ex nobismetipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt, in cuius eſt poteſtate cor noſtrum, & cogitationes noſtræ.* Ex cap. 13. bis repetit prælegatum dictum Ambroſij: *Non enim eſt in poteſtate noſtra cor noſtrum, & cogitationes noſtræ.* Et cap. 19. obiectioni eorum reſpondet, qui ex eo quod non eſt in poteſtate cor noſtrum, & cogitationes noſtræ, malè inferebant, non eſſe hortandos homines, vt bene operentur; aut corripiendos, ſi peccauerint. Et lib. de gratia, & libero arbitrio, cap. 20. concludit ſic: *Scriptura diuina, ſi diligenter inſpiciatur, oſtendit, non ſolùm bonas hominum voluntates, quas ipſe facit ex malo, & à ſe factas bonas in actu bonos, & in æternam dirigit vitam; verùm etiam illas, quæ conſeruam ſæculi creaturam, ita eſſe in Dei poteſtate, vt eas, quò voluerit, quando voluerit, faciat inclinari, vel ad beneficia quibuſdam præſtanda, vel ad pœnas quibuſdam ingerendas, ſicut ipſe iudicat, occultiſſimo quidem iudicio, ſed ſine dubitatione iuſtiſſimo.* Et lib. de corrept. & grat. c. 14. inquit: *Sic velle, vel nolle inuolentis, aut nolentis eſt poteſtate, vt diuinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem. De his enim, qui faciunt quæ non vult, fit ipſe quæ vult.* Et paulò inferiùs: *Si ergo cùm voluerint reges in terra Deus conſtituere, magis habet in poteſtate voluntates hominum, quàm ipſi ſuas, quis alius facit, vt ſalubris ſit correptio, & fiat in correpti corde correctio, vt cœleſti conſtituatur in regno?* Idem docet aliis in locis in ſolutione ad primum, & quintum argumentum adducendis.

VII. Rom. 9. Eandem ſententiam tenet S. Tho. 3. cont. Gent. c. 149. vbi explicans illud Apoſtoli: *Non eſt volentis, neque currentis, ſed Dei miſerentis*, inquit: *Non ergo per huiſmodi verba excluditur liberum voluntatis arbitrium, ſicut quidam malè intellexerunt, quaſi homo non ſit dominus ſuorum actuum interiorum, & exteriorũ, ſed oſtenditur Deo eſſe ſubiectum.* Et c. 160. explicans illud, quod in capite præcedenti dixerat, nempe eſſe in poteſtate liberi arbitrij impedire diuinæ gratiæ receptionem, vel non impedire ſubdit: *Quod autem dictũ eſt in poteſtate liberi arbitrij eſſe ne impedimentum gratiæ præſtet, competit his, in quibus naturalis potentia integra fuerit. Si autem per inordinationem præcedentem declinauerit ad malum, non erit omnino in poteſtate eius nullum impedimentum gratiæ præſtare. Etſi enim ad aliquod momentum ab aliquo peccati actu particulari poſſit abſtinere propria poteſtate, ſi tamen diu ſibi relinquitur, in peccatum cadet, per quod gratiæ impedimentum præſtatur.* Et 2. 2. q. 2. art. 5. ad 1. ait: *quòd ſi in poteſtate hominis eſſe dicatur aliquid, excluſo auxilio gratiæ; ſic ad multa tenetur homo, ad quæ non poteſt ſine gratia præparante, ſicut ad diligendum Deum, & proximum, & ſimiliter ad credendum articulos fidei. Sed tamen hoc poteſt cum auxilio gratiæ.* Ex quibus locis euidenter conſtat, ſecundùm ſententiam S. Thom. liberum hominis arbitrium non à ſe ipſo, ſed à Deo habere poteſtatem, & dominium ſui actus tanquam à prima cauſa efficiente, & mouente, & ab eo pendere non ſolùm quantùm ad ipſam facultatem potentiæ, & habituale dominium, ſed etiam quantùm ad vſum eius actualem. Idem docet in omnibus locis ſuprà adductis, & infrà adducendis, in quibus aſſerit liberum arbitrium creatum, quantumuis ponatur perfectum, nihil poſſe operari, niſi moueatur à Deo. S. Thom. præſertim 1. 2. q. 109. art. 2. ad 1. explicans, qualiter homo habeat dominium ſui actus, ait: *Mens hominis etiam ſana, non ita habet dominium ſui actus, quin indigeat moueri à Deo, & multò magis liberum arbitrium hominis infirmi poſt peccatum, per quod impeditur à bono per corruptionem naturæ.* Quibus verbis ſatis apertè docet, liberum arbitrium creatum non habere primum, & abſolutum dominium ſui actus, ſed in actuali vſu eiuſdem dominij pendere ex motione Dei, qui eſt primus, & abſolutus omnium dominus, iuxta illud Eſther 13. *Dominus omnium es, nec eſt, qui reſiſtat maieſtati tuæ.* Et primo contra Gentes, c. 68. poſt quintam rationem id ipſum confirmat his verbis: *Dominium autem, quod habet voluntas ſupra ſuos actus, per quod in eius eſt poteſtate velle, vel non velle, excludit determinationem virtutis ad vnum & violentiam cauſæ exterius agentis, non autem excludit influentiam ſuperioris cauſæ, à qua eſt ei eſſe, & operari: & ſic remanet cauſalitas in cauſa prima, quæ Deus eſt, reſpectu motuum voluntatis.*

VIII. Secundò probatur ex illo Prouerb. 21. *Cor regis in manu Domini*, id eſt, in poteſtate Domini, *ſicut diuiſiones aquarum, quocunque voluerit, vertet illud.* Quibus verbis ſignificatur, dominium cordis, voluntatis, & liberi arbitrij, quod habet potiſſimus inter principes temporales, ſubditum eſſe, & ſubiectum, quantùm ad omnes ſuos motus, poteſtati, & dominio liberi arbitrij diuini. Item etiam Rom. 9. *Non volentis*, ſcilicet velle, *nec currentis*, ſcilicet currere, *ſed miſerentis eſt Dei*: quæ verba non ſignificant: hominem non habere dominium, & poteſtatem ſupra ſuum velle, & nolle; ſed declarant, hominem non habere primum, & abſolutum dominium ſupra ſuum velle, & nolle; ſed Deum ſolum eſſe primum, & abſolutum noſtrarum actionum dominum, & in poteſtate illius eſſe noſtrum velle, & nolle, & ab eius nutu, & voluntate pendere. Cui conſonat illud Ierem. 10. *Scio, Domine, quia non eſt via eius, nec vir vt ambulet, & dirigat greſſus ſuos.*

Tertiò probatur ratione: nam vt docet S. Thom. Dominium eſt facultas vtendi re, ſed nulla creatura habet poteſtatem vtendi ſuo arbitrio à ſe ipſa, ſed omnis vſus actualis liberi arbitrij, reſpectu cuiuſcunque actus boni eſt à Deo, vt ſuprà oſtenſum eſt: ergo nulla creatura habet primum, & abſolutum dominium ſui actus, ſed tale dominium eſt ſolum apud Deum, ac per conſequens, in actuali vſu huius dominij dependet à Deo, tanquam à priori cauſa per ſe efficiente. Ad omnia argumenta facta à principio reſpondetur, quòd tantùm probant primam concluſionem: quatenus verò ſecundam, & tertiam impugnare videntur, ſingulis eſt ſatisfaciendum.

IX. AD primum reſpondetur, quod S. Auguſt. expreſsè docet noſtram ſententiam, vt patet ex locis pro 3. concluſione adductis. Et ad teſtimonia in contrarium adducta reſpondet ipſemet Auguſtinus libro primo retract. cap. 9. vbi refert, eadem teſtimonia fuiſſe ſibi priùs à Pelagio obiecta, contendente illum in ſuam ſententiam pertrahere, vt patet ex verbis eiuſdem Auguſt. diſput. 22. num. 28. adductis. Et cap. 10. eiuſdem libri ad obiecta teſtimonia reſpondens ait: *Quod verò dixi: Illud autem lumen non irrationabilium animalium oculos paſcit, ſed pura corda eorum, qui Deo credunt, & ab amore viſibilium rerum, & temporaliam ſe ad eius præcepta implenda conuertunt, quod omnes homines poſſunt, ſi velint, non exiſtimem nouæ hæretici Pelagiani ſecundum eos eſſe dictum. Verum eſt enim*

Pelagiani S. Aug. allegabant in fauorem ſui erroris.

enim omnino, omnes homines hoc poſſe, ſi velint; ſed præparatur voluntas à Domino, & tantum augetur munere charitatis, vt poſſint. Quod hic ideo dictum non eſt, quoniam præſenti neceſſarium non erat quæſtioni. Et c. 22. eiuſdem libri: *Alio loco dixi: Niſi quiſque, inquam, voluntatem mutauerit, bonum operari non poteſt, quod in noſtra poteſtate eſſe poſitum alio loco Dominus docet, vbi ait: Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum, aut facite arborem malam, & fructum eius malum. Quod non eſt contra gratiam Dei, quam prædicamus. In poteſtate quippe hominis eſt mutare in melius voluntatem: ſed ea poteſtas nulla eſt, niſi à Deo detur, de quo dictum eſt: Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Cùm enim hoc ſit in poteſtate, quod cùm volumus, facimus, nihil tam in poteſtate, quàm ipſa voluntas eſt, ſed præparatur voluntas à Domino. Eo modo ergo dat poteſtatem. Sic intelligendum eſt, & quod dixi poſtea in noſtra poteſtate eſſe, vt vel inferi bonitati Dei, vel excidi eius ſeueritate mereamur; quia in poteſtate noſtra non eſt, niſi quod noſtram ſequatur voluntatem. Qua cùm fortis, & potens præparatur à Domino, facilè fit opus pietatis, etiam quod difficile, atque impoſſibile fuit.* Sententia ergo S. Aug. eſt, liberum hominis arbitrium habere poteſtatem, & dominium ſui actus, ſed hanc poteſtatem, & dominiũ non à ſeipſo habere, ſed à Deo, vt à primo, & abſoluto Domino, à quo bona cuncta procedunt; ſiue magna, ſiue minima ſint, aut media; ne quis in ſeipſo, ſed in Domino glorietur, ſicut Apoſtolus ait: *Quid habes, quod non acceperiſti? ſi autem acceperiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?*

Iacob. 1.

Ioan. 1.

1. Cor. 4.

X. Ad ſecundum reſpondetur ſimiliter, quòd S. Tho. fatetur quidem, hominem per voluntatem, & rationem habere dominium ſui actus: non tamen primum dominium, & abſolutum, vt ex ſupradictis conſtat; & præſertim in 1. ſent. qui eſt primus locus adductus pro oppoſita ſententia, id expreſsè inſinuauit, cùm dixit: *Homini remanet dominium ſui actus, licèt non ita ſicut primo agenti*; quaſi diceret, hominẽ non habere primum, & abſolutum dominium ſui actus; ſed hoc dominiũ reſidere tantùm apud Deum. Et ad id quod obiicitur ex ſolutione ad primum, reſpondetur, quòd S. Thom. ex eo, quòd *Deus veriſſimè ſui operis Dominus eſt*, non tamen requiritur neceſſariò; vt homo ſit dominus ſui actus, quòd determinatio ejuſdem actus non inſit ſibi ab alio, ſcilicet à Deo; ſed ſufficit, quòd ipſe homo per liberum arbitrium ſit cauſa proxima determinationis ſui actus. Nec inconuenit, quòd hæc determinatio ſit primò in poteſtate Dei, vt ſuprà oſtenſum eſt. Et per hæc patet ad alia loca S. Thom. in primo argumento inducta.

A

B

C

D

Ad libertatem actus, quid ſit neceſſarium.

Secundò reſpondetur, quòd, vt aliquis ſit *veriſſimè*, ſeu perfectiſſimè dominus ſui actus: neceſſariò requiritur, quòd eius determinatio non ſit ab alio, ſed ſolùm à ſeipſo. Vnde ſolus Deus eſt perfectiſſimè dominus ſui actus; quia eius dominium eſt omnino independens ab alio. Vnde S. Thom. cum magna aduertentia addidit illud aduerbiũ, *veriſſimè*, non enim dixit, quia determinatio ſui actus non eſt ſibi ab alio, ſed à ſeipſo, ideo Deus ſui operis dominus eſt; ſed adiunxit: *Vnde ipſe veriſſimè ſui operis eſt dominus*; id eſt perfectiſſimè. Vnde explicari poteſt S. Thom. ita vt ſenſus eius ſit, ad libertatem arbitrij requiri, quòd eius determinatio non ſit ita totaliter ab alio, vt excludatur libera cooperatio arbitrij, qua, vt cauſa proxima, à ſeipſo, hoc eſt, à principio intrinſeco, concurrat ad determinationem eiuſdem actus. Et per hæc reſpondetur ad confirmationem. Et ad id, quod in eadem confirmatione obiicitur: nam illa cauſalis S. Thom. eſſet falſa, videlicet: Quia determinatio ſui actus non eſt ſibi ab alio, ſed à ſeipſo; ideo Deus ſui operis dominus eſt; reſpõdetur primò, quòd ſanctus Thomas adiunxit illud verbum, ideo veriſſimè, id eſt, perfectiſſimo modo, ſui operis dominus eſt. Secundò reſpondetur, quòd etiamſi non addidiſſet illam particulam, adhuc cauſalis eſſet vera: nam ad eius veritatem non requiritur, quòd quicunque eſt dominus ſui actus, ita ſit cauſa illius, vt talis determinatio ſit ſolùm à ſeipſo, & non ab alio. Sicut iſta cauſalis eſt vera: Quia Petrus eſt homo, Petrus eſt animal; non tamen licet ex eadem cauſali inferre, quòd vt aliquid ſit animal, debeat eſſe homo: poteſt enim eſſe animal, etiamſi non ſit homo.

E

Ad tertium reſpondetur, quòd potentia poteſt dupliciter dici proxima, & expedita ad operandum. Primò, quia nihil aliud requiritur ex parte ipſius potentiæ, quo in actu primo conſtituatur ad actualiter operandum, ſiue ad volendum, & nolendum; & hoc modo liberum arbitrium, poſitis omnibus requiſitis ad operandum poteſt potentia proxima, & expedita operari, & non operari; velle & nolle. Vnde S. Tho. 1. p. q. 83. art. 2. ad 2. ait, quòd *facultas nominat quandoque potentiam expeditam ad operandum, & ſic ponitur in definitione liberi arbitrij.* Secundo modo poteſt dici facultas, vel potentia proxima, & expedita ad operandum; quia in ſua operatione non depẽdet ab alia priori cauſa efficienter ei tribuente ipſum cooperari, vel actualiter cõcurrere; & in hoc ſenſu nulla cauſa ſecunda, quantumuis ponatur perfecta, eſt ſecundùm ſe, & ſeclusa præmotione diuina, expedita ad operãdum; quia, vt ſuprà dictum eſt ex S. Thom. nulla cauſa ſecunda quãtumuis perfecta poteſt in ſuum actum prodire, niſi virtute motionis diuinæ.

XI. Potentia expedita ad operandum, dicitur dupliciter.

Ad quartum reſpõdetur, quod homo non dicitur habere dominium, aut liberum arbitrium reſpectu eius, quod nullo modo eſt in eius poteſtate, nec ab eius volũtate dependet; actus autem liberi, ſiue naturales ſint, ſiue ſupernaturales, ſunt in poteſtate liberi arbitrij creati, non tamen excluſa poteſtate, quam, vt primus, & abſolutus dominus, habet Deus ſuper eoſdem actus. Sed quando actus ſunt libero arbitrio proportionati, habet homo poteſtatem ſuper eoſdem actus, per facultatem naturalem liberi arbitrij, quam per creationem accepit, quamuis, vt hæc poteſtas exeat in actum, neceſſariò requiratur concurſus Dei generalis prævius, vt ſuprà dictum eſt. Si autem ſint ſupernaturales, vel excedentes naturales vires liberi arbitrij, non habet facultatem ſeu poteſtatem ex viribus naturæ ad illos actus producẽdos; ſed hæc poteſtas competit ei per adiutorium gratiæ; vt S. Tho. dicit 2. 2. quæſt. 2. art. 5. ad 1. Illud autem, quod per amicos poſſumus, per nos ipſos poſſe dicimur, vt 3. Ethicor. cap. 3. ait Ariſtoteles.

XII. Diſput 18.

Ad confirmationem reſpondetur, ſolùm concludere, libertatem per eſſentiam, & independẽtem ab alia priori cauſa ſolùm reperiri in Deo, qui eſt ſimpliciter primum liberum, à quo ſubinde tanquam à priori cauſa per ſe efficiente pendet omnis libertas creata, & actualis vſus illius.

Ad quintum reſpondetur, idem argumẽtum fuiſſe obiectum olim contra doctrinam S. Auguſtini, ad quod tamen ſanctus Doctor reſpondet in hæc verba: *Puto Cyprianum, & Ambroſium, quorum tam preclara teſtimonia poſuimus, debere ſufficere, & debere ad vtrumque, id eſt, vt gratiam Dei gratuitam, ſicut credenda, atque prædicanda eſt, per omnia credentes, per omnia prædicent, & eandem prædicationem prædicationi, qua hortamur pigros, vel corripimus malos, non opinentur aduerſam: quia & iſti viri, cum ſic prædicarent Dei gratiam, vt vnius eorum diceret in nullo gloriandum, quando noſtrum nihil ſit; aliter autem, non eſſe in poteſtate noſtra cor noſtrum, & noſtras cogitationes, non tamen hortari, & corripere deſtiterunt, vt fierent præcepta diuina. Nec timuerunt, ne diceretur eis: Quid nos hortamini? Quid corripitis, ſi nihil boni habemus, quod ſit noſtrum, & ſi non eſt in poteſtate noſtra cor noſtrum?*

Aug. lib. de don. perſeu. cap. 19. Prædeſtinatio, & efficacia gratiæ neceſſitatẽ exhortationum, & prædicationis non tollit.

DISPVTATIO CXVIII.

Vtrùm Concordia liberi arbitrij cum infallibilitate Præscientiæ, Prouidentiæ, & Prædestinationis diuinæ, posit naturali ratione demonstrari.

I. HÆc difficultas disputari solet circa diuersa fidei mysteria variis in locis summæ Theologiæ S. Tho. nam 1.p.q. 32. art. 1. quærit S. Doctor: num Trinitas diuinarum personarum possit per naturalem rationem cognosci. Et 3.p.q.1.art. 1. disputant Thomistæ, Vtrùm possibilitas mysterij incarnationis, aut realis eius exequutio possit, saltem à posteriori, solo lumine naturæ euidenter cognosci, aut demonstrari. Et 2.2.quæst. 1.art.4.in controuersiam vertitur generaliter: Vtrùm mysteria nostræ fidei sint euidenter possibilia. In præsenti autem ea sunt à nobis de his quæstionibus attingenda, quæ ad nostrum propositum videbuntur conducere. Et quamuis omnes Catholici conueniant, esse certum, hominem habere liberum arbitrium; quo tamen lumine id sit certum, & qualiter eiusdem arbitrij libertas cum infallibilitate diuinæ præscientiæ, prouidentiæ, & prædestinationis; atque cum efficacia auxiliorum gratiæ cohæreat, non est ita per se notum; vt omnes consentiant, posse naturali lumine euidenter demonstrari. Vnde sanctus August. huius quæstionis difficultatem præsentiens: *Sunt*, inquit, *quidam, qui sic gratiam Dei defendunt, vt negent hominis liberum arbitrium, aut quando gratia defenditur, negari existiment liberum arbitrium.* Et iterum ait: *Ista quæstio, vbi de arbitrio voluntatis, & Dei gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis; vt quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur: quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri.* Et lib. 2. de pec. merit. & remiss. cap. 18. *Ipsa ratio*, inquit, *qua de his rebus à talibus, quales nos sumus, inirs potest, quemlibet nostrum quærentem vehementer angustat, ne sic defendamus gratiam, vt liberum arbitrium auferre videamur; & rursus, ne sic liberum asseramus arbitrium, vt superba impietate ingrati Dei gratiæ iudicemur.*

Concordiæ lib. arb. cum gratia difficultas.

Aug. lib. de grat & lib. arb. c. 1.

Lib. de grat. Christi con. Pelag. & Cœlest. cap. 47.

II. Est ergo prima sententia quorundam Catholicorum, qui affirmant, certum esse ex doctrina fidei, hominem esse liberi arbitrij, tamen id non posse naturali ratione conuinci. Hanc tamen sententiam non oportet in præsenti ex professo impugnare: nam in 1.p.q.83.art.1.& de verit.q.24.art. 1.& 2.& q.6. de malo.attic. vnico, S. Thom. non solùm testimoniis Scripturæ, sed etiam euidentibus rationibus naturalibus demonstrat, hominem habere liberum arbitrium. Vnde in q.24.citata, de verit.art.1.ait, quòd *non solùm fides docet, sed etiam ratio euidens ostendit, esse liberum arbitrium in hominibus.* Quam sententiam pluribus rationibus demonstrat M. Banes 1.p.quæst. 83.art.1.dub.1. conc.3. Sed potissima est, quam assignat S. Thom. eodem art. quia lumine naturæ constat hominem esse animal rationale: ergo euidens est, illum agere libero iudicio rationis, quo potest in diuersa ferri, immo & in opposita. Sed omne illud, quod agit ex libero rationis iudicio, potens ferri ad opposita, habet liberum arbitrium, quia, vt 1.2. notant S. Thom. Philosophi definiunt liberum arbitrium, quòd sit liberum de ratione iudicij: ergo.

Hominem habere liberum arb. & fide, & lumine naturali est notum.

S. Thom. 1. 2.q.17.art.1. ad 2.

III. Secunda sententia est aliorum, qui per oppositum extremum affirmant, non solum esse naturali lumine euidenter notum, hominem arbitrij libertate esse præditum, sed etiam concordiam eiusdem arbitrij, cum infallibilitate diuinæ præscientiæ, & prouidentiæ, dilucidè, & facilè per scientiam mediã concordari posse, de quo disp. 120. agendum est. Probatur autem hæc sententia.

Primò: quia id, quod est naturale, potest naturali lumine demonstrari, sed hominem habere liberum arbitrium, & actualem vsum illius, est veritas naturalis, similiter est naturalis præscientia, & prouidentia, quam Deus habeat de rebus humanis, quæ non pertinent ad ordinem gratiæ: ergo demonstrari potest solo lumine naturæ ratio concordiæ eiusdem arbitrij in huiusmodi rebus humanis cum infallibilitate præscientiæ, & prouidentiæ diuinæ: sed non habet maiorem difficultatem concordia liberi arbitrij cum gratiæ donis: ergo etiam poterit facilè, & dilucidè eadem concordia demonstrari.

Secundò arguitur. Hæretici præsertim nostri temporis, cùm nouas, & inexplicabiles, & cum veritate Catholica repugnantes doctrinas introducere moliti sunt, eas credere iubent, etiamsi nec intelligi, aut cum fidei principiis & rationis lumine accommodari possint. Sic Caluinus cùm asseruisset, Deum opera mala ita vt bona in nobis operari, subdit: *Si quis hoc mentis suæ captui superius esse excipiat, idem de me fateor. Sed quid mirum, si modulum nostrum incomprehensibilis, & immensa Dei maiestas exsuperet? Atqui tantùm abest, vt pro carnis ratione explicandum suscipiam sublime istud, reconditúmque arcanum, vt quod initio præfatus sum, assiduè in memoriam redire velim, desipere, qui plus scire appetunt, quàm Deus reuelauerit. Quare nos potius docta ignorantia delectet, quàm intemperans, & ebria plus, quam Deus permittit, curiositas:* ergo non licet viro Catholico talem concordiam liberi arbitrij cum gratiæ donis statuere, quæ plenè intelligi, aut intellectu humano capi non possit; sed sit quasi oculis clausis accipienda, vel sicut mysterium Trinitatis credenda.

Concordiã lib. arb. cum gratia demonstrari posse, quidã sentiunt.

Caluin. libr. de æter. Dei prædest. cõtra Pighium pag. 136 ante §. persequimur.

Tertiò idipsum probari potest. Multa mysteria supernaturalia citra visionem beatificam possunt euidenter cognosci, aut rationibus euidentibus demonstrari; ergo è fortiori demonstrari poterit lumine naturali ratio concordiæ liberi arbitrij cum infallibilitate præscientiæ, & prouidentiæ diuinæ. Antecedens probatur: nam habitus fidei potest euidenter cognosci lumine naturæ. Angelus enim, dum erat viator, euidenter cognoscebat omnia, quæ erant intra ipsum: habitus autem fidei erat intra ipsum Angelum; inhærebat enim eius intellectui: sed huiusmodi habitus per se inclinat ad assensum mysterij Trinitatis: ergo inclinatio ad huiusmodi assensum potest lumine naturæ euidenter cognosci, ac per consequens etiam poterit cognosci euidenter obiectum illius inclinationis, scilicet Trinitas personarum subsistentium in eadem numero natura diuina.

Confirmatur primò. Angelus euidenter cognoscebat, se habere assensum huius propositionis: Deus est trinus, & vnus: si quidem experiebatur in se talem assensum, ergo euidens erat Angelo, quòd ille assensus erat supernaturalis. Patet consequentia: nam inter naturalem, & supernaturalem assensum non datur medium. Sed euidens erat Angelo, quòd ille assensus non erat naturalis: nam euidenter cognoscebat omnia naturalia; inter quæ tamen non videbat talem assensum, & obiectum illius: ergo euidenter cognoscebat, illum assensum, & obiectum illius esse supernaturale: ergo lumine naturali euidenter cognoscebat verum esse, quòd Deus sit trinus & vnus.

Confirmatur secundò. Lumine naturæ est euidens, Deum habere intellectum & voluntatem: ergo est euidẽs, quòd cognoscit, & amat seipsum: ergo est euidẽs, quòd producit Verbũ, & amorẽ eiusdem

substantiæ, & naturæ cum ipso Deo: etenim per actionem intellectus, & voluntatis necessariò producitur aliquis terminus manens in agente. Sed euidens est, quòd talis terminus non potest in Deo esse accidens, cùm lumine naturæ sit notum, in Deo nullum dari accidens: ergo est euidens, esse substantiam; ac per consequens euidens est, quòd in Deo sit vna persona producens, & duæ productæ, vna per intellectum, alia per voluntatem: impossibile est enim quòd aliquis producat seipsum: ergo Trinitas personarum est euidenter cognoscibilis per naturam.

IV. Quartò arguitur. Mysterium Trinitatis est euidenter credibile, vt fatentur communiter Theologi: ergo euidenter possibile: ergo euidenter verum. Prima consequentia probatur: nam quod est euidenter impossibile, est euidenter incredibile: ergo arguendo ex opposito consequentis ad oppositum antecedentis, quod est euidenter credibile, erit euidenter possibile. Secunda verò consequentia est nota: nam, vt docet Aristoteles, in æternis idem est esse, & posse.

Arist. 3. Phy. tex. 32.

V. Tertia sententia fatetur, arbitrij nostri libertatem posse quidem solo lumine naturæ euidenter cognosci, & demonstrati: qualiter autem actualis vsus illius stet simul cum infallibilitate præscientiæ, prouidentiæ, & prædestinationis diuinæ, atque cum efficacia auxiliorum diuinæ gratiæ, non posse perfectè solo lumine naturæ cognosci, aut comprehendi: & ideo rationem huius concordiæ credendam esse, & captiuandum intellectum in obsequium fidei. In hanc sententiam propendit Caietanus 1. p. q. 22. art. 4. §. ad hanc dubitationem; vbi præsentem difficultatem resoluens, postquam retulit sententiam asserentiũ, quòd idem actus cõting ns futurus euitabilis est & ineuitabilis; euitabilis quidẽ secundùm se, ineuitabilis verò secundùm quòd est prouisus; sic concludit: *Quiescet intellectus noster, non euidentia veritatis inspecta, sed altitudine inaccessibili veritatis occulta. Et hoc ingenuo vero sanus rationabile videtur, tum propter rationem prædictam, tum quoniam, vt ait Gregor. Minus de Deo sentit, qui hoc tantùm de illo credit, quod suo ingenio metiri potest. Nec propterea negandum aliquid eorum, quæ ad diuinam immutabilitatem, actualitatem, eternitudinem, atque vniuersalitatem, & similia spectare scimus, aut fide tenemus, suspicor: sed aliquod occultum latere, vel ex parte ordinis, qui est inter Deum, & euentum prouisum, vel ex gluino inter ipsum euentum & esse prouisum arbitror; & sic intellectum animæ nostræ oculum noctuæ esse considerans, in ignorantia sola quietem illius inuenio. Melius est enim tam fidei Catholicæ, quàm Philosophicæ, fateri cæcitatem nostram, quàm offerre tanquam euidentia, quæ intellectum non quietant: euidentia namque quietatiua est. Nec propterea omnes Doctores præsumptionis accuso: quoniam balbutiendo, vt potuerunt immobilitatem, ac efficaciam summam, & æternam diuini intellectus, voluntatis, potestatisque æstimare intenderunt omnes per infallibilitatem ordinis diuinæ electionis ad euentus omnes, quorum mihi præfata suspicionis obstat, quæ altius quid in eis latere credit: Et verè, si sic prædicaretur, nullus fortè circa prædestinationem erraret Christianus, sicut non errat in materia Trinitatis: quia dicitur, & scribitur, & ita est, quòd occulta est humano intellectui, & sola fides sufficit.* Hæc ex Caietano transcripsi, quoniam piissimè loquitur, & verba eius modestiam, & humilitatem redolent Christianam. Quem imitatus M. Bañes, inquit: *Si quis non intelligit, quomodo vsus liberi arbitrij sit liber, & nihilominus sit effectus iam prædefinitus à diuina prouidentia, oportet eum credere.* Et alibi: *Primum omnium debuissent credere, quod aiunt, se non posse intelligere, credimus enim Catholici mysterium Trinitatis, etiamsi non intelligamus.*

Concordia liberi arb. cum efficacia diuinæ gratiæ solo lumine naturæ euidẽter cognosci non potest.

Bañes 1. p. q. 23. art. 5.

2. 2. q. 10. art. 1.

VI. HAnc sententiam veram esse censeo, & ad mentem S. Augustini & S. Thomæ, ad cuius euidentiam considerandum est, contingere multoties, quòd aliqua duo extrema secundùm se considerata euidenter cognoscantur solo lumine naturæ, & tamen connexio, quam inter se habent, & modus connexionis absque lumine superiori, certò cognosci non possit, aut demonstrari. Verbi gratia, Deum esse, est per se notum: & hominem esse, etiam est notum lumine naturæ: sed quòd Deus sit homo, & homo sit Deus, solùm per diuinam reuelationem cognoscitur. Similiter etiam, quando vnum extremum est naturaliter cognoscibile, alterum verò solùm cognoscitur per lumen supernaturale, connexio vtriusque, & modus, quo inter se cohæreant, euidenter demonstrari non potest; quamuis alterum extremum solo lumine naturæ comprehendatur. Et ratio huius est: nam connexio inter duo extrema, & modus eiusdem connexionis euidenter cognosci non potest, nisi vtrumque extremum euidenter cognoscatur: ergo quotiescunque alterum extremum est supernaturale, impossibile est, quòd solo lumine naturæ euidenter cognoscatur connexio, quam habet cum alio extremo; etiamsi illud alterum extremum ordinem naturæ non transcendat.

Probatur ergo nostra sententia testimoniis S. Aug inductis, & aliis, quæ adducentur infrà, in quibus expressè fatetur, concordiam liberi arbitrij cum prædestinatione, & gratia perfectè non posse humana ratione cognosci, aut comprehendi.

Secundò probatur ratione: nam in rebus fidei, cùm sit de non visis, suspecta esse debet omnis euidentia, aut claritas, nec propterea aliquid reputandum est verum comprehendi, aut intelligi à nobis potest facilè: nam contingit, quòd ex vna parte aliqua doctrina facilitatem præ se ferre videatur, & ex alia principiis fidei sit repugnans. Verbi gratia, faciliùs concipit intellectus noster solo lumine naturæ ductus, quòd corpus Christi sit in sacramento Eucharistiæ, tanquam in signo, & non secundùm realem præsentiam, sicut asserunt hæretici Lutherani: nam per eorum positionem facilè soluuntur omnes rationes naturales, quæ contra hoc venerandum sacramentum ab infidelibus obiiciuntur. Similiter etiam faciliùs percipit idem intellectus, Deũ esse vnum in essentia, non autem trinum in personis, sicut posuerunt Philosophi antiqui, non tamen propterea id debet à viro Catholico verum existimari, quia illud facilè noster intellectus potest capere, aut quoniam apparet nobis clariùs: aliàs profectò fides Catholica abiicienda esset, in cuius mysteriis explicandis, & defendendis occurrunt difficultates quamplurimæ, & solùm ea, quæ intellectus noster facilè capit, suscipienda: quod tamen & doctrinæ Ecclesiæ, & auctoritati Scripturæ repugnat, quæ ait: *Nec oculus vidit, nec auris audiuit, neque in cor hominis ascenderunt, quæ præparauit Deus iis, qui diligunt illum:* Vnde S. Aug. ait: *Nunquid ideo negandum est, quod apertum est, quia comprehendi non potest, quod occultum est? Nunquid, inquam, propterea dicimus, quod ita perspicimus non ita esse, quoniam, cur ita sit, non possumus inuenire?* Et in alio loco inquit. *Ego autem, etsi argumenta illorum soluere non valeam, video tamen inhærendum esse iis, quæ in Scripturis sunt apertissima; vt ex his reuelentur obscura, aut si mens nondum est idonea, quæ possit ea vel demonstrata cernere, vel absque ulla inuestigare, sine vlla hæsitatione credantur.* Et sermo. 20. de verbis Apostoli: *Melior est*, inquit, *fidelis ignorantia, quam temeraria scientia.* Et Hieronymus: *Melius est aliquid nescire, quàm cum periculo discere.* Et Irenæus lib. 2. aduersùs hæres. cap. 45. *Melius ergo, & vtilius, idiotas, & parum scientes existere,*

VII. Claritas in rebus fidei suspecta esse debet.

1. Cor. 2.

Fidei mysteria etiamsi non intelligantur credenda sunt. Aug. lib. de don. perseu. c. 14.

Aug. lib. 3. de pec. mer. & remiss. cont. Pelag. cap. 4.

& per

& per charitatem proximum fieri Deo, quàm putare multum ſcire, & multum expertes in ſuum Deum blaſphemos inueniri. Non ergo propterea ratio concordiæ liberi arbitrij cum gratiæ donis, quæ à ſancto Auguſtino, S.Thoma, ac eorum diſcipulis aſſignatur, reiicienda eſt, quia eam plenè intellectus noſter videre, aut comprehendere non poteſt.

VIII. Tertiò probatur. Quia, licèt noſtrum liberum arbitrium intra limites naturæ contineatur, gratia tamen diuina, & eius efficacia totum naturæ ordinem excedit: ergo vtriuſque connexio, & concordia non poteſt perfectè, aut euidenter, pro hoc ſtatu, ab intellectu noſtro cognoſci, aut comprehendi. Patet conſequentia: nam, vt oſtenſum eſt, connexio, & concordia duorum extremorum, quorum alterum eſt ſupernaturale, non poteſt perfectè ſolo lumine naturæ cognoſci, aut demonſtrari.

Quartò. Quia etiam in naturalibus multa ſunt, quorum rationes non poteſt homo perfectè cognoſcere, aut demonſtrare; ſcilicet modus, quo anima rationalis eſt tota in toto, & tota in qualibet parte: & modus, quo Deus eſt in omnibus rebus per eſſentiam, præſentiam, & potentiam: & in formica, apibus, & aliis minutiſſimis animantibus multa reperiuntur, in quorum cognitione plurimùm laborant homines, propter quod ait Sapiens: *Et difficile æſtimamus, quæ in terra ſunt: & quæ in proſpectu ſunt, inuenimus cum labore. Quæ autem in cœlis ſunt, quis inueſtigabit? Senſum autem tuum quis ſciet, niſi tu dederis ſapientiam, & miſeris Spiritum ſanctum tuum de altiſſimis?* Vnde ſanctus Auguſtinus, poſtquam in ſecundo libro de Trinitate quæſtionem illam: Vtrùm creaturæ ſpirituales ſua naturali virtute miracula facere poſſint, diligenter pertractaſſet, concludit in fine: *Mihi omnino vile eſt, vt meminerim virium mearum, fratréſque meos admoneam, vt meminerint ſuarum, ne vltra quàm tutum eſt, humana progrediatur infirmitas. Quemadmodum enim hoc faciant Angeli, vel potiùs quemadmodum Deus hoc faciat per Angelos ſuos, nec oculorum acie penetrare, nec fiducia rationis enucleare, nec prouentu mentis comprehendere valeo, vt tam certus loquar ad omnia, quæ requiris de his rebus poſſunt, quàm ſi eſſem Angelus, aut Propheta, aut Apoſtolus. Vnde & hac moderatione adhibita, abſque aſſertione, & ſententia melioris præiudicio procedendum eſt, quantùm ratio, & auctoritas poterit adiuuare.*

Quintò. Omnipotentia Dei, cùm ſit infinita, non poteſt ab humano intellectu perfectè cognoſci, aut comprehendi, ſed Deus ſua omnipotentia facit, quòd homo, cuius cor mouet, velit, & liberè velit. Dicit enim S. Thom. quòd etiamſi Deus voluntatem hominis in aliud mutet, nihilominùs *tamen hoc ſua omnipotentia facit*, vt illud, in quo mutatur, voluntariè velit: ergo non poteſt perfectè ab homine cognoſci, aut comprehendi, quomodo ſtet libertas arbitrij cum motione Dei efficaci, aut cum infallibilitate prouidentiæ, & prædeſtinationis diuinæ.

IX. AD primum argumentum reſpondetur, quòd, quamuis ſit veritas naturalis, conſtetque experientia ipſa, hominem habere liberum arbitrium, eius tamen connexio cum gratia efficaci, & modus connexionis demonſtrari non poteſt, aut pro iſto ſtatu euidenter cognoſci.

Ad ſecundum reſpondetur, quòd hæretici ideo inhibent, vt credantur, quæ docent, ne deprehendatur falſitas, impietas, & repugnantia cum veritate Catholica in ſectis eorū, quæ pro ſuo cerebro, Sede Apoſtolica repugnante, repugnantibus Conciliis ſacris, immo & diuinis literis, atque naturali lumine, introducere conantur. Catholici autem credi volunt, quæ fides docet, vt intelligantur, quia humana ratione inueſtigari non poſſunt, aut comprehendi. Vnde Dominus de magno, atque à ſæculis abſcōdito incarnationis myſterio loquutus, ait: *Si non crediderit is, non intelliget is*: vt innueret fidei myſteria, vt intelligantur, credenda eſſe. Vnde ſanctus Petrus Apoſtolus: *Nos* inquit, *credimus, & cognouimus, quia tu es Chriſtus Filius Dei.* Vbi, vt adnotant Auguſtinus, priùs dixit, credimus, quàm cognouimus; vt doceret, occulta Dei myſteria credenda eſſe, vt cognoſcantur, & fidem cognitioni eſſe præmittendam. Iudæi autem increduli videre priùs cupiebant, quæ fide credenda erant. Dicebant enim: *Quod ergo tu facis ſignum, vt videamus, & credamus?* Volebant priùs videre, quàm credere. Thomas etiā Apoſtolus: *Niſi videro*, inquit, *fixurā clauorū in manibus eius, & mittam digitum meum in loco clauorū, & mittam manum meam in latus eius, non credam.* Propter quod infidelitatis eum arguit Chriſtus Dominus: *Noli*, inquiens, *eſſe incredulus, ſed fidelis.* Et iterum: *Quia vidiſti me Thoma, credidiſti: beati, qui non viderunt, & crediderunt.*

Iſai. 7. iuxta translat. ſeptuagin. Interpr.

Ioan. 5. Aug. tract. 7. ſup. Ioan.

Ioan. 6. Ioan. 20.

Intelligi nō poſſunt ab homine perfectè multa naturalia.

Sap. 9.

S. Aug. lib. 2. de Trin. in fine, quē refert S. Th. q. 6. de potentia, art. 3. in corp.

S. Th. 2. ſen. d. 15. q. 1 ar. 2. ad 1.

Omnipotētia Dei perfectè ab homine cognoſci non poteſt.

Fidei myſteria credenda ſunt, vt intelligantur.

X. Ad tertium reſpondetur, myſteria, quæ per ſe pertinent ad fidem, non poſſe niſi per viſionem beatificam quidditatiuè cognoſci, aut euidenter demonſtrari. Et ad impugnationem Caietanus videtur inſinuare, quòd quilibet Angelus per ſpecies inditas, & connaturales euidenter cognouerit habitus ſupernaturales ſibi infuſos: ait enim, quòd per illas ſpecies cognouerunt Angeli fidem, ſpem, & charitatem naturali cognitione, non abſolutè, & ſecundùm ſe; niſi, vt pertinent ad ipſum Angelum, qui ſe perfectè cognoſcit. Sed quidquid ſit de ſententia Caietani, reſpondetur, quòd, vt docet ſanctus Thomas, obiectum Theologicarum virtutum, & conſequenter ipſæ virtutes Theologicæ, naturali ratione comprehendi non poſſunt, aut euidenter demonſtrari. Vnde etiam ſupremus Angelus non cognouit euidenter per lumen naturæ habitus ſupernaturales, aut ſupernaturales actus, quos produxit; ſicut nec gratiam habitualem, quia, vt prima ſecundæ, quæſtione 112. artic. quinto, docet ſanctus Thomas, nullus poteſt, ſecluſa diuina reuelatione, certitudine infallibili cognoſcere ſe, vel alium habere gratiam habitualem. Et ratio, quam aſſignat, id ſuadet, quia nullus poteſt ſcire, ſe habere ſcientiam alicuius concluſionis, ſi principium ignoraret. Principium autem gratiæ, & obiectum eius eſt ipſe Deus, qui, propter ſui excellentiam, eſt nobis ignotus, ſecundùm illud Iob 36. *Ecce Deus magnus vincens ſcientiam noſtram.* Et ideo eius præſentia in nobis, & abſentia per certitudinem cognoſci non poteſt, ſecundùm illud Iob 9. *Si venerit ad me, non videbo eum: ſi autem abierit, non intelligam.*

Caiet. 3. p. q. 76. art. 7. in ſolut. ad vlt confir.

S. Th. 1. 2. q. 62. art. 1. in corp.

Angelus etiam ſupremus ſolo lumine naturæ habitus infuſos cognoſcere euidenter non poteſt.

XI. Ad primam confirmationem reſpondetur, Angelum non cognouiſſe euidenter aſſenſum myſterij Trinitatis, quem eliciebat, eſſe ſupernaturalem, & non naturalem; quoniam, licèt relictus ſuæ naturæ euidenter cognoſcat omnia obiecta naturalia, & omnes actus naturalis ordinis, etiam liberos à ſe elicitos; Deus tamen ſua potentia abſoluta poterat illi occultare aliquod obiectum naturale; & quoniam ipſe Angelus non poterat euidenter ſolo lumine naturæ cognoſcere, an Deus in hac parte vteretur ſua potentia abſoluta, cùm id dependeat ex mera Dei voluntate: ideo non potuit euidenter cognoſcere, aſſenſum, quem eliciebat circa myſterium Trinitatis, aut circa obiectum illius, non eſſe naturalem, ſed ſupernaturalem.

Sed contrà: nam ſaltem Angelus ſupremus euidenter cognoſcebat, illam reuelationem myſterij Trinitatis non fieri ab alio Angelo inferiori: nam euidenter ſciebat, ſe eſſe omnibus ſuperiorē, & nullū Angelum inferiorē poſſe illuminare ſupetiorē, vt 1.

part.quæſt. 107. articulo 3. oſtendit ſanctus Thom. ergo euidenter cognoſcebat, illam reuelationem ſibi à Deo immediatè factam fuiſſe, & conſequenter, myſterium reuelatum eſſe verum: nam euidens illi erat, Deum mentiri non poſſe, aut quempiam decipere.

Reſpondent quidam, argumentum vt plurimùm concludere, ſupremum Angelum habuiſſe euidentiam in atteſtante myſterij Trinitatis, & aliorum, quæ à principio cognouit per fidem. Nos tamen dicimus, quòd, quamuis eſſet euidens ſupremo Angelo, ſe eſſe ſuperiorem omnibus ſecundùm eſſe naturale, non tamen erat illi euidens, ſe habere gratiam, vt ex præmiſſis conſtat: nec euidenter cognoſcebat, Angelum ſuperiorem in eſſe naturæ etiam eſſe ſuperiorem in ordine gratiæ. Per hanc doctrinam ſoluitur ſimile argumentum, quod in tertia parte fieri ſolet ad probandum, Angelos virtute naturali euidenter cognouiſſe, humanitatem Chriſti Domini ſubſiſtere per ſubſiſtentiam increatam, & ita cognouiſſe per ſua naturalia incarnationis myſterium, poſtquam reipſa fuit exequutioni mandatum. Dicendũ eſt enim, illum non cognouiſſe euidenter ſolo lumine naturæ, ſubſiſtentiam illam, qua humanitas Chriſti ſubſiſtebat, non eſſe creatam; quoniam, licèt inter creatas ſubſiſtentias, non videret ſubſiſtentiam humanitatis Chriſti; neſciebat tamen, ſtando in ſolo lumine naturæ, an reuera humanitas Chriſti haberet propriam ſubſiſtentiam, & propter aliquod myſterium ei celaretur. Angeli autem beati per diuinam reuelationem cognouerunt incarnationis myſterium, & conſequenter etiam cognouerunt certa cognitione, humanitatẽ Chriſti immediatè, & formaliter ſubſiſtere per increatã ſubſiſtentiã Verbi.

Angelus ſolo lumine naturæ non cognouit euidẽter incarnationis myſterium.

XII. Trinitatis myſterium non demõſtratur ratione naturali.

Ad ſecundam confirmationẽ reſpondetur, quòd, quamuis ſit certum, quòd per cognitionem creatam naturalem producatur Verbum, non tamen eſt euidens, aut certum, immo neque verum, quòd per omnem cognitionem producatur Verbum. Etenim probabiliſſima ſententia eſt, quòd per beatificam viſionem beati non producant Verbum, vt 1. parte, quæſtione 12. docent Thomiſtæ quamplurimi; & de fide eſt, quòd Spiritus ſanctus, & ſimiliter Filius Dei ſuam eſſentiam cognoſcendo, non producant Verbum; vnde non eſt euidens lumine naturæ, Deum, ſeipſum cognoſcendo, Verbum producere. Ratio autem, qua ex iis, quæ contingunt in cognitione creata, deducit ſanctus Thomas, in diuinis eſſe generationem ſubſtantialem Verbi, non eſt demonſtratiua, ſed probabilis coniectura ad ſuadendum, & explicandum ea, quæ de generatione æterna Verbi diuini docet fides Catholica.

Sed contra hoc eſt argumentum: nam, vt 1. part. quæſt. 93. articulo 5. in corpore docet ſanctus Tho. in homine eſt imago Dei, non ſolùm ſecundùm imitationem diuinæ naturæ, ſed etiam ſecundùm repræſentationem trium perſonarum, quia ſicut in diuinis ſunt tres perſonæ in vna eſſentia, ita proportionabiliter in homine ſunt tres potentiæ in eadem anima: ergo ſicut per lumen naturale poteſt homo à poſteriori euidenter demonſtrare, Deum eſſe; ita etiam poterit per effectus repræſentantes Trinitatem perſonarum videlicet per cognitionem ſui, euidenter cognoſcere myſterium Trinitatis.

Trinitatis imago qualis ſit in homine.

Reſpondetur, quòd eſſe vnum Deum euidenter demonſtratur à poſteriori per creaturas, quoniam conſequentia iſta eſt euidens: Sunt creaturæ productæ: ergo datur vnum primum principium efficiens, & in ſuo independens ab alio: aliàs in cauſis efficientibus daretur proceſſus in infinitum, vt 1. part. q. ſecund. art. 3. in corp. oſtendit ſanctus Thomas: & quantùm ad an ſit, ipſæ creaturæ perfectè demõſtrant Deum à poſteriori. Imago autem Dei, quæ eſt in homine non perfectè repræſentat Deum, vt eſt trinus, & vnus, etiam quoad quæſtionem, An eſt, ſed ſolùm imperfecto modo, vt in eodem artic. 5. quæſt. 93. ſolut. ad 3. docet S. Thom. Et ratio huius eſt: nam relationes diuinæ conſtitutiuæ perſonarum ſolùm importãt reſpectum ad intra: vnde ipſe Deus, in quantùm trinus, nullum effectum producit ad extra, ſed per aliquid commune tribus perſonis, ſcilicet per ſuam omnipotentiam: vnde nullus effectus Dei poteſt euidenter, etiam à poſteriori demonſtrare Trinitatem perſonarum, ſed ſolùm vnitatem diuinæ eſſentiæ.

XIV. Trinitatis myſterium non eſt nobis euidenter poſſibile.

Ad quartum reſpondetur, Myſterium Trinitatis eſſe quidem euidenter credibile, ſicut ſunt alia myſteria noſtræ fidei, non tamen ſequitur, quòd ſit nobis euidenter poſſibile, aut verum: nam multa falſa, immo & impoſſibilia ſunt probabiliora veris. Et ratio eſt; nam euidentia credibilitatis, & ipſa credibilitas ſumitur ex auctoritate dicentium, & ex aliis ſignis extrinſecis: poſſibilitas autem fundatur in ipſa natura rei. Vnde quamuis ſit magis probabile, & conſequenter euidenter credibile, quòd quantitas diſtinguatur à re quanta: poteſt eſſe quòd in re ſit impoſſibile. Ad impugnationem dicitur, conſequentiam factam non procedere ex oppoſito conſequentis ad oppoſitum antecedentis; quia tam antecedens, quàm conſequens vtriuſque conſequentiæ eſt affirmatiuum, & ita non opponuntur inter ſe. Vt autem ex oppoſito conſequentis huius conſequentiæ, hoc eſt euidenter impoſſibile: ergo eſt euidenter incredibile; fiat argumentum ad oppoſitum antecedentis, ſic debemus argumentari: Hoc non eſt euidenter incredibile: ergo non eſt euidenter impoſſibile, & in vtraque conſequentia conſequens eſt verum, ſicut & antecedens, quia neque habemus euidentiam, quòd myſterium Trinitatis ſit poſſibile, neque quòd ſit impoſſibile. Licèt enim à parte rei non ſolùm ſit poſſibile, Deum eſſe trinum, ſed etiam neceſſarium; id tamen euidenter, vt dictum eſt, nulli creaturæ poteſt conſtare, ſecluſa viſione beatifica.

Conſequentia ex oppoſito conſequentis ad oppoſitum antecedentis quæ ſit.

DISPVTATIO CXIX.

Vtrùm ſaltem per potentiam Dei abſolutam poſſit aliqua creatura, ſecluſa viſione beatifica, habere cognitionem euidentem Myſteriorum, quæ per ſe pertinent ad fidem.

I. PRO explicatione huius difficultatis notandum, quòd dupliciter aliqua cognitio poteſt eſſe euidens. Primò extrinſecè, quia videlicet obiectum non cognoſcitur euidenter in ſeipſo, ſed in alio, ſcilicet in atteſtante, qui mentiri non poteſt, vt ſi quis euidenter cognoſceret, Deum aliquid dicere, vel atteſtari, per euidentem conſequentiam deduceret, illud eſſe verum: nam euidens eſt, Deum mentiri non poſſe, aut aliquem decipere, cùm ſit prima veritas. Secundò, poteſt cognitio eſſe euidens intrinſecè, & in ſeipſa, ſiue euidentia ſit à priori, ſiue à poſteriori, ſiue quantùm ad quæſtionem, an res ſit, ſiue quantùm ad quæſtionem, quid ſit. Et quidem in primo ſenſu agitur ex profeſſo de hac difficultate 2. 1. quæſt. 5. artic. 1. de qua diſputat ibi Bañes. & Caietanus, & quæſt. 171. art. 5. Denique in 3. p. q. 11. art. 1. diſputatur: An anima Chriſti per ſcientiam inditam euidenter cognouerit myſterium Trinitatis, & alios articulos noſtræ fidei; & grauiſſimi Theologi, quibus

attentior,

Digitized by Google

assentior, fatentur, illos euidenter cognouisse euidentia in attestante. Et ratio est: nam anima Christi per scientiam inditam certissimè cognoscebat, se in esse supernaturali gratiæ supremam esse inter omnes creaturas, & consequenter certò sciebat, Deum esse, qui immediatè reuelabat illi hæc mysteria. Cùm ergo ipse euidenter cognouerit, Deum mentiri non posse, relinquitur, quòd per scientiam inditam habuerit euidentiam in attestante mysteriorum fidei. Verùm autem cum hac eadem euidentia sit compossibilis fides in Angelis, vel hominibus, disputatur ex professo, secunda secundæ, q. 5. allegata. In præsenti ergo non loquimur de euidentia in attestante, sed de euidentia intrinseca rei à priori, vel à posteriori.

A

II. Est ergo prima sententia quorundam recentiorum asserentium, citra visionem beatificam, & euidentiam in testificante, dari posse alijs modis euidentem cognitionem mysterij Trinitatis, & aliorum, quæ per se pertinent ad fidem. Probant hanc sententiam;

B

Primò: nam quidquid non implicat contradictionem, potest Deus facere, sed non implicat contradictionem, dari euidentem cognitionem mysterij Trinitatis alijs modis distinctis à visione beatifica, & euidentia in attestante: ergo.

Secundò: nam, vt patebit infrà, multi, & graues Doctores constituunt alios plures modos, quibus à pura creatura mysterium Trinitatis potest euidèter cognosci: ergo non est dicendum id esse impossibile.

C

Trinitatis euidens cognitio haberi nõ potest nisi per visionem beatã, & in attestante.

COntrariam sententiam docet Durand. quæst. 3. prologi, quam sequuntur communiter Thomistæ, & nobis videtur ad mentem S. Tho. 1. p. q. 32. art. 1. Probatur primò, ratione desumpta ex eodem art. 1. Nam, secluſa euidentia in attestante, & illa, quæ habetur per visionem beatam, in qua essentia diuina vnitur intellectui creato, in ratione speciei intelligibilis, nulla alia euidentia haberi potest mysterij Trinitatis, etiam à posteriori: nam, vt 1. p. quæst. 12. art. 2. ostendit S. Thom. nulla species creata potest quidditatiuè Deum repræsentare, sicut est in seipso: sed est impossibile, dari euidentem cognitionem à posteriori mysterij Trinitatis; quia nullus effectus repræsentat, aut repræsentare potest euidenter mysterium Trinitatis, quantùm ad constitutionem, & distinctionem diuinarum personarum, vt suprà ostensum est: ergo.

D

Secundò probatur, destruendo omnes alios modos, quibus auctores primæ sententiæ contendunt, posse euidenter mysterium Trinitatis cognosci. Primus modus est per notitiam abstractiuam, qua cognoscitur, non quidem Trinitatem actu existere à parte rei, sed connexione trium personarum cũ diuinitate; sicut quando dicimus, hominem esse animal rationale, admiratiuum, risibile, &c. hæc enim notitia est abstractiua, quia nihil horum affirmamus existere, sed tantùm asserimus connexionẽ prædicati cum subiecto, ita vt, si homo existat, necesse sit, animal rationale, admiratiuũ, ac risibile existere. Et hoc modo affirmant posse per speciem creatam, Trinitatem personarum à puro viatore euidenter cognosci. Ita sentiunt aliqui ex recentioribus Theologis.

E

III. Trinitatis euidens cognitio abstractiua dari non potest.

Sed hic modus impugnatur à Thomistis, qui sentiunt, per nullam speciem creatam posse repræsentari quidditatiuè essentiam diuinam, vt est in se. Præterea ostenditur impossibilitas illius; quia implicat, quòd quis cognoscat quidditatiuè essentiam diuinam, quin cognoscat actualem existentiam illius: nam de quidditate Dei est existentia actualis; immo habere esse per essentiam, siue esse ipsum ens per essentiam infinitum, & illimitatum, præhabens in se quidquid pertinet ad perfectionem entis, est propria quidditas, & essentia Dei, secundùm nostrum modum concipiendi; iuxta illud: *Qui est, misit me ad vos.* Et: *Ego sum, qui sum*: quod etiam sanctus Thomas docet 1. parte, quæst. 4. art. 2. & ratio id suadet: nam habere esse per essentiam, est propria perfectio, quæ nostro modo intelligendi præsupponitur in Deo ad omnes alias perfectiones, & per quam, tanquam per rationem, quæ primò concipitur de Deo, reliquæ demonstrantur. Vnde sanctus Thomas 1. part. quæst. 3. art. 1. in secunda ratione demonstrat, Deum non esse corpus, quia est primum ens per essentiam, nullam includens potentialitatem: & quæst. 4. art. 2. ostendit, in Deo esse perfectiones omnium rerum, quia est primum ens per se subsistens, & q. 9. art. 1. ratione 1. concludit, Deum esse immutabilem, quia est purus actus. Denique in discursu primæ partis, omnes alias perfectiones, quæ sunt in Deo, reducit tanquam ad primam simpliciter, nostro modo concipiendi, ad ipsum esse per essentiam; & in eo sistit, nec ex alia priori ratione ostendit, Deum habere esse per essentiam. Confirmatur: nam, quia esse animal rationale est quidditas hominis; impossibile est, hominem cognoscere quidditatiuè, nisi cognoscatur, illum esse animal rationale. Cùm ergo esse existentiæ sit de quidditate Dei, impossibile erit cognoscere Deum quidditatiuè, quin cognoscatur actualis existentia, quam habet in tribus personis.

Exod. 3.

IV. Prima solutio.

Ad hoc argumentum duæ adhibentur solutiones. Prima est, quòd licèt de quidditate Dei sit actualis existentia, & ideo non possit perfectè cognosci quidditatiuè mysterium Trinitatis, quin actualis existentia illius cognoscatur, nihilominùs imperfectè, & confusè potest cognosci quidditatiuè absque huiusmodi existentia. Dicunt enim, non esse necessarium, vt ille, qui cognoscit aliquam rem quidditatiuè, cognoscat omnia eius prædicata quidditatiua, sed sufficere, quòd potiora cognoscat, alias quicunque cognosceret quidditatiuè Deum vel creaturam, cognosceret etiam comprehensiuè; quod est falsum: nam omnes beati cognoscunt Deum quidditatiuè, quem tamen non comprehendunt. Hæc tamen solutio facilè impugnatur. Primo: nam implicat in adiecto cognoscere aliquid imperfectè, & confusè, & cognoscere illud quidditatiuè: cognitio enim quidditatiua est cognitio rei distincta, vt est in se. Vnde, qui solùm cognosceret de homine, quòd est ens, non cognosceret illum quidditatiuè. Secundò: nam ad cognoscendum aliquam rem quidditatiuè; necesse est cognoscere omnia eius prædicata essentialia. Qui enim ignoraret aliquod prædicatum essentiale hominis, vt quòd sit rationalis, aut quòd sit animal, non cognosceret illum quidditatiuè. Tertiò: nam hæc solutio supponit vnum falsum, videlicet cognitionem, qua cognoscuntur omnia prædicata quidditatiua Dei esse cognitionem comprehensiuam illius: hoc enim est falsum, nam ad cognitionem comprehensiuam alicuius rei, non sufficit cognoscere omnia eius prædicata quidditatiua, aut ea, quæ formaliter reperiuntur in illa re; sed vltra hoc requiritur, quòd cognoscantur omnia, quæ eminenter, aut virtualiter sunt in illa; & propterea beati, etiamsi videant omnia, quæ formaliter sunt in Deo, quia tamen non cognoscunt omnia, quæ sunt virtualiter in potentia illius, videlicet omnes creaturas possibiles, ideò propriè non comprehendunt Deum, vt 1. parte, quæst. 12. art. 7. docet sanctus Thomas.

Cognitio quidditatiua imperfecta, & confusa esse nõ potest.

Cognitio comprehẽsiua, quæ sit.

V. Secũda solutio.

Secunda solutio est, existentiam actualem esse præcipuum prædicatum Dei, quo maximè distinguitur à creaturis. Vnde qui illud non attingeret, nõ diceretur simpliciter cognoscere Deũ quidditatiuè; nihilominùs diceretur cognoscere illum in seipso, &

per

Digitized by Google

per propriam speciem abstractiuè: & hæc notitia abstractiua, asserunt Deum cognosci posse, vt trinum, absque visione beatifica. Sed contra hanc solutionem est argumentum: nam euidens cognitio rei in seipsa, quæ non habetur à posteriori per effectum, est cognitio quidditatiua: ergo, cùm illa cognitio Dei non sit ab effectu, & sit cognitio euidens rei in seipsa, erit cognitio quidditatiua: cuius contrarium docet hæc solutio. Præterea: nam qui videret clarè, & euidenter diuinam essentiam, vt est in se, necessariò diligeret Deum, & consequenter haberet vitam æternam, & esset beatus, vt patet ex illo Ioan. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum*: ergo hæc euidentia non esset citra visionem beatificam. Confirmatur hoc: nam sola visio beatifica, vel Deus cognitus per visionem beatificam potest ex parte obiecti efficaciter mouere voluntatem, & eam necessitare ad diligendum Deum, vt 1. part. quæst. 111. artic. 2. & quæst. 106. art. 2. docet S. Thom. Sed Deus clarè, & euidenter cognitus per huiusmodi notitiam, efficaciter moueret ex parte obiecti voluntatem, & eam necessitaret ad diligendum Deum: ergo talis notitia esset beatifica, ac per consequens, citra visionem beatificam euidens cognitio Dei haberi non potest.

Impugnatur.

Deus solus clarè visus efficaciter ex parte obiecti mouet voluntatem.

V I. Secundus modus, quo potest mysterium Trinitatis euidenter cognosci citra visionem beatificam, assignatur ab aliis Theologis, videlicet per visionem Trinitatis, quoad an est, & non quoad quod quid est. Hæc enim visio, si Deus sua potentia absoluta eam communicaret alicui, non esset visio Dei quidditatiua, & perfecta, sed valde imperfecta, & confusa. Et quidem huiusmodi cognitionem esse possibilem, probatur: nam de facto Christus Dominus per scientiam inditam cognouit euidenter mysterium Trinitatis, quoad an est, non autem quoad quod quid est, & similiter Prophetæ cognouerũt euidẽter, lumine Prophetico, esse tres personas in diuinis: ergo non repugnat, dari visionem Trinitatis, per quam euidenter cognoscatur, Trinitatem esse, absque eo quòd cognoscatur, quod quid est ipsius Trinitatis, sed huiusmodi cognitio non esset beatifica: ergo.

Hic modus eisdem ferè argumentis impugnatur, quibus præcedens: nam hæc cognitio euidens Trinitatis, quoad an est, vel esset cognitio euidens à posteriori per effectus, & hoc non potest dici, quia, vt ostensum est, nullus effectus Dei ostendit clarè, & euidenter, esse in diuinis Trinitatem personarum: vel esset cognitio euidens à priori, vel quasi à priori, quia videlicet per illam cognosceretur an est Trinitatis, vt est in seipsa, & hoc etiam dici non potest: nam illa cognitio esset beatifica. Impossibile est enim cognosci euidenter existentiam Trinitatis, vt est in seipsa, quin euidenter cognoscatur essentia diuina, & omnia eius attributa, ac cætera prædicata, quæ formaliter sunt in Deo, propter quod omnes Thomistæ cum S. Thom. 1. p. q. 12. art. 7. docent contra Scotum, implicare contradictionem, quempiam videre clarè, & euidenter vnam personam diuinam sine alia, vel essentiam sine personis, aut vnum attributum, vel quodlibet aliud prædicatum existens formaliter in Deo, quin cognoscantur alia omnia attributa, vel prædicata Dei. Cùm ergo existẽtia trium personarum Trinitatis sit prædicatum Dei quidditatiuum, relinquitur, esse impossibile, quòd euidenter cognoscatur, vt est in seipsa, quin euidenter cognoscatur diuina essentia, & omnia attributa. Hæc autem non possunt euidenter cognosci, nisi per visionem beatificam, per quam Deus quidditatiuè cognoscitur, vt est in seipso: ergo. Vnde ad argumentũ factum respondetur, falsum esse, Christum Dominum per scientiam inditam euidẽter cognouisse mysterium Trinitatis, etiam quoad an est, vt docent communiter Thomistæ 3. p. q. 11. art. 1. & à fortiori est idem sentiendum de Prophetis: nam aliàs sequeretur, eosdem Prophetas non habuisse fidem mysterij Trinitatis, quoad an est. Probatur hoc: nam de ratione fidei est obscuritas, & ineuidentia, quæ respectu eiusdem obiecti cum euidentia stare non potest: ergo, si Prophetæ habuerunt euidentiam mysterij Trinitatis, quoad an est, sequitur, eos non habuisse fidem eiusdem mysterij.

Christus per scientiã inditã nõ cognouit euidenter mysterium Trinitatis in attestante.

Tertius modus est, si Deus alicui infunderet lumen; quo eius intellectus determinaretur ad assensum huius propositionis: Trinitas existit; ita videlicet, vt per species creaturarum apprehenderetur Trinitas personarum, sicut modò à nobis apprehenditur, & per lumen illud infusum eleuarentur, & determinarentur, vt simul cum intellectu concurreret ad assensum eiusdem propositionis: Trinitas existit. Talis enim cognitio non esset beatifica, nec euidens in attestante, sed esset euidens ex terminis, non secũdùm se, sed vt subiacet experientiæ intellectus videntis, & determinati ad assensum illius propositionis. Hunc modum constituent aliqui recentiores Theologi, vt possibilem, sed nostro iudicio multò minùs intelligibilis videtur, quàm duo præcedentes. Primò quidem: nam hæc cognitio mysterij Trinitatis non haberet, quòd esset clara, & euidens, ex eo quòd lumen illud infusum determinaret intellectũ, quantùm ad exercitium, ad assensum mysterij Trinitatis. Etenim auxilium efficax diuinæ gratiæ physicè prædeterminat, quantùm ad exercitium, ipsum intellectum ad assensum liberum eiusdem mysterij, & tamen ille assensus non est euidens, sed obscurus, cùm sit assensus fidei, ad quam intrinsecè requiritur obscuritas. Nec etiã esset euidens illa cognitio: quia procederet ex lumine infuso altiori, & eminentiori, quàm sit lumen fidei: etenim lumen infusum, quo anima Christi Domini per scientiam inditã cognoscit mysteriũ Trinitatis, est superius ad lumen fidei, & excellentius illo: & tamen per scientiam inditam non cognouit euidenter Christus Dominus mysterium Trinitatis in seipso, etiam quantùm ad an est, sed solùm in attestante, vt suprà dictũ est: ergo nullo modo illa cognitio mysterij Trinitatis esset euidẽs, vel clara, etiã quantũ ad an est. Secundò, quia nullũ datur, nec dari potest lumen infusum superius ad lumen fidei, quo clarè, & euidenter cognoscatur mysterium Trinitatis in seipso, nisi lumen gloriæ, quod est lumen beatificum: nam si esset dabile, concessum fuisset animæ Christi: constat autem ex dictis, per scientiam inditam Christum non cognouisse euidenter mysterium Trinitatis, etiam quantùm ad an est, nisi euidentia duntaxat in attestante: ergo nulla potest dari euidens cognitio mysterij Trinitatis, nisi beatifica. Illud autem, quod asserunt huius sententiæ auctores in explicatione suæ sententiæ, illam cognitionem esse euidentem ex terminis, non videtur intelligibile: nam cognitio euidens ex terminis haberi non potest, nisi circa prima principia vniuersalissima, quæ lumine naturæ sunt per se nota, vt: Quodlibet est, vel non est: Omne totum est maius sua parte. Mysterium autem Trinitatis est super omnia principia, etiam vniuersalissima naturæ, & totum eius ordinem transcendit: ergo ex terminis non potest euidenter cognosci.

Cognitio euidẽs ex terminis quæ dicatur.

V I I.

Nec satis est respondere, illam cognitionem esse euidentem ex terminis non secundum se, sed vt subiacent experientiæ: nam, vel per experientiam intelligunt experientiam terminorum, & hoc non, aliàs etiam nos euidenter cognosceremus, Trinitatẽ esse;

nam

nam experimur ipsos terminos significátes Trinitatem esse. Vel intelligunt, experientiam ipsius rei significatæ per terminum, videlicet trium personarum Trinitatis, & hoc est petitio principij: contendimus enim, quòd ipsa Trinitas, etiam quoad an est, non possit per experientiam cognosci; nisi per visionem beatificam, qua quilibet beatus intuetur diuinas personas in seipsis. Imò propriè loquendo, experientia haberi non potest per visionem beatificam, eò quòd experientia propriè pertinet ad sensum: per intellectum autem non habetur experientia, nisi largè: vt docet sanctus Thomas 1. part. quæst. 54. artic. 5. ad 2. Habemus ergo, illum tertium modum euidentiæ esse impossibilem.

VIII. Quartus modus est per notitiam discursiuam, ex multis prædicatis essentialibus cognitis per visionem beatificam, & habentibus connexionem cum mysterio Trinitatis. Ex illis dicunt aliqui, posse idem mysterium à priori, vel à posteriori euidenter cognosci, aut deduci.

Theologiæ euidentia reducitur in scientiã Dei & beatorum.

Contra hunc tamen modum arguitur: nam euidentia Trinitatis, vt est in scipsa, non habetur per notitiam discursiuam, nisi reducatur in scientiam beatam, per quam solùm cognoscuntur illa Dei prædicata, ex quibus infertur Trinitas personarum, sicut euidentia nostræ Theologiæ reducitur in scientiam beatorum, quia nos non cognoscimus euidenter principia fidei, ex quibus conclusiones Theologicæ deducuntur. Præterea hic modus euidentiæ videtur omnino impossibilis: nam prædicata essentialia omnibus personis diuinis sunt communia: ergo ex illis non potest euidenter cognosci, aut deduci Trinitas personarum, alias de facto nos lumine naturali cognosceremus euidenter, esse Trinitatem personarum in diuinis: nam euidenter cognoscimus à posteriori prædicata Dei essentialia, vt quòd sit ens, infinitus, omnipotens, lumine bonitatis ergo si ex prædictis essentialibus euidenter cognitis posset deduci, per consequentiam euidentem, esse in diuinis Trinitatem personarum; sequitur, mysterium Trinitatis posse à nobis solo lumine naturæ euidenter cognosci, aut demonstrari.

IX. Paulus ante transacta visione recordatus fuerit eum denter se vidisse Deum, 2. Cor. 12.

Quintus modus est per memoriam visionis beatificæ iam habitæ: nam videns Deum Trinum, & Vnum, si illa visione priuetur, recordabitur postea euidenter se vidisse Deum Trinum & Vnum, sicut de facto recordatus est sanctus Paulus post raptum, vt patet ex illis verbis eiusdem Apostoli: *Raptum huiusmodi vsque ad tertium cœlum, & vidit audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui.*

Contra istum modum militant argumẽta, quibus prima parte, quæst. 12. art. 11. ostendunt communiter Thomistæ, per species relictas in intellectu S. Paulo post raptum, non cognouisse clarè, & euidenter visionem beatificam, quam habuit, aut se vidisse Deum per essentiã & multò minùs potuit per eisdẽ species Trinitatem personarum euidenter cognoscere: aliàs post raptum non mãsisset in Apostolo fides mysterij Trinitatis. Relinquitur ergo, citra visionem beatificam, & euidentiã in attestante, non posse ab aliqua creatura mysteriũ Trinitatis, vel alia, quæ per se pertinent ad fidem, euidenter cognosci.

DISPVTATIO CXX.

In qua vary modi concordiæ liberi arbitrij cum Gratia, qui assignantur a diuersis Doctoribus, referuntur & confutantur.

I. VAMVS (postquam satis ad longum proposita fuerit, & confutata per disputationes quamplurimas concordia, quæ ab aliquibus assignatur, nihilominùs eam breuiter in præsenti attingere, & impugnare conuenit) ad concordias Theologorum pertingere: vt concordia S. Augustini & S. Thomæ, ex dictis sequenti subiectenda, facilior appareat.

Concordia quadam lib. arbitr. cum gratia proponitur, & impugnatur.

Prima igitur ratio concordiæ fundatur in scientia illa media, seu conditionata (non enim sic vtimur in verbis) qua, vt aiunt, Deus ante omne liberum decretum suæ voluntatis prædeterminantis actus futuros data quacunque hypothesi, certò & infallibiliter cognouit, quid liberum arbitrium creatum ex se innata libertate esset acturum in particulari, ex hypothesi, quòd in tali, vel tali ordine rerum, & in talibus circumstantiis constitueretur, & tali motione externa, & interna alliceretur, & inuitaretur: cùm tamen pro eadem libertate posset oppositum facere, si vellet. Ideo autem, vt supra obiectauimus, hanc præscientiam mediam in Deo constituunt, vt ex illa desumatur infallibilitas diuinæ prædestinationis, & consensus arbitrij futuri, posita gratia efficaci. Cum enim existiment, Deum sua gratia efficaci non prædeterminante vere efficienter creatam voluntatem, vt consentiat Deo vocanti, & excitanti; eò quòd putant, cum hac prædeterminante gratia constitere non posse arbitrij nostri libertatem; inferunt consequenter, infallibilitatem prædictam fundari non posse in aliquo decreto Dei absoluto prædeterminante efficaciter, & efficiente, quòd homo suo libero arbitrio consentiat, nec in reali virtute efficacis auxilij præuenientis gratiæ, huc antecedentis ordine causalitatis liberum consensum creatæ voluntatis. Vnde cogantur ad prædictam scientiam mediam recurrere, vt ad illam tanquam ad primam radicem infallibilitas prædestinationis diuinæ, & futuræ cooperationis arbitrij creati innocentis.

Scientia media ad quid introducta.

II. Gratiæ præuenientes & excitantes esse formaliter actiones quasdam vitales, quas Deus in nobis sine nobis operatur: sine nobis, inquam, liberè cooperantibus, non tamen sine nobis viuamus, & efficienter concurrentibus, & consistere in illustratione, & illuminatione intellectus, atque excitatione & motione voluntatis, quæ quidem efficienter procedunt ab intellectu, & voluntate, non quidem vt libera, sed vt natura est, quatenus antecedenter pendeant a voluntate, vt liberum arbitrium est, quatenus videlicet ex eius libertate fuit dependens, quòd homo compararet se ita, vt vtilitatem sibi fieri, vel eorum, quæ facienda erant, accedendo ad prædicatores, vel alio modo eas propria industria acquirendo, quibus notitiis Deus se ingereret, eas eleuando tanquam speciem ostensiuam, vt supernaturales sint, & quales ad salutem oportet, & sic fortiantur rationem gratiæ præuenientis. Supposita ergo illuminatione, qua Deus illuminat intellectum, & proponit voluntati bonum, vt sibi conueniens, affirmant, quòd statim ab quo vlla libertate oritur mere naturaliter in voluntate motus affectionis ad bonum sibi propositum, quo quidem motu allicitur, & quasi inuitatur ad manum illud bonum, & imperandum potentiis exequutiuis, vt illud exequantur, vt, verbi gratia, ad imperandum intellectui, vt assentiatur rebus fidei propositis, & explicatis. In his ergo duobus motibus, videlicet in illustratione intellectus, & affectione voluntatis à Deo eleuatis suo speciali influxu consistere aiunt, gratiam præuenientem, & excitantem. Liberum autem arbitrium his duobus motibus gratiæ præuenientis adiutum, & excitatum, liberam habet potestatem imperandi, aut non imperandi assensum fidei. Quòd si voluntas fidem amplecti velit, actúmque credendi imperet intellectui, influente simul motu gratiæ præuenientis, quam habet, elicit in seipsa actum supernaturalem, quo fidem

Digitized by Google

amplecti velit, quòque assensum imperat intellectui, simúlque intellectus motus imperio illo supernaturali voluntatis, illustrationéque diuina adiutus, elicit actum supernaturalem assentiendi reuelatis, & gratia excitans, seu præueniens nouo influxu, quo vnà cum libero arbitrio influit in supernaturalem actum fidei, sortitur rationem gratiæ adiuuantis, cooperantis, & efficacis. Si autem voluntas, pro sua innata libertate, fidem nolit amplecti, gratia excitans, & præueniens manet intra limites gratiæ sufficientis, nec est efficax, quia voluntas, vt libera est, non voluit fidem amplecti, cùm tamen per gratiam excitantem, & præuenientem, eam reuerà amplecti potuisset.

VII. His fundamentis stabilitis, & aliis pluribus, quæ suprà à nobis relata sunt, & impugnata, facilem, dilucidam, & omnibus peruiam, atque intelligibilem concordiam liberi arbitrij cum diuina præscientia, prouidentia, & prædestinatione, atque cum efficacia auxiliorum gratiæ, se tradere putant; per quam difficillima argumenta, quæ à Pelagianis, & Semipelgianis, & postmodùm ab aliis contra prædestinationem diuinam ab Apostolo traditam, & à S. Augustino, & à S. Thoma explicatâ obiiciuntur, effugiunt, & vnius scientiæ mediæ subsidio, facilè dissoluere videntur.

Si enim quis interroget, vnde proueniat, idem auxiliũ esse efficax in vno, & non in altero, aut quòd cum eisdem auxiliis ex parte Dei præuenientis gratiæ, qua ratione præuenientis gratiæ auxilia sunt, vnus sit prædestinatus, ac iustificetur, perseueret in gratia, & saluus fiat: alter verò non sit prædestinatus, nec iustificetur: sed reprobus maneat in æternum; respondent, quia vnus pro innata sibi libertate voluit bene vti eisdem auxiliis, & cum eis perseuerare vsque ad finem; alius non item, idque Deus sua illa supereminenti scientia media præuiderit. Si quæratur rursus, vnde proueniat, quòd eadem gratia præueniens sit efficax in vno, & non in alio; respondent, quia vnus voluit bene vti eadem gratia, & pro innata sibi libertate cooperari cum illa, cùm pro eadem libertate potuisset non cooperari: alius autem cooperari noluit, idque Deus eadem præscientia media præscierit. Et cùm vrgentur; quare Deus præscierit per illam scientiam mediam, vnum esse cooperaturum, & non alium; respondent, quia per libertatem arbitrij vtriusque, ita futurum erat à parte rei ex hypothesi, quòd illi homines constituerẽtur à Deo in tali ordine rerum, & talibus auxiliis in talibus circumstantiis excitarentur, & allicerentur. Et si rursus fiat instantia, vnde proueniat, quòd ex duobus hominibus, æqualibus auxiliis gratiæ præuentis, vnus sit consensurus, vel perseueraturus vsque in finem; alius non item; respondent, quia ita futurum erat pro innata vtriusque libertate, quia videlicet vnus erat voliturus, alius nolirurus: & hìc existimant sistendum esse, & non petendam aliam rationem, propter quam iste homo cum talibus auxiliis erat consensurus, & non alter. Semper enim respondendum putant, quia sic illis placuit, neque admittunt, voluntatem creatam habere aliam causam priorem, verè efficientem eam cooperari, videlicet efficaciam voluntatis diuinæ, ad quam, tanquam ad primum efficiens, reuocanda sunt omnia, quæ in tempore fiunt.

IIII. Prædestinationis causã non dari, in quo sensu quidam intelligant.

Et cùm eis obiicitur, secundùm sententiam sancti Augustini, à multis summis Pontificibus approbatam, & ex euidentissimis sacrarum Scripturarum testimoniis desumptam, nullam assignari causam ex parte nostra, rationem, aut conditionẽ, sine qua non, prædestinationis; sed refundendam esse in meram, & gratuitam Dei voluntatem, qui *cuius vult miseretur, & quem vult indurat*; propter quod Apostolus ait: *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius!* respondent, admirationem Apostoli eò tendere dumtaxat, vt significet, nullam posse ex parte nostra assignari causam, rationem, aut conditionẽ, propter quam Deus voluerit vocare vnum eo tempore, & in illis circumstantiis, in quibus per scientiam mediam præsciebat illum esse consenturũ, & perseueraturum ex hypothesi, quòd tali gratia excitaretur, & alliceretur: & in eodem sensu verificari sententiam sancti Augustini circa prædestinationẽ gratuitã. Cum hoc tamen dicunt esse concedendum, dari ex parte boni vsus liberi arbitrij futuri ex hypothesi, conditionem, sine qua, voluntas conferendi media ad salutem, non sortiretur rationem formalẽ prædestinationis comparatione huius hominis in particulari: sed retineret communem rationem prouidentiæ.

HÆc ratio concordiæ ex iis, quæ in præcedentibus dicta sunt, sufficienter manet impugnata. Ostensum est enim illam scientiam mediam reuerà non dari etiam in Deo, vt patet ex dictis disput. 7. Vnde, cùm fundamentum eiusdem concordiæ non subsistat, necesse est, vt quæ super illud ædificata sunt, corruant. Ostensum est etiam, interpretationẽ illam admirationis Apostoli cum doctrina S. Augustini, & S. Thomæ non congruere, vt ex dictis disp. 37. num. 10. & disp. 110. num. 13. constat. Præterea arguitur contra eandem concordiã: nam de fide est, diuinam præscientiam, prouidentiam, & prædestinationem, atque auxilia efficacia præuenientis gratiæ in nullo præiudicare arbitrij nostri libertati: sed cum illa cohærere: ergo ratio eiusdem concordiæ nec debet, nec potest reduci ad præscientiam illam mediam, quam omnes antiqui Doctores negant, & nostra sententia certum est, præscientiam illam non dari. Probatur consequentia: nam res fidei non debet inniti, nec potest fundamento dubio, aut non subsistenti; aliàs fides ipsa dubia esset: ergo necesse est, absque præscientia media concordiam liberi arbitrij cum gratia, & diuina prædestinatione defendere & explicare.

V. Prædestinationis infallibilitatem cum libertate arbitr. per scientiam mediã non concordauit Augst.

Præterea est argumẽtum à posteriori satis vrgens, quo ostenditur, modum illum concordiæ liberi arbitrij cum gratia, S. Augustini doctrinæ non esse conformem: nam Pelagiani, & Semipelagiani, vt S. Augustinus fatetur, obiiciebant illi, quòd esset assertor fati, & arbitrij creati libertatem euerteret, & homines in quandam desperationem induceret per prædestinationem, & gratiam, quam in suis libris constanter docuit, & suis disputationibus defendit. Hoc autem non obiecissent eidem sancto Doctori, si concordiam liberi arbitr. cum prædestinatione, & gratia ad scientiam illam mediam reuocasset: etenim, si ex parte boni vsus futuri liberi arbitrij, à Deo præcogniti per scientiam mediam, assignasset alicubi differentiam, propter quam cum æqualibus auxiliis ex parte Dei vnus conuertitur, & saluatur, quia voluit: alius verò in peccato persistit, & damnatur, quia noluit conuerti; quónam etiam ficto colore potuissent hæretici, qui acutissimi erant, quamuis pessimi, Augustino obiicere, quòd statueret fatum, & homines in quandam desperationem inducere? Haberet enim Augustinus facilem solutionem, & respondere posset: Non induco reuerà fatum: homines enim pro sua innata libertate bene vtuntur auxiliis gratiæ, quia volunt: alij verò eisdem auxilijs non vtuntur, nec saluantur, quia nolunt. Et idem potuisset Apostolus respõdere obiicientibus: *Quid adhuc quæritur? voluntati enim eius quis restitit?* Et tamen non ita respondent: sed inquiunt; *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? O altitudo diuitiarum.* Et: *Non est iniquitas apud Deum*: vt disput. 110. num. 13. cum eodem Augustino obseruauimus: ergo, &c.

Confirmatur: nam S. Augustinus ad soluenda argumenta Pelagianorum contra prædestinationẽ, quam prædicabat,

prædicabat, nunquam recurrit ad præscientiam mediam: sed potiùs illam cõfutauit, vt disput. 7. ostensum est: ergo intellexit, per eandem præscientiam, libertatem arbitrij nostri cum infallibilitate prædestinationis, & gratiæ concordari non posse.

Sed dicunt, quòd si hæc ratio concordiæ proposita fuisset, & explicata sanctis Augustin. & Thomæ, aut ea de re consulerentur, continuò responsuros, prædestinationem, & reprobationem factam non fuisse sine præscientia boni vtius liberi arbitrij: quod duritiem sententiæ de prædestinatione gratuita, quam docuerunt temperasset; sed eos non aduertisse, quantùm ad id conduceret additio illa scientiæ mediæ, quam nec negarunt, nec negassent, si de ea consulti fuissent; & consequenter per eandem scientiam mediam concordassét arbitrij nostri libertatem cum infallibilitate præscientiæ, & prædestinationis diuinæ. Nos tamen dicimus, sanctos Augustinũ & Thomam non fuisse adeò tardos ingenio, vt illis nunquam occurrerit modus ille concordiæ, quæ in præscientia media fundatur, si per illam libertas arbitrij cum infallibilitate diuinæ prædestinationis concordari potuisset. Cùm ergo nullibi ad præscientiam illam mediam recurrerint, sed ad omnipotentiam, & efficaciam diuinæ voluntatis, quæ operatur omnia in omnibus, secundùm vniuscuiusque naturam, cuidens videtur à posteriori, eos existimasse, per illam scientiam mediam libertatem arbitrij cum efficacia diuinę prædestinationis, & gratiæ concordari non posse.

Pluribus potuisset hæc concordia, & fundamenta, quibus innititur, impugnari, quæ tamen consultò omittimus, quoniam abundè in discursu totius huius operis impugnata sunt.

VI. Secunda ratio concordiæ est secundùm sententiam Durandi in 2. sent. distinct. 37. quæst. 1. asserẽtis, nullum esse necessarium diuinæ voluntatis concursum ad actiones secundarum causarum, sed satis esse, quòd Deus eas produxerit in esse, & ipsas naturas, earúmque virtutes postmodum conseruet. Hæc tamen sententia falsa est, & Scripturis sacris, ac sanctis Patribus aduersa, vt fatentur communiter Theologi: dicitur enim Isaiæ 26. *Omnia opera nostra, operatus es nobis Domine.* Et 1. Corinth. 12. *Qui operatur omnia in omnibus.* Et ad Ephes. 1. *Qui operatur omnia, secundum consilium voluntatis suæ.* Et Ioan. 5. *Pater meus vsque modò operatur, & ego operor.* Et in Cõcil. Arausic. II. can. 9 sic dicitur: *Quoties bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum, vt operemur, operatur.* Quod etiam multis rationibus probat S. Thom. 3. contra Gentes, cap. 67. necessariò ergo dicendum est, Deum non solùm produxisse causas secundas, & virtutes ad operandum eis contulisse, ac in suo esse conseruare, sed etiam eas mouere & applicare ad operandum, & cum eis pariter suos effectus producere: de quo plura in superioribus disputationibus dicta sunt. Vnde per hanc doctrinam libertas arbitrij cum infallibilitate prædestinationis diuinæ concordari non potest.

Deus cum causis secũdis concurrit ad earum actiones.

VII. Tertia ratio concordiæ assignatur ab aliis. Dicunt enim, cooperationem diuinam se tenere ex parte effectus, non ex parte causæ, hoc est, concursum Dei non determinare voluntatem nostram, nec aliquid in illam imprimere, aut operari; sed immediatè influere in effectum, eúmque producere illo ipso momento, quo à voluntate nostra producitur. Ex quo inferunt, quòd Deus non determinet voluntatem, nec voluntas Deum: nam vterque concursum suum liberè adhibet, &, si alter nolit concurrere, opus non fiet; sicut cùm duo ferunt ingentem lapidem, quem vnus ferre non posset: neuter enim vires alteri addit, aut eum impellit, & vtrique liberum est onus relinquere: quanquam Deus (nisi extraordinariè miraculum operari velit) semper cõcurreret, quando voluntas nostra concurrit, quoniam ad hoc se liberè quodammodo obligauit, quãdo liberam voluntatem creauit. Inferunt secũdò, quòd licèt in eodem prorsus momento temporis, & naturæ, Deus, & voluntas operari incipiant; tamen Deus operetur, quia voluntas creata operatur, & non è conuerso: & hoc esse, quod aliqui dicunt, voluntatem priùs natura operari, quàm Deum, non prioritate instantis in quo, sed à quo. Tribuunt istum modum concordiæ Greg. Ariminensi, Scoto, & Gabrieli in 2. sent. dist. 37.

VIII. Deum operari, quia voluntas creata operatur, quidam sentiunt.

Hic tamen modus concordiæ etiam non videtur conformis doctrinæ S. Augustini & S. Thom. vt patet ex iis, quæ superiùs dicta sunt. Ostensum est enim in disput. 18. concursum Dei generalem esse influxum immediatum in causas secũdas, etiam liberas, eásque præmouere, & prædeterminare, vt suos effectus producant naturaliter, aut liberè, vel contingenter, iuxta modum propriæ naturæ. Ostensum est etiam disp. 22. & 23. Deum suo æterno, efficaci, & absoluto decreto, antecedenter ad præscientiam futuræ cooperationis arbitrij creati, prædeterminasse omnes actus bonos, qui in tempore fiunt à voluntate creata; eos præsertim, per quos prædestinati ad vitam æternam perueniunt. Ostensum est præterea disp. 85. Deum, & liberum arbitrium non esse causas partiales supernaturalis consensus, sicut duo trahentes nauim, quorum vnus non mouet alterum ad concurrendum, nec suo influxu efficit, vt alter secum concurrat. Ostensum est denique disput. 99. & 100. illam causalem esse falsam: Quia voluntas operatur, ideo Deus operatur; hanc autem esse veram: Quia Deus operatur, voluntas cooperatur. Cùm ergo nullum prorsus fundamentum huius concordiæ videatur subsistere, necesse est, vt eadem concordia, quæ superædificata est, corruat.

Accedit, quòd hic modus conciliandi libertatem arbitrij cum infallibilitate præscientiæ, prouidentiæ, & prædestinationis diuinæ, ac cum efficacia auxiliorum gratiæ, non videtur saluare prædestinationem Dei omnino gratuitam, atque independentem etiam tanquam à conditione sine qua non, ex futura cooperatione libera creati arbitrij, quod sic ostenditur. Nam si Deus cooperatur, quia homo cooperatur: ergo prius est in signo rationis, quòd Deus præcognoscat, liberum arbitrium esse cooperaturum, quàm quòd velit sua gratia concurrere cum illo ad piam operationem, & eum ordinare per talia media ad vitam æternam; ac per consequens prædestinatio, quantùm ad omnes suos effectus, erit dependens, saltem tanquam à conditione sine qua non, ex bono vsu liberi arbitrij, præcognito à Deo. Ex quo rursus videtur sequi, gratiam esse posteriorem quam liberi arbitrij, & obsequẽtem illi, ac per consequens, eandem gratiam secundùm merita nostra dari, quod nullus Catholicus admittit. Præterea etiam sequeretur, gratiam efficacem, inquantùm est formaliter efficax, seu adiuuans, non esse præuenientem, neque antecedentem ordine causalitatis liberam cooperationem nostri arbitrij, sed solùm esse simultaneam, seu concomitantem, & pariter cum eodem arbitrio in piam operationem influentem; consequens autem, quamuis ab auctoribus huius sententiæ admittatur, non videtur posse concedi, vt patet ex iis, quæ de efficacia gratiæ superiùs dicta sunt: ergo hic modus concordiæ non est admittendus.

Disput. 21. 86. 90. & 91.

* * *

DISPV

DISPVTATIO CXXI.

In qua, legitima concordia liberi arbitrij cum infallibilitate diuinæ Prædestinationis, & efficacia auxiliorum Gratiæ statuitur, & defenditur.

I. EXCLVSA concordia, quæ à diuersis Doctoribus assignatur: reliquum est, vt concordiam legitimam liberi arbitrij, cum diuina præscientia, prouidentia, & prædestinatione, atque cum efficacia auxilij diuinæ gratiæ subiiciamus, quam sanctus Augustinus, sanctus Prosper, & Hilarius, sanctus Anselmus, & alij Patres, & inter Scholasticos Doctores, sanctus Thomas, & Thomistæ tradiderunt; quæ cùm contraria sit concordiæ in scientia media fundata, necesse est, vt contrariis etiam fundamentis innitatur.

Concordiæ legitimæ prædestinationis cum arbitrij libertate fundamenta quinque.

Primum igitur fundamentum sit, non esse scibile, etiam à Deo, ante actuale decretum suæ voluntatis absolutum ex parte actus volendi, & conditionatum saltem ex parte obiecti voliti, quid in particulari ex sua innata libertate esset factura voluntas creata, ex hypothesi, quòd constitueretur in tali ordine rerum, & talibus auxiliis non prædeterminantibus eam efficaciter ad alteram partem, excitaretur, alliceretur, & inuitaretur. Quò fit, multò minùs esse scibile ante idem decretum efficax, & absolutum etiam ex parte obiecti voliti, quid in particulari sit absolutè futurum, ex libertate arbitrij, & ex aliis causis secundis contingentibus. Hoc fundamentum sancti Augustini, sancti Thomæ testimoniis, & communi antiquorum Doctorum, & Thomistarum consensu stabilitum est disputatione 7. & probatum. Quapropter infallibilitas prædestinationis, & futuræ cooperationis arbitrij creati non potest ad præscientiam Dei, tanquam ad primam radicem reuocari: sed ad decretum eius absolutum, & efficax, quo misericorditer statuit in nobis, atque nobiscum opera nostra operari, si sunt bona, vel ea permittere, si sunt mala. Et idem dicendum est proportionabiliter de futuris conditionatis contingentibus: nam eorum veritas dependet etiam ex libero decreto diuinæ voluntatis absoluto ex parte actus volendi, quamuis ex parte obiecti voliti sit conditionatum, quo Deus statuit, vt fiant, posita tali conditione, quædam futura contingentia, quæ in sacris literis habentur expressa: vt patet in decreto, quo Deus statuit cõuertere Tyrios, & Sidonios, si Christus ea signa inter eos fecisset, quæ in Corozain, & Bethsaïda operatus est.

Prædestinationis infallibilitas & certitudo non potest in scientia media inniti.

II. Secundum fundamentum est, nullam esse legem à Deo statutam, dandi infallibiliter auxilia præuenientis gratiæ facientibus totum quod in se est ex solis viribus naturæ: sed ex mera, & gratuita Dei misericordia, & liberalitate donari, quibuscunque donantur, ita vt ex parte nostra, nulla præsupponatur bona operatio, aut dispositio, non solùm propter quam conferantur; sed etiam sine qua non tribuerentur à Deo regulariter, & iuxta communem modum vocandi homines: nam aliàs videtur sequi, gratiam esse posteriorem quam, non præuiam humanæ voluntatis; ac per consequens etiam sequeretur, gratiam secundùm merita nostra dari, vt disput. 56. ex professo ostensum est. Quò fit, vt infallibilitas prædestinationis fundari non possit in aliquo, vel aliquibus operibus bonis moraliter à Deo præcognitis, nec ab eis pendere, aut ea ex parte nostra præsupponi etiam tanquam conditionem sine qua homines non prædestinarentur à Deo, sed necessariò talis infallibilitas, vt disput. 30. & 41. dicebamus, debet reuocari in meram, & gratuitam Dei voluntatem, & beneplacitum, secundùm illud Matth. 11. *Ita Pater, quoniam sic placitum fuit ante te.*

Vide disput. 56.

III. Tertium fundamentum est. Concursum Dei generalem esse influxum immediatum Dei in causas secundas, per quem præmouentur, applicantur, & determinantur, vt operentur vnaquæque, iuxta conditionem suæ naturæ, naturalis quidem naturaliter, libera autem liberè; id quod disp. 18. & 23. ex professo ostensum est; quod potissimùm habet verum, quando causæ secundæ sunt liberæ, & contingentes. Quò fit, vt causa prima, & secunda concurrant ad eundem effectum, non vt causæ partiales, quarum vna non determinat alteram, nec facit eam secum partialiter concurrere, vt quando duo trahunt nauim, sed quælibet sit causa totalis in suo genere, quarum vna, scilicet liberum arbitrium, subordinatur alteri, scilicet Deo, non solùm in essẽdo, sed etiam in agendo. Vnde Deus sua diuina motione efficit, vt liberum arbitrium secum cooperetur liberè, quod etiam disput. 85. probatum reliquimus.

IIII. Quartum fundamentum est, Deum suo æterno, absoluto, & efficaci decreto, antecedenter ad omnem præscientiam futuræ cooperationis nostri arbitrij, prædeterminasse omnes actus bonos in particulari, secundùm omnes circumstantias, eos præsertim, per quos prædestinati ad vitam æternam perueniunt, salua nostri arbitrij libertate: & in tempore mouere ipsum arbitrium motione efficaci, vt eos actus eliciat, quos Deus suo æterno consilio statuit, vt fierent; id quod latissimè per tres integras disputationes ostensum est suprà. Et ex huiusmodi decreto voluntatis Dei, tanquam ex prima radice, & causa, & ex efficacia motionis ipsius, tanquam ex instrumento Dei, ortum habet, quòd liberum arbitrium à Deo morum, & excitatum liberè, & infallibiliter in tempore operetur eos actus, quos Deus prædefiniuit esse futuros, per liberam cooperationem eiusdem arbitrij. Vnde sanctus Augustinus ad efficaciam mediorum, effectuúmve prædestinationis, *quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur*, reducit prædestinationis certitudinem, quantùm ad effectus assequutionem; & præscientiam huius infallibilitatis reuocat, tanquam ad primam radicem, ad efficax decretum, quo suos statuit misericorditer liberare, vt disp. 7. multis testimoniis eiusdem Augustini ostẽsum est. Docet enim ideo Deum hæc præsciuisse, quia ea facere decreuit.

Disput. 21. 22. & 23.

Lib. de prædest. Sanct. cap. 14.

Quintum fundamentum, & in hac parte maximè obseruandum, ac præ oculis habendum est, ad efficaciam diuinæ voluntatis, & infinitam virtutem Omnipotentiæ illius, tanquam ad primam radicem esse reducendam omnem libertatem actualem, & contingentiam, quæ in actibus humanis, & quibuscunque aliis actionibus reperitur. Cùm enim, vt dicit sanctus Thomas; *Aliqua causa efficax fuerit ad agendum, effectus consequitur causam: non tamen secundum id, quod fit, sed etiam secundum modum fiendi, vel essendi. Ex debilitate enim virtutis actiuæ in semine contingit, quòd filius nascatur dissimilis patri in accidentibus, quæ pertinent ad modum essendi. Cùm igitur voluntas diuina sit efficacissima, non solum sequitur, quòd fiant ea quæ Deus vult fieri, sed quòd eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult. Vult autem quædam fieri Deus necessariò, quædam contingenter, vt sit ordo in rebus ad complementum vniuersi. Et ideo quibusdam effectibus aptauit causas necessarias, quæ deficere non possunt, ex quibus effectus de necessitate proueniunt, quibusdam autem aptauit causas contingentes defectibiles, ex quibus effectus contingenter eueniant. Non igitur propterea effectus voliti à Deo eueniunt contingenter,*

S. Tho. 1. p. q. 19. art. 8. in corp.

Libertas creata ad efficaciam diuinæ voluntatis, tanquã ad primam causam est reducenda.

Digitized by Google

contingenter, quia cauſæ proximæ ſunt contingentes: ſed propterea, quia Deus voluit eos contingenter euenire, contingentes cauſas ad eos producit: & idem docet eadem 1. parte, quæſt. 22. artic. 4. Vnde ex hoc, quòd Deus prædeterminauit, & voluit, quòd Petrus tali tempore, & cum tanta intenſione conuertatur, neceſſariò ſequitur neceſſitate conſequentiæ, & infallibilitatis, quòd Petrus conuertatur eadem intenſione, & liberè conuertatur; quia vtrumque Deus prædeterminat, & voluit: neque illa neceſſitas conſequentiæ, ſunt ex ſuppoſitione decreti voluntatis diuinæ, repugnat Libertati, vt diſputatione 25. explicatum eſt. Et ideo dicendum eſt de omnibus aliis actibus bonis; quia, vt dixit S. Thom. 1. 2. quæſt. 10. art. 4. ad 1. *Voluntas diuina non ſic extenditur, vt aliquid ſiat per rem, quæ ex natura ſua non eſt apta, vt etiam eo modo fiat, quo congruit naturæ illius rei, & ideo quæ repugnarent diuinæ motioni, ſi voluntas ex neceſſitate moueretur, quod ſuæ naturæ non competit, quia mouetur liberè, prout competit ſuæ naturæ.* Hinc eſt illud quod S. Anſelm. ait: *Quoniam quod Deus vult, non poteſt non eſſe, cùm vult hominis voluntatem, nulla cogit, vel prohibet neceſſitate ad volendum, vel non volendum. & vult effectum ſiqui voluntatem; tunc neceſſe eſt voluntatem eſſe liberam, & eſſe, quod vult.* Ex quibus verbis euidenter conſtat, per decretum voluntatis diuinæ non auferri, vel impediri libertatem noſtræ voluntatis, vel eius vſum actualem; ſed potiùs perfici, & cauſari. Vnde non debemus inferre: Deus vult Petrum loqui: ergo neceſſariò loquetur; ſed inferendum eſt: ergo loquetur liberè, quia Deus voluit, vt ipſe Petrus liberè loquatur.

S. Anſel lib de concept. præſcientiæ, & prædeſt. Dei, cap. 1. paulò poſt medium.

VI. Prædeſtinatio eſt certa certitudine ordinis. Lib. de prædeſt. Sanct. cap. 14. Rom. 4.

Ex his fundamentis infertur primò, prædeſtinationem eſſe certam, & infallibilem, quantùm ad aſſequutionem effectus, certitudine ordinis, & cauſalitatis mediorum, quibus, vt Auguſtinus ait: *Certiſſimè liberantur, quicunque liberantur*, &, ſicut dicit Apoſtolus, *Vt ſecundùm gratiam firma ſit promiſſio.* Cùm enim huiuſmodi certitudo, & infallibilitas ex ſcientia media, vt ſuprà oſtenſum eſt, non poſſit deſumi, neceſſe eſt, vt ex decreto abſoluto diuinæ voluntatis, & ex auxiliorum efficacitate, quibus ad vitam æternam ſuos electos Deus tranſmittere voluit, deſumatur, vt diſput. 10. & 41. oſtenſum eſt.

Infertur ſecundò, infallibilitatem futuri conſenſus, effectúſve prædeſtinationis ex decreto abſoluto diuinæ voluntatis, atque ex ipſa efficacitate auxiliorum prænuncientis gratiæ deſumptam, in nullo præiudicare eiuſdem arbitrij libertati; ſiue quantùm ad potentiam ipſam liberam, ſiue quantùm ad actualem vſum illius; ſed mirum in modum illam perficere, & roborare: quia, vt dictum eſt, Deus non ſolùm decreuit, quòd homo operetur, ſed etiam voluit, quòd liberè operetur, & ſuo auxilio efficaci eiuſdem hominis voluntatem, vt liberè operetur, prædeterminat. Et ratio eſt, quam aſſignat ſanctus Thomas, quæſt. 24. de veritate, artic. 1. in corpore, & aliis pluribus in locis: quia videlicet homo, per liberum iudicium rationis, quod eſt indifferens ad vtrumlibet, mouetur à Deo, & ſe mouet. Ipſe enim per virtutem rationis iudicans de agendis, poteſt de ſuo arbitrio iudicare, inquantùm cognoſcit rationem finis, & eius, quod eſt ad finem, & habitudinem, & ordinem vnius ad alterum; & ideo non eſt ſolùm cauſa ſui ipſius in mouendo, ſed in iudicando: & ideo eſt liberi arbitrij, ac ſi diceretur liberi iudicij de agendo, vel non agendo; vnde non ſolùm mouetur à Deo ad operandum, ſed etiam ad liberè operandum.

VII. Concordia arbitrij cum gratia, quam S. Auguſt. & Thom. tradiderunt.

Inferetur tertiò, quòd ſicut auctores oppoſitæ ſententiæ ad ſcientiam mediam confugiunt, vt libertatem arbitrij cum infallibilitate diuinæ præſcientiæ, prouidentiæ, & prædeſtinationis, atque cum efficacia auxiliorum gratiæ concilient: ita & nos ad omnipotentiam, & ſummam efficaciam diuinæ voluntatis recurrimus, & ad dominium, quod ſua diuina maieſtas habet ſuper voluntates hominum, vt eas quò voluerit, & quando voluerit, faciat inclinari. Et hoc modo arbitramur, antiquam concordiam libertatis arbitrij creati, cum infallibilitate prædeſtinationis, & efficacia auxiliorum gratiæ, iuxta mentem ſancti Auguſtini, & ſancti Thomæ defendendam eſſe, & explicandam: vt ex dictis in diſcurſu huius operis ſatis conſtat, & ex locis Scripturæ, quæ ad diuinam voluntatem, & omnipotentiam referunt omnia bona, quæ in tempore fiunt. Vnde ſanctus Auguſtinus ait: *Scriptura diuina, ſi diligenter inſpiciatur, oſtendit, non ſolùm bonas hominum voluntates, quas ipſe facit ex malis, & à ſe factas bonas in actus bonos, & in æternam dirigit vitam; ita eſſe in Dei poteſtate, vt eas quò voluerit, quando voluerit, faciat inclinari, vel ad beneficia quibuſdam præſtanda, vel ad pœnas quibuſdam ingerendas, ſicut ipſe iuſtiſſimo quidem iudicio, ſed ſine vlla dubitatione iuſtiſſimo.* Idem docet aliis in locis ſuperiùs inductis, in quibus probat, humanas voluntates voluntati Dei non poſſe reſiſtere: ac Deum magis habere in poteſtate ſua hominum voluntates, quàm ipſi ſuas; non obſcurè indicans, ad omnipotentiam voluntatis Dei, *qui facit concordiam in ſublimibus*, eſſe recurrendum, vt libertatem arbitrij creati cum infallibilitate prædeſtinationis conciliemus. Ad hanc recurrit ſanctus Thomas tum locis ſuperiùs allegatis, tum etiam in 2. ſentent. diſtinct. 25. quæſt. 1. art. 2. ad 1. vbi ait, *quòd Deus operatur in voluntate, & in libero arbitrio ſecundum ciuſ exigentiam: vnde etiamſi voluntatem hominis in aliud mutet; nihilominùs hoc ſua omnipotentia facit, vt illud, in quod mutatur, voluntariè velit & ita conditionis ratio tollitur.* Vbi S. Thomas, non ad præſcientiam, ſed ad omnipotentiam, & ſummam efficaciam diuinæ voluntatis recurrit, vt libertatem arbitrij cum diuina prouidentia, & cauſalitate concorder. Idem conſtat ex iis quæ dicit 1. part. & 1. 2. locis ſuperiùs allegatis.

De natura, & gratia, cap. 20.

Iob 25.

Contra iſtam doctrinam, & rationem concordiæ liberi arbitrij cum diuina prædeſtinatione multa argumenta obiiciuntur, quæ ex parte in præcedentibus diſputationibus tacta ſunt, & ſoluta: in præſenti tamen ad maiorem claritatem, & explicationem doctrinæ SS. Auguſtini, & Thomæ pauca ſunt proponenda, & ſoluenda.

VIII. PRimum argumentum eſt: nam concordia, quæ prædeterminationem prædictam in voluntate creata, aut decretũ diuinæ voluntatis efficax antecedenter ad præſcientiam futuræ cooperationis arbitrij noſtri conſtituit, non videtur poſſe diſtingui à ſententia hæreticorum negantium liberum arbitrium, niſi quoad voces. Nam hæretici non negant, Deum liberè agere, cùm determinat voluntatem noſtram, & homines habere plenum, atque perfectum iudicium rationis, cùm aliquid eligunt, & ſponte, ac voluntariè eligere: ſed dicunt, decreto Dei, & prædeterminatione omnia fieri, nec poſſe Deo decernenti, & prædeterminanti reſiſti: & ideo liberum arbitrium hominis eſſe titulum ſine re, vel rem de ſolo titulo; id eſt, nomen inane, & ſuperuacaneum: ergo ſi nos etiam admittamus, ita determinari à Deo voluntatem noſtram, vt non agat, niſi id, ad quod à Deo determinatur; & tamen quia Deus eam liberè determinat, & ipſa voluntariè, & cum pleno iudicio rationis agit, contendamus, hominem eſſe liberi arbitrij; ſequitur, quòd tota controuerſia inter nos, & hæreticos ſit de nomine: Vtrùm videlicet homo ſit dicendus liberi arbitrij, nécne, quod tamen non eſt admittendum, quia labores tot hominum doctiſſimorum, & ipſius Concilij OEcumenici poſt aſſe-

renda

Digitized by Google

renda arbitrij libertate consumpti aliud nobis persuadent. Nec enim ignorabant viri illi sapientissimi, quod sanctus Augustinus in epistol. 28. ad Hieronymum, & alibi admonuit, *cùm de re constat, non esse de nomine litigandum.*

IX. Hæretici nõ in omnibus, sed in aliquibus ab Ecclesia discedunt. Psalm. 54. Aug. super eundem Psalm. 8.

Vt huius argumenti solutio euidentior appareat, obseruandum est valde, hæreticos non in omnibus, sed in aliquibus ab Ecclesia discedere, iuxta illud, quod dicit Psalmista: *Quoniam in multis erant mecum:* nam hæretici in multis quidem, sed non in omnibus sunt cum Catholicis, quod & sanctus Augustinus loquens contra Donatistas his verbis notauit: *Baptismum habebamus, vterque in eo erant mecum: Euangelium vterque habebamus, erant in eo mecum: festa Martyrum celebrabamus, erant ibi mecum: Paschæ solemnitatem frequentabamus, erant ibi mecum. In schismate non mecum, in hæresi non mecum: in multis mecum, in paucis non mecum: sed in his paucis, in quibus non mecum, non eis prosunt multa, in quibus mecum.* Proportionabiliter nos dicimus de Caluino, illum non in omnibus, sed in multis ab Ecclesiæ Catholicæ doctrina recessisse. Cùm ergo falsa veris, & vera falsis docent hæretici permixta, oportet inter lepram, & lepram, & cutem sanam, & doctrinam Catholicam, etiam in ipsis hæreticorum libris, cautè discernere, non vtraque confundere, sed verum à falso separari: Scriptum est enim: *Si separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris.* Nec debent, aut possunt Catholici ea, in quibus hæretici ab Ecclesia non discedunt, abnegare, aliàs profectò orationem Dominicam damnare iure possent, & deberent, quia Caluinus proferendam esse, & credendam asseruit. Errauit ergo primò Caluinus, vt quidam ex Doctoribus, qui contra illum scripserunt, bene adnotauit, quoniam istam pessimam consequentiam approbauit: Voluntas diuina est prima causa omnium rerum: & iam ab æternitate decreuit, quid velit, aut non velit fieri; nulla igitur esse potest in homine libertas arbitrij: nam prima causa efficacissima est, & secundùm Scripturas non potest vllus diuinæ resistere voluntati. Nos autem dicimus è contrà, antecedens quidem esse verum, & ex sacris literis desumptum; consequentiam autem esse malam, & consequens hæreticum: nam, vt docet sanctus Thomas, ex eo quòd voluntas Dei est efficacissima, cui nullus potest resistere, potiùs sequitur, quòd fiant liberè, vel contingenter ea, quæ sic fieri voluit, quia voluntas diuina non solùm se extendit, vt aliquid fiat per rem, quam mouet; sed vt etiam eo modo fiat, quo congruit naturæ ipsius.

Hieremi. 15.

X. Caluini errores enumerantur.

S. Tho. 1. 2. q. 10. ar. 4. ad 2. & 1. p. q. 19. art. 8. in corp. & ad 2.

Caluin. lib. 2. inst. c. 3. §. 11.

Secundò errauit Caluinus: quoniam asseruit, Deum ita efficaciter mouere, & afficere hominis voluntatem, vt postea non sit nostræ electionis, motioni eius aut obtemperare, aut refragari, vt dixi disp. 3. Nos autem dicimus è contrario, quòd quamuis Deus efficaciter moueat liberum arbitrium, vt infallibiliter, & indeclinabiliter conuertatur, & piè operetur, sicut Augustinus, & Thomas sæpius docuerunt, nihilominus liberum nostrum arbitrium potest motioni Dei vel obtemperare, vel refragari, &, vt loquitur sacrum Concilium Tridentinum, *illi dissentire, si velit.* Addimus, quod, quamuis fieri non possit, hæc duo simul esse vera, quod scilicet liberum arbitrium efficaciter moueatur à Deo ad piè operandum, & non operetur; nihilominus hæc duo simul sunt compossibilia, quod scilicet liberum arbitrium efficaciter moueatur à Deo ad pios actus, & possit eosdem actus non operari, si velit; vt suprà dictum est: & propterea voluntas in suis operationibus manet libera.

Conc. Trid. sess. 6 de iustific. can. 4.

Caluin. lib. 2. inst. cap 3. §. 7.

Tertiò errauit Caluinus, quoniam dixit, Deum per gratiam, vel motionem efficacem ita operari in nobis velle, & nos ad seipsum conuertere, vt gratiæ præuenienti nostrum arbitrium, pediſſequa voluntate, non obsequatur liberè. Nos autem dicimus cum sacro Concilio Tridentino, S. Thom. & omnibus sanctis Doctoribus, Deum quidem sua præueniente gratia efficaci, ita nos conuertere ad seipsum, & operari in nobis velle, & perficere pro bona voluntate, vt nihilominùs voluntas nostra, mota à Deo præueniente gratia efficaci, pediſſequa voluntate, & libertate sua obsequatur, & cooperetur Deo mouenti. Sicut enim Deus cooperatur homini, ipsum præueniendo, & mouendo; ita & nostrum arbitrium præuenienti Deo liberè cooperatur, subsequendo, vt Gelasius Papa epistol. 5. ad vniuersos Episcopos per Picenum, docuit, cuius verba pluriès sunt à nobis superiùs adducta.

Caluin. lib. 2. inst. cap. 3. num. 11.

Quartò errauit Caluinus, quoniam gratiam ita esse à seipsa efficacem posuit, vt excluderet motionem moralem, quæ est per consilia, & suasiones, & tolleret liberam cooperationem humanæ volũtatis. Nos autem dicimus, gratiam efficacem includere, vel supponere moralem motionem, & suasionem, & eandem gratiam efficacem non tollere, sed potiùs perficere libertatem arbitrij.

Caluin. loc. alleg. disp. 3. num. 14. & sequentibus. Conc. Arauf. can. vltimo. Conc. Trid. sess. 6 decr. de iustific. can. 6 Aug. lib. 2. de liber. arb. cap. 19. to. 1. S. Tho. 1. 2. q. 79. ar. 2. & 2. sec. dist. 37. ar. 2. q. 2. Calu. lib. 3. Inst. cap. 3. num 8. & 9.

Quintò errauit Caluinus, & in Deum impius, & blasphemus fuit in eo, quod dixit, *Decreto Dei, ac voluntate eius, & prouidentia homines peccare, ac Deum esse causam, & auctorem peccati, & mala opera in nobis ita, vt bona operari, non permissiuè solùm, sed verè, & propriè.* Nos autem è contrà cum sacro Cõcil. Arausic. & Trident. dicimus, Deum non operari mala opera ita vt bona, sed solùm ea permittere: homines autem sua dumtaxat mala voluntate peccare, non autem decreto aliquo, aut prouidentia Dei. Distinguimus tamen duo cum sanctis Augustino, & Thom. in operibus malis, alterum, quòd entia sunt; alterum verò, quòd mala sunt; & primum tribuimus Deo, vt primæ causæ per se efficienti: nam omne ens per participationem procedit à primo ente per essentiam, quod est Deus. Secundum autem solùm tribuimus causæ secundæ deficienti, scilicet creatæ voluntati, quæ defectibilis est, eò quòd ex nihilo producta est.

Sextò errauit Caluinus in eo, quod dixit, voluntatem nostram, nisi per Dei gratiam flectatur in bonum, naturaliter esse ad malum propensam. Nos autem dicimus cum sanctis Doctoribus Augustino, & Thoma, voluntatem nostram naturaliter inclinari ad bonum, tanquam in proprium obiectum, & hanc inclinationem habere ab auctore naturæ: quòd autem ad malum flectatur, ex ipsa mala voluntate, vel ex suggestione diaboli procedit.

Hæc, & alia deliramenta contra doctrinam Catholicam effutiuit Caluinus, propter quæ meritò cum aliis hæreticis damnatus est ab Ecclesia in Concilio Tridentino, vt constat ex capitibus, & canonibus editis ab eodem Concilio; non tamen errauit, asserendo, Deum æterno decreto suæ voluntatis, cui nulla creatura potest resistere, prædeterminasse omnes actus bonos, qui in tempore fiunt, aut sua gratia efficaciter flectere, & mouere eandem voluntatem, vt tales actus infallibiliter operetur. Hoc enim verbum non est ex Caluino, sed ex Augustiño libro de dono perseuerantiæ, cap. 6. dicente: *Nihil fit, nisi quod aut ipse facit, aut fieri ipse permittit. Potens ergo est, & à malo in bonum flectere voluntates, & in lapsum pronas conuertere, ac dirigere in sibi placitum gressum. Cui non frustrà dicitur: Deus tu conuersus viuificabis nos.* Psalm. 84.

XI. His suppositis ad argumentum factum respondetur, hanc nostram rationem concordiæ per efficax decretum voluntatis diuinæ non solùm quoad voces, sed etiam quoad rem ipsam, vt cœlum à terra, distingui ab errore hæreticorum negantium liberum arbitrium. Nam licèt hæretici non negent, Deum

Deum liberè agere, cùm determinat voluntátem nostram, & homines habere plenum, atque perfectum iudicium rationis, cùm aliquid eligunt, & sponte, absque coactione eligere; negant tamen, hominem se liberè determinate in actu secundo, vt vera causa libera sui actus: negant, ipsum habere iudicium rationis verè liberum, cùm aliquid eligit: negant denique, hominem voluntariè eligere, si voluntariè, accipiatur, vt significat idem, quod liberè. Et cùm inferunt ipsimet hæretici, ideo liberum arbitrium hominis esse titulum sine re, vel rem de solo titulo, ex eo quòd decreto Dei, cui prædeterminanti resisti non potest, omnia fiant, quæcunque fiunt in tempore; decipiuntur maximè in illatione consequétiæ, & in ipso consequenti, dum ex antecedenti Catholico; per consequétiam pessimam consequens hæreticum intulerúr, vt latiùs à nobis ostensum est suprà. Addo, Catholicos non cócedere absolutè, liberũ arbitrium creatum non posse dissentire auxilio efficaci, vt arguens supponere videtur; sed solùm cum addito diminuente, nempe in sensu composito; quia videlicet, vt suprà explicatum est, & probatum, hæc duo simul esse vera non possunt: Deus efficaciter mouet liberum arbitrium ad consensum; & liberum arbitrium dissentit. Disput. 25. 91. & 93.

Secundum argumentum est: nam hæc ratio conciliandi libertatem arbitrij cum gratia est penè inintelligibilis, nec quietat nostrum intellectum: & propter eius difficultatem Pelagiani negauerunt necessitatem gratiæ efficacis: Lutherani autem, & Caluiniani, admittentes eiusdem gratiæ efficaciam, de medio abstulerunt libertatem arbitrij. Concordia autem, quæ scientiæ mediæ innititur, dilucidè, ac facilè libertatem arbitrij cum infallibilitate diuinæ prædestinationis, & efficacia auxiliorum gratiæ conciliat, ac viam aperit, qua Pelagiani, & Lutherani ad vnitatem Ecclesiæ redeant. Quæ quidem concordia, si data, explanatáque semper fuisset, fortè neque Pelagiana hæresis fuisset exorta, neque Lutherani, tam impudenter arbitrij nostri libertatem fuissent ausi negare, obtendentes cum diuina gratia, præscientia, & prædestinatione cohærere non posse, neque ex Augustini opinione, concertationibusque cum Pelagianis tot fideles fuisset turbati, ad Pelagianósque defecissent: faciléque reliquiæ illæ Pelagianorum in Gallia, quorum in epistolis Prosperi, & Hilarij fit mentio, fuissent extinctæ: vt patet ex iis, in quibus homines illos cum Catholicis conuenisse, & ab eis dissensisse, eædem epistolæ testantur: concertationes denique inter Catholicos facilè fuissent compositæ. Disput. 118.

Respondetur, quòd, vt suprà dictum est, ratio concordiæ liberi arbitrij cum gratia non potest perfectè ab homine cognosci pro isto statu, aut comprehẽdi. Vnde, licèt non perfectè quietet intellectum concordia à nobis, imò, & à SS. August. & Thoma assignata, non propterea reiicienda est, cùm ex suprà dictis constet, testimoniis sacrarum literarum, & doctrinæ Conciliorũ esse conformem. Claritas autem, & facilitas, quam concordia in præscietia media fundata, præ se ferre videtur, multas reuerà inuoluit difficultates, quas in disput. 7. immò & in toto ferè discursu huius operis tetigimus. Nec videtur apta eiusmodi concordia ad resistendum Pelagianis, & Lutheranis, vt ex supradictis colligi potest. Addo, Pelagianos non propter antiquam concordiam, ab Augustino traditam negasse gratiæ efficacis necessitatem, aut Lutheranos propter eandem concordiam libertatem arbitrij de medio abstulisse; sed quia sapere voluerunt plus, quàm oportet sapere, solámque doctrinam quietatiuam intellectus admittere. Vnde propter suam obstinationem, & non propter concertationes sancti Augustini cum Pelagianis à fide Catholica defecerunt, & negauerunt quod certum est, quia comprehendere non potuerunt quod occultum est.

Tertium argumentum est: nam inducuntur homines in quandam desperationem, & desponderent animos, si dicatur, iam diuino decreto omnino immobili, ante omnem respectum ad bonum, vel malum vsum liberi arbitrij, à Deo præcognitum per scientiam mediam, statutum esse, ac determinatum, qui ad gloriam introducendi sint, qui non admittendi. Datur enim per hanc doctrinam occasio hominibus dicendi. Si de salute mea, vel damnatione iam definitum est, siue malè, siue bene agam, aliter euenire non potest; qualiscunque nunc sim: talis denique ero, qualem Deus me futurum esse decreuit; & ita in torporem, ac segnitiem plerique conuertentur. Non ergo reuocanda est concordia liberi arbitrij cum infallibilitate prædestinationis ad efficaciam decreti voluntatis diuinæ, sed ad scientiam mediam: nam hoc modo nulla dabitur occasio hominibus despõdendi animos, sed omnes curabunt strenuè se gerere in virtute, scientes, nihil Deum immobili decreto statuisse circa eorum prædestinationem, aut reprobationem, antequam bonum, vel malum vsum liberi arbitrij illorum præsciret.

Ad hoc argumentum, quod etiam olim contra S. Augustinum obiectum fuit, iam pluries responsum est suprà: & ad illud S. Augustinus ex professo respondet libro de dono perseuerant. capit. 15. in hæc verba: *Sed anum, vt scribitis, neminem posse correptionis stimulis excitari, si dicatur in conuentu Ecclesiæ audientibus multis: Ita se habet de prædestinatione definita sententia voluntatis Dei, vt aliy ex vobis de infidelitate, accepta obediendi voluntate veneritis ad fidem, vel accepta perseuerãtia maneatis in fide: ceteri vero, qui in peccatorum delectatione remoramini, ideo nondum surrexistis, quia necdum vos adiutorium gratiæ misericordis erexit. Verumtamen, si qui estis necdum vocati, quos gratia sua prædestinauerit eligendos, accipietis eandem gratiam, qua velitis, & sitis electi. Et, siquis obeditis, si prædestinati estis resciendi, subtrahentur obediendi vires, vt obedire cesseris. Ista cùm dicunt, ita nos à confitenda Dei gratia, id est, qua non secundum merita nostra datur, & a confitenda secundum eam prædestinationẽ Sanctorum, deterrere non debent: sicut non deterremur à confitenda præscientia Dei, siquis de illa populo sic loquatur, vt dicat:* Siue nunc rectè viuatis, siue non rectè, tales vos eritis postea, quales vos Deus futuros esse præscinit; vel boni, si bonos; vel mali, si malos. *Nunquid enim, si hoc audito, nonnulli in torporem, segnitiemq; vertãtur, & a labore proclines ad libidinem post concupiscẽtias suas eant; propterea de præscientia Dei falsum putandũ est esse, quod dictum est? nónne, si Deus illos bonos futuros esse præscit, boni erunt, in quantalibet nunc malignitate versentur: si autem malos, mali erunt, in quãtalibet nunc bonitate cernãtur?* Quibus verbis fatetur August. verum quidem esse, quòd prædestinatus infallibiliter saluabitur, & reprobus similiter infallibiliter damnabitur. Sed non propterea debent homines desperare, aut in bonis operibus exequẽdis diligentiam remittere. Quoniam, vt suprà dicebamus, dispositio diuinæ prædestinationis non habet, quòd quidquid faciat prædestinatus, consequatur vitam æternam, sed quòd per bona opera, quæ sunt etiam à Deo prædestinata, & præordinata, saluetur. Propter quod Petrus Apostolus ait: *Fratres, magis satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis.* Similiter etiam reprobus non punietur pœna æterna, nisi propter culpam, quam à seipso, & non ex Dei præordinatione habet. Vnde vni ex reprobis dictum est: *Cur concidit facies tua? Nónne, si bene egeris, recipies; sin autem malè, statim in foribus peccatum tuum aderit.* Genes. 4.

Prædestinatio ante præuisa merita non inducit homines in desperationem.

Disput. 110.

2. Petr. 1.

Alia plura argumenta contra noſtram doctrinam obiici ſolent, quæ tamen non oportet in præſenti referre, quoniam in diuerſis diſputationibus ſuperiùs propoſita ſunt, & ſoluta. Quædam enim contendunt, per hanc concordiam deſtrui libertatem arbitrij, quæ tamen diſputatione 18. 22. & 23. ex profeſſo diſſoluimus. Quædam neceſſitatem orationis & correptionis per eandem doctrinã auferri nituntur probare, de quibus diſputatione 110. abundè egimus. Alia denique oſtendere contendunt, noſtrum modum concordiæ, facere Deum crudelem, vt diſput. 37. & 38. r. ferebamus, in quibus locis videri poterunt, quæ ad vitandam prolixitatem, & eorundem argumentorum repetitionem inutilem, conſultò omittimus.

A *meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & conſtrinxerat me. Quippe ex voluntate peruerſa, facta eſt libido: & dum ſeruitur libidini, facta eſt conſuetudo: & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas: quibus quaſi anſulis quibuſdam ſibimet innexis (vnde catenam appellaui) tenebat me obſtrictum dura ſeruitus.* Augu lib. 8. confeſſ. cap. 5. tom. 1.

Hinc ortum habuit inclinatio, ſeu facilitas ad malum, de qua ſcriptum eſt: *Senſus, & cogitatio hominum in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua*, ac difficultas ad bonum rationis non ſolùm amplectendum, ſed etiam cognoſcendum. Dicitur enim Sapient. 9. *Difficile æſtimamus, quæ in terra ſunt: & quæ in proſpectu ſunt, inuenimus cum labore.* Vt ergo liberum arbitrium poſſit operari opera perfecta ſuæ naturæ proportionata, neceſſe eſt, vt ſanetur, & roboretur per B gratiam; & vlteriùs indiget diuino auxilio, vt eleuetur ad operandum opera ſupernaturalia, quæ totum naturæ ordinem, & facultatem excedunt, vt in ſequentibus propoſitionibus, oppoſitis è regione aliis ſuperiùs impugnatis, manifeſtum fiet. Geneſ. 8.

Epilogus ferè omnium, quæ in præcedentibus Diſputationibus dicta ſunt, continens Propoſitiones viginti.

1. VT faciliùs ea omnia, quæ in toto hoc opere dicta ſunt, poſſint intelligi, viſum eſt breui compendio in ſequentibus propoſitionibus ea comprehendere, & perſtringere. Id enim gratum piis Lectoribus fore iudicaui: nam, vt dicit Auguſt. *Eadem res ſæpe alio modo dicta monet, alio modo dicta non monet.* Nec tamen omnia commemorare volui, quæ in ſuperioribus dicta ſunt, ſed ea dumtaxat, quæ ad C breuem reſolutionem ſpectare videntur. Auguſt. lib. 1. ad Simp. q. 2. poſt medium, tom. 4.

Sed ad eorum plenam intelligentiam, duo fundamenta, in quibus omnes conueniunt, ſupponenda ſunt. Alterum eſt, liberum hominis arbitrium per originale peccatũ non ſolùm fuiſſe à Deo auerſum, ac originali iuſtitia, & ſupernaturalibus donis ſpoliatum: ſed etiam in bonis naturalibus vulneratum, attenuatum, & læſum. Docet hoc Cæleſtinus I. in epiſt. 1. ad quoſdam Galliarum Epiſcopos, capit. 4. Innocentius I. in epiſt. ad Concilium Carthaginenſe. Concilium Arauſic. can. 1. eum tanquam Pelagianum damnans, qui per offenſam prævaricationis Adæ, non totum, id eſt, ſecundùm corpus, & animam, in deterius dicit hominem commutatum, ſed D animi libertate illæſa durante, corpus tantummodo corruptioni credit obnoxium. Confirmauit idem decretum ſub anathemate ſacrum Concilium Tridentinum ſeſſ. 5. decreto de peccat. origin. can. 2. & ſeſſ. 6. decret. de iuſtificat. cap. 1. in fine, vbi dicit, liberum arbitrium per prævaricationem Adæ attenuatum eſſe, & inclinatum, licèt non extinctum. Idem docet S. Thom. 1. 2. quæſt. 85. art. 1. quod etiam probat ex Luc. cap. 10. vbi homo deſcendens ex Hieruſalem in Hiericho, id eſt, in defectum peccati, expoliatur gratuitis, & vulneratur in naturalibus, vt Beda exponit. Vid. diſp. 45. & 46. Lib. arbi. per peccatum læſum fuit, & attenuatum.

Secundò ſupponendum eſt ex doctrina eiuſdem S. Thomæ 1. 2. quæſt. 85. art. 3. liberum hominis arbitrium, per peccatum primi parentis, quatuor vulnera incurriſſe, iuxta numerum potentiarum animæ, quæ virtutum, & vitiorum ſubiecta eſſe poſſunt, ſcilicet ignorantiam in intellectu: malitiam in voluntate, infirmitatem in iraſcibili, & concupiſcentiam in concupiſcibili. Sed quia voluntas eſt inclinatio totius hominis, *natura humana*, vt docet S. Thom. 1. 2. quæſt. 109. art. 2. ad 3. *magis corrupta eſt per peccatum, quantum ad appetitum boni, quàm ſecundum cognitionem veri.* Vnde plura poteſt homo cognoſcere per ſeipſum, abſque auxilio gratiæ, quàm poſſit viribus naturæ perficere. Hinc S. Auguſt. *Suſpirabam*, inquit, *ligatus non ferro alieno, ſed mea ferrea voluntate. Velle* Vid. diſp. 46.

De viribus liberi Arbitrij, præſertim in natura lapſa.

PRIMA propoſitio. Liberum hominis arbitrium in natura lapſa non poteſt abſque auxilio gratiæ efficere opus morale, quod, cõparatione finis naturalis, ſit verè bonum, ac veræ virtutis opus: ita vt ab operãte referatur in Deum, vt in vltimũ finem naturalem, dilectum ſuper omnia ſimpliciter. Vid. diſp. 50.

Hanc docet S. Auguſt. lib. 1. retract. cap. 3. vbi retractat quod dixerat lib. 1. ordine, Philoſophos videlicet non vera pietate præditos, virtutis luce fulſiſſe: & lib. 4. contra Iulianum, cap. 3. multis teſtimoniis Scripturæ manifeſtè oſtendit, non eſſe in aliquo veram virtutem etiam moralem, niſi iuſtus ſit; impoſſibile eſt autem aliquem verè eſſe, aut fieri iuſtum ſine auxilio gratiæ: aliàs enim, vt arguit Apoſtolus: *Si per legem, naturámque iuſtitia: ergo Chriſtus gratis mortuus eſt*; igitur ſine auxilio gratiæ nulla vera virtus, vel actus veræ virtutis, etiam comparatione finis naturalis, eſſe poteſt. Virtus vera ſine gratia eſſe non poteſt. Ad Gal. 2.

Idem docet S. Thom. 2. 2. quæſt. 23. art. 7. vbi oſtendit, ſine charitate nullam eſſe poſſe veram virtutem; charitas autem etiam naturalis, qua diligitur Deus ſuper omnia ſimpliciter, in natura lapſa haberi non poteſt ſine auxilio gratiæ, vt infrà patebit. Et 1. 2. quæſt. 65. art. 2. docet, quòd virtutes morales non habent perfectè, & verè rationem virtutis, niſi ſint operatiuæ boni, in ordine ad finem ſupernaturalem: & in ſolutione ad 1. ſubdit, quòd, ſi virtus moralis, ſecundùm perfectam rationem virtutis accipiatur, bonum facit habentem, & conſequenter cum peccato mortali eſſe non poteſt. Præterea probatur. Vera virtus eſt, quæ bonum facit habẽtem, & actum eius bonum, ſed virtus moralis ſine charitate non E facit verè bonum habentem, etiam cõparatione finis naturalis, & actum verè bonum: dicitur enim 1. Cor. 13. *Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum, ita vt ardeam; charitatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt.* Cùm ergo charitas ſine auxilio gratiæ haberi non poſſit, relinquitur, per ſolas vires naturæ, hominem lapſum aliquod veræ virtutis opus, in ſenſu explicato, etiam comparatione finis naturalis, exercere non poſſe. Confirmatur. Impoſſibile eſt, hominem eſſe auerſum, & deordinatum à fine ſupernaturali, & quòd ſit conuerſus in Deum, tanquam in finem vltimum naturalem, & rectificatus in voluntate reſpectu eiuſdem finis; ſed abſque auxilio gratiæ non poteſt elicere

INDEX
PRÆCIPVARVM ET NOTABILIVM RERVM AC SENTENTIARVM,
QVÆ IN HOC OPERE CONTINENTVR.

ABortivi nomine quid Iob intelligat. disputatio. 114. numero 13.
Acceptio personarum in gratuitis locum non habet. disputatio. 37. numero 23.
Actus exterior, vt pendens à voluntate pertinet ad genus moris. disputatio. 77. numero 7.
Actus interior voluntatis significat intentionem finis, exterior electionem mediorum. disp. 81. num. 10.
Actus est simpliciter nobilior potentia, vel habitu. d. 88. n. 12.
Agit aliquid, qui ab alio adiuuatur. disp. 96. num. 1.
Actio dupliciter dicitur propria homini. disp. 62. num. 8.
Actio vna potest dupliciter esse alia perfectior. disp. 63. n. 3.
Actus elicitus virtutis infusæ differt secundum substantiam ab actu virtutis acquisitæ circa eandem materiam. disp. 65. num. 4.
Actus dupliciter dicitur esse supra naturam, scilicet quantum ad substantiam, & quantum ad modū. disp. 51. n. 2.
Actus fidei, & charitatis supernaturalis est secundùm suam substantiam supernaturalis. disput. 65. num. 5. disp. 118. num. 9. & seqq.
Actus, & habitus supernaturales euidenter cognosci non possunt, nisi per visionem beatificam. disp. 65. num. 7.
Actus charitatis infusæ est pure supernaturalis. disp. 65. n. 7.
Actus exterior virtutis infusæ, & acquisitæ circa eandem materiam sunt eiusdem speciei in esse naturæ. disp. 65. n. 9.
Actus charitatis & contritionis est vltima dispositio ad gratiam, tum moralis, tum physica. disp. 66. num. 3.
Actio procedens effectiuè ab aliqua forma, potest esse dispositio ad eandem formam. disp. 66. num. 9.
Actus supernaturalis est effectiuè à Deo, & à libero arbitrio. disp. 67. num. 10.
Actus peccati, vt ens, à Deo est. disp. 18. num. 21. disp. 24. per totam. vide verbo, Peccatum, & verbo, Prædeterminatio.
Actus omnes liberos prædefinitos esse à Deo, quoad substantiam, non tamen quoad omnes circumstantias, dixerunt quidam. disp. 22. num. 18.
Actus liber quomodo dicatur necessarius ex suppositione. disp. 22. num. 43. disp. 25. per totam.
Inter actum secundum, & potentiam operandi datur medium. disp. 23. num. 17.
Actus contritionis habet ex natura rei connexionem cum infusione gratiæ iustificantis. disput. 59. num. 7.
Actus intensi, & remissi comparatione meriti, seu præmij differentia. disp. 60. num. 28.
Actus charitatis non potest durare solum per vnum instans. disp. 60. num. 31.
ad Actus singulos qualiter sit necessarium auxilium gratiæ. disp. 54. num. 17. disp. 122. num. 14.
Actuum euidentia non infert euidentem cognitionem habituum supernaturalium. disput. 65. num. 9.
Actus potentiæ elicitus, & imperatus qui dicantur. disp. 23. num 5.
Agens naturale, qualiter ab agente voluntario differat. disp. 101. num. 8.
agitur liberum Arbitrium, vt agat. disp. 18. num. 16.
Adæ non est datum auxilium ad resistendum suggestioni mulieris propter eius culpam. disput. 114. num. 13.
Adam, & Eua perseuerare potuerunt in statu innocentiæ per gratiam, & dona illis collata. disput. 106. num. 2.
Adam si in statu innocentiæ perseuerasset, ex speciali dono gratiæ perseuerasset. disp. 106. num. 8.
in Adam prius fuit infecta persona, quam natura, in paruulis è contrà. disp. 44. num. 5.
Adam non peccat in eo instanti, in quo eius filij contrahunt peccatum originale. disp. 44. num. 16.
Adam fuit causa meritoria, & physica traductionis peccati originalis in posteros. disp. 44. num. 18.
Adiutorium gratiæ duplex, sufficiens, & efficax. disp. 122. n. 14.
quia Adiuuatur homo à Deo, ideo cooperatur. disp. 92. num. 7. & disp. 1. num. 12.
quia Adiuuatur ab alio, aliquid agit. disp. 96. num. 4. vide verbo, Auxilium, & verbo, Gratia.
Æternitas nunc quid significet. disput. 8. num. 2.
Æternitas est mensura superior. disp. 8. num. 2.
quæ in Æternitate existunt, non est necesse vt semper existant in propria mensura. disp. 8. num. 8.
rerū existentia in Æternitate ex parte æternitatis est propria ratio, propter quam Deus cognoscit futura contingentia. disp. 9. num. 2.
in Æternitate etiam duæ contradictoria non sunt vera. disp. 8. num. 7.
Æternitas qualiter actu contineat res futuras, antequam sint in propria mensura. disp. 8. num. 8.
Affirmatio si est causa affirmationis, negatio est causa negationis. disp. 101. num. 9. Vide verbo, Negatio.
Amictiæ veteri aliquid esse tribuendum, quomodo intelligatur. disp. 59. num. 14.
Ambrosij Catherini sententia circa prædestinationem impugnatur. disp. 37. num. 1.
Amor beatificus est actus simpliciter necessarius. disp. 92. num. 12. & disp. 115. num. 9. vide verbo, Dilectio.
Angelus inferior per vires naturæ cognoscit quiddammodò superiorem. disp. 69. num. 10.
Angelus etiam supremus solo lumine naturæ habitus infusos cognoscere euidenter non potest. disp. 15. num. 16. & disp. 65. num. 10. disp. 118. num. 10.
Angelus solo lumine naturæ non cognouit euidenter incarnationis mysterium. disp. 118. num. 11.
Angelus non cognoscit futura contingentia, antequam sint. disput. 8. num. 8.

Angeli

Angeli beati habent neſcientiam reſpectu aliquorum. diſp. 48.num.1.

Angelis collata eſt gratia ſecundùm quantitatem naturalium, homini non item. diſp. 55. num. 16. & diſp. 62. num. 11.

Angelis non fuit collata gratia, & gloria eſſentialis ex meritis Chriſti.diſput.40.num.2.

Angelis meruit Chriſtus multa præmia accidentalia. diſp. 40.num.4.

in Angelis nulla data eſt cauſa reprobationis. diſp. 110. num.9.

propter Angelos facta eſt Incarnatio conſequenter,non autem per ſe primò.diſp.40.num.5.

Animabus poſt mortem quinque receptacula deſignantur. diſput.114.num.4.

Animam rationalē eſſe immortalē, eſt de fide. diſp.63. n.9.

Anima damnatorum detinentur violenter in inferno. diſp. 32.num.10.

Anſelmi ſententia circa neceſſitatem antecedentem,& conſequentem explicatur.diſp.22.num.40.

Apoſtolus in ſoluenda quæſtione prædeſtinationis non defecit,vt quidam dixerunt.diſp.37.num.13.

Apoſtoli auctoritas, Quis te diſcernit? expenditur. diſp. 27.num.6.

Apoſtoli admiratio, O altitudo diuitiarum, expenditur. diſp.110.num.13.

Applicatione præuia tranſmutat Deus voluntatem ab vno in aliud.diſp.23.num.13.

Applicat Deus voluntatem ad actionem peccati, in quantùm actio eſt.diſp.23.num. 11.vide verbo, Motio.

Applicat Deus omnes cauſas ſecundas ad operandum. diſp. 23.num. 9.

Aptatur homo dupliciter à Deo ad bene operandum. diſp. 55.num. 1.

Aptari voluntatem hominis à Deo ad bona opera, quid ſit. diſp.56.n.19.vide verbo, Præparare.

Aqua calida ſolùm inſtrumentaliter concurrit ad calefaciendum.diſp.64.n.6.& diſp.68.num. 14.

Arbitrium. vide verbo, Liberum arbitrium, verbo, Auxilium efficax.& verbo,Concordia.

Arbor mala non facit fructus bonos.diſp.50. num.8.

Ars, ſeu modus cauſandi per artem, perfectior eſt, quàm modus cauſandi per naturam.diſp. 16.num. 13.

Aſſentiri myſterijs ſupernaturalibus, tanquam renelatis à Deo,non poteſt homo ſine auxilio gratiæ.diſp.49.num.11. & diſp. 122.num.2.

Aſſenſus quando ſit infallibilis.diſp.49. numero 11.

Aſſiſtentem eſſe poſſe gratiam adiuuantem,non inhærentem, quidam ſentiunt. diſp.67. num.1. impugnatur hæc ſententia. diſp. eadem, num. 4. & 5.

Aſſumptibilis magis fuit à Verbo natura humana, quàm alia natura. diſp. 55. numero 17.

Attritio eſt donum Dei.diſp. 51. num. 11.

Augetur charitas in eſſe habitus per actus intenſiores ſecundùm exceſſum actus ſupra habitum.diſp. 60. num. 10.

Augmentum habitus charitatis debitum actibus remiſſis, in quo inſtanti confertur.diſp.60. num. 24.

AVGVSTINI auctoritas. *Viſorum ſuaſionibus, &c. expenditur.diſp.83. num 16.*

Auguſtini ſententia, Ex quo apparet, &c. explicatur.diſp. 83. num. 16.

Auguſtini ſententia circa prædeſtinationem gratuitam à multis impugnatur, diſp. 5. num 1.

Auguſtini doctrina à pluribus ſummis Pontificibus, & à S. Proſpero commendatur.diſp. 5.per totam.

Auguſtini ſententia circa gratuitam prædeſtinationem eſt certiſſima.diſp.47.n.14.& diſp.5.per totam.

Auguſtini ſententia circa reprobationem expenditur. diſp. 110.num. 16.

Auguſtini quædam capita Leo I. definiunt. diſp.5.num.4.

Auguſtini ſententia circa prædeterminationem diuinam. diſp. 22.n.25.

Auguſtino tribuebat Pelagius ſuam errorem.diſp.22. n.27. & diſp.117.num. 9.

Auguſtini potiſſima controuerſia cum Pelagio. diſput. 92. num. 4.

Auguſtini liber de geſtis cum Pelagio allegatur. diſp. 91. num. 9.

Auxilij gratiæ nomine,quid intellexerint SS. Patres diſputantes contra Pelagianos.diſp. 106.

Auxilium Dei actuale prænium eſt in cauſis ſecundis aliquid incompletum.diſp.19.num.5.

Auxilium Dei non eſt qualitas,ſed motio virtuoſa.diſp.19. num.7.

Auxilium actuale in quo ab habituali diſtinguatur. diſp. 23.num.28.diſp.82.num.10.

Sine auxilio gratiæ non poteſt homo multa facere, quæ tenetur facere.diſp.47.num.6.

Abſque auxilio gratiæ non poteſt homo in natura lapſa facere aliquod vera virtutis opus.diſp. 50.num.6.

ſine Auxilio gratiæ non poteſt homo aſſentire myſterijs fidei,vt ſunt à Deo reuelata.diſp.49 .per totam, & diſp. 122. num. 2. Nec elicere actum dilectionis Dei ſuper omnia, in natura lapſa. diſputatio .51. 52. & 122. num. 4.

Auxilium gratiæ ad immediatè credendum non confertur omnibus.diſp.113.num.5.

ad ſingulos actus qualiter ſit neceſſarium Auxilium gratiæ. diſp.54.n.17.diſput.88.n.5.diſp.122.n.15.

Auxilium ſpeciale non eſt ſolum neceſſarium, vt actus fidei,& ſpei,& charitatis ſit ſupernaturalis, ſed vt ſimpliciter ſit.diſp.88. n.9.

Auxilium ſpeciale gratiæ excitantis, & adiuuantis, etiam in homine iuſto, eſt ad ſingulos pios actus neceſſarium. diſp. 54. num. 17. & diſp.88.num. 6. 7. & diſp. 122. num. 14.

Auxilium gratiæ non ad facilius tantùm, ſed ſimpliciter eſt neceſſarium ad implenda omnia legis præcepta. diſp. 54. num. 11.

Auxilium gratiæ præuenientis eſt effectiuè à ſolo Deo. diſp. 56.n.17.diſp.107.num.2.

Auxilia præuenientis gratiæ non menſurantur ſecundùm præcedentes conatus arbitrij.diſp.57.n.2.

Auxilia gratiæ præuenientis confert Deus regulariter, etiam ſi prius homo non faciat quod in ſe eſt.diſp.56.n.12.

Auxilium Dei actuale non poteſt cadere ſub meritо. diſp. 59.n.21.

Auxilii maius in ratione beneficij quod dicatur.d.103.n.4.

Auxilijs omnibus æqualibus exiſtentibus in duobus, non ſtat vnum ſaluari, & alium damnari. diſputatio. 108. n.2. & ſeq.

AVXILIORVM *gratia quædam ſunt extrinſeca, quædam intrinſeca, ſeu inhærentia libero arbitrio creato.in prooemio lib.1.& diſp.112. num.4.*

Auxilij diuini in auxilium ſufficiens, & efficax partitio neceſſariò eſt admittenda. diſp.71.per totam, & diſp. 122. num.14.& diſp.72.num. 2.

eiuſmodi diuiſio non ſumitur tantùm ab effectu,ſed ex diuerſa virtute auxilij.diſp.72.n.3.diſp.73.n.2. & ſeqq.

Auxilium gratiæ conuenienter diuiditur in auxilium gratiæ operantis,& cooperantis.diſp.70.per totam.

Auxilij diuiſio in auxilium gratiæ excitantis,& adiuuantis, præuenientis.& ſubſequentis,expenditur.diſp.70.n.8.& 9.

Auxilium efficax diuiditur à quibuſdam in auxilium efficax incompletum ſiue in actu primo, & auxilium efficax completum ſiue in actu ſecundo.diſp.107.n.6. Expenditur eadē diſtinctio, & impugnatur. Eadē diſp. & num.

Auxilium ſufficiens præueniens eſt duplex. diſputatio. 84. num.7.

quodnam Auxilium dicatur verè ſufficiens ad ſalutem, vel ad pietatis opera exercenda. diſputatio. 79. per totam, præſertim num. 3.

Auxilium dicitur verè ſufficiens, etiam in non habente auxilium efficax.diſp.79.n.4.

Digitized by Google

INDEX.

Auxilium sufficiens comparatione vnius actus, semper est efficax comparatione alterius. disp.80. num.2. & disp. 67.num.12.

Auxilium gratiæ dupliciter dicitur sufficiens, scilicet sufficiens in suo genere, & sufficiens omnibus modis. disp.23. num.32.disp.79.num.2.

Auxilij sufficientis bonus vsus est signum à posteriori auxilij efficacis.disp.58 num.4.

Auxilium sufficiens ad immediatè credendum, non omnibus datur.disp.112.2. & 7. Datur tamen omnibus ad præcepta naturalia implenda.ibid.num.5.

Auxilia extrinseca sufficientia ad salutem Deus confert omnibus.disp.112.num.5.

Auxilius cum æqualibus externis, & internis sufficientibus, stat vnum hominem salvari, & alium damnari. disput.108. num. 2. Quod cum auxilius sufficientibus æqualibus ex parte Dei, vnus conuertatur, vnde proueniat.disp.97.num.10.

Auxilij efficacis nomen quid significet. disp 90. num.5. & disp.106.num.5.

Auxilium gratiæ in quo sensu dicatur efficax ex se, vel natura sua. disp.72.n.4.disp.73. n.5. & disp.90.n.4.

Auxilium efficax continet intentionaliter virtutem voluntatis diuinæ.disp.73.num.3.

Auxilium efficax continet eminenter omnem perfectionem sufficientis auxilij.disp.73.num.5.

Auxilium efficax, vt subsit decreto Dei volentis hominem conuertere, addit aliquam realem virtutem per modum intentionis, quæ non est in auxilio sufficienti. disput.73. num.4.disp.90.num.12.

Auxilium efficax semper est congruum, vt per illud operetur, & consentiat liberum arbitrium.est enim illi intrinseca eiusmodi congruitas.disp.83.num.7.

Auxilij præuenientis gratiæ efficacia, in quo cõsistat secundum aliquos.disp.83.n.2.& seqq.& quid circa eandem efficaciã sentiat Thomista.ibid n.7.& seqq.& disp.121.n.16.

Auxilij diuini efficacia fundatur in Omnipotentia diuinæ voluntatis.disp.112.num.16.

Auxilij diuini efficacia præsupponit motionem moralem. disp.83.num.7.

Auxilij efficacia non pendet ex circunstantiis subiecti, loci, temporis, &c.disp. 83. num. 11. nec ex præscientia boni vsus liberi arbitrij.disp.83. num.12. nec ex libera cooperatione arb.disp.90.num.6.& seqq. Neque ex aliqua dispositione arbitrij, etiam negatiua. disput.91 num.14. & disp.105.num.6.

Auxilium efficax prædeterminat liberum arb.ad operandum. disp.83.num.13.disp.108.num.6.

Auxilium efficax prædeterminat liberum arbitrium ad actum, non ex necessitate, sed secundum modum libertatis.disp.18.n.24.

liberum Arbitrium non reddit efficacia Auxilia diuinæ gratiæ.disp.90.num.8.

Deus per Auxilium efficax præoperantis gratiæ & moraliter, & efficienter facit nos cooperari. disp.86. n.3. disp.83.num.15.disp.122.num.15.

Auxilij efficacia sola moralis non inducit infallibiliter effectum.disp.83.num.15.

Auxilia plura alia efficacia dantur à dono perseuerantiæ distincta.disp.84.num.4.

Auxilia efficacia vnde distinguantur.disp.84.n.1.

Auxilia efficacia vnde sumant distinctionem specificam. disp.84.num.5.

Auxilium efficax qualiter sit effectus amoris diuini. disp. 84.num.8.

Auxilium efficax gratiæ non subditur libero arbitrio, sicut habitus, quantum ad vsum, sed illud sibi subdit. disput. 87.num.2.

Auxilium efficax quos effectus causet in nobis.disp.87 n.4.

Auxilium efficax prædeterminans liberum arbitrium est ad singulos actus supernaturales necessarium. disp.91. num.8.

Auxilium efficax potest dupliciter considerari, scilicet secundùm suam entitatem, & vt est instrumentum diuinæ voluntatis.disp.92.num.2.

Auxilio efficaci, vt est instrumentum diuinæ voluntatis, nullus potest resistere licèt possit dissentire. disp.92. num. 7.disp.93.num.2.disp.94.num.2.

Auxilium efficax ad salutem quilibet habere potest, dum est in via.disp.23.n.31.disp.112.n.9.disp.115.n.11.

Auxilium efficax non habentis ad bene operandum imputantur ad culpam peccata.disp.18.n.20.disp 113.n.11.

quod Auxilium efficax, vel sufficiens in exequutione homines non recipiant, ipsorum culpa est. disputat.113. num.8.& 13.

Auxilij efficacis, vel sufficientis carentia considerari potest, vt est mera negatio, & vt est priuatio. disp.115.n.4.

Auxilij efficacis negatio est causa illationis, non conuersionis, vt est pura negatio.disp.101.num.6.

Auxilij diuini carentia, vt est mera negatio, culpam hominis non præsuppone.disp.113.num.12.

Auxilio cuncunque etiam efficaci, potest liberum hominis arbitrium dissentire, si velit.disp.115.num.13.

Auxilio efficaci, vt est quædam entitas physica, potest liberum arbitrium resistere. disp.32.num.13.

Auxilium efficax, licèt compatiatur simul in eodem arbitrio, potentiam dissentiendi; non tamen compatitur secum actum dissensus.disp.18.num.23.disp.115.num.4. disp.122.num.19.

Auxilium efficax habet infallibilem connexionem cum pia operatione, ad quam datur.disp.7.num.32.

Auxilium efficax facit, quòd, cùm homo possit dissentire, infallibiliter consentiat.disp.72.num.4.

Auxilium efficax tribuit potentiæ vltimum complementum actus primi.disp.18.num.18.

Auxilium efficax præmium habere, non est in potestate arbitrij creati. disp.18.num.20.

Auxilium efficax non destruit, sed perficit libertatem. disp. 18.num.23.

Auxiliorum gratiæ efficacia à solo Deo est. disp.19.n.6.

Auxilium gratiæ est efficax in se, & prout venit à Deo. disp.23.num.17.

Auxilium efficax præueniens realiter distinguitur ab operatione causæ secundæ.disp.19.num.8..

Auxilium efficax sanat animam intrinsecè efficaciter, gratia autem habitualis sanat eam formaliter.disputat.54. num.18.

Auxilia efficacia non dantur propter bonum vsum auxilij sufficientis.disp.58.num.4.

Auxilium efficax non est datum Adæ, propter eius culpam.disp.113.num.15.

Auxilium efficax perfectius datum est Angelis, secundùm materiam perfectionem naturæ.disp.55.num.16.

Auxilium internum efficax requiritur ad fidem, præter congruam propositionem obiecti. disp.49.num.18.

Auxilio efficaci, non autem ex solis signis exterioribus conuersi fuissent Tyrij, & Sidonij, si Christus Dominus apud eos signa fecisset.disp.7.num.23.

Auxilium efficax inquantum efficax præuenit liberam cooperationem arbitrij.disp.72.num.2.

Auxilium efficax est quid inhærens libero arbitrio, non autem assistens solum extrinsecus.disp.67.per totam.

Auxilium efficax qualiter ab auxilio sufficienti distinguatur.disp.72.num.2.

B

BAGVLO assimilatur liberum arbitrium, quantum ad aliquid.disp.31.num.15.disp.96.num.6.

BEATITVDO nostra consistit formaliter in actu. disp.82. num.12.

Beatitudinis supernaturalis nullam cognitionem habebunt parvuli reprobi, etiam post diem iudicij.disp.114.n.12.

Beatitudo supernaturalis non potest solo lumine naturæ euidenter cognosci.disp.119. per totam.

Beatitudo supernaturalis, etiam de potentia Dei absoluta, non potest esse connaturalis alicui puræ creaturæ. disp. 69. per totam.

Beatitudo supernaturalis non est magis intensa, propter maiorem perfectionem naturalem intellectus, sed ex maiori intensione luminis gloriæ. disp. 63. per totam.

BERNARDI auctoritas circa gratiam cooperantem expenditur. disp. 82. num. 9.

BONITATEM *in rebus præsupponit voluntas nostra, non autem voluntas diuina. disp. 37. num. 15.*

Bonus usus gratiæ non procedit ex solo, & innata arbitrij libertate. disp. 97. num. 4.

Bonus usus auxilij sufficientis est signum à posteriori datum fuisse homini auxilium efficax. disp. 58. num. 4.

Bona aliqua moralia potest homo facere ex solis viribus naturæ. disp. 47. num. 7.

Bona opera facta in peccato mortali ex solis viribus naturæ ad quid deseruiant. disp. 56. num. 25.

Bona opera naturæ non merentur etiam de congruo ipsam gratiam. disp. 59. num. 9.

Bona conscientia testimonium signum est prædestinationis. disp. 42. num. 12.

C

CAIETANI *sententia circa influxum, seu concursum primæ causæ expenditur. disp. 18. num. 11.*

CALOR *vt ollo procedit à forma ignis genitus. disp. 66. num. 11.*

CALVINVS, *& Pelagius eo argumento conuicti in contrarios errores inciderunt. disp. 92. num. 13. disp. 22. n. 3.*

Caluinus à Luthero in quo dissenserit. disp. 22. n. 31.

Caluini error asserentis, Deum esse causam peccati expenditur. disp. 24. num. 17.

Caluini errores varij enumerantur. disp. 3. num. 9. disp. 67. num. 11. disp. 98. num. 10. disp. 121. num. 10.

CAPREOLI *sententia circa concursum primæ causæ. disp. 18. num. 11. præsertim respectu actus peccati, in quantum actus est. disp. 24. num. 15.*

CATECHVMENI *quo principio supernaturalis eliciant supernaturales actus. disp. 67. num. 11.*

CATHERINI *sententia circa prædestinationem. disp. 37. n. 1.*

CASSIANVS *constituit in natura quadam virtutum semina. disp. 2. n. 19. Eius sententia circa gratiam, & liberum arbitrium ibid. n. 18. & seqq. Eius opera damnauit Gelasius, eodem n. 18. Asseruit posse hominem in natura lapsa ex facultate naturæ habere charitatem, & resistere grauioribus tentationibus. eadem disp. 2 n. 20. & 21. Et quòd Deus expetat nostros conatus. ibid. n. 22. quódque sit seruanda propria lata, & industria libero arb. ibid. n. 23. Quòd possit homo medicum quærere, quódque conatus facere quod in se est, ex solis viribus naturæ detur infallibiliter gratia. ibid. n. 24. & 25. addens, quòd illi conatus non sint meritorij gratiæ, nec semper necessarij. num. 26. & 27. Quòd propter bona opera naturalia detur homini auxilium gratiæ, licèt non tanquam propter merita. ibid. num. 28.*

Cassiani error circa conatus naturales antecedentes gratiam impugnatur. disp. 56. num. 15. Et circa vires naturales arbitrij. disp. 72. num. 10.

Cassiani error circa fidem expenditur. disp. 49. n. 1. & seqq.

Cassianus asserut, Deum fouere opera naturæ. disp. 2. n. 29.

CAVSA *principalis quæ dicatur. disp 68. num. 14.*

Causa alicuius effectus duplex, alia physica, alia moralis. disp. 22. num. 1.

à Causa contingenti seu indifferenti vt sic, non exit determinatus effectus. disp. 7. n. 13. disp. 18. n. 13. disp. 23. n. 20.

Causa secunda operatur, vt instrumentum Dei. disp. 18. num. 11. disp. 68. num. 5.

Causa secunda agit inquantum mota à prima causa. disp. 18. num. 4.

Causa secunda inquantum causa secunda importat respectum ad causam primam a qua mouetur, & vt causa respicit effectum, quem producit. disp. 98. num. 6.

Causa prima inquantum prima respicit causam secundam, quam mouet: & inquantum causa respicit effectum, quem producit simul cum causa secunda. disp. 98. num. 6. disp. 122. num. 7.

Causæ contingentes indigent ad operandum præuio Dei influxu. disp. 18. num. 13.

Causæ naturales etiam indigent præuia Dei motione, vt determinatam producant operationem. disp. 18. n. 18.

Causæ omnes secundæ prædeterminantur extrinseco Dei decreto ad suas operationes. disp. 22. num. 8.

Causæ naturales, & vehementes passiones non necessitant voluntatem ad peccandum. disp. 54. num. 21.

quæ cum Causis secundis Deus operatur, qualiter possit facere se solo. disp. 32. num. 11.

Causa secunda vicem, si vitalis sit, Deus supplere non potest. disp. 67. num. 9.

in Causa contingenti, & libera simul est potentia ad opposita, non tamen ad opposita simul. disp. 115. num. 3.

Causa quòd homo non conuertatur, est sola eius mala voluntas. disp. 101. num. 8.

Causa adæquata faciens, vt homo conuertatur, est Deus. disp. 100. num. 4. & 5.

cum Causis secundis concurrit Deus ad earum actiones. disp. 120. num. 6.

Causa totalis discernens iustum à peccatore est gratia. disp. 27. num. 6.

Causas partiales consensus esse gratiam, & liberum arbitrium dixerunt quidam, quorum sententia impugnatur. disp. 62. num. 7. disp. 63. num. 8. disp. 122. num. 9.

Causa partialis supernaturalis actus in quo sensu dicantur gratia, & liberum arbitrium. disp. 105. num. 2.

Causarum secundarum motus omnes reducuntur in Deum, vt in primum efficiens. disp. 17. num. 7.

Causans effectiuè vltimam dispositionem ad formam, quando sit causa efficiens formæ. disp. 66. num. 12.

Causa prima alicuius effectus dicitur dupliciter. disp 84. num. 4.

Causa prima, scilicet Deus, & concursu præuio influit in voluntatem, & etiam concursu simultaneo influit cum voluntate in actum liberum. disp. 98. num. 6. & disp. 122. num. 7.

Causalis ista, Quia res futura sunt, ideo cognoscuntur à Deo, est falsa. disp. 16. num. 6.

Causalis ista, Quia ego volo, Deus me adiuuat, fuit dogma Pelagij. disp. 1. num. 12. disp. 22. per totam, sed præsertim num. 3. & seqq.

Cælestini Papæ sententia circa gratiam, & liberum arbitrium. disp. 18. num. 15.

Certitudo scientiæ diuinæ circa contingentia, vnde formaliter desumatur. disp. 9. num. 5.

Certitudo prouidentiæ diuinæ, & prædestinationis non est solùm certitudo præscientiæ, sed etiam ordinis, & causalitatis mediorum. disp. 30. & 41. per totam. disp. 121. n. 6.

Certitudo sumitur non solùm per comparationem ad intellectum, sed etiam per comparationem ad causam. disp. 41. num. 5.

Certissimè fit moraliter, quod regulariter fit. disp. 56. n. 21.

CHARITAS *est donum Dei. disp. 51. num. 7.*

Charitatis modus cadit sub præcepto charitatis, non tamen sub præcepto aliarum virtutum. disp. 51. num. 4.

Charitatis actus imperatus potest secundum substantiam produci ex solis viribus naturæ. disp. 51. n. 14.

Charitatis actus elicitus est secundum substantiam purè supernaturalis. disp. 65. n. 5. & 7. nec potest euidenter, nisi per visionem beatificam cognosci. eodem n. 7.

Charitatis actus non potest durare solùm per instans. disp. 60. num. 31.

Charitatis naturalis vnum, aut alterum actum posset homo in puris naturalibus elicere absque auxilio gratiæ. disp. 51. num. 18. non tamen in natura lapsa. disp. eadem per totam. Vide verbo, Dilectio. Et verbo, Amor.

CHRYSOSTOMI *ſententia circa prædeterminantem gratiam expenditur.* diſp.22.num.22.

CHRISTVS *per ſemen deſignatur.diſp.7.n.25.*

Chriſti Domini anima erat prædeterminata ad bonum ſalua eius libertate.diſp.91.num.6.

Chriſti incarnatio facta eſt ſuppoſito peccato. diſp.7.n.29.

Chriſti meritum habet infinitatem moralem.diſp.19.n.11.

Chriſti paſſio fuit prædefinita, quoad omnes circumſtantias. diſp.22.num.18.

Chriſtus liberè mortuus eſt.diſp.22.num.18.

Chriſtus liberè obediuit præcepto moriendi. diſp.116.n.12. *Potuitque obedire, & non obedire negatiuè,non autem priuatiuè.ead.diſp.num.13.*

Chriſtus liberè impleuit *præcepta.diſp.25.n.14.*

Chriſtus non meruit, vt Deus ſtatueret legem dandi auxilia gratiæ facientibus totum, quod in ſe eſt,ex ſola facultate naturæ.diſp.56.num.10.

Chriſtus venit primò propter Iudæos: nam illis fuit promiſſus; non autem gentibus.diſp.56.num.11.

Chriſtus nouo titulo meruit per actus ſequentes, quod meruerat per primum actum.diſp.60.num.29.

Chriſto fuit connaturalis gratia,& charitas.diſp. 60.n.9.

Chriſti voluntas diuina,& humana in quo differant. diſp. 34.num.6.

Chriſti merita fuerunt cauſa omnium donorum,quæ dantur hominibus lapſis.diſp.39.num.4.

Chriſti prædeſtinatio fuit cauſa prædeſtinationis noſtræ, quoad omnes eius effectus.diſp.39.num.5.

Chriſtus meruit, quòd actus Dei prædeſtinantis ad tales perſonas terminaretur.diſp.39.num.6.

Chriſtus meruit electionẽ comparatiuam prædeſtinatorũ formaliter ſumptam, non autem materialiter.diſp.39.n.7.

Chriſtus ſuam prædeſtinationem non meruit. diſp.39.n.8.

Chriſti prædeſtinatio non fuit effectus prædeſtinationis noſtræ. diſp.39.num.9.

Chriſtus eſt caput omnium fidelium, & prædeſtinatorum. diſp.40.num.3.

Chriſtus per ſcientiam infuſã non cognouit euidẽter myſterium Trinitatis,niſi euidẽtia in atteſtante.diſp.119.n.7.

Chriſtus non meruit Angelis gloriam eſſentialem,licèt meruerit illis multa præmia accidẽtalia.diſp.40.n.2.& 4.

Chriſtus non meruit Adæ gratiam ſtatus innocentiæ. diſp. 40.num.5. Nec *venit principaliter propter Angelos,ſed ex conſequenti.ibidem.num.5.*

CLARITAS *in rebus fides ſuſpecta eſſe debet.diſp.118.* num.7.

COEXISTERE *aliqua* inter ſe quid ſit.diſp.8.num.2.

CONATVS *noſtros Deus nõ expectat.* diſp.56.n.12.& 15.

Conatus noſtros bonos præuenit Dei gratia.diſp.55.num.15.

CONCILIVM *Tridentinum,cùm definit hominem poſſe diſſentire auxilio gratiæ, loquitur etiam de auxilio efficaci.diſp.92.num.8. Eius doctrina circa gratiam efficacem expenditur.* diſp.92.n.14. *Eiuſdem Concilij decreta circa merita iuſtorum* expendũtur.diſp.60.n.13.& 14.

Concilium Tridentinum loquitur in ſenſu diuiſo cum docet, liberum arbitrium poſſe diſſentire motioni efficaci. diſp. 115.n.12. *Nec definit liberum arbitrium non ſe habere paſſiuè, ſed quod non ſe habet merè paſſiuè, &c.* diſp.19. n.6.diſp.25.n.14.diſp.116.n.10.

Concilia,quæ docent Deum non prædeterminare homines ad actus malos,expendũtur.diſp.24.n.26.

Concilij Senonenſis doctrina circa gratiam efficacem expenditur.diſp.92.num.5.

Concilij Arauſicani canon 4.expenditur.diſp 95.num.2.

COGNOSCERE *quæ poſſit homo ſine auxilio gratiæ.* diſp. 48.num.2.

Cognitum eſt in cognoſcente ſecundùm modum cognoſcentis, quomodo intelligatur.diſp.69.num.4.

Cognoſcere certò nullus poteſt ſeclusâ reuelatione diuina, ſe de numero eſſe prædeſtinatorum.diſp.42.num.5.

Cognitio quidditatiua eſſe non poteſt imperfecta,& confuſa. diſp.119.n.4.

Cognitio comprehenſiua quæ dicatur.diſp. 119.n.4.

*Cognitio euidens ex terminis, quæ dicatur.diſp.*119.n.7.

Cognitio futurorum vnde habeat certitudinem in Deo. diſp. 9.per totam.

Cognoſcit futura Deus prout ſunt in æternitate.diſp.9.num. 2.& 3.

*Et etiam cognoſcit illa certò in prædeterminatione ſuæ voluntatis.diſp.*10.num.4.diſſ.11.num.3.

*Et prout ſunt in ſuis cauſis determinatis.diſp.*12.num.2.

*Cognitio concordiæ liberi arbitrij cum gratia quàm ſit difficilis.diſp.*118.per totam. *Demonſtrari poſſe,vel cognoſci facilè quidam ſentiunt.*ead.diſp.num.3.

CONCVRSVS *Dei cum libero arbitrio qualiter à quibuſdam explicetur.diſp.7.num.*18.

concurſus Dei generalis eſt influxus immediatus in cauſam ſecundam. diſp.18.num.3. *Præſertim ad actus ſupernaturales.diſp.18.n.*15.

*concurſus generalis ſubtrahit violentiam in rebus non cauſat.diſp.*32.num.12.

concurſum Dei generalem conceſſit Pelagius; non tamen concurſum prænium,diſputatione 1.num.11.& 12.

concurſus liberi arbitrij creati eſt à Deo,non ſolùm moraliter,ſed etiam verè efficienter. diſp.7.num.19.

concurſus Dei ſimultaneus non diſtinguitur realiter ab operatione cauſæ ſecundæ.diſp.19 num.11.

*circa concurſum prima cauſa quid ſenſerit Capr. diſp.*18. n.11.diſp.24.n.15. *Quid Canet.diſp.*18.n.11. *Quid S. Thomas.diſp.ead.n.*11.

CONCORDIA *liberi arbitrij cum gratia quàm ſit difficilis.diſp.*118.n.1. *facilè cognoſci poſſe quidam ſentiunt.* ead.diſp.num.3. Oppoſitum *probatur n.5.& ſeqq.*

*concordia quædam liberi arbitrij cum gratia proponitur,& impugnatur.diſp.*120.per totam.

*concordia legitima à ſancto Auguſtino, & Thoma tradita explicatur,& defenditur.diſp.*121.n.7.& ſeqq. *Eiuſdem concordiæ fundamenta quinque ſtatuuntur.diſp.*121.n.1. *& ſeqq.*

CONDITIONALIS *vera,& neceſſaria,& falſa eſt impoſſibilis.diſp.7.n.7.diſp.*22.n.40.

conditionales propoſitiones de futuro contingenti qualiter à Deo cognoſcantur.diſp.7.n.9.& ſeqq.

conditionalis propoſitio vt ſit vera, non ex gr.vt antecedens ſit cauſa conſequentis.diſp.72.n.5. *Vide verbo, Propoſitio.*

conditionata diſparata non ſunt ſecundum ſe ſcibilia. diſp. 7.num.20.

CONFIRMATIO *in gratia qualiter à dono perſeuerantiæ diſtinguatur.diſputatione* 104.per totam.

confirmati in gratia in quo ſenſu dicantur impeccabiles.diſp. 104.n.3.& 4.

*confirmatio in gratia in quo conſiſtat.diſput.*104.n.4.

confirmati in gratia ſalutantur liberè. diſp.104.n.4.

*confirmatio in gratia includit donum perſeuerantiæ,& non è contra.ead.diſp.n.*5.

CONGRVITAS *gratiæ efficacis eſt illi intrinſeca, nec variatur ex diuerſa natura,aut diſpoſitionibus naturalibus ſubiecti.diſp.*83.n.7.

CONSENSVS *qualiter dicatur proprius actus liberi arbitrij.diſp.*97.n.13.

*conſenſus arbitrij eſt ſimpliciter actus liber,licèt ſecundùm quid,& ex ſuppoſitione auxilij efficacis ſit neceſſarius in ſenſu compoſito,ſeu neceſſitate conſequentiæ.diſp.*25.per totam. *Vide verbo, Auxilium efficax.*

CONSEQVENTIA *ex oppoſito conſequentis ad oppoſitum antecedentis, quæ ſit.diſp.*118.n.14.

CONTINGENS *quid ſit.* diſp.26.num.16.

*contingens dicitur tribus modis.diſp.*26.num.5.

contingens propriè quot requirat conditiones.diſp.26.n.6.

contingens aliquid addit ſupra liberum.diſputatione 27. num.3.

contingentia prima cauſa efficiens eſt ſumma efficacia diuinæ voluntatis.diſp.25.num.8.

contingentia ratio formalis, & proxima non eſt liberum arbitrium

arbitrium hominum, vel Angelorum, aut appetitus sentiens bestiarum. disp. 26. num. 10. sed defectibilitas causæ secundæ. ead. disp. n. 11.

contingentia esset in rebus etiamsi Deus operaretur ex necessitate naturæ. disp. 26. num. 12.

contingens causa non est Deus, sed libera. disp. 27. n. 1.

contingens, & necessarium necessitate consequentiæ non opponuntur. disp. 22. num. 32.

contingentes actus sunt secundum quid necessarij. disp. 25. num. 14.

contingentia futura non sunt cognoscibilia ab intellectu creato per naturam antequam sint. disp. 8. n. 8.

contingentia futura certò cognoscuntur à Deo, tum in prædeterminatione suæ divinæ voluntatis. disp. 10. & 11. per totam. tum propter realem præsentiam, quam habent in æternitate. disp. 9. per totam. tum etiam prout sunt in suis causis proximis prædeterminatis à Deo. disp. 12. per totam. disp. 11. num. 3.

contingentia futura non habent determinatam veritatem ante omne decretum divinæ voluntatis; ratione cuius ante idem decretum possint à Deo certò cognosci, ut futura. disp. 13. per totam.

contingens ut contingens non subditur certæ cognitioni. disp. 7. num. 17.

contingentia futura qualiter à Deo cognoscantur in ideis eorum. disp. 14. per totam.

contingentia futura non repræsentantur in actu secundo per ideas ante decretum divinæ voluntatis, sed solùm in actu primo. disp. 14. n. 3.

contingens ante decretum divinæ voluntatis non est determinatum ad esse, vel non esse, sed indifferenter se habet ad utrumlibet. disp. 7. num. 13. disp. 13. n. 3.

contingentium actuum prædefinitio qualiter à Deo fiat secundùm aliquos. disp. 22. n. 15.

contingentia omnia futura sunt efficaciter à Deo prædefinita secundùm omnes circumstantias non malas, antecedenter ad præscientiam futura cooperationis causæ secundæ contingentis, aut liberæ. disp. 22. n. 8. & seqq. disp. 29. num. 2.

CONTRADICTORIÆ *etiam in æternitate non sunt simul vera. disp. 8. num. 7.*

Contradictoriarum oportet alteram esse determinatè veram, alteram determinatè falsam pro quolibet instanti temporis, non tamen pro qualibet signo rationis. disp. 13. num. 2. 3. & 4.

De contradictoriarum essentia est, quòd repugnet simul esse veras, aut falsas, seu quòd si una est vera, altera sit falsa. eadem disp. & num.

Contradictio vera attenditur secundùm instans temporis, non autem secundùm instans naturæ. ibidem.

Contradictoria duo inferuntur, si asseratur, liberum arbitrium elicere actum supernaturalem absque principio supernaturali inhærente. disp. 67. num. 10.

CONTRITIO *est dolor datus à Deo, & assumptus à pœnitente. disp. 51. num. 13.*

Contritio dupliciter considerari potest, scilicet ut antecedit habitualis gratia infusionem, & ut illam subsequitur. disp. 66. num. 7.

Contritio, ut est pars sacramenti Pœnitentiæ, non procedit effectivè à gratia habituali. disp. 66. num. 10.

Contritio prima potest aliquo modo, & secundum quid dici meritoria de congruo habitualis gratiæ, non tamen simpliciter. disp. 59. num. 15.

Contritionis actus est ultima dispositio ad gratiam, tum moralis, tum physica. disp. 66. num. 3.

Contritionis actus habet ex natura rei connexionem cum gratia justificante. disp. 59. num. 4. & 7.

CONTINVATIO *maior actus meritorij conducit ad maius meritum respectu præmij essentialis. disp. 60. n. 31.*

CONVERSIONEM *causat non gratia sola, sed etiam liberum arbitrium. disp. 100. num. 5.*

Conversionis quæ sit adæquata causa. ead. disput. per totam, præsertim num. 4. & 5. ubi explicatur qualiter Deus sit causa adæquata, ut homo convertatur, quamvis non sit solus Deus causa actus conversionis.

Convertitur homo, quia à Deo adiuvatur, non autem ideo adiuvatur quia vult converti. disp. 101. per totam.

non conversionis ut est privatio, seu peccatum, causa est solum liberum arbitrium creatum. disp. 102. num. 3. & seqq.

CORDIS, *& ostij pulsatio in quo differant. disp. 74. n. 5.*

CORNELIVS *erat in gratia, cum propter eleemosynas ad illum missus est Petrus. disp. 55. num. 14.*

Cornelius fecit, quod in se erat ex auxilio gratiæ, cum illuminatus fuit circa Euangelium. disp. 56. num. 22.

CORPVS *cœleste non attingit virtute propria productionem rei viventis. disp. 55. num. 11.*

CREDERE *vel pœnitere, sicut oportet, quid sit. disp. 49. num. 19.*

Credere est actus intellectus, ut moti à voluntate. disp. 49. num. 6. Vide verbo, Assentiri, & verbo, Fides.

D

DAMASCENI *auctoritas circa prædeterminationem expenditur. disp. 22. num. 20. Asserit omnia esse à Deo prædeterminata. disp. 22. num. 10.*

DAMNATORVM *tristitia unde causetur. disp. 32. n. 10.*

DAMNI *subsequuti quando sit causa, qui removet prohibens. disp. 101. num. 12.*

DEI *primum prædicatum essentiale est esse per essentiam. disp. 119. num. 3.*

Dei perfectiones quæ sint communicabiles creaturis. disp. 69. num. 9.

Deus qualiter cognoscat futura, ut futura sunt. disp. 7. num. 28. & 30.

In Deo qualiter distinguantur scientia, & præscientia. disp. 9. num. 15.

In Deo novam perfectionem non ponit scientia libera. disp. 13. num. 2.

Deus cognoscit infallibiliter omnia futura contingentia propter realem præsentiam, quam habent in æternitate. disp. 9. num. 2. Et in decreto suæ divinæ voluntatis. disp. 10. num. 4. & sequentibus. disp. 11. num. 3. & prout sunt in suis causis proximis determinatis, & non impediendis. disp. 12. num. 2.

Deus non ideo cognoscit res futuras, quia futuræ sunt. disp. 16. num. 6.

quia Deus scit hoc contingens futurum esse, ideo futurum est, & non è contrà. disp. 16. num. 6.

In Deo præter intellectum, & voluntatem non est constituenda tertia potentia exequutiua. disp. 17. n. 3.

Deus agit ad extra per decretum suæ voluntatis, disp. 22. n. 14. sine per intellectum, ut moueatur à voluntate. disp. 17. num. 4.

Deus qualiter operetur immediatè immediatione virtutis, & suppositi. disp. 18. num. 19.

Deus operatur in natura, & in voluntate operantibus. quadruplicitèr. disp. 18. num. 9.

Deus cum causis secundis concurrit ad earum actiones. disp. 120. num. 6.

Deus, ut obiectum, determinat voluntatem in patria, quoad exercitium actus, non autem in via. disp. 7. num. 15. disp. 119. num. 5.

Deus suæ motione efficaci physicè prædeterminat voluntatem ad liberos actus bonos. disp. 23. num. 19.

Deus mouet voluntatem hominis ad bonum, sicut universalis motor. disput. 24. num. 30.

à Deo scibile non est ante decretum suæ voluntatis, quos Angelos esset creaturus, si produxisset alium mundum. disp. 7. num. 12.

Deus nec est causa formaliter necessaria, nec contingens, sed libera. disp. 27. num. 1.

si Deus operaretur ex necessitate naturæ, adhuc esset contingentia in rebus. disp. 26. num. 12.

si Deus vult aliquid, necesse est illud esse. disp. 25. num. 9.

Dei influxus simultaneus non efficit voluntatem concurrere. disp. 23. num. 13.

Deus per auxilium efficax præoperantis gratiæ, & moraliter, & efficienter facit nos cooperari. disp. 85. num. 15. disp. 86. num. 3.

Deus, & liberum arbitrium non sunt propriè duæ causæ partiales supernaturalis operationis, disp. 85. num. 3.

Deum operari, ut velimus, quid sit. disp. 86. num. 8.

Deus immutando voluntatem, non eam cogit. disput. 32. num. 9.

Deus absoluto decreto omnia prædeterminauit. disp. 22. per totam, disp. 123. num. 12.

Deo totum est tribuendum. disp. 62. num. 6. disp. 97. n. 7.

Deo qualiter tribuatur præparatio cordis. disp. 98. n. 9.

Dei voluntatem in rebus creatis fieri, quam sit rationi consentaneum. disp. 55. num. 14.

Deo tribuenda est victoria contra tentationes, disp. 54. num. 14. & sequentibus, disp. 122. num. 4.

Deum in aliquo casu convertere non posse voluntatem creatam seruata eius libertate, sentiunt quidam. disp. 28. num. 7.

Deus seu gratia præueniens non se inserit operibus naturæ. disp. 57. num. 5.

Deum operari, quia voluntas creata operatur, quidam sentiunt. disp. 120. num. 8. quia Deus operatur, homo cooperatur. disp. 99. num. 3.

Deus non expectat hominis consensum. disp. 122. n. 12.

Deum priùs inchoare nostrum velle, qualiter intelligatur. disp. 98. num. 7.

Deus solus est causa adæquata, faciens vt homo conuertatur. disp. 100. num. 4. & 5.

in Deo non est propriè desiderium. disp. 34. n. 7.

Deus voluntate consequente non vult omnes homines saluos fieri. disp. 50. num. 25.

Deum velle omnes homines saluos fieri, in quadruplici sensu explicat Augustinus. disp. 33. num. 1.

Deus non semper vult voluntate consequenti oppositum eius, quod vult voluntate antecedenti. disp. 34. n. 4.

Dei voluntas antecedens, & consequens, quæ dicatur. disp. 34. num. 3.

Dei voluntas antecedens, & consequens non pugnant inter se. disp. 109. n. 9.

Dei voluntas absoluta impediri non potest per humanam. disp. 10. n. 5. & sp. 32. n. 5. Vide verbo, Resistere.

Deum non velle mortem peccatoris, qualiter intelligatur. disp. 109. num. 8.

Deum odio habere aliquem, quid sit. disp. 110. num. 18.

Deus in reprobatione hominis nō est crudelis. disp. 100. n. 19.

Deus nō creauit reprobos eo fine, vt eos damnet. disp. 111. n. 5.

Deus ante præscientiam mali vsus arbitrij, statuit quibusdam non dare auxilia supernaturalia ad immediatè credendum. disp. 113. num. 5.

Deus non priùs deserit hominem, quàm deseratur ab eo. disp. 58. n. 7 disp. 112. num. 12.

Deus vult voluntate signi, vt omnes seruent eius præcepta. disp. 33. num. 5.

Dei voluntas est indifferens negatiuè respectu obiecti secundarij, non autem priuatiuè, disp. 6. num. 4. & 12.

in Dei voluntate nulla est indifferentia passiua, disp. eadem, num. 12.

Deus non est causa peccati, disput. 18. num. 21. disput. 24. num. 11. & 23. nec etiam in fauorem. disp. 101. num. 5.

Deum esse causam peccati pro materiali, in quo sensu concedi possit. disput. 24. num. 23.

Deus concurrit ad entitatem actus peccati, non autem ad eius deformitatem, disput. 18. numer. 21. disput. 24. num. 10.

Deus non implanat hominem, disput. 24. num. 24.

Deum præmouere voluntatem efficienter ad actum peccati, inquantum actus est, ostenditur ex S. Thom. disp. 24. num. 17. Et ex doctrina Capr. Ferrariensis, M. Sots, & aliorum Thomistarum. disput. eod. num. 16.

Dei voluntas. Vide verbo, Voluntas.

DEBITVM *legale minuit rationem gratiæ. disp. 56. n. 11.*

DECRETVM *potest dupliciter dici conditionatum, scilicet ex parte actus volendi, vel ex parte obiecti voliti. disp. 7. num. 7.*

Decretum Dei respectu futurorum conditionatorum explicatur. disp. 7. num. 8.

ante Decretum diuinæ voluntatis nihil intelligitur, vt futurum. disp. 7. num. 18.

In decreto voluntatis cognoscit Deus futura contingentia. disp. 10. num. 4.

Decretum Dei efficax scientiam mediam non præsupponit. disp. 115. num 6.

DÆMONES *obstinati sunt in malo, & nihilominus liberè peccant, disp. 116. num. 14.*

DESIDERIVM *in Deo non est. disp. 34. num. 7.*

DETERMINATIO *moralis, & physica voluntatis qualiter differant, disp. 12. num. 1.*

Determinatio, & indifferentia duplex, altera in actu primo, altera in actu secundo, disp. 22. num. 37.

Determinatio voluntatis in actu secundo est idem, quod actus voluntatis, non autem determinatio Dei præmia, disp. 22. num. 38. disp. 23. num. 7.

Determinatio creata voluntatis est sub dominio Dei, disp. 23. num. 11.

Determinatio voluntatis creatæ non est à sola voluntate, disp. 89. num. 4.

Determinatio duplex naturalis videlicet, & libera, disp. 22. num. 36. disp. 23. num. 28.

Determinatio voluntatis creatæ qualiter Deo tribuatur, disp. 89. num. 7.

Determinatio voluntatis qualiter sit libera, disp. 89. nu. 8. Vide verbo, Predeterm.

Determinat efficaciter ab obiecto, quoad exercitium, non potest voluntas, nisi à Deo clarè viso, disp. 7. num. 18.

Determinata ad vnum numero effectum qualiter esse possit virtus actiua, disp. 19. num. 10.

Determinat voluntas diuina humanam, vt secum cooperetur, disp. 22. num. 14.

Determinat se voluntas humana, sed non est simpliciter primum se determinans, disp. 22. num. 38. Vide verbo, Predeterm.

DILECTIO *Dei, alia naturalis, alia supernaturalis. disp. 51. num. 5.*

Dilectionis Dei tres actus distinguuntur, disp. 51. n. 1.

Dilectio Dei absoluta includit in virtute obseruantiam omnium mandatorum. disp. 51. num. 4.

Dilectionis Dei super omnia absolutus actus non compatitur secum peccatum mortale, disp. 51. num. 8.

Diligere Deum super omnia, non potest homo in natura lapsa absque auxilio gratiæ, disp. 51. n. 6. disp. 122. n. 4.

Diligere, vel credere, sicut oportet quid sit, disp. 51. n. 17.

DISPOSITIO *vltima ad formam procedit ab illa effectiuè disp. 66. num. 6. & 9.*

Dispositionem vltimam causans efficienter, quando sit causa efficiens forma. disp. 66. num. 12.

Dispositio vltima ad augmentū charitatis, vt actio, non procedit effectiuè ab ipso habitu, vt actio, disp. 66. n. 8.

Dispositio, præsertim vltima ad gratiam habere non potest ex solis viribus naturæ, disp. 55. num. 4. & 6.

Dispositiones ad gratiam, etiam vltimæ non merentur propriè, etiam de congruo iustificantem gratiam. disp. 59. num. 10.

Dispositio negatiua, seu non resistentia, ex parte arbitrij ad efficaciam gratiæ non supponitur. disp. 105. n. 6.

DISTRIBVTIO *incompleta quæ dicatur, disp. 43. n. 1.*

DOCTRINA *notanda circa necessitatem gratiæ, & naturales vires arbitrij humani, disp. 122. n. 1. & seqq.*

Doctrina antiqua tenenda, & noua reiicienda, disput. 5. num. 5.

Doctrina S. Augustini & S. Thomæ commendatur, disp. 5. per totam.

DOMINIVM ſui actus non eſt primo, & principaliter in poteſtate arbitrij creati, ſed in poteſtate Dei, diſp. 117. num. 6.

DISSENTIRE vocationi Dei prouenit ex ſola innata arbitrij libertate, conſentire autem ex auxilio gratiæ, diſp. 55. num. 13.

Diſſentire in ſenſu compoſito non poteſt liberum arbitrium auxilio efficaci, diſp. 25. per totam, & diſp. 93. & 94.

Diſſentire poteſt homo ſimpliciter loquendo cuicumque auxilio gratiæ. diſp. 115. num. 13.

DONVM Dei eſt, audire verbum Dei animo obediendi, diſp. 57. num. 8.

Donum perſeuerantiæ non cadit ſub merito de condigno, diſp. 58 num. 6. Vide verbo, Auxilium, verbo, Gratia, & verbo, Perſeuerantia.

E

EBRIETAS, & ignorantia quando excuſent à peccato, diſp. 112. num. 6.

ECCLESIÆ Catholicæ conſentiunt Hæretici in aliquibus, non in omnibus, ſecundum illud Pſalmiſtæ. Quoniam in multis erant mecum. diſp 121. num 9.

Eccleſiæ doctrina à multis impugnatur, ſed expugnari non poteſt, diſp. 5 num. 6.

EFFECTVS vniuerſaliſſimus eſt effectus ſolius Dei, diſp. 18. num. 12.

Effectus omnes contingentes ſunt neceſſarij ſecundum quid, diſp. 25. num. 14.

Effectus omnes contingentes, qui non habent rationem peccati, voliti ſunt à Deo, & prædefiniti, diſp. 29. num. 2 Vide verbo, Contingens.

ELECTIO duplex, ſcilicet per modum intentionis, & per modum executionis. diſp. 37. num. 18.

Electionis ad gratiam, & ad gloriam nulla datur cauſa ex parte noſtra, ſicut nec prædeſtinationis. In Proœmio huius Operis. Vide verbo Prædeſtinatio.

ELEEMOSYNÆ frequentes ſigna ſunt prædeſtinationis, diſp. 42. num. 10.

ESSE per eſſentiam eſt proprium, & eſſentiale Dei prædicatum, diſp. 119. num. 3.

Eſſe habens ab alio, ab eodem habet operari, diſput. 8. num. 14. diſp. 24. n. 17. diſp. 96. n. 2.

EXCITATIO animæ non fit abſque eius operatione, diſp. 80. num. 3.

De excitante gratia. Vide verbo, Auxilium, verbo, Gratia, & verbo, Vocatio.

EXISTENTIA rerum in ſuperiori menſura non ſemper requirit earum exiſtentiam in inferiori, diſp. 8. n. 8.

Exiſtentia rerum in æternitate, ex parte æternitatis, eſt propria ratio, propter quam Deus cognoſcit futura contingentia. diſp. 9. n. 2.

EXHORTATIONES non ſunt fruſtra, etiam ſi ad bene operandum ſit neceſſarium auxilium efficax, diſp. 23. n. 33.

EXPECTAT Deus vt miſereatur noſtri, diſp. 95. n. 5.

Non expectat Deus voluntatem noſtram, vt purgari velimus, etiam poſt quam nos ſua gratia excitauit, ſed ipſam bonam voluntatem efficit, quamuis non ſine nobis liberè cooperantibus, diſp. 95. n. 16.

F

FACIENTI quod in ſe eſt ex ſolis viribus naturæ, an ex lege dentur infallibiliter auxilia prouenientis gratiæ, diſp. 49. n. 12. diſp. 56. num. 6. Non meruit Chriſtus, quod huiuſmodi lex ſtatueretur à Patre, ead. diſp. num. 10. Si puer nondum baptizatus perueniens ad vſum rationis faciat, quod in ſe eſt ex auxilio gratiæ, conuertendo ſe ad bonum, illuminabitur à Deo, & iuſtificabitur, diſp. 56. num. 22.

Etiam non facientibus, quod in ſe eſt ex viribus naturæ, ſæpiſſimè Deus confert auxilia prouenientis gratiæ, diſp. 56. n. 12.

Facienti quod in ſe eſt ex prioribus auxiliis gratiæ, an dentur infallibiliter, & ex certa lege poſteriora auxilia, diſp. 58. per totam. Vide verbo Perſeuerantia.

Facientis quod in ſe eſt ex auxilio efficaci, hoc eſt elicientis actum charitatis, & contritionis datur infallibiliter, & ex certa lege gratia habitualis, ſeu gratia iuſtificans, diſp. 59. per totam, præſertim num. 4.

FATVM in quo ſenſu ſit concedendum, diſp. 22. n. 11.

FAVSTI ſententia circa neceſſitatem gratiæ, & naturales vires arbitrij aperitur, diſp. 2. num. 1. & ſeqq. Senſit non eſſe totum tribuendum gratiæ, ſed aliquid laboris humano referuandum, ead. diſp. num. 4. Aſſeruit in opere iuſtificationis gratiam, & liberum arb. pariter ſociari, ibid. num. 5. Admiſit, ad bona opera quæ ſequuntur fidem, neceſſariam eſſe gratiam prætiam excitantem, ſed negauit gratiam efficacem, ibid. num. 5. Eius error circa fidem, diſp. 49. num. 1. Negauit prædefinitionem Dei, & prædeſtinationem antecedentem præſcientiam boni, vel mali vſus liberi arbitrij, diſp. 2. num. 17.

FIDEI myſteriis aſſentiri aſſenſu Chriſtiano nullus poteſt ſine auxilio gratiæ, diſp. 49. num. 7. bene tamen aſſenſu opinatiuo, ſeu propter motiuum humanum, ibid. n. 10.

Fides aſſenſum propter diuinam reuelationem, tanquam propter rationem formalem, nullus abſque auxilio gratiæ elicere valet, etiam quantùm ad ſubſtantiam actus, diſp. 49. n. 4. & ſeqq.

ad Fidem requiritur congrua propoſitio credendorum, diſp. 49. num. 6. 17. & 18. & ſimiliter requiritur motio Dei efficax interna, eodem n. 18. & n. 11.

Fides initium eſt à Deo, diſp. 122. n. 3.

Fidei Chriſtianæ actus eſt ſupernaturalis, quantùm ad ſubſtantiam, diſp. 65. per totam, præſertim n. 5.

Fides myſteria, etiam ſi non plenè intelligantur, credenda ſunt, diſp. 118. n. 7. Immo credenda ſunt, vt intelligatur, eadem diſp. n. 9.

Fides diuina, & humana in quo diſtinguantur, diſp. 49. num. 11.

in Fidei myſteriis credendis ſuſpecta eſſe debet omnis claritas, diſp. 118. n. 7.

Fides informis vitalitas, in qua vita radicetur, diſp. 64. num. 9.

Fidei myſteriis aſſentiri, ſicut oportet, quid ſit, diſp. 51. num. 17.

Fidei myſteria cum æquali auxilio gratiæ non melius penetrat nobilior intellectus. diſp. 63. n. 7.

Fidei myſteria cognoſcuntur per ſpecies naturales, vt elucidantur per auxilium gratiæ, diſp. 56. n. 18.

Deus non confert de facto omnibus auxilia, etiam ſufficientia ad immediatè credendum, diſp. 112. n. 2. & 7. diſp. 103. n. 15.

FILIVS DEI hoc ipſum, quod eſt ſpirare Spiritum ſanctum, & producere res ad extra, habet à Patre, & non à ſe ipſo, quia non habet eſſe à ſe, ſed à Patre, diſp. 18. n. 14. diſp. 96. n. 3.

FOVERE Deum opera naturæ dixit Caſſianus, diſp. 2. num. 29.

FVTVRA conditionalia à libero arbitrio dependentia non ſunt ſcibilia ante decretum diuinæ voluntatis, diſp. 7. num. 10.

Futura quædam conditionata per ſcientiam liberam cognoſcuntur à Deo, diſp. 7. n. 22.

Futura ſunt Deo præſentia in æternitate ſecundùm proprias exiſtentias, diſp. 8. n. 3.

Futura, vt futura, quomodo cognoſcantur à Deo, diſp. 9. n. 5.

Futura contingentia certò cognoſcuntur à Deo in prædeterminatione cauſarum ſecundarum. diſp. 11. n. 3. Vide verbo, Deus, & vero. Contingens.

G

GENERATIONEM ſpiritualem carnali comparat S. Fulgentius, & conceptionem Chriſti, diſp. 56. n. 14.

GENTES quomodo dicantur naturaliter, quæ legis sunt facere. disp. 47. num. 7. & disp. 50. num. 10.

GLORIAM essentialem nullo titulo dari operibus remissis quidam sentiunt. disp. 60. num. 12.

Gloria maior in ratione præmij essentialis, & in ratione gloriæ, quæ dicatur. disp. 60. num. 17. Vide verbo, Beatitudo, & verbo, Meritum.

GRATIÆ nomen, vt de illa contra Pelagium, loquuntur SS. Patres, & Concilia: significat donum quoddam supernaturalis ordinis, non autem sola natura gratis creata. disp. 1. num. 1.

Gratia nomine abusus est Pelagius ad significandum solam naturam gratis creatam, exemplum Christi, legem, atque doctrinam. disp. 1. num. 1.

Gratia est causa totalis discernens iustum à peccatore. disp. 97. num. 6.

Gratia est, quæ primò inchoat piam operationem, disp. 18. num. 17. disp. 89. per totam.

Gratia Dei nostros præuenit bonos conatus. disp. 55. n. 15.

Gratia non datur secundum quantitatem virtutis naturalis. disp. 55. num. 15.

ad Gratiam nullus positiuè disponitur per naturam. disp. 55. num. 15.

Gratia Deo tetigit cor mulieris purpuratæ, vt intenderet prædicationi Pauli. disp. 56. num. 17.

Gratia sola facit vt faciamus disp. 97. num. 13.

Gratia remissa elevata per auxilium actuale potest intensum actum producere. disp. 60. num. 11.

Gratia non est pedissequa humanæ voluntatis. disp. 123. num. 9.

Gratia primò inchoat bonum vsum liberi arbitr. disp. 27. num. 5.

Gratia impedimentum duplicitèr præstat homo. disp. 99. num. 8. & disp. 101. n. 5.

Gratia data est Angelis secundùm quantitatem naturalium, homini non item. disp. 62. num. 12.

Gratia rationem mutuit debitum legale. disp. 56. num. 11.

circa Gratiam, & naturales vires arbitrij doctrina Thomistarum. disp. 122. per totam.

Gratia elevat species intelligibiles naturales, vt per eas homo intelligat mysteria fidei. disp. 56. num. 18.

Gratiæ esse totum tribuendum, negant Faustus. disput. 2. num. 4.

Gratia dona talentorum nomine designantur. disputat. 57. num. 7.

Gratia congrua secundùm S. Augustinum quæ dicatur. disp. 7. num. 6.

Gratia requiritur ad veram virtutem. disp. 121. num. 1.

Gratiæ plura auxilia actualia collata fuêre primis parentibus in statu innocentiæ. disp. 106. num. 3.

Gratia dona collata nobis per Christum maiora sunt, quàm dona status innocentiæ. disp. 106. num. 8.

Gratia maior, in ratione beneficij quæ dicatur. disp. 108. num. 4.

Gratia Dei est, vt quis habeat prædicatores. disputat. 77. num. 5. & 6.

Gratia qualiter præsupponat in adultis rationis vsum. disp. 78. num. 4.

Gratia non perficit bona opera priùs incepta per naturam, sed ab ipsa est initium boni operis. disp. 56. num. 15.

GRATIÆ diuisio. Vide verbo, Auxiliorum diuisio.

GRATIA præueniens qualiter à quibusdam explicetur. disp. 57. num. 3.

Gratia præuenientis motus vnde habeant, quòd sint debiles. disp. 57. num. 9.

Gratia primo præueniens non est formaliter actus vitalis, sed causaliter. disput. 57. num. 4. & disput. 74. num. 4. & disput. 120. num. 2.

Gratia præueniens quæ non est simpliciter prima, potest esse formaliter actus vitalis. disp. 57. num. 9.

Gratia præueniens non se inserit operibus naturæ. disp. 57. num. 15.

Gratia primò præueniens non pendet à conatu arbitrij creati, etiam vt à conditione sine qua non. disputat. 78. num. 2.

Ad Gratiam præuenientem pertinet aliquid duplicitèr. disp. 77. num. 6.

GRATIA EXCITANS antecedit omne opus bonum. disp. 1. num. 11.

Gratia excitantis bonus vsus est efficienter à gratia adiuuante, disp. 98. n. 14.

Gratia excitans, alia interna, alia externa. disp. 75. n. 1.

Gratia excitans plures actus includit. disp. 75. n. 2.

Gratiæ excitantis effectus. disp. 75. n. 3.

ad Gratiam excitantem pertinent aliqui actus deliberati, disp. 75. n. 4.

Gratia excitans exterior non est eadem cum gratia sufficienti, disp. 76. n. 3.

Gratia excitans, quæ identificatur cum gratia sufficienti, qualis esse debeat. disp. 76. n. 5.

Gratia excitans qualiter dependeat à Ministris Ecclesiæ. disp. 77. n. 3. & 4.

Gratia adiuuans non potest esse solùm assistens, sed est quid creatum inhærens libero arbitrio. disp. 67. n. 4.

Gratia adiuuans, inquantum adiuuans, est præueniens liberam cooperationem arbitrij. disp. 81. num. 6. & disp. 122. num. 7.

Gratia excitans, & adiuuans etiam in homine iusto est ad singulos actus meritorios necessaria. disp. 88. n. 6.

GRATIA efficaci posita in libero arbitrio, infallibiliter, & liberè conuertitur. disp. 122. n. 17.

Gratia efficax non destruit, sed perficit libertatem arbitrij. disp. 122. n. 20.

Gratiam sufficientem internam admiserunt Semipelagiani. disp. 99. n. 5.

Vide verbo, Auxilium sufficiens, & efficax.

GRATIA operans in quo consistat, & similiter gratia cooperans. disp. 70. per totam. & disp. 81.

Gratia cooperans, inquantum cooperans, est præueniens ordine naturæ liberum concursum nostri arbitrij. disp. 82. n. 6. & seqq.

Gratia operans in quo à gratia cooperante distinguatur. disp. 81. num. 8.

Gratia operans moraliter, eadem est cum gratia excitante disp. 71. n. 7.

Gratia operans physicè distinguitur realiter à gratia excitante. disp. 81. n. 8.

Gratia operans, & cooperans concurrunt ad quamlibet piam operationem. disp. 81. num. 9.

GRATIA & liberum arbitrium non sunt propriè duæ causæ partiales supernaturalis operationis. disp. 62. n. 5. d. 85. n. 1. & 3. d. 122. n. 2. n. 9.

Gratiam, & liberum arbitrium pariter sociari in opere iustificationis dixit Faustus. disp. 2. n. 2.

Gratiæ instrumentum est aliquo modo liberum arbitrium. disp. 68. n. 15.

GRATIA HABITUALIS sanat animam formaliter. disp. 54. n. 18.

Gratia habitualis qualiter fuerit connaturalis Christo Domino. disp. 69. n. 9.

Gratia habitualis est fundamentum meriti. disp. 59. nu. 11.

Gratiæ privatio, est effectus peccati actualis originalis autem est essentia. disp. 24. num. 23.

Gratiam conferunt nouæ legis sacramenta. disp. 66. n. 10.

Gratia habitualis necessaria est homini lapso ad seruanda omnia præcepta, etiam naturalia collectiuè. disp. 54. n. 18.

Gratia iustificans infallibiliter datur eliciens actum contritionis ex auxilio speciali. disp. 59. n. 4.

Gratia, & charitas in esse habitus augetur per actus intensiores. secundùm excessum actus supra habitum. disp. 60. num. 10.

Gratia remissa elevata per auxilium actuale potest intensum actum producere. disp. 60. num. 11.

Gratia, & charitas in esse gratiæ, & charitatis augentur

meritorie per actus remissos. disp. 60. num. 12.
Gratia in esse gratia consideratur dupliciter. disputat. 60. num. 26.
Gratia in esse gratia statim augetur per actus etiam remissos. disp. 6. num. 23.
Gratia ver actus remissos augetur secundùm totam latitudinem actus super habitum. disput. 60. num. 3.
Gratia augmentum in esse habitus respondens actibus remissis, habetur in primo instanti visionis beatifice. disput. 60. num. 24.
Gratia in esse habitus, & in esse gratia aliquando sunt inaequales. con. 25.
Gratia, & gloria augmentum meretur iustus per quemlibet actum meritorium, etiam remissum. disp. 61. num. 4.
Gratia habitualis datur per submministrationem Spiritus. disp. 1. num. 20.
Gratie habitualis quantitas in adultis tandem mensuratur secundùm quantitatem auxilij diuini. disp. 62. num. 7.
GRATIA status innocentiæ non fuit ex meritis Christi. disput. 40. num. 2.
Gratia status innocentiæ non fuit effectus prædestinationis, nisi, vt reparata per Christum. disp. 40. num. 3.
GRATIA gratis data in aliorum vtilitatem datur. disp. 23. num. 33.

H

HABITVS, & auxilium actuale in quo differant, disput. 23. num. 28. & disp. 82. num. 10.
Habitus, & potentia in quo differant. disput. 49. num. 16.
Habitus supernaturales solùm per visionem beatificam cognoscuntur euidenter. disput. 51. num. 16. disput. 65. num. 7. & 10. disput. 118. & 119.
Habitus supernaturales attingunt perfectionem potentiæ. disput. 64. num. 7.
Habitus supernaturalis non est productiuus alterius habitus. disput. 65. num. 7.
Habitus supernaturalis per experientiam actuum euidenter cognosci non potest. disput. 65. num. 9.
Habitus supernaturales non possunt esse connaturales alicui substantiæ creatæ, vel creabili. disput. 69. num. 8.
Habitus, vel potentia est simpliciter nobilior actu. disp. 88. num. 12.
Habitus est principium actuum in esse naturæ differentium specie. disput. 80. num. 5.
Habitum prauum non potest Deus in nobis immediatè causare. disput. 24. & 34.
Habitus supernaturalis à quo determinetur ad operandum. disput. 106. num. 5.
HÆRETICI non in omnibus, sed in aliquibus ab Ecclesia discedunt. disput. 121. num. 9.
Hæretici in quo sensu asseruerint, Deum esse auctorem peccati. disput. 24. num. 27.
Hæretici verbis ambiguis suas hæreses palliare solent. disp. 24. num. 27.
Hæresis antiqua circa fidem. disput. 49. num. 1.
HIERONYMI sententia circa prædeterminantem gratiam expenditur, & explicatur. disput. 2. num. 24. eius doctrinam commendat Gelasius Papa, & similiter Hilarius, & Prosper. disp. 5. num. 5.
HOMINEM habere liberum arbitrium, & fide, & lumine naturali est notum. disput. 118. num. 2.
Homo qualiter dicatur constitutus in manu consilij sui. disp. 90. num. 11.
Hominis actio dupliciter potest dici propria illius. disp. 61. num. 8.
Homo propriè non iustificat seipsum, quamuis per actum contritionis concurrat dispositiuè ad suam iustificationem. disp. 66. num. 12.
Homo prius deserit Deum, quàm deseratur à Deo. disput. 113. num. 11.
Hominis in puris naturalibus, & in natura lapsa differentia. disput. 45. num. 5. disput. 47. num. 5.
Homo in natura lapsa eadem vires non habet, quas haberet in puris naturalibus. disp. 47. num. 4.
Homo ad multa tenetur, quæ facere non potest sine auxilio gratiæ. disputatione 47. num. 5.
Homo vult, sed Deus facit eum velle. disput. 49. num. 15.
Homo in natura lapsa non potest absque auxilio gratiæ operari aliquod bonum, quod sit veræ virtutis opus. disputatione 50. num. 6.
Homo in puris naturalibus posset elicere amum, aut alterum actum dilectionis Dei super omnia. disp. 52. num. 2.
Hominis in natura lapsa, & in puris naturalibus differentia. disp. 52. num. 3.
Homo in puris naturalibus, tandem peccaret. disput. 52. num. 4.
Homo lapsus, per vires naturæ non potest reparare damna, quæ per peccatum incurrit. disput. 53. num. 2.
Homo in natura lapsa non potest absque auxilio gratiæ seruare omnia legis præcepta, etiam secundùm substantiam. disput. 54. num. 14.
Homo vult, quia Deus vult, vt velit homo, & non è contrà. disputatione 22. num. 14.
Homo purus, dum est in via, semper est peccabilis simpliciter. disput. 104. num. 2.
Hominis non datur gratia secundùm quantitatem naturalium, sicut Angelis. disput. 62. num. 11.
Homo pro isto statu perfectè cognoscere non potest Dei omnipotentiam. disput. 118. num. 8.

I

IDEÆ diuinæ ante decretum voluntatis Dei sunt repræsentatiuæ, sed non repræsentant actu futura contingentia. disput. 14. num. 3.
IGNORANTIA quando excusat à peccato. disp. 112. num. 6.
IMPECCABILITAS vnde proueniat. disp. 104. num. 2.
IMPOSSIBILI ex vno sequitur aliud impossibile. disp. 16. num. 8.
IMPOSSIBILE in sensu composito quid sit.
IMPOSSIBILE esse aliquid in sensu composito, quomodo intelligatur. disp. 92. num. 5.
IMPLANARE non dicitur Deus hominem. disput. 24. num. 24.
INCREPAVIT rationabiliter Christus Dominus Iudæos, & quare. disp. 72. num. 6.
IMPERII primus actus quomodo sit liber. disp. 11. num. 4.
INCARNATIONIS mysterium non potest solo lumine naturæ cognosci. disp. 118. num. 11.
INCHOAT primò nostrum velle ipsa gratia, sine Deus per gratiam. disp. 18. n. 17. disp. 97 n. 5. disp. 98. n. 7.
INDIFFERENTIA essentialis libertati in quo consistat. disp. 115. num. 10. & disput. 22. num. 37.
Indifferentia alia est negatiua, alia priuatiua. disput. 116. num. 4.
Indifferentia alia passiua, alia actiua. disput. 116. num. 5.
Indifferentia passiua, vel priuatiua non est de essentia liberi arbitrij. disput. 116. num. 6.
Indifferentia negatiua, & actiua est de essentia liberi arbitrij. disp. 116. num. 6.
Indifferentia qua est de essentia libertatis. disp. 116. num. 8.
Indifferentia obiecti, & iudicij rationis, est radix libertatis. disp. 116. num. 9.
Indifferentia liberi arbitrij, respectu auxilij diuini est passiua, sed respectu actionis liberæ, est actiua. disput. 25. num. 25. & disp. 116. num. 10. & disput. 115. num. 7.
Quæ indifferentia, vel indeterminatio præintelligatur in voluntate priùs naturâ, quàm se determinet. disp. 89. num. 9.
Indifferentia est duplex, sicut & determinatio, altera naturalis, altera libera. disp. 22.
Indifferentia essentialis actui libero, seu potentiæ liberæ est illa, quæ opponitur determinationi ad vnum ex necessitate. disp. 22. n. 36. & 37.
Indifferentiam esse secundùm se concursum Dei generalem, quidam

quidam posuerunt, quorum sententia impugnatur. disp. 21. per totam.
Indifferentia voluntatis duplex, passiua scilicet, & actiua. disp. 22. n. 35.
Indifferens negatiuè respectu obiecti secundarij est voluntas diuina, non autem priuatiuè. disp. 16. n. 4. & disp. 116. n. 11.
INDIVIDVA corruptibilia sunt per se secundò intenta. disp. 28. n. 8.
INDVRARE peccatores qualiter Deus dicatur. disp. 24. num. 35.
INFALLIBILITAS praedestinationis scientia media non innititur. disp. 121. n. 1. & 6. sedan gratiæ efficacia. eod. num. 6.
Infallibilitas cooperationis arbitrij in voluntate Dei absoluta, ac motione illius efficaci fundatur. disp. 7. num. 32. disp. 49. num. 11.
Infallibiliter, & liberè homo conuertitur, posita gratia efficaci. disp. 122. num. 17.
necessitas Infallibilitatis simul stat cum libertate arbitrij. disp. 25. num. 6.
IN INFERNO detinentur violenter damnati. disp. 31. num. 10.
INFIDELES negatiuè qui dicantur. disp. 49. num. 18. disp. 56. num. 23.
Infidelium bona opera moralia ad quid deseruiant. disp. 50. num. 11.
INFINITA multitudo in actu an detur. disp. 8. n. 9.
Infinita multitudo actu existit in aeternitate. disp. 8. n. 9.
INGENIVM motus, complexio melior, & cætera naturalia non sunt causa electionis diuinæ. disp. 83. n. 10.
INIQVITAS calcanei quæ dicatur. disp. 44. n. 10.
INSTANTI vnico durare non potest actus immanens. disp. 60. n. 31.
INSTRVMENTVM dupliciter dicitur. disp. 68. n. 5.
Instrumentaliter solùm concurrit aqua calida ad calefactionem. disp. 64. n. 6. disp. 68. n. 14.
Instrumentum respectu Dei est quodammodo liberum arbitrium. disp. 68. num. 15. Et similiter omnis alia causa secunda. disp. 18. num. 12. disp. 68. num. 5.
INTELLECTVS perfectior cum æquali lumine gloriæ non producet visionem beatificam magis intensam. disp. 63. num. 5.
Intellectus nobilioris visio beatifica est extrinsecè cæteris paribus perfectior. disp. 63. num. 4.
Intellectus melior, cum æquali auxilio, non melius penetrat quæ sunt fidei. disp. 63. num. 7.
Intellectus perfectior, cum eadem specie naturali, perfectiorem intellectionem producit. disp. 63. num. 8.
Intellectus, & lumen gloriæ non sunt duæ causæ partiales visionis beatificæ. disp. 63. num. 8.
Intellectus nullus creatus, vel creabilis potest per sua naturalia Deum per essentiam videre. disp. 69. num. 5.
Intellectus cum lumine gloriæ est causa ordinis eiusdem cum Deo. disp. 69. num. 10.
Intelligi non possunt ab homine perfectè multa naturalia. disp. 118. num. 8.
INTENSIO tota actus supernaturalis mensuratur secundum intensionem auxilij efficacis. disp. 62. num. 4.
Intensio habitualis gratiæ in adulto mensuratur secundum quantitatem auxilij diuini. disp. 62. num. 7.
Intensum actum charitatis potest habitus remissus elicere in virtute auxilij diuini. disp. 60. num. 11.
INTENTIO efficax finis præcedit ordine naturæ electionem mediorum. disp. 37. num. 17.
Intentio finis quem actum importet. disp. 81. num. 10.
IVDÆOS Christus Dominus iustè increpauit, & quare. disp. 72. num. 6.
IN IVDICIO vniuersali comparebunt parvuli, vt cum aliis iudicentur. disp. 114. num. 6.
IVSTIFICARI gratis hominem, quomodo intelligatur. disp. 59. num. 8.
Homo non iustificat se propriè, quamuis dispositiuè concurrat ad suam iustificationem. disp. 66. num. 12.
IVSTVS nec merito condignè, nec merito congrui potest sibi mereri reparationem post lapsum. disp. 59. n. 12.
Iustus potest alteri mereri de congruo reparationem post lapsum. disp. 59. num. 17.
Iustus habens plura merita remissa, acceptatione intrinseca est acceptus ad maiorem gloriam essentialem. disput. 60. num. 27.
Iustus indiget speciali auxilio ad singulos actus pios. disp. 88. num. 7. & seqq. Idque duplici ratione. disp. 106. n. 7.
Iusti non sunt immunes ab omni peccato. disp. 72. num. 6.
Iustitia originalis consideratur tripliciter. disp. 44. n. 24.

L

LEO primus definiuit quædam capita doctrinæ S. Augustini. disp. 5. num. 4.
LEX, vide verbo. Facere, quod in se est.
LIBERVM ARBITRIVM esse in homine lumine naturali cognoscitur. disp. 118. n. 2.
Liberi arbitrij legitima definitio explicatur. disp. 115. n. 7.
Liberum, & contingens in quo distinguantur. disput. 27. num. 3.
Libertas est formaliter in voluntate, sed radicatur in iudicio rationis indifferentis. disp. 115. num. 7. disp. 18. n. 23. disp. 26. num. 12. disp. 116. num. 9.
Ad libertatem sufficit facultas ad opposita contradictoriè. disp. 115. num. 8.
Ad libertatem actus, quæ conditiones sint necessariæ. disp. 117. num. 10. Ad libertatem qualis indifferentia sit necessaria. disp. 22. num. 37. disp. 115. num. 10. disp. 116. num. 6. & 8.
Libera potentia quid requirat. disp. 89. num. 10.
Liberum arbitrium agitur, vt agat. disp. 18. num. 16.
Libertas nostri arbitrij simul stat cum prædeterminatione diuina. disp. 10. num. 6. disp. 22. & 23.
Liberum arbitrium creatum ex natura sua est peccabile, quia ex nihilo productum est. disp. 11. n. 2.
Liberum arbitrium motum à Deo se monet. disp. 23. num. 29. disp. 117. num. 4.
Libertatem actus simul stare cum eius necessitate in sensu composito, colligitur ex sacris literis. disp. 25. n. 17.
Libertas esset in rebus, etiam si Deus operaretur ex necessitate naturæ, dum tamen eas moueret medio iudicio rationis indifferentis. disp. 26. num. 14.
Liberum arbitrium creatum potest se subtrahere à quolibet ordine particulari prouidentiæ diuinæ. disp. 31. n. 3.
Liberum arbitrium creatum non potest vniuersaliter effugere ordinem prouidentiæ diuinæ. disp. 31. num. 4.
Liberum arbitrium creatum non potest in sensu composito operari, nisi quod diuina prouidentia est præfinitum. disp. 31. num. 5.
Liberum arbitrium, in quo sensu se habeat, vt baculus, vel securis respectu motionis diuinæ. disp. 31. n. 5.
Liberi arbitrij naturalis inclinatio ad bonum imminuta fuit per peccatum. disp. 45. n. 4.
Liberè veniunt ad Christum, qui præueniuntur ab illo. disp. 49. num. 16.
Liberum arbitrium creatum, in quo sensu operetur aliquid ex seipso. disp. 55. n. 12.
Libero arbitrio in quo sensu Deus relinquat propriam industriam, & laudem. disp. 63. num. 10.
Liberum arbitrium, sola assistentia extrinseca Spiritus sancti, non potest producere actus supernaturales. disp. 67. num. 4.
Liberum arbitrium elevatum per gratiam est causa secunda principalis actuum supernaturalium. disp. 68. num. 7. & 12.
Liberi arbitrij influxus cum gratia qualiter sit illi proprius. disp. 85. n. 7.
Liberum arbitrium non posse in sensu composito dissentire, stante auxilio efficaci, quomodo sit intelligendum. disp. 94. num. 2.

Digitized by Google

Liberum arbitrium, in quo ſenſu dicatur inſtrumentum diuinæ gratiæ. diſp. 68. num. 15.

Liberum arbitrium, dum eſt in via, ſemper eſt flexibile in bonum, & malum. diſp. 112. num. 9.

Liberum arbitrium, poſitis omnibus requiſitis ad operationem, in quo ſenſu poſſit operari, & non operari. diſp. 115. num. 4.

Liberum arbitrium dum eſt ſub vno actu, retinet ſimul potentiam ad operandum oppoſitum ſi velit. diſp. 92. n. 6.

In libero arbitrio, cum omnibus prærequiſitis ad operandum ſtat ſimul potentia non operandi. diſp. 115. n. 4.

Liberum arbitrium non reddit efficacia auxilia diuinæ gratiæ. diſp. 90. num. 8.

de Liberi arbitrij eſſentia non eſt quòd, poſitis omnibus prærequiſitis ad operandum, poſſit in ſenſu compoſito non operari. diſp. 115. num. 5.

Liberum arbitrium creatum habet dominium ſui actus, ſed non primum. diſp. 117. num. 4.

Liberum arbitrium creatum in vſu dominij ſui actus dependet à Deo, tanquam à primo prædeliberante. diſput. 117. num. 5.

Libertas creata ad efficaciam diuinæ voluntatis tanquam ad primam cauſam eſt reducenda. diſp. 121. num. 5.

Liberum arbitrium per peccatum læſum fuit, & attenuatum. diſp. 122. num. 1.

Liberi arbitrij cooperatio cum donis gratiæ eſt in prædeſtinatis prædeſtinationis effectus. diſp. 122. num. 13.

Liberum arbitrium aliquid ex ſe operatur, ideſt, à principio intrinſeco. diſp. 95. num. 3.

Liberi arbitrij cooperatio eſt effectiuè à Deo. diſp. 96. n. 3.

Liberi arbitrij, & baculi differentia. diſp. 96. n. 6.

Liberi arbitrij motus non eſt violentus. diſp. 96. n. 7.

Libertas creata in ſuo formali conceptu importat dependentiam à libertate increata. diſp. 97. num. 8. Libertatis increatæ & creatæ differentia. diſp. 89. n. 5.

Liberi arbitrij influxus in actum ſupernaturalem eſt ſupernaturalis. diſp. 79. num. 9.

Libertas actus ſupernaturalis eſt, vt quo, ab auxilio gratiæ. diſp. 97. num. 13.

Liberum arbitrium cooperatur gratiæ ſubſequendo. diſp. 98. num. 8.

Liberum arbitrium cooperari Deo, quia vult, in quo ſenſu ſit verum. diſp. 99. n. 2.

Liberum arbitrium non ideo adiuuatur à Deo, quia vult cooperari. diſp. 99. num. 3.

Liberum arbitrium ſubdit ſibi quantum ad vſum gratiæ efficax. diſp. 87. num. 2.

Liberi arbitrij bonus vſus non procedit ex ſola eius libertate. diſp. 97. num. 4.

Liberum arbitrium qualiter non ſe habeat merè paſſiuè in ordine ad actus. diſp. 116. num. 10.

Liberum arbitrium creatum, habet aliquam indifferentiam paſſiuam. diſp. 115. num. 7.

Liberum arbitrium, & gratia cauſant actum ſupernaturalem. diſp. 100. num. 5. In quo ſenſu dicatur actus proprius liberi arbitrij ipſe conſenſus. diſp. 97. num. 13.

Liberi arbitrij creati actus ſunt magis in poteſtate Dei, quàm in eius poteſtate. diſp. 117. num. 6.

Liberum arbitrium non deſtruitur per gratiam efficacem, ſed potius perficitur, & roboratur. diſp. 18. num. 23. diſp. 122. num. 20.

In liberi arbitrij noſtri poteſtate qualiter ſit noſtra ſalus conſtituta. d. diſp. 56. num. 26.

Liberi arbitrij creati imperfectio eſt poſſe peccare, non eius eſſentia. diſp. 115. num. 8.

Liberum arbitrium creatum non eſt ſimpliciter primum liberum. diſp. 98. num. 8.

Liber quomodo ſit primus actus imperij. diſp. 11. num. 4.

Liberè peccant Dæmones, quamuis obſtinati ſint in malo. diſp. 116. num. 14.

Liberè Chriſtus Dominus obediuit præcepto moriendi. diſp. 116. num. 12.

Liberum, & non neceſſarium non ſunt idem. diſp. 27. n. 3.

Liberum arbitrium, in ordine ad auxilium præuium, ſe habet paſſiuè ſed in ordine ad priam operationem habet ſe actiuè. diſp. 19. num. 6.

Libertatem arbitrij non tollit neceſſitas antecedens, ſiue ex ſuppoſitione antecedente liberam cooperationem arbitrij. diſp. 22. num. 40. 41. 42. diſp. 25. num. 2. & ſeqq. diſp. 83. num. 18.

Neceſſitas antecedens, quæ ſecundùm ſanctum Anſelmum tollit libertatem, qualis ſit. diſp. 22. num. 40.

Liberi arbitrij cum gratia concordia, quam ſit difficilis. diſp. 118. num. 2. 3. & 5.

ad Liberum arbitrium concordandum cum gratia vtilis non eſt ſcientia media. diſp. 7. num. 29. & 31.

Liberi arbitrij quædam concordia cum gratia impugnatur. diſp. 110. num. 1. & ſeqq. & concordia legitima ſtatuitur. diſp. 121. per totam.

Lvmen operatur in aërem, & cum aëre. diſp. 18. n. 15.

Lumen gloriæ propter duo eſt ſimpliciter neceſſarium, ad videndum Deum clarè. diſp. 57. num. 8.

M

MAla quomodo cadant ſub ſcientia Dei practica. diſp. 6. num. 8.

Mala, & priuationes non cognoſcit Deus per propriam ſimilitudinem. diſp. 16. num. 9.

Mala pœna ſunt à Deo volita, & cauſata, ac prædefinita ſuppoſito peccato, & non tantùm permiſſa. diſputat. 29. num. 2.

Mali, ſeu peccati quomodo ſit cauſa voluntas creata. diſp. 108. num. 8. Vide verbo. Peccatum.

Ad Martyrium quid requiratur. diſp. 51. n. 10.

Medium probabile non intendit ſcientiam. diſp. 63. n. 8.

Meritum omne, reſpectu præmij ſupernaturalis, fundatur in gratia. diſp. 59. n. 11.

Meritum Chriſti habuit infinitatem moralem. diſput. 19. num. 11.

Meruit Chriſtus omnia dona, quæ hominibus lapſis conferuntur. diſp. 39. num. 4. Meruit quod actus Dei prædeſtinantis ad tales perſonas terminaretur. diſp. 39. num. 6. Meruit electionem comparatiuam prædeſtinatorum formaliter ſumptam, non autem materialiter, eadem diſputatione num. 7. non tamen meruit ſuam prædeſtinationem. diſp. 39. num. 8.

Mereri ſibi nullus poteſt de condigno perſeuerantiæ donum. diſp. 58. num. 6. neque auxilium actuale. diſp. 59. n. 21.

non Merentur proprie, etiam de congruo, iuſtificantem gratiam eius diſpoſitiones. diſp. 59. num. 10.

Meretur homo per actus remiſſos augmentum habitus. diſp. 60. num. 12.

Mereri ſibi iuſtus non poteſt, etiam de congruo reparationem poſt lapſum. diſp. 59. num. 12. Licet poſſit eam impetrare. ibid. num. 17. alteri tamen poteſt eam mereri de congruo. eadem diſp. num. 17.

Merita remiſſa acceptatione intrinſeca accepta ſunt ad gloriam. diſp. 60. num. 27.

Meritoria magis ſunt cæteris paribus opera excellentioris virtutis. diſp. 60. num. 22.

Mereri ſibi primam gratiam nullus poteſt etiam de congruo. diſp. 59. num. 10.

Merentur reprobi per bona opera, dum ſunt in gratia, vitam æternam. diſp. 59. num. 19.

Meritum non eſt abſque relatione operis in vltimum finem, ſaltem virtuale, diſput. 60. num. 14.

Meritoria an ſit contritio prima gratiæ, ſaltem de congruo. diſp. 59. num. 15.

non Merentur etiam de congruo ipſam gratiam bona opera facta ex ſolis viribus naturæ. diſp. 59. num. 9.

Qualiter mereantur iuſti per bona opera augmentum gratiæ. diſp. 60. num. 14.

ad vltimum Meritum qualiter conducat maior continuatio actus. diſp. 60. num. 31.

Merita mortificari quid ſit. diſput. 60. num. 32.
Merita mortificata qualiter per pœnitentiam remittſcant. diſp. 60. num. 33.
Merita mortificata in quanta perfectione remittſcant per pœnitentiam. diſp. 60. num. 32.
Merita mortificata remittſcunt ſecundum quantitatem pœnitentiæ. diſp. 60. num. 35.
MORALITER *monent ad bonum quamplurimi. diſp. 91. num. 12.*
Moralis motio quæ dicatur, & in quo à motione phyſica diſtinguatur. diſp. 22. num. 1. vide verbo, Motio, & verbo, Prædeterminatio.
MISERICORDIA *dicitur ratio dati, & accepti. diſp. 42. num. 10.*
Miſericordia, & eleemoſyna ſigna ſunt prædeſtinationis. diſp. 42. num. 10.
Miſericordia, & juſtitia in quolibet Dei opere inveniuntur. diſp. 24. num. 33.
ex Miſericordia aliquid tribuendum eſſe veteri amicitiæ, quomodo intelligatur. diſp. 59. num. 4.
MORS *ſanctæ ſine vitæ ſanctitate regulariter non reperitur. diſp. 42. num. 11.*
Mortem peccatoris qualiter non velit Deus. diſp. 109. n. 8.
MODALIS *quando ſit compoſita, quando vero diviſa. diſp. 115. num. 12.*
ad Modalis compoſitæ veritatem, quid requiratur. diſput. 115. num. 13.
Modalis propoſitio eſt duplex. diſp. 92. num. 4.
Modalis propoſitio vera, eſt neceſſaria, falſa eſt impoſſibilis. diſp. 7. num. 7. diſp. 92. num. 5.
MOTUS *omnes cauſarum ſecundarum reducuntur in Deum, ut in primum agens. diſp. 18. num. 7.*
Motus prævenientis gratiæ, unde habeant quod ſint debiles. diſp. 57. num. 9.
Motus lapidis ſurſum, ſi daretur ei levitas, non eſſet violentus. diſp. 96. num. 7.
MOTIO *prævia primæ cauſæ, qua movet ſecundam, non eſt qualitas. diſp. 19. num. 7.*
Motione prævia movet Deus Sacerdotes ad conſecrandum. diſp. 24. num. 14.
MOVERI *voluntarie, ſeu liberè quid ſit. diſp. 68. n. 9.*
Moveri ex ſe, duplicitèr contingit. diſp. 22. num. 45.
Motione prævia applicat Deus cauſas ſecundas ad operandum. diſp. 23. num. 9.
Motione efficaci determinat Deus voluntatem ad operandum. diſp. 23. num. 15.
Motio Dei efficax non ſolum moraliter, ſed, phyſicè determinat voluntatem ad operandum. diſp. 23. num. 16.
Motio phyſica, & moralis non oportet, quod ſint ab eodem agente. diſp. 24. num. 33.
MUNDI *innovatio ad quid ſit futura. diſp. 114. n. 15.*

N

NABUCHODONOSOR *pœnitentia, unde proceſſerit. diſp. 108. num. 5.*
Nabuchodonoſor, & Pharaonis collatio. diſp. 108. num. 1.
NATURA *humana ſecundum quandam congruitatem fuit magis aſſumptibilis à Verbo, quàm alia natura. diſp. 55. num. 17.*
Natura humana debilitata fuit per originale peccatum. diſp. 45. num. 3. & ſimiliter per actuale peccatum. eadem. diſp. num. 7. & diſp. 46. num. 1.
Natura humana magis corrupta eſt per peccatum, ſecundum voluntatem, quam ſecundum intellectum. diſp. 46. num. 1. & 3. diſp. 51. num. 15.
Natur. alia poſt peccatum an integra remanſerint. diſp. 45. num. 4.
NECESSITAS *antecedens tollens libertatem, qua ſit, & qualis. diſp. 22. num. 40.*
Neceſſitas antecedens eſt, quæ competit rei ſecundum ſe, conſequens autem, quæ competit ei ex aliqua ſuppoſitione adjuncta. ibidem.
Neceſſitas ex ſuppoſitione voluntatis divinæ eſt conſequens cauſam rei. diſp. 22. num. 41.
Neceſſitatem actus ex ſuppoſitione decreti antecedentis voluntatis divinæ, ſine auxilio efficacis prædeterminantis, ſimul ſtare cum libertate, oſtenditur ex Doctoribus. diſp. 25. num. 2. diſp. 92. num. 11.
Neceſſitas ex ſuppoſitione, & neceſſitas abſoluta, quæ dicatur. diſp. 25. num. 3.
Neceſſitas in ſenſu compoſito, & diviſo, quæ dicatur. diſp. 25. num. 4.
Neceſſitas infallibilitatis ſimul ſtat cum libertate. diſp. 25 num. 6.
Neceſſitas conditionata libertatem non ladit. diſp. 25. n. 6.
Neceſſitas conſequentiæ, & conſequentis. diſp. 25. num. 7.
Neceſſitas actus in ſenſu compoſito, malè à quibuſdam explicatur. diſp. 25. num. 19.
Neceſſitas ex ſuppoſitione decreti divini libertatem actus non tollit. diſp. 83. num. 18. diſp. 22. num. 43.
Neceſſitas abſoluta ſignificatur à S. Anſelmo nomine antecedentis neceſſitatis. diſp. 22. num. 40.
Neceſſarium ex ſuppoſitione antecedente; & liberum non opponuntur. diſp. 22. num. 40.
Non neceſſarium, & cauſis competit contingentibus, & liberis. diſp. 27. num. 3.
Neceſſitare non poteſt quoad exercitium voluntatem humanam in via aliquod obiectum. diſp. 54. num. 10.
Neceſſitari non poteſt ſimpliciter voluntas ad peccandum. diſp. 54. num. 20.
Neceſſitari, & cogi, non ſunt idem. diſp. 32. num. 3.
NEGATIO *converſionis in Deum duplicitèr accipitur. diſp. 101. num. 2.*
Negatio auxilij efficacis eſt cauſa non converſionis, ut eſt pura negatio. diſp. 101. num. 6.
Negatio auxilij efficacis non eſt cauſa, quod homo peccet. diſp. 101. num. 12.
Negatio forma, & ejus privatio non ſemper eidem cauſæ tribuuntur. diſp. 101. num. 13.
Negatio auxilij ſupernaturalis, & privatio illius, ut diſtinguantur. diſp. 113. num. 4.
Negatio auxilij, ut negatio, non præſupponit culpam. diſp. 113. num. 12.
Negatio eſt cauſa negationis, ſi affirmatio eſt cauſa affirmationis. diſp. 101. num. 9.
NESCIENTIA *aliquorum reperitur in Angelis. diſp. 48. num. 3.*
NOTITIA *myſteriorum fidei eſt ex auxilio gratiæ. diſp. 57. num. 7.*
NUMERUS *electorum, & miſcarum eſt à Deo prædeſtinatus. diſp. 28. num. 9.*

O

OBIECTUM *qualiter moveat potentiam. diſp. 91. num. 13.*
Obiecti bonitas vera, vel apparens præſupponitur ad voluntatem creatam, non autem ad divinam. diſputat. 91. num. 15.
Obiectum nullum propoſitum voluntati poteſt eam efficaciter movere, quoad exercitium actus, niſi ſolus Deus clarè viſus. diſp. 7. num. 18.
OMISSIO *actus, qui eſt in præcepto, imputatur ad culpam, etiam ſi fieri non poſſit abſque auxilio gratiæ. diſp. 49. num. 18.*
Omiſſio poteſt eſſe culpabilis non habenti in ſe ipſo auxilium efficax. diſp. 22. num. 33.
OMNIPOTENTIA *Dei perfectè ab homine cognoſci non poteſt. diſp. 118. num. 8.*
OPERA *bona facta ab infidelibus ad quid deſerviant. diſp. 50. num. 11.*
Opera incepta per naturam non perficiuntur per gratiam. diſp. 56. num. 15.
Opera excellentioris virtutis ſunt cæteris paribus magis meritoria. diſp. 60. num. 22.

Digitized by Google

Operari ex se, accipitur dupliciter. *disp.* 62. *num.* 9.
Operari habet ab alio, qui ab alio habet esse. disp. 18. num. 14. *disp.* 96. *num.* 3.
Ad bene operandum aptatur homo dupliciter. disp. 55. n. 5. *Et quid sit huiusmodi aptatio. vid. disp. num.* 19.
Qua operatur Deus, ideo cooperatur homo. disp. 99. n. 3.
ORATIO *infti est impetratoria suæ reparationis post lapsum, non autem meritoria. disp.* 59. *num.* 17.
Orationes quare pro omnibus fundendæ. disp. 33. n. 4.
ORIGINALE. *Vide verbo, Peccatum originale.*

P

PAR, *vel impar sunt passiones numeri. disputat.* 15. *num.* 4.
PARVULI *baptizantur in remedium peccati, disp.* 44. *num.* 7.
Parvuli absque remedio decedentes non damnantur propter peccata quæ commississent si vixissent. disp. 44. n. 8.
Parvuli non committunt aliquod peccatum, cum primum nascuntur ex utero. disp. 44. *num.* 12.
Parvuli dicuntur peccatores à culpa originali in illis existente. disp. 44. *num.* 13.
Parvuli decedentes in originali peccato erunt in morte perpetua. disp. 44. *num.* 14.
Pueri in statu innocentiæ non fuissent statim in scientia perfecti. disp. 48. *num.* 3.
De puero perveniente ad usum rationis. disp. 56. *num.* 21.
Si puer perveniens ad usum rationis faciat quod in se est, ex auxilio gratiæ illuminabitur à Deo, & iustificabitur. disp. 56. *num.* 22.
Parvuli non prædestinantur, nec reprobantur propter bona, vel mala opera quæ fecissent, si vixissent. disp. 38. n. 1.
Parvuli comparebunt in Iudicio vniuersali. disputat. 38. *num.* 1.
Puer in sylvis nutritus quomodo illuminetur à Deo. disp. 112. *num.* 7.
Parvuli cum originali peccato decedentes statim recipiuntur in Limbo. disp. 114. *num.* 4.
Parvuli omnes comparebunt in Iudicio vt cum aliis iudicentur. disp. 114. *num.* 6.
Parvuli reprobi post diem Iudicij cum suis corporibus detrudentur in Limbum. disp. 114. *num.* 8.
Parvuli post diem Iudicij vitam beatam, etiam naturalem non habebunt. disp. 114. *num.* 9.
Parvuli reprobi, etiam post diem Iudicij nullam patientur pœnam sensus, sed solum damni. disp. 114. *num.* 19.
Parvuli cum solo originali peccato decedentes nullam internam patientur tristitiam, propter carentiam visionis beatæ. disp. 114. *num.* 11.
Parvuli cum solo originali peccato decedentes nullam cognitionem habebunt supernaturalis beatitudinis. disp. 114. *num.* 12.
Parvuli omnes resurgent in virili ætate, & absque vllo defectu naturali corporis. disp. 114. *num.* 14.
Parvulos reprobos, etiam comprehendet illa sententia. Ite maledicti. disp. 114. *num.* 7.
PATRES, *qui ante Pelagium scripserunt, pauca dixerunt de gratia Christi. disput.* 7. *num.* 26. *disputat.* 22. *num.* 22.
Patres Græci, qui ante Pelagium scripserunt de gratia, cautè legendi sunt. disp. 22. *num.* 23.
PAVLVS *an in rapta visione beatifica recordatus fuerit euidenter se vidisse Deum. disp.* 119. *num.* 9.
Pauli conuersio fuit miraculosa. disp. 91. *num.* 7.
PECCATVM *futurum qualiter à Deo cognoscatur. disp.* 7. n. 28. & 30. *disp.* 11. *per totam præsertim num.* 3.
Peccati actus secundum omnem suam entitatem positiuam, vt entitas, est efficienter à Deo, vt à primo mouente. disp. 24. n. 15. *Ad actum peccati, inquantum actus est, applicatur voluntas à Deo. disp.* 23. *num.* 11.
Peccati causa Deus non est. disp. 24. *num.* 11. *Nec etiam indirecte. disp.* 101. *num.* 5.
Peccati auctorem esse Deum, in quo sensu asseuerint hæretici. disp. 24. *num.* 27.
Peccatum non cadit sub diuina voluntate. disp. 28. n. 9.
Peccati actualis, & originalis differentia. disp. 44. n. 4.
Peccatum non impediens, cum impedire possit, peccat, si impedire tenetur. disp. 44. *num.* 17.
Peccatum noctis comparatur. disp. 46. *num.* 3.
Peccatum quatuor vulnera infert naturæ. disp. 46. *num.* 5.
Per peccatum imminuta est naturalis inclinatio arbitrij ad bonum. disp. 45. *num.* 4. *disp.* 122. *num.* 1.
Post peccatum qualiter naturalia integra remanserint. disp. 45. *num.* 4.
Peccatum quæ mala induxerit in voluntatem creatam, disp. 46. *num.* 3.
Peccatum mortale quomodo vulneret naturam. disp. 45. *num.* 7.
Peccatum imputatur homini, etiam si aliquando illud vitare non possit sine auxilio gratiæ. disp. 49. *num.* 18. & *etiam imputatur non habenti auxilium efficax. disp.* 18. *num.* 20. *disp.* 113. *num.* 11. *disp.* 22. *num.* 22.
Peccata omnia vitare collectiuè magis difficile est, quàm vitare omnia diuisiuè. disp. 54. *num.* 20.
Peccatum veniale non potest dari cum solo originali. disp. 56. *num.* 22.
Peccatum Deus permittit, sed non ideo permittit, vt illud puniat, sed ob alios fines. disp. 110. n. 4.
Per quodlibet peccatum mortale fit homo indignus auxilijs gratiæ. disp. 112. *num.* 9.
Peccare posse, non est de essentia libertatis, sed eius imperfectio. disp. 115. *num.* 8.
Ad peccati actum, inquantum actus est, Deum præmouere voluntatem hominis, ostenditur ex mente S. Thomæ, disp. 24. *num.* 17.
Ad actum peccati entitatem concurrit Deus, non autem ad eius deformitatem. *disp.* 24 *num.* 20.
Actus peccati pro materiali Deum esse causam, in quo sensu concedi possit. disp. 24. *num.* 23.
Peccatum mortale compatitur secum actum absolutum dilectionis Dei super omnia. disp. 51. n. 8.
Peccatum qualiter cadere possit sub voluntate creata. disp. 42. *num.* 28. & *in illam solam reducatur. disp.* 18. n. 21. & 22. *disp.* 97. *num.* 11.
Peccati quomodo sit causa voluntas creata. disputat. 101. *num.* 8.
Peccatum liberè committit homo, simpliciter loquendo. disp. 54. *num.* 20.
Cum peccato mortali potest compati visio clara Dei, in ratione visionis, de potentia Dei absoluta. disp. 67. n. 9.
Ante peccatum fuerunt productæ spinæ, vepres, muscæ, & alia nocina animalia, sed post peccatum cœperunt nocere homini. disp. 28. *num.* 8.
PECCATVM *originale pro formali est priuatio originalis iustitiæ. disp.* 44. *num.* 23. *pro materiali vero est quid positiuum. eadem disp. num.* 20.
Peccatum originale dicitur peccatum naturæ, seu peccatum mundi. disp. 54. *num.* 4. *Distinguitur à peccato actuali. ibidem.*
Peccatum originale pro formali esse aliquid positiuum, quidam sentiunt. disp. 44. *num.* 19.
Peccatum originale dicitur ingum, quia ex duobus est. disp. 44. *num.* 7.
Peccatum originale contrahere, quid sit. disp. 44. n. 5.
Peccatum originale contrahunt omnes filij Adæ. disp. 44. *num.* 6.
Peccatum originale, non est solùm miseria, sed verum peccatum. disp. 44. n. 13.
Peccatum originale qualiter sit paruulis voluntarium. disp. 44. n. 15.
Peccatum originale non refunditur in Deum. disput. 44. *num.* 17.
Peccatum originale nullam includit conuersionem, sed tantùm auersionem. disp. 44. *num.* 21.

Peccato originali nulla debetur pœna ſenſus, ſed tantùm pœna damni.diſp.44.num.21.

Peccatum originale dari non poteſt cum ſolo veniali. diſp. 62.num.22.

Peccatum originale dicitur ineſſe pro materiali, non pro formali, niſi largo modo.diſp.44.num.22.

Peccatum originale in Adam fuit cum conuerſione ad bonum commutabile, non autem in parvulis. diſput.44. num.22.

Peccatum originale parvulorum non eſt propriè peccatum commiſſionis vel omiſſionis.diſp.44.num.23.

Peccatum originale, in quo inſtantis contrahatur. diſp.44. num.28.

Peccato originali infirmata fuit,& debilitata humana natura.diſp.45.num.3.

Peccatum originale ſemel remiſſum, eſſe non poteſt cauſa reprobationis,etiam per accidens.diſp.110.n.13.

Peccatum originale, vt iuſtitiæ originali opponebatur, non fuit effectus reprobationis.diſp.110.num.18.

Peccato originali prius fuit in Adam infecta perſona,quàm natura,in parvulis è contra.diſp.44.num.5.

Peccati originalis cauſa meritoria, & phyſica fuit Adam. diſp.44.num.18.

Peccatum originale,in quo inſtantis tribuatur parentibus. diſp.44.num.16.

Peccatum originale præuiſum eſt, ante decretum Incarnationis.diſp.7.num.19.

Cum peccato originali tantùm decedentes recipiuntur ſtatim in Limbo puerorum.diſp.114.num.4.

Peccatum originale eſſe cauſam reprobationis qui ſentiant. diſp.110.num.5.

Peccatum originale, an ſit intentionaliter in virtute ſeminis.diſp.44.num.26.

Peccatum originale non tribuitur Deo,etiam ſi traducatur cum natura.diſp 24.num.36.

PECCATORES *qualiter Deus dicatur indurare.diſp. 24.num.35.*

Peccatorum Typus fuit Samſon.diſp.46.num.1.

PECCABILE *eſt ex ſua natura liberum arbitrium creatum,quia ex nihilo productum eſt.diſp.111.n.2.*

PELAGII *errores enumerantur,& expenduntur.diſp.1. per totam. diſp.99.n.5.*

Pelagij ſententia implicat in dictis.diſp.1.num.20.

Pelagij doctrina per ſeptem Summos Pontifices fuit damnata.diſp.5.num.5.

Pelagiani,& Lutherani eodem argumento conuicti in contrarios errores inciderunt.diſput.22.num.30.diſput.92. num.13.

Pelagiani numquam dixerunt, actum fidei quem conſtituerunt in natura.eſſe ſupernaturalem.diſp.49.n.14.

Pelagius de qua dilectione loquebatur,cum dixit,poſſe haberi ex viribus natura.diſp.51.num.7.

Pelagianorum error aperitur,& impugnatur.diſputat.56. num.16.

Pelagiani S.Auguſtinum allegabant in fauorem ſui erroris.diſp.117.num.9.& ſimiliter Pelagius. diſp.22.num. 28.Pelagij cum S. Auguſtino poſſima controuerſia, in quo conſiſtat.diſp.99.num.4.

Pelagius admiſit concurſum Dei generalem ad actus naturales,non tamen concurſum prævium. diſp.1.n.21.

POENA *ſenſus non debetur peccato originali, ſed ſolùm pœna damni.diſp.44.num.21.diſp.114.num.10.*

POENITENS *conuertitur à Deo, & ſe liberè conuertit. diſp.49.num.15.*

POENITENTIÆ *actus eſt ſecundum ſubſtantiam ſupernaturalis.diſp.65.num.5.*

PERDITIO, *& ſalus, qualiter ſint in poteſtate noſtri arbitrij.diſp.56.n.26.*

PERSEVERANTIÆ *donum in quo conſiſtat. diſput. 105. per totam, & qualiter à dono confirmationis in gratia diſtinguatur.diſputat.104. per totam, præſertim num.2.*

Perſeuerantia donum,præter gratiam habitualem, & virtutes infuſas,eſt ad ſalutem æternam neceſſarium.diſput. 103.num.3.

Perſeuerantia donum, numquam amittitur, ſi ſemel habeatur.diſp.107.num.3.

Perſeuerantiæ donum à ſolo Deo eſt.diſp.107.num.2.

Perſeuerantiæ donum qui habet, non poteſt in ſenſu compoſito non perſeuerare.diſp.105.num.7.

Perſeuerantiæ donum non tollit ab homine liberam facultatem, qua abſolutè loquendo poteſt non perſeuerare, ſi velit.diſp.105.num.6.

Perſeuerantia dupliciter ſumitur.diſp.105.num.2.

Perſeuerantia completa, & incompleta, qua à quibuſdam aſſignatur,expenditur.diſp.107.num.6.

Perſeuerantiæ donum eſt efficax dupliciter.diſp.105.num.2. eius efficacia non pendet ex libera cooperatione arbitrij. diſp. 105.num.3. ſed eam præuenit ordine naturæ. diſp. 105.num.5.

Perſeuerantiæ donum,& eius efficacia ex liberi arbitrij cooperatione non pendet.diſp.122.num.18.

Perſeuerantiæ donum non eoſdem effectus habet in omnibus.diſp.103.num.4.

Perſeuerantiæ donum datur parvulis prædeſtinatis. diſp. 103.num.5.

Perſeuerantiæ donum etiam in ſtatu innocentiæ erat neceſſarium primis parentibus,vt actu perſeuerarent. diſp. 106.num.4.

Perſeuerantiæ donum non eſt omnibus commune, ſed proprium prædeſtinatorum.diſp.107.num.2.

Perſeuerantiæ donum eſt omnibus prædeſtinatis commune. diſp.107.num.7. Atque illis proprium. diſp.123. n.15.

Perſeuerantiæ quædam diſtinctio à quibuſdam aſſignata impugnatur. diſp.107.num.8.

Perſeuerantiæ donum eſt eiuſdem rationis in omnibus prædeſtinatis.diſp.107.num.9.

Perſeuerantiæ donum non cadit ſub merito.diſp.58.n.6.

Perſeuerare potuerunt primi parentes in ſtatu innocentiæ per gratiam,& dona illis collata.diſp.106.n.3.

PETRI *conſtantia in fide, vnde proceſſerit. diſput.105. num.4.*

POTENTIA *exequutiua in Deo non diſtinguitur ab eius intellectu, & voluntate, etiam ratione ratiocinata. diſp.17.num.3.*

Potentiæ exteriores non ſunt ſubiectum virtutis aut vitij. diſp.44.num.15.

Potentia rationalis intrinſecè non minuitur, ſed per oppoſitionem impedimenti.diſp 45.num.5.

Potentiæ inferiores qualiter per peccatum fuerint infectæ. diſp.46.num.4.

Potentiarum quatuor ſunt gradus,ſicut & rerum.diſp.69. num.5.

Potentia obedientialis, quam habet voluntas in ordine ad Deum,eſt duplex.diſp.115.num.13.

Potentia, quæ nunquam reducitur in actum, quomodo ſit fruſtra.diſput.115.num.13.

Potentiam expeditam eſſe ad operandum, contingit dupliciter.diſp.117.num.11.

Potentia habendi auxilium efficax,quandiu homo eſt viator fundatur in duobus. diſp.115.num.11.

Potentia ſimultatis,& ſimultas potentiæ,quid ſit. diſp.115. num.4.

Potentia ad oppoſita eſt ſimul in eadem cauſa libera, & contingenti:non tamen ad oppoſita ſimul habenda. diſp. 115.num.15.

Potentia ad non operandum ſtat ſimul in libero arbitrio cum omnibus prærequiſitis ad operationem. diſp.115. num.4.

POSSIBILIA *omnia eſſent futura ex hypotheſi, quod Deus voluiſſet ea producere.diſp.7.num.29.*

Poſſibile poſito in eſſe,nullum ſequitur inconueniens abſolutè loquendo.diſp.108.num.6.

POSSE *operari,& actu operari,diſtinguuntur.diſp.22.n.32.*

Posse aliquid dupliciter contingit; scilicet per potentiam, quæ est in altero, vel per potentiam, quæ est in ipso. disp. 112. num. 9.

Posse peccare, non est de essentia libertatis, sed eius imperfectio. disp. 115. num. 8.

POTESTAS *vt simus filij Dei, à Deo est. disput. 59. num. 27.*

In potestate Dei sunt, quæ à nobis Deus exigit. disput. 49. num. 14.

PRÆCEPTA *Dei possibilia. disp. 54. num. 7.*

Præcepta omnia implere non potest homo in natura lapsa, absque auxilio gratiæ. disp. 54. num. 10.

Ad præcepta omnia implenda est simpliciter necessarium auxilium gratiæ. disp. 51. num. 16. disp. 54. num. 11.

Præceptorum omnium obseruantia includitur virtualiter in dilectione Dei super omnia. disp. 51. num. 4.

Ad præcepta omnia seruanda necessaria est post lapsum gratia habitualis. disp. 54. num. 18. disp. 54. num. 14.

Præcepta omnia seruari ab omnibus, vult Deus voluntate signi. disp. 33. num. 5.

PRÆDESTINATIONIS *nomen, quid significet. disp. 35. num. 1.*

Prædestinare, & prædeterminare idem significant. disp. 22. num. 9.

Prædestinatio sors dicitur. disp. 37. num. 14. disp. 43. num. 3.

Prædestinationis definitio explicatur. disp. 37. num. 7.

Prædestinatorum duas classes statuit Catherinus. disp. 37. num. 1.

Prædestinatio, in ratione prædestinationis non supponit præscientiam boni vsus futuri liberi arbitrij. disp. 37. num. 9. Nec dependet ex libera cooperatione eiusdem arbitrij. disp. 37. num. 9. & 10.

Prædestinationis causam non dari, qualiter à quibusdam explicetur. disp. 37. num. 12.

Prædestinatio secundum propositum, de proposito Dei, non hominis intelligenda est. disp. 37. num. 14.

Prædestinatio ad gloriam non est omnibus iustis communis. disp. 107. num. 6.

Prædestinatio ad gloriam non est conditionata, sed absoluta, & efficax ex parte Dei. disp. 107. num. 5. disp. 110. num. 13.

Prædestinatio completa, & incompleta distinguitur à quibusdam. disp. 107. n. 6. Impugnatur hæc distinctio eodem num. Non est in potestate arbitrij facere, quod prædestinatio ad gloriam sit in Deo prædestinatio absoluta, & efficax. eadem disp. & numero.

Prædestinatio, aut electio ad gloriam quantùm ad exequutionem, non est sine meritis præcedentibus. disp. 37. n. 18.

Prædestinatio præsupponit præscientiam futurorum, quæ per prædestinationem non constituuntur. disp. 37. n. 22.

Prædestinationis decretum non imponit libero arbitrio necessitatem absolutam. disp. 37. num. 22.

Prædestinatio parvulorum non fuit ex præuisis operibus parentum. disp. 38. num. 1.

Prædestinatio est certa & infallibilis quoad assequutionem effectus. disp. 41. num. 2.

Prædestinatio non est solum certa ex præscientia, sed etiam ex causalitate mediorum. disp. 42. num. 3.

Prædestinatio est certa, certitudine causalitatis mediorum. disp. 37. num. 12.

Prædestinatio est certa certitudine ordinis. disp. 121. n. 6.

Prædestinati, qui non sunt confirmati in gratia peccare possunt mortaliter. disp. 41. num. 3.

Prædestinationis sua certus esse potest quis ex reuelatione diuina. disp. 42. num. 6.

Prædestinatum se esse, potest quis probabiliter cognoscere ex quibusdam signis. disp. 42. num. 7.

Prædestinatorum signa. disp. 42. num. 8.

Prædestinati pauci, reprobi multi. disp. 43. num. 2.

Prædestinationis & reprobationis discrimen. disp. 110. n. 8.

Prædestinatio, & efficacia gratiæ necessitatem exhortationum non tollit. disp. 17. n. 12.

Prædestinationis causam non dari, in quo sensu quidam intelligant. disp. 110. num. 4.

Prædestinationis infallibilitatem cum libertate arbitrij per scientiam mediam non concordant Augustinus. disp. 110. num. 5.

Prædestinationis infallibilitas, & certitudo non potest in scientia media inniti. disp. 121. num. 1.

Prædestinatio ante præuisa merita non inducit hominem in desperationem. disp. 121. num. 13.

Prædestinationis ex parte nostra nulla datur causa. disput. 122. n. 11. Siue loquamur de prædestinatione ad gratiam, siue ad gloriam. disp. 37. num. 27.

Prædestinatio est omnino gratuita. disp. 123. num. 4.

in Prædestinationis soluenda quæstione nõ defecit Apostolus, vt quidam dixerunt. disp. 37. num. 13.

Prædestinationis doctrina tradita à S. Augustino est certa. disp. 37. num. 14. disp. 5. per totam.

Prædestinationis signum est testimonium bonæ conscientiæ. disp. 42. num. 12.

Prædestinatio Christi fuit causa nostræ prædestinationis, quoad omnes eius effectus. disp. 39. num. 5. 6. & 7.

Prædestinationem suam non meruit Christus. disp. 39. num. 8.

Prædestinatio Christi non fuit effectus prædestinationis nostræ. disp. 39. num. 9.

Prædestinatorum omnium caput est Christus. disput. 40. num. 3.

Prædestinatum se esse, nullus scit, seclusa reuelatione. disp. 42. num. 5.

Prædestinationis effectus non fuit gratia status innocentiæ, nisi vt reparata per Christum. disp. 40. n. 3.

Prædestinationis effectus est ipsa cooperatio arbitrij cum dono gratiæ. disp. 122. num. 13.

Prædestinationis signum sunt eleemosynæ frequentes. disput. 42. num. 10.

Prædestinationis signum est patiens tolerantia aduersitatum. disp. 42. num. 9.

in Prædestinationis definitione qualis præscientia includatur. disp. 35. num. 4.

Prædestinare, & præscire aliquando sumuntur pro eodem. disp. 37. num. 20.

Prædestinatorum numerum excedit incomparabiliter numerus reproborum. disp. 43. num. 3.

in Prædestinatione Christi diuersa signa rationis distinguuntur. disp. 39. num. 8. disp. 109. num. 2.

Prædestinatos peccare permittit Deus, vt humiles, & cautiores fiant. disp. 28. num. 10.

PRÆDETERMINAVIT *Deus omnes actus bonos futuros, efficaci decreto, antecedenter ad præscientiam eorum, etiam ex hypothesi. disp. 22. per totam.*

Prædeterminatio intrinseca liberi arbitrij sequitur ex prædeterminatione extrinseca, quæ est per decretum Dei efficax. disp. 19. num. 12. disp. 21. num. 14.

Prædeterminatio potest dupliciter physica appellari. disp. 22. num. 2.

Prædeterminatio duplex, altera cum impositione necessitatis, altera secundum modum voluntatis. disp. 22. n. 12.

Prædeterminatio est duplex, altera naturalis, altera libera. disp. 22. num. 1.

Sine prædeterminatione Dei nihil potest homo operari in sensu composito. disp. 22. num. 33.

Sine prædeterminatione Diuina non est homo liber in actu secundo. disp. 22. num. 43.

Prædeterminat Deus efficienti motione voluntatem ad actus bonos ex obiecto, etiam si ex malitia operantis sint mali. disp. 24. num. 13.

Prædeterminat Deus extrinseco decreto omnes causas secundas ad suas operationes. disp. 22. num. 8.

Prædeterminauit Deus ab æterno absoluto decreto omnia, quæ fiunt in tempore, peccato excepto. disp. 122. n. 12.

Prædeterminata fuit à Deo quoad omnes circumstantias passio Christi. disp. 22. num. 18.

Prædeterminare Deum voluntatem hominis ad actus malos, in quo sensu negent Concilia. *disput.* 24. *num.* 26.
Prædeterminat Deus non solum moraliter, sed etiam verè efficienter motione efficaci voluntatem creatam ad operandum. disp. 23. *num.* 15. & 16. *disp.* 83. *num.* 13.
Prædeterminant Deus mala pœna suppositio peccato. disp. 29. *num.* 2.
Prædeterminatio est à Deo numerus culicum, & muscarum. disp. 28. *num.* 9.
Prædeterminant Deus omnia, & singula bona secundum omnes circumstantias. disp. 28. *num.* 5. *disp.* 122. *num.* 12.
Prædeterminantur scientia Dei libera omnes causæ secundæ ad operandum. disp. 16. *num.* 9.
Prædeterminari indiget duplici ratione voluntas creata, vt operetur. disp. 23. *num.* 25. & 26.
Prædeterminari ab alio repugnat voluntati diuinæ. disp. 23. *num.* 26.
Circa prædeterminantem gratiam quid senserit Hieronymus. disp. 24. *num.* 24. *quid Chrysostomus. disp.* 22. *num.* 22.
Ex eo quod non prædeterminet Deus actus malos, in quantum actus sunt, non sequitur, eum non prædeterminare actus bonos, præsertim supernaturales. disp. 24. *num.* 27.
Prædefinitio actuum contingentium qualiter fiat secundum quosdam Theologos. disp. 22. *num.* 15.
Prædefinitio, & prædeterminatio an differant. disput. 22. *num.* 15.
PRÆDICATORES *mittuntur ex gratia Dei. disp.* 77. *num.* 5. & 6.
PRÆMIVM *maius in ratione præmij, quod dicatur. disp.* 60. *num.* 17. *vide verbo*, Meritum.
PRÆPARATIO *est duplex, alia in præparante, alia in præparato. disp.* 37. *num.* 3. & 7.
Præparare cor: qualiter Deo tribuatur, & homini. disput. 89. *num.* 9. *vide verbo*, Aptare.
PRÆSENTIA *rerum in æternitate dupliciter considerantur. disp.* 9. *num.* 2.
PRÆSCIENTIA *quid significet. disp.* 36. *num.* 2.
Præscientia in definitione prædestinationis posita, qualis sit. disp. 35. *num.* 4.
Præscientia boni vsus arbitrij futuri non præsupponitur ad prædestinationem. disp. 37. *num.* 9. & 21. *Neque ad gratiæ efficaciam. disput.* 83. *num.* 13.
Præscientia, & scientia in Deo quomodo distinguantur. disput. 9. *num.* 5.
Præscientia, seu præscire aliquando idem significat, quod prædestinare. disp. 37. *num.* 10.
Præscientia media impugnatur. disp. 7. & 122. *num.* 3.
Præscit Deus futura bona, quæ ipse erat facturus. disp. 7. *num.* 28.
Præscientia meritorum non est simul in eodem signo rationis cum prædestinatione. disp. 37. *num.* 17. *vide verbo*, Scientia.
PRINCIPIVM *sufficiens alicuius operationis dupliciter dicitur. disp.* 113. *num.* 10.
PRIVATIO *gratiæ est effectus actualis peccati, originalis autem est quid essentiale. disp.* 44. *num.* 23.
Priuatio formæ, & eius negatio, non semper tribuuntur eidem causæ. disp. 101. *num.* 13.
PRIVS *altero dicitur aliquid tripliciter. disput.* 37. *n.* 8.
Prioritas naturæ, seu causalitatis dupliciter explicari potest. disp. 98. *num.* 6.
PROMISSIO *facta filiis Adæ fuit absoluta. disput.* 59. *num.* 8.
PROPOSITVM *seruandi omnia mandata quid requirat, vt dicatur efficax. disp.* 51. *num.* 5.
PROPOSITIO *conditionalis vera est necessaria, & falsa est impossibilis. disp.* 7. *num.* 7.
Propositiones de futuro contingenti, non sunt secundùm se determinatè veræ, aut determinatè falsæ. disp. 13. *n.* 7.
Propositio, quæ sunt eadem vni tertio, &c. qualiter sit intelligenda. disp. 8. *num.* 9.
Propositio, quidquid potest Deus facere cum causa secunda, potest facere se solo, qualiter intelligatur. disp. 32. *n.* 21.
Propositio modalis de re, & de dicto, quæ dicatur. disp. 25. *num.* 5.
Propositio nemo dat, quod non habet, qualiter sit intelligenda. disp. 44. *num.* 15.
Propositio de futuro contingenti ante decretum Diuinæ voluntatis non est determinatè vera, nec determinatè falsa. disp. 13. *num.* 3.
Propositio illa, causa quæ operatur, in quantum mota si necessario mouetur, necessario operatur, qualiter sit intelligenda. disp. 26. *num.* 13.
PROVIDENTIA *præsupponit intentionem finis. disp.* 3. *num.* 2.
Prouidentia sua Deus omnia singularia prædefinivit, secundum omnes circumstantias. disp. 28. *num.* 5.
Prouidentiam perfectissimam omnium rerum in particulari Deus habet. disp. 28. *num.* 4.
Prouidentiæ Diuinæ, & humanæ discrimen. disp. 30. *n.* 3.
Prouidentia, vt diuina est, includit assequutionem finis principaliter intenti. disp. 30. *num.* 4. & 6.
Pouidentia Diuinæ ordo est certus, immobilis, & indissolubilis. disp. 30. *num.* 5.
Prouidentiæ Diuinæ indissolubilitas arbitrij libertatem non ladit. disp. 30. *num* 8.
Prouidentiam reproborum habet Deus secundum modum brutorum. disp. 30. *num.* 7.
à Prouidentia Diuina quolibet ordine particulari potest se subtrahere liberum arbitrium. disp. 31. *num.* 3. *non tamen ab ordine vniuersali. ibi. num.* 4. *Nec potest operari in sensu composito, nisi quod diuina prouidentia est præfinitum. eod. num.* 5.
Prouidentia Dei passer cadit in terram, & non solum eius præscientia. disp. 29. *num.* 3.
sub Prouidentia Diuina cadit peccati permissio. disput. 28. *num.* 9.
PVLSATIO *cordis, & ostij, in quo differant. disp.* 74. *num.* 5.

Q

QVANTITAS *visionis beatæ in adultis correspondet quantitati meritorum. disput.* 63. *num.* 3.
QVIA *homo non vult operari, ideo non adiuuatur à Deo. disp.* 102. *num.* 3.

R

RATIONI *consentaneum est, vt in rebus creatis fiat, quod Deus vult. disp.* 55. *num.* 14.
Rationis vsus, in quo sensu præsupponatur ad gratiam in adultis. disp. 78. *num.* 4.
RECEPTACVLA *quinque animarum distinguuntur. disp.* 114. *num.* 4.
RECTIFICATIO *animæ in ordine ad Deum est effectus inadæquatus iustitiæ originalis. disp.* 44. *n.* 25.
RELATIO *in vltimum finem requisita ad meritum debet esse actualis, aut virtualis. disp.* 60. *num.* 14.
REMOVENS *Prohibens quando sit causa damni subsequuti. disp.* 101. *num.* 12.
REPROBATIO *opponitur approbationi. disp.* 109. *num.* 4.
Reprobatio Dei includit actum positiuum. disp. 109. *num.* 5.
Reprobatio absoluta antecedit præscientiam mali vsus arbitrij futuri. disput. 109. *num.* 6. *disp* 110. *num.* 12.
Reprobationis causam fuisse peccatum originale, qui sentiant. disp. 110. *num.* 5.
Reprobationis comparatiuæ nulla datur causa in paruulis. disp. 110. *num.* 10.
Reprobationis nulla datur causa absolutè loquendo. disp. 110. *num.* 11.
Reprobationis quoad vltimum effectum datur causa ex parte nostra. disp. 110. *num.* 15.
Reprobationis nulla in Angelis datur causa disp. 110. *n.* 9.

Reprobationis doctrina tradita ab Augustino expenditur. disp.110.num.16.

Reprobationis, & prædestinationis discrimen. disputat.110. num.8.

Reprobationis causa, etiam per accidens non est peccatum originale semel remissum. disp.110.num.13.

Reprobationis effectus non fuit peccatum originale, vt opponebatur originali iustitiæ. disp.110.num.18.

Reprobationis sufficientissima causa ex parte Dei est splendor diuinæ iustitiæ. disp.110.num.2.

REPROBI *spinis conferuntur. disp.43.num.6.*

Reprobi voluntate Dei antecedente ordinantur ad beatitudinem supernaturalem, non autem voluntate consequente. disp.30.num.7. disp.33.num.4.

Reproborum salus est secundùm se volita à Deo, non autem consideram secundùm omnes circumstantias. disp.34.n.3.

Reproborum prouidentiam Deus habet secundùm modum brutorum. disp.30.num.7.

Reprobos non eo fine creauit Deus, vt eos damnet. disp.111. num.5.

Reprobum, dum est in peccato, mori Deus vult, quatuor de causis. disp.29.num.5.

Reprobi existentes in gratia per bona opera verè merentur vitam æternam. disp.59.num.19.

Reprobi pro aliquo tempore sunt multoties verè iusti. disp. 42.num.4.

Reproborum numerus incomparabiliter excedit numerum prædestinatorum. disp.43.num.3.

Reprobi etiam ex fidelibus sunt plures, quàm electi. disp.43. num.5.

Reproborum increpationes, & exhortationes non sunt frustra respectu Dei. disp.23.num.33. disp.109.num.9.

Reprobi paruuli post diem iudicij cum suis corporibus detrudentur in Limbum. disp.114.num.8. non tamen patientur pœnam sensus, sed solum damni. ibid. num.10.

Reprobos etiam paruulos comprehendet illa sententia: Ite maledicti. *disp.114.num.7.*

Reprobando homines, vel Angelos non est Deus crudelis. disp.110.num.19.

RERVM *sunt quatuor gradus. disp.69.num.3. & 5.*

RESISTERE *auxilio efficaci, vt est quædam entitas physica, potest liberum arbitrium. disp.32.num.13.*

Resistere voluntati Dei efficaci voluntas creata non potest. disp.32.num.5.

Resistere accipitur dupliciter. disp.32.num.4.

Resisti non potest auxilio efficaci in sensu composito. disp.92. num.7.

Resistere, & dissentire posse auxilio gratiæ, differunt inter se. disp.93.num.3.

S

SACERDOS *consecrat ex motione Diuina. disp.24. num.14.*

SACRAMENTA *nouæ legis gratiam conferunt ex opere operato. disp.66.n.10.*

SALOMON *an saluatus fuerit. disp.42.num.4.*

SALVS *reproborum est secundùm se volita à Deo, non tamen secundum omnes circumstantias. disp.34.num.3.*

SAMSON *Typus fuit peccatorum. disp.46.n.2.*

SAVL *damnatus fuit. disp.42. num.4.*

SCIENTIA *Dei sufficienter diuiditur in scientiam simplicis intelligentiæ, & scientiam visionis. disp.6. per totam, præsertim num.6.*

Scientia simplicis intelligentiæ cognoscit Deus omnia possibilia, & omnia futura secundum quidditatem. disp.13.n.4.

Scientiam Deus non accipit à rebus. disp.16.n.6.

Scientiæ libera non ponit nouam perfectionem in Deo. disp. 13.num.1.

Scientia Dei qualiter sit causa rerum. disp.16.num.6.

Scientia Dei libera prædeterminat causas secundas ad operandum. disp.16.num.6.

Scientia intuitiua Dei ac nostra, in quo differat. disp.9.n.3.

Sub scientia Dei prædita qualiter cadant mala. disput.6. num.8.

Scit Deus mala, & priuationes, sed non per propriam similitudinem. disp.16.num.9.

Scientiæ Diuinæ infallibilitas in quo fundetur secundum S. Thomam. disp.22. num.29.

Scientia futurorum fuit in Deo ab æterno intuitiua. disp.9. num.4. disp.16.num.9.

Scientia Dei libera est de existentibus in aliqua differentia temporis, vel de illis, quæ ex actuali decreto ipsius existerent, si adimpleretur talis, vel talis conditio. disp.7.nu.21.

Scientiæ Diuinæ certitudo respectu futurorum contingentium non sumitur formaliter ab eorum existentia. disp.9.nu.3.

Scientiam non intendit medium probabile. disp.63.num.8.

SCIENTIA *media quid significet. disp.7.num.1.*

Scientia media ad quid fuerit introducta à quibusdam. disp.7. num.10. disp.120. num.1.

Scientiæ mediæ obiectum non est scibile. disp.7.num.17.

Scientiam mediam nunquam docuit Augustinus. disput.7. num.27.

Scientia media apta non est ad concordandã arbitrij libertatem cum gratia. disp.7. num.29. & 31. disp.120. num.4. & seqq.

Scientia media non est constituenda etiam in Deo. disp.7. per totam, præsertim num.10. & disp.122.num.10.

Scientia media videtur non saluare arbitrij libertatem. disp.7. num.16.

Scientia media non præsupponitur ad efficax decretum diuinæ voluntatis. disp.115. num.6.

Scientia media non concordauit Augustinus infallibilitatem prædestinationis, cum libertate arbitrij. disp.120.num.5. neque in illa potest eadem infallibilitas inniti. disp.120.n.5.

Scientia media ad quid fuerit inuenta. disp.23. num.7.

SCOTVS *quatuor signa rationis distinguit in Deo. disp. 109. num.2.*

SEMEN *Christum Dominum designat. disp.7. num.25.*

Semen an habeat virtutem intentionalem superadditam, quæ peccatum originale traducat. disp. 44. num. 26.

SENSVS *inclinationem quare plures sequantur. disp.43. num.6.*

Sensus compositus, & diuisus aperitur. disp.94. num.2.

SEMIPELAGIANI *admiserunt internam gratiam sufficientem. disp. 99. num.5.*

Semipelagianorum errores. Vide verbo, Cassianus, & verbo, Faustus.

SIGNA RATIONIS *circa Christi prædestinationem, & nostram. disp. 39. num. 8.*

Signa rationis quatuor distinguit Scotus in Deo. disp.109. num. 2.

Signa rationis diuersa qualiter in Deo distinguantur. disp. 37. num. 8.

SIMVLTAS *potentiæ, & potentia simultatis quid sit. disp.115. num.4. Vide verbo, Potentia.*

SORS *prædestinationem significat. disp. 37. num. 14. disp. 43. num. 3.*

SPIRITVS *submissione dari gratiam, quid sit. disp.1. num. 10.*

SPINÆ, *vepres, muscæ, etiam fuerunt productæ à Deo ante peccatum. disp. 28. num. 8.*

SVFFICIENS *ad aliquid dicitur duobus modis. disp. 23. num. 32.*

Sufficiens principiũ alicuius operationis, dicitur dupliciter. disp.115. num. 10. Vide verbo, Auxilium sufficiens.

Spinis reprobi conferuntur. disp.43. num.6.

SPLENDOR *diuinæ iustitiæ, & misericordiæ est ex parte Dei sufficiens causa reprobationis. disp.110.num.2.*

SPECIES *intelligibiles naturales eleuantur per gratiã, vt per eas intelligat homo mysteria fidei. disp.56. num.18.*

SVPERNATVRALIS *actus non est cognoscibilis euidẽter per naturam. disp. 51. num. 16.*

Supernaturalis actus, etiã ab Angelo per solas vires naturæ euidenter cognosci non potest. disp.51.num.16.

Supernaturales actus in Catechumenis à principio supernaturali eliciuntur.disp.62.num.11.

Absque supernaturali principio inhærente implicat liberum arbitrium elicere supernaturales actus.disp.67.n.10.

Supernaturales habitus solum pervisionem beatificam possunt quidditatiuè cognoſci.disp.51.num.16. Non possunt esse connaturales alicui substantiæ creatæ,vel creabili. disp.69.num.8.

Supernaturalis est influxus liberi arbitrij in actus supernaturales.disp.97.num.9.

Supernaturalis actus libertas actualis est,vt quo,ab auxilio gratiæ.disp.97.num.14.

Supernaturalium actuum vitalitas radicalis est à natura, formalis autem, & proxima est,vt quo, à principio supernaturali.disp.64.num.5.disp.68.num.10.

SVASIONIS *nomine quid intelligat Augustinus. disp. 83.num.16.*

T

TALENTORVM *nomine intelliguntur dona gratiæ.disp.57.num.7.*

TENTATIONES *graviores ſine auxilio gratiæ homo in natura lapſa vincere non poteſt.disp.122.num.5.*

TYRII, *& Sidonij converſi fuiſſent non ex ſolis ſignis, ſed ex auxilio efficaci, quod Deus illis contulisſet.disp.7. num.23.*

Tyrij,& Sidonij,quibus ſignis credidiſſent.disp.49.n.17.

S. THOMAS *nunquam mutauit ſententiam, quam tenuit circa influxum præmium primæ cauſæ.disp.18.n.10.*

S. Thomas recurrit tum ad exiſtentiam rerum in æternitate,tum ad determinationem divinæ voluntatis,ad oſtendendam infallibilitatem ſcientiæ divinæ.disp.22.n.29.

TOTVM *eſſe tribuendum gratiæ, negauit Fauſtus. disp. 2.num.4.*

Totum Deo tribuendum eſſe,oſtenditur ex auctoritate Sanctorum præſertim Auguſtini.disp.62.num.6. & diſput. 85.num.3.& disp.97.num.7.

QVARE TRAHAT *iſtum,& non illum, non eſſe iudicandum, teſte Auguſtino, qualiter explicetur à quibuſdam.disp.17.num.10.& disp.110.num.13.*

TRIBVLATIONVM *patiens tolerantia, ſignum eſt prædeſtinationis.disp.42.num.9.*

TRINITATIS *imago qualiter ſit in homine.disp.118. num.12.*

Trinitatis myſterium non eſt nobis euidenter poſſibile. disp. 118.num.14.

Trinitatis myſterium non demonſtratur ratione naturali. disp.118.num.12.

Trinitatis euidens cognitio haberi non poteſt,niſi per viſionem beatam, & in atteſtante.diſp.119.num.2.

Trinitatis euidens cognitio abſtractiua dari non poteſt.diſp. 119.num.3.

Trinitatis myſterium non cognouit Chriſtus euidenter per ſcientiam inditam,niſi euidentia in atteſtante.diſp.119. num.7.

TRISTITIA *damnatorum vnde cauſetur. diſput. 32. num.10.*

V

VERBVM *diuinum procedit ex cognitione neceſſaria omnium creaturarum.diſp.13.num.4.*

Verbis Dei intendere, vt ſuſcipiantur, procedit à Spiritu ſancto.diſp.56.num.17.

Verbum Dei audire animo obediendi,donum Dei.diſp.57. num.8.

Verba Dei audire,ſignum eſt prædeſtinationis.diſput.42. num.11.

Verbi Dei virtus qualis ſit.diſp.77.num.4.

Verbum prædicationis comparatur ab Auguſtino Corpori Chriſti.diſp.77.num.4.

VICTORIA *contra tentationes Deo tribuenda. diſput. 123.num.2.*

VIOLENTVS *motus non eſſet aſcenſus lapidis, ſi daretur ei lenitas.diſp.96.num.7.*

Violentiam in rebus non cauſat ſubtractio concurſus generalis.disp.31.num.12.

VIRTVS *actiua, quando ſit determinata ad vnum numero effectum.diſp.19.num.6.*

Virtus vera ſine gratia eſſe non poteſt.diſp.112.num.1.

Virtutis infuſæ, & acquiſitæ actus interior circa eandem materiam differunt ſecundum ſubſtantiam.diſp.65.n.4.

Virtutis infuſæ,& acquiſitæ actus exterior circa eandem materiam,ſunt eiuſdem ſpeciei in eſſe naturæ.diſp.65.n.9.

Virtutis, aut vitij ſubiectum non ſunt exteriores potentiæ. diſp.44.num.15.

VISIONEM *beatificam magis intenſiuam non elicit, cum æquali lumine gloriæ,intellectus perfectior. diſp.63. num.5.*

Viſionis beatæ quantitas in adultis quantitati meritorum reſpondet.diſp.63.num.3.

Viſio beatifica nobilioris intellectus eſt intrinſecè perfectior, cæteris paribus, viſione intellectus minus perfecti. diſp. 63.num.4.

Viſio clara Dei communicari poteſt per potentiam abſolutam,exiſtenti in peccato mortali. *diſp.67.num.9.*

VITALITAS *proxima actus ſupernaturalis eſt, vt quo, à principio ſupernaturali. diſp.49. num.18. diſp. 68.num.10.*

Vitalitas proxima,& formalis viſionis beatificæ procedit,vt quo, à lumine gloriæ.diſp.64.num.5.

Vitalitas radicalis, & remota actuum ſupernaturalium eſt à natura.diſp.64.num.4.

Vitalitas actus fidei informis in qua vita radicetur. diſp. 64.num.9.

VIVENS *non producitur virtute propria à corpore cæleſti.diſp.55.num.11.*

VOCATIONIS *nomine, quid intelligat Concilium Tridentinum.diſp.47.num.6.*

Vocatio congrua,ſecundum Auguſtinum,qua dicatur.diſp. 7.num.28.

Vocatio interior non dependet ab induſtria, & conatu naturali eius,qui vocatur. diſp.78.num.2.Neque à miniſtris Eccleſiæ.diſp.59.num.19.

Vocatio vna interior dependet quandoque ab alia, & eam præſupponit.diſp.78.num.2.

VOLVNTAS *mouetur ab obiecto. diſp.91.num.13.*

Voluntas creata præſupponit bonitatem obiecti volitæ, non autem voluntas diuina.diſp.91.num.13.

Voluntas diuina eſt purus actus, non autem voluntas humana.diſp.91.num.13.

Voluntas humana, quæ mala per peccatum incurrit. diſp. 46.num.3.

Voluntas magis corrupta eſt per peccatum, quàm intellectus.diſp.46.num.2.diſp.51.num.15.

Voluntas habet duplicem indifferentiam, paſſiuam ſcilicet,& actiuam.diſp.22.num.35.

Voluntas poſitis omnibus requiſitis ad operandum, poteſt abſolutè non operari.diſp.22.num.39.

Voluntas libera habet dominium ſui actus, ſed non primum. diſp.22.num.44. ſe determinat, ſed non eſt primum ſe determinans.diſp.22.num.29.& 38.

Voluntas duplici ratione indiget,quod prædeterminetur ad operandum.diſp.23.num.25.

Voluntatem creatam non eſſe primum principium ſuæ determinationis,qualiter intelligendum.diſp.24.n.19.

Voluntas creata quomodo poſſit velle malum,ſeu peccatum. diſp.24.num.28.

Voluntatem neceſſitari,& cogi ad aliquem actum non ſunt idem.diſp.32.num.3.

Voluntatis actus eſt duplex,ſcilicet elicitus, & imperatus. diſp.32.num.3.

Voluntas ad actus imperatos cogi poteſt.diſp.32.num.8.

Voluntatem in via nullum obiectum neceſſitat,quoad exercitium actus. diſp.54.n.20. Sed ſolus Deus clarè viſus

poteſt eam, vt obiectum determinare, quoad exercitium. diſp.7. num.18.

Voluntas ex ſuppoſitione neceſſitatur ad peccandum, non tamen ſimpliciter. diſp. 54. num.20.

Voluntariè moueri, quid ſit. diſp.68. num.9.

Voluntas ſe mouet moraliter, & phyſicè. diſp. 81. num.6.

Voluntas comparatione tantum mediorum, ſe mouet moraliter. diſp.81.num.6.

Voluntas antecedens importat actum conditionatum. diſp. 34. num.5.

Voluntas in inſtanti, in quo vult, eſt libera ad volendum, & non volendum. diſp.116. num. 11.

Voluntatis inclinatio, quomodo ſit ab ipſa voluntate diſp. 96. num.6.

Voluntas creata quare non ſit primum liberum. diſput. 98. num. 8.

Voluntas creata ideo defectibilis eſt, quia ex nihilo facta eſt. diſp.101. num. 8.

Voluntas creata, quomodo ſit cauſa mali. diſputat. 101. num. 8.

Voluntatis, & agentis naturalis differentia. diſput. 108. num. 8.

Voluntatis determinatio qualiter Deo tribuatur. diſp. 89. num. 7.

Voluntas eſt libera etiam pro illo inſtanti, in quo operatur. diſput. 116. num. 18.

Voluntatem hominis aptari ad bona opera, quid ſit. diſp. 56. num. 19.

Voluntatem ad peccandum non neceſſitant paſſiones, vel cauſæ naturales. diſp. 54. num. 21.

Voluntas hominis ideo non conuertitur, quia non vult. diſp. 101. num. 8.

Voluntatis determinatio in actu ſecundo, eſt ipſemet actus voluntatis, non autem determinatio quaſi in actu primo. diſput. 22. num. 38.

Voluntas creata non eſt ſola, aut prima cauſa ſua determinationis. diſp.89. num. 3.

Voluntas, prius natura quàm ſe determinet, qualiter intelligatur indeterminata. diſp. 89. num.9.

Voluntatem noſtram, vt purgari velimus, Deus non expectat, ſed cauſat. diſp. 95. num. 2. & 5.

Voluntatis determinatio qualiter ſit libera. diſp. 23. num. 28. diſp. 89. num. 8.

Voluntatis indifferentia in ordine ad auxilium gratiæ eſt paſſiua, in ordine ad conſenſum actiua. diſp. 23. num. 25.

Voluntatem tam moraliter, quàm efficienter prædeterminat Deus efficaci motione ad operandum. diſp. 23. num. 16.

Voluntatem creatam qualiter poſſit Deus neceſſitare ad aliquem actum. diſp. 92. num. 11.

in Voluntatem creatam tantùm reducitur peccatum. diſp. 97. num. 11. diſp. 18. num. 21. diſp. 24. num. 4.

Voluntatis prædeterminatio intrinſeca ſequitur ex prædeterminatione Dei extrinſeca. diſp. 21. num. 14.

Voluntas in ordine ad auxilium prauum, ſe habet paſſiuè. diſp. 19. num. 6.

VOLVNTATEM *ſigni vult Deus, vt omnes ſeruent eius præcepta. diſp. 33. num. 5.*

Voluntas Dei antecedens, & conſequens, qua dicatur. diſp. 34. num. 3.

Voluntas Dei cauſat bonitatem in rebus, noſtra eam præſupponit. diſp. 37. num. 15. Eſt efficaciſſima. diſp. 83. num. 9.

Voluntas antecedens, & conſequens Dei non repugnant inter ſe. diſp. 109. num. 9.

Voluntas diuina eſt indifferens negatiuè, reſpectu obiecti ſecundarij, non autem priuatiuè. diſp. 16. num. 4.

Voluntatis diuinæ virtus continetur intentionaliter in auxilio efficaci. diſp. 73. num. 3.

Voluntatem creatam Deus tranſmutat ab vno in aliud. diſp. 23. num. 13.

Voluntatis determinatio eſt ſub dominio Dei. diſput. 23. num. 11.

Voluntatem mouet Deus ad bonum, ſicut vniuerſalis motor. diſp. 24. num. 30.

Voluntatem creatam à Deo conuerti non poſſe in aliquo caſu ſeruata eius libertate, ſentiunt quidam. diſput. 28. num. 7.

Voluntatem non cogit Deus, eam immutando. diſput. 32. num. 9.

Voluntate conſequente Deus non vult omnes homines ſalnos fieri. diſp. 56. num. 25.

Voluntate conſequente Deus non ſemper vult oppoſitum eius, quod vult voluntate antecedente. diſp. 34. num. 4.

Voluntas diuina determinat humanã, vt conſentiat ſecum. diſp. 22. num. 14.

Voluntas Dei abſoluta impediri non poteſt per humanam voluntatem. diſp. 10. num. 5.

Voluntati Dei efficaci arbitrium creatum reſiſtere non poteſt. diſp. 32. num. 5.

in Voluntate Dei nulla eſt indifferentia paſſiua, aut priuatiua. diſp. 116. num. 11.

Voluntas diuina non prædeterminatur ab alio, ſicut humana. diſp. 23. num. 26.

Voluntas diuina eſt purus actus, non autem voluntas humana. diſp. 91. num. 13.

VOLITIO *finis duplex. diſp. 30. num. 2.*

Volitionem, qua Deus concurrit cum cauſis liberis, eſſe conditionatam quidam ſentiunt. diſp. 21. num. 1. & ſeqq.

VOLVNTARIVM *qualiter ſit paruulis peccatum originale. diſp. 44. num. 15.*

VVLT *homo, quia Deus vult, & non è contra. diſp. 22. num. 14.*

Vult homo, ſed Deus facit, vt velit. diſp. 49. num. 15.

quia non Vult homo operari, ideo non adiuuatur à Deo. diſp. 99. num. 7.

VSVS *rei quid ſit. diſp. 87. num. 2.*

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

- 3 - 51

Digitized by Google

Digitized by Google

5_5_1

IHS